



HISTORIA
RERUM
BRITANNICARUM:

VT ET MVLTARVM

Gallicarum, Belgicarum, & Germanicarum,
tàm Politicarum, quàm Ecclesiasticarum,
ab Anno 1572, ad Annum 1628:

AVCTORE

ROBERTO JONHSTONO,
SCOTO-BRITANNO.

Adjectus est rerum ac Personarum, de quibus in hoc volumine,
Index absolutissimus.



AMSTELÆDAMI,
Sumptibus JOANNIS RAVESTEYNII,
M. DC. LV.



Ad Lectores Benevolos.

Tandem vobis exhibentur *Libri 22 Historiarum Roberti Ionhstoni, Scoto-Britanni*, diu à multis desiderati. Ipse nuper, dùm Viveret, *duos harum Libros priores* in lucem misit, ac *Serenissimo Carolo, Magnæ Britanniæ, Franciæ, ac Hiberniæ Regi* consecravit: ac tùm, in parandis *reliquis* occupatus, Spem ac Desiderium fecit Lectori ijsdem aliquandò fruendi. Quàm candidè passim agat, æquis rerum æstimatoribus venit dijudicandum. Ipse Vir bonus ac honestus, de se (quod sanè licet) testatur in hunc modum

Precio addictam fidem non habui, nec cujusquam gratiâ emptam: nil temerè prodidi: & ingenij mei censum censuræ vestræ subjeci. Qualem à me in scribendo animum poscitis ac flagitatis, talem in legendo æquitatem adhibeatis, velim vos rogatos. Quippè nullam aliam mercedem laborum meorum desidero, præter hanc Laudis, ac Memoriæ apud Posteros. Quid quisq; de hoc opere sentiat, non magnoperè curo; nihil enim in suo genere tàm perfectum est, ut nostræ ætatis sciolis placere possit, qui sibi omnis elegantiæ Censores videntur. Neque verò Narratio mea ejusmodi est, ut ambiguè vir bonus interpretari, aut in dubium revocare possit: quippè naturâ comparatum est, ut boni Viri ac eruditi faciles sint, & humani in suum cuique tribuendo, non tàm cultum orationis, quàm rei Veritatem consectentur: Mali, Improbi, Asperi, Maledici, Invidi benè dicta sinistrâ Interpretatione detorqueant, ordinem totius Narrationis infament, ac Odium in alios licentius struant. Horum ego Iudicium, si ex Levitate aut Temeritate processerit, floccipendo; si ex Vulgi inscitiâ, contemno; si ex Malitiâ, ignoscendum puto. Illorum Gravitatem, Prudentiam, & Auctoritatem pertimesco, venerari etiam, mirariquè soleo. Nemo mortalium omnium cupiditati satisfacere potest; cum Alij Antiquitate, priscorum Verborum fœtoribus, sapientibus Sententijs, gravibusq; delectentur; Alij Laconicâ brevitate narrandi, concisis ac argutis gaudeant; Alij Brevitati, ac nimio acumini infensi, elatione atq; sublimitate orationis. Sed Inscitia est in nostri Sæculi Scriptoribus, Cæsaris summam eloquentiam, Catonis, aut Salustij brevitatem, Taciti pompam, Livianæ Orationis concitationem atq; altitudinem desiderare. Agnosco libens, me nihil magnum aut eximium in hâc Narratione præstitisse; sed Britanniæ res gestas tantummodò verbis necessarijs expressisse, sinè fuco & lenocinio, sinè suspicione Gratiæ aut Simultatis. Deniquè ab inani laude, & Vulgi sermonibus remotus, non Ingenij mei Prædicatores, sed Laboris volo. Gloriâ non delector, sed Veritatis studio, & bonæ Conscientiæ famâ apud Posteros.

Interim vos ipsi, *benevoli Lectores*, ex Operis totius contextu facilè perspicietis, quàm religiosè cuncta servet *Author*, quæ ad Historiæ fidem pertinent; & Legentium animos ad Virtutem, Probitatem, & Prudentiam excitant. Ipsi observabitis quàm multa referat scitu dignissima; & quæ *Principem*, tàm in Bello quàm Pace, tàm domi quàm foras, tàm in Civilibus quàm Divinis erudire; ac *Ecclesiarum Ministrum* prudentem facere valent. Ego equidem studio ac labore incredibili, nec minore fide, operam dedi, ùt hoc Opus (ex quo tempore in meas manus incidit) nitidè, accuratè, ac benè correctum prodiret in publicum. & quamvis leviora quædam Errata irrepserint, me absente, ea tamen facilè attentus Lector ipse corriget. Quæ in M. S. obscura, confusa, intricata, ac involuta videbantur, quippè *nec Majuscularum, nec Commatum, nec Punctorum, nec Periodorum, Paragraphorum, aut aliquarum Distinctionum* ratio erat habita; ea plana, perspicua, ac cuivis exposita feci, addendo quæ ad hæc necessaria. *Emphatica* quævis in quibusvis; ut & rerum ac personarum *Nomina propria*; ac quæ narrantur aliorum *Orationes ac Epistolas*, per Characteris diversitatem, oculis omnium proposui: ac *Indicem copiosissimum* in usum vestrum adjeci. Valete ergò, utimini ac fruimini.

J. S.



Ad Robertum Jonhstonum,

SCOTO-BRITANNUM.

INgenij *Ionhstone* tui sum factus Amator,
Historiæ legerem dùm Monumenta tuæ.
Nil magis ingenuum, nihil ingeniosius extat,
Tergeminæ *Brittonum* gentis in Historiâ.
Excipias unum *Morum*, de *Rege Ricardo*,
Nemo Britannorum dignior Invidiâ.

Jo. Owen.



RERUM



RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO



LIBER PRIMUS.



Onsilium mihi est RES BRITANNICAS, *à primordio* JACOBI *Regis* 1572. *ad nostra usque tempora, sine gratia & ambitione, posterorum memoriæ commendare, ac res externas maxime memorabiles, aut rebus nostris cohærentes explicare, solamque rerum gestarum veritatem consectari: Nec spes nec metus animum, incorruptam libertatem profitentem, ad vilem servitutem adulandi & obsequium flectent. Mihi Elisabetha nec commodo nec maleficio cognita, nec quisquam hoc opere, ira, amore, aut odio dicendus est. Quippè pessimum veri affectus ac judicii nostri venenum meditata adulatio; rursus acerbum odium adversus dominantes, multorum clarissima studia pessumdedit, dum falsa specie libertatis, ac stolida procacitate ingenij libidini indulgentes, naturæ vitio nec sua, nec aliorum dignitati parcere possunt, nihil pensi habentes, quid vel ipsi de aliis dicant, vel alij de ipsis sentiant. Pleriqae inter metum præsentis, & verecundiam futuri temporis fluctuantes, à scribendo sui temporis historiam deterrentur, in tot tantisque vitiis dominantium; ubi si parcissime culpaveris, parata graves offensa, tum si laudaveris, levis gratia rependitur, ac pro cujusque legentis ingenio obtrectatio & adulatio variè extolluntur, arguunturve. Sed hæc me non retardant, cum sentiam liberè atque verè dicendi adhuc relictam potestatem: libertate verò insita natura ita modestè utar, ut nec cupidè cujusquam famam lædere voluisse, nec per timorem aut ambitionem, quæ ad præsentes faciunt narrationem, præteriisse videar, ne quisquam de me jure queri possit, nisi suum prius fateatur maleficium.*

JACOBUS SEXTUS regnum Scoticum concessu Matris in ipsa penè infantia adeptus, cui regendo per ætatem impar, vicaria opera impubes rexit: Jus & Nomen Regium penes ipsum, vis principatus penes Tutores, & omnium prope rerum potestas. Prima pueritia in extremo discrimine ac dimicatione fortunæ acta, amisso Patre in cunis, Matre domesticis discordiis ac civilium armorum tempestatibus in exilium pulsa, & regno exuta, intestina quiete seditionum perturbata fluctibus, & Nobilium de Regni administratione certaminibus, Moravio, & Levinio Proregibus cæsis, extincto Marrio morte repentina, qui in suo Magistratu magnum æquitatis & prudentiæ specimen exhibuit, Procerum suffragiis suffecto Mortonio, ad rem Scoticam moderandam, reliqua variis procellis, turbinibus, & tempestatibus agitata. Ista auspicia Regni, Patris acerbum funus, Matris fuga & exilium, Avi paterni cædes indignissima. Prosperæ deinceps benignitate numinis res secutæ, ac multa felicitatis virtutisque exempla, quæ posteris imitanda reliquit. Mater cunctis honoribus post mortem culta, funerique ejus maxima cura impensa: Avus legibus, Pater ferro acerrimè vindicatus: In domestico luctu & publica rerum perturbatione Procerum consensu regimen rerum omnium ad Mortonium delatum est. Qua oblata potestate, convertit animum ad publicas curas, datisque ad Proceres Regni literis, comitia Edinburgum indixit, in quibus varia pro conservanda instaurata in Scotia Religione, Regni tranquillitate, tenelli Regis securitate, statuta

1572. fecit; authorque fuit, ex Comitiorum decreto, *Ut qui instaurata Ecclesia communionem desererent, nisi moniti Papana superstitionis rabie publicè ejerata resipiscerent, infames censerentur, & indigni qui publicis Reip: muneribus, aut ullis honoribus fruerentur; qui Protestantium doctrina contumaciter adversarentur, civium albo delerentur; quosque Ecclesia sacris interdixisset, rebelles haberentur; denique ut subditi omnes tenerentur receptam religionem armis animisque defendere adversus quoscunque Principes, à quibus Tridentina Synodus recepta esset, in perniciem Protestantium.* Regis quoque nomine edictum promulgatur, quo omnibus Papanis Episcopis publica munera adimuntur, sive illa ad Comitialem ordinem, sive ad Ecclesiasticam jurisdictionem pertinerent, nisi publicè errorem suum detestarentur, juxta abjurationis solennem formulam. At Præsulibus priscis qui Romanæ superstitioni renuntiarent, nec adempta dignitas, nec imminuta jurisdictio. Publicatum insuper Papanos sacrificulos sacerdotiis, & omnibus Ecclesiasticis reditibus ipso facto orbatos exutosque: Quæ res effecit ut Romanæ religioni alioqui addictissimi, amittendarum possessionum metu, instauratam & jurejurando profiterentur, & chirographo approbarent. Nec mirum sanè eam doctrinam quæ hominum tantum authoritate, lucri cupiditate, & Romani Pontificis tyrannide paulatim accreverat, vicissim hominum minis & bonorum amittendorum metu labefactari. In ipsa instauratæ Ecclesiæ infantia creati sunt Ephori, quos Superintendentes appellabant, libera potestate instructi, ministros ordinandi, castigandi, & exauctorandi. Hi nec vestis habitu, nec ulla alia dignitate à cæteris differentes, Synodos nationales, Provinciales, Presbyteriales, ad arbitrium regebant, & omnes Superintendentis sententiæ audientes erant. Causa institutionis hæc erat. Romana religione abolita, & Protestantium doctrina recepta, cui regia Majestas, & Regni salus inniteretur, Mortonius Prorex Præsulum functionem necessariam ac utilem existimavit, postulavitque ut Episcopi orthodoxi in Scotia ad Ecclesiæ Anglicanæ normam, Regia auctoritate constituerentur, Pontificiis erroribus imbuti à muneris sui functione arcerentur, impetravitque ut essent homines pacati, qui Episcoporum nomine ac reditibus fruerentur, ac liberis suffragiis in Ordinum conventus, nullam tamen in ministros jurisdictionem exercerent, sed ab illa muneris sui parte penitus abstinerent. Tanta erat ea tempestate, & tam libera potestas Synodorum, Presbyteriorum, ac Præsidentium moderatorum! Ita constituta religione, incolumitate teneri adhuc Principis provisa, ad civiles privatasque res animum convertit, & amicitiam adversus Elisabetham inviolatam servavit, electoque Alexandro Ereskino ut educationi Regis præesset, Mariæ Comite nondum adulto, ei conservandum & educandum tradidit, disciplinæque Georgium Buchananum doctrina clarissimum virum præposuit, qui eximia cura, ac diligentia pietatem adversus Deum, justitiam adversus homines servandam edocuit.

Inter hæc dominationem Proregis ægrè tulere Jacobus Hamiltonius Castri-Heraldi Dux, Argatheliæ, & Huntileæ Comites, Humius, Setonus, Heresius, prisci regni Barones, & complures primores equitum, *Cernere nomen regium, penes puerum, regimen rerum omnium penes Proregem sub puerili dominatu,* & tendendo ad societatem Gallicam obstitere, ne Proregis coalesceret authoritas: at non facilè erat firmatum Comitiali authoritate imperium evertere; & Prorex certamine ac studiis Procerum permotus, indies cautior tutiorque ab insidiis fiebat prudenti moderatione, amore civium, & claritate amicorum; nec à concordiæ consiliis abhorrebat, si occasio daretur. Verum enimverò Johannes Knoxius templorum incendiis, & Vandalica vastitate notissimus, qui priscæ pietatis monumenta obtentu religionis diruit, campanas, & plumbea Ecclesiarum tecta, sacrilega rapacitate invasit, intestinis dissidiis accendendis acerrimam facem prætulit. Inter hæc Mortonius simul parta ac sperata decora unius ingrati facti infamia evertit. Northumbriæ & Vestmariæ Comites rebus domi desperatis, occultis itineribus in Scotiam profugerunt, ut ibi fuga atque latebris metum suppliciorum prævererent. Carolus Nevelius apud Carolum Fernihustium, & Bacleuchium occultè latuit, sed metuens vim exercitus Anglici sub Sussexio Comite, in Belgium profectus est, ibique inopem vitam diu toleravit. Fortuna quæ res cunctas ex libidine regit, Northumbrium virum claritate familiæ insignem, ignobilis ac desertæ sylvæ Harclajæ accolam fecit, inter Gramios latrociniis infames, qui scelus fidei prætulerunt, & profugum turguriolis se occultantem nefariè Moravio Proregi prodiderunt. Sed is jugulandum hosti tradere exhorruit, ne officium, aut fidem proderet. Mortonius in summo dignitatis gradu collocatus, errore mentis lapsus, aut pecuniæ cupiditate, Northumbrium amplissimæ dignitatis virum, studio præstiti officii privatim sibi venerandum, ultrò Hunsdonio Bervici Præfecto mercede tradidit, qui mox Eboraci securi percussus est. Cujus tam ingrati sceleris debitum fructum ultimo vitæ suæ tempore recepit, veluti Deo vindice.

Regno jam in duas factiones Regis & captivæ Reginæ distracto, pleraque nobilitate boni publici sub specie pro sua magnitudine & potentia certante, frequentes de concordia inter partes stabilienda, ponendisque per conditiones armis, legationes ex Anglia & Francia venerunt. Missus Viriacus Gallus in Scotiam ad res visendas, pacemque si posset, turbandam, qui sub obtentu legationis suæ non solum speculatorem egit, sed etiam concitatorem belli adversus Proregem. Quâ re cognita, Elisabetha regina extemplo Killegræum legatum in Scotiam misit, ut huic

consilio

consilio Viriaci summa ope obsisteret, tendendo ad societatem Protestantium. Ipsius autem 1572.
Proregis animus ad pacis studium inclinatior, qui longa oratione Proceres ad concordiam deducere conatus est, *Cohortatusque per fidem & obsequium, ut deposito privatæ injuriæ sensu, bellorum civilium semina stirpibus evellerent, controversiarum ac dissensionum oblivi scerentur, nec ultima experiri vellent:* qua quidem prudenti moderatione assecutus est, ut inturbidi gratias agerent, & bene precarentur. In id syncere incumbit Killegræus Angliæ legatus, ut ad concordiam res adduci posset: renititur Viriacus Francorum orator, aut potius Guisiorum emissarius, Primores Scotorum allicit, ut Romanam religionem restituerent, Scotorumque reginam vi abdicatam in solio firmarent, & auxilia brevi promittit è Francicæ factionis nobilibus, si fidem non mutarent. Exin crebriora de compositione per utriusque partis Apocletos colloquia, induciæque redintegratæ, Perthum colloquio congressuique destinatur. Insitus natura mortalibus pacis & otii amor, intestina arma aversatur. Dilata consultatio in x. Febru: qui dies ad conveniendum dictus erat, & moræ interim induciarum interpositæ, dum colloquium illud finiretur. Sed Gulielmus Kircadius Grangæus, Edinburgensi arci præfectus, cui animus ferox, omnes civilis concordiæ rationes conturbavit. Eum Proceres utriusque factionis rogare, *Ne tempore tam opportuno saluti communi deesset, neve specie partium Remp. distraheret.* Melioribus consiliis flecti non potuit, sive loci inexpugnabilis munitioni fidens, quem capi expugnarive nulla vi, nullis artibus potuisse putavit, commeatu etiam ad longam obsidionem proviso, & apparatu bellico (sita est enim arx rupe alta, & undique præcipiti, à latere palude & lacu circundata,) sive à Franco ad remedium præsentis necessitatis subsidium sperans. Quippe ante paucos dies Jacobum Kircadium fratrem in Galliam legaverat, ut Francum de rerum Scoticarum statu certiorem faceret, ab eoque militem & pecuniam impetret. Id callidum consilium, quamvis occultum, tamen ad Proregem est delatum, & quoniam Blacknessum arx ad ripam Forthæ fluminis redeunti tutissimus receptus erat, Prorex clam Alexandrum Stuartum arcis Præfectum, egentem, malis moribus, diversæ factionis, largiendo, atque pollicitando, ad regias partes pertrahit, taciteque cum eo paciscitur, ut redeuntem Kircadium & pecuniam pariter opprimeret: nec defecit consilio successus. Jacobus cum aliquot aureorum millibus è Gallia reversus, ut Reginæ factionem foventibus adderet animos, Blacknessum applicuit (nondum enim compererat Præfectum descivisse, qui paulò antè sanctè jurarat, se causæ Reginæ nunquam defuturum) in insidias præcipitatus ipse capitur, pecunia eripitur. Stuartus ut Proregem certiorem faceret, Edinburgum proficiscitur. Jam Jacobus vir acer se deceptum, & in hostium potestate cernens, auro quod supererat custodes arcis, & præsidiarios milites corrumpit, ac subita fortunæ commutatione, perfidia militum qui in custodiis ac vigiliis erant, ex captivo Præfectus evadit, portarum claves, ac custodiam arcis recipit, & fraudem fraude ulciscitur. Postridie Stuartus cum comitibus inermibus, nihil tale suspicatus ingressus, à milite jam pacto cum Kircadio de proditione, extemplò in carcerem conjicitur, & adhibitis custodibus, in vinculis asservatur. Tædio diutini carceris fessus, injuriæ suæ vindictam aliquam quærit, & occasionem milites & custodes à Jacobo alienandi, ac adversarium à quo paulo ante erat dejectus, iisdem quibus captus artibus fuit captandi. Is in squalorem, & mœstitiam compositus, apud quosdam militum querulam de sortis suæ indignitate orationem habuit, ac per vetus militiæ sacramentum, & omnes pristinas cum illis necessitudines obsecravit, ut illum ejusque sortem respicerent, ac sive suam, sive commilitonum in eum perfidiam, novo fidei exemplo repararent, recensque dedecus opportuno aliquo erga quondam dominum officio abolerent. Ipsa deformitas Præfecti circumventi & oppressi occulta fraude, memoriaque prioris fortunæ, favorem apud vulgus militum, & misericordiam conciliabat. Fortuna eodem pene momento rerum novandarum praeclaram occasionem insidiantibus militibus præbuit: fortè enim Jacobus uxorem discedentem maritalis officii causa, ab arce familia prosequente, comitabatur, quem conjurati extra mœnia egressum summa celeritate excludunt, & claustris carceris convulsis catenas Stuarti apertè ac propalam exsolvunt. Is mirè variante fortuna, ex Præfecto præsidii captivus, & ex captivo Præfectus factus est, arxque intra paucos dies modò harum, modo illarum partium fuit. Cum in hoc statu res Scotorum essent, ac frequentes proditiones, defectiones Procerum, & clades præsidiorum, præscripto Februarii die utriusque factionis Duces, gravis & diutini belli pertæsi, Perthi præstò fuere, rursus pristinam concordiam reducturi, & ex altera parte Prorex cum Proceribus aliquot regiarum partium, ex altera Huntilæus Reginæ in Septentrionali Scotiæ plaga Præfectus, cum Hamiltoniorum principibus, ac reliquis Reginæ fautoribus. Post multas contentiones de conjuncta Regis & Reginæ administratione, tandem interposita Elisabethæ authoritate convenit, *Vt armis utrimque decederetur, præteritorum facinorum sempiterna oblivio sanciretur, præter cædem regis, Moravij & Levinij Proregum, concordiæ causa privatæ injuriæ, actionesque antiquarentur: damna privatim, & publicè illata condonarentur, & mercenarij milites dimitterentur, præter quatuor cohortes, quas Prorex retineret, quamdiu è Rep: ex consilio Ordinum videretur. Omnes receptam in Scotia religionem foverent, Regem in jurisdictione & dominatu principem authoremque agnoscerent, & quæcunque Reginæ nomine post abdicationem publicè vel privatim gesta, actave essent, irrita decernerentur, jurejurando obsidibus & aliis fidei pignoribus caveretur, ut pacta conventa rata manerent.* Sopitis intestinis dissensionibus, & securitate domestica parta

 vigilantia

1572. vigilantia ac cura Proregis, unus Grangæus spiritus magnos magis, quam utiles spirans, spreta Regis & Proregis auctoritate, non Concordiam sibi patriæque salutarem, sed tumultuandi occasionem cupiebat, lactatus inani spe subsidij è Gallia & Belgio, Finitis induciis, ex arce in subjectam civitatem machinarum minaci fragore fulminabat, assiduis eruptionibus oppidanos infestabat, ædificia injectis ignibus & pice fervefacta incendebat, celeberrimam urbis plateam adeò civibus infestam reddebat, ut nemo sine vitæ discrimine commeare auderet: nec minus ferociter Edinburgeni, arreptis armis, ad defendendam civitatem, arcem oppugnant, levi aggere circumjecto, & stationibus idoneis locis nocte dieque dispositis, eruptiones prohibent, urbem ab incendio & flamma liberant, perforatis ædium parietibus ultrò citroque tuto commeant, impetum, ferociamque Grangæi retundunt, aquæ venas avertunt, ut ejus penuria obsessos affligerent; quibus aversis & limo puteis permistis, levia prælia ex hac occasione oriebantur. Erat sub ipsis radicibus rupis fons aquæ dulcis; obsessi munitiones transgressi per arcis posticum, dispositis præsidiis, ne aqua prohiberentur, ultro citroque descendere ad fontem solebant, obsidentes libera aquatione prohibituri; nullum fere diem intermittebant, quin præliarentur. Pleræque per hoc tempus ignobilium hominum cædes, Achesonus centurio, qui ad fanum Cuthberti in statione erat, cum incautius vigilias noctu circuiret, tormento trajectus, exanimatus concidit; eodem ictu quinque gregarij milites interfecti; dum obsessi faces, glandes, & missilem ignem jaculantur, ædiculæ pauperum stipula & stramine tectæ, acerbo incendio deflagraverunt; juxta portam occidentalem, comprehensa postea multa ædificia, tabernæque cum magni pretii mercibus arsere; cives in sollicitudine ac metu fuere, existimantes urbem incendio conflagraturam, nec perinde periculum ac metus obstupefecerat, Maxime servorum opera restinctum incendium, nec terror diuturnus, & in dies de obsidione cura Proregi crescebat; arce circumsessa machinæ & tormenta deerant ad oppugnationem necessaria; proinde Prorex, ne frustrà assidendo tempus tereret, misit ad Præfectum viros idoneos qui averterent eum à reginæ partibus, ad concordiam inflecterent, & honestas conditiones offerrent, dum omnia integra essent. Illi cum Petadræo Grangæi nepote pacis ac Concordiæ interprete, medio inter Letham & Edinburgum spacio, in colloquium venerunt, & de egregia Proregis voluntate ac pacis desiderio certiorem reddiderunt, postularuntque ut ultrò se dederent, fidem erga Protegem servarent, & Regiam auctoritatem agnoscerent; Quas leges cum juvenis fidens animo & viribus obstinatissime recusaret, pacis negotium transigi non potuit, & irritatis utrinque animis discessum est. Scoti in castris militiæ laboribus assueti, ne per otium domi languescerent, in Sueciam, Franciam, & Belgium ad bella externa profecti, multa præclara facinora fecere, & militaribus studiis acriter se dediderunt. Turbido hoc Edinburgenæ urbis statu, Joannes Knoxius quasi numine afflatus, concionem luculentam habuit, qua prædixit hanc arcis oppugnationem non minus fœlicem quam piam ac utilem fore, & Grangæum hominem furiosum capta arce per rudera, ac præcipitia ad supplicium descensurum, quod ita ut prædixerat factum est. Crocus Gallicus legatus ad res inspiciendas in Scotiam missus, Francum crebris literis certiorem fecit, Scotiam Anglicano populo & Reginæ Elisabethæ conciliari, mandata de conjuncta Regni administratione & de toleranda Pontificia Religione irrita esse, nec sine assensu Ordinum concedi posse, qui Reginam ab omni curatione & administratione rerum suffragiis suis removerint, & Catholicam fidem penitus everterint, constitutumque esse Proregi & ejus consilio Papanam auctoritatem in perpetuū abrogare, & captivam Reginam Regno abdicare. Qua re cognita Maria, virilis animi fœmina, adversus inimicorum consilia præsidia paravit, solicitavitque omnes Reges, Pontificemque maximum, & clandestinas cum Guisiis parentibus pactiones conflavit, salutis ac libertatis.

Res Anglica. GALLUS ejus libertati, dignitati, ac saluti apertè favit, ne videretur fratris conjugem in discrimen adductam negligere, vetus cum Scotis fœdus quingentos annos à majoribus cultum violare, aut perniciosum pellendi reges exemplum approbare, misitque Franciscum Ducem Momorantium ad Elisabetham, qui Scotam dimitti rogaret, eamque rem vehementer solicitaret. Is curam, diligentiam, & solertiam adhibuit, quod neque precibus nec justis rationibus consequi potuit. Per idem tempus Philippus Hispanus Scotæ partibus occultè favere cœpit: quippe is ab Albano monitus, quem tumultuantibus Belgis præfecerat, non aliam rerum in Belgio constituendarum rationem reperiri, quam si religio Romana in Britannia instauraretur, & Maria Scotorum Regina in Regnum restitueretur, in id solerter incubuit, ut illa haberet luctus oblectamenta, & solatia captivitatis, per Baronem Setonum legatum ad Albanum missum, qui nautæ veste sumpta in Angliam revectus, clandestina via ad dominam pervenit, ut ei fides sua in legatione constaret, quam mærentem, & solicitam cura levavit, ostenditque studium Philippi Regis, regnumque ejus rebus adversis perfugium, ac promptum Albani auxilium, ubi occasio daretur: cujus tam opportunum solatium Scota ingenti gaudio accepit, dimisitque in Scotiam generosum nobilem, ubi aurum & opes Philippi Reginæ partibus ostentat, & auxiliares Albani copias promittit. Pius Quintus quoque Pontifex Romanus afflictæ Reginæ arcanis literis magna solatia dedit, non solum Elisabetham unicum adversus plæonexiam Paparum propugnaculum publicato diplomate execratus est, sed etiam Proceres adver-

adversus eam armavit, ipsique domi laborem, ac periculum creavit, misso in Angliam Roberto Ridolpho Florentino, ut sub specie negotiationis Proceres splendore nobilitatis ac opibus præstantes in Elisabethæ perniciem concitaret, qui in id negotium gnaviter incubuit, & nefarias cum multis scelerum pactiones conjurationesque conflavit, adhortans nobiles adolescentulos ut turbulenti, ut seditiosi, & perniciosi subditi esse velint. Elisabetha Pii Quinti atroces censuras sprevit, ac pro nihilo putavit, contra seditiosos ac turbulentos cives inquisitionem decrevit, & Scotorum Reginam Georgio Talboto Salopiæ Comiti in custodiam tradidit, quæ cum cerneret in Gallis, bello civili implicitis, parum præsidii, ac gentilem levitatem, Philippi Hispaniarum Regis fidem secuta est, cujus pietati & humanitati plurimum tribuebat, contumacia & avida spe libertatis exacerbavit Elisabetham, & primores Anglorum pellexit, ut misererentur casum suum indignum, ac res novas molirentur. Thomas Havartus Norfolcianus, cui eximia nobilitas opes & nomen amore popularium, & charitate suorum ea tempestate celebre, Mariam Scotorum Reginam seditione domestica patrio Regno pulsam, ut supra memoravi, in matrimonium ducere cupivit. Hoc consilium, quamvis occultum, rumore vulgi emanavit, pleraque nobilitas consilij non aliena, sub conditione incepto favit (modo Regina Elisabetha non adversaretur) Cum manifesta res esset, illa Fernhami hilariter epulantem apud se Norfolcium, inter liberales epulas falsè submonet, *ut caveret cui pulvino caput inclinaret*, percontaturque de nuptiis cum Regina Scotorum agitatis, quæ sine publica pernicie perpetrari non poterant, Hærere homo, pavere, rubere, post ubi fide Regia dicere jussus, quod negare non potuit, liberè fassus est, genibus ejus provolutus, orare cæpit, ut sui misereretur, & cogitationis facinus condonaret. Regina inclinata ad misericordiam, dextram ei reconciliatæ gratiæ pignus obtulit, si à nuptiarum exitioso consilio posteà abstineret. Fide in id data ab hoc sermone dimissus, cura & sollicitudine angitur, cum occursum ferè aulici Proceres vitarent, solus Penbrochius afflictam fortunam solaretur. Regina advocato Cecilio ab Epistolis, cujus maximè consiliis ad subsidium dominationis utebatur, negotium dedit, ut abditos Havarti sensus specularetur, ac arcana eliceret: is multa pollicendo effecerat, ut Sussexius Septentrionalis plagæ præses, Princeps amicorum Havarti, & omnium arcanorum arbiter, consilia ejus sibi proderet. Norfolciæ Dux cum indies suspectior esset, clam relicta urbe trepidus, & vim metuens, in Norfolciam secessit, inde late terror multis celebritate nominis ad rerum novarum cupidinem erectis, neque ibi quietus fuit animus ardens adhuc cupiditate matrimonij cum Scota contrahendi, inde contra fidem datam de nuptiis cum illa denuò agitare incipit, amicos in consilium vocat, & consultat. Heidonius Corneuvallus & Principes amicorum auctores fuere, *ne nuptiis infaustis semet, suamque nobilissimam familiam perverteret*: suasere ut in aulam supplex proficisceretur, ac Principem molliret, *differentes habere illum ad Reginæ gratiam, atque amicitiam receptum, ea comitate atque humanitate semper fuisse, ut nemo misericordiam ejus frustra implorarit*. Igitur Norfolcius in secessu delitescens plerisque senatoribus & hdissimo cuique procerum literas dat, se nullius flagitij compertum, inimicorum calumniis circumventum, donec rumores evanescerent, tempori & fortunæ cessisse, posteà auctis Reginæ suspicionibus in aulam accitus, cum fuga aut amicorum ope se periculo subducere potuisset, fretus conscientiæ securitate, aut fide, & taciturnitate consciorum iter accelerat, ut objecta crimina præsentia sua dilueret, Sed in itinere Reginæ jussu ab Eduardo Fits Geraldo custodiæ Regiæ præfecto in Barnhamas ædes Vinsoriæ vicinas turba satellitum cinctus abducitur, ibique interrogatus de literis Leicestrio & Throgmortonio missis, & quid consilij habuisset cum Ridolpho, & Roffiensi Episcopo, dissimulans omnia in arcem Londinensem ob Rerum novarum suspicionem conjicitur, diligentiusque in illum ac conscios inquiri cæptum est, sed tantum ipsi virium fuit ad arcana occultanda, ut cuncta celaret. Captus mox Ridolphus Florentinus Pontificis emissarius, qui sub specie mercaturæ animos procerum in Elisabethæ perniciem stimulaverat. Is Valsingamio senatori Roffiensi ad Eliensem Episcopum migrare jussus; ambo conviciis Senatorum correpti, novarum Rerum authores, aut conscios se omnino negarunt. Regina cum in subdolæ conjurationis arcana penetrare non potuisset, omnes in custodia retinuit, suspectans haud falsa esse objecta crimina. in tanta mole curarum, ac tali tempore Norfolcius summo loco, ac summa potentia nullis testibus convictus, magis leniendus, quam exagitandus, videbatur, ne Anglica nobilitas ejus injuria ad belli civilis necessitatem adigeretur. Sæviente Londini peste Reginæ beneficio deprecantibus primoribus carcere liberatur, mirifica vulgi lætitia, sed haud diuturna, quippe recrudescente hoc anno conjuratione fraude domestica circumventus, rursus comprehenditur, & in carcerem ducitur, Aucta indies nuptiarū suspicione, Regina Scotorum in arctiorem custodiam datur, Comites Arundeliæ, & Southamptoniæ, Lumleus & Cobhamus prisci Barones, itemque cæteri ex intima familiaritate, Thomas & Eduardus Stanlæi, Thomas Gerardus, Henricus Percius Northumbriæ Comitis frater, & Rolstonus in arce Londinensi habentur. Captus mox Higfordus Duci amanuensis cum omnibus literis, quas penes se habebat, Barkerus deinde à secretis cum occultis characterum notis in urbe comprehenditur, & Banesterus jurisconsultus ad omnia familiaria jura assuetus, & usu amicitiæ, & actione causarum in foro. Regina inquisitionem de conjuratione Radulpho Sadlero, & Thomæ Smitho privati consilij senatoribus demandavit, quorum Magnæ quæstionis pondus impigrè excepere, & Norfolcium interrogarunt. Is inficiatione objecta scelera diluit. Tum

1572.

1572. servi à secretis ad quæstionem abrepti, jussique quæ scirent, edicere, spe aut formidine omnia uti gesta erant, aperiunt, mandata Ridolphi, literas Scotæ, & Rossiensis ad Ducem, item alias à Pontifice, indicantque literas & occultas notas, nec non commentarium Reginæ Scotorum sub storea & paleis in ædibus Ducis abditum, quarum literarum exemplum cum commentario illo repertum, Norfolcio neque inficiandi crimina rationem, neque defendendi facultatem reliquit. Cum non posset ultrà inficiari repentè confessus est, rogavitque suppliciter Judices, qui quæstioni præerant, ut deprecatores apud Reginam pro sua salute essent: ita Quæsitores conjurationem ex occultis tenebris in lucem singulari cura extraxerunt, & ad Reginam detulerunt. Mox res palam facta est in Camera Stellata, ne quid periculi tumultusve fraude noxiorum oriretur: ibi omnibus ordine expositis quæ inquisita forent, audientes pavore ingenti perculsi sunt, eaque de re frequens per urbem sermo. Peracto indicio, Regina Judicium Proceribus mandavit. Post aliquot dies, constituto patrio more Judicio, citantur è nobilitate Judices, Georgius Talbotus Salopiæ Comes, summus Angliæ Senescallus, ut cognitioni causæ præesset, Cantij, Sussexiæ, Huntingdoniæ, Varuici, Bedfordiæ, Penbrochiæ, Hertfordiæ, Leicestriæ Comites, Herefordiæ Vicecomes, maris Præfectus, magnus Camerarius, Cecilius Baro Burlæus ab epistolis, & Barones alij XIIII. Silentio per præconem facto, & summota turba Norfolcius è carcere productus, tribunali astitit in Prætorio Vestmonesteriensi, ubi certissimum instabilis fortunæ documentũ illo die exhibuit. Jamque Actuarius coronæ, intuens reum: *Proceres*, inquit, *de te judicaturi convenerunt, attolle manum.* Ubi sustulit, proditionis insimulatur, *quod modum privati hominis supergressus, non dubia opprimendæ Reip: consilia agitasset, & non concessas cum Augusta Scotorum nuptias ignara Principe contra fidem datam retractasset: quod tumultus in Septentrione ante triennium adversus Reginam concitasset, & tumultuantes consilio, opera, pecunia juvisset: quod ejus dolo malo consilium initum esset, ut Scota carcere eriperetur, & Romani ritus restituerentur: quod Pontificem, Hispanum, Albanum, ad Patriam oppugnandam sollicitasset: postremò quod hostibus Reginæ in Scotia nuntios, literas, & pecuniam misisset.* Tali modo accusatus non apertissimæ res erant crimini datæ, non omnes hæ testibus comprobatæ: proinde Barhamus serviens ad legem (ut absurdè loquuntur in jure Anglorum municipali) crimina Majestatis recensuit, & arcana consilia cum Ridolpho, & Rossiensi Episcopo, de auxiliis à Pontifice, & Albano mittendis fusè exposuit. Dux modestus in calamitate, suppliciter postulavit, ut patronus sibi ad causam dicendam daretur; primarius Justitiarius, assessor Judicum, respondit, hoc per legem non licere; reus quia advocato uti non potuit, istud officium sibi impigrè præstitit. *Præfatus Serenissima Regina benignitate æquissimos Proceres sibi judices datos, apud quos cuncta proferret, quibus innocentia probari posset, respondit Barhamo, affectati regni crimen inficiando, ac facinus omne adversus Reginam, vel securitatem ejus, obtestandoque Proceres ne secessio in domum suam, cogitatio justi ac legitimi matrimonij, fallax servorum indicium, fluxa fides sibi fraudi aut discrimini forent, neve objecta crimina multa eloquentia, & cura causidicorum, pro approbatis acciperent, sed periclitantem æquitate in judicando juvarent.* Tum Gerardus procurator Regius, incitans Procerum animos, invidiosè urget, *conscientiam borealis defectionis, aliaque fœda atque crudelia facinora in Reginam Patriamque, cum Ridolpho congressus, & colloquia, concitatos Hispanos adversus Angliam, Harvicum portum exscensioni opportunum hostibus proditum: præterea missum Ridolphum in Italiam, ut nunciaret Pontifici & Hispano omnia in Anglia parata esse, eoque magis properarent.* Respondit reus: *Non continuo, si quid turbidè & seditiosè factum esset, id Thomæ Havardo in nefario crimine, & fraude capitali ponendum.* NORTHUMBRIÆ *&* WESTMORLANDIÆ *Comites conjuratos nunquam in eo amicitiæ gradu habuisse, ut suam salutem, dignitatem, ac fortunam iis committeret. Objecta propriè ad Majestatis crimen pertinentia, cum* RIDOLPHO *colloquia, literas ad* PONTIFICEM, HISPANUM, *&* ALBANUM *inficiando, aut argumentando diluit, arguitque sermones quos ille cum* RIDOLPHO *habere solitus erat, fuisse de pecunia & rationibus.* BROMELIUS Cognitor regius, in jure municipali sollicitator dictus, scrinium cum literis adferre jubet, profert Ridolphi literas, Epistolam deinde Pontificis Romani ad Ducem interceptam recitat, indicia Rossiensis Episcopi, confessiones servorum Higfordi, Barkeri & Banisteri urget. Acta res est diu criminosè & suspiciosè: tandem perlectis literis crimen Majestatis valuit, & cogitatum matrimonium probro ac crimini datum; mox Proceres, cum ad deliberandum secessissent, revocati, Ducem Majestatis reum renuntiarunt: Senescallus tristè audientibus judicium pronuntiavit. Posthæc pauci ex clientibus Norfolcii Bernejus, Matherus, & Herlus ad eum è periculo eripiendũ conjurabant, sed indicio Herli hujusce conjurationis participis convicti, more proditorum pœnas luerunt. Hac temeritate clientum & comitiali auctoritate permota Regina, supplicium sumendum de Norfolcio decrevit, ne multis affinitatibus fubnixus turbaret Remp. Is paratus intentusque jam morti, culpam de repetitis nuptiis, & acceptis à Pio Pontifice binis literis fassus, cætera Majestatis crimina inficiatus est; oravitque ut Regina diu regno præesset ad Ecclesiæ pacem & Britanniæ tranquillitatem: peracta oratione cervicem securi subjecit, & in colle arci Londinensi vicino, uno carnificis ictu exanimatus est: truncum corpus abscisso capite inimicis ludibrio fuit, multitudini lachrymas excivit, quæ hominis nobilissimi morte non poterat non commoveri. Ita vir egregius, modesto ingenio, maximis divitiis, summa potentia, conjurationis pœnam capite luit. Interitũ ejus Pontifex ægrè tulit, Hispanus condoluit: causam necis, ut cuique odium aut amor

amor fuit, variè prodiderunt. Ferunt alii insidiis Leicestrij, & calliditate Burlæi circumventum 1572. periisse, nobilitatem, opes, honores pro crimine, pessimo posteris exemplo, corruptos in dominum servos, in patronum libertos: postremò bonum ingenium adversus fraudes incautum, contumelia, & novorum hominum in potentia, ad extrema irritatum fuisse. Plures rati ad rerum novandarum spem à Ridolpho Pontificis emissario impulsum, conjurationi domi forisque tantas vires adjecisse, ut humana ope vix opprimi posset, nisi fortuna Reginæ periculum tempestivè discussisset. Verior fama huc inclinat: chirographa, testificationes, indicia publicè in Concilio Procerum perlecta, totum facinus ita oculis subjecerunt, ut nulla dubitatio amplius esset nisi de auctore. Is fuit Joannes Lesleus Rossiensis Episcopus, acerrimus Reginæ exulis vindex, clam recuperandæ libertatis consilia struens, ac nobilium adolescentum animos omni occasione pertentans. Inter Primores Senatus addubitatum quid de reo ageretur, qui legatus esset. Consulti juris Cæsarei interpretes, celeberrima tum ingenia fori Ecclesiastici, velut in jure controverso, an legatus Majestatis reus legati privilegiis gaudeat, & non ut hostis pœnæ subjaceat. Responderunt hujusmodi legatum omnibus privilegiis excidisse, & hostis loco esse: quæ refellitur interpretatio jure gentium, quod legatorum nomen apud omnes gentes sacrosanctum inviolatumque constituit, quamvis committerent ut hostium loco essent. Fuere qui interpretarentur Procuratorem Principis, publica auctoritate Ordinum abdicati, in cujus locum alter esset suffectus, privatum esse, legati privilegiis non gaudere. Ex responsis prudentū, & obsoletis rationibus ex magno intervallo relatis, Rossiensi nuntiatur non amplius legatum censendum. Ille respondet se legatum Reginæ legibus solutæ, & vi ac mortis metu patrio regno exutæ, ex commodo utriusque gentis legationem obiisse, communi utriusque regni saluti pro officij ratione serviviſse, in ANGLIAM fide publica cum amplissima legati auctoritate venisse, legatos apud efferatissimas etiam gentes religione & naturæ lege inviolatos isse. BURLÆUS magis iræ quam dignitati consulens interfatur, ROSSIENSEM flagitiis coopertum, expertem juris civilis & humani, nec sacrum legationis jus, nec literas fidei publicæ patrocinari legatis adversus Principem, vel securitatem ejus molientibus; ille contra disputat primum in Thesi civiles rationes, civilia jura corrumpere posse, naturalia non utique: deinde Hypothesi, Throgmortonium in Gallia, Randolphum in Scotia legatos Anglicos seditionem, tumultusque concitasse, qui etsi commisissent facinora, ut hostium loco essent, tamen jus gentium valuisse. Quod si quandoque fiat ut sacrum legatorum jus violetur, tamen argumentum non esse id continuo jure factum. In hac causa jus, quod apud omnes gentes peræque custoditur, non valuit: rapitur in arcem Londinensem Rossiensis, haud quoquam improbante, invocans, implorans præsidium numinis, & fidem publicam, intertogaturque de conjuratione. Ille suum infœlix erga Reginam studium, ut è carcere eriperetur, repentè professus est; post confessionem facti, defensionem juris suscepit, *Reginam tædio acerbissimæ captivitatis, & ingenito amore libertatis excusandam; se legatum Principis sua afflictam fortunam sine scelere & infamia deserere non potuisse: nihil amplius scire quam audire solitum ex Norfolcio, multos prætereà viros, summo loco natos, in consilio Reginæ liberandæ fuisse.* Itaque Senatus decreto, ne more suo machinationibus Angliam conturbaret, in carcerem retrahi jussus; ubi liberius prope quam anteà clandestinis nunciis literisque legationem obivit, & assiduè causam Reginæ suæ apud Imperatorem, Pontificem, Gallum, & Hispanum egit, auxiliumque ad eam liberandam postulavit. Pontifex pecuniam, Hispani & Franci operam pollicentur: sed infida inter eas gentes amicitia, æmulatio, & odium Regum, mutuum belli faciendi consilium diremit. Gallorum & Hispanorum in Anglia Oratores suorum Regum nomine preces irritas pro Scota interposuerunt. Per eosdem dies Regina in Scotam concitata infensaque, Gulielmum Vestum Baronem De la Varum, Radolphum Sadlerum, Thomam Vilsonum jurisperitum, & Thomam Bromleum Procuratorem suum ad eam misit, quam in solicitudine, dolore, & suspiriis apud Tutberiam arcem Salopiæ Comitis repererunt: & ad captivam perducti, remotis arbitris acerbissimè expostularunt, *Usurpata insignia Regni Anglici, pactum inter eam & Norfolciæ ducem matrimonium inscia Regina, exin Borealis rebellionis conscientiam, instigationem ad defectionem Procerum, recentemque conjurationem, ut Ducem carcere eriperet. Postremo literas à Pontifice Romano, ac Hispano accepisse, & diploma Pontificium adversus Reginam impetrasse.* Scota data dicendi copia, & abstersis obortis lachrymis commemorat primum: *Se Principem legibus solutam, superiorem præter Deum non agnoscere, nec in humilitatem causam dicentium descendere.* Dein percursis objectis criminibus graviter respondit: *Justum matrimonium integra ætate crimini non vertendum: post fœdus Edinburgenum abstinuisse se insignibus Regni Angliæ, itemque titulo, & abstinere decrevisse, Regina Elisabetha, aut liberis ex ea superstitibus: literas subindè à Pontifice Romano accepisse consolatorias, opem atque auxilium ab Hispano implorasse pro libertate, cum duriore carcere conflictaretur, non adversus Angliam, vel in perniciem Reginæ, sed ne liberetur, in Regnum paternum restituatur. Conscientiam rebellionis, intestinæ conjurationis, Pontificij diplomatis, & cætera objecta Majestatis crimina negavit, ac apud Londinum in publico Ordinum conventu judicium fieri postulavit, & pœnam statui si mereatur.* Apolecti ex adverso responderunt: *Regii fastigii titulum, & regni administrandi potestatem jam pridem ei Comitiali auctoritate ademptam, & majore laxamento freni in domestica conjuratione detestabili concitata, quam meruerat.* Inde peractis quorum causa venerant, ad Elisabetham se contulerunt, Apologiamque Scotæ ei narrarunt;

quæ

1572. quæ de ea re deliberationem integram ad conventum comitialem rejecit, consuluitque qua ratione clandestinas conjurationes coërceret. Ea re moti Proceres, ex auctoritate Ordinum censuerunt, in maximis turbinibus ac fluctibus Reip: Reginæ nullam posse esse securitatem, sine summa severitate animadversionis in Scotam. Inter quæ Francus affinitatem quoque moliebatur, nuptiasque Elisabethæ & Henrici fratris Andini Ducis, quæ Regna conjungerent. Conciliator nuptiarum Franciscus Momorantius dilectus, dignum tanto matrimonio Andinum, Rege genitum, ostentavit. Elisabetha ex sua utilitate, & rerum externarum eventu spem prorogavit, auxitque Momorantium Periscelidis honore, simul magnis præmiis: quibus perpetratis Thomam Smithum ab epistolis, & Franciscum Valsingamum ad Francum legatos misit, qui cum eo amicitiam, societatemque æquissimo jure & fœdere facerent. Iisdem mandavit, ut monerent, si urgeret Hispanum bello utrique inimicissimum, & subveniret Belgis, gratam eam rem sibi fore. Blæsis fœdus factum, ut alter ad alterius defensionem in bello obligaretur, adversus quemcunque hostem sine exceptione. Regina Franco impensis ejus sex millibus peditum, quingentis equitibus, & octo armatis navibus opem ferret; Francus ubi primum bellicum cani audisset, pari navium numero, & tribus cataphractorum millibus Reginam adjuvaret. In has conditiones cum convenisset, Regina juravit in fœdus: à Francorum Rege qui exigeret jusjurandum, missus est Clintonus Lincolniæ Comes, maris Præfectus, magno comitatu nobilium. Scota anxia quoniam Elisabetha se Francis junxisset, ut potentior eorum societate esset, Albano interprete in Hispani sinum confugit, cum quo graves inimicitias Elisabetha exercebat. Qua re cognita, Francus captivæ Reginæ consilia aversabatur. Angla cognationis, necessitudinisque oblita, asperiore custodia septam tenebat, ne elabi posset, & ad perniciem ejus decretum Ordinum postulabat, ut nemo de liberatione ejus, qui ob perduellionem, vel perduellionis suspicionem, in carcerem conjectus esset, sine periculo capitis agere posset, & quicunque convictum Majestatis custodia eximere conaretur, sive externus, sive indigena, perinde pœna teneretur, ac si publico judicio Majestatis condemnatus. Adjectum huic decreto omnium Ordinum consensu, ut hæ leges ex necessitate temporis illius latæ contra sceleftos & factiosos, seditionibus Remp: exagitantes, alio tempore, alio principe non valerent. Sed hæ Scotorum Reginæ, & multis insignibus viris, exitium tulere, ut suo tempore memorabo. Interim Thomas Smithus Reginæ à secretis, studio literarum notus, eam oravit, ut sibi in Ardeam Ultoniæ Chersonesum, quam Oceanus penè circumluit, deducere Anglorum coloniam liceret. Id Reginæ placuit: imbuendis barbaris ad humaniorem vitæ cultum, comitatem Anglicam, & reverentiam legum, Smithi filius ex pellice, in eam curam dilectus, jus coloniæ à Regina adeptus est, & in Ultoniam trajecit transmissis illuc cultoribus, & cujusque ordinis militibus Ardeam paulatim in formam Provinciæ redegit: jugera soli singulis peditibus centum viginti dedit, ducenta & xxxx. equites acceperunt. Ultonienses stimulante metu veriti, ne tali exemplo plures ad talia audenda impellerentur, exscindere novam coloniam occultis conjurationibus pepigere. Nealus Brianus stolidæ audaciæ se libertatis authorem professus, Thomam Smithum rectorem coloniæ callidis artibus intercepit, ac fœde laniavit, qui mox gravem mercedem temeritatis tulit: nam cognita cæde Smithi, Thomas Malbæus Anglus, qui Lecaliæ vicinæ Provinciæ præerat, stimulante ignominia in vindictam exardescens, indignam necem ferali supplicio expiavit. Brianum, latebris vitantem imminens exitium, protractum trucidavit, & truncum corpus, dempto capite contoque præfixo ad spectaculum, vorandum lupis exposuit. Nullam cædem vulgus Anglicanum majore gaudio celebravit: sed coloni, sublato rectore, repentè dilapsi in Provincias in quibus nati fuerunt. Insignis hic annus fuit apud Anglos funeribus virorum illustrium: Norfolcius & Northumbrius in robore ætatis securi percussi, Gulielmus Pauletus Vintoniæ Marchio, & Eduardus Staneleus Derbiæ Comes, incolumi dignitate & fortuna fato concessere. Pauletus longissimum ævum peregit, quippe septimum & nonagesimum ætatis annum explevit, relicta numerosa sobole; curam ærarii, maxima Reip: munia, nomen locumque principem industria adeptus, diu tenuit, prospera prudentiæ & æquitatis opinione. Gulielmus Cecilius Baro Burlæus, per virtutem clarus honoratusque, in ærarij quæsturam ei à Regina suffectus est. Staneleus nobilitate familiæ, magnificentiâ ac munificentiâ maximè celebris, in secessu suo Lancastriæ largiendo & subveniendo miseris, gloriam apud omnes adeptus est. Hic annus quoque fatalis & ultimus fuit Joanni Petreo equestris ordinis ab epistolis, qui eandem curam obtinuerat sub Henrico VIII. Ed: VI. Maria & Elisabetha. Is Exoniæ honesto loco ortus, & à prima adolescentia in liberalibus studiis educatus, quibus favorem tot Principum meritus est, provecta ætate, Reip: negotiis immixtus, in senatum adscitus, longè maximi momenti legationibus defunctus, præmium laborum & honestarum artium gratiam immensam, innumeram pecuniam, & opima prædia consecutus est. Igitur liberalibus studiis promovendis extruxit apud Oxoniam, ubi sapientiæ præceptis ingenium excoluit, Exoniense collegium, & donis ingentibus ibidem sapientiæ Professores, eloquentiæ Magistros, ac egenos adolescentulos locupletavit: ubi adhuc studiosi juvenes rerum divinarum & humanarum scientia proficiunt, ac matura studia in forum, & Ecclesiam proferunt, sanctam Petrei memoriam omni occasione laudantes, celebrantesque. Hæc hoc anno in Britannia gesta.

PER eosdem dies in Hibernia Henrico Sidnejo Proregi successit Gulielmus Fitz Williamus, 1572. qui sororem ejus in matrimonio habuit. Turbatum quoque in Connachtia, ob restrictũ & severum Eduardi Fittoni illius Regionis præsidis imperium. Richardi Comitis Clanrichardi liberi ad ultionem clam exarsere: mox ad vim transgressi, Midiam occidentalem magno agmine incursavere, & prædas passim egere. Comes Anglis majoribus ortus, fidem charitate potiorem habuit, spreta salute liberorum Dublinum petiit, Proregem adiit, ne suspicio esset sponte patris excitari tumultum, & coram senatu consultavit, quomodo obsequium abnuentes liberos vi coërceret. Crebrescente seditionis rumore, & re ad Reginam delata, illa Fittonum Præfectum cura Provinciæ dimovit, rataque dedecus amoliri arbitrio accusantium, ærario publico Hiberniæ præposuit. Ita Reginæ solertia, & præsidiariorum militum industria concidit Connachtiæ tumultus, & Comitis filij qui seditionem conciverant, nullo in armis subsidio, Proregis genibus supplices advoluti, clementiam Reginæ experti sunt, & in deditionem accepti, prævalente adversus liberorum perfidiam veneranda patris canicie & fide, haud degenere à prisca de Burgo familia. Eodem tempore in Lagenia O-Mori rebellis familiæ tribules effusi in agros, Anglorum bona, & pecora diripiunt, dispersos præsidiarios invadunt, & Provinciam seditionibus exagitant. Prorex permotus defectione eorum, edixit, ut numero proscriptorum essent, Kildariæ Comitem cum cohortibus misit, ut turbis pro tempore consuleret, & populatores de improviso circumfunderet. Is paucis eorum interfectis, moderatione & clementia repentinum motum composuit, & obsidibus acceptis copias reduxit. Prorex propter frequentes Hiberniæ tumultus, ponendis castellis, & firmandis copiis præsidiisque intentus fuit.

Res Hibernica.

NUNC Res externas altiori initio repetam. Religionis dissidium Europam continuis cladibus concussit, turbatum Belgium, Gallia bello civili attrita, Carolus Cæsar tot præliis, tot expeditionibus, tot navigationibus notus, imperatoria brevitate Bruxellis pauca de senectute sua, & Philippi filij juventa, ac robore præfatus, omnem potestatem & immensum principatum in eum transtulit, ac in D. Justi cœnobium sese sponte abdidit, ibique reliquam vitam sanctissimè transegit. Philippus consecutus patrium Regnum, Maurorum conatus in Granatensi Regno, multis eorum interemptis qui armis se tutati sunt, pluribus in Africam pulsis ductu & auspiciis Joannis Austrij fratris ex pellice, animi constantia incredibili coërcuit, & vicinas Barbarorum Provincias terruit. Joanni Austrio, Granatensis belli feliciter confecti gloria insigni, summa præfectura sacri belli adversus Turcas à Philippo, Pontifice, & Senatu Veneto defertur. Is accepta classe, in Adriatico mari opperiente, communes Christiani nominis hostes navali prælio fudit; eos utraque Mauritania exigere magna cum sua gloria, nec minore Philippi fratris emolumento decrevit: sed exortus in Belgio ob religionem tumultus, præclaris conatibus obstitit. Quippe Philippus male animatus adversus instauratam religionem, Belgicæ gentis commodum, & libertatem, imperium legitimum abruptis privilegiorum & juris vinculis, ad absolutam potestatem reducere tentavit. Albanum cum exercitu in Belgium misit, qui abdicata Margaritæ Parmensi auctoritate, quæ moderato imperio Provincias regebat, longè perniciosissimis turbis occasionem dedit. Gens bellicosa, conjuratione inter se facta, sævos turbines excitavit, omne obsequium & parendi necessitatem ei renunciavit. Ea res magnæ initium cladis fuit: namque per quadraginta annos Belgium funestissimi belli incendio deflagravit, neque prius finis tumultuandi fuit, quam Hispanus Batavos liberos in conventionibus agnosceret, ac religionis libertatem permitteret. Albani insatiabilis crudelitas, nobilitatis sanguine, exquisita suppliciorum feveritate non potuit expleri: nec omisit occasionem sæviendi in miserum vulgus, insolitis vectigalibus ad belli subsidia impositis. Decimæ & vicesimæ rerum vænalium exactionibus, ac variis prædandi artibus, ut obsequendi studium vexatione civium ostentaret, aliis fugaris, aliis obtentu religionis spoliatis, Magistratibus nullo juris ordine commutatis, & arcibus ubique extructis, libertatem labefactavit. Has injurias amicis, & ejusdem religionis cultoribus illatas Elisabetha ægrè ferens, hominis Barbari acerbitatem mitigare studuit, & ad justitiam clementiamque deflectere. Jam verò cum nihil gratia aut auctoritate proficeret, & cum ploratum conjugum ac liberorum exaudiret, Belgis Albani crudelitate irritatis, ac sanguinariis in re religionis edictis, non pœnitendo consilio regnum suum, sicut commune asylum, eorum miseræ atque jactatæ fortunæ aperuit. Eo maxima turba sine discrimine sexus, ætatis, aut ordinis perfugit, quæ non modo obscuras & infrequentes urbes Maistonum, Colchestriam, Sanduicham, Hamptonam, Norvicam, ac pleraque alia oppida ignobilia multitudine sua frequentavit, sed & plebem Anglicanam, ea tempestate agriculturæ & pecuariæ solum deditam, lanificium, aliaque opera Belgica magna popularium jactura docuit; emporia prius exhausta, & solitudine vasta, opificiis & mercibus uberrima fecit, multasque artes ad animorum corporumque cultum eruditissima gens invexit. Albanus, invidiosum rebellionis nomen, per Philippi legatum in Anglia ordinarium Belgis fugitivis impingens, rebellioni religionem prætendi differit, veram sumendorum armorum causam esse, ut Regiæ dominationis jugum cervicibus excuterent, popularem libertatem inducerent; hujusmodi homines regibus suis rebelles, alienis infidos, quocunque terrarum se receperint, nulla clementia, misericordia, aut indulgentia prosequendos. His, atque hujus generis criminationibus,

Res externa.

1572. animum adoleſcentis Reginæ labefactare tentavit, ne calamitate, & exulum egeſtate moveretur: ſed illa afflictæ plebis commiſeratione commotior, cum odium Albani inexpiabile in purioris religionis cultores apertè proſpiceret, nec conditionibus honeſtis rem componere poſſet; ne in ſummo diſcrimine jacentem ac ſpoliatum populum de libertate conſcientiæ, vita, & fortunis certantem deſereret, ejus conatibus obviam it: pecuniam, à Philippo miſſam ad ſuſtinenda emergentis belli onera, intercepit. Ille furore abreptus, ac ſpumans ex ore vindictam, minacibus literis pecuniam repetit, commercium cum Anglis interdicit, illorum merces per Belgium ſine juris aliqua ſpecie invadit; nec illa ſimilem in Anglia occaſionem prætermittit. In Hiſpania mercatores & nautæ Anglici publicatis bonis ad Inquiſitionem hæreticæ pravitatis abrepti, & in triremes dati, unde preces & lamentabiles querelæ quotidiè ad Reginam delatæ. Ex hac odiorum ſcintilla, magnum belli incendium ſuſcitatum, mare prædonibus, piratiſque pateſactum: in Belgio, non ſervilibus cruciatibus, & Hiſpanicæ Inquiſitionis acerbitate repreſſus ardor inſtauratæ religionis. Inſtauratores, libello ſupplici porrecto, importuni flagitatores libertatis conſcientiæ eſſe cœperunt, numeruſque eorum indies ſuppliciorum ſeveritate accrevit. Albanus negavit innocenti populo religionis libertatem, & exitioſo ſe bello temere implicuit. Durum, & contumelioſum ejus reſponſum, inſecuta eſt populi Belgici deſperatio, & defectiones civitatum, quæ poſteà Ordinum auctoritate, & æquabili jure adminiſtratæ in Remp: coaluerunt. Gulielmus Naſſovius Auraſionenſis Princeps, religionis & libertatis cauſa, Albani tyrannidi clam ſe oppoſuit, ſed timore perterritus, in Galliam profugit. Clientes huc atque illuc diſſipati, in vicinas Provincias ſe conferunt, latebras vitæ & doctrinæ quærentes: quos perterritos, inermeſque vagantes, Bætici milites perſecuti ſunt. In hoc motu & perturbatione rerum Albanus ſecum reputans periculum, ſi ad domeſticam ſeditionem exterum bellum accederet, paci reconciliandæ cum Angla operam dedit, quæ conditiones rei componendæ propoſitas, Senatus diſceptationi permiſit. Diremptí commercij controverſia, diu in conſilio Anglicano agitata, tandem tranſacta; multis cenſentibus, ſi res ad arma ſpectaret, certamen fore adverſus Regem florentem ætate, robore militum, & opibus multorum regnorum: nec exemplum pellendorum Regum Principibus ſatis probandum, neque glorioſum aut utile, rebellantibus contra Principem ſuum populis, opem ferre. Albanus redintegrata cum Anglis amicitia ſocietateque, legatos literaſque ad Reginam hoc anno mittit oratum, ut Belgas fugitivos, quando gravius mererentur, Regno ſuo expelleret. Regina propoſito edicto exules, pyraticam facientes, clam præmonitos ut ſibi conſulerent, Angliæ portibus ſecedere juſſit. Inſecuta eſt exulum deſperatio. Lumæus, Bloſius, Brederodius, & alii proſcripti, qui fuga & latebris ſe initio tutati ſunt, cruciatus & ſupplicia vitantes, jam arma intulerunt. Brielam, urbem ad confluentem Rheni & Moſæ, interceperunt. Iberos maris poſſeſſione depulerunt, depreſſis aut incenſis Regiis navibus: concuſſa Batavorum & Mattiacorum fide, Vliſſingam & Campheram, totius Zelandiæ armamentarium, in poteſtatem redegerunt. Hoc ſucceſſu elati, fœdus faciunt. Medemblicam, Rammekam & Arnemuydam in Valacrenſi inſula, obſident, Auraſionenſis Principis, in Gallia exulantis, auxilium implorant. Inter quæ Enchuſa, ubi maritimæ vires, à Bætico imperio ad fœderatos deficit. Enchuſæ exemplum ſecutæ multæ Batavorum urbes, Gouda, Dordracum, Lugdunum, Lovenſtenium; plures vi occupatæ, Montes Hannoniæ à Ludovico Naſſovio, Auraſionenſis fratre, Valencenæ à Famarſio nobili duce. Auraſionenſis defectione civitatum cognitâ, è proximis Gallorum, Germanorumque pagis armatis accitis, in Belgium irrupit ingenti externarum gentium caterua: Angli, Scoti, Germani, Galli, armis exerciti, ad eum confluere cœperunt: indè cuncta hoſtilia apud Belgas cœpta. Albanus tot detrimentis & defectionibus urbium permotus, diſſimulato metu, Præfectos centurioneſque, quos ſpoliis civium per aliquot annos paverat, & robur equitum peditumque contrahit; mox idoneis nunciis pellicit Germanica auxilia, & ad Montes Hannoniæ caſtra movet, urbemque acrius premit. Auraſionenſis protinus ad caſtra hoſtium ducit, in auxilium fratris obſeſſi, dirigitque ex adverſo aciem: at Iberi ſe intra munimenta continebant prælioque experiri detrectabant, quod fama erat Gallos ingentibus copiis, Jenliſio Duce, jam in Belgium tranſgreſſos, adverſus quos Albanus Petrum Toletanum cum Chiappino Vitellio expeditis peditibus, & robore Germanici equitatus miſit, qui cæſis juxta Alteragium vicum Gallicis auxiliis, copias reduxit. Itaque Auraſionenſis, crehreſcente recentis victoriæ, & Lanienæ Pariſienſis fama, obtrita nocte legione Germanica à Juliano Romero, fortiſſimo Hiſpanorum tribuno, flagitante quoque debita ſtipendia inſtantius exercitu, inde averſus, in Brabantiam ire pergit. Poſteà, inopia pecuniæ, dimiſſis auxiliis externarum ſociarumque gentium, ſeditioni magis quam prælio paratis, in Bataviam Delphos conceſſit. Comperto Auraſionenſis diſceſſu, Montes Hannoniæ metu in deditionem venerunt. Albanus recuperata à Ioanne Mendoza urbe Valenciana, expugnata & direpta Mechlinia, plurimis civitatibus in ſuam poteſtatē redactis, dominationem abnuentes vi coërcuit: ſimul excidiis urbium caſtellorumque terruit. Præmiſſo cum exercitu Frederico Toletano filio, tentavit Friſiæ urbes, ſitas opportunè ad impetus in Bataviam faciendos. Ita peragrata Friſia, & direpta Zutphania, Hollandiam petere intendit. Captum ibi Nardenum, atque crudeliter incenſum, metum cæteris Batavorum urbibus injecit. Auraſionenſis non territus tanta mole imminentis belli, delectu raptim per urbes Batavorū habito, curam non omiſit tuendæ libertatis civitatū fœderatarum:

alias

præsidiis tempestivè impositis firmavit, alias auxiliis juvit. Indè Toletanus oppidum Harlemum 1572. est aggressus. Ripperda decurio cives, inter spem metumque fluctuantes, ad arma concivit, eoque se mœnibus ac fossis defensare, obsidionemque longius tolerare statuerunt. Angli, Scoti, aliæque gentes, in auxilium Harlemum copias duxerunt, telis atque hastis deturbarunt obsidentes. Non operæ pretium persequi singula, quæ in hac obsidione hoc anno acta sunt: nunc Parisiensem cladem, & ejus eventum, altius repetam. Apud Francos post tria bella civilia, innumeras urbes direptas, templa atrocissimâ rabie eversa, pace redditâ, repente serenitas effulsit, quæ non diu duravit. Hoc anno pactum inter Henricum Borbonium Navarræ Regem, & Margaretam Valesiam matrimonium, quod multis illustribus viris exitium attulit. Celebrata solennia nuptiarum Lutetiæ in arce Lupara XVI. Calendarum Septembris. Instauratæ religionis Primores, à Carolo nono Rege fide publica epistolisque acciti, & venientes præcipuo honore habiti, ut blandimentis metum adimeret, ac fidem veræ reconciliationis efficeret. Nihil usquam trepidationis: exstructis spectaculorum gradibus ludi spectabantur, & dies aliquot per solennes epulas ac lætitiam spectaculorum transigebantur, festis diebus, & in nuptialibus orgiis spreta religione. Sponsaliorum, & spreto jure hospitalis mensæ, & reconciliatione gratiæ, post conditum orbem luctuosissimum, fœdissimumque facinus deliberatum, ut Protestantium duces cum Colinio tollerentur. Guisius in consilium adhibitus, disseruit id ad regni tranquillitatem constituendam non modò utile, sed etiam necessarium, verum enimverò citra periculum, & invidiam fieri non posse, ut palàm ferro trucidarentur, proindè occultè grassari consuluit, placuitque ut Sicarius in necem Colinij subornaretur. Percussor spe præmioque quæsitus, operam suam ad facinus patrandum promisit Morevellius, in Guisiana familia educatus. Is locum, tempusque insidiis idoneum aucupatur, & domum Petri Pilæ Villemurij deligit, ad occultæ conjurationis consilium exequendum, in quam intentus, & ad cædem expeditus se abdidit, occasionem operiens. Colinius die Veneris cum se Lupara domum reciperet, ac ante ædes Villemurianas, sceleri destinatas, pedibus iter faceret, libelloque supplici fortè oblato, legendo attentus lentè procederet, percussor ex fenestra, quam linteo velo operuerat, duobus globulis æreis vulneravit, quorum uno dextræ indicem præcidit, altero sinistro brachio grave vulnus inflixit, & inopinatus casus comites consternavit. Sicarius peracto scelere equû conscendit, & per Antonianam portam effugit. Colinius vero nihil omninò animo perturbatus, domum ostendit undè glandes evolaverant. Commoti, concitatique, in ædes repente impetum faciunt, fores moliuntur, & repagulis refractis sclopetum sceleris indicium reperiunt, percussorem frustra indagant. Interea Colinius obligato vulnere, clientum humeris innixus pedibus in hospitium rediit. Rex accepto rei nuntio in sphæristerio, quasi ira aut magna animi perturbatione commotus, reticulum solo inflixit, & in palatium rediit suspenso incertoque vultu. Guisius qui suscepti sceleris eventum operiebatur, ad sempiternum dedecus nominis sui, relicto sphæristerio in aulam emigravit. Navarrus, & Condæus sceleris nefarij atrocitate eum adeunt, & humanissimis verbis salutant, chirurgos curando vulneri adhibent. Cum sine ullo sensu doloris curaretur, leniter dixit Proceribus iis qui aderant: *Haccine est fida reconciliatio gratia, cujus Rex ipse sponsor?* Indè Navarrus & Condæus ad regem pergunt, de Colinij injuria, ac sceleris indignitate conquerentes, petuntque magnopere, ut peractis nuptiis quarum causa venerant, vitæ securitati metuentibus domum abeundi veniam daret. Rex simulandi, & dissimulandi artifex peritissimus, respondet: *Factum sibi maximè displicere, seque de percussore, authoribus, ac consciis supplicium sumpturum, quod Colinio & propinquis abundè satisfaceret; facturumque ut cuncti intelligant, vulnus Colinio inflictum ad suam injuriam pertinere: vehementer instat, ut vindictæ testes sint, neque Lutetia discedant.* Ibi Catharina Regina in eandem ferè sententiam loquitur: *Regi, non Colinio factam injuriam, eamque legibus acerrimè vindicandam.* Navarrus & Condæus nihil simulatè agi credentes, ita placati sunt, ut de discessu ex urbe nullam amplius mentionem facerent. Posterò die Rex cum satis magno comitatu ad Colinium visendum ivit, quem omni honore verborum prosecutus est, & de valetudine benignè interrogavit, Deum testans ultionem sibi curæ fore. Ille suppliciter gratias Regi egit, optavitque ut florentissimum ac quietissimum regnum diutissimè obtineret. Tandem ut sermonem dirumperet Rex, hæc verba subjecit, cum simulatione doloris: *Video te, mi Pater, intensius loqui, vereorque ne vulneribus tuis verborum contentio officere possit.* Proinde cum bona gratia reliquit, quasi de ejus salute sollicitus ac anxius, & in aulam rediit. Ista officiorum simulatio prudentioribus meritò suspecta fuit. Post Regis discessum, concursu Protestantium facto in re trepida, Carnutum Vicedominus coram Navarro, Condæo, & multis è nobilitate præsentibus disseruit, *à vulnere Colinij initium tragœdiæ cœptum, sed repente secuturam omnium internecionem, nisi providerent ante ac præcaverent: itaque è re sibi videri, ut domos discederent, ac incolumitati suæ consulerent, ne fumo aulæ caperentur, neu se periculis temere objicerent.* Telinius Colinij gener, prudentiæ ac moderationis laudem affectans, disseruit, *Regem æquum placatumque Protestantibus factum, omnem veterum offensarum memoriam deposuisse, officiis ac sinceri amoris indiciis animi placati fidem fecisse, & præcavendi astutiam calamitosam fore:* prævaluitque ut in urbe manerent, quamvis Carnutum Vicedominus in sua salutari sententia constanter perseveraret, & secedere statuèret. Inter hæc, cum qui curando vulneri adhibiti erant, signa omnia ad salutem esse affirmarent, novum de eo tollendo consilium initur, antequam

1572. plane convalesceret. Id quoque cum in urbe rescitum esset, cives inimicissimi Colinio tumultuari, ac arma occulte capere cœperunt. Protestantes gnari imminentis periculi, rem ad Regem deferunt, orant, petuntque ut Colinium satis firmo præsidio defenderet adversus Parisienses. Rex precibus annuit, & Cossenio Prætorianæ legionis Præfecto negotium dedit, ut cum armatis pro foribus Colinij excubaret: utque à vi caveretur, adjutores Prætorianis addidit Helvetios stipatores Navarri Regis, mandavitque ad majorem securitatem, ut nobiles Protestantes in vicinis Colinij ædibus diversarentur. Præterea edici in urbe per omnia fora ac conciliabula jussit, ut cuncti in Colinij viciniam migrarent: sed facilè apparebat alia de causa, alioque animo hæc fieri quam prætendebatur, malumque præsentius opinione imminere. Ad hæc officia dimissis Magistratibus, & Tribunis militum, consultatur. Præter Regem, Matrem, Andinum, & Guisium, aliquot etiam è primaria nobilitate in conscientiam sceleris adsciti, censent: quoniam unius hominis morte, Reip: inimicissimi, periculum Regi, Regnoque imminens averti non potuit, universos Protestantes penitus extinguendos, & non modò præsentia, verum etiam futura bella præcavenda. De Navarro & Condæo aliquamdiu dubitatum est, an numero occidendorum eximerentur. Navarrus ob dignitatem Regiam, & affinitatem nuper contractam, cunctis suffragiis exemptus est. Major fuit de Condæo disceptatio, onerante eum paternâ invidiâ: sed prævaluit viri dignitas, & Nivernæ Ducis sponsoris auctoritas. Postremò de rei exequendæ ratione deliberant, & laxandas furenti plebi habenas decernunt. Henricus Andium Dux Regis frater, & Guisius, cui patrandi facinoris imperium datum fuit, contra famam sui nominis, principium tanti sceleris capessivere, & de tempore, ac ordine cædis Colinij Præfecti maris, capitalis Lotharingicæ familiæ inimici, atque universorum Protestantium internecione agitavere. Impetus faciendi signum quod convenerat, campanæ sonitu datum ante diluculum, die D. Bartholomæo sacro. Mox Guisius, Aumalio & Engolismensi comitatus, Helvetiorum ductoribus, ac Gallicarum cohortium Præfectis loricatis stipatus, Colinij domum statione circumdat, ubi Cossenius, salutis tuendæ obtentu excubabat, obvios servorum sternit, sicariorum globos immittit. Prætoriani patefacta janua Cossenij jussu, in ædes irrupere, famuli terrore irrumpentium exterriti, & Helvetij custodes corporis appositi, cum obsistere conarentur, aspectu armati agminis dejecti diffugiunt. Colinius strepitu excitatus, & nondum è vulnere satis validus, colligit animum confusum cogitatione propinquæ mortis: lecto surgit, & nocturna veste sumpta, veneratur precaturque numen periculi imminentis gnarus. Inter hæc conjurati refractis foribus in cubiculum irruunt, Bemius stricto gladio ingressus quæsivit: *Tune es Colinius?* Ille imperterrito animo respondit: *Ego vero sum.* Nec mortis timore à constantia aut animi magnitudine discessit, sed manus ad cœlum tendens, & Bemij percussoris ferro sinum opponens, constans & libens necessitatem naturæ excepit: ter fælix, non militiæ tantum claritate & vitæ fama, sed opportunitate mortis ob religionem oppetitæ. Ita vir clarissimus, ab homine teterrimo repetitis ictibus crudeliter trucidatus, & fortitudinis, & prudentiæ suæ triste desiderium reliquit apud Protestantes. Telinius quoque ejus gener, in conspectu & sinu amantissimæ Conjugis confossus; comites, & clientes reliqui, abditis locis eruti, jugulatique multis ictibus. Præter acerbitatem mortis, cadavera per lutum provoluta, ludibria vulgi fuere. Scelere peracto, Guisius qui in area substiterat, corpus dejici postulavit, quod mox in aream præcipitatur, ubi Colinij occisi vultum avidè contemplatus, plebem in furorem impellit, ac ad cæteros interficiendos concitat, hortans ut rem fæliciter inchoatam singulari cura prosequantur. Tota urbe cædes Protestantium uno temporis vestigio fœdè facta, alij alio letho absumpti: semianimes in Sequanam præcipitantur, alvei vicorum innocenti sanguine perfunduntur, questibus, clamore, ejulatu, lamentationibus, suspiriis morientium cuncta perstrepunt. Eadem strage nobilissimi Viri, integerrimi quoque Judices, veluti uno ictu extincti. Subierunt necem fœminæ etiam, virginesque, & innoxiæ ætatis pueri arbitria funeris petentes, & prægnantes mulieres, & ætate confecti senes. Brissonettam lectissimam matronam, fugam cœptantem obsoleto habitu, circumsistunt sicarij, & indignissimè obtruncant, & huic, & multis aliis mors ob religionem habita honori fuit: nec segnius invadunt domos, hortos, bonaque interfectorum. Scrutantur abdita, & protrahunt è latebris delitescentes, neque lugere neque plangere, neque fovere deficientes parentes, aut prætextatos liberos fas erat; pauci militarium virorum, inter quos maxime insignes Joannes Roanus Fromtenæus, Caumontius, Carnutum Vicedominus, Ballovarius, ex media cæde profugerunt; alij audentes tanquam in adversa acie cecidere: nonnulli per varios casus elapsi, quidam servili habitu, & fide amicorum occultati delituerunt: pauci morte voluntaria se ab inimicorum crudelitate vindicarunt. Piget referre pro atrocitate rei singulas clarissimorum virorum cædes, fugas, exilia, tristitia casuum præpediente: multos ignobiles ob religionem exitium inglorios non esse sivit. Condæus Princeps ad Regem ductus, infesto sermone vultuque excipitur, hostis & Perduellis vocitatur. Ille contumelias silentio transmisit, ne sibi causam periculi crearet. Demonstrat Rex authore Guisio, Colinium Galliam haud dubiè turbare, & repetitis cladibus affligere paratum, suo

suo jussu, & publica fortuna interemptum, ut conatus & molitiones præveniret. Interim fama 1572. tanti facinoris, non modo per omnem Franciam, sed per universam Europam brevi devulgata, varios animorum motus concivit: cædes passim sinistrè accepta, magnam flammam Regis invidiæ adjecit, ut vulgo inhumanum scelus execrarentur, quæ diræ brevi à numine exauditæ. Cæterum Rex crebro vulgi rumore laceratus, quod viris illustribus, fallacibus literis excitis, ob religionem insidias instruxisset, sceleris magnitudine intellecta, pudore & pavore exanimis, facti invidiam, ejusque culpam in Guisios, auctores transtulit, non sine obliqua eorum insectatione. Posteà mobilitate ingenij objecta simulatione, quia quod factum erat, infectum esse non potuit, scelus approbavit, quod paulo antè abnuit, literasque ad Provinciarum Rectores misit, referentes Colinium & socios, exitium Principis molientes, occultæ conjurationis pœnas luisse, ac in ipso conatu oppressos, & pacis Reip: causa sumptam vindictam properam, antequam ad suos pervaderent. Cœpto in urbe Regia exemplo, per Provincias, municipia, & Galliæ primarias civitates, Aureliam, Andegavum, Lugdunum, Avaricum Biturigum, Tolosam in instauratæ religionis Professores atrocius sævitum. Infecti cædibus vici, plenæ cadaveribus viæ, cruenta fora, cumulatæ laceris corporibus fossæ, urbes civium sanguine pollutæ, fœdum atque inhumanum passim spectaculum, ubique lamenta, & singultus, sed longè maxima omnium Lugduni laniena edita est. Romæ nunciata clade, miro certamine Purpuratorum decernuntur supplicationes apud omnia templa, pro effusione Christiani sanguinis, & grates pro nefario scelere exsolvuntur. In supplicationibus habendis, gratiisque numini agendis, præiit Pontifex pessimo posteris exemplo, & abolitiones immanis lanienæ antesignanis, jure Pontificiæ potestatis concessit. Indè instaurată Religionis cultores, recentis facti atrocitate magis irritati, quam pavore consternati, in Belgio, & Francia per Aquitaniam, proximasque regiones ferocius tumultuari cœperunt, & funestissimum bellum renovare. Motus Principium factum à Rupellanis, & Rupellæ Protestantibus, qui collectis animis arma capere audetent, firmissimum perfugium fuit, ubi pedites equitesque, liberorum ac parentum mortes deflentes, volitarunt per campos, per rura, & municipia, ac injurias suas multo Pontificiorum cruore ulti sunt; in cæteris Provinciis Protestantium rebus deploratis, plerique metu perculsi, domibus relictis in Germaniam, Angliam, & Helvetiorum pagos emigrarunt, ubi benigne, & liberaliter excepti sunt. Prodigia quoque tristia cœlo terraque evenere. Mense Novemb: novum sidus ex eorum genere, quæ infixa cœlo non moventur loco, sub Cassiopeæ asterismo effulsit, quod Jovis stellam magnitudine & splendore æquavit,& omnia Phænomena post natum Christum superavit. Sublimitate signi ac claritudine admirabili, in cœlesti, non elementari regione hæsisse, ex ratione parallaxeos, periti Matheseos Cornelius Gemma Frisius, Thomas Digseus & Joannes Dejus Angli, & Hieronymus Munius, Valentiæ in Hispania Hebraicæ linguæ,& Mathematicarum artium Professor, accuratè demonstrarunt. Theodorus Beza luculento carmine edito, hanc stellam ad illam, quæ nascente Salvatore generis humani, Magis ad adorandum venientibus præluxit,& internecionem infantium sub Herode, ingeniosè comparavit, additis tristis augurij minis in Carolum Nonum Regem, Parisiensis lanienæ authore, quas postea justo Dei judicio eventus approbavit. Cecinerat autem,

Tu verò Herodes sanguinolente, time.

Neque fefellit divinatio: quippe interpretatio syderis, mutationem Regis portendebat, numinis ira Parisiense scelus, per Caroli Noni mortem sanguinariam, mox ulciscente.

Mortonius cum obsidio diutius protraheretur, præfecti audacia, & lenta oppugnatio obsidentibus magis, quam obsessis tædium afferret, viribus suis diffidens, ad arcem validam,& munimentis defensam expugnandam, Anglorum auxilium, & tormenta imploravit, impetravitque his legibus, & conditionibus, ne sine auctoritate Reginæ cum obsessis transigeret, ne transfugas ex Regno Angliæ reciperet, neu commeatu, neu qua alia ope juvaret: arce dedita, ne qua efferret, præter supellectilem Regiam, preciosaque ornamenta, cætera oppugnantibus cederent. Prorex cupiditate castelli potiundi nullam conditionem recusavit. Eodem ferè tempore naves onerariæ Anglicæ cum tormentis machinisque omnis generis, nitro, globis ferreis, & omni bellico apparatu expugnandis urbibus per Forthæ æstuarium Lethæ portum tenuerunt, terrestri itinere pedites mille quingenti, duce Druræo Marischallo Berwicensi, supervenerunt. Angla amorem & benevolentiam in regnum Scoticum edicto professa, suo maximè sumptu,& laboribus Scotos in libertatem vindicatos prolixè commemoravit, eorum tranquilitatem & pacem præstitam liberalitate ac subsidio suo, negligendam non existimavit. Angli, Scotique conjunctis copiis, tentata frustrà obsessorum voluntate, si priusquam machinæ admoverentur, se dederent, arcem magno impetu oppugnare cœperunt: turres quatuor agi cœptæ, cuniculique & aggeres erecti super subterque terram in colle acclivi, cum circumvallare loci natura prohiberet. Reliqua quæ ad oppugnationem arcis pertinebant, Drurius administrabat, ac eruptionibus resistebat: mox turribus constitutis, ac triginta machinis æneis collocatis, quatuor continuis diebus, nullo tempore intermisso murum quatiebat. Itaque Regia Davidis turris, crebris tormentorum ictibus eversa, magno fragore corruit. Murus defensoribus nudatus, cum

1573. cum consistendi potestas esset nulli, obsessi primis diebus dum vires integræ erant, impetum oppugnationis satis constanter sustinuerunt, ac nonnullos ad munitiones majore tumultu quam vi subeuntes, partim occiderunt, partim vulnerarunt, nec ad varios conatus vis ulla aut ars deerat. Adversus omnia humana mala duratis animis, tandem vel tormentorum globis, vel rupis asperæ fragminibus, vel ædium ruinis, promptissimo quoque cæso, vulneratove, & in eis Trotterio centurione ictu tormenti exanimato, cujus maximè opera munitiones defensæ, suis viribus desperare cœpere. Angli trepidatione percepta, admotis scalis inferiores munitiones semirutas impetu & clamore transcendunt, paucis defendentibus, & deturbatis qui resisterent. Custodes & defensores infimæ arcis, Anglorum insultibus impares, in superiorem illicò se recipiunt: ac illic etiam cum cæteris præsidiariis loco & munimentis suis diffisi, cum multis urgerentur difficultatibus, & summa aquæ penuria, nec jam vires sufficerent cujusquam, nec ferre operis laborem ultrà possent, assiduis vigiliis ad deditionem inclinarunt, tempus locumque colloquio petentes. Postero die fide data, acceptis obsidibus Henrico Leæo Anglo, & Georgio Flecco Scoto, sorore Mortonij genito, Grangius, Robertus Melvinus, & Petadreus munitiones transgressi, exitu portarum ruderibus obstructo, ac eventu Knoxij vaticinationem comprobante, cum Drurio in colloquium venerunt, vitam & incolumitatem postulantes. Verum cum nihil concederetur, nisi ut se suaque omnia victorū potestati permitterent, fractis animis, & rebus omnibus deploratis parent supremæ necessitati, seque voluntati victorum, & Reginæ Angliæ fidei tradunt. Deditione facta, præsidiarij armis traditis incolumes dimissi, multi captivi nobiles in potestatem venerunt: inter cæteros præcipui nominis capti fuerunt in arce Alexander Humius, familiæ Princeps, in medio virium robore, Grangius virilis verè ac militaris, Metellanus ab Epistolis, rerum gestarum fama absentibus notus, præsentibus cultus, cum Joanne fratre eximiæ virtutis adolescente, cum cæteris artibus, tum in primis imitatione fratris erudito, qui excelsum Præturæ gradum postcà obtinuerat, Petalræus summa gratia ac auctoritate inter suos, Robertus Melvinus maximis negotiis acri ingenio par, ac duo opulenti cives Edimburgeni Cokius & Mosmanus. Subiit obsidium etiam illustris fœmina, Comitis Argatheliæ conjunx, Jacobi Quinti ex pellice filia. Ita Angli artificio & scientia oppugnationis, tricesimo tertio obsidionis die arcem (milites fere ducenti erant præsidio) potiti. Metellanus podagra & totius corporis convulsione jam diu laborans, omnibus prope naturæ viribus exhaustis, nunc accedente ingenti excelsi animi mœrore, & ægritudine, Lethæ in custodia fato extinctus est, aut morte voluntaria ab inimicorum severitate se vindicavit. Vir natura peracutus & prudens, nisi fortuna humanis consiliis potentior, animum in publica calamitate occæcasset: sed contra fortunam sævientem non satis cauta mortalitas est. Fama jactavit, illum veneno sibi conscivisse mortem. Arce deditâ Proregis frater Georgius Duglasius cum præsidio, ad accipiendam pecuniam, tormenta, supellectilemque Regiam custodiendam missus, præsidiariorum facultates, & multorum civium opes, ut in munimentum firmissimum eo congestæ, diripiendæ militibus ex fœdere datæ. Post paucos dies explorata Elisabethæ voluntate, Grangius cum fratre Jacobo in foro Edimburgeno per carnificem laqueo suffocatur, multis referentibus qui vir esset, quæque, & quoties discrimina pro libertate publica adversus Gallos, pro salute & dignitate Regni Scotici adversus Anglos adiisset: nulla vox audita superioris vitæ fama indigna, cum miserrimum supplicium subiret. Intereà plebs urbana incendium triste ac sibi maximè calamitosum recolens, Grangii facinora exsecrabatur, sed dedecora sua à fæditate supplicij vindicabant; Cokius & Mosmanus monetarij eodem supplicio affecti, Humius Petadræus,

Exitus Grangii.

Melvinus, & cæteri sine mora in custodiis per castella habentur, quorum non solum vitam à Prorege, sed incolumem fortunam magna clementiæ, ac mansuetudinis fama, Elisabetha deprecata est: itaque Angli re confecta, cujus causa venerant, auctoritate Proregis constituta, & temeritate Grangii coërcita, Scotiam pacatam relinquunt, & paucis amissis cum præda Bervicum redeunt. Sedata per Scotiam armorum civilium tempestate, cædium, latrociniorum, & incendiorum licentia compressa, Mortonius ut homines feroces, ac bello faciles, paci, quieti, & humanitati adsuescerent, Procerum filios liberalibus studiis erudiri curat, ob salutem publicam, & Regni tranquillitatem, positis adversus Hamiltonios, ea tempestate validos, multisque potentissimis familiis illigatos, simultatibus, vetera familiarum odia, & certamina Primorum gentis componit, conventum Ordinum vocat, & comitia Edimburgi transigit, in quibus divortia reprimit, raptus, cædes, incendia, latrocinia, luxuriam muliebrem legibus coërcet perpetuæ utilitatis causa, multaque adversus corruptelas negotiantium salubriter constituit: homines dignos & idoneos, multarum rerum experientia cognitos deligit, cum quibus de publicis negotiis tractavit, malos & scelestos metu exterret, Regiæ cædis participes aut conscios gravibus affecit pœnis, arma atque munia finium regundorum Joanni Carmichelio fortissimo equiti tradidit, attributo ei annuo stipendio, ac præsidio militari, ut prohiberet, ne finitimi latrones, humani juris violatores, abjecta fœderis reverentia conterminas Angliæ regiones per latrocinia vastarent, aut incursarent, deditque magnam spem futuri regiminis. Undè in præsentia clarus acceptusque popularibus, moderatè se admodum gessit, à cruore abstinuit, & jus æquabiliter dixit. Mox vi dominationis mutatus ad libidinem, & avaritiam deflexit, alienam pecuniam invasit, exercuitque leges obtentu juris severè, ut arcas suas divitiis expleret. Qua

morum

morum commutatione adversos nomini suo rumores sensit, pecuniæ conficiendæ rationem aulicis ministris permisit, qui, exauctis vectigalibus, non sine acerbitate exegerunt. Hi primum apud delectos judices eos citaverunt, qui tempore Quadragesimæ esu carnium non abstinuisse dicebantur, jusseruntque causam dicere: cum Rei purgare se jurejurando nequirent, judices pronuntiârunt, eos adversus edictum fecisse, ac mulctam legibus irrogarunt, quam Prorex raro remisit. Cæterum cum facultates plebis attenuatæ essent, tutiorem ad opes affectandas ratus est viam, pecuniam Regiam clam contrectare, quam civium facultatibus inhiare. Itaque amplissimæ pecuniæ dominus factus, publicas privatasque divitias ad decus, magnificentiamque convertit, familiæ dignitatem cultu ac convictu moderato sustentavit, magnificentiæque deditus, magnis sumptibus Dalkethæ palatium extruxit usque ad regalem fastum, quod auleis & picturis exornavit. Nummos argenteos & aureos magni pretii excudit, qui latent adhuc in thesauris locupletum; in aureorum antica parte Jacobi Sexti Regis effigies depicta erat, cum hac inscriptione: IN UTRUMQUE PARATUS; in postica parte leo rubeus insigne Regni visebatur, cum inscriptione: PARCERE SUBIECTIS, ET DEBELLARE SUPERBOS. In argenteis verò duo gladii depicti, addito Trajani Cæsaris dicto, cum Præfecto urbis ensem recepto more traderet: PRO ME, SI MEREOR: SI NON, IN ME. Æratam quoque monetam primus procudit, magno Reip. damno, cum Scoti puro ante argento, aut auro obryzo uterentur. Indè mercatores iniqui quæstus avidi, domi forisque in Belgio nummos æneos adulterarunt, probamque pecuniam ad externas gentes transportarunt. Habuit præterea in comitatu Patricium Bonium insulsum morionem, qui Dominum acutissimè perstrinxit, ut ex joco apparuit. Cum importuni mendici Proregis Eleemosynam efflagitarent, rogavit morio, ut importuni rogatores igni concremarentur. Arguit eum impietatis Prorex, quod non misereretur eorum qui misericordiam requirerent: morio statim subjecit: si isti omnes igni absumerentur, illum in dies ex divitibus inopes & mendicos facturum, quasi ejus rapacitas aviditati conjuncta in fortunas civium immineret. Postremò cum patrimonium Regium ad nihilum penè redactum esset, ad curam Ecclesiasticam animum convertit, ut suæ utilitati serviret. Minora beneficia vacua ex edicto singulis Protestantibus ministris dedit, majora vero aulicis hac lege attribuit, ut pensiones annuas comitibus clientibusque suis pensitarent. Prædia etiam pulchra ac fructuosa, & fundos Ecclesiastici juris Nothis suis utendos & fruendos tradidit. Hac tempestate in hos sumptus abeunt fructus Ecclesiasticorum prædiorum.

Nunc operæ pretium est ataxiam Ecclesiæ, initio paulo altius repetito, paucis explicare. Cum Protestantes stipendia Ecclesiæ ministris à Maria Regina poscerent, & flagitarent, quod beneficia omnia Ecclesiastica penes Papanos essent; illa accersit in aulam Prælatos & Sacerdotum Principes, Papam Cleri in causa auxilium postulat, & implorat, admonens magis, quam flagitans: cum aliunde non suppeterent facultates, in tanto conventu nemo erat qui recusaret, aut inopiam Cleri excusaret, quibus invitis sine injuria pars fructuum adimi non poterat. Tandem transactum est, & conventum, ut è fructibus Ecclesiasticis tertia pars abraderetur, undè Ministri Orthodoxi ex donatione Reginæ alerentur, quæ transactio neutri parti grata fuit. Nam & imminutos suos reditus Pontificii graviter conquerebantur, nec ministri affectata ista munificentia sublevati sunt. Relatum est ad Proregem de stipendio ministrorum, Mortonius stipendiorum inopiam causatus, coactorum avaritiam & litium ambages, benignè pollicetur, Ecclesiæ se non defuturum, spondetque se singulis Ecclesiis pastores probitate ac doctrina præstantes præpositurum, stipendia idonea debitè annuatim persoluturum, modò tertiarum jure in usum Regis cederent. Hac pollicitatione adducti, & de regressu ad pœnitentiam firma stipulatione interposita, si cunctaretur aut promissis non staret, consenserunt. Prorex voti compos, subducta secum ratione, cum videret se id quod promiserat præstare non posse, nec tertias beneficiorum omnibus Ecclesiis suffecturas, optimum remedium in præsentia ratus est, ut uni ministro trium aut quatuor Parochiarum curam demandaret, ita lucrum ingens ex tertiarum reliquo se sibi capturum: fremente frustrà Ecclesia, quod pacta conventa, stipulationes non servarentur, demum reliquas res ad lucrum prædamque revocavit. Inter hæc ministri apud Proregem instant & urgent, rem justam ac propè necessariam esse, ut Ecclesiis ministri, ministris auctiora stipendia ex pacto convento assignarentur: ægrè ab illo impetratum est summa eorum contentione, ut res ad Senatum referretur. Convocato Senatu, porrectoque Cleri supplice libello, necessarii Proregis & Potentes, qui in Republicâ judiciisque plurimum poterant, ejus moras & dilationes sequuntur, ac voluntatem Senatus proponunt. Dolor repulsæ Orthodoxũ Clerum à Proregis amicitia avertit, qui acta ejus assiduè ac palam castigant, libidinem, avaritiamque insectantur, & conviciis exagitant. Quorum vocibus & concursu non terretur, nec liberè prædicandi potestas eripitur. Per hos dies Andreas Melvinus, post multorum annorum peregrinationem in patriam rediit, qui trium linguarum peritia, & politiore literatura, mea quidem sententia, multum aliis præstitit, in utroque genere dicendi laboravit, & Andræopoli Theologis cæteris longè præcelluit; qua in urbe excellebat Theologorum doctrina, ac Melvini auctoritas. Is Genevensis Ecclesiæ disciplinâ imbutus, ex

Mortonius tertias fructuum Ecclesiasticorum vendicavit.

1573.

sententia

1573. sententia adolescentum ei in disciplinam traditorum rationem inivit, de emendando Ecclesiæ Scoticanæ statu, cujus emendationis formulam præscripsit ad Genevensis Ecclesiæ ideam; ægrè ferens, si quisquam ullam disciplinam Ecclesiæ probaret, præter eam quam ipse sequeretur: haud animadvertens aliam urbium, aliam regnorum disciplinam esse oportere. Hac disciplina constituta, ratus est regimen Ecclesiæ penes se sociosque suos fururum, exarsitque contra Præsulum ordinem, eosque palam in concionibus exagitavit, ac in summam invidiam adduxit, ministris æqualitatem vendicavit, & dignitate Episcopis exæquari voluit. In Principio qui suam sententiam probarent, duo hominum genera invenit, unum genus laicorum, qui ad proprietatem ac directum dominium bonorum Ecclesiæ munitam hanc viam putarunt, alterum Cleri, qui ambitione lapsi, & gloriæ cupidi, in licentiam turbarum effrenatam, ac indomitam eruperunt; disputationibus ac tribunitiis concionibus populum paratum incitarunt: mox tota ferè Scotia desiderio Genevensis disciplinæ flagravit, & contra Episcoporum potentiam, ac dominatum exarsit, undè sæva orta tempestas est, ac rapitur vento navis Ecclesiæ. His turbis summa ope obsistunt Archiepiscopi sani Andreæ, & Glascuæ, qui adversus Melvinum, aliorumque ministrorum consilia omnia præsidia comparant, ita cuncta gerunt administrantque, ut tempora postulabant. Ingenium Adamsoni Præsulis Andreopoli tum præcipuè eluxit contra Genevensem disciplinam, quam in concionibus scitè exagitavit, & Melvinum intimosque ejus sibi in prædicando imparem exulceravit. Hæc dissensio Clericorum delata ad Proregem est, cum diu esset exagitata: is homo sine dubio versurus & callidus, haud ægrè tulit Clerum inter se de ejusmodi quæstionibus litigare, atque se in posterum à stipendiis ac assiduis querimoniis ministrorum vacuum futurum, nequidquam speravit: ita cunctando ac lenius agendo dissidium Ecclesiæ aluit, sibique perniciem conflavit, cum homines præsidentes in gyrum rationis ducere, aut castigare oporteret, nec pati Antistites turpibus conviciis improborum in concionibus vexari, eorumque auctoritatem, honorem, ac dignitatem tutò ac libere in Synodis convelli. Hi diuturnioribus molestiis afflicti injurias ac contumelias, quibus oppressi erant, graviter conquerebantur, & Proregis auxilium implorabant adversus Ecclesiæ perturbatores. Ille conniventiam suam pertæsus, rem ad concordiam deduci studebat, injecta mentione colloquii Lethensis, in quo convenerat, ut pacem inter se omnes colerent, nullique motus disciplinæ causa excitarentur in statu receptæ religionis sub puerili dominatu, nihil innovaretur. Nôrat enim Prorex animos atque impetus eorum, qui disciplinæ innovationi studebant, Procerum studia & Cleri spiritus tribunitios, proindè omnia perpeti statuit, quoad spes aliqua relinqueretur, dissidia ac dissensiones componendi. Ejus patientia ac conniventia tantas vires ministris zelo fervidis dedit, ut nec opibus, nec auctoritate, nec consilio tandem resistere posset. Mallem tantas eis vires non dedisset, quam posteà tam valentibus resisteret.

Callidum & versutum factum Proregis.

Ex hoc incendio scintilla Angliam pervasit, ubi Cathari quoque efferbuerunt, Reginæ & Ecclesiæ negotium facessiverunt: Ecclesiasticam politiam deformatam, Romana fece inquinatam, erroribus conturbatam, in concionibus debacchati sunt, & amentatas hastas in Præsules per calumniam, malitiamque torserunt, quorum ferè omnium constans, & moderata ratio vitæ fuit, ut non numinis, aut regiminis curam desererent. Reginam quoque exacerbavit, liber incertis authoribus vulgatus in contumeliam Præsulum, non sine multa verborum acerbitate, & inscriptus, ADMONITIO AD PARLAMENTUM, quem Joannes Leucodorus Theologus laudandus, qui mox Archiepiscopatum Cantuariensem adeptus est, multis Patrum & veteris Ecclesiasticæ Historiæ Testimoniis facilè confutavit, autores turbidos, plebem seditionibus, Remp. factionibus vexantes, perniciem Præsulibus & Ecclesiæ machinantes exagitavit. Hac tempestate inter Britanniæ Protestantes duo hominum genera fuere, unum pacatorum, qui ad promovendam instauratam Religionem solum respiciebant, alterum eorum qui præpostero zelo Politiam Ecclesiasticam quasi Romanâ superstitione impuram evertere tentabant. Regina igitur ne pietatis specie inquietè homines, à pacis consiliis abhorrentes, in factionem impiam coalescerent, ad Regiam auctoritatem labefactandam, & tranquillitatem publicam turbandam, exercere legem de uniformitate publicarum precum severissimè jussit, paravitque ultionem in turbidos, nisi sibi ipsi consulerent; ita præcipuos turbatores in officio continuit denuntiatione periculi ac calamitatum, & lotharorum baccbantium perditos conatus repressit. Pontificii etiam & profugi Angli viros illustres, conatibus suis adversantes, Baaconum sigilli custodem, Burghleum ærarii quæstorem, & Leicestriū hipparchum famosis libellis & dicacibus scriptis infamavere, proditionem & malè gestam Remp: objectantes. Permota his Regina, edicto suo palam pronunciavit, turbidos & infidos homines, Principis, Patriæque hostes, occultis libellis & falsis calumniis clarissimo cuique eorum periculum facessere, qui ad gubernacula Reipublicæ sederent, & potiorem privatis fortunis Regni salutem haberent, censuitque nullam fidem adhibendam callidis & malitiosis calumniatoribus, nisi pœnam seditionis sautoribus legibus constitutam subire vellent. Per eosdem dies missus à Franco in Angliam Albertus Gondius Radesianus, ut fœdissimum facinus non ita pridem inaudita crudelitate Parisiis patratum excusaret, aut saltem speciosis rationibus invidiam facti elevaret, ne detestandi maleficii commune odium

Res Anglica.

Puritani disciplinā Ecclesiasticam convellunt.

Papani Remp: vexant.

odium, in totam gentem cum æterna Francici nominis ignominia redundaret. Is præparata oratione lanienam Parisiensem, scelus ab hominum memoria maxime nefarium, excusavit: non consilio, sed necessitate accidisse, & non cladem, sed medicinam ad sananda Reipublicæ vulnera, atque ultionem clandestinæ conjurationis appellavit, quod Colinius, & socii, summos Magistratus in ordinem redegerint, nomen Regium, sanctum apud omnes gentes, contempserint, invitavitque Ipsam, ut filiam unicam Regis sui de sacro lavacro susciperet. Denique oravit, ut novissimi fœderis memor, amicitiam societatemque Francorum coleret, Protestantes subditos ad fidem & obsequium hortaretur: ante omnia, ne auxilium cum milite commeatuque eis transportaretur. Quanquam legatio ejusmodi erat, quæ accendere regium animum posset: tamen temperavit iræ, incerto adhuc adversus Philippum consilio belli, respondítque, Gallorum amicitiam se non violaturam, ac fidem fœdere interpositam sanctè servaturam. Ita comiter auditus dimissusque Gondius, in omni congressu colloquioque Procerum, usus est excusatione temporis & necessitatis, disseruitque post sedatam fortuitam tempestatem, nullius conscientiæ vim illatam, Andinum Regis fratrem ad Rupellam hærere, ut tuta Galliæ litora essent, non ut oppidanos bello infestaret. Verum recentis criminis atrocitas Anglorum & aliarum gentium animos adeò inflammavit, ut nullus defensioni aut satisfactioni locus superesset, occlusis omnium auribus sævitia facti, ac invidia, & aversis animis à turpi excusatione summæ crudelitatis, summæ improbitatis. Eodem tempore Regina Gulielmum Somersettum Vigorniæ Comitem, Legatum ad Francum misit, ut sacro lavacro Caroli Regis filiæ sponsor, suo nomine interesset. Piratæ Franci, & Belgæ mari latè volitantes, fama ditis prædæ exciti, Legatum in trajectu angusti Oceani pene interceperunt: capti clientes & direpti, ipse Comes litori appulsus, tenui damno effugit. Indè accensa Regina Gulielmo Holstocko, Censori Regiarum navium, dedit è classe aliquot armatas rates, ad prosequendum prædones, per omnem oram Franciæ & Belgii latè insultantes prædandi cupidine. Is improvisò obvios & attonitos oppressit, multos vagos & dispersos afflixit, quorum cladi exterriti cæteri, in portus suos redierunt, & quietiores posteà fuere. Censor classis piratarum conatibus coërcitis in Angliam rediit, interque hæc Franciscus Alenconius majore ambitu quam frater Andinus, in Reginæ Elisabethæ amorem exarsit, Catharina Medicæa matre, & Carolo fratre ingentibus promissis deprecantibus nuptias, quæ utriusque ætatis florenti juventæ, & claritudini familiæ haud absurdæ erant. Mota-Fenellonius Legatus ordinarius, & Castronovius extra ordinem Oratores, in Angliam missi conciliandis serenissimæ Reginæ cum Alenconio nuptiis, fautores aderant, præter fortuita, nobilitatem, formam, opes, summam justitiam, eximiam fidem, comptam facundiam, miram comitatem, magnificentiam, & munificentiam in Alenconio laudantes; effecerantque virtutes prædicando, ut non indignus tanto matrimonio videretur. Præbuit Regina aures, seu tædio cælibis vitæ, & orbitatis, exactâ jam virginis ætate, seu ut Francum spe nuptiarum cum fratre desideriis obnoxium redderet, superque ea re familiarium intimos in consilium adhibuit, & discordantes sententias expromere jussit. Alii disseruere, ex orbitate, & solitudine familiæ nullum justum metum, aut civium contemptum instare: non perinde maritum & liberos firma imperii munimenta, ac pietatem, justitiam, fidem, & benevolentiam subditorum. Et, quando matrimonium Ordines Regni cunctis suffragiis suaderent, deligi oportere conjugem Anglici generis antiqui honoratique, mitis animi, nullis odiis, nullis discordiis imbuti. Postremò externi conjugii incommoda, & tristia ad recordationem exempla memoravere: Mariæ cum Philippo Hispano calamitosum sibi conjugium, publice exitiosum, Scotorum Reginæ cum Francisco Delphino haud dissimile, Hispanorum superbam dominationem, Scotorum miserabilem servitutem. Alii aperti fremuere dedecus domestici matrimonii; infamiam & perniciem publicam; proinde deligendum clarissimum virum, cujus ductu atque auspicio omnia gerat administretque. Orto inter amicos certamine, quis deligeretur maritus; ipsa modò huc, modò illuc inclinans, affectus mirè cohibuit. Erat in comitatu Alenconii quidam cognomento Flerius, insignis fide; is præmissus in Angliam ut gratiam Reginæ pararet, ejusque animum Alenconio conciliaret, haud disparibus verbis & argumentis, ac nuper Castronovius, Reginam hortatus est, nubere viro nobilitati plebique juxta charo, & consiliis ejusdem uti ad subsidium dominationis adversus Philippi injustam tyrannidem, Monarchiam orbis terræ parturientis. Adhibita à Regina contatio, ne si statim sperneret, juvenis amore vecors in malum publicum erumperet. Flerius in abditos Principis sensus penetrare non potuit, proindè in Franciam reversus, quia commeantibus nuntiis matrimonium firmari non poterat, suadet Alenconio, congressui colloquioque tempus locumque petere. Ipse anxius occultis Matris Fratrisque in se odiis, scripsit epistolas ad Reginam ex crastris ad Rupellam amoris plenissimas, ut liceret cum ipsa colloqui coram, & de pactis matrimonii coram consultare, ac adjicere rationes, ubi videre & audire se invicem possent: Illa parcere itineri jussit, flagrante adhuc apud plebem ignominia lanienæ Parisiensis, & quo fidem testaretur vetus adversus Protestantes odium deponere. Contristavit hæc sententia Alenconium, impatientem moræ ac dilationis, qui suspiciones de infesto animo adversus Protestantes purgavit. Classem hoc anno Mongomerius summus Dux, & Protestantes Franci in Angliam profugi pararunt, ut Galliæ oram popularentur, & Rupellanis obsessis opem ferrent, à quibus in apparatu ipso annus fere circumagitur. 1573.

1573. Unde ut serius ex Anglia exules solverunt, cum exigua classe nec satis instructa, ita nihil opis Rupellanis præstiterunt, sive præoccupato Elisabethæ Reginæ per Oratores Francicos animo, ut inanibus sumptibus parceret, deploratis Protestantium in Galliâ rebus post Parisiensem motum, sive à Radesiano persuasa, Regem edicta in Protestantium gratiam facta, religiose servare velle, ac plus illis in benignitate Regia, fide, ac obsequio, quam in armis præsidii fore. Gallicus Orator apud Reginam, ex quo id resciverat, conqueritur Mongomerium Anglorum auxiliis adjutum, contra fidem nuper icti fœderis Rupellam navigasse, nautas mercatoresque Anglos Rupellanis obsessis supplementû commeatumque supportasse. Cui Regina respondit, se fœderis memorem, fidem erga socium Regem inviolatam servaturam, Protestantes importunis querelis efflagitantes opem, ac pecuniam, non sublevatos, auxiliares illos gregem prædonum esse, seque conscendentes morari decrevisse, sed jam injussu suo solvisse: mercatores ac navicularios Anglos, injuriosius Burdigalæ tractatos, non impetratâ venia, Rupellam navigasse quæstus sui causa, ut solent facere homines avidi, qui privatam utilitatem Principum fœderibus potiorem habent. Nihil horû publica auctoritate factum, neque commissuram, ut Rex & Regina parens, fidem suam ac benevolentiam ulla in re merito desiderare possent. Tandem Legatus cum magna benevolentiæ significatione dimittitur. Gratissima Gallo fuerunt hæc responsa pia, & æquitatis plena: At nullum aut perexiguum commodum ad Protestantium Gallorum res accessit, nec Rupellana legatio ad Reginam magnum pondus habuit, quæ non sociorum laborantiû periculum respexit, neque Ferrerius Carnutum Vice-dominus discrimine instauratæ religionis nuntiato, & communi periculo proposito prævaluit, ad suppetias in communi causa impetrandas. Circumsesso dies noctesque curialibus blanditiis animo, publicam privatamque curam domi non neglexit, & de dissidio cum Albano componendo agere cœpit, quod & qua de causa factum sit, operæ pretium est paulo altius repetere. Cantabrica navis majoris formæ, & quatuor minoris, immensâ vi pecuniæ onustæ, ex Hispania in Belgium navigabant, quæ, persequente eas Joanne Sora Gallo, Angliæ portus ægrè tenuerunt. Præfecti oræ maritimæ cum cernerent, Reginam literis certiorem fecerunt: Quâ re cognita, ex authoritate Senatus jussit, ut portuum Custodes Iberos comiter tractarent, navesque Bæticas adversus Francos enixè tuerentur, atque cunctis ex æquo tuta Angliæ litora essent. Despesius Philippi in Anglia Legatus, Elisabethæ pro studio ac benevolentia gratias egit, oravitque magnopere, ut pecunia Regia Antverpiam Albano transportaretur. Illa annuit, & terra marique securitatem diplomate pollicetur: sed dum Hispani Orator opportunitatem, aut certum ab Albano mandatum accipere expectat, Regina à Castilionæo Cardinali, & Cornutum Vice-domino edocta, pecuniam illam non esse Bætici Regis, sed Genuensium mercatorum, diplomatis gratiam revocat, & pecuniam quinquaginta cistis inclusam in terram exponi jubet, sub tutela atque cura suorum, causata eam non ad Philippum Regem, sed Genuenses negotiatores pertinere, id autem juris Regibus esse, suadente necessitate, ut pecunia mercatorum liberè utantur; itaque decrevisse se pecuniam, quam à prædonum vi defenderat, in usum præsentem mutuam sumere, idque promulgato edicto testata est. Qua re cognita ex literis Despesii Legati, Albanus vehementer exacerbatus, ad existimationem suam spectare arbitratur, ne inultam tam atrocem injuriam relinqueret. Agit omnia turbatè atque temerè; causa incognita repentè Antverpiæ, & aliis emporiis, in Anglicos negotiatores manus injici jubet, captosque militari custodia sepsit: bona prætereà, fortunas, mercesque eorum publicari mandavit. Bonis Anglorum publicatis in Belgio, eandem calamitatem subiere Belgæ in Anglia: nam Elisabetha vicissim securitatis indemnitatisque causa, suis subditis bona, naves, mercesque Belgarum retinere permisit, donec iis plenè satisfactum esset; hinc inter Anglos atque Belgas, navalia prælia ex occasione aut opportunitate oriebantur indies, majore Belgarum & Hispanorum damno, quam Anglorum. Ita satiata utrinque per quinquennium ira, & Albano serius errorem agnoscente, Elisabetha cum illo in gratiam rediit: inter Anglos Belgasque interdictum commercium in biennium restituit, suorum damnis ex Belgarum bonis detentis abundè satisfecit, cum Genuensibus de pecunia intercepta summa fide transegit. Denique ne jus æquabile negligere videretur, Angliam ære alieno laborantem, quod Pater & Frater contraxerant, syngrapha per civitatem Londinensem facta, item publicam fidem angustiis ærarii vacillantem, Patris pariter ac Fratris debita, fidentissimè atque amantissimè solvendo levavit, syngraphis ingenti civium lætitia fidejussoribus redditis. Pecuniam etiam, quam à subditis mutuam sumpserat, summa fide persolvit, Portesmutham, inclytum portum, novis munitionibus firmavit, classem itidem ornavit, & bellicis navibus auxit, juventutem per Provincias armis exercuit, navalia, portus, urbes maritimas, & limites Regni præsidiario milite, propugnacula & arces tormentis, globis, nitro, commeatu instruxit, fortissimos Duces præsidiis, ac propugnaculis præfecit, quorum ductu atque auspicio milites dimicarent, & Regnum armis atque virtute tuerentur. Pro quibus meritis, atque divinis beneficiis in suos cives, in Patriam, in omne genus hominum, admirationis plus obtinuit, quam gloriæ; plebs Parentem, Proceres verè Principem, Scoti religionis vindicem, celebrârunt: omnes Ordines, pro salute, pro æternitate imperii, & incolumitate vota prorsus eadem susceperunt, quæ pro parentibus & liberis suis suscipere consueverunt. Postquam externi metus Angliæ finiti fuerant, ac Resp. optatæ tranquillitati restituta, authoritate, consilio,

consilio, ac prudenti moderatione Reginæ, quæ sine mora negotium suscepit, ut Anglia etiam ab internis molitionibus securior esset: proinde Joannes Leslæus Rossensis Episcopus, qui non dubitavit sustinere labores diurnos nocturnosque propter salutem Reginæ Scotorum, è custodia liberatus, & ex Anglia emigrare jussus, in Galliam se contulit, ubi legationem cum fide constantiaque obivere perseveravit, nec ullum erga Dominam fidissimi subditi onus atque munus, aut officium apud Cæsarem, Pontificem maximum, & Germaniæ Principes prætermisit, fidem eorem obtestans, ac auxilium implorans multis supplicibus verbis. Ante omnia Albano causam Reginæ suæ commendavit, neque à singulis quicquam præter spem ostenditur. Ita Scotæ negotium apud exteros lentum fuit, ac penè desperatum; quoniam Albanus, in quo maximam spem recuperandæ libertatis suæ collocarat, Belgio discessurus erat, quem Philippus deducere, & revocare de Provincia decrevit, ne vi atque violentia imperii, omnes Belgas ad defectionem cogeret. Ipse Rossensis re peregrè innovata, ad pristinum animum suum revertit, & quosdam domi Anglos, ad spem Scotæ liberandæ, nuntiis, literisque, excitare perseveravit, cum nonnullorum discrimine, ac periculo: quippe Cokinus tabellarius ejus deprehensus, literæque ad Morganum interceptæ, qui ejus indicio cognito, fuga salutem quæsivit. Capti mox Astlous & Goodus medici, Bertius, Godierus, & Louderus graviter suspecti, quod clandestina commercia literarum cum Scota habuerint, qui molestè ob id carcere diu posteà vexati sunt. 1573.

Cum is status rerum in Scotia Angliaque esset, ingens in Hibernia exortus est tumultus, initio in Lagenia facto: O-Conori & O-Mori desperati homines, à quiete ad turbas proclives, super insitam ferociam Desmonii Comitis viribus confisi, coorti, & undique effusi, vicinos agros latrociniis incursavere, igne & ferro perpopulantes, Athlonum ad fluvium Sineum diripuerunt incenderuntque. Celeriter Ioanni Perotto, Momoniæ Præsidi, eorum defectio nuntiatur: is strenuus & industrius, tumultuaria provincialium manu ivit obviam Momoniæ rebellibus, ne se Lageniæ rebellibus conjungerent, cæsis qui restiterunt, & expugnato Castello Maino, cum Gallis præsidium illic agitantibus. Fitz-Morisium, & Fitz-Edmundum duces rebellionis, genibus ejus provolutos, ad Kilmalocum gratiam Reginæ petere suppliciter coëgit, simul nuntios literasque ad Reginam misit, ut misericordia adversus supplices uteretur. Illa læta est oppressam seditionem, dedit utrique veniam, multaque de virtute Perotti memoravit. Inter hæc Giraldus Desmoniæ Comes, & Ioannes frater summæ potentiæ, & auctoritatis, novissimæ rebellionis in Momonia haud expertes, & proindè Majestatis suspicionibus onerati, in Angliam exciti. Compositis rebus, & confecto tumultu traditi Eduardo Fittono, deductique ab eo in Hiberniam, & in castellum Dubliniæ abditi, unde non sine clade Anglorum mox evasere, traxeruntque suos clientes, & multos Regulos in partes, communis libertatis obtentu. Denique memoria injuriæ, majoris molis bellum conciverunt, ut suo loco referam. Nulla pars Provinciæ illacessita in Ultonia. Brianus Mac-Phelimus, in turbas & discordias pronus, eam partem Ultoniæ, quæ Clandeboja vocitatur, exturbatis antiquis possessoribus occupavit; Fergusii scopulum, urbem maritimam incendit, bonaque civium diripuit. Gliscente pernicie, Walterus Devereux Essexiæ Comes, corporis & animi dotibus insignis, juvenili ardore & cupidine militaris gloriæ, Clandebojam sibi deposcit, eamque Regina concessit, & Ultoniæ Rectorem imposuit. Prompta huic viro vulgi & Procerum studia, quæ quantò acriora erga eum erant, tantò magis aversæ Aulicorum voluntates, quibus non ingratum casibus belli objectare, & Gulielmum Fitz-Williamum, jam tertio Proregem, æmulum ad omnia instigare. Essexius dissimulatis odiis, caterva nobilium stipatus, & modica militum manu, media æstate in Ultoniam transgressus, gravi tempestate in trajectu conflictatus, Fergusii portum tenuit. Improviso adventu, & fama viri obstupefacti vicini Reguli Mac-Phelimus, Mac-Gilespicus, Mac-Guilius, excepere lætantes, & cuncta obsequii officia præstitere, metu magis quam voluntate. Comes convocatis clientibus suis, & viris militaribus, Clandebojam invasit, submotis cultoribus in sylvas, & paludes, præsidiis, castellisque firmavit. Hinc Clandebojam incolentes, servitutis jugum metuentes, omissis pagis vicisque, ad arma versi, ut commune periculum propulsarent. Conciti non modo Reguli, sed contermini Scoti Hebrediani, tractusque in partes Turloghus Leinigh, vir stolidæ audaciæ & rebellis O-Nealorum familiæ Princeps. Ab Essexio properatum, ut Gliscentibus periculis subveniret: vi, minis, & umbra exercitus rebelles terruit, pabulum attrivit, pecora abegit, nullo hostium sustinente impetum. Inter quæ Giraldina seditio in Momonia exarsit. Geraldus Desmoniæ Comes, & Ioannes frater, insignis uterque perfidia, carcere erumpentes, Momoniam ferro & flamma latè populati sunt. Fitz-Williamus Prorex cui cura Hiberniæ mandabatur, Anglorum cohortes & tumultuarias auxiliarium catervas in Desmonium ducit; mittit ad Essexium nuntios, ut veniret properè, & vim Momoniæ illatam depelleret: at Essexius, ne contemnere imperium Proregis æmuli videretur, parte copiarum relicta apud Clandebojam, ut nova munimenta defenderent, qua proximum fuit, Momoniam petivit, Desmonium redire ad reverentiam Anglici nominis, ac clementiam Reginæ potius, quam vim experiri monuit, & ad obsequium mutavit, obtestatusque ut in fide maneret, retrò in Ultoniam concessit, ibi opperiens commeatum, arma, milites in supplementum cohortium. Verum vulgato in Anglia

An. Hibernica.

 rumore,

1573. rumore, infaustas res in Ultonia esse, & prævalente adversus eum inimicorum potentia, nec commeatu sublevatus, nec novis copiis firmatus est. Hiberni, soliti damna æstatis hyemali tempore pensare, cognita infrequentiâ militum, & inopia commeatuum, in ejus perniciem conjuravere. Brianus Mac-Phelimus, Turloghus, & Hebidriani Scoti, Clandebojæ finibus exturbare studuere. Essexius certus retinere parta, cognito hostium consilio, conglobatos in itinere ex improviso aggressus, repente fudit, ducentis cæsis, Brianum, fratrem, & conjugem intercepit. Quo successu animatus, scripsit ad Reginam, & fautores dominationis Leicestrium & Burghleum, modicis præsidiis tribus oppidis opportunis locis positis, & decem propugnaculis, obtineri Ultoniam posse, & finiri bellum fuga Regulorum: oravitque, ut turma equitum, & quinque cohortibus peditum bellum juvarent. Neglecta postulata, & saluberrima consilia redigendæ paulatim in formam Provinciæ Ultoniæ, adversantibus præcipuis dominationis fautoribus, & honestos conatus prohibentibus.

Res externæ. Tempus nunc postulat, ut de Harlemo obsesso plura memorem. Iberi promptam expugnationem rati, dato tubæ signo munimenta magnâ vi adorti, majore repulsi sunt. Jacobi Balfourii Tribuni Scoticæ legionis virtus in hac obsidione præcipuè enituit, qui Rustenburgum, Germanorum hospitium, subita eruptione adortus, nocturna aggressione intercepit, interfectis Germanis præsidiariis: quod cum Iberi postero die magna vi aggressi essent, majore etiam damno repulsi sunt. Venius Gallorum auxiliarium, & Simandus Anglorum Præfecti, oppugnantes magna vi Iberos hastis, telisque deturbarunt, multos exanimes in fossas præcipitarunt, & oppinados cum fide impigrè juvere. Hispani damnosis oppugnationibus attriti, & jactura militum, urbem arctiore obsidione premere, & commeatus inopia ad deditionem cogere constituunt. Dum hæc gererentur, crebris eruptionibus ab obsessis certatum est, incerto eventu: quippe utrinque cecidere fortissimi bellatores, & vulgus militum trucidatum est. Vix nostro sæculo acrior oppugnatio, aut propugnatio, tria prælia terrestria pro commeatus subvectione ancipitia, unum navale fœderatis adversum, multi Tribuni, Centurionesque ferro interempti. Infesto mari, occupatis propugnaculis, insuper urgente ciborum egestate, longa dies, nec intermissus labor, contudit obsessorum animos, qui omnia experti, commeatuum quoque egeni, in extremæ salutis discrimine consilium cœperunt, ex oppido silentio noctis, acie instructa profugere in Aurasionensis castra. Re intellectâ conjuges, gravidæ, parvi liberi, invalidi senes, flentes, ejulantesque procumbunt ad pedes, ac precibus petunt, ne se ad fugam inhabiles, crudelissimis hostibus ad supplicium dederent. Misericordia prævaluit, ac consilio destiterunt. Postremo obsessi tot simul malis victi, se arbitrio Frederici Toletani permiserunt, ut in supplices Clementia, & Benignitate uteretur. Ille ut finem molestæ adeò obsidioni imponeret, postulatis annuit: ita urbs Hispanis sine certamine patuit. Pueri virginesque, suspecta invisaque Hispanorum perfidia, in templa confugerunt, & religione sese tutati sunt: milites Germani, & Belgæ, Galli, Angli, Scotique juxta templa, traditis armis steterunt. Albanus dedita urbe, ac direptâ, in castra venit, judicium, & pœnas de militibus ac civibus, in hunc modum exercuit. Scotis, & Germanis, vitæ gratiam per præconem pronuntiavit: triste deinde spectaculum ipsis victoribus præbuit. Extracti jussu ejus trecenti cives, qui crudeliter excruciati, & resti suspensi, per ingens spatium pependerunt: Ripparda, qui oppidanos à deditione initio dehortatus est, cervice luit: trecenti milites Belgæ inermes, carnificis gladio indignissimè interierunt. Neque is miseriarum finis, in quibus occidendi defecit rabies, convulsi laniatique, Ducis jussu in aquas præcipitati sunt. Milites cædibus imbuti, atrocissimum quodque facinus patrarunt: non ætate confectis, non ægris, non valetudinariis militaribus viris pepercere. Denique ex omni præsidiariorum numero, qui fuit circiter duorum millium, vix ducenti cladi superfuerunt, variis casibus sævitiæ subducti. Tum Balfourius Scotorum Tribunus, Aurasionensem Principem ferro, aut veneno tollere jussus, urgente discrimine vitæ suæ, perpetrare cædem promisit: sed memor magis fidei, quam occultæ corruptionis, aut promissi necessitate expressi, ubi ad Aurasionensem pervasit, genibus ejus advolutus, imperatam cædem aperuit, Deumque testem fidei suæ invocavit. Aurasionensis in amplexus effusus, Balfourio purganti se ignovit, quod haberet justam excusationem necessitatis. Batavi cognito exitu obsidionis, nec pœna commilitonum, nec tristi spectaculo exterriti, sed dolore, ira, & excidio urbis ad furorem impulsi, arma rapiunt, suas injurias & commilitonum necem persequuntur, milites Hispanos palantes interficiunt, Middelburgum & Rammekam in Valacrensi insula obsident, manibus interemptorum Bætico sanguine egregiè parentant, cum Sanctio Avila arcis Antverpianæ Præfecto, haud procul Vlissinga navali prælio prosperè pugnant. Quo successu elati, transvectas navibus copias in Brabantiam effundunt, inter Tholam, & Bergam ad Zomam castra muniunt. Albanus comperto itinere fœderatorum, & quid pararent, Claudium Bernardum cum delectis cohortibus mitit, qui fœderatos imminentes Tholæ fudit, Rolleto eorum duce in certamine cæso, sed interceptum ab Aurasionense Gertrudis fanum, hanc cladem compensavit. Intereà Fredericus Toletanus Albani filius in oppugnationem Alcmariæ curas vertit; Hispani fatigati militiæ muneribus, impetu magis, quam arte militari muros subiere: præsidiarii temere subeuntes, globis & saxis incessere. Cum provisa parataque omnia ad longius obsidium cernerent, spretis Centurionibus, Tribunis legionum, & Toletano Præfecto,

Præfecto, ob non soluta stipendia furentes, ad seditionem progressi, cito agmine Harlemum revertêre. 1573. Providentia Ducis Albani, & triginta aureis singulis militibus numeratis, ægrè coërciti, ut seditio mitesceret: mox mitigavit ratio, & auctoritas Chiappini Vitellii Italici generis, cui apud militem fides. Sic compositis præsentibus, Alcmaria arctissima rursus obsidione cingitur, & Belgium repetitis cladibus affligitur, fœcundissimæ Provinciæ populationibus, & incendiis vastantur. Cæterum multo suorum cruore ab Alcmariæ præsidiariis, atrociora morte metuentibus, pulsi Hispani, subductis tormentis, re infecta rediere, non sine pudore temere cœptæ oppugnationis. Albanus ob naturæ acerbitatem, sævitiam, superbiam, immanissima facta, nova & insolita tributa ac vectigalia Belgis invisus, à Philippo per speciem valetudinis ingravescentis successorem sibi dari petiit: Rex ut paci Belgii, & viri dignitati consuleret, petitioni ejus annuit. Successor destinatus Joannes Cerda Medinæ-Cæli Dux, cui fortuna nihil indulserat præter insignem familiæ nobilitatem, & proinde regendæ feroci Provinciæ haud idoneus, publicam administrationem capessere noluit, onere in Albanum cum invidia defectionis rejecto. Albanus æmulum sibi successorem datum indignatur, Regique per literas demonstrat, si Belgium salvum vellet, alium Imperatorem quam Cerdam, Provinciæ præficeret. Igitur uterque exeunre anno revocatus est, & electus mox Ludovicus Requesenius Principatus Mediolanensis Præses, Albano ingenio mitior, ut comitate rebellionem mitigaret, & irritamenta pacis ostentaret, isque biennio res variis casibus gessit. Hoc anno in Francia civile bellum passim recruduit. Protestantes, Parisiensis cladis rabie ad arma trusi, seditionem in Aquitania, Septimania, & Delphinatu, cœptavere. Legati ad Fredericum Palatinum Septemvirum missi Calcærius & Vallius, auxilium rebus afflictis petentes adversus vim & crudelissimas injurias Pontificiorum: nec defuit animus Frederico juvare socios in communi causa, quando bellum ingrueret. Oratores reversi, multa de egregia Palatini Principis erga Protestantes volunrate referunt, & de futuris auxiliis spem excitant. Qua re cognita Francus, veritus ne in Germania Principes, ob tumultum Parisiensem ab eo alienati, in Andini Fratris, Regnum Poloniæ ambientis negotio minus æquos faventesque se præberent, Gasperem Schombergium præstanti virtute, & animi & ingenii, eò legat; Carolus arma, classem, expeditum exercitum parat, cum Protestantibus bello certaturus, si imperium detrectarent, & in contumacia perseverarent. Rupellam, & Sancerram in Biturigibus, eorum receptacula evertere statuit, & uti promiscua civium cæde, sine sexus & ætatis miseratione, nisi matura deditione sibi consulerent: Bironium cum expeditis cohortibus præire, & situm urbis ubi proximè poterat, contemplari jubet, Andino Fratri summum exercitus imperium permittit. Cædes, incendia, urbium excidia, & quæ secuta sunt, defleri magis, quam referri debent: profana simul & sacra solo æquantur, equorum laceri artus & hominum albentia ossa passim visuntur: cædis Parisiensis superstites, placant sociorum manes Christianis victimis, nec aliter placari posse credunt: ita Francia interno bello consumpta. Inter hæc Bironius Rupellæ propinquat, castra fossa valloque circumdat, fontes perennis aquæ avertit; inde crebra pro mœnibus prælia, & sæpè ambigua, cædes civium, militum neces: fortissimus quisque Protestantium, qui Lutetiæ communem aliorum perniciem effugerat, illuc perfugit, & cives hortatus est, ne sibi tali tempore deessent. Igitur castris ante Rupellam positis, ClaudiusCastræus Biturigum Præses inopinantem circumvenit Sancerram, urbem munitam, & Protestantiũ colluvie auctam, obsidium urget intentis custodiis, ne commeatus in urbem conveherentur. Gulielmus Ioanellus Præfectus intentior ad custodiam urbis, quam ad curam annonæ, etsi supina negligentia, nec hostium adventum exploravit, nec frumenti provisum fecit, nec ædificia suburbana diruit, ne hostibus usui essent. Pugnavit tamen subita & prospera eruptione, ac suis alacritatem addidit. Castræus abjecta expugnandi spe, haud ignarus paucorum dierum inesse alimenta, famem hostium opperitur, machinas, molesque operum exstruit. Præfectus urbis ad dispensationem annonæ revolutus, fraudando parte diurni cibi cives, levavit aliquandiu inopiam: mox Sancerrani fame in urbe dominante, & multiplice clade, miseriarum, patientiæque documentum posteritati dederunt, quod Saguntini oppressi ab Annibale, Numantini à Scipione obsessi, Hierosolymitani à Tito. Absumptis jumentis, equis, domesticis animalibus, stirpibus, & herbis agrestibus cujusque generis sine metu veneni, insolitis alimentis, coriis, tergoribus pecudum, cæmentis ac tegulis tectorum famem suam expleverunt. Multi ex plebe, spe vitæ objecta, se iræ obsidentium objecerunt, ut crudelissimam famem morte prævenirent: alii finem miseriarum exposcentes, se in fossas præcipitaverunt, limaces & internatas saxis herbas colligentes; obsidentes has miserias spectare sustinuerunt, sine miseratione fortis humanæ: postremò matres liberorum suorum corpora, sepulchris eruta, devorarunt. Horret animus singula prodigia vulgare, membra, artus, viscera hominum comesa, obstinationem viris fœminisque eandem. Ministri perpulere plebem dulcedine concionum famem, ferrum, & extrema pati, duravitque patientia pro conscientiæ libertate usque ad supremum spiritum: coacervata corpora hominum, quos vulnera, quosque fames peremerat. Rupellani quoque posteritati narrandi, vulnera pro libertate adversis pectoribus excipientes, inopiam, obsidionemque fortiter tolerantes. Inter quæ Andinus cum Alenconio fratre, & splendidissimo quoque Procerum in castra advolavit, & obsessis veniam ostentavit, si maturam pœnitentiam profiterentur, aliter nihil spei: illi certi retinere libertatem conscientiæ, aut mori, spretis minis

Belgii regimen ad Requesenium translatum



1573. & promissis, respondent exscindi urbem suam, seque cum conjugibus, & liberis perire malle, quam à fide & religione deficere. Inde Andinus obsidionem urgebat, operibus & cuniculis muros subruebat: obsessi missis nuntiis, qui per Germaniam Britanniamque auxilia concirent, turres, propugnacula, & munimenta tormentis strata reficiebant, & summa animorum obstinatione obsidionem sustinebant. Nuntii in Britanniam missi, cuncta ex voluntate Rupellensium perpetravere, & auxilia ad liberandum obsidium Duce Montgomerio impetravere. Intereà Andino in curas obsidionis & excidium urbis intento, excessisse Sigismundum Poloniæ regem morte fortuita adsertur: inde spem Regni concepit, & acrius indies auxit, instante Monlucio Legato, & faventibus plerisque Procerum. Defuncto rege, Poloni Optimates consultant more gentis, quis deligeretur: Andini præclara indoles apud illas quoque gentes celebratur, & omnium Procerum consensu ad imperium Sarmatiæ vocatur. Novus Rex desperata spe potiundæ urbis, & dominante in castris varia pernicie, gravioreque indies pestilentia grassante, tentata prius fratris voluntate, an paci annueret superveniente Montgomerio cum auxiliis, & Galliæ exulibus, ad colloquium cum obsessis venit, monuitque non provocandam sponte ruinam, & urbis evertionem; extrema passuros nisi resipiscerent, & obsequium resumerent. Respondent oppidani, nullas conditiones concordiæ audiendas, nullas pacis, nisi concessa Protestantibus libertate religionis. Tandem multis ultrò citroque commeantibus nuntiis convenit, ut oppidani in verba Caroli Regis jurarent, finem infausti belli facerent, venia præteritorum, & libertate conscientiæ fruerentur, edicto post obsidionem Rupellanam facto. Ita Poloniæ Rex liberatæ Rupellæ & gratiam & gloriam tulit, ovansque urbem intravit: Frater Carolus cuncta, quę Protestantibus indulserat, brevi servavit. Paucis post diebus deditio Sancerræ, magnam laudem patientiæ merita, insecuta est, haud deterioribus conditionibus, ne sublata spe veniæ obsessi desperatione, alii exemplo accenderentur: sed fides per scelus rupta. Ioancellus Præfectus dedita urbe, summissis percussoribus insigni perfidia confossus est. Petrus Burgade oppidi Pastor, qui cives sæpius hortatus est ad supremum usque vitæ finem arma pro libertate retinere, captus & extra urbem amandatus, trucidatus est, ne in ipsa urbe mors conspectior esset. Hunc exitum habuit bellum civile post tumultum Parisiensem. Per eosdem dies venere in Franciam Legati à Primoribus Polonis ad accersendum Andinum, tutam ei honoratamque sedem in Polonia memoravere, & disseruere apud Senatum in Lupara magnitudinem imperii, multitudinemque subjectorum populorum. Catharina Medicæa Regina parens, ambitiosa fœmina, cum Rege præsidere solita, & Regnum tractare, versa ad Legatos extollit laudibus filium spectatæ fortitudinis, & mansuetudinem, modestiam, justitiam, experientiam, sapientiamque prædicat: secuta Legatorum assentatio. Dein Rex Carolus magnificum id sibi, & Francorum genti gloriosum existimavit, auxitque fratrem opibus, & cunctis principalis fortunæ ornamentis, ut specie novi Regni procul ablegaret: nec Andinus ultrà expectans præbet se Polonis gratantibus, & cuncta venerantium officia præstantibus. Medicæa munia Senatus ad se trahens, & vim principatus, Carolo filio ægritudine invalido, multis circa finitimos populos Germanos, & Helvetios Legationibus missis, defensaque lanienæ sævitia quasi necessaria, & increpitis Protestantibus quasi Galliæ turbatoribus, Germaniæ Ordines oravit, ut Andinum filium Polonis Regem impositum, Sacri Imperii fines prætereuntem, in itinere, in stationibus, quacunque incederet, officiose colerent. Ipsi, & comitatui, sine injuria & maleficio transeundi data potestas. Tum novus Rex prosequente Procerum turba, confecto properè per Germaniam itinere, in possessionem Poloniæ deductus, Regio nomine, Regnoque potitus est: sed non diuturnum imperium fuit, utque tædio externi imperii, & cupidine domestici Polonia effugerit, mox congruenti tempore memorabitur. Medicæa hoc successu elata, absolutam dominationem, & infinitam potestatem authore Pancetto, aulæ Ottomanicæ alumno, approbantibus Berago Cancellario, & Radesiano Comite, in Francia agitavit: hinc graves in Reginam Procerū contumeliæ, graviora tamen quæ ab illa, ad subvertendum legitimum imperiū, & libertatem populi tentabantur. Dein accersitis interioribus Mathematicis, specie artis rebus humanis illudentibus, percontatur, an Francisci Alenconii liberorum minimi genitalem comperissent, & quam sortem haberet? Illi ex observatione syderum affirmant, illum quoque regnaturum. Igitur ne quis liberorum Regni expers esset, Gondium Radesianum validissima gratia rursus in Angliam mittit, ut inter Elizabetham, & Alenconium matrimonium firmaret. Is Reginam apud Cantuariensem civitatem obviam habuit, ubi gentili comitate in palatio Archiepiscopi cultus est, & lætitia ac celebritate comitatus navem conscendit. Eodem tempore Burchetus quidam, homo vanus ac temerarius, errore mentis sibi persuaserat, licere Euangelicæ veritati adversantes impunè occidere, quod non modò dixit, sed Ioannem Hawkinsium etiam, maritimis expeditionibus clarum, ferro petiit vulneravitque, Christophorum Hattonum esse ratus, tunc gratia, ac opibus apud Elizabetham florentem, quem novatoribus resistere sermone hominum compererat. Tanta indignatio ex istius facto mentem Reginæ occupavit, ut in reum manifestū jure militari animadverti imperaret; sed monita ab excellentis ingenii & prudentiæ viris, jus illud castrense esse, & non nisi turbidis temporibus adhibendum tale remedium, prudenti moderatione proposito destitit, & recepto jure agi jussit. Secundum hæc reus in Rolardi turrem, hæreticæ pravitatis carcerem conjectus, apud Ecclesiasticos judices causam dixit; & quia factum inficiari non poterat, jure se fecisse defendit, & Euangelicæ veritati adversantes summa cum inter-

fectoris gloria interfici posse, id Sacris literis consonum, ideóque licitum. Huic autem barbaræ opinioni resistere Ecclesiastici judices summa severitate instituerunt, verum Præsul Londinensis, & alii Theologi errorem imbecilli animi rati, errantem revocare non labore, non opera, non industria defuerunt, veniam & impunitatem pollicentes, si errorem suum deponeret. Ille pœnitentia duci se ex animo testatus, errorem renuntiare promisit, sed tergiversatus in proposita susceptaque sententia contra datam fidem permansit. Cum validis & salutaribus Præsulū rationibus nihil commoveretur, Regina decrevit, ut in turrim Londinensem conjiceretur: indè in arcem Londinensem trusus, appositum custodem Sacrarum scripturarū lectioni intentum, ligno statim ex foco arrepto inopinantem contudit, ac repetitis ictibus occidit, pro quo scelere causa cognita statim ad supplicium raptus, præcisa dextra suspendio periit. Hic annus apud Anglos illustrium virorum mortibus insignis fuit; nam statim initio ejus Gulielmus Howardus, Baro Effingamius, Thomæ Norfolcii Ducis filius, ætate confectus, fato concessit; qui Maria regnante Caleti Dux, & maris Præfectus, fortiter se gessit: Eum Reginaldus Grejus, Cantii Comes paulò post secutus est. Hoc eodem anno obiit Joannes Cajus Medicus, benè de Republ. literaria meritus multa Galeni opera latinè vertendo; qui patrimonium suum lautum, quod arte Medica confecerat, Gonwelli collegio Cantabrigiæ legavit, quod verè existimat adjuncto isto legato satis amplo, patrimonium suum per Cajum constitutum, & quasi in familiam ejus venerit, amittit nomen Gonwelli obscurius, Caij nomen ac memoriam retinens. 1573.

SOpitis intestinis dissensionibus in Scoria magis, quam extinctis, Papani, & Gallicis largitionibus corrupti Proceres, tenellum Regem in Galliam transmittendum, Mortonium vicariâ potestate exuendum inconsultè, ac velut per dementiam inter se agitavere; neque Proregi ad divertenda temeraria consilia ac præsentia pericula, ratio & prudentia deerant: namque à Principio Magistratus sui Anglicam factionem fovit, Gallicam depressit, subsidium dominationis, spem omnem salutis, ac status sui incolumitatem in Elizabetha posuit. A familia Regis orsus, famam & existimationem cujusque investigavit, servos innocentissimos adhibuit, qui honestis sermonibus teneras aures imbuerent, ne ambitioni aut inimicitiis falso criminantium paterent; præcipuam curam ad tranquillitatem Ecclesiæ, salutem civium, incolumitatem Regni, & Regis honorem direxit, atque Delegatos constituit ad audiendum tenuiorū querelas, qui Judicum Tribunalibus assistere non poterant. Georgium Buchananum, claritudine studiorum omnes suæ ætatis homines supergressum, eoque accommodatiorem, ut pueritiam Jacobi Regis studiis liberalibus, & præceptis sapientiæ imbueret, præcipue respexit, & optimum quemque educatorem. Sed jam Mortonius intentus antè publicis curis, vitio infirmitatis humanæ, aut fato potentiæ, in libidinem ac avaritiam acrius exarsit, stupra, & adulteria in secreta palatii parte exercuit, & firmam valetudinem nimio voluptatum usu corrupit, ac authoritatem imminuit: intempestiva convivia, porticus, balnea, & amœnos secessus frequentavit, Reipub. conquerens onera, callidas & exquisitas prædandi artes excogitavit. Deficiente belli materia, Barclaiam sylvam in limite, latronum receptaculum excindere, & truncatis arboribus solo æquare simulavit; cæterum ut jamjamque iturus messis tempore edixit, ut omnes, qui arma ferre possent, ad secandum nemus sequerentur, & ad sonum tubæ in armis præsto essent: dein variè frustratus convocatos, expeditionem distulit. Novissimè pactus pretium vacationum, paciscentes dimisit, alios loricatos diutissime retinuit. Testamentum Readi Orcadum Episcopi, destinantis universa bona sua in pios usus, & alimoniam Professorum sapientiæ, ut irritum & vanum rescidit, quasi ipse jus in bona haberet, metu injecto executoribus, si defuncti ultimam voluntatem & mandata exequi conarentur. Domos, fundos, & argentum invidiosa vulgo rapacitate invasit; locupletissimos mercatores, quasi reos ex diversis criminibus, & inter cætera fraudantes se justis vectigalibus, bonis exuit: Proceres claritudine natalium insignes, obsoletis reliquiarum nominibus, ex tabulis & censu quæsitis vexavit, ac grandem pecuniam ab iis exegit, quam in fortunæ amplificationem vertit. Cæterum cum existimaret Procerum concordiam, & mutuam amicitiam, ad labefactandam suam potentiam ac authoritatem, magnum momentum habere, proinde inimicitias, suspiciones, odia, & injurias inter eos fovit, ut materiam peccandi ac mulctam statuendi præberent, qui quanquam multis vexati contumeliis, multis jactati injuriis, tamen temporibus difficillimis prudenter, & temperanter cesserunt, vindictam in occasionem differentes. Denique ex Scotia tantum exhausit, quantum potuit in arcas contrudi, inmensæ cupidini & immani avaritiæ indulgens, prætendensque quasi usui publico & ærario subsidium per scelera pararet, revera res familiares suas per hujusmodi rapinas cum invidia auxit. Ab Angla quoque annuam pecuniam sibi & intimis suis amicis petivit: Regina intempestivam efflagitationem aversata abnuit, inclinatio Senatus commovit, ut promptius adversaretur. Sensit repulsam quasi injuriam Mortonius, altaque mente reposuit. 1574.

Dum hæc in Scotia geruntur, Salopiæ comitis uxor Elizabetham filiam, quam ex Cavendishio genuerat, Carolo Scotorum Regis patruo in matrimonium collocavit. Fautores dominationis, quo gratiam Reginæ pararent, forte oblatam occasionem arripiunt, feruntque crimina in Margaretam Duglasiam Henrici VIII. neptem, juvenis Matrem, Salopiensem Comitissam, & Scotorum Rex Anglica.

Reginam,

1574. Reginam, quia sanctum conjugalis fidei vinculum dirimi non potuit, sponsi sponsæque matres nobilissimæ fœminæ postridie nuptiarum in carcerem conjectæ, Scotorum Regina muliebri æmulatione indies invisior Elizabethæ, quasi in malum publicum connubium hoc perpetrasset. Nec multo post Henricus Hastingus comes Huntingdoniæ per affinitatem Leicestrio connexus, cujus sororem in matrimonio habuit, Eboracensi provinciæ Præses impositus est, dataque à Regina occulta mandata, ut Scotæ conatus coërceret, cunctaque ejus dicta factaque observaret, & arcana per homines idoneos ex intima amicitia eliceret. Is executus quod jussum erat, acerrimum odium in Scotam saturare non potuit. Iisdem diebus à vetere Anglicæ gentis consuetudine discessum ad peregrinam luxuriam, delinimenta vitiorum, conviviorum magnificentiam, & omnes libidinum illecebras cum probro atque dedecore: epulæ & cura ac sumptu majore apparari cœptæ, & scenicorum ludorum oblectamenta addita epulis, ædes laxiores, sumptu, tapetibus, stragulisque pretiosis & magnifica supellectile exornatæ. Gallici amictus quoque incesserunt, neque civiles, ac ne viriles quidem, homines auro & purpura muliebriter fulgentes, in publicum processerunt. Regina cum animadverteret, pecunias ad externas & hostiles terras transferri, inopiam largitionum immodicarum semper comitem esse, Proceres prodigos & egentes moliri res novas, & luxuriam omnia magna imperia evertere, edicto ad eam coërcendam proposito, authoritate agere maluit, quam legibus Henrici patris aut Mariæ sororis, monuitque subditos, ne leges sumptuariæ negligerentur, sicut essent neglectæ, neu quis vestimento auro argentove intexto uteretur, ne vestis conchyliata aut purpurea laminis aureis fulgens viros fœdaret, præscripsit modum cultui virorum fœminarumque quem imitarentur, & addidit consilio exemplum suum, ut quam lenissimam se præberet, & sumptus Procerum minueret; sed viri illustres qui in vestitu habituque totius corporis licentius sibi indulserant, nondum authoritate vel imperio modum sumptibus facere potuerunt, obliti laudabilis hospitalitatis consuetudinisque majorum, quorum patuere domus hospitibus, præsertim humilioribus. Luxuria ista fusa per Angliam, Scotorum animos non occupavit. Certè Marcus Portius Cato, & Quintus Hatterius consularis luxuriam civitatis Romanæ, oratione longa & accurata insectati sunt, nos in præsentia querimur, & posteri nostri querentur; vix tamen illa quæ nunc conquerebantur modesta ingenia, semina erant futuræ luxuriæ invectæ in Brittanniam Gallicæ gentis consuetudine, & imitandi licentia. Prodigia quoque hoc anno cœlo terraque in Anglia acciderunt, futurorum manifesta præsagia: bellua marina vasta & immanis, mari reciproco apud littus Tanneti insulæ ejecta, Cetarii raro alias majorem conspectam annotaverunt. Sexto Februarii Tamesis fluvius neque imbribus auctus, neque inundatione aquarum adjutus, solitum cursum excessit, accedente æstu maritimo bis intra horam refluxit, & maxime intumuit in agros diffusus, novitateque rei spectantium animos exterruit. Conspectæ quoque mense Novemb. in cœlo coruscantes à flammis nubes ferri agique à Septentrione in Meridiem, & visæ nocturno tempore faces, ardorque cœli non dubio conflictu expressus, sed flammarum micantium concursu ab Horizonte in verticale punctum, homines terruit ne ardore conflagraren. Tandem ardor cœli consedit, & flammæ è conspectu evanuerunt. Hoc prodigio Deus immortalis patefecit, orbem terrarum arsurum acri bello, unam Britanniam communi non arsuram incendio.

Res Hibernicæ. IN Hibernia Desmoniæ Comes, qui fiducia potentiæ Fitz-Villiamo Proregi parere dedignabatur, in gratiam acceptus, quietem Momoniæ reddidit. Essexius in Ultonia hostium insidias, & in aula inimicorum calumnias perpessus est. Leicestrius subdolus uxoris adulter creditus, invidens gloriæ illustris viri, modo Senatus literis avocavit, ne bellum conficeret, modo manere jussit, & turbis consulere, ut fortuitis casibus & periculis objectaret, aut dolore, ærumnis, ira, & tabe periret. Odium Leicestrii amorem apud cæteros auxerat, multi ex aula equites & Proceres opibus & consiliis juverunt, fraudes astusque inimici patefecerunt. Essexius dissimulatis offensionibus iram recondidit, nullumque liberi doloris documentum dedit, ac ne nimiam Leicestrii potentiam aspernari inconsultè videretur, precatus tempus perficiendis conatibus, & perdomandis Ultoniæ Regulis, ad coërcendum perrexit, & acrius belli curas in proximam æstatem intendit, instante jam præmatura hyeme.

Res externæ. DUM hæc apud nos gererentur, in Belgio Ramula & Middelburgum Mattiacorum primariæ urbes, ad extremam inopiam redactæ Aurasionensi deditionem fecerunt. Cæterum hic annus atrox præliis. Sanctius Avila, qui ea tempestate cæteros Hispanos præeminebat peritia rei militaris, transmisso Mosa prælio decertare statuit, nec detrectavit pugnam Ludovicus Nassovius. Ad Mookam, vicum in Mosæ aggere situm, composito agmine occurrit, concursumque pari ardore, ac alacritate pro salute, pro gloria, donec Nassovius pugnam ferociter ciens, suffosso equo labitur, ac multi nobilium circa: tunc cæteræ equitum turmæ fugere, pedites victoris arbitrio cæsi disjectique. Hoc prælio cecidere Ludovicus & Henricus Nassovii fratres Aurasionensis. Fuit Ludovicus excelsi & invicti animi, qui militarem gloriam avidius quam consultius, sæpe appetebat, nisi moderatio fratris impetum cohibuisset. Res prosperas humanitus adversæ excipiunt, victoriam & lætitiam

gravis

gravis feditio Hifpanorum militum fecuta eft, qui, pofita Centurionum Ducifque Avilæ reverentia, 1574. ferociter jactant, fe tot bellorũ victores fraudari ftipendiis. Inde rapido agmine Antverpiam petunt, fpolia celeberrimæ civitatis, opes civium, pretia laborum defignant: Requefenius cognito motu, inutili cunctatione furorem aluit, timens ne petulantiam in perfidiam mutarent. Campaniacus Antverpienfis præfidii Præfectus, inter arcem & urbem foffa ducta, impetum attinuit. Posteà Vitellii, Avilæ, & Mont-Dragonii interventu, ac decem menfium ftipendiis feditionem Prorex coërcuit. Mox occafione data, antefignanos incufavit, ac fupplicium fumpfit. Deflagrante feditione afluetum expeditionibus militem, ne otio lafciviret, in Bataviam per diverfos aditus immifit. Præcipua vis in Lugdunum Batavorum ingruebat. Miffi in fubfidium mille Angli, fub ductu Eduardi Chefteri, & Gainsfordi, qui ob annonæ penuriam in urbem non admiffi, Valckenburgum munimentum haud abfolutum, & Goudanam Cataractam tueri decreverant. Quinque Anglicæ cohortes quæ Valckenburgi præfidio erant, territæ Cajetani & Liquii adventu cum Bæticis copiis, locum deferuerunt, & ultrò fe Liquio dediderunt. Haud pari ignavia Goudanæ Cataractæ præfidiarii Angli fe gefferunt. Loco explorato, Valdefius Hifpanorum tribunus, fcalas admovere juffit: obfeffi nitentes & fcandentes depellunt. Ibi poft acerrimum prælium, fingulari Anglorum virtute, pulfi Hifpani, & irritati pudore tantæ cladis, trajecto Rheno natatu, in terga hoftium invecti, dejecto præfidio potiuntur loco, magna cæde hominum, cæfis ducentis Anglis, & tribus fignis captis, priufquam fubfidium ex Alfeno munimento venire poffet, quod mox vi captum, & præfidio à Valdefio firmatum. Jamque obfidio Lugduni inchoata, & fpe omnium diutius protracta. Urbi præerat Janus Duza Nordovicus, vir fuper claritudinem natalium, ftudiis clariffimus. Lugduno Batavorum acriter obfeffo, fame, ferro, proculdubio dedita fuiffet urbs, nifi Fœderati audaci facinore in tempore fubveniffent, & naves ad urbem applicuiffent, cunctis cataractis apertis; Mofæ & Ifalæ aggeribus perfoffis, terram aqua obruiffent, & naves ad urbem advexiffent. Hifpani aquarum vi victi, obfidionem folverunt. Per eofdem dies alius Bæticus exercitus Bommelam infulam aggreffus eft, quam præfidio fatis firmo tenebat Jacobus Balfourius Tribunus, qui arcere Bommelenfis Infulæ finibus Hifpanos intendit: quid in fuis effet animi ac virtutis, prælio periclitatur, nec hoftis pugnam detrectat. Concurrunt Iberi fulgentes armis, utrinque pugnandi ardor, utrinque in victoria gloria, in fuga probrum, eoque acrius certamen: fed tandem ferocia Scotica ambitionem Hifpanicam contudit. Blandiente cœptis fortuna, Scotus nullum ferè diem intermittit, quin levi prælio profperè decertaret: Hifpanus, dedecore ac pudore temere inceptæ oppugnationis confufus difcedit: ægrè coërcitæ cohortes quin longius infequerentur. Scotus defenfa Bommelia præliorum avidus, in agrum Leodienfem irrupit, ubi non procul Leodio iterum acerrimè pugnatum: turbatum ibi Scotorum agmen, fed multo Hifpanorum cruore: pulfus Balfourius, vincentium impetum repreffit gnaviter cedendo. Inter quæ in Francia Alenconius haud turbidus ingenio, fed inftigantibus amicis, aut cupidine militaris gloriæ, fummam armorum Præfecturam appetebat; Navarrus, Momorantius, & Proteftantes, clari rerum geftarum fama, occultè fovebant, ac de fufcipiendo patrocinio fuo vehementer follicitabant, hortabanturque ad capeffendam labantem Rempublicam, quæ ab ambitiofa fœmina regeretur. Ea res ei magnam invidiam, non apud Fratrem modò, fed etiam faftidium apud Matrem concitavit, unde invifus fit Reginæ Matri, & Carolo fratri fufpectus, ob nimiam cum Proteftantibus & Momorantiis gratiam. Auctæ fufpiciones intempeftivo Joanis Calvimontii Præfecti alæ conatu, qui haud longè à Germani fano fpeculabundus cum Proteftantium turmis fubftiterat, ut Alenconio, anxio proprio periculo, & metuenti imminentem perniciem, ac inexpiabile odium, gratificaretur, fi elabi poffet. Is, quanquam in rebus trepidis, fidem & obfequium retinebat, fraternæ clementiæ confidens, infultante per campos Proteftantium equite, ut Alenconium infigni facinore obligarent. Interim Aula nutabat increbefcente motuum fama: Rex ægritudine lenta invalidus, militiæ labores tolerare non poterat, neque Regina belli munia adminiftrare. Turbatis aulæ Primoribus, optimum vifum eft in præfentia, ut Germani fano fubitò difcederent. Igitur Rex, modico comitatu profequente, Lutetiam petit, & in fuburbio pernoctat. Parta fecuritate, ex confilio Matris, & Guifiorum, publicis malis ad privatum odium abutentium, medicamina afperiora Reipub. vulneribus adhibet. Momorantium Magiftrum equitum, æmulum Guifii, & Coffæum corripi jubet; circumfiftunt Prætoriani, & in Baftiliam arcem abducunt. Alenconius & Navarrus, fufpecti rerum novarum, ac conjurationis de Rege intercipiendo, addita militari cuftodia affervari juffi. Dalus Angliæ Legatus, clandeftino nuntio utrumque Reginæ fuæ nomine confolatus, promifit eam nullam levandi juvandique occafionem prætermiffuram; quæ mox mifit in Galliam Thomam Randulphum, cum mandatis ad Reginam Matrem, quibus jubebatur, ut Alenconium filium, & Navarrum, in priftinam gratiam reconciliaret. Condæus maturo difceffu fibi confuluit, & diffimulato habitu, in Germaniam profugit. Hæc velut femina jacta funt civilis belli: jamque Proteftantes violata Edicta Regia querentes, prohibitam confcientiarum libertatem, & doctrinæ fuæ publicam profeffionem, acrius arma rapiunt, multaque oppida & arces in fuam poteftatem redigunt. Ex adverfa parte Regii Laudi fanum capiunt, & diripiunt; Garentanum per deditionem accipiunt. In tanta mole curarum Rex prælia quoque, & oppugnationes urbium, ac omnia pacis bellique munia, per Matrem adminiftrari edicto juffit,

1574. & intra paucos dies, ulciſcente numine Pariſienſis laniena nefandam atrocitatem, acerbiſſimis doloribus conflictatus, ob ſanguinis ſitim, ſanguinis profluvio per os, nares, & aures extinctus eſt. Hic vitæ exitus fuit Caroli Regis: regnum ejus bellis civilibus luctuoſum, variis prœliis, urbium oppugnationibus, direptionibus, cædibus, incendiis, latrociniis funeſtum, & Pariſienſi laniena infame. Defuncto Rege, Regina parens ſuppliciter rogata Regentis titulum, & ſummam Regni adminiſtrationem ſuſcepit, & Alenconio mitigata, adoleſcentiæ & errori ejus ignovit, ad veterem ſpem nuptiarum impulit; & Angliam, matrimonalem coronam, oſtentavit. Per idem tempus Legatos in Poloniam ad repetendum Henricum Regem miſit, ad quem jure, & voluntate Fratris, Regnum pertinebat. Is de Fratris morte certior factus, tædio externi, & flagrante cupidine aviti regni, Polonia clam relicta, in Franciam rediit, ſpretiſque in itinere Maximiliani Cæſaris, & Senatus Veneti ſaluberrimis conſiliis, funeſtum bellum Proteſtantibus intulit. Reditus in Franciam Henrici III. variè hominum animos affecerat; Pontificii ſumma ope in Proteſtantes accendunt novum Regem, impelluntque ad conſilia belli in primis Regni auſpiciis, ad quæ jam ſua ſponte animum inclinaverat. Proteſtantes feſſi variis cladibus, ſupplices pacem, conſcientiarum libertatem, & edictorum obſervationem deprecantur. Rex ultioni magis, quam dignitati conſulens, initio principatus bellum, quam pacem maluit; & Proteſtantes deſperatione adductos, nullis cladibus ſuperabiles in Pictonibus, Delphinatu, & Aquitania expertus eſt. Mortuo Carolo IX. Francorum Rege, Londini funebri pompa exequiæ ejus ab Elizabetha in Paulino templo celebratæ ſunt: mox Rogerus Northus Baro in Galliam ad novum Regem, cum ſecretis mandatis mittitur, ut reditum congratularetur, Galliæ domeſtica calamitate laboranti condoleſceret, quietem & edictorum obſervationem ſuadeteret, Alenconium & Navarrum in priſtinam gratiam reconciliaret, odium in Momorantium, ac Coſſæum Briſſaci Comitem, precibus mitigaret, benevolentiam in Condæum, qui ſe in Germaniam ſubduxerat, excitaret. Reſpondit Henricus, de gratulatione ſe gratias agere, amicitiam Reginæ expetere, ſeque potius cum Proteſtantibus rei componendæ, ſi fieri poſſet authorem, quam armorum fore; nec ideò tamen reparando bello deſtitit: ita Legatus nihil effecit, cum cuncta ad bellum pararentur, nullumque ejus gerendi tempus prætermitteretur, ac Gallia, domeſticis malis ægra, in perniciem præceps rueret. Viſum eſt Henrico & Reginæ Matri Gardiam in Britanniam mittere, ut matrimonii negotium cum Alenconio proſequeretur, non tam ſpe ſucceſſus, quam ut quæſito eo colore, Juvenis rerum novarum cupidus, aula ablegaretur, quem Elizabetha ſæpe admonuit, quanto cum diſcrimine Gallici Regni Pontificii cum Proteſtantibus pugnaturi eſſent, Iberis in amborum exitium intentis. Poſt arcanum colloquium, Legatum cum ambiguo reſponſo, ac affectatis officiis demiſit. Poſt Henrici Regis in Galliam reditum, magna animorum mutatio ſecuta eſt: nam novus Princeps ætate hactenus temperanter ac ſobriè acta, initio Principatus ſui nimio voluptatum uſu majores animi partes à virtute deflexit, quique privatus regnante Carolo Fratre imperio digniſſimus credebatur, tantam de ſe conceptam, non modò Francorum, ſed etiam exterorum opinionem fruſtratus eſt, ac faſtidium ſui repente excitavit, dum in caſtris educatus, alieni à virtute militari animi ſigna daret, ac intra privatum cubiculum ſe contineret, corruptiſſimo quoque è juventute in familiarem conſuetudinem adſcito, ac principali majeſtate in luxum & effrenatam libidinem ſoluta, quam nunquam à Monialibus, à liberis, à conjugibus Procerum cohibuit. Cum Avenione vitam ageret, in Proteſtantium exitium intentus, ubi eos fiducia virium audaciores factos vidit, ac iracundia exacerbatos, miſit ad Rupellanos literas, quibus de ſua egregia erga tranquillitatem publicam voluntate præfatus, præteritorum oblivionem offerebat, & ſpem faciebat, ut nemini ob religionem periculum in poſterum crearetur, qui armis abſtinerent: verum cum Porteſtantes ſibi metuentes & parum promiſſis fidentes, ac à pacificis conſiliis averſos videret, ſpe pacis fruſtra tentata, diligentius ad ultionem Proteſtantium ſe parat, in quorum exitio firmamentum Regni conſtituit. Per hos dies in Francia exorta ſecta eſt eorum, qui viam deviam ſecuti, in itinere vitæ corrigere mores pœnitentia profeſſi ſunt, quam ut exterioribus ſignis, ac interiore cordis morſu oſtentarent, ad caſtiganda vitia ſaccum & cilicium induebant, ac ita velati flagris loriſque ſe in plateis cædebant, ob idque ſe Flagellantium nomine appellabant. Deinceps hæc ſecta, authoritate Pontificis in religionem abiit, cui complures Nobiles nomina certatim dederunt; peccatorum abolitionem hac ratione ſperantes. Ipſe Rex turbæ Flagellantium ſe immiſcet, ut pietatis, ac religionis opinionem apud vulgum ſibi conciliaret; ejus exemplum Aulæ Proceres ſecuti ſunt, quo facto Regiam Majeſtatem non mediocriter imminuit. Multa quoque initio Principatus ſui, in rerum adminiſtratione & in Quæſtura innovavit, Ærarium, fontem ipſum liberalitatis, ac regni vires, exhauſit per immodicas largitiones iis factas, qui libidinis, & avaritiæ miniſtri fuerant.

1575. MOrtonius domeſticis diſcordiis vacuus, in commune conſulit; caſtella firmis præſidiis communit, multa arbitrio Senatus ſalubriter conſtituit, ornat Regnum privatim, & publicè, fora, domos, porticus, atria, ac Arcem, Regia magnificentia Dalkethæ inchoatam, perficit, eamque partem Scotiæ, quæ Hiberniam aſpicit & Æbudanos domat in gratiam Reginæ Anglorum, exſcenſiones in Ultoniam prohibet, monet Inſulanos ut ab ejus ſubditis omnem vim abſtinerent, oculos quoque à con-

à conſpectu Dominii Anglici in Hibernia continerent: Conventus Juridicos per univerſam Scotiam indicit,titulo quidem ſpecioſo,ut limitaneorum latrocinia coërcerentur,verum eventus oſtendit, nihil aliud, quam direptionem bonorum, ſub hoc prætextu quæri, quæ res odium ejus auxit, & authoritatem imminuit. Ita viluſcente indies ob avaritiam Proregis gratia, ſecutus eſt fortuitus caſus, qui Anglorum querelas excitavit, ac ſummam tranquillitatem pacis & otii penè turbavit. Redſquirus mons eſt Rhedeſdaliæ Scotiæ conterminus,ubi Carmichellus Liddiſdaliæ Cuſtos,fortitudine clarus, cum Joanne Forſtero Medii Limitis, & Berwicenſis præſidii Præfecto, congreditur. Affuere colloquio Franciſcus Ruſſelius Bedfordiæ Comitis primogenitus,Georgius Heronus,Cuthbertus Collinwoodus, Henricus Fenwicus, & alii Northumbriæ Primores. Primus Forſterus Præfectus verba fecit; bona Anglorum direpta, prædas abactas, res repetitas, & non redditas, ac dedi noxios poſtulavit: Carmichellus conqueſtus eſt, ſuos limites latrocinio Anglorum vexari, bona Scotorum diripi. Cum res de more repeterentur, ardentis ſpiritus viros in aſperiora verba prorumpere iracundiæ ſtimuli egerunt, interque altercationem & jurgia, tumultus oritur, concurſu limitaneorum trepidantium, circa Præfectos. In contentione Carmichellus captus, Angli victores Scotorum bona, qui negotiandi cauſa ibi convenerant,opportuna rapinæ diripuerunt. Temeritate cupiditateque Anglorum, victoria excidit è manibus: quippe clamore celeriter per agros viciſque excitato, Scoti coacta manu Iedburgi concurrunt, eò iter intendunt, ferro atque audacia iter faciunt per hoſtes ad prædam diſcurrentes, multos Anglos,& in iis Georgium Heronum Equeſtris Ordinis interficiunt. In hac trepidatione Carmichellus ad ſuos dilabitur, inſtat perculſis, ut ne fugam quidem facilem aut tutam haberent: Joannes Forſterus Præfectus Limitum, Franciſcus Ruſſelius gener, Cuthbertus Collinwoodus, Henricus Fenwickus, & alii complures cum ad ſuos evadere non poſſent capti, Dalkeitham ad Proregem abducti, ibique publico hoſpitio accepti, interpoſita deinde fide, conſtituta die redituros, cum præſidio dimiſſi ſunt. Hac clade in aulam renuntiata fama primum, dein literis ipſius Præfecti, Regina in iram verſa excanduit, nec tam Carmichelli facinus,quam Proregis ambitio aut negligentia irritavit,indigniſſimeque tulit,Scotos, Ipſius maximè poſt Deum opera in libertatem & priſtinam dignitatem vindicatos, tutam tranquillamque pacem trahentes, contra jus & fas in colloquio Anglos crudeliter interfeciſſe, utque ex media cæde profugientes Forſterum, Medii Limitis Præfectum, & Franciſcum Ruſſelium, florentem & illuſtrem adoleſcentem captos, quaſi per triumphum duxiſſe; nec prius dimiſiſſe, quam de reditu, in Anglicæ gentis contumeliam, chirographis, & aliis fidei pignoribus caviſſent. Inter hæc finitimi omnes in armis erant, & parum aberat, quin pars cum parte confligerent; ſed Mortonius ſpectatæ prudentiæ & moderationis, tumultus culpam in temeritatem Anglici Præfecti avertit, rogat ut Regina prius cognoſceret cauſam, quam condemnaret, & antiqua merita in memoriam revocaret, edocetque quanta ex diſſenſionibus incommoda oriri poſſent, ſi, ob delicta paucorum, ad vim atque arma deſcenderent: orat communis ſalutis cauſa, ut pacem à ſe præſtitam tueatur, ne patiatur Scoticam gentem ab amicitia populi Anglici deficere, & auxilia à Franco acceſſere, neve de ſua in Scoticum nomen benevolentia, propter inopinatum tumultum, diminueret: nihil publico factum conſilio demonſtrat, ſed furore imperitæ multitudinis, & imprudentia Ducum, incommodum acceptum, ſe celeriter publica utilitate, & ſtudio erga gentem Anglicam compenſaturum pollicetur. Quæſtionem de cæde & bonis direptis, coram Præfectis in Scotico ſolo de more decernit; quippe regnante Henrico VII. in expiationem cædis Robberti Cari nobiliſſimi Equitis, Medii Limitis Præfecti, ſtatutum, ut rerum repetundarum conventus in Scotia haberentur, ibique Præfectis lege permiſſum, ut de contaminatis furtis & latrociniis cognoſcerent, ac judicarent ſine odio, & ſine invidia. Exemplum magno intervallo repetitum, magis dolorem accendit, quam lenivit, quod Elizabetha in contumeliam honoris ſui traheret, ac ut arrogantis animi indicium in Prorege interpretaretur,cum locum conveniendi præſcriberet. Demum Regina de ſuorum clade conſilium habuit: ibi alius alio ferocius querelas inſerit, pleriquè indignantur, bonis ac fidelibus ſubditis,tam atroces atque indignas injurias à Scotis factas. Alii Proregis ſuperbiam graviter increpant,quod cauſæ cognitionem in ſolo Scotico decreviſſet: Magna pars Senatus cenſebant, indignum ſibi videri, fortuitum tumultum, parvum, & vix dictu dignum, ancipitis belli cauſam fore. Victa auctoritatibus ſuadentium pacem, & majorem Britanniæ motum ex diſſenſionibus proſpiciens, impetum offenſionis publicæ tranquillitati remiſit, poſtulavitque ut Carmichellus ſibi dederetur, ex lege fœderis. Hanc conditionem gravatè Scoti, neceſſario tamen accepere, cum alius exitus rei non appareret. Prorex in finibus Scotiæ collocatus cum Buntingdonio, ampliſſimis verbis tumultus culpam à conſcientia publica removit, negavitque lege fœderis ad deditionem cogi poſſe, ſed ne belli ac turbarum auctor eſſet, ex Senatus conſulto Carmichellum Anglis dedidit,ne privato conſilio jus Scotici regni imminuiſſe videretur. Is cum præſidio Anglorum Eboracum deductus, ibi domicilium hoſpitis magis, quam dedititi expertus, cum amplis præmiis dimiſſus eſt,ſummamque finium regundorum poteſtatem,cum rediiſſet,Prorex ei detulit,qui,cum de more Regni fines perluſtraret, fures, & pacis turbatores,brevi comprehenſos, reſti ſuſpendit, reliquos ſupplicio noxiorũ,cædibus ac latrociniis deterruit,& limitaneos latrones ſeveriſſimè coërcuit:

1575. quæ res Proregi apud vicinam gentem peperit amorem ac benevolentiam. Cathari quoque, sacerdotalis modestiæ obliti, ob non repræsentata stipendia debacchantes, nihil non dicere ac facere audent: Prorex, injecta mentione colloquii Læthensis, compescuit, quo convenerat, ut in statu receptæ religionis impubere Rege nihil innovaretur. Hoc anno obiit in Scotia Jacobus Hamiltonius Araniæ Comes, & castri-Heraldi in Pictionibus Dux, amplissimæ familiæ Princeps, & Jacobi II. Scotorum Regis pronepos: is Jacobo V. in ætatis robore extincto, & Maria filia hærede relicta, Prorex dictus est, & secundus Regni hæres fuit. Huic viro mite ac tractabile ingenium, à periculis ad quietem proclive, nisi bonam indolem turbidi propinqui ac clientes corrupissent, qui suæ magis ambitioni servientes, quam de ejus honore solliciti, à privata vita ad Regnum gerendum impellebant. Maria in Galliam transvecta, ut Delphino nuberet, Præfecturam centum equitum cataphractorum, & Ducatum castri-Heraldi adeptus est: postea deposito Magistratu, ad veros mores reversus, procul ab aulica ambitione remotus, & palam beatus, cœpit Glottæ fluminis amœnitatem admirari, & reliquum ætatis in avitis prædiis cum amicis & clientibus tranquillè transigere. Sed inciderunt turbida Reipub. tempora, quæ quiete & otio frui non finerent. Cum Proceres rebellarent, Mariæ Reginæ caput & famam diligentissimè defendit. Infensus gloriæ Viri Regii generis, & clarissimæ familiæ, Georgius Buchananus, rerum Scoticarum florentissimus Scriptor, suo an alieno odio incertum, mite ejus ingenium in contrarium interpretabatur, eique torporem, & socordiam per invidiam exprobrabat. Is moriens quatuor liberos masculos superstites habuit, Jacobum Araniæ Comitem, Joannem, Claudium, & Davidem quorum tres insania conflictati, quam ex materna origine traxere; Joannes mitis ac munificus, reliquit adolescentem summa spe & animi & ingenii præditum; Claudius spes subsidiumque familiæ, antequam furore corriperetur, liberos ad amplissimam spem genuit.

Res Anglicæ. Hoc anno Boischotus, Fisci in Belgio Patronus, in Angliam à Requesenio, navali bello intento, cum literis & scriptis mandatis venit, ut gubernatores, nautas, & naves adversus Batavos & Mattiacos, multiplici successu mari præferoces, magno pretio conduceret: neque obtinuit conducendi licentiam, adversante Senatu, qui neutram partem volebat potentiorem altera oppressa fieri, repugnante Regina, quæ noluit naves suas, & egregios nautas, in aliena causa belli periculis objicere, edictoque vetuit, apud exteros mercede militare. Legatus spe impetrandi socios navales dejectus, summa contentione petiit, ut Belgas rebelles Anglia pelleret, armatas Belgarum naves portubus, stationibus, vi & armis prohiberet: abnuit Regina innoxios Belgas, patria armis pulsos fugatosque, in Angliam conscientiæ & libertati perfugium quærentes, hospitesque receptos, extrudere, & ejicere. Urgente Legato pacta novissimi fœderis, ne nihil concedere videretur, Præfectis, qui præerant maritimæ oræ, acerrimo edicto mandat, invitis & gementibus Batavis, ut Optimates bellantes, Aurasionensem, Culenburgium, Bergensem, Marcanum Comites, & alios quinquaginta Primores viros, portibus arcerent; fœderatarumque urbium primarios cives in Angliam confluentes summoverent: quod cum præter opinionem, occasione temporum, impetratum esset, Legatus Reginæ gratias egit pro studio & benevolentia, operamque suam vicissim pollicitus est, ut Westmorlandiæ Comes, & Anglici exules, Britanniæ minitantes, pari Requesenii decreto Belgio exturbarentur; qui mox à Wilsono, Reginæ res apud Belgas procurante, invidiosè exagitari, & extrusi sunt. Perculsi Batavi fœderati terrore recentis edicti, in Anglia, contermina natione, promulgati, & attoniti quorsum illud tenderet, pensitatis suis viribus, & Philippi magnitudine, Regem Franciæ alliciebant ad opem ferendam: & ad audendum aliquid nunciis concitassent, nisi Regina per Danielem Rogersium, deinde per Joannem Hastingum suos Legatos Aurasionensem monuisset, nunquam prospere accersita Francorum auxilia, nunc quoque in exitium exciri; se illibatis viribus utriusque partis protegere inopem ab alterius injuria paratam, æquitate quam armis partam libertatem retinere Batavis melius & tutius esse. Aurasionensis evidenter Francorum partis erat; si res Belgicas respicerent, Regina certamina utriusque partis ex tuto spectare decreverat, & se ambiguo bello non illigare. Unde Proceres in concilium vocavit, & exprompere sententiam jussit, an cum amici Regis subditis patrocinii fœdus facere liceret. Incipit Burghleius Quæstor, dixitque gravem, severam, ac Rep. dignam sententiam: sibi non videri publicè gloriosum, aut privatim utile, vetus Burgundicum fœdus negligere, violare, rumpere, aut Belgii à Philippo deficientis patrociniũ suscipere, nam hoc & ad Cæsaream Majestatem, & ad potentissimæ toto orbe familiæ injuriam pertinere, oravitque suppliciter, ut Regina externa æmulatione vacua, in commune consuleret; cui sunt assensi plures. Leicestrius, homo scilicet religiosus, disseruit: fœdus religiosum cum Batavis sanciri posse, ob communem religionem, subveniendum sociis ab importunissimo hoste oppressis, & magnum periculum subesse, si fœderati patrocinium Francorum implorent, impetrentque. Inter has curas quædam fortuita in Anglia acciderunt, & in agro Teukesborriensi triste Prodigium factum est, ubi muscarum tantæ nubes ex occulto allapsæ apparuerunt, ut examinibus suis molarum cursum sisterent, & ingenti agmine rusticorum ad confodiendas eas coacto, quatriduũ in opere absumptum. Plus omnibus prodigiis terruere animos hominũ crebri terræ motus, horrendo fragore, strageque: celeberrimæ Angliæ civitates Eboracũ, Vigornia, Claudicestria, Bristolia, Herefordia terræ tremore concussæ

concussæ territæque. Eodem anno in Hibernia Essexius, quorsum æmuli consilia tenderent secum reputans, suas miserias, & inimicorum perfidiam tacitè deplorat: amici cedendum fortunæ & tempori, ac tradendam Proregi provinciam censuerunt. Cum de traditione imperii & reditu cogitaret, crebris epistolis monetur, ut rediret ad officium, & belli munia obiret, ne Ultonia sine rectore foret. Inde uti præceptum erat, milites, quos perpaucos habebat, infestis signis in Turlochum ducit. Prosperè succedentibus rebus, rursus per Epistolas bellum omittere, & pacem firmare jubetur: qua confecta inconditam Hebridianorum turbam quæ Clandeboiam occupaverat, extemplo in latebras avertit, Joannis Norrisii auspiciis Rachlinianam insulam, expugnatis castellis & præsidiis, cæsisque quadringentis insulanis invasit. In medio victoriæ cursu per invidiam adversariorum parto decori substractus, imperfecto adhuc bello, quod facile patrare poterat, retro concessit, & inter gregarios duces habitus, trecentis militibus præpositus est: nec contentus Leicestrius gloriam eripere, accendebat mœrorem & luctum ejus in dies novis contumeliis, ut dolore & ira conficeret. Commotus his Essexius in Angliam celeri navigatione transiit, ubi non pro spe sua exceptus, Leicestrio palam minatus est, ob aversum Reginæ vultum criminationibus ejus. Indè apertis odiis dissensere: Essexius Reginam deprecatur ne gratia immerenti adimeretur, edocetque haud dubie Ultoniam subigi potuisse, si novis copiis & publicis opibus adjutus esset. Illa diversè trahitur, hinc meritis Essexii, & tantis rebus gestis; inde Leicestrii calumnia malitiaque occasione potiundæ uxoris, quam flagranti libidine concupivit: unde Essexius abjecta spe dignitatis, vitataque frequentia & celebritate aulæ, ad tranquillitatem & otium concessit, modo in suburbano ædificio, modo in amœno secessu. 1575.

Tradiderat interim Hiberniam Fitz Williamus Henrico Sidneio Proregi delecto jam tertio, qui Hiberniæ imponeretur: quod prudenter justeque antea rexisset, excepere eum Hiberni summis honoribus, justicia imperii capti. Is exorientes tumultus in ipso conatu oppressit, Ultoniam discessu Essexii vacuam intravit, & Provinciam tot cladibus fessam ac colluvie Scotorum resovit, Regulos Mac-Mahonum, Mac-Guirium, Turlochum supplices in deditionem accepit, pariterque Lageniam invisit, O-Mororum, & O-Conororum excursionibus & latrociniis infestam, quos armis coercuit, compulitque Leisa & Ophalia avitis possessionibus abscedere, divisitque agros. Hinc Momoniam adiit, ibique apud Corcagium oppidum Desmonium obvium habuit, fidem & obsequium, donec vita suppeditaret, promittentem. Prorex eum propinquosque amicissimè admonet, ut fidem colerent, & erga Reginam nobilitati mitem, veterem observantiam intenderent. Exin Conactiam peragravit, & Comitis Clan-Richardi liberos, qui arma in ea Provincia moverant, cultu, vultuque pœnitentiam præferentes, Reginæ reconciliavit; & ex eo tempore Provinciam summa cum laude administravit, paucis admodum punitis, quo cæteris infidis & turbidis quies esset. *Res Hibernicæ.*

In Belgio Ludovicus Requesenius Prorex, ubi subitis excursibus terrestribus & navalibus satis Batavos terruit, tædio diutini belli, irritamenta pacis ostentavit, si solitum obsequium in Philippum continuarent. Bredæ dactum concilium; admissi plures Aurasionensis & fœderatorum delegati institerunt, ut omnes externæ copiæ è Belgio deducerentur, castellaque & oppida traderentur, Batavi suo arbitrio relinquerentur, totius gentis concilium indiceretur, quibus perpetratis tum ipsos de libertate conscientiæ, vita, & fortunis Ordinum decreto se submissuros. Batici Oratores ad eorum postulata respondent: Belgii Provincias in Philippi & majorum possessione per multos annos permansisse, proinde Philippum Regem ægrè ferre Hispanos exterorum nomine censeri, Gallos, Germanos, Anglos, Scotos Aurasionensi mercede militantes, & dominationi alienæ sanguinem profundentes, exteros potius censendos, Bataviam quoque externis præsidiis vacuam fieri efflagitant: ita dum suas quisque nunc querimonias, nunc expostulationes inferit, multis diebus per irritas altercationes consumptis, re infecta delegati redierunt. Aurasionensis & fœderati inopes & imparati, propriis diffidentes viribus, quando nulla spes pacis à Philippo affulgeret, externam gratiam quærunt, arma, opesque consultant, & cujus vicini Principis fidem & Patrocinium experirentur, ac diu sententiis variatum, cum alii ad Cæsarem, & Proceres imperii, alii ad Regem Francorum, ut retuli, alii deniq; ad Reginam Angliæ summa contentione inclinarent. Vicit tandem ea sententia, quæ pro Anglia erat, quod nihil in Franco subsidii bello civili implicito viderent, seque si Cæsarem respicerent, necessarium Philippi, nequicquam ejus auxilium imploraturos, spem in Anglia propinqua portuum opportunitate, rerum necessariarum commercio, religionis cultu haud dissimili. Non pauci in hanc sententiam ivere: itaque Legati ad Reginam decernuntur Sant-Aldegondanus, Janus Douza, Gulielmus Nivellus, Paulus Busius, & Franciscus Maelsenus, ut voluntatem Fœderatorum ei proponerent, qui data dicendi copia, præparata oratione orsi à primo fœdere Burgundico, cuncta alia uno & perpetuo tenore juris semper servata, ac multa in gentem Anglicam merita repetivere, injecta etiam spe dominationis, obsoletū titulum in Bataviam & Mattiacas insulas per Philippam Eduardi III. conjugem Bavaricæ originis retulere, cohortantes Reginam, ut eas regiones, aut in antiquum jus repeteret, aut à Philippi injusta tyrannide, armis & opibus Regni sui protegeret. Iisdem diebus audita Frederici Perenotti Champigniaci legatio, à Requesenio præparati jam ante & instructi, ut apud Reginam intercederet, ne Belgii à Philippo deficientis patrocinium susciperet, aut vim multitudinis ac *Res Externæ.*

1575. rebellionem foveret. Regina precibus Campaniaci permota, & Burgundici fœderis reverentia Legatis respondit: Bataviam & Mattiacas insulas in Philippi potestate nullo ambigente diu fuisse, se jus Bavaricæ stirpis per tot sæcula antiquatum repetere non posse, nec paci defuturam, si ex æquo disceptarent, & non belli causam quærerent: quare Hispanorum graves inimicitias, Francorum invidiam ac offensionem, funesti belli ancipites casus, & magnos sumptus causata, oblatum in Belgas imperium obstinatissimè recusavit, misitque ad Philippum Oratores Cothamum, & Corbetum qui expostularent injurias innoxiis Belgii populis illatas, orarent ut omitteret servitutis jugo premere, aut se opem suam afflictis justè implorantibus non denegaturam. Philippi pectori penitus infixum erat defectores bello persequi: igitur irritæ legationes Maximiliani Cæsaris & Elizabethæ Reginæ super firmanda pace, ac bellum redintegratum. Requesenius Prorex præmissis Bæticis legionibus quibus Hiargium Legatum præfecit, Buram obsedit, & intra paucos dies subegit. Hiergius hoc oppido capto & direpto, suppletis legionibus Bommeliam tetendit; dura ibi prælia aliquot circa munitiones facta, multi milites vulnerati aut interfecti sunt: ex itinere ad Veteres Aquas deflexit, vulgo Oudewateram, & castris ante oppidū positis, oppugnationem instituit. Præsidio illud tenebat Sammarianus Gallus, cum aliquot Scotorum & Francorum cohortibus. Strata muri parte creberrimis tormentorum ictibus, Francisci Valdesii, Ferdinandi Toletani, & Juliani Romeri legiones adortæ sunt. Præsidium agitantes Scoti, Galli, Batavi, oppugnantium impetum magno animo sustinuerunt. Tandem obsessi, prælio fessi & numero victi, cum semper defessis recentes succederent, cesserunt, & Iberi urbe potiti sunt, perpaucis defensoribus superstitibus. Oppidum direptum atque incensum: non militi, non civi, non ætati, non sexui parcitum est. Hoc facto cæteris urbibus metus injectus. Prorex in Mattiacas insulas transgressus rebellium receptacula, bellum difficillimum gessit. Schoonhoviam, Vianam, Bommeneam, Ziriczeam per novem menses maximis difficultatibus obsessam occupavit. Ibi milites modo pectore, modo ore tenus aqua extantes, fluctibus obruti, aut paludibus absorpti sunt. Perterriti Fœderati urbium captivitatibus & direptionibus, Aurasionensem circumsistunt, orantes, ne se à crudelissimis hostibus diripi patiatur: quorum precibus & misercordia permotus, ne nullum in eo Sociis præsidium videretur, castra movet, Crimpensem munitionem in deditionem redigit, & hostium conatibus magno animo obsistit. Inter quæ Bæticas legiones, laborem militiæ aspernantes, seditio incessit, ob inopiam stipendii: quippe Requesenius per eos dies agendo censui intentus, & morbo correptus, intermisit solita castrensis disciplinæ munia, nunc audita cœpta seditione, malorum tædio fato concessit. Obiit quoque insignis Dux Chiappinus Vitellius, qui comitate permulcendis seditiosorum animis idoneus habebatur, ob acre ingenium & promptam dicendi facundiam. Hæc in Hispania nuntiata perpulere Philippum anxium, & magno ære alieno implicitum, belli gerendi studio contracto, ut Belgii regimen Primoribus Procerum, vulgo militum gratis, & Consilio Status permitteret, nullis certis mandatis, nec stipendiis datis militibus inopiam pertæsis, qui neque precibus, neque terrore, neque minis flecti ad modestiam potuerunt. Dū hæc in Belgio gererentur, in Francia Protestantes à reliquo Regni corpore divulsi, Damvilla Momorantii Frater, & alii bellum adversus Regem cogitantes, Nemausi conventum Ordinum indicunt; separatim suis fortunis consulunt, & novam Reipub. formam constituunt, quantum ad religionis cultum, jus civium, munia Magistratuum, militiæ disciplinam, commercii libertatem, tributorum & vectigalium collationem, ærarii dispensationem: postremò eo furoris venere, ut desciscere agitaverint. Quamquam prærupta hæc contra morem obsequii, & fidem subditorum, tamen Parisiensis atrocitatis horrenda memoria excusavit: exin cuncta inter Protestantes & Regios inimica & hostilia cœpta, obsidentur urbes, agri, villæque cædibus, & incendiis vastantur. Inter obsidiones maximè celebre Liberonis obsidium præsentia Regis, Protestantium obsessorum fortitudine, industria, & ad extremum perseverantia. Damvilla notæ fortitudinis Dux, qui Protestantium partibus nuper accessit, eorum religione haud imbutus Septimaniam hostiliter populatus est, Alesiam urbem Gardoni amni impositam intercepit, occisis cunctis qui resistere ausi; reliqui in arcem rejecti sunt, quæ intra paucos dies Damvillæ tradita est. Jamque Protestantes soluta Liberonis obsidione multiplici successu in Septimania, Aquitania, Neustria, & aliis Provinciis munimenta, castella, urbes perrumpunt: Mombrunius fortissimus & solertissimus Dux, & Franciscus Degierus ejus Legatus, claris facinoribus celebris, in Allobrogibus multa vi, multa per deditionem loca in potestatem redegerunt. Henricus Rex pudore temere cœptæ oppugnationis, & tot cladibus perculsus, delectum per Germaniam haberi curat, & Helvetiorum copias conscribit. Iisdem diebus Condæus Princeps promissis donisque pellicit in societatem Germanos, ejusdem religionis cultores, Duce Casimiro VII. viri filio, honoratam militiam ostentat, & hostium protritorum spolia, ut præda ad bellum incenderet. Germaniæ Principes alii Henricum Regem, alii instauratores fovent: hinc prudentiores Francorum altius conjectant, externarum gentium irruptione conflagraturam Galliam, nisi benignitate numinis averterent accita è Germania auxilia, & implacabilem morum comprimerent. Igitur resipiscere Protestantes, fidemque ac obsequium respicere, & redire in corpus nomenque Galliæ, colloquia congressusque admittere hortantur, ut in commune consulerent: inde adeunt Regem, ostendunt ferale bellum, ambiguam fortunam, certum Franciæ excidium, si tot alienigenarum millia acciret.

Ille

Ille metu periculorum lenitur: Protestantes sumpto ad deliberandum spacio, neque annuunt paci, 1575. quod Pontificii fidem rumperent, neque palam aspernantur honestas conditiones, si Condæo placerent. Interim Delegati ad Condæum in Germaniam missi, ut absisteret bello amore Reip. nevè externa arma conciret: qui reversi Regi Parisiis frequenti Senatu, adhibitis Alenconio & Navarræo, postulata Condæi exposuerunt, pacis atque otii cupidinem esse, si conscientiarum libertati, illustrium virorum securitati, & publicæ tranquillitati idoneè caveretur. Rex ad ea placidè respondit, si armis abstinerent, innoxium religionis exercitium fore: libertatis facultate necessitate expressa, intumuere Delegati superbia, postularuntque religionis suæ cultum & privatum & publicum in finibus Franciæ, munia publica Magistratuum, & legum, vectigalium, & onerum immunitates, munitissima oppida pignora securitatis, quæ salva Majestate imperii concedi non poterant: Bernhardus Fiza ab Epistolis desideria responsaque ut internunrius portabat, Elisabetha Anglorum Regina crebris literis, & per Valentinum Dalum Oratorem suum Regem de pace interpellabat. Postcà palam à Rege exagitati Delegati & increpiti, quod facta dictis non congruerent. Exin coram adire alloquique prohibiti, tritis frustra quindecim diebus, Bernhardus Fiza retulit, Regem Protestantibus octo urbes in Septimania, sex in Aquitania, duas in Allobrogibus publicæ professionis & securitatis causa concedere, licere ubique locorum in Regno liberè, & securè degere, si in pacem tenderent. Cum ne sic quidem Delegatis satisfieret, qua venerant fide dimissi sunt ad Condæum & fœderatos, ut pacta ex æquo sancirent Reip. amore, cui exitium imminebat, si bellum redintegraretur. Ad Rupellanos reversi, in publico consessu multa de laudata Regis ad pacem inclinantis voluntate præfati, de abolendo dolore iraque priorum temporum disseruerunt. Rupellani causam suam à communi dissociare noluerunt, & in communi consultantibus pax non placuit: proindè inconsulta ira omnes Protestantes arma resumpserunt contra Pontificios turbidos, infidos, sanguine parentum, aut amicorum pollutos. Per eos dies fortè captus Benius interfector Colinii, & justo Dei judicio multis ictibus confossus est: Monbrunius in valle iniqua cum Regiis congressus, & à suis in acie desertus, desperatis rebus intrepidus, dum ad evadendas angustias fossam saltu superare nititur, prolapso equo suo, onere & pondere equi super eum ruentis crus fregit, & viribus admodum casu attenuatis in hostium potestatem venit; qui obligant crus fasciis, fomenta adhibent, reficiuntque, ac in urbem Grationopolim ferunt. Rex prosperarum rerum in Allobrogibus gestarum nuntios accepit, & manifesta victoriæ fides, Dux hostium Monbrunius captus. Damvilla & fœderati per delegatos regem orarunt, ut contumeliis captivitatis jure belli eximeretur, neve pœnas capite lueret. In secreto consultatum, multi parcendum ac per eum remedia præsentium turbarum quærenda censebant; plures cupidine vindictæ ad necem ejus consentiebat. His permotus Rex, præcidi caput jussit. Deductus post hæc Monbrunius in curam Grationopolitanam, & interrogatus à Judicibus, Perduellionis damnatur. Magistratus avidi pœnæ veriti ne diutino morbo exanimaretur, maturarunt supplicium, & in conspectum populi gestamine sellæ adductus, nihil aliud locutus est, quam se non tanquam latronem, sed quod arma pro religione & libertate gessisset, ad mortem damnatum, eamque miseriarum & ærumnarum solatium exposcere. Tum pœnam subiit, & mira animi constantia cervicem securi subjecit. Nec diuturnū mortis ejus gaudium fuit: namque Diguierus successor in Præfectura Provinciæ, Ducis necem ultus est. Inter tot adversa Alenconius contemni à Matre & Fratre juvenilem suam ætatem cernens, fratris æmulationi se subducens, in Pictones processit & se Protestantium partibus adjunxit: ibi aderant Franciscus Lanovius, Ventadurius, & Henricus Turrius Turreniæ Vicecomes, juvenis ferox, ex sorore Damvillæ genitus, auxilia offerentes, & opes viresque ostentantes, si exercitum patrociniumque susciperet. Ille ambiguus gratias egit, & periculis eorum se non defuturum respondit; ita salubri temperamento bellum distulit: dein occultis ad Pontificem nuntiis suam cum Protestantibus societatem excusavit, quia id quod fecerat, necesse fuisset, nec aliter dignitati aut securitati suæ consulere potuisset, aut prohibere, ne dominarentur indigni. In tam ancipiti Regni discrimine, Regina parens Fratres æmulatione amicorum, cupidinibus, erroribus, distractos mitigare, rursusque in pristinam concordiam reducere tentat, & sæva adhuc hyeme se itineri committit: obvium Alenconium increpat, quod sui sanguinis & officii oblitus, bellum Patriæ inferret, ostendit offensiones aut reconciliatione concordiæ, aut acervis corporum & sanguine civium dijudicandas. Cum ad concordiam res adduci non posset, Alenconius in inducias semestres consensit, quarum tempore utrinque ab armis abstineretur, & alienigenæ in finibus Franciæ bellantes, in suas sedes redirent. Infirma fides reconciliationis, & hæ trahendi belli artes excogitatæ, donec è Germania auxilia concurrerent. Hoc anno Mathæus Parkerus Cantuariensis Archiepiscopus Lambethæ diem supremum clausit, ubi funeratus est: vir pius, eruditus, & munificus, qui Biblia sacra vernacula lingua illustravit, Rerum Britannicarum ac Saxonicarum veteres scriptores è tenebris eruit, & publicavit, palatium Cantuariense suo sumptu refecit, collegium corporis Christi Cantabrigiæ annuo reditu centum librarum locupletavit, studiosorum numerum auxit, & Bibliothecam Græcis ac Latinis authoribus, & maximè libris manuscriptis instruxit, ad rem literariam juvandam. Qua munificentia à studiosis universitatis Cantabrigiensis non medioctem inivit gratiam, in cujus locum suffectus est Grindallus Eboracensis Archiepiscopus.

Mortonius

1576. MOrtonius invisus, minis adversantis populi & infensæ nobilitatis non territus, in conquisitione pecuniæ obstinatus perrexit, portoria circumvectionis à publicanis cum acerbitate exegit, nec desüt fisco & vectigalibus prospicere, spreta benevolentia civium, contempta fama; undè commercium passim, ob exactiones immodicas & assiduitatem molestiarum, intermittitur. Ubi securitas rediit, ad publicas Regni curas animum convertit, Gramos ulrra Escam fluvium summovit, alios item tribules inquietos ad obsequium redegit: de limitaneis prædonibus, qui egestatem suam publico latrocinio sustentabant, ac quietis publicæ turbatoribus, quos spes prædandi, socordia atque desidia ab agricultura & industria revocabant, in cunctis Regni partibus supplicium sumpsit, pœnæ magnitudine cæteros à maleficiis compescuit, stationes militum disposuit ad limitaneorum incursiones inhibendas, ad grassaturas & latrocinia per itinera coërcenda, præsidia in locis Angliæ finitimis constituit, ne quis motus oriretur, Archibaldum Duglasium Angusiæ Comitem, Duglasiæ gentis Principem, præclaræ indolis juvenem, omnibus finitimis regionibus Legatum præfecit, qui ne longè abesset, dum Frisium usque progressus, coërcuit Anandianorum incursiones, quorundam tribulium Principes datis obsidibus jurare coëgit, mansuros se in fide & obsequio, dedentes se in fidem accepit, & res in finibus ad summam tranquillitatē reduxit: cætera qui conficerent, Delegatos reliquit, ipse ad Proregem rediit: longæ securitas pacis homines turbidos & malè quietos, partim ad dulcedinem ocii, partim ad civilia traduxit officia. Interim fidissimi amicorum, & Angusiæ Comes, cui modestum ingenium, & innata comitas, Proregi exitium manifestum, numinis iram, & ingruentia mala denuntiarunt, nisi ad plebis & universorum solatium gravia ac intoleranda tributa, necessitate civilium armorum inducta, in pace aboleret. Ille nimia fortunæ indulgentia vecors, eorum preces neglexit: vulgus aversatur, invidet nobilitas, & nunquam diu eodem vestigio stans fortuna variabilis & incerta, vultum mutat, cum ille rotam ejus non pertimesceret. Semper homines quantamcunque fœlicitatem habent, invidiam tamen sentiunt majorem! Mortonius auctus potentia, opibus, honore, objicitur invidiæ, seu fortunæ inconstantia, quæ ex summo retro volvi consuevit, seu ipsius vitio, qui moderatum imperium in superbiam & avaritiam verterat. Rumor vulgi perstrinxit, illicitas voluptates, stupra, adulteria, & omne tale flagitium exercuisse, ex luxuria avaritiam erupisse, civium locupletum bonis spe & cupidine ardenti inhiasse, Conventus Juridicos per universum Regnum avarè egisse, non jus & æquum in cognitionibus, sed magnitudinem opum spectasse, plures peculio quam sanguine eò imperitante luisse. Nolo commemorare legibus exactas pecunias, captas & imperatas: prudentioribus improbantur semper hi quæstus, qui in odia

Crimen cupiditatis. hominum incurrunt. Utcumque fama fuit, constat certè avaritiæ magis, quam iræ inservivisse, locupletissimum quemque in prædam corripuisse, delinquentium facinora non sua natura, sed opibus æstimasse, minimis offensis maximas indictas mulctas sæpè fuisse, pacem cum Angla sanctè coluisse, monetam optimi valoris excudisse, jus æquabile inter partes dixisse, pietatem & justiciam coluisse. Hæc publicæ salutis, quædam privatæ simultatis causa gessit, & magnificè rerum gestarum gloriam corrupit. Odio ac ira exarsit in omnes Hamiltonios, in sontes etiam ac innoxios, quos præter hæreditarium Duglasiorum odium, ut fatales sibi semper exhorruerat, vaticiniis admonitus fatidici Rithmici, ut ab Araniæ Comite sibi caveret, quæ dignitas in florente familia Hamiltoniorum jam diù hæserat: undè ab Hamiltoniis periculum sibi denunciari per ambages putavit, qui exilio multati, major pars in Angliam secessere. Nec tamen humanis consiliis denunciatum divinitùs periculi genus evitavit: nam criminante Jacobo Stuarto Araniæ Comite, Majestatis convictus capite luit, ut infra dicemus. Caleno Cambello Argathelio, viro nobili ac solerti ingenio pariter privatis de causis infensus, diem dicit, ad quam quod non affuerat ubi ea venit, absentem per præconem rebellem judicat. Hoc decretum iniquum Argathelius affirmat, quod nec in locum tutum diem dictam, nec cognitionem causæ ad Proregem pertinere diceret. Itaque iræ indulgens, occasionem se nactum ratus opprimendi pernitiosam atque intolerandam potentiam Mortonii, inita cum Atholiæ & Montis-Rosarum Comitibus clam exulceratis societate, valida clientum manu Regem Sterlini adit, ubi tum cum paucis erat: & graviter de Proregis injuriis queritur, non sine insectatione Dominatus ejus, & verborum contumelia. Amicis, deprecatoribusque idoneis apud Regem non caruit: pauci imbuti favore Mortonii affuere, qui objecta prædandi crimina & vitia excusare non potuerunt. Omnes qui aderant virtutes dissimulaverunt, delationes, iniquitates, varias & exquisitissimas prædandi artes, & fessam collationibus Patriam commemorarunt. Prudentiores monuerunt Proceres suaseruntque, ne publicam quietem turbarent, neve armis disceptarent, cum controversiæ colloquio componi possent. Crebrò per eos dies accusat Mortonium Argathelius ingenti livore & malignitate superbire, fiducia Magistratus quem gerebat. Rex puerili modestia respondet; neque se, neque Senatores, nisi cognita causa, injurias & querelas dijudicaturos: proindè scribit ad Proregem ambiguum inter metum & iram, ut veniret properè, dilueretque invidiam objectorum criminum, tuereturque acta in Magistratu. Ille reputans se privatum sine discrimine non fore, diu cunctans per varias moras iter trahit, multumque cum amicis consultandi causa colloquitur. Ibi pro clientum ingeniis variæ sententiæ fuerunt: alii timidè suadent, ut suæ securitatis rationem haberet, ac Magistratum ejuraret, quem diu retinere non poterat. Alii tutiora consilia probant:

dissensionem

1576.

dissensionem enim cum Argathelio esse civilem, eamque si fieri posset, honestis conditionibus esse finiendam. Hæc sententia cum pluribus placuisset, communes amici ultrò citròque missi, ut gratiam redintegrarent, qui cum Argathelio sedulo egerunt, ut ab accusando desisteret, ac in gratiam rediret: at exorari non potuit, nisi Mortonius sponte Magistratu se abdicaret. Prorex cum odium Argathelii inexpiabile intelligeret, neque per communes amicos rem transigi posse, adversus vim inimicorum se parat, reputans secum quam gravis casus esset, è summo Magistratu in vitam recidere privatam. In hoc tam turbido rerum statu Cathari, qui innovationi studebant, cum vilescere Proregis authoritatem indies viderent, dicta, facta, consilia ejus publicè insectantur, quod Archiepiscopis Glascuæ, & Fani Andreæ interdixerit, ne Synodorum decretis obtemperarent, cui consilio summa ope obstitere Ministri, avaritiam, libidinem, luxum ejus in concionibus exagitantes, quæ audientibus gratissima fuerunt: unde secuta est alienatio multitudinis, ac Procerum, quorum multos in regimine offenderat. Apud eum soli remanserunt Angusiæ Comes, propinquitate sanguinis junctus, Duglasiæ gentis Primores, & Carmichellus cum satellitibus armatis, qui Proregem ad fortiter capessendam Rempublicam, Ecclesiam constituendam, dignitatem conservandam, suam potentiam retinendam hortabatur, & rem ad arma deduci studebat, multis verbis superbiam & arrogantiam Argathelii detestatus, cujus maximè opera fieret, ut quies in Regno constitui non posset, nisi Mortonius invidioso Proregis titulo abstineret. Ille sententiam Carmichelli secuturum se omninò negavit, ne qua esset armorum causa, ostenditque se innocentia suâ, non dignitate Magistratus, à criminibus tutum fore, & magnoperè indoluit, Dignitatem ac Authoritatem suam conviciis Prædicatorum infringi, qui in concionibus Synodisque tum plurimum pollebant, cum se Religionis, ac Ecclesiastici Ordinis acerrimum vindicem præstiterit, & in id omni ope incubuerit, ut in Religione constituenda veteris Ecclesiæ vestigiis insistatur, Præsules pietate ac doctrina præstantes præficiantur, Dei verbum per Ministros idoneos doceatur, concordia in Ecclesia sanciatur. His de causis in Scotia agebantur omnia turbidè.

Novatus anno Christi 250.
παϑ̓ώμενος.
1. puri sine omni peccato.

Eodem tempore in Anglia quies, & Alenconius flagrantiori indies amore Reginam in matrimonium ducere cupit, & illecebris blandis ac muneribus, per Motam-Fenelonum & Portam, homines idoneos alliciendis fœminarum animis, in amorem sui acrius accendit, fremente Leicestrio, & seriò obnitente, ne per luxum irreperet. Elisabetha intempestivum desiderium arguit inter curas militares, temporum turbas, & Procerum certamina, cohibetque Adolescentis cupidines. Controversia quoque per id tempus exorta est inter Batavos, Mattiacos, & Anglos, ob commeatum hostibus subvectum, & vecturam Bæticarum mercium, quas Angli velaverant, præbuerantque fucatum nomen. Vlissingæ audaciæ initium ortum impetu multitudinis, sine justis & necessariis causis, & in urbe homines maritima, vectura vivere assueti, quia damnum vecturæ pati nequiverant, per mare vagi cum grege prædonum, in adversam oram litoris Britannici transmisere, & Anglos honestè rem facientes, inconsulta temeritate spoliarunt, quorum auxilio ea tempestate egebant ad tuendam libertatem. Angli, pleno prædonibus mari, opem Reginæ implorant: ab Illa, cum cerneret metu coërcendos, quos fides non tenuisset, ad præsidiũ civium, & tutelam pelagi, adversus prædones maritimos latè volitantes, missus ilico Holstocus, Regiæ classis Censor, cum citis navibus & aptis, ut huc vel illuc appellerent in terrorem, qui aqua & fune flagitia prædonum ultus est. Ducentos captivos in custodias per oram maritimam divisit, & mare infestum piratis prædonibusque repurgavit: ut conspecti Angli bellatores plenissimis velis navigantes, Mattiaci verò, capitibus suis extrema metuentes, retrò in portus concesserint. Ipse Holstocus cum maxima classis parte rediit, relictis aliquot navibus in locis maritimis, ad coërcendas incursiones. Mattiaci supplices à Regina per Delegatos petivere, ut ad se Legatos, litium componendarum causa, mitteret, cum quibus in commune consulerent: missique Gulielmus Winterus Equestris Ordinis, & Robertus Bealus Privati Consilii Amanuensis, & multi mercatores Magnæ & Copiosæ Societatis, merces undique apportantis, ad bona sua repetenda. Ibi Judicio lites damni justè æstimatæ, & res ablatæ pactis conditionibus redditæ, quæ conditiones brevi vanæ evasere, Anglorum mercatorum nimia cupiditate, & Mattiacorum superbia: sed cum major damni, quam emolumenti spes, ex immodicis contentionibus, hominibus emendi aut vendendi quæstu lucrum captantibus, affulgeret, ultrò in gratiam & commercium redierunt. Batavi Mattiacique intestino attriti bello, nec mari nec terra ea tempestate potentes, favore numinis, aut fato, potentia terris exacti, & paludibus septi, mari pollere cœperunt, & præter cætera necessaria usui, mercaturis faciendis, industria frugalitateque ad majores opes pervenerunt, quam cum foris pax & domi concordia civium esset, licet duplex vectigal penderent in subsidium belli, postquam descivissent. Nec finis reconciliationis hic stetit: nam cum Anglici mercatores occasione discordiæ ob pyraticas incursiones in maritimam Lusitaniæ oram portibus litoribusque Portugalliæ ac Algarbiæ, & quæstuosissima aromatum gemmarumque, ac margaritarum mercatura arcerentur, pace in præsens composita, voce Præconis edictum Londini æquissimum propositum est, ut Angli Lusitanique cum mercibus & oneribus ultro citroque commearent utilitatum suarum causa. Angli hac tempestate cæteros Europæos (si Lusitanos exciperes) divitiis superarunt: quippe in Eoa India

Res Anglica.

Lusitanorum

1576. Lusitanorum opes ingentes fuere, & plerique eorum locum sibi cum domicilio delegere, atque Indicarum rerum domesticum mercatum Ulyssipponæ instituere, sublata inter eos discordia. Iisdem diebus mercatores Londinenses locupletiores, cognita opulentia Orientis per merces & negotiatores, præclaro conatu per fretum horridi & ignoti maris in Septentrionali Americæ parte, navigabilia inter se Occidentis Orientisque litora facere tentant, ut Occiduas Eoasque opes magnis invicem usibus miscerent. Martinus Forbisherus rei navalis peritus Dux, nihil arduum credens, hoc magnum & memorabile facinus perpetrandum suscepit: cives hortantur privatim, adjuvant publice, pro facultatibus quisque, fabricant naves angusta puppi proraque velis habiles. Properatis navibus, quæ expeditioni sufficere visæ, provisoque commeatu ac tormentis, ipse admirabili virtute & industria primo vere Barwico solvens, hac atque illac diu raptus, tribus navibus mense Sextili in sinum pervenit, sub latitudine sexaginta trium graduum, sed infinito suscepto labore, ob magnitudinem frigoris, & glaciei conglomerationem, penetrare non potuit, obstititque Oceanus in se simul, & secreta sua inquiri. Hæc expeditio novas gentes aperuit, & homines feros, capillo nigro, fronte lata, colore subfusco, phocarum aut ferarum pellibus indutos, herbis & crudis piscibus vescentes, nullas autem auri argentive reconditas venas. Mox tentavit majore fiducia, sed pari successu: quippe continuæ & immodicæ tempestates ab incepto deterruerunt.

Res Hibernica. Per idem tempus in Hibernia Comitis Clan-Richardi liberi, nuper venia & incolumitate donati, pace & otio lascivientes, nefaria perditorum hominum colluvie circumdati, Conacthiam per latrocinia, raptus, & omnem crudelitatem vexarunt, Athenriam, quam incolæ, in mores Anglorum paulatim abeuntes, reficiebant ornabantque, facibus incenderunt, opifices, artificesque & Curatores operum occiderunt, implacabili odio adversus incolas, qui feros mores exuentes, quieti, legibus, & humanitati assuescere cœperunt. Quæ ubi relata Sidneio Proregi, ira cladis accensus adversus Comitis filios, deditos benignéque exceptos, raptim copias educit: illi statim fœda fuga dispersi in latebras, sylvas, aut paludes se receperunt; nec Prorex cedentes in solitudines, & tegentes se latebris, secutus est, sed exercitum reduxit, & Clan-Richardi Comitem, juvenum patrem, quasi defectionis conscium, in arcem Dubliniæ cum præsidio misit. Post discessum, Proregis filii, præter insitam animis violentiam, patris injuria irritati, magna cum propinquorum & clientum manu repentè latebris erumpunt, & circumveniunt castellum Balla-Reogh, tutum præsidio militum, quibus Thomas Strangius Præfectus præerat, qui rebelles frustrà, vel cum damno tentantes munitiones, obsidione decedere coëgit. Hac spe dejecti, concíverunt non modo Hibernos turbidos, sed & Scotos Insulanos adjacentes populos consociaverunt, & Mac-Williami junioris villas, arva, vicos vastarunt, & everterunt. Reversus Prorex, in avia iterum avertit, dimittitque in omnes partes equites peditesque, spe consequendi fugientes: equites locis uligine profundis, & lubricis, infinito labore suscepto persequi cessaverunt; pedites onusti armis & loricis, sylvis horridis occultantes se, eruere non potuerunt, satisque habuerunt lucis coërcere. Interim Gulielmus Drurius, Berwici Mareschallus supra memoratus, nunc impositus Momoniæ Præfectus, huc illuc ferens arma, homines obsequii rudes ad humanitatem & legum reverentiam deduxit, & universam Provinciam ad obsequium redegit, præter Kerriam Chersonessum, vetus Desmoniæ Comitum patrimonium, multis immunitatibus & privilegiis donatum. Eò turba flagitiosorum & perditorum, item latronum, sicariorum, atque proditorum horrenda colluvies, quasi in perniciosam Reip: sentinam confluxerat, cumque homines flagitiosissimi indies abuterentur licentia loci, ad perniciem bonorum, Præfectus, qui datam immunitatem existimavit ad inopum tutelam, non ad furum, prædonum, & sicariorum receptaculum, spreta immunitate loci, & auctoritate Comitis, Kerriam hostiliter ingressus, collocatas in insidiis à Desmonio cohortes prospero prælio cohibet, proditores, latrones, & transfugas arboribus suspendit, necessitatibus militum subvenit, certo armentorum & pecorum numero: per Centuriones Præfectosque, exigit viritim à singulis annonam, ad alendam Præsidis familiam, & præsidiarios milites, utiliter in præsens, exitiose in futurum. Mos fuit cæteris Provinciis pro modo agrorum, ultrò & viritim conferre in publicum frumentum, qui Kerriæ incolis, arma & viros ministrantibus, incognitus. Desmonius fretus paternis & avitis libertatibus, nova & insolita conqueritur onera imperata, pluribus modis infracta privilegia, Comitibus Desmoniæ posterisque publicis Regum Angliæ literis concessa: Prorex respondit, patienda Præfectorum imperia, monuitque ut respiceret onera sociorum, quibus graviora tributa quotidiè indicerentur, ad salutem & incolumitatem Regni Hibernici. Negavit Desmonius esse in eadem causa cæteras Provincias, Kerriam tributi expertem, à Regibus Angliæ immunitatem istam peculiari jure & merito consecutam. Multa in Hibernia acerba passim onera jussu Præsidentium; hinc accensi quoque Primores, Lageniæ Vicecomes, Baltinglassus, Delvinius, Hothius, Tremlestonius Barones, abnuerunt collationes, nisi Comitiis imponerentur, miseruntque in Angliam Delegatos, qui commemorarent injurias Provinciis allatas, eripi pecora, injungi immensa onera ad arbitrium Præfectorum. Regina desideria Hibernorum ad Senatum rejecit; & Delegati ad perferenda mandata Procerum, apud Senatum postulata edidere. Consiliariis penitus infixum erat,

jus

jus Imperii & jubendi potestatem legibus solutam (Prærogativam Regiam vocant) sartam tectam tueri, Præsidum dura imperia, & militum flagitia tolerare. Igitur postulatis Delegatorum adversantur, & ipsos in custodiam conjiciunt, Proceres Delegantes claudi carcere jubent. Regina tamen temperamentum in exactionibus adhibendum censuit, & permulcendos comitate accensos Procerum animos; sed Burghleius Quæstor, ætate & rerum usu cæteris præstans monuit, asperioribus remediis utendum, & injiciendum Regulis metum, flectendosque ad modestiam terrore carceris & minis. Hæc causa discordiæ, & initium. Desmonius cognita Delegatorum custodia, & discrimine suo, novare res cœpit, & Vicecomes Baltinglassus ejus conatus aluit, atque adversus libertatum ereptores, miscuere sese plures, ut flagitia militum, & sævitiam Præsidum ulciscerentur. Inter hæc Walterus Devereus Essexiæ Comes, cui opes, nobilitas, comitas, mansuetudo, specie honoris in Hiberniam rursus cum inani Comitis Mareschalli titulo, Leicestrii artibus ablegatus; ubi cum sine solatio ageret, adversa valitudine correptus, tabe & dysenteria, in robore ætatis, præmaturo exitu extinctus est, ingenti luctu Hiberniæ, & majore Angliæ, quem augebat opinio veneni, fraude Leicestrii poculo infusi, ut vulgatum temerè erat, adeòque suspecta mors fuit charitate vulgi, ut Pocillator custoditus sit, quasi venenum poculo infudisset, sed nulla in corpore signa sumpti exitii reperta. Ita innoxius Comes, etsi non veneno interceptus, tamen acerbissimis Leicestrii contumeliis dilaceratus, & insidiis circumventus vitam finivit, ejus scelus incusans. Suspitionem vulgi Leicestrius auxit festinatis nuptiis; quippe post paucos dies stimulante libidine, Essexii viduam sibi matrimonio conjunxit. 1576.

Hoc anno in Belgio, sublato Rectore, seditio militaris acrius exarsit, inopia stipendii, & licentia turbarum. Joannes Austriacus Philippi ex pellice frater, adhibito delectu statim Belgio præpositus est. Iberi milites impetu, avaritia, & spoliandi cupidine incensi, antequam adventaret, vastitatem Belgii, direptiones civitatum minaciter loquebantur: mox minæ hostiles in Alostum Flandriæ oppidum versæ, quod impetu improviso captum, & direptum est. Cædis & prædarum ibi initium; omnia deinde arbitrio militum acta, qui nec Centurionibus, nec Tribunis obsequebantur, sed vagi, circumjectos vicos vastationibus & incendiis populabantur. Tribuni Præfectique precibus, consilio, obtestationibus nihil reliqui faciunt, quo ad reverentiam & obsequium permoverent. Comes Mansfeldius, cui præcipua apud militem auctoritas, ingressus castra, in tanta rerum omnium confusione præfatus est, indignum esse tot bellorum victores furore & rabie insanire, obsequium exuere, & raptis repente armis ad excidium innoxiæ urbis, ob prædam discurrere: sed precibus Comitis mitigari non potuerunt. Intumescente motu Proceres & Senatores Bruxellani, penes quos vis imperii, consilium ab audacia mutuantur, turbidos, rebelles judicant, & Provinciales arma capere jubent ad Belgii tutelam, & seditiosorum vindictam. Interposita Senatus authoritate, militum & armorum paratu strepunt Provinciæ, Brabantini agunt delectus, peditum equitumque copias conscribunt, Gulielmum Hesium Hornium, ex nobilissima Hornana familia, Bruxellis præficiunt; simulque urbis Bruxellensis validæ civitates exemplum secutæ, & Provinciales Atrebates Flandrique, seditiosorum metu in arma trusi, ad Philippi causam, libertatemque defendendam. Consilium de summa Rerum Bruxellæ habitum; ubi, fremente plebe, Hieronymus Roda presbyter sordidus Sanguinariæ Inquisitionis Assessor, in Senatum à Requesenio lectus, privata Reipublicæ vulnera aluisse accusatur, Alfonsus Verga, & Julianus Romerus præcipui Tribuni, suspecti consilia seditiosorum fovisse simulatione, qui custodiæ specie in Palatium inclusi, præsenti exitio & sævitiæ plebis subtracti sunt. Mox acciti Roda, Tribuni Varga & Romerus, ac Centuriones bonis artibus militibus grati, & ad Sanchium Avilam, qui secessione facta studia militum allexerat, à Senatu Ordinum mittuntur, ut promissis stipendiis & præmiis, favorem militum quærerent, & indomitos animos mitigarent precibus, auctoritate, consilio, qui apud Willebroecam Sanchium Avilam cum Germanorum Tribunis obvium habuerunt. Ubi Delegati pauci spem & privatam gratiam offerunt, plures rabiem intendunt; & quidam Delegati à Senatu missi de communibus commodis, miscent se duces seditiosis, & redintegrant acrius tumultum. Alfonsus Varga, & Rodæ & Avilæ consilio, dispersas equestres copias congregat in unum locum, Julianus Romerus peditum curam sumit, & tumultuantes Legiones ex urbibus evocat: hinc Hesius Præfectus Bruxellanæ urbis iratus & offensus, universum Senatum in Palatio adoritur, Mansfeldium & Barlemontium Comites, Viglium Præsidem, duos Iberos ab Epistolis, fautores turbarum ducit in carcerem, & contumeliis insectatur, conterminas Provincias Atrebatum & Flandriæ in commilitium adsciscit. Concitus per hæc Avila queritur, non Senatum ab iis violari, sed Proregem Austriacum, & Philippum Regem sperni: parat ultionem, adornat naves, contrahit turbidos, evocat quietos Tribunos Præfectosque, trahit in partes Ferdinandum Toletanum, veteri apud milites authoritate, & Germanos auxiliares. Responsum est querelis ab Hesio, nihil decreto publico de comprehendendis suspectis Consiliariis in Romanæ religionis, vel Regiæ Majestatis præjudicium

Res Externæ.

1576. factum, cui major reverentia apud fidos subditos, quam turbidos milites, qui Tribunos & Centuriones exegissent. Interim Anglorum Regina per literas, & per D. Wilsonum Oratorem suum, Fœderatos & Hispanos hortatur ut armis abstinerent, utque Senatores carceri eximerent. Iberi nec terrore, nec promissis dimoventur: Bruxellani Proceres invidiam recentis facti veriti, aut anxii ne parata ultio cum tota belli mole ingrueret, consiliarios captos jam & comprehensos, pœnitentia ducti, vel metu dimittunt, Batavos cum auxilia pollicerentur adversus vim Iberorum, in societatem armorum adsciscunt. Iberi tumultuantes opprimi poterant, si hinc Belgæ, indè Batavi medios clausissent. Seditiosi in direptiones urbium erupere, & Alosti triste excidium, atrocioribus populi Belgici cladibus obliterarunt; Trajectum ad Mosam cædibus & incendiis perpopulati sunt, imbuerunt præda & sanguine manus, destinaruntque prædandi consuetudine excidio primarias Belgii civitates, & in his ditem urbem Regiam Antverpiam, opulentissimum totius Europæ emporium: exciti nuntiis à Roda, qui hostiles spiritus induerat, & Sancio Davila qui Antverpianæ arci præerat (ut supra memoravimus) Hispani & Germani ad spem prædæ & rapinarum. Adversus imminentis excidii minas Perenottus Campiniacus Præfectus, Eberšteinius Comes cum sedecim Germanorum cohortibus, & Marchio Haureus cum Belgicis equitum peditumque copiis, à Senatu Ordinum subsidio Antverpiam missi, vallum murosque firmant, donec è proximis Batavorum Provinciis auxilia accurrerent, propugnaculum adversus Iberos in arce agentes extruunt, ne seditiosi per arcem irruerent. Iberi præsidium agitantes, milites urbanos in opere & in aggere, tormentorum ictibus obruunt, subita eruptione turbant. Interim seditiosi additis Germanorum auxiliis, rapido agmine urbi appropinquant; discriminis quam moræ patientiores, cædes & vulnera prædæ cupiditate spernentes, invadendos discordes ac trepidos præsidiarios, & occupandam urbem statuunt, & in conspectu civitatis constituunt signa. Walonum lectæ cohortes, cuncta è muris cernentes, formidine stationes deserunt. Campiniacus turbidis rebus intrepidus, increpat pavorem fugientium, & Vexillarium cohortis manu retrahit; sed constantia formidinem & fugam sistere non potuit. Iberi trepidatione præsidiariorum conspecta, incompositi fessique, signo inter se dato, clamore & impetu vallum murosque transcendunt, & per quatuor celeberrimos urbis vicos irrumpunt, obvios ferro invadunt, resistentes obtruncant, rapiunt, inferuntque flammas amœnissimis urbis ædificiis, ut damno rerum suarum cives se dederent. Passim clamor, sanguis, vulnera, planctus, & acerrimum in foro certamen. Germani sacramenti memores, & Dux Eberšteinius strenue se gessere, Campiniacus Præfectus cum paucis militibus eodem incubuit, & ferocia verborum milites incendit: cives tectis superstantes, tignis, tegulis & facibus Iberos turbant. Illi ira accensi, faces in proximas domos jaculati sunt, & Basilicam cremavere: tum languere paulatim Germanorum animi cœpere, & fere omnes hostium manibus ceciderunt, pauci se è vallo in fossam præcipitavere, cives armati periculo & discrimine obstupefacti, latebris se occultavere. Primores Duces ubi vinci suos viderunt, ambigui manere & deprehendi, an fugere per ignota loca periculosius esset, mare tutius quam latebras urbis rati, in appulsas Aurasionensis naves ruunt, & inter tumultum evadunt. Eberšteinius fortissimus, in ipso discrimine propè circumventus, scaphæ insilit, sed lapsantibus pedibus, armorum onere aquis haustus est. Iberi disjectis qui resisterent, captam urbem proclamant, discurrunt furentes fatali rabie ad cædem magis quam ad pugnam, sternunt inermes, armatosque spoliant, verberant, vulnerant, Walones abditos in domibus scrutantur & trucidant. Cæsis septem millibus civium & militum, satiati sanguine spolia consectantur: pretiosissimas merces aspernantur, loca abdita & clausa effringunt, per cruciatus tormentaque dominos interrogant, ubi occulerent aurum & opes. Atrocissimum quodque facinus, & quicquid in acerbissima captivitate scelerum patrant, ac calamitatibus civium explentes avaritiam & sævitiam, Anglorum quoque mercatorum bona diripiunt. Inter alia crudelia & fœda, invalidi senes verberibus, & tormentis exanimati; innoxii pueri quoque rapti ex amplexu matrum, in conspectu parentum torti: multi semianimes, inter cruciatus & ejulatus relicti expiravere. Per triduum capitur urbs, per triduum diripitur, nec finis aut satietas injuriarum, donec opes civium in sinu militum essent. Mœsta ac deformis urbe tota facies, cuncta passim mulierum puerorumque ploratibus sonant, flent matronæ & adultæ virgines, ejulantque. Horret animus referre singula, quæ perpessi sunt, communiter nihil scelerum prætermissum: sed flagrantior avaritiæ quam libidinis affectus, quia Germani insita prædandi cupidine ad avaritiam, quam libidinem procliviores, & Iberi ad excidium Antverpiensium incubuere, nec minorem metum Gandavensibus intulere. Crudelissimi atque importunissimi direptores miserorum civium, injuriis lassati magis, quam satiari, per reliquos dies forum aleatorium calfecerunt: gregarii effusè in lusu liberales, perdiderunt mille nummos aureos, quidam etiam ad x CIↃ; unde magnitudo nefandæ prædæ conjectari potest, quam minorem militibus effecerat equitatus Ordinum itinera obsidens; proinde merces quæ asportari non poterant, civibus non ita magno vendiderunt. Crebrescente rumore excidii Belgii, Ordines gravem & immeritum casum opulentissimæ civitatis, & tam atroces atque indignas injurias miserantur, Ordinum comitia totius Belgii Gandavi habere incipiunt, ut in secessione militum de se & communi salute seriò cogitarent,

cogitarent, adhibentque præter Senatum Regium & Proceres, Batavorum Delegatos, ut domesticis malis remedium quærerent sine studiis dissensionum, odiis atque dissidiis funditus eversis. 1576. Concordia facillimè coaluit, ut Hispani tumultuantes, eorumque fautores, perduelles publico diplomate denunciarentur, atque Bætica servitutis jugum cervicibus excuteretur: sed Belgii Ordines erga Philippum Principem, veterem observantiam & fidem retinuerunt, neque adduci potuerunt, ut aliquid facerent contra Philippi authoritatem ob paucorum militum culpam. Batavi contra libertatis memores, saluti ac tranquillitati Provinciarum consuluerunt adversus Philippi dominationem, atque arma militum, postularuntque ut arces, propugnacula, & munimenta servitii diruerent: Iberos omnes sanguine civium oblitos, quorum superbia ac avaritia bellum in Belgio tam diu alatur, & alienigenas per Belgium dispersos trucidarent, aut finibus expellerent, vectigalia & onera imposita plebi allevarent, & in publicum ærarium conferrent in subsidium libertatis. Belgæ, sumpto ad deliberandum spatio, in hunc modum Batavis respondent: libertatis impetum avidius quam consultius sumptum, modumque adhibendum; honestius Philippi legitimum imperium tolerari, quam externum servirium acciri: munimenta & muros civitatum augere quem diruere, manente adhuc intestino bello, tutius esse, nec minora tributa fore imperitante plebe, quam regnante justo & moderato Principe, suadentque in obsequio cum securitate manere, & cavere, ne pertinacia perniciem ultro provocarent, & ferale bellum resumerent. Hæc magnis utrinque contentionibus & altercationibus jactata: vicit pars, quæ Principis honorem & obsequium respiciebat, cum libertate populi & gubernatione Senatus. Tandem pepigere ut amicitia societasque in æternùm inter Provincias rata esset his legibus: ut præteritarum cladium oblivionem sancirent, captivos sine pretio dimitterent, conjunctis viribus Hispanos, communes hostes, & alienigenas, in Provinciis militantes, finibus ejicerent, Albani sanguinaria edicta de sectariis, & acerbissimam Inquisitionem abolerent, Aurasionensis Præfecturam maris obtineret, Hollandiæ & Zelandiæ Philippi nomine præsideret, Belgæ alias Provincias pari auctoritate regerent, reditus Batavorum, Mattiacorumque occasione rebellionis in fiscum versi, dominis cederent, sententiæ in Fœderatos tam religionis quam armorum causa latæ rescinderentur, relegati, & sententiam passi, in integrum restituerentur, pulsis Iberis congregarentur Ordines Belgii, decernereturque de religione Batavorum, præsidiis, arcibus, machinis, & navibus Regijs per bella captis. Ea pacta publicata, æquisque animis accepta: inde promiscuis Belgarum & Batavorum viribus pelli è Belgio servitus cœpta, Gandavi & Valencenæ arces per deditionem acceptæ, data potestate præsidiariis Iberis in extrema Galliarum digrediendi, urbes Teneramunda, & Cameracum in potestatem Ordinum redactæ, & Germani præsidium agentes, in suas civitates remissi. Batavi perfosso Scaldis aggere, quia flumine Iberi potiebantur, Bruxellas navigant, tumultuariis Belgarum cohortibus & suismet viribus libertatem tuentur, Iberos vetere odio exitio Belgii imminentes, si destinata ex sententia successissent, ferro famesque clausos pluribus locis tenent, simul transitus fluminum præsidiis occupant. Hic rerum Belgicarum status fuit, cum Joannes Austriacus Luxenburgum venit, à Fratre delectus ad capessendum Belgii imperium, morte Requesenii vacuum, & seditionibus militum fessum, ubi exceptus est singulari honore atque amore. Antequam propinquaret, Ordines nuntios cum postulatis & querelis misere: ille literis ad Senatum Ordinum testatus est, indomitum militem ducibus infensum, eorum immodestiam, & miserandum casum Antverpiensium sibi summopere dolori esse, eoque consilio à Philippo missum ut Belgium pacaret, & coërcitâ militum licentiâ, pristinam libertatem Provinciis restitueret. Etsi studii ac benevolentiæ spem adversus lasciviam militum Senatui præbuit, tamen non falsò suspectus fuit bellum quam pacem malle, & in auxilium Iberorum se accingere, quia conduxit Germanorum numerum, nec auctores seditionis, nec milites furore & rabie contactos, pœna affecit, aut ad modestiam flexit, pudore flagitii, & exprobratione scelerum. Fama percrebuit Hieronymum Rodam sanguinarium Sacrificulum, antequam in Hispaniam regrederetur, occulta præcepta Austriaco dedisse, ut blando sermone popularium animos demulceret, populum Belgicum continua bellorum serie attereret. Austriacus quia speculabundus Luxenburgi substiterat comitatu gravi & non inermi, majorem diffidentiæ causam præbuit, & suspicionem morâ auxit. Interim commeavere nuntii inter Belgii Ordines Aurasionensemque Præfectum Batavorum, qui nobilitate, opibus, prudentia, & longo rerum usu cæteris antecellebat: is monuit Belgas, ut memores Gandavensis fœderis, saluti, incolumitatique suæ, & securitati publicæ consulerent, respicerent clades sociorum, injurias, raptus, & cætera servitutis mala: irent ultores Antverpiensis excidii, consilia potius cum concivibus suis, quam cum peregrinis communicarent, ne decoris & obsequii speciosa nomina pavescerent, se prosperarum adversarumque rerum socium fore, hanc unicam pacis in Belgio constituendæ rationem esse. His & pluribus in eandem sententiam perpulit Belgas, belli damnosi pertæsos, ut obsequium abnuerent, & Protestantibus se conjungerent, nisi Hispani & externi omnes milites extra Belgium amandarentur, Privilegia & immunitates restituerentur. Austriacus tumultus Batavici specie accire auxilia, & retinere Bæticas legiones inturbidas nititur. Aurasionensis mox occultis nuntiis pellicit Britannica & Gallica auxilia ad

1576. arcendum impetum hostilem si ingrueret, & Francorum societatem omni diligentia affectavit. Regina Elisabetha verita, ne Belgæ omnium rerum desperatione incitati, se & fortunas suas Francis permitterent, à desperatione ad spem revocavit, & pecunia eos juvit, ut servitutis jugum cervicibus depellerent. In hoc statu rerum Austriacus, antequam Bruxellas veniret, Delegatos ad Senatum Ordinum misit, petiitque de securitate sibi danda, & obedientia Philippo præstanda, obsidibus datis idoneè caveri; quam postulationem Ordines iniquam judicarunt, & obsides petenti non dedere, verum se ea facturos, quæ imperaverit responderunt, ac ibi futuros ubi conveniendi locum præscripserit. In his angustiis Aurasionensem literis consulunt, qui Middelburgo rescribit, cognitum repertumque sibi alieno esse animo in Belgium Austriacum, & exquisita dissimulatione propositum tegere; nullum proinde cum illo pactum placere, nisi Iberi & externi milites dimittantur, quod Philippus sæpè erat pollicitus; fore eo facto liberum ac sui juris Belgium: hortaturque Ordines, ut incolumitati publicæ, civium saluti, universorum libertati consulant, periculi præsentis rationem habeant, his levissimis postulatis fortiter atque audacter insistant. Hæc monita animos popularium, jam per se alienatos, non parum commoverunt. Austriacus interea tantum itineris faciebat, quantum satis esse ad statum rerum præsentium cognoscendum existimabat; nec Ordines cessabant, si qua ratione cum illo transigere possent, ut Hispanos dimitteret, ac fœderi Gandavensi subscriberet: ille vicissim agebat, de securitate sibi danda, ac obsequio Philippo præstando, cum exercitum deducturus esset. Nihilominus illud propositum habebat, continere in Regis obsequio Provincias cædibus exhaustas, miseriis ac direptionibus defessas, & Octavium Gonzagam & Escovedum ab Epistolis Antverpiam, Trajectum, & Liram mittebat, ut cum Hispanis de discessu simulatè agerent. Per idem tempus ab Elisabetha Eduardus Horseius Vectis insulæ Præfectus ad Austriacum missus, ut adventum in Belgium congratularetur, & operam offerret adversus dominationem Gallorum, nobilitati plebique juxta perniciosam, si in Belgium irrumperent, oravitque Belgas, ne remedium morbo gravius adhiberent, neu debitum obsequium abnuerent. Exceptus est Legati adventus ab Ordinibus incredibili honore atque amore. In Francia non minus turbidæ res fuere: Condæus & Joannes Casimirus cum Germanico exercitu in Galliam descendunt, trahunt in partes Bernates Helvetios, ejusdem religionis cultores, armis virisque claros, Belgas quoque in commilitium adsciscunt, Franciamque metiri sub signis incipiunt. Rex circumstante undique repentino tumultu, crebris literis Condæum monuit, pro sua dignitate debere privatum dolorem suum Reipublicæ remittere, hortatusque est ne Patriam interne simul, externeque ureret: Respondit Condæus nullum sibi bellum adversus Regem aut Patriam vita chariorem, pacis atque otii cupidum esse, si publicæ tranquillitatis hostes non obsisterent: si armati occurrerent, ferro viam inventurum. Inde per Bassiniacum agrum in Lingones flexit, ubi cum urbem præterveheretur, majoribus tormentis conflictatus est, Nuisiumque tendens, metatores eò progressi ut hospitia designarent, urbanæ plebis petulantibus jurgiis excepti, urbe exclusi sunt: unde ira Germanici exercitus in eversionem urbis & inops vulgus erupit, nec Condæi ducis auctoritate restingui potuit iracundia cohortium, donec direptione urbis Germani mitigarentur. Inter hæc Navarrus Pontificiis, memoria cladis Parisiensis infensus, specie venandi urbe Regia egressus, suadente Gulielmo Altamerio ex aulica custodia se in libertatem vindicavit, & per dispositos equos in Vasconiam evolavit, ad instigandos in arma Vascones. Hæc fuga super cætera tristem Regem fecit, quod Regium quoque nomen Protestantium partibus honesta specie prætenderetur. Lento deinde agmine Condæus & Casimirus, transmisso Ligeri ad Elaverem perveniunt, ibique castra præmuniunt. Rex interea luxu aulæ atque desidia torpescens, Carolum Lotharingum Meduanæ Ducem Guisii Fratrem iis opponit, equitibus cataphractis attributis, qui Germanos transitu Elaveris fluminis vi arcere frustra tentat, & copiis impar, infestum iter eorum per occasiones facit. Posteà per fines Arvernorum ductus minaciter exercitus, Arverni vastitatem & direptiones veriti, Germanos pecunia mitigarunt, & gratuitos insuper commeatus præbuerunt. Accessere partibus Alenconius & Momorantius, Damvilla Septimaniæ Rector, nec in Protestantium copiis mora quo minus repente jungerentur. Ubi Alenconius magno comitatu summorũ Procerum in conspectu erat, per officium obvius fuit Condæus, & equitum turmæ insignibus fulgentes, ingens exercitus, plures Duces; unde discordia sperabatur. Sed quia militaris disciplinæ ratio constare non potuit, nisi imperium uni redderetur, Alenconius à Condæo, Casimiro, & universo exercitu Imperator incredibili honore salutatur, & solennibus epulis excipitur. Is equo insidens perlustrat triginta armatorum millia, & quid sit agendum cum Primoribus consultat; qui, certantes sententiis, plures censuetunt, permulcendum comitate Regem, & perferenda desideria Procerum per homines idoneos, non per vim & turbas. Igitur placuit ut supplex libellus nomine Protestantium scriberetur, quo postulata eorum, superiore anno proposita, comprehenderentur. Flagitavit Alenconius stipendia Germanis militibus, mercede conductis à Condæo, persolvi: sibi fœcundissimas provincias Apennagii nomine cum cataphractis equitibus ut tuerentur, assignari: Condæo Picardiæ Præfecturam, & Peronam oppidum dari. Navarrus partium fortunam in Aquitania speculans, & sua commoda respiciens, ac Regni Navarræ avita jura, petiit auri pondus ingens, & militem ad Regnum Navarræ repetendum dari, Magistratus honoresque

honoresque

honoresque majoribus indultos. Ventadurius ex Damvillæ sorore genitus, per Delegatos postulata ferociter edidit, quæ salva Majestate concedi non poterant. Responsum est à Rege Delegatis, acturum se apud Senatum de postulatis eorum; re deliberata, missurum Reginam Matrem, ut publicè quæ ex usu essent coram ageret, controversias tolleret, atque Galliam armorum metu liberaret, concederetque Alenconio filio & amicis ejus, quæ salva dignitate tribui possent. Igitur Regina cum Francisco Momorantio Magistro Equitum, nuper custodia liberato, & immenso comitatu magnorum virorum nobilissimarumque fœminarum, Lupara digreditur, in castra pergit ad Fratrum concordiam conciliandam, Belliloci juxta Lochias in Turonibus cum filio colloquitur, & de studio Regis in Fratre excolendo ornandoque, multa verba facit, hortaturque, ne concupisceret Franciam perdere, & Fratris fortunam, domusque suæ, invidia & æmulatione everteret, nec precibus pollicitationibusve parcit, filiumque facilem in paciscendo reddit. Alenconio pacis & quietis causa, in hæreditariæ portionis supplementum Bituriges, Turones, & Andes attributi, haud diuturni dominatus futuri. Eadem fere Magister Equitum cum Condæo agit, mandata Regis renunciat, demonstratque Regem sibi commemorasse, præfecturam Picardiæ ei destinatam, & fidem dedisse facturum, quæ polliceretur. Ille Picardiæ præfectura placatus, Casimirus in singulos annos annua pensione ingenti, & stipendiis militum: Protestantes libera instauratæ religionis professione per totum Regnum, Magistratibus, Præfecturis, Procurationibus promissis, in cogitationem pacis universæ versi. Navarræ Regis postulata, dignitatis commodive causa, pari facilitate concessa: convenit, ut fides promissorum sanctè servaretur, ac jurejurando sanciretur, promulgato pacis edicto. Casimirus nulla re memorabili gesta, exercitum in Germaniam reduxit, Alenconius Andinus salutatus, auctusque magno dominatu, in Bituriges concessit, Condæus qui longè plurimum in communem causam contulerat, in Picardiam secessit. Pax hæc Bellilocana vocitata, & dispersis Ducibus parum sanctè culta: Condæi spes de Picardiæ Præfectura omnino frustra fuit, & Perona urbe à Pontificiis exclusus, jacturam honoris sui æquo animo tulit, Navarrus in nullo honore gratiave fuit. Nec hic stetit contentio animorum. Pontificii indignari cœpere iniquas ultimæ pacificationis conditiones, & pietatis specioso nomine, authore Pontifice, clandestinum fœdus icere, ad Romanam Religionem protegendam adversus instauratores. Lutetia, primaria urbs, exemplo suo cæteris præivit, traxitque in partes. Lotaringici Proceres Principes nefandi fœderis fuere; hos rerum novandarum authores secuta Nobilitatis multitudo, specie sanctissimæ causæ permota. Humerius amplissimæ & opulentissimæ familiæ in Picardia hæres, Tremollius Thoarsii Dux, Pictonicæ nobilitatis facile Princeps, fœderi subscripsere, plures mox exemplo tracturi. Terrore Protestantes perculsi, metuunt hæc omnia ad suam perniciem pertinere, qui ne incauti ex improviso opprimerentur, duntaxat suæ securitati consulunt, sine cupiditate rerum novarum, si pacta servarentur. Navarrus in causam apertè descendit, eorumque fit Antesignanus, & qualiscunque fortunæ socius, si Pontificii recens edictum violarent, ac vim inferrent. Proxima Condæi auctoritas, qui Præfecturæ exauctoratione contentus esse non potuit, cum Perona non redderetur, indiesque differretur, Navarro se conjunxit. Protestantes eos oppidis arcibusque recipiunt: illi jubent cives bono animo esse, seque non defuturos pollicentur, quantum virtute, quantum consilio possent, si vis ingrueret. Tunc Rex à Guisianis sibi metuere cœpit, & perniciosa consilia eorum suspecta habere. Blœsis verò Rex Francus Procerum conventum habuit, ubi deploravit florentissimi Regni excidium, funesta bella civilia, mutuas clades, testatusque est nihil aliud sibi propositum, quam salutem publicam, Regni tranquillitatem, concordiam civium, oravitque Ordinum Delegatos, ut ab animi perturbatione liberi, in commune salute, in religionis causa, decernerent, statuerent, quæ publicæ paci & securitati privatæ conducerent. Permovit multos Orario: sed novi fœderis Antesignani, quasi propugnatores Romanæ Ecclesiæ & priscæ pietatis, suas suorumque expostulationes proferunt, admonentque propalam Pontificios, ne impendente periculo se ignavos in religionis causa adversus instauratores præberent, viros rerum peritos ex singulis Ordinibus deligerent, ad quorum consilium de summis rebus referrent, communi saluti Catholicorum, amplitudinique Ecclesiæ prospicerent. Perculsus improvisa audaciâ Rex, quo perniciosi Fœderis consilia tenderent, altius apud se perpendere cœpit, conjectavitque initum in perniciem suam Regnique, sed abolendæ suspicionis causa summa dissimulatione transmisit. Mox ex occultis Fœderatorum mandatis ad Pontificem & Philippum, occultæ insidiæ patuere. Cum negotium de Religione majorum instauranda in Comitiis ferveret, Rex suopte ingenio vafer, Antesignanum sacro Fœderi profitetur se futurum, ne Principatum Fœderis, simulque Præfecturam armorum in Henricum Lotharingum Guisiæ ducem transferendo, à se populares abalienaret, illi grato in vulgus conciliaret, ipse Fœderi subscripsit, ut Duces, magnique nominis Proceres idem facerent, diplomaribus suis mandavit, & fatali cæcitate impulsus ab iis, qui circa ipsum erant, consensu Ordinum decrevit, ut ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ omnes subditi redirent, & sic se Regnumque inextricabili involvit bello, metu invidiæ popularium, si decreto adversaretur. 1576.

Audito

1576. Audito publice Ordinum decreto, Navarri & Condæi Delegati violari edicta, rumpi recens fœdus in comitiis Proteſtantur, idque crimen verbis exacerbant. Rex inſtante haud dubiè à Proteſtantibus bello, cum ipſe exercitum non haberet, ut ad apparatum armorum ſpacium temporis intercederet, ex ſingulis Ordinibus delectos viros ad Navarrum, Condæum, Damvillam Proteſtantium partium duces in Vaſconiam miſit, uſus Principe legationis Petro Villario Archiepiſcopo Viennenſi, qui ad parendum publico comitiorum decreto pacis & Reipub. cauſa perſuaderent: ſed Proteſtantes revocato edicto ad conſilia belli impulſi, increpant Pontificios ut violatores pacis, nulla jurisjurandi religione obſtrictos, Aquitaniæ proxima quæque oppida occupant, in Pictonibus, Santonibus, Delphnatu, & Septimania idem faciunt, delectus non intermittunt, ut ſe à contumeliis inimicorum defenderent, copias ſub ſignis explicant, & materiam Aquitanici belli præbent, quod ancipiti fortuna geſtum eſt: perſæpe induciæ pactæ, perſæpè ante diem ruptæ, pacis deſperationem afferebant, nec ulli erat dubium, quin arma utrinque pararentur. Actum dehinc in comitiis de equitatus Gallici ſtipendiis, ærarii ſupplendi rationibus, ac ſumptu belli ex comitiali decreto neceſſario ſecuturi, omniſque ferè in his deliberationibus ac laude decreti conſumebatur oratio ſummorum Præſulum, qui in comitiis plurimum poterant. Pauci fuerunt, qui exquirerent ea conſilia, quæ ad pacem ac quietem pertinerent: nec deerant novorum onerum repertores, qui quindecim myriades in focos excogitarent, quod avaritiæ commentum virorum bonorum deliberatione, & conſultatione tanquam publice exitioſum rejectum eſt. Rex interim augendi ærarii cupidus, & ancipiti cura cogitandi diſtractus judicabat, liberis ſuffragiis Ordinum ſumptum belli facilè obtinere, expectabatque ſuis poſtulatis reſponſa. Quibus reſpondit tertius Ordo, non videre ſe cur belli ſumptus petatur, antequam querelæ Provincialium ad eum perferantur, Regique ſupplicant, ut de iis quam primum decerneret: quod non mediocriter animum ejus pupugit, dolentis potentiam & auctoritatem ſuam comitiorum arbitrio velut in ordinem cogi. Interpoſita Sacri ordinis & Nobilitatis authoritas obtinuit, ut de levandæ plebis, & ſupplendi ærari rationibus amplius deliberaretur. Fuit hic annus morte clariſſimorum virorum inſignis. In Germania deceſſit Maximilianus Cæſar, palpitatione cordis diu æger, qui magna cum laude æquitatis, prudentiæ, & moderationis imperium adminiſtravit: ſuperſedeo commemorare qua comitate erga Reges amicos, quibus officiis erga vicinos Principes, manſuetudine erga ſubditos uſus ſit. Funus celebre fuit incredibili amore atque honore Principum, ſingulari magnificentia Procerum, ac charitate civium. Hic annus præterea Germanis eripuit Fredericum III. electorem Palatinum, qui fervente in Gallia civili bello, Proteſtantibus gratia auxiliiſque non defuerat. Eliſabetha de morte Imperatoris certior facta, Philippum Sidneium non minus politiore literatura, quam nobilitate generis ornatum, ad Rodolphum Romanorum Regem miſit, ut de morte patris, hominis ſibi conjunctiſſimi, luctum, & de ipſius ſucceſſione lætitiam ſignificaret, nec non ut liberis Comitis Palatini, ſui Studioſiſſimi, Patris mortem, luctumque condoleret, qui maximis itineribus in Germaniam eſt profectus, ubi cum omnes ceremonias percurriſſet, ſumma celeritate ad Reginam rediit. Jam ut ad viros literis claros tranſeam, hoc anno in citeriore Britannia Antonius Cocus, Eduardi VI. Præceptor, anno Ætatis circiter ſeptuageſimo placidiſſima morte ad Deum migravit; is autem optimarum artium ſtudioſus fuit, ac Eduardum omni liberaliore digna Principe doctrina imbuit, meruitque ut inter doctrina & literis humanioribus præſtantes ſui ſeculi homines numeretur. Cæterum filias liberalium artium ſtudiis & Latinis Græciſque literis excoluit; quas rerum uſu, ac virtute ornatiſſimis viris Gulielmo Cecilio Quæſtori, Nicolao Bacono Sigilli Cuſtodi, Thomæ Hobeo Gallica legatione claro Radulpho Rouletto, & Henrico Killegræo Cornubiano in matrimonium collocavit. Hæ ſorores Carminum nitore, ingenii acumine, ſententiarum pondere, & puritate ſermonis cum ſummis ſuæ ætatis poëtis certarunt, ut teſtatur Georgius Buchananus Epigrammate ad Milrædam primogenitam,

Quod Milreda mihi carmen pretioſius auro
Miſeris, ingenio gratulor uſque tuo.

Item alio ad Killegræam:

Et matura feras docti vox pectoris index,
Pene parem ſuperis te facit eſſe diis.

RERUM

RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO,

LIBER SECUNDUS.

IACOBUS REX Argathelii quotidianis querelis,& precibus fatigatus, ne quid tamen nisi Optimatibus consultis, moreque Majorum moliri videretur, universæ gentis Conventum indixit,in decimum Martii Proceres Sterlinum evocavit, ad eorum Concilium retulit, decernendum de querelis injuriisque,quæ Argathelio factæ dicerentur: at Prorex,quia factioni inimicorum resistere nequivit, abesse urbe & Conventu decrevit, ut Respublica quieta foret, neve ex conventione tumulrus oriretur. Archibaldum Douglassium Angusiæ Comitem, Joannem Glamium Prætorem, Gulielmum Ruthenum Quæstorem, Joannem Herresium Baronem Apocletos suos cum mandatis eò misit, ut inimicorum criminationes amolirentur. Prudentiores ad studium concordiæ deducere factiones conati sunt, conservata dignitate Proregis; displicet res Argathelio, indole animi, & spe ferociori: ita concordiæ ratio iniri non potuit inter factiones tam potentes. Frequenti Procerum utriusque Ordinis cætu, Aragathelius commemorat in se Proregis novi exempli decretum, eaque de re ad Regem & Nobilitatem appellat, authorem turbarum, & omnium malorum causam Mortonium, exauctorari suffragiis Nobilium postulat. Sed ubi ille consedit, Angusius indignatione accensus, genibus Regis advolutus, supplex petiit, ut sibi liceret pro absente Prorege verba facere. Rex, paulum cum Proceribus collocutus, jussit, quod videretur respondere. Ille intrepidè conquestus est, virum benè de Republ: meritum Mortonium, calumniis inimicorum, vanitatis & invidiæ plenis, oppugnari, exposuitque quantum Regi & universæ rei Scoticæ discrimen immineret, si Argathelii superba contumacia, qui Regis & Proregis Auctoritatem toties contempsisset, & multorum civilium motuum in regionibus ad occidentem Hiberniam spectantibus author,aut particeps fuisset, impunita relinqueretur; postulavitque à Proceribus,nequid de absente viro integerrimo temerè crederent, neu conficta falsaque malevolorum crimina plus obessent, quam multa, & magna in Patriam merita prodessent, quorum ipsi testes essent. Nec plus apud Regem Deprecatores, & turba Procerum adversæ factionis, quam objecta crimina valuerunt; abdicatio revocatur ad sententias, Prætor Glamius poscit suffragia omnium Ordinum, ac tandem renuntiatur,pluribus sententiis abdicatum Magistratu & Imperio Mortonium: ita unius horæ fortuna evertit tot annorum fælicitatem! Tum ex Procerum qui aderant decreto, ne ex diuturniore tutela res novæ orirentur, Rex Mortonio rescribit, non aliter suæ securitati, tranquilitati publicæ, & Procerum desideriis consuli posse,quam si Imperium omnemque Jurisdictionem in cives sibi redderet: ac cum ipso Prorege per interpositas personas Glamium Prætorem, Ruthenum, & Herresium egit, ut se sponte regimine abdicaret, ad placandum æmulorum animos,qui magnitudinem potentiæ ferre non poterant,seque imperii abdicatione facta, à tutelæ rationibus reddendis immunem præstiturum promisit, extantque Regiæ majestatis, Proregisque alternæ epistolæ utrinque missæ. Mortonius cum suas vires, & vim fortunæ ingruentem expenderet, veritus ne eadem illa cum bonorum amissione, addita alia insuper contumelia accederent, invidioso Proregis titulo, & laboriosis occupationibus privatam securitatem, quietemque senectuti redimere cupiens, benè gestæ Reipubl: acceptilatione recepta, ac publica fide interposita, à Rege, cum vicesimum unum annum expleret ratam fore, sese coram Apocletis Regiis Glamio, Rutheno, & Herresio regimine abdicavit, & Imperii insignia Angusiæ Comiti tradidit, cum mandatis, ut Regi redderet, qui ea frequenti Nobilitatis Conventu reddidit, undique consentiente voce fidelitatem profitentis. Exauctorato cunctis Procerum suffragiis & consensu Mortonio, Rex nondum adultus, hac temporum perturbatione miseriaque,suscepit imperium, malis civilibus infestum, ac Edinburgi edicto significavit, incredibili plebis alacritate, & lætitia, totius Regni administrationem in se translatam. Mortonius hoc concussu, maximo gaudio populum Edinburgenum affecit, testatus vultu ac voce, se propter imbecillitatem animi non derelinquere Imperium, publica Ordinum auctoritate semel impositum, aut propter inimicorum potentiam abiicere, sed Regimen, publicæ quietis causa, cum fide & obsequio deponere,abdicareque 1577.

1577. se sponte Magistratu. Restituta potestate, quingentis Nobilibus stipatus domum reductus est, multitudo hominum prosequitur, congratulatur ejus opera concordiam Regno restitutam. Mortonii potestate inimicorum potentia eversa, Proceres id Regi annunciant, consilia instituunt trimestria, cum quibus Rex de negotiis ad Senatum referendis ante tractaret: ex Ordinum sententia eligunt juventæ Regiæ Rectores, qui trimestri spatio per vices Principi consilio & auctoritate inter comites adessent, illumque defenderent, & tuerentur; nihil autem neque publicæ, neque privatæ rei Princeps ageret, nisi assistentes Proceres, quasi tutores probarent. In hæc munera delecti Sterlinum eunt, officia quotidiana more clientum præstant, mores institutaque Adolescentuli probant, ut Principem Patremque Patriæ agere assuesceret, edocent: finito trimestri tempore ministerii, alii Proceres prudentia, virtuteque præstantes appositi, Rectores quoque pari auctoritate. Interim Mortonius abjecta dignitate ad voluptates concessit, modo Dalkethæ in palatio suo delitescens, modo Bodotriæ ripam, & Fifæ amœnitates peragrans, non sine officio nobilium adolescentium, quibus ætate parvis tutores apposuit, donec adolescerent. Apocleti supra memorati, ad eum tranquillioris vitæ ac solitudinis desiderio in secessu Dalkethano fruentem, iterum missi, eique nihil opinanti mandata Regis & Senatus exposuerunt, ut arcem Edinburgensem cum omni, quam in ea acceperat suppellecti, ac typpa excudendæ pecuniæ traderet. Ferramenta monetalia statim reddidit, in arce tradenda tergiversatus; sed Delegati cum perspicerent Mortonium tantum prolationem quærere, monent non esse locum ad tergiversandum contra Principem, simul orant, ut ab irâ & impetu præcaveret, in æquitate rerum plus, quam in armis reponeret spei: sed cum nihil æqui responderet, Delegati discedentes, civibus Edinburgenis universè mandant, ut darent operam ne quid urbs detrimenti caperet, sibi ac liberis suis consulerent. Indè vigiliæ ab urbanis civibus diligentissimè actæ, & præsidiarii commeatu publico ac privato prohibiti: hinc jurgii initium, quod inter eos & oppidanos majorem motum excivit. In tumultu pauci utrinque cæsi, multi vulnerati: ac quia sine capite multitudo fuerat, & Præfectura urbana penes Georgium Douglasium arcis Præfectum, communi consilio placuit, quatuor urbicos Magistratus summæ rei præesse. Cædis civium memoria renovata, acrius animos accendit, arcem obsidione cingunt, & cum res ad turbas spectare videretur, mittuntur tres Proceres Andræas Rothusiæ Comes, Ruthenus Quæstor, & Herresius, qui Mortonium Regis Senatusque verbis monerent, ut finem pertinaciæ faceret. Ille, ne unius arcis causa bellum anceps, & non necessarium susciperet, & turbarum invidiam in se converteret, ex amicorum consilio de arce tradenda cogitavit; profectique Sterlinum Delegati, nunciant hæc Regi. Iisdem diebus David Lindesius Crafordiæ Comes, & Joannes Leon Glavii Regulus Prætor, viri summo loco nati, finium controversia, invidia ac prava clientū æmulatione discordes, vindictam in occasionem distulere. Hic pacis artibus, & pacato juris civilis judicio, prudentiæ, moderationisque laudem tulit: Ille supra generis insignem nobilitatē, & magna Majorum merita multis affinitatibus innexus, elegantia morum, magnificentia, & opibus nomen celebre consecutus est. Crafordii verò ut vita inquinata luxu, ita Glamii multis & egregiis dotibus ornata, cæteris exemplū gravitatis, dignitatisque. Tandem Sterlini altercatione inter clientes orta, in tumultu Prætor globo trajectus, nefariè interfectus, quo defuncto, dignitas Prætoria in Atholium, qui secundas prudentiæ virtutisque partes opinione hominum tenuit, mox translata est; atrocitas necis omnes bonos movit. Thomas Leon vir acerrimus, fratris filio juveni tutor datus, suam & familiæ injuriam ferro & flamma ultus est, multiplicem in Lindesiorum agris, vicisque, vastitatem reddens; nec minus acerba ab illis tentabantur. Ex auctoritate Senatus Rex, audita populatione, mittit homines idoneos, qui nunciarent, ne armis disceptarent, quoad spes daretur in jure disceptandi; demum pro interitu Prætoris Crafordiæ Comitem comprehensum carcere coërcet, qui certamine ac studiis Procerum brevi incolumis dimissus est. Redeunti in Angusiam Comiti omnes Provinciæ incolæ gratulati sunt: verum Glamii tutor in iram acrius exarsit, & Crafordio dum vixit, restitit turba militati. Exuto Mortonio Cathari spem constituendæ Genevensis disciplinæ habere cœperunt, ut ditioni Episcoporum eximerentur Pastores, Diaconi, Ephori in Ecclesia dominarentur, quorū conatus impubere Rege, mora ac dilatione Proregis elusi fuerant. Mox in Synodis potius de factionibus, in Regiæ Majestatis præjudicium fovendis, quam de Religione, & vero Dei cultu suffragiorum numero agi cœptum est; ubi Ministri rerum sacrarum regimen penes se, Ephorosque suos esse decreverunt, denunciaruntque Episcopis, ut gregis unius curam capesserent, Jurisdictionem Ecclesiasticam deponerent, Episcopatus ejerarent, & rerum sacrarum dispensationem omitterent. Rex huic Synodi decreto, interposita Senatus auctoritate, obstitit, & rem ad arbitrium revocavit suum. Pro Jurisdictione Præsulū Archiepiscopus Andreæpolitanus verba fecit, eorum causam, dignitatemque defendendam suscepit; ad extremum oravit, ne dignitas Ecclesiæ divinitus instituta, ac per tot sæcula inviolata, Catharorum furore evertatur. Andreas Melvinus celeberrimus Theologiæ Professor, homo majore animo, iraque, quam consilio, causam Catharorū tutatus, Ministris æqualitatem, Ecclesiæ libertatem vendicavit, monuitque Præsules, animi demissionem & humilitatē negligi, divitias, opes, potentiam in pretio esse, fastum, superbiam, arrogantiam dominari, Religionem & purum Dei cultū vilescere, nisi homines animo se demitterent, insolentiam, superbiam, & arrogantiam fugerent, nisi divitias, potentiam, honores despicerent, seque homines natos sentirent. Rex Melvinum aversatus est, quod

Præsulum

1577.

Præsulum dignitatem impugnaret, sibique gratiam ex eorum invidia quæreret, ac authoritatem veteris Ecclesiæ arroganter convelleret: ita ægræ affectæque res sacræ erant! Etsi Cathari numero prævaluerunt, tamen non deerant Optimates, qui honori Præsulum consultum vellent. Rex re cum Consiliariis suis communicata, sententiis dictis respondit, Ecclesiæ navem procellis jactatam sibi curæ futuram, admonuitque ut populum pietate ac demissione animi imbuerent, à rebus innovandis abstinerent, paci ac concordiæ assuescerent, cederentque per reverentiam Episcopis, nec turbarum, temporibus tam periculosis, auctores essent. Hoc responso nemini fuit dubium, quin in tenella ætate Præsulum jura aucta potius, quam imminuta vellet, atque ita rem moderando discessit, omnia in præsentia patienda esse statuens. Cum verò jam nulla Clerum ad concordiam adducendi spes relinqueretur, Regi & clarissimis Proceribus visum, de contentionibus quid sentirent ostendere, & ne fierent, vehementer admonere: Præsules responderunt se imperata facturos; sed nihil æqui à Catharis impetrarunt, qui ferocitate exultantes, in Episcopos assiduis ex ambone concionibus debacchabantur, quasi magis de commodis suis, quam de salute ovium sollicitos, non sine arrogantia Clerum, (quid enim est tam arrogans?) quam Clericos de Religione Episcoporum ordinem docere. Melvino cum ArchiepiscopoFani Andreæ multæ & magnæ contentiones fuerunt, qui contumaciter, ac arroganter in Scholis Episcopis verborum fulminibus intonanti, Archiepiscopus extemporali facultate, & vocis contentione majore solita, ac verborum gravitate acriore respondit, & honorem & dignitatem Præsulum enixe defendit, qui in contentione dicendi facili palmam tulit. Melvinus concionibus decertare cum Archiepiscopo nec voluit, nec potuit; itaque facultate dicendi superatus, acerbissimis Epigrammatibus ordinem totius vitæ infamavit, invidiam plebis concitavit, & nihil omisit, quo labefactari posset Præsulum auctoritas. Asperitas concionum tempestatem excitavit eam, qua eversa est Ecclesia penè Scoticana sub puerili dominatu.

Melvini & Archiepiscopi altercatio.

Res Anglicæ.

Inter hæc, Elisabetha Regina in proposito res Belgicas componendi moderatione magis quam vi perseveravit; per Eduardum Horseum Oratorem suum denuo monuit Austriacum, nomine Regio Belgio præpositum, ut pacem coleret, ne composita turbaret, neu ex desperatione libertatis in religione, belli necessitatem imponeret. Ille Gastellum, amicorum potissimum, Legatum ad Reginam mittit, ut de Aurasionensi, Batavis & Mattiacis quereretur quod insolescerent, recentem pacem Gandavensem ex æquo utilem non servarent, & Francici Regis patrocinium respicerent: Regina gnara Batavos in Franciam secretam legationem decrevisse, ut salutem suam Regis, aut Andini fidei potestatique committerent, per Thomam Leightonum eos acriter increpat, quod reddita conscientiæ libertate, & æquo jure constituto, pacis conditionibus non starent; monetque si auctoritatem suam spernant, & in perniciosо non solum sibi, sed vicinis, externi patrocinii consilio perseverent, se quoque arma opposituram. Batavi inviti cuncta ex voluntate Reginæ perpetravere, beneficiorum memoria; ejus auctoritate, & consensione Ordinum perpetuum pacis edictum bono publico Antverpiæ promulgatum, quod non per integrum annum duravit. Paulo post Philippus pacificationem ratam habuit, admonuitque Præsidem, ita dominaretur, ut non iterum necesse foret armis disceptare. Regina per Danielem Rogersium Austriaco de perpetuo edicto gratulatur, petitque, ut bona Anglorum, Antverpiæ fœdè direpta, redderentur. Ista postulatio moram & tarditatem fecit. Legatus propter dilationem moramque rerum in Bataviam trajicit, ubi hortatur Aurasionensem, & cæteros instauratæ Religioni addictos, ut pacem & obsequium cum fide colerent, belli consilia abjicerent, fœdus Gandavense ex æquo utile servarent: Ille laudata serenissimæ Angliæ Reginæ in salute Batavorum procuranda cura & prudentia, perpetuum illud edictum breve fore respondit, & scripto Middelburgi edito expressit, nisi plenius de privilegiis, libertatibus, immunitatibus, ac externarum copiarum dimissione caveatur. Inter hæc palam Austriacus Ordinum consilio Rempublicam se administraturum, ac edictum sanctè servaturum profitetur; secretò autem auctore Pontifice, instigante Escovedo amicorum intimo, destinat sibi uxorem Mariam Scotorum Reginam: Elisabetham solio exturbare, imperioque ejus potiri machinatur, jam jam Monam Hebridum invasurus, opportunam Occiduæ Scotiæ plagæ, cujus Proceres obsequium in Reginam exulem, nondum penitus exuerant. Huic consilio fautores aderant Westmorlandiæ Comes, Thomas Copleus, equestri dignitate & Baronis titulo à Franco ornatus, & Angli extorres in Belgio errantes, qui indicant clades suas, petunt auxilium, ostentant potentiam amicorum, ac Pontificiorum in Cumbriæ, Cestriæ, & Lancastriæ regionibus; itaque ut urgeret cœpta, Guisii quoque clam hortantur. Is matrimonii jam certus quasi, majora molitur; frequentibus litteris & nuntio Escovedo, Philippum certiorem facit, Angliam publicam Belgii concordiam remorari, eamque caput factionis Regi adversantis, rebelles Belgas milite & pecunia juvare, populum Regi immorigerum, Regem populo exosum præbere; igitur invadendam Angliam, coërcendas ambitiosæ fœminæ spes. Non tam clam iniri consilium potuit in aula Castulonensi, ut diu Reginam falleret, idque Aurasionensis ei per Famierum aperuit, monuitque Austriacum privatis magis odiis indulgere, quam communi paci favere, & perstare in perfidia, sævitia ingenii, ac hostiles spiritus induere. Hæc cum ad Reginam perlata fuissent, periculum simul & ira animum anxium ad diversas curas traxerunt. In tam

1577. ancipiti ſollicitudine, cum ad bellum internecinum Belgæ ſpectarent, detectis pernicioſis Rectoris conſiliis de arce Antverpiana occupanda, commeavere Nuncii inter Reginam Ordineſque. Carolus Croius, Marchio Havreus, & Adolphus Metkerkius, in Angliam de ſocietate amicitiaque Oratores miſſi,& comiter accepti. Spe Gallici auxilii præciſa, his legibus ultrò citroque datis, fœdus junxere: *Ut Regina patrocinio Belgarum ſuſcepto, equitum mille, quinque millia peditum in Belgium primo quoque tempore trajiceret. Bellum pro parte ſua terra marique adverſus Hiſpanos gereret, eoſdem cum Belgis amicos inimicoſque haberet. Anglus qui copiis præeſſet, Ordinum conſiliis arcanis intereſſet. Belgæ ingruente terra bello, idem auxilium Reginæ præſtare tenerentur, & mari quadraginta naves bellicas, quibus Præfectus claſsis Angliæ præeſſet. Neu quod fœdus inconſulta Regina facerent.* Tum armatos convenire, claſſem expedire juſſit, aliumque belli apparatum. Lætis inde animis profecti ſunt in Belgium Legionum Tribuni Northus, Norriſius, Cavendiſhus, Morganus, cum delectis Anglorum copiis. Regina certior facta Philippum calumniis inimicorum, & Auſtriaci iniquis criminationibus alienatum, quaſi rebellionem in Belgio foveret, factiones concitaret, ſuſpiciones augeret, per Legatum Wilkeſium edocet: *Cum defectionem Belgæ & externi Principis patrocinium cogitarent, quanto ſuo labore & ſtudio, in obſequio & reverentia continuiſſet, atque nuper è turbulentiſſima tempeſtate, res in ſummam tranquillitatem reſtituiſſet, Auraſionemſemque interpoſitis minis ad pacis ſtudium flexiſſet, egregiam gratiam meritis rependi, clandeſtinas Auſtriaci cum Maria Scotiæ Regina machinationes, ſæviſſimas Hiſpanorum voces. Admonet commune Belgis cum Britannia diſcrimen, Auſtriacum nobilitati plebique Belgicæ juxta infeſtum, hoſtilia adverſus Angliam agitare, ipſam quoque exitio deſtinare; quietem non fore dum ille Provinciis præeſſet: dominationem velut in pecudes, non imperium in ſubditos exercere. Se, memoria Burgundici fœderis, non poſſe afflictis Belgis, auxilium implorantibus denegare: proinde hortatur poſt mare cruore infectum, poſt exhauſtas cadibus & incendiis urbes, poſt tot clades & ſuas & alienas, ut publicæ tranquillitatis cauſa pacem ac concordiam tueretur, crudeliter & avarè oppreſſam plebem ſolaretur, vetera Privilegia reſtitueret, perculſum tot cladibus populum in gratiam reciperet, Gandavenſis pacis pacta conventa ſervaret, neu miſerum Belgium ultrà ſervitio premeret, aut irritaret, ut externum jugum mallet quam Philippum Regem. Additque ſi à civili ſanguine abhorreret, hebetaret aciem imperii ſui, Auſtriacum in Hiſpaniam revocaret, Præſidem alium ſpectatæ moderationis ſubſtitueret, immortalem ſibi clementiæ ac benignitatis laudem conſecuturum:* Ad ea Rex, exagitatâ Belgarum in Numen & Principem rebellione, reſpondit: *Multos annos jam inter Hiſpanos Angloſque amicitiam eſſe, cujus neutros adhuc pœniteret, nec ſibi in animo eſſe mutare eam, ſi Regina Belgis tumultibus ſe non implicaret, Anglorum Duces revocaret, ac fœderi, cum Batavis nuper icto renuntiaret. Cæterum, quæ ab Auſtriaco acta dicerentur, diſplicere, ſed rumoribus haud temere credendum.* Etſi Philippus diſſimulavit Fratris ſuſpecti jam nimiæ ſpei inſidias, nuptiaſque cum Scota, ne obligatus eſſe videretur, haud dubiè tamen præbuit aures Legati criminationibus, traxitque ambitioſum amorem ad invidiam; nec ille diu, fato aut fraude humana incertum, ſuperfuit. Cum de conditionibus pacis adhuc diſceptaretur, haud longe à Leodio Iberi à Scotis, duce Jacobo Balfourio Tribuno malè mulctati fuerunt, qui ſuos cohortans, exemploque invitans, magnam ſtragem hoſtium edidit. Iiſdem diebus Oxoniæ ROULANDUS JENKUS Bibliopola procacitate inſignis, ob nimiam & procacem linguam in Judicium vocatus, verborum contumeliis laceraviſſe Reginam, & polluiſſe hominum aures defertur: non impunè maledicta erant, Majeſtatis Judicio damnatus, pœnam luit temerariæ dicacitatis. Confluxere ad tribunal multi mortales, alii ſpectaculi ſtudio, alii ut ingenium periclitantis noſcerent, pauci ut jurati cognoſcerent, aut teſtimonium dicerent. Venenato & peſtifero halitu icti repentè circumſtantes, & in Tribunali ſedentes Judices, nemo ferè contagionis quaſi fulguris ictum effugit, & intra paucos dies trecenti expiravere. Cauſa tantæ & tam repentinæ cladis, aut ex fœtore carceris, aut ſoli inſalubri vapore; ſed aliorum Nobilium exitus obliteravit ROBERTI BELLI, Primarij Fiſci Baronis mors acerba, & multitudo periclitantium, pallor, macies: & iſta quam ruderi unius Provinciæ atque civitatis Oxonienſis contagio fuit, quæ per gentem vulgata non eſt. Eodem anno Martinus FORBISHERUS omni patientiæ expoſitus, fretum Americæ ſuo nomine appellatum penetrare rurſus tentavit; ſed ſumma aſperitate frigorum prohibitus, proximam Inſulæ partem Nonis Julij nivibus & glacie horridam luſtravit. Solum cœlumque, ingenia & cultus barbarorum, portum aditumque navicula explorans, reperit piſcem mortuum, è cujus roſtro cornu procerum, ulnæ & ſeſqui longitudine, quod, facta experientia, ad arcendum virus perindè valuit, ac unicornia noſtra in Theſauris Principum tanti æſtimata, quæ prognata temere creduntur ex fronte animalis terreſtris in Arabum terris, quod nunquam conſpectum, niſi peregrinantium fabuloſis narrationibus fidem adhibeamus, qui formam ejus definierunt cum gloria frontis, undè doctiſſimi viri falſum animal terreſtre credidere, ac inane nomen, & cornu fama celebre Hippopotami eſſe aſſeverarunt, qui aſpici non ambigitur, & natura FORBISHERI oculis nuper ſubjecit. Utcunque res ſe habet, opinio hominum, quæ rebus famam & pretium conſtituit, hoc cornu per commercia in quæſtum aut fraudem extollit, magis quoque quam aurum aut argentum in pretio eſt. Ipſe eorum opinionibus facilius accedo, qui maritimam belluam arbitrantur; ex ingenio quiſque ſuo fidem adhibeat: atque interim FORBISHERUS exſcenſione facta, aſpiciens per totam fere noctem ſolis fulgorem, miratur dierum ſpacia, & noctium brevitates, habitum quoque indigenarum obſervat. Genus hominum agreſte & horridum quaſi ex alio genere mortalium, qui alimenta arcu, aut piſcatu

expediunt,

expediunt, pueros fœminasque crudis carnibus aut piscibus alunt, pellibusque balænarum & aliarum 1577. belluarum conteguntur. FORBISHERVS homines truces, feros & suspicaces ad colloquium omni benevolentiæ significatione elicere non potuit: igitur dissimulato discessu post promontorium delituit, & fœminam quæ infantem sinu gestabat, astu intercepit, & in Angliam reversus, illam cum infante Reginæ, novam faciem miranti, dono dedit, quæ, sive tædio vitæ, sive insoliti victus ratione, haud diu superfuit. Per idem tempus crescebat licentia atque impunitas Pontificiorum, quibus Romana sacra adhuc privatim colere licitum, & legis mulcta persoluta, nihil cruentum contra eos constitutum, prævalente memoria Mariani temporis, quo suppliciorum severitate non coërcita Protestantium religio, sed confirmata, ac latius propagata est. Regina tot insidiis ab illis petita, clementia nihil adhuc proficiens, in ancipiti cogitatione pensitavit, quis finis suppliciorum, quis sanguinis, si contrarium remedium intempestive adhiberet. Denique invidiam verens, consilium amicorum advocari jussit, consultavitque an coërcere Papanorum conatus publicè utile, sibi gloriosum esset; num coërcitio malum exacerbaret, ac plus damni invidiæque afferret, quam commodi. Illi re diu deliberata, cum usitata remedia parum procederent, tentanda contraria responderunt, & severitatem adhibendam, quod Pontificij specie religionis obsequium abnuerent, & ad proditionem dilaberentur. Igitur ex amicorum sententia quos in consilium accivit, permittit Judicibus potestatem, ut leges exercerent, obsequium abnuentes vi coërcerent, ostendens quam invita asperioribus remediis manum admoveret, ne consuetudinem peccandi multitudo peccantium induceret. Mox ad exemplum emendationemque cæterorum, seditiosi pauci plectuntur. Primus omnium CUTHBERTUS MAINUS sacerdos, Papalis auctoritatis pervicax defensor, Reginæ acerrimus oppugnator, in Cornwallia pœnam proditorum pertulit, nihil mutata in Pontificem Romanum constantia. Deindè per intervalla temporum pervicacium Presbyterorum secutæ cædes, exilia, non ut Pontificij prodidere propter vetustas ceremonias, & Romana sacra, sed quia contumaciter, spreta Majestate Imperij, summum Pontificem summum hominum esse voluerunt in omni jurisdictione profana & sacra, flagitia ejus, pias fraudes, & callidè usurpatam potentiam, subditos à vinculo fidelitatis, jurisque jurandi religione solvendi, ut ceremonias Numinis protegentes. Hoc anno in Anglia excessere vita viri insignes JOANNES NEVILLUS BARO LATIMERUS, qui in magnitudine clarissimæ familiæ semper animum æquavit, nulla prole mascula relicta quatuor filias superstites habuit, ad quas multorum prædiorum possessio descendit. Prima HENRICI NORTHUMBRIÆ Comitis uxor, secunda THOMÆ CECILII Exoniæ Comitis futuri, tertia GULIELMI CORNWALII, quarta JOANNIS DAVERSII illustrium Equitum. Obiit & THOMAS SMITHUS Equestris Ordinis, de quo memoravi; doctrina præcellens secundum ab epistolis locum studiis liberalibus assecutus est, & dignitatem Senatoriam.

Res Hibernicæ.

Hæc in Anglia hoc anno gesta: in Hibernia O-Mori & O-Conori aliique, Maria regnante ob maleficia & injurias in Leisa & Ophalia pulsi domiciliis, effusi in Agros sociorum finitimos, in modum latrocinij prædam, duce Rorio vel Roderico juniore desperato homine agitarunt, Naasum ignobile oppidum incenderunt, & celeriter in Lachliniam impetum fecerunt. Quo minus ultrà pergerent, Georgius Carius Præfectus, compluribus interfectis restitit. Hac spe dejecti, Henricum Herringtonium, & Alexandrum Cosbeium ex insidiis interceperunt. Protinus Harpolus Ordinis ductor, Sociorum calamitatem ante oculos ponens, obseptis effugiis in tuguriolum irrumpere conatur, in quo Rorius cum captivis ad palum allegatis, arctius, ut fit, ex lassitudine dormiens erat: sed metu ac tumultu excitatus, distringit acinacem, & utrunque captivum in tenebris sauciat, ipse præceps per medios hostes erumpit, incolumisque ad suos præter spem evadit. Subsecuti mox clientes, eodem impetu effugêre, auctaque apud Hibernos hujus rei fama, Herringtonius & Cosbeius gravibus acceptis vulneribus deficientes reperti, ægrè adhibitis medicamentis servantur. Tantum fortuna in repentino casu celeritateque potuit, ac diuturniorem impunitatem concessit, quò gravius ulcisceretur: quippe post paucos dies ipse RORIUS cum faceret insidias Baroni Offeriæ Superioris, quo incautum opprimeret, ex insidiis interiit. Trucidati & comites, ac capita ipsi interfectores ad Proregem tulere. Cæterum clade ejus compositi Hiberni, inter bellum & pacem fluctuantes, paucis qui rebellionem ceptaverant interemptis, reliquis data venia. Cæterum in Belgio Austriacus viribus impar, subdola modestia, & summa dissimulatione approbare imperium suum Belgis cupiens, sermone affabilis, accessu facilis, vultu comis, civium desideriis propensus, eorum se arbitrio Rempublicam administraturum, communi saluti amplitudinique prospecturum professus est. Hoc blandimento Belgis ostentato, ac arte conficto præsentis belli apparatu, ad fidem faciendam, Iberos & Italici generis homines finibus Belgij excedere, & in suas sedes redire jubet, perpetuum pacis edictum voce Præconis promulgat, Antverpianam, Ultrajectinam, Vianam, Culenburgensem munitissimas arces in securitatem Belgis tradit, & in modum propè privati hominis se dimittit. Paulò post Philippus conditiones pacis ratas habuit, & Hispani per Luxenburgensem agrũ in Italiam perrexerunt: ita belli impetus aliquandiu stetit. Intereà Austriacus interposito edicti servandi sacramento, Belgij Rectorem salutari se jubet, Belgarũ Primores gratissimos popularibus, aut

Philippi

1577. Philippi beneficiis obligatos, Manſeldium comitem, Barlemontium, ejuſque liberos allicit, poteſtatem conditionibus coercitam, aſtu ampliare ſtudet, Arſchotanum ad Auraſiooenſem mittit, ut in commune conſultaret: Is ſuſpectans ejus perfidiam, detrectavit congreſſum colloquiumque, & cuncta ejus facta in deterius interpretatus eſt. Ubi vani callidi conatus evenere, auctore Eſcovedo ad conſilia belli reverſus, omiſſa diſſimulatione pacem in exitium ſuum abrumpit, Germanos in finibus Belgij manentes, donec ſtipendia perſolverentur pellicit, ut bellum inciperent, arcem Antverpianam dolo fruſtrà tentat, Namurcum inſidiis intercipit, hoſtilem animum propalam induit, & Hiſpanos, nuper Belgio pulſos, ex Italia clam evocat. Belgæ ſe deluſos cernentes, communi omoes conſilio arma rapiunt, & Auſtriacum turbidum, infidum, capere aut exturbare nituntur, & abrogata ei omni auctoritate, ſummum impetium penes Ordines eſſe decernunt. Is eo tempore erat Namurci, expectabatque ſi Delegatorum prudentia res ad concordiam deduci poſſet; ſed cognito irrito ſucceſſu, cum Ordines urbium ac arcium ab illo occupatarum reſtitutionem urgerent, relicto Namurco Luxemburgum redit, ibique Philippi Regis mandata opperitur. Mox conſultatum fuit de Præſide per Auſtriaci abſentiam deligendo, interpoſita Ordinum authoritate: Matthias Archidux Auſtriæ Rudolphi Cæſaris frater deligitur, miſſique ilico Legati ut populi Belgici voluntatem, Ordinumque ſuffragia cum dignitate explicarent, qui Principem ſpe & juventa florentem, ex Germania ad Belgij adminiſtrationem evocant. Ordines honoratè recipiunt Antverpiæ mœnibus Rectorem Belgij, Catholicis Proteſtantibuſque juxta charum, & Auraſionenſem vicarium ejus conſtituunt. Auraſionenſis gravis & aſſiduus Iberorum hoſtis, vim atque arma retinuit: igitur Matthias cum videret inane nomen imperij penes ſe, vim Principatus penes Auraſionenſem eſſe, ſerò errorem ſenſit, & non ſine temeritatis nota ſe recipere deſtinat. Inter hæc in Francia in Santonibus, Aginenſi agro, & Vaſconia bellum Religionis cauſa exatſit: permulta oppida capta, plura Navarrum aut Condæum mœnibus recipiunt. Multiplices Proteſtantium conatus, nihil intentatum ad ſalutem, & ſecuritatem teliquete, cum inſidioſam Bellilocanam pacem, & noviſſimum edictum bonum atque utile, irtitum cernerent. Per eoſdem dies Caſimirus arbitr pactorum Delegatos ad Francum miſit, oravitque Regem enixè, ut memor fœderis & jurisjurandi, ac tot præteritarum cladium, quæ Franciam pene funditus everterant, dignitati ſuæ, Regni tranquillitati, ſubditorum communi ſaluti conſuleret; recens fœdus cum Proteſtantibus ictum, ac edictum nuper conditum, & ſolenni jurejurando per univerſas Regni Provincias approbatum, ſanctè coleret. Reſpondit Rex ſe experiendo didiciſſe, Religionis diverſitatem publicè exitioſam eſſe, ſemperque indè alias ex aliis turbas oriri; proindè ſe comitiali auctoritate decreviſſe, majorum ſuorum exemplo unicam Romanam in Regno colere. Miſſi à Caſimiro pacis internuncii, re infecta diſceſſere: Proteſtantes autem ſupplicibus libellis fidem publicè datam de libera Religionis profeſſione urgent, & ne ea violaretur Deum hominesque obteſtantur, oſtendunt violatam juſto Dei judicio vindicari, Religionem à Numine hominum mentibus inſpirari, edictis Principum, aut Ordinum decretis imperari non poſſe, Deo potius quam hominibus in religionis negotio parendum; majoris incommodi vitandi cauſa, duas Religiones tolerari poſſe, ſine publica pernicie, rationibus & exemplis demonſtrant, nec jam Proteſtantium doctrinam provectam convelli poſſe, ſine exitio convellentium, neque verò religionis cauſam in fœdere, & clandeſtina ſocietate agi, ſed ut ejus ſpecie arma ſumpta adverſus Proteſtantes, aliquando in caput Regis vertantur. Contra Pontificii in concionibus liberiùs, intemperantiuſque debacchantur, ad fidem hæreticis ſervandam Principem non obligari, prolato in eam rem Concilii Conſtantienſis decreto; unum Numen, unicam Eccleſiam eſſe, unumque verum Dei cultum: ſi plures admittantur, turbas conſequi neceſſe eſſe, proindè potius Dei gloriæ, quam momentaneæ Regni quieti conſulendum. Rex dimiſſis comitiis ad coërcendum Proteſtantes exercitum conſcribit, & novi belli molem ſuſcipit, Carolo Meduanæ Duci cum equitum peditumque ſatis magno numero ire in Santones imperat, Fratri Andino majores copias attribuit, quibus Bituriges & Avernos irrumpit, Charitæum oppidum à Proteſtantibus interceptum oppugnat, & per deditionem in poteſtatem redigit, Ambatum ſine certamine capit, Iſſoriacum impetu expugnat, diripitque. Iuter quæ Meduanius Helvetiorũ copiis auctus, permulta oppida & ignobilia Caſtella in Santonibus recuperat, terrore magis quam armis, Condæum ad certamen provocat: Ille intempeſtivam inſultantis, fiducia virium, ſuperbiam increpat, & ſuos intra Rupellæ mœnia continet. Perculſis Proteſtantium animis Rupellanis inferre bellum ſtatuit. Priuſquam Rupellam aggrederetur optimum ratus eſt, Broagium propinquum oppidum oppugnare: ibi multæ eruptiones ancipiti fortuna factæ, urbs fide civium, & præſidiariorum virtute diu egregie defenſa, multum in oppugnando præbuit moræ. Tandem cum Condæus excurſiones in obſidentes, & levia ſine effectu certamina feciſſet, deditionis auctor fuit. Proteſtantes & præcipuè Rupellani, quia nulli nec plura damna, nec tam acerba paſſi ſunt, perditis jam propè rebus ad pacem inclinarunt. Inter tot adverſa Damuilla Septimaniæ Præſes à ſocietate Proteſtantium ad Regem deficit, & Monpelium præcipuum eorum in Septimania propugnaculum obſidet. Proſpero ſucceſſu rerum cognito Rex Blœſis diſcedens, quam maximis itineribus Pictavium pervenit, & ſecundis rebus moderandum fortunæ ratus, auctore Monpenſerio, Birono, & Villa Regio internunciis ſpem pacis oſtentat, quæ deindè Bergeraco facta, adhibita temperamento durioribus, ſuperiorum

edictorum

edictorum conditionibus, & æquabili iure constituto, moxque edictum pacificatorium Pictavij 1577.
conditum, sexaginta duobus capitibus absolutum, quod peculiariter suum vocare consuevit. Rex, Regina, & Andinus jusjurandum de edicto servando interposuerunt: Navarrus, Condæus, & Protestantes armis velut ad sanitatem revocati lætis animis exceperunt.

BEllo perfecto Rex triumphans Blœsas rediit, atque indè Lutetiam profectus, perpetuum ferè toto Regno suo domicilium, quieti, otio, & voluptatibus se totum dedidit. Hoc anno in Scotia 1578.
imbecilla Regis ætas per Regnum turbis causam dedit. Georgius Douglasius Mortonij Frater ex pellice, nullo in armis subsidio ad arcem tuendam, ac proptiis odiis infensus civibus Edinburgenis, veritus ne qua ex conspectu præsidiariorum, qui civium cædem paulo antè patraverant, urbanæ plebis seditio oriretur, eos per posticum devium dimisit. Indè arcem Edinburgensem cum tormentis, utensilibus, gemmis, mundoque muliebri Alexandro Areskino Gotgarensi tradidit; quem Rex arci præfecit ob spectatam modestiam, ac fortitudinem. Is Repertorium fecit, quod vulgo Inventarium dicitur, ad certitudinem memoriamque rerum relictarum, præsente Rusheno Quæstore, Lindesio, ac Alexandro Hajo Tabellione. Exin Rex, cum per ætatem ad res tractandas parum esset idoneus, Procerum conventum de summa rerum administrandarum habuit: celeberrimis viris Argathelio, Atholio, Mont-Rosio, Cathanesio, Lindesio, Herresio, totidemque Ecclesiæ Proceribus, ac aulæ Primoribus, Rutheno primario Quæstori, Fermelinotum Abbati ab epistolis, Georgio Buchanano Custodi privati sigilli, Moravio Tillibardino Regiæ domus Censori, Iacobo Macgillio ab Archivis, usque ad maturam pubertatem arbitrium rerum demandavit. Ab his Regis Regnique custodibus res aliquandiu tranquillè administratæ, inopum querelæ auditæ, vi potentiorum oppressi, præsidio illorum sublevati, aliaque multa ad statum Regni confirmandum ordinata, decretumque, ut vana & irrita essent Regis diplomata, donationes ac immunitates, nisi sex Senatorij Ordinis cum Cancellario subscriberent. Ea tempestate Atholius Prætor industria curaque rerum Civilium cæteros præeminebat, leges exercebat, pro salute Principis excubabat, vigilabatque, ac multa documenta egregij consiliarij dabat: quippe Mortonius Regni procuratione liberatus, invidiæ ac fortunæ cedens se domum receperat, corpusque à labore, animum à sollicitudine procul ab aulæ ambitione, Dalkethæ reficiebat, prædicabatque Regni administrationem, & terrenorum commodorum dominatum magnam molestiam esse. Hæc propalam: nihilo secius, memor injuriæ, serendis aliendisque inter Proceres suspicionibus, & suo ex illis commodo captando occultè intentus, Joannem Marriæ Comitem, Adolescentem clarũ & excelsum, astu aggreditur, ostentatque Alexandrum patruum multis fortunæ incrementis, & custodia pueritiæ Regiæ auctum, ipsum omni spe honoris exclusum; proindè urget ut Principem familiæ ageret, ne privilegia, Majorum meritis indulta, apud patruum manerent commodis ejus adversantem. Mortonius ob singularem prudentiam oraculi loco habitus non solum apud plebem, sed apud Proceres, apud Clerum, facilè apud imperitum adolescentem suadendi auctoritate prævaluit. Hinc Marriæ Comes, Adolescens egregia & præclara indole, Alexandro Areskino patruo infensus, quod nullo sui respectu se ut Principem familiæ & pueritiæ Regis rectorem gereret, cum magna amicorum, & clientum manu, Sterlinum proficiscitur, dissimulans quid animo moliretur: arcem occupat, Alexandrum incautum aut proditum à nonnullis suorum, arcis præsidio & custodia Regis deturbat, Argathelium trimestris ministerij servantem vicem, impetu magis, quam consilio dejicit, fidelissimisque sibi servis castellum firmat. In hoc motu Alexandri Areskini filius, nobilis egregiusque juvenis, ardore febris, aut, ut alij volunt, ob calamitatem patris dolore extinctus est. Divulgato subito & turbido casu, Proceres & Senatores armati Sterlini coëunt, ubi quatuor dies deliberatione de Reipub: Salute, & securitate Regis, propter ætatem alieni etiam tum arbitrij, absumuntur, Argathelius Marrij à Mortonio incitati injuriam in se commemorat. Vocatus Marrius ut dilueret invidiam criminis, insignis nobilitas, & magna patris merita juvenilem imprudentiam apud Concilium excusarunt, purgatioque ejus accepta. Senatus auctore Rege se totum in cogitationem publicæ tranquillitatis vertit, occasiones intestinæ discordiæ & civilium armorum prævenire statuit; proindè Mortonium, Atholium, Argathelium, Marrium, & Alexandrum patruum ab odio ad gratiam deflectere aggreditur. Bis seni arbitri de utriusque factionis consensu constituti finiendarum simultatum, viri summæ auctoritatis, qui controversias componerent æquitate juris, Edinburgi convenerunt. Discordiæ inter Marrium & Alexandrum Areskinum, arbitrorum sententia sunt consopitæ his legibus, ut Marrius adultus exemplo quo Majores custodiæ Regis appositi, Principatum familiæ, & arcis Sterlinæ Præfecturam solus teneret; eo defuncto sine liberis, hæreditas ad patruum perveniret, intereà Præfectura arcis Edinburgensis Alexandro cederet. Mortonius etsi præcipiti ira Argathelij ac Atholij Magistratu dejectus fuerat, & præcipuè afflictus, tamen æquas concordiæ conditiones non recusavit. Thomas Randolphus multis legationibus peritus rerum nostrarum, in Scotiam publica fide venit, ut Regi tam raras, tamque varias præclaræ indolis dotes tenera præsertim ætate gratularetur, ac Reginæ suæ studium & benevolentiam commemoraret: deinde Atholium, Argathelium, Mortonium admoneret, primum omnium nihil concordia & tranquil-

Contra Relatores vulgo.

1578. tranquillitate publica optatius, nihil discordiis & dissensionibus Procerum deteſtabilius, quæ ſtirpes, familias,oppida, regna orbitate, vaſtitate,ſolitudine everterent; magnoperè orat ut ſimultates ab odio & invidia natas finirent. Denique ab Argathelio poſtulat, ne Hebridiani incolæ rebelles in Hibernia ferro, frumento, armis, aut ullo bellico apparatu ſublevarent. Æquum poſtulare non eſt viſus; quippe Hebridiani Reguli Agnus & Jacobus Fratres, & Surlius Bojus à nota corporis flavus dictus,è Muconelia gente cum numeroſa manu ſuorum in Hiberniam trajecere,& Clandeboiæ partem juxta Ricenam inſulam occupavere; ita dignum majoribus ſuis, & Donaldina familia rati, per Hiberniam quoque fortia facta celebrare. Adverſus irrumpentes cruenta & ambigua prælia; Agnus & Jacobus à Shano-Onelio interfecti: hinc dolor injuriæ & cupido vindictæ in Maconelia gente exarſit, quæ non niſi cæde Shani-Onelij extincta eſt. Donellus & Agnus eadem de gente erepta armis repetunt, Clandeboiam ſedem ſibi & ſuis eligunt; concurrunt cum Anglis magna ſæpè cæde & ambiguo eventu, nec ceſſatum donec Reginæ fidem clientelarem pro poſſeſſionibus in Hibernia profiterentur. Igitur Argathelius rebelles Hibernos adverſus potentiam Anglicam occultè fovit, & clam ſubminiſtravit, quæ uſui eſſent. Interim Delegati collocuti cum Rege, omni ope adnituntur ut concordia inter Proceres coaleſceret; tempus in poſterum diem conſtituunt, locumque qui maximè medius inter Edinburgum & Dalketham eſt viſus: quò cum utrinque veniſſent,Mortonius cum præſidio amicorum, Atholius,& Argathelius cum trecentis equitibus audaciæ expertæ,in medium procedunt, ac primum quidem tempus ſalutationibus, reliquum tranſactionibus conſumunt. Actis concordiæ conditionibus, convenit ut omnes Dalketham ad prandium, invitante benignè Mortonio, digrederentur, poſterò die Sterlini congrederentur. Homines ex oppido obviam prodeuntes, ingenti lætitia ſalutant,congratulantur concordiam,nec gaudio minore Regis in Palatium accipiuntur,ac advenientibus gratiæ aguntur,& ingens aſſenſus alacritaſque audientium. Mortonij prudentiam moderationemque Rex comprobavit, & in interiorem potentiam aſſumpſit, vulgus etiam cum laudibus celebravit. Is haud ignarus quanta invidiæ immineret tempeſtas ex reſiduo Procerum odio per gratiam, opes, potentiam; miniſteriis aulicis, & muneribus publicis, ad ſuæ factionis homines tranſlatis, & abolita viciſſitudine imperandi, non ultrà diſſimulans ſuperbiam, dominari jam in adverſarios vult, ac iræ indulgens in præcipitium ruit: ita rurſus odium ſopitum potius, quam extinctum, in pectoribus Atholij, Argathelij,& Montis Roſarum excitavit,primumque apud Principem locum ſibi Sterlini vendicavit, ſummamque omnium rerum poteſtatem ac omnium vires in ſe unum convertit. Hinc Principes adverſæ factionis irritati, acerbiſſimo edicto perſtringunt Mortonium libidinosè, ſuperbè, avaréque ſe in Procuratione Regni geſſiſſe, propalàm obviam itum cupiditati,coactumque ſe Regimine abdicare,nunc callidis artibus viam ad continuandum Magiſtratum quærere, abolita conſenſu poteſtate, Regium Imperium uſurpare, & Regnum interim tractare; ad hæc viciſſitudinem imperitandi ſuſtuliſſe, ut ſolus auctoritate & conſilio Principi adeſſet, publici conſilij auctoritatem enervaſſe. Oſtendunt Senatum & Proceres Delectos, ſuperbiam violentiamque ejus in legitimo Magiſtratu peroſos, nunc injuſtam dominationem non laturos, nec vindices defuturos, ſi ſperneret pueritiam Regis & autoritatem Senatus. Denique voce Præconis in foro urbis Regiæ plebem ad arma vocant adverſus eos, qui Comitiorum vim, unicum præſidium libertatis everterunt, qui viciſſitudinem conſulendi adminiſtrandique per tres menſes ſuſtulerunt,qui privati imperium in Regem exercuerunt.Rex anxius quonam contentiones erumperent, menſe Julio habiturum ſe omnium Ordinum Conventum confeſſus,per literas evocat Regni Proceres & Antiſtites, quibus in Comitiis publicis ſuffragii ferendi jus eſt, Edinburgum locum coëundi conſtituit. Itaque conveniunt cum clientelis & ſervitiis multi Supremi Ordinis, qui non deſiſtebant clam inter ſe coire: qua re cognita Mortonius, Comitia quæ Edinburgum indicta erant, impedire decrevit; imbecillam ætatem & valetudinem Regis cauſatus,locum nec amœnum, nec ſalubrem, Sterlinum magis opportunum edicit. Argathelius, Atholius, Mont-Roſius,auctores rerum novandarum, contra diſſerunt, Sterlini Ordines non legitimè congregatos, Edinburgum locum ſuffragiis deſtinatum ſatis idoneum,Sterlini forum Comitiumque, Mortonij ac Marrij armatis clientibus occupatum, ibi ultro citròque commeare in urbe hoſtium plena ſine periculo vitæ non licere, neque quicquam liberè decerni poſſe adjuncto terrore militari, hanc contumeliam ad maximam partem Procerum pertinere. Miſſus è nobilitate Patticius Lindeſius ad Regem,ut de his rebus eum doceret: reſpondit Rex poſtulatis,ſecuritatem Procerum ſibi curæ fore,ſi Sterlinum venirent; urbanos cives præſidij cauſa contra ſubitum aut fortuitum impetum telis ſclopetiſque paratos,armatos non dicendos, nec ullum juſti metus cauſam ſubeſſe. Interim Comitiorum dies appropinquavit, deindè ut aſſolet, Ordines vocantur ad ſuffragia, ſed in arcis atrium non in urbis Prætorium recepto more, ubi omnes qui aderant in iis, quæ ad Religionem ac verum Dei cultum ſpectarent, uno ore conſentiunt, & de Reip: ſalute una mente & voce deliberant, ſtatuuntque. Proceres Edinburgi morantes, per Delegatos ſuos Montis Roſarum comitem, & Lindeſium palam teſtantur, Comitia Sterlini habita, contra inſtituta moremque Majorum in arcis atrio, nec juſta dici haberi ve poſſe, & quæcunque ibi gererentur, ſine jure, ſine Ordine, nullius momenti fore, cum major pars Procerum mortis metu abeſſet. Quando Apolecti qui miſſi erant Sterlinum venerunt, extemplò

1578.

extemplò Ordines convocati,frequentesque convenerunt ad audiendum mandata. Rex sedens cum Purpura, Sceptro, & aliis insignibus Regiis interfatus est: *Nihil referre in qua urbis parte comitia haberentur,se salutis suæ providum,propter metum ruinæ patente atrio,nemineq; excluso,non in Prætorio urbis habere cœpisse,idque in exemplum non trahendum;moderatam sui tutelam nemini prohiberi,nedum Principi. Libertatem eandem in servatam, quæ majoribus concessa sit, seque eandem nunc voluntatem desiderare; patrios mores institutaque Majorum non mutasse, auctoritatem Comitiorum non enervasse, neque suffragia Ordinum revocasse ad arbitrium suum: quod Senatus censuit, aut Conventus Ordinum jussit, id ratum esse oportere. Nimis arrogans paucorum præjudicium adversus Ordinum Iudicium, nullam justam causam timoris, nisi malè sibi conscij,vanam formidinem confinxerint: denique rectè & ordine cuncta acta demonstravit, & Comitiorum auctoritatem publico decreto approbavit.* Mont-Rosius & Lindesius jussu Regis seorsim, ab omnium commercio, in liberam custodiam traditi, ne quod iis colloquium inter se, neve communicatio consilij esset: sed Mont-Rosius fraude custodis dilapsus (missi frustrà equites ad persequendum retrahendumque) summa celeritate Edinburgum pervenit,ubi Proceres inopinantes convenit,discriminis præsentiam aperuit,nisi adversus inimicos facinus occuparent,ac violentiæ eorum pari resisterent audacia:irent, nec inultam injuriam suam sinerent. Molitores rerum novarum extemplò arma capiunt, adjiciunt factioni suæ Humios ac Carros;communicato inter se consilio,copias contrahunt,cohortes peditum turmasque equitum conducunt, stipendia militibus constituunt, propinquos, affines, clientes evocant,ostentantque seRegem in libertatem vindicare suscepisse,Nobilitati suam dignitatem reddere, communi saluti, amplitudinique consulere. Rex circumstante undique repentino tumultu, non expavit, rerum novandarum Principibus, nisi ante certam diem ab armis discederent, ex Mortonii consilio perduellionis pœnam intentavit: illi nihilominus minis non perterriti, in incepto ferociter persistunt, Feciales ad se missos, & edicta spernunt, diplomata rapiunt, divina humanaque omnia permiscent. Alia ex parte Angusius, Marrius, & Mortonius,sui tuendi causâ Sterlini idem faciunt, ac multi viri Nobiles pro salute Principis,aut partium studio spontè accurrunt, cum magna popularium multitudine: sed Atholius, Argathelius,Mont-Rosius cæterique amici, decem millibus armatorum coactis, in ipso itinere pluribus agrestibus montanis aggregantibus se, ad Narium Sacellum loco aperto castra posuerunt. Postero die Kennethus familiæ Princeps, & Bergamius cum quadringentis strenuis equitibus se conjungunt; Proceres non ultra moverunt, quod spes major in obsidione Sterlini, quam in oppugnatione esset. Angusius autem parte altera, penes quem summa imperij fuit, ad explorandum cum quingentis equitibus antecessit, ut palantes aut moratores exciperet; utrinque in medium concurritur, & leve equestre prælium conseritur: reliquæ Marrij ac Mortonij copiæ, magnusque promiscui vulgi numerus, in circumjectis Sterlini agris stationes & excubias agunt, ac itinera obstruunt. Ubi cessatum à levibus præliis est, Gulielmus Taitus Teniotianus, ferox & cupidus laudis, Jacobum Iohnstonum, Glamij Clientem expertæ fortitudinis, provocat ad pugnam: is avidè se certamini offert, & concitat calcaribus equum,atque in ipsum Taitum dirigit lanceam, adeòq; infestis animis concurritur, ut uterque adversò vulnere transfixus, Taitus moribundus ex equo lapsus sit, Iohnstonij affixum propè equo femur, eoque omnium oculi versi. Intereà Robertus Bowetius Anglorum Legatus,ultro citròque inter factiones commeando,omnes ineundæ concordiæ rationes comminiscitur,oratq; Proceres ut suarum fortunarum misererentur,& incolumitatem Regiam respicerent. De conditionibus aliquandiu disceptatum, tandem eò Deprecatore convenit: *Ne fraudi seditio auctoribus esset; ut modum vagandi cum armis finirent,& hinc indè armatas copias dimitterent, præter modicam manum equitum, quæ plebejos à grassaturis ac latrociniis limitaneorum tueretur: Argathelius, Mont-Rosius, & Lindesius in Consilium arcanum allegerentur, octo viri finiendarum simultatum arbitri electi, statuerent de controversiis Procerum. Præfectis arcium Edinburgi & Britannoduni imperium prorogaretur, Nobilitati suum decus constaret, patrios mores institutaque Majorum colerent.* Ita cum castra castris prope collata essent,communi totius Scotiæ bono, pax est facta,sed brevi servata, licet conditiones edicto in urbe Regia promulgatæ. Proceres retrò Edinburgum concesserunt, ut factionis suæ vires Gordoniorum, Lindesiorum, & Fifanorum Baronum accessione confirmarent; montani in domos & tecta discesserunt. Interim Rex tranquillitatis publicæ cupidus, omni diligentia ad pacificandum incumbit, monetque utriusque factionis Principes, non oportere eos odio & ira diffidere,qui in arcano Consilio Regni summa auctoritate juncti essent: concordiæ arbitros constituit,pro Argathelij factione, viros nobiles Lindesium,Herresium,Ogilvium, Innermethium,pro Mortonio Rothusiæ & Buchaniæ Comites, Ruvenum, & Bodium Secundi Ordinis. Illi sine recusatione ac sine ulla mora negotium susceperunt; sed cum Sterlini per aliquot dies disceptassent, inimicitias Proceribus graves, sed Regi Regnoq; graviores, contra concordiam ipsis Patriæque salutarem,non modo simultates,sed bella quoque finiri,ex infensis hostibus plerumque fidos socios fieri, amicitias immortales, inimicitias mortales esse debere: etsi nulla civilis cura concordiæ omissa, tamen his interpretibus coire non potuit. Quippè Argathelius cognitis Mortonij illecebris præcipuè ferox, omnes conditiones recusavit, nisi ille aula & commercio Regis abstineret. Is imparem se magnæ Procerum invidiæ exurgenti rursus cernens, & turbarum præsentium tædio fessus, accepto à Rege commeatu decessit, & postero die Dalketham profectus, adversariorum incitatos animos ad tran-

1578. ad tranquilliorem habitum prudentia moderationeque inclinavit, ac virtute & obſervantia execrabile odium eorum placavit. Itaque jam Duces partium amici clienteſque, utrinque congreſſus quærunt ad colloquia, & decem interpretes adhibent; pro Atholio & Argathelio Comitem montis Roſarum, Neubotelij Cœnobiarcham, Jacobum Balfourium equeſtris ordinis, Thomam Kennethum, Barganium, & Petrum Hajum: pro Mortonio Buchaniæ Comitem, Fermiliniduni Abbatem, Bodium familiæ Principem, Johannem Gordonium Lochinuarrenſem Equeſtris dignitatis, & Jacobum Haliburtonum Tajoduni Præfectum. Convenit, ut ad Imereski Fanum colloquerentur, & tempus compoſitum. Poſt paucos dies ad conſtitutum locum Delegati venerunt, magna cum amicorum, tum clientum turba ſtipante: poſtero die ad Libertonum (is enim locus placuerat) maturè conventum, ubi diem deliberando conſumpſerunt, nec finis rei imponi potuit. Poſteà Neubotelium colloquio deſtinatum, & actæ ſunt tandem concordiæ conditiones; ſed tota res tranſigi abſentibus ducibus nullo modo potuit: quarè convenit ut Mortonius, Atholius, & Argathelius Lethæ inermi comitatu congrederentur. Poſtquam in conſpectu ſteterunt, ſalutatio humana ac benigna fuit, expoſitiſque ex diuturno odio diſſidiis, publico epulo communicarunt, ingenti vulgi lætitia, nec minore Regis gaudio, qui Republica in tranquillum redacta, Sterlinum iterum indixit Procerum Conventum, gratiaſque iis egit, quod domeſticas diſſenſiones, & inteſtinas factiones depoſuiſſent. Hac gratiarum actione accenſi animi Nobilium ad omnia decernenda pro ſalute, authoritate, & dignitate Principis, ac familiæ magnificentia & ſplendore. Secundum hunc publicum gentis Conventum, Senatus, ad ſublevandam ærarii inopiam, propoſito edicto decrevit, ut nummi argentei pluris cenſerentur, acerbiſſimo civium dolore, qui ex rerum uſu didicerant, aucta ſemel pecunia, augeri alimentorum ac rerum venalium pretia, & graviora ſequi Reipublicæ detrimenta in patrimonio Principis, Fiſco, & vectigalibus. Senatus ni pareant, cuſtodiam minatur: cum ne cuſtodiæ quidem metu ab obſtinata contumacia deterrerentur, rurſus alio edicto Perduellionis pœnam recuſantibus intentat. Hoc metu cedere coacti, & Mortonius auſterioris edicti auctor vulgò creditus, quia in Magiſtratu omnes vias pecuniæ conficiendæ excogitaverat. Cæterum in Scotia hoc anno Catharorum impetus non elanguit, ſed permanſit perpetua ac conſtans in Præſulum authoritate evertenda voluntas. Adverſus numeroſam eorum multitudinem, Epiſcopi authoritate & gratia non prævaluerunt. Tum, referentibus Catharis, ante omnia in Comitiis caput de Religione agitatum fuit, decretumque factum, ut inſtauratam religionem omnes Regiæ ditioni ſubditi profiterentur, Romanæ ſuperſtitionis cultu penitus interdicto, Statutaque omnia, ad eam conſtituendam à Proregibus ſancita, rata eſſent. Hoc tempore Margareta Douglaſſia Regiæ Fœmina Majeſtatis, mortem obiit Sexageſimo tertio ætatis anno, Henrici VII. ex filio neptis: quippè Margareta ejus major natu filia, in Britannici imperij incrementum Jacobo IV. Procerum populique judicio, in matrimonio collocata, Jacobum V. peperit. Extincto Jacobo, Margareta uxor Archibaldo Douglaſſio Anguſiæ Comiti, Scoticæ juventutis Principi nupſit, cui Harbotillæ in Northumbria, filiam Margaretam Douglaſſiam enixa eſt. Matthæus Leviniæ Comes multa claritudine generis, relictis Francici Regis partibus in Angliam profectus, à Rege Henrico VIII. in præcipuo honore habitus, qui præter latifundia in agro Eboracenſi, Margaretam Douglaſſiam ex ſorore neptem ei dedit uxorem. Ex Comite Leviniæ & Margareta Douglaſſia natus Henricus Stuartus Darlius. Is Mariam Stuartam, Scotorum Reginam, propinquam ſanguine in Matrimonio habuit, quæ Jacobum Sextum totius Britanniæ Regem peperit. Multa huic ſanctiſſimæ atque nobiliſſimæ Fœminæ proſpera & adverſa contigere, quibus poſteris memoraretur, egregiæ corporis & animi dotes, ſtirps Regia, par ſoboles & numeroſa, æquabilis gratia regnante Eduardo; ſed fortuna improſpera permiſcuit infirmitatis humanæ incommoda, ne mortalitatis obliviſceretur. Octo liberis ſuperfuit, ter in carcerem ob infauſtos amores, nullo Majeſtatis atque Imperij crimine conjecta, primo quidem ob Thomam Howardum Norfolciæ Ducis filium amatorem ſuum, qui exarſit tanto in eam amore, ut perturbationem mentis ſedare non poſſet, deindè ob filii ſui Henrici Darlij matrimonium cum Maria Scotorum Regina, poſtremò ob nuptias Caroli filij minoris cum Eliſabetha Candiſhia Arbellæ matre. Ita jus matrimonij caſtum & legitimum, mulierem probatiſſimam in carcerem contruſit, quæ adverſa domus ſuæ magis, quam proſpera ſenſit. Hoc facto Eliſabetha magis iræ, quam dignitati conſuluiſſe creditur. Perpetrato filii parricidio emittitur è carcere, ſed ſemper ei manſit exiſtimatio quæ virtute parta, non quæ infelicitate illata eſt. Habitus ſupremus honor, juſta Weſtmonaſterij facta, oſſaque tumulo majorum Regum Angliæ illata, ſepulchrum operoſum, elogium mortuæ multis heroicis verſibus inſcriptum. Nepotes duos ſuperſtites habuit, Jacobum Sextũ, & Arbellam: Indè Rex per Fermeliniduni Cœnobiarcham Eliſabethæ pro incredibili erga ſe amore, ſtudioque pacis & concordiæ, gratias egit: poſt hæc, gratiarum actione officioſe peracta, ab Angla poſtulavit, ut fœdus Edinburgi peractum ratum haberet, & confirmaret, tumultuantes in finibus Regni coërceret, molitiones adverſus Religionem comprimeret, direpta à maritimis prædonibus reſtitueret, amicitiam inter vicina Regna perpetuaret, & arctioris, ſi fieri poſſet fœderis vinculis connecteret, poſtremò avitum Leviniæ familiæ in Anglia patrimonium ſibi ut genere proximo debitum petiit. Ad hæc reſpondit Regina, reliqua poſtulata, ac mutuum fœdus pro utriuſque Regni tranquillitate, & Religionis ſecuritate placere: cæterum de

patrimonio

patrimonio Leviniæ Comitis, rem majoris difficultatis, quam ut queat repentè expedire, proinde 1578. consultatione opus esse. Cû Legatus pluribus argumentis,& exemplis ex historia relatis dissuruisset, Regem Scotorum aviti patrimonij jure indubitato esse hæredem, & proprium Regis patrimonium accisum ad sustinenda Regni onera, magnoperè oravit, ne jus Majoribus à Regibus Angliæ concessum in successione Comitatus Huntingdonensis, Regi genere maximè propinquo denegaret. Post longum sermonem super hac re ultrò citroque jactatum, Elisabetha rem ad Senatum remisit. Consiliarij Reginæ, ut Legatum ab hujus rei cogitatione averterent, postularunt, ut Ordines Regni Scotiæ satisdarent, ne Rex in minore ætate constitutus, inconsulta Regina fœdus cum quoquam faceret, aut renovaret, matrimoniû contraheret, aut è Scotia transmittetur. Ad hæc ille nihil se mandatum habere respondit: Ita avitus Dominatus in præsentia non redditur, spes emolumenti in tempore ostentata.

Inter hæc Elisabetha Regina in proposito res Belgicas componendi perseveravit, & per Wilkesium Legatum admonet Austriacum, à fœderatis evocari Andium ducem, & lecta è Gallia auxilia, turmas quoque Germanorum equitum duce Casimiro Comitis Palatini VII Viri filio: imminere bellum perniciosum, nisi tempestivè pace vel induciis præveniret. Ille ardore & juventa properus, minaciter respondit: *Se nec inducias cogitare, nec Gallos formidare.* Cum Austriacus nec iræ nec implacabilis odij finem faceret, Regina rebus Belgicis intenta, Eduardum Staffordium in Franciam misit exploratum, qui militum delectus haberentur, qui clandestini conatus in finibus Belgij designarentur. Is cuncta, certius explorata, retulit. Legati interim ut de concordia agerent in Belgium missi, ab Imperatore Comes Swartzenburgius, à Franco Pomponius Belleureus, ab Elisabetha Baro Cobhamus, & Walsingamius, qui auctoritatem certantibus Belgis interposuerunt; sed nec suadendi auctoritatê, nec jubendi potestate furorem sistere potuerunt. Inter quæ Henricus Valesius Francorum Rex auctor Andino Fratri fuit, ut Elisabetham acrius in uxorem deposceret, sive ut nomini Gallico plurimum splendoris adjiceret, & amissam dignitatem ac insignia Regni Francici recuperaret, sive ut juvenem aulæ luxu lascivientem ac res novas molientem, spe conjugij in Angliam ablegaret. Andinus licet belli cura occupatus, cupidine flagrans nuptias celebrari cupit, Bacbervilium & Rambuletum, insignes nobilitate, magno electorum juvenum globo circundatos præmittit, quo Reginæ gratiam pararent. Largi apparatus Richemundiæ facti,& epulæ non solum ipsis, sed etiam comitibus eorum publicè præbitæ, hinc initium spei. Mox Simierus ingenii elegantia, ac aulicis illecebris insignis advenit, ut nobilitatem, dignitatem, & utilitatem conjugij ostentaret. Is adjutus Sussexij consiliis, genus, formam, opes crebrò commemorando, Reginam sale suo & lepore pellexit, fremente frustrà Leicestrio gratiam sibi præreptam. Eodem anno Martinus Forbisherus jam tertio navigationem Catajæ classe quindecim navium repetivit, & non sine vitæ discrimine insulam incognitam appulit, fretoque nomen suum indidit; terram etiam perscrutari cœpit cupidine auri, quod calidioribus terris nasci consuevit, effossamque materiam, velut partam prædam, in Angliam avexit spe inani: populus vana credulitate confusum aurum, & magnas opes afferre credidit, nec nisi serò falsa somnia sua seque elusum sensit,& non pauci cives veteres opes consumpserunt, cupidine novarum. Hæc navigatio inter causas Angliæ opulentiæ erat: quippe etsi Groenlandia non fert aurum, aut argentum pretia longinquæ navigationis, tamen Oceanus gignit infinitam balænarum copiam, copiosissimum earum piscatum, ac quæstuosissimam olei mercaturam. Fine anni Nelsonus & Sherwodus sacerdotes Romanæ Ecclesiæ, parum obsequentes Majestatis pœnis affecti, ut pœna eorum cæteros observantiores Principis redderet. Regina objectam adversus Pontificios inclementiam excusavit, quia non aliter Regiam Majestatem tueri, aut vitam conservare potuit, nisi machinantes perniciem, damnatione anteverteret. Hac tempestate trepidatum in Hibernia ne Hispani ingruerent, fraude & dolo Thomæ Stuclei: is juvenis ferox, turbidus,& profusius sumptui in adolescentia deditus, ubi familiares opes defecerant, in Hiberniam profugit, proditionem paupertati adjicit, & Hibernos quibus ingrata quies, ad defectionem trahit. At detecto scelere ex Hibernia in Italiam ad Gregorium XIII. Pontificem Romanum dilapsus, invalidi senis gratiam spe & cupidine Regni conciliavit, concivit Italos, illexitque perfugas: postremò honore Marchionis Lageniæ à Pontifice insignitus, coactis copiis, navique Genuensi impositis, Reginam Hibernia exturbare, imperioque ejus potiri somniavit. In hoc incepto delirus Pontifex diffidens propriis viribus, Hispani auxilium imploravit: is diu pensitans impetione Britannico, an Lusitaniæ Regno inhiaret, si daretur occasio, vicit propinqua utilitas. Inter quæ Stucleus ad Tagi fluminis ostium navibus delatus, Olissiponem appulit, ubi Sebastianus Lusitanorum Rex juvenili ardore, temeritate, & amentia præceps, vocante Machomete Fessæ Rege bellum Africum meditabatur,& Stucleum cum armato agmine, sponte vel principali auctoritate attinebat. Mox transgressos in Mauritaniam circumvenêre barbari, Stucleo Præfecto, & plerisque Centurionum interfectis memorabili illo prælio in Tomirensibus campis, in quo tres Reges desiderati sunt, Sebastianus Lusitaniæ Rex præclara indole, Machometes à Melico Abdala Fratre Regno spoliatus, & ipse Melicus fortitudine ac prudentia insignis. Hæc opportuna infamis & invisi exulis Stuclei cædes, magnam calamitatem à Regno Angliæ avertit: quippè Hispanus extincto Sebastiano, mutatione rerum, & occasione oblata permotus, Lusitaniam

Res Anglicæ.

1578. meditans, Britannici belli cogitationem abjecit, frustrà instante Pontifice, ut susciperet bellum anceps & periculosum. Post hæc Sebastianus San-Josephus, rudis rei militaris, cohortes Stuclei per Africam vagantes in unum locum congregat, transmissoque mari Hispaniam petit, ubi aucto exercitu septem ex Cantabrica legione Cohortibus, belli Hibernici curam non omittit. Pontifex, missis corruptoribus, ad fidem exuendam occultè impellit Hibernos, in tempore rebellaturos.

Res Hibernicæ. HENRICUS SIDNEIUS splendidis natalibus ortus, & bello egregius, senectute gravis, ac satietate gloriæ provectus, qui per XI. annos integrè ac strenuè Hiberniæ feroci Provinciæ præerat, subactis rebellibus, & captis Ultoniæ Primoribus, in administrando jure, & negotiis gerendis intentus, industrius, ac civilium rerum peritus, in sceleribus vindicandis natura magis ad lenitatem, quam ad severitatem propensus, in Angliam cum familia & magna prosequentium multitudine digressus: posteà nemo toties hunc Magistratum consecutus est. Successor electus Gulielmus Drurius Momoniæ Præses, diligens ac moderatus Dux, qui valetudine incommoda labores, discrimina, ac gloriam Gulielmo Pelhamo, scientia rei militaris claro, communicavit, & sæpè parti exercitus præfecit, isque intra annum extinctus est. Revertentem ex Hibernia Sidneium Elisabetha præcipuo in honore habuit, ob prosperas res, redactamque paulatim in formam Provinciæ ulteriorem Hiberniæ partem, firmataque præsidia.

Res Externæ. In Belgio bellum redintegratum. Austriacus Iberorum & Italorum copiis auctus, ac Alexandri Farnesij Parmensis Principis Societate, Fœderatis bellum inferre statuit. Ingentia prælia secuta, expugnationes urbium, & passim hostilia. Fœderati instructi armatique, Gemblacum versus proficiscuntur: in prima acie Montinius & Hornius Hesæus, in media Bossuvi Comitis, ac Campaniaci legiones, & auxiliares Anglorum Scotorumque cohortes erant. In postrema Egmundanus & Lumæus curabant. *Gemblacense prælium.* Austriacus cognito hostium itinere, Alexandrum Farnesium, Octavium Gonzagam, & Billium cum levi armatura præmittit, ut hostium agmen carperent, incursarentque ab omni parte: Austriacus ipse deindè assecutus cum omni equitatu, in Fœderatorum equites impetum facit, turbatque, qui præcipiti cursu peditatum suum perrupere, & Scotorum Anglorumque auxiliares cohortes obtrivere magna strage. Post acre certamen, & atrocem utrinque cædem, Montinius & Jacobus Balfourius Scotorum Tribunus, incolumes evasere. Ipse Matthias, & Aurasionensis ejus Vicarius, ex clade palantibus collectis, Bruxellas repetivere. Capta triginta peditum signa, quatuor equitum vexilla, multique peditum Præfecti. Gemblasensi clade territæ multæ Fœderatorum urbes, Lovanium, Philippopolis, Limburguum, Nivella, aliaque ignobilia oppidula deditionem fecerunt; Trajectum ad Mosam frustrà tentatum. Audita clade Andium Dux, deplorato miserabili Belgij statu, & Austrij Tyranide acerbissimè exagitata, se suamque operam & opes Ordinibus offert: cui responsum est, lætum universis Belgis ejus adventum fore. Is defensor Belgicæ libertatis adversus Iberorum, & Johannis Austriaci tyrannidem electus, auxiliis Gallorum contractis, quasi recuperaturus Belgium à Majoribus possessum, eò proficisci statuit, pacisciturque missis Legatis, ut in commune consulerent. Philippus Andini in Belgium præparata expeditione irritatus, renovandi occulti fœderis cum Guisiis occasionem amplectitur. Intereà Austriacus recenti victoria elatus, avidus pugnæ, priusquam Francorum Duce Lanovio, & Germanorum copiæ Casimiro Duce, convenirent, Reminantum contendit, ubi Ordines castra fossa ac vallo muniverant, progressusque ad situm munimentorum visendum, irrumpere conatur. Equites in statione re nova perturbati, vix primum impetum sustinuerunt; contra Fœderatorum pedites fulgentes armis, in munitionibus constiterunt, subeuntes Hispanorum cohortes globis & telis incesserunt, scandentes deturbarunt. Horum virtute pulsi Austriaci, desperata expugnatione castrorum, munimenta agressi Anglorum & Scotorum perrumpere aggrediuntur. Angli fortissimè pugnantes hostes sustinuerunt; qua pugna Joannis Noritij virtus præcipuè enituit, tribus transfossis in certamine equis. Scoti quoque, ne antè partam rei militaris famam amitterent, fervescente sole abjectis vestibus acre prælium fecere, & promptissimos Austriacorum interfecere. Gulielmus Stuartus, qui legioni Scoticæ præerat, magnam in hoc certamine & prælio bellicæ virtutis laudem consecutus est. Neque Austrio longa post hæc vita. Is vir fuit ambitioso ingenio, Regno Tunetano & Anglicano inhians, Fratri Philippo suspectus, cum res Belgicas curaret, sed Dux haud despiciendus, impetu quodam generosi animi potius, quam consilio aut judicio ductus. Decessit in castris propè Namurcum in ætatis robore, non tam vi mortis, quam mœrore & ægritudine animi, ac pudore cœptæ temerè oppugnationis castrorum extinctus. Funus more militari maturatum; tulere corpus Ibericæ cohortes, cum dolore & luctu Echinaticam victoriam laudibus celebrantes. Escovedus ab Epistolis, omnium consiliorum auctor aut particeps, Anthonij Peresij insidiis in Hispania interiit: ipse Philippus venit in suspicionem de morte ejus. Quod ubi fama divulgatum, Austrius cognoscens interfectum Escovedum fidissimum sui Cultorem, casibus belli vitam objecit, ne diutiùs contumeliam Fratris & injuriam amico illatam pateretur. Id consilium literis ejus ad Andream Auriam, & Petrum Mendozam interceptis, patefactum est. Qui ubi fato aut tædio occubuit, jussu Philippi in mortui locum suffectus Alexander Farnesius Parmensis Princeps,

Princeps, gloria militari illustris; indè crebra prælia, & non incruenta, urbium eversiones, cædes 1578. Belgarum. Per idem tempus Francorum Rex, amoto Fratre velut freno exsolutus, pace gaudens, ad luxum & otium revolutus est, & in medullas nervosque discenderunt delitiæ, balnea, convivia, amores. Mos erat Regulis Francorum adultos liberos præstantis indolis & celebris ingenij, Regi tradere ad aulæ ministeria: ex hac cohorte Jacobus Levius Antonij Cailusii in Ruthenis Reguli filius, adolescens nobilis præcipuè in gratia Regis florebat. Moto inter eum & Carolum Balsacum Dunensem juvenem clarum graviore jurgio, ob quam causam incertum, data fide acceptaque ad duellum provocavit, nec debili impetu rem executi sunt. Levius in societatem certaminis & gloriæ sibi ascivit Maugironum effosso oculo dirum ore, & Ioan: Darsium Livarotum. Dunensis studio vulgi celebratior, Riberacum & Schombergium assumpsit. Tempus & locus convenit, in urbe Regia, & equorum foro. V. Kal: Maii prima luce terni juvenes fortium virorum animo pugnarunt: primo statim concursu, Maugironus à Riberaco, Schombergius à Livaroto confossus est. Ipse Levius lethali vulnere affectus, occidioni exemptus est, ac posteà in tabem incidit. Rex mœrore & sollicitudine fatigatus, per omnes valetudinis dies lecto assedit, cibum præbuit, medicamina adhibuit; sed nulla humana ope fato subtrahi potuit. Defunctus publica cura, & cultu Regio funeratus est ad proximam Divi Pauli ædem. Magnus luctus per aliquot dies in Lupara fuit: Rex impatiens casus, & impar mœrori, publico abstinuit, & in recenti dolore vix Ronsardi & Philippi Portæ celeberrimorum Poëtarum colloquia & consolationes toleravit. Mortuo statuam marmoream persimilem in D. Pauli templo locavit, ne suavissimi juvenis memoria moreretur, hortatusque est Ronsardum & Portam precibus, ac præmiis invitavit, ut meditarentur ad perpetuam memoriam carmina ac laudes. Remedium mœroris lassitudo mœrendi invenit, & inveteratus dolor odium plebis accendit, irridentis nimium mœrorem & luctum, increpantisque multos viros fortes civilibus bellis obiisse, neminem tam flagranti studio celebratum. Tum exuto dolore ad voluptates rediit, ad quas, quam utilitates publicas pronior, in omnem otii licentiam ac dedecus prorupit; opes publicas sine modo, sine judicio profudit, noctes diesque potando, epulando consumpsit: majore adhuc turpioreque infamia Moniales Virgines in Monasteriis corrupit. Principes amicorum Regis erant Renatus, Villoclarus, & Franciscus Doius: Horum commendatione nobiles egregiosque juvenes, dignitate formæ præstantes assumpsit Comites, & Ministros eos non præmiis modo ingentibus, sed & primariis Præfecturis ornavit, honores, dignitates, Tribunatus, Magistratus, Præfecturas, immunitates, & impunitates eorum arbitrio largitus est: publica Regni munia pretio, ac publica nundinatione addici, aut eorum studio, & compendio indignis donari passus est. Intereà Principis patrimonium, & amplissima ditis Regni vectigalia, tam profuso sumptui sufficere non poterant, quamvis quotidiè nova & inaudita excogitarentur, ac edictis firmarentur. Quibus rebus Senatus Parisiensis offensus, neque edicta rata habuit, neque immodicas donationes, & subindè jactavit revocandas libertates, exigendosque agros publicos venditos ab emptoribus. Amplissimus Ordo offensionum pro publica utilitate non pavidus, minas fautorum, & contumelias sprevit, & nullo casu alienari à Rege patrimonium Coronæ posse disseruit, quod Rex tantum usufructuarius sit, proprietas penes Regnum maneat, quasi fulcrum & columen Reipublicæ. Per hæc & hujusmodi Rex contemptior indies & invisior, Senatum exacerbavit, ac præcipua flagravit invidia apud plebem, ob nova & insolita onera imposita invitis & recusantibus. Ergo primi malum præsens sensere, & futurum exhorruerunt Burgundiæ Ordines, qui obsequiū rumpere ausi sunt, & statim Delegatos ad Regem cum mandatis destinaverunt, nova onera deprecantes, maximéque frementes arbitrio hirudinum expilari ærarium per rapinas, & scelera suppleri. Querente Rege de Regni oneribus & Fisci exiguitate, monuerunt Delegati, ut Ærarii à rapinis vindicandi major in posterum cura haberetur, nullis novis oneribus Provinciales premerentur, profusis sumptibus & donationibus publicè exitiosis parceretur; additæ insuper querelæ de honoribus, Præfecturis, Sacerdotiis indignis collatis, de imperitis juvenibus in societatem imperii allectis. Rex Delegatos contemptu sui, & nova spe queri ausos opinatus, iracudiã summa dissimulatione transmisit, ad evertendum transferendumque periculum quod immineret, si cæteræ Provinciæ Ordinum Burgundiæ exemplum sequerentur, Edictaque Fiscalia revocari curavit.

PEr hæc Rex universis propè Ordinibus offensus, nulli tamen infensior quam amplissimo Ordini 1579. Parisiensi, exacerbatus quod Edicta approbare decreto suo recusasset. Initio hujus anni Atholius Prætor, ingravescente vi morbi Kincami retentus in villa Montrosiana, ubi paulò post obiit morbo & animi anxietate extinctus, vel lento & tabifico veneno sublatus, ut alii perhibent; quod verius crediderim: omnia quippe quæ solent esse indicia & vestigia veneni, in illius corpore apparuerunt. Funus multorum conventu, mœrentium turba, epulisque, Edinburgi in templo sancti Ægidii, nullis ad honorem ceremoniis omissis celebratum, impositaque tumulo volucris effigies, quæ rostro pectus dilacerat, ut pullos sanguine suo pascat, ostendens illum fuisse paratum pro civium salute sanguinem suum profundere. Suspicio de morte Atholii Mortoniũ æmulum infamavit: hinc post funeris solennia graves in eum contumeliæ, & crebri questus uxoris defuncti longo mœrore fessæ, ac intimorum amicorum fictæ reconciliationis gratiam criminantium. Argathelius in Præturæ locum suffectus est,

1579. est, cui mors amici suspecta atque invisa fuit. Rex quanquam Nobilitati mitis, tamen Hamiltoniis Mortonii impulsu & propriis odiis infensus, ob cædem Levinii avi, & Jacobi Moravii Proregis, aliaque facinora, publica utilitate abolita anno salutis 1573. clarissimam familiam, jamdiu ab aula remotam invisamque, ferro & flamma persequendam decernit. Super dolorem injuriæ, & cupidinem vindictæ, Mortonius extincto Atholio æmulo ferocior, inimicitias expromens stimulabat, ut consuleret sibi, & Leviniæ familiæ capitales inimicos vi armorum opprimeret. Familiæ Principes Johannes & Claudius Hamiltonii, viribus hostibus impares, castellis se defensare, bellum ducere statuerant: sed veriti ne irruptione subita circumfunderentur, periculo mortis in fugam & latebras se conjecerant. Marrius, Angusius, Mortonius delectu habito, congregatisque amicis, & clientibus, omnibus rebus paratis in Hamiltonium vicum proficiscuntur, cæteri Proceres ac cives Regis Senatusq; autoritate, lecta auxilia mittunt. Distributis cohortibus, turmas equitum locis idoneis Præfecti constituunt, ubi opperirentur, si Hamiltonii cupidine prætentæ ultionis, casum pugnæ præberent; sed non ausi vel ex occulto moratores carpere. Inde vastati agri Glattiani, ædificia incensa, prædæ passim actæ, Hamiltonium castellum maximè celebre, tutum loco ac præsidio militum, ubi incolere consueverant Reguli, & nunc omnes suas fortunas contulerant, admotis machinis, clausisq; effugiis oppugnatur; sed defensores arcis obsidionis impatientes, supplices veniam orant, omnia præter vitam suam offerentes. Hæc qui Regi nunciaret Driburgensis Cœnobiarcha Sterlinum missus; Rex conditiones non accipiendas arbitrabatur ab iis, qui per dolum atque insidias Levinium avum crudeliter interfecerant, supplices & innoxios cædis audiendos censebat. Responso Regis obsessis communicato, ortæ inter noxios & innoxios discordiæ, deditionem festinavere. Inter hæc res opportunissima accidit: Daffrania arx munitissima, cæsis qui restiterant à Jacobo Hamiltonio Equestris Ordinis intercipitur, Glencarniæ Comitis filius Pasleti turrim custodibus ejectis occupat: ita odio accolarum, & domesticis discordiis, Hamiltonii generis mortales circumventi, trucidati, intercepti. Tandem obsessi tot detrimentis acceptis, maximè etiam permoti defectione suorum, se dediderunt, atque hujus deditionis insontes auctores fuere. Paucis Parricidii reis supplicio affectis, pecuniaque ex bonis noxiorum in fiscum relata, reliquis abolitio concessa pari severitate, ac clementia, & præsidium castellis impositum, subsidium adversus rebelles. Intereà Joannes & Claudius Duce Castri-Heraldi geniti, nullo in armis præsidio, in omnes partes diviso hostium equitatu, spe consequendi ab Angusio, Marrio, Mortonio pelluntur Regno. Cum locum fugæ circumspicerent, consultant, Francine, an Angli misericordiam experirentur. Quanquam Elisabetha propriis odiis Hamiltoniis, Gallicis factionis Principibus infensa; tamen mutatione rerum & claritudine Majorum permota, eorum fortunæ miseræ atque afflictæ portum ac perfugium dedit, & pro eis per Eringtonium, auctoritatem sedulò interposuit. Nemo adeò expers humanitatis fuit, ut non tanta fortunæ commutatione commoveretur, sequentibus fugientes cũ parvis liberis conjugibus. Quanquam haud dubium esset, bellum civile ab Hamiltoniis imminere, tamen charitas patriæ hostilem impetum refrenavit. Iisdem temporibus Regina Scotorum extorris Elisabetham oravit, ut aliquando misericordiam caperet aliquam, si non propinquitatis, & amplitudinis Regiæ, à subditis scelerata conjuratione pulsam, in patriam Regnumq; restitueret, aut communiter cum filio regnare permitteret in æternum exemplar clementiæ. Reginæ mentem ad lenitatem misericordiamque prece & obsecratione humili revocare non potuit: quippe Scoti consulti responderunt, si remitteretur Patriam gravi & exitioso bello illigaturam, dum inimicorum adversum se injurias ulcisceretur, adolescentis Regis auctoritatem imminueret, ac Religionis statum immutaret. Scota dolore tantæ ad irritum cadentis spei commota, orat maximè Gallum Hispanumq;, ne se ejusdem sanguinis, cultus, & Ordinis in carcere perire finerent, suas quoque recentes injurias ultum irent, concitatas seditiones, bona civium direpta. Hæc moverunt Reges, qui ad spem libertatis ac pristinæ dignitatis erexerunt. Missus ilico in Scotiã Gallus Naus nomine, Mariæ ab epistolis, cum occultis mandatis & literis, ac nomine Reginæ exulis postulavit, ut sibi Regem convenire liceret, ac loqui de statu & conditione matris. Senatus postquam *Regina Maria Principi Iacobo S.* legit, vehementer offensus est, neque literas superbè scriptas, neque nuncium recipere voluit, quod & Regem Scotiæ Principem compellarent, ac ejus auctoritatem imminuere viderentur, præsertim cum consensu matris legitimè Rex creatus esset, ac Nuncius pertinaciter penes Reginam omnium rerum potestatem statueret. Igitur sine responso prætereundum esse decrevit, nisi id vitium Regina corrigeret, scriberetque ad Regem Scotorum: id si abnueret, ipsam impedimento esse, quo minus gratificaretur. Gallus hoc responso irritatus, confestim decessit. Sensit Scotorum Regina, hujus nominis & tituli obliviscendum sibi esse, si quid impetrare vellet, & non solum filio, sed Regi scribendum esse. Cæterum sparsi in Curia famosi libelli varii generis prosa Oratione & carmine, ad infamiam Mortonii ac illustrium virorum. Requisiti auctores famosorum epigrammatum, & reperti Turnibullius, ac quidam Scotus nomine, qui graviore sententia pronuntiata, Sterlini in foro rerum venalium supplicio affecti, novum sanè & apud Scotos insolitum spectaculũ præbuerunt, cum more majorum extra ordinem punirentur, libellos edentes ad infamiam cujuspiam, exilio temporali, relegatione, aut bonorum publicatione; sed Mortonius injuriam suam acrius vindicando, invidiam odiumque auxerat. Inter hæc Amatus Stuartus Aubignius ab Aubignio

in Bitu-

in Biturigibus vico cognominatus, ex Leviniana familia oriundus, Johannis Stuarti filius, Fratris 1579. Matthæi Leviniæ Comitis, qui in pueritia Regis rerum potitus est, homo nobilissimus, ad statum Religionis in Scotia turbandum à Guisiis fratribus missus, ut vulgo creditum fuit, vel ad infringendam Mortonii potentiam ab Argathelio & Mont-Rosio evocatus, vel ad fœdus Anglicum labefactandum, Letham delatus est. Ibi jussu Regis exceptus, summo honore, splendidaque pompa Edinburgum deductus est. Ad Regem Sterlini introductus, ubi tribunali astitit, genibus provolutus supplicavit, ac in ingressu Regni fausta omnia precatus est: eum Rex adolescens ob sanguinis propinquitatem, summam nobilitatem, ac multas corporis & animi dotes, magna benevolentia tanquam parentem complexus, opimis statim prædiis donavit, arcanis consiliis adhibuit, honoratioribus aulæ ministeriis, Cubiculo, & Britonidum arci præfecit, ut partem curarum capesseret: unde fama ejus Britanniam pervagata invidiam concitavit, præcipuè quod Scotos ad Gallorum amicitiam attraheret, & Thomam Carrum Fernihurstium, fidissimum Reginæ exulantis cultorem, ab exilio revocare tentaret. Auctorem hujus familiæ, & progressum in Gallia, noscere operæ pretium reor. Joannes Stuartus ejusdem sanguinis, regnante Carolo Septimo, & fervente magna belli contentione terra marique inter Anglos & Francos, transvectis copiis auxiliisque, Magister equitum creatus, prospera pugna Anglos ad Baugium vicit, ac sedem posteris fixit in agro Biturigensi. Bernhardus eadem prosapia bello Neapolitano Carolo VIII. Rege, domita Italia, & superato Alphonso Tarraconensi Rege, magnam fortitudinis laudem assecutus est, quam nullæ historiæ satis dignis laudibus prosequuntur. Cum vero nullos liberos suscepisset, cognatus ejus Joannes in patrimonium successit, stabilemque sedem in Gallia collocavit, ac subindè Joannes & Amatus uterque bello egregius si tempora Reipubl. postulassent, per bella Civilia quievere. Hic vir fuit pacato ingenio, à turbis ad quietem prono, nisi alieno impetu impelleretur, egregia erga Regem fide, ac multa apud Proceres charitate. Prosperis triennio rebus usus, inde adversariorum odio & domesticis discordiis circumventus est, prorsus dignus majoribus suis, & familia Leviniana. Per idem tempus publicum gentis Concilium Idibus Octobris Edinburgum indictum: cum magno assensu Nobilium familiarum, & Principum decretum est, ut destinato per edictum die Rex Sterlino Edinburgum ad Comitia celebranda digrederetur. Imbres, nimbi, procellæ, turbines, ceteræque tempestates iter necessarium non retardarunt: ipse Comitesque ejus vi turbinis distracti, ac diu in itinere vexati, multa nocte Linninchum sunt ingressi, ac postero die Edinburgum venerunt. *Primo die Comitiorum urbem purpuratus phalerato equo, maxima cum exultatione ingreditur, & triumphali pompa in publicum urbis Prætorium procedit, præcedentibus ordine Proceribus Regni, & Ecclesiæ, celebrantibusque Principatus primordia, multa veneratione imperii insignia traducta ab Archibaldo Douglassio Angusiæ, Colleno Cambello Argathelia, Roberto Stuarto Leviniæ Comitibus. Postremò ipse ostentatus decore imperatorio, comitantibus servitiis, & clientelis; multitudo ad insigne spectaculum concurrit, ac plausu, veneratione, & faustis vocibus Regem prosequitur. Ubi in tribunali consedit, Proceresque in subselliis, orditur paucis, frequentiam Procerum alacritatem sibi summam afferre constituendæ Reipublicæ; imbecillam ætatem per Regnum turbis causam dedisse, magnam spem in eorum prudentia reponere tranquillitatis, pacis, concordiæ: denique Deum testatur, nihil aliud sibi propositum quam Religionis incolumitatem, salutem subditorum, & Regni securitatem. Primum in Comitiis caput de Religione agitatum fuit, decretumque, ut illi soli qui Confessionis formulam in Scotia Comitiali auctoritate probatam, anno salutis 1567. præscriptamque Regni illius sacramentorum administrationem re, & voluntate profiterentur, veræ Ecclesiæ membra haberentur; nulla orthodoxa Religio in doctrina aut disciplina censeretur, nisi quam Scoti in præsentia amplecterentur: nulli Proceres liberos suos ad externas Regiones transmitterent, nisi commeatu à Rege prius impetrato, eoque exorato adolescentes fidem jurejurando & chirographis obstringerent, se doctrinam & instituta Ecclesiæ Scoticanæ inviolatè servaturos: ut unusquisque domi suæ sacra Biblia haberet in vulgarem linguam versa.* Iisdem deindè Comitiis stabilita ministrorum authoritas, quibus Euangelium prædicandi, & sacramenta administrandi, cum morum censura, & delinquentium coërcitione potestas data; multum imminuta Episcoporum & Ephororum disciplina tum publicè recepta, quorum munus Synodorum sanctionibus nondum abolitum fuit. Proxima de Hamiltoniis deliberatio fuit: multi Proceres de eorum pœnis disseruere, Principem laudibus gratibusque venerantes. Joannes & Claudius summo loco nati, aliique quindecim ejusdem nominis Comarchi, causa cognita cunctis suffragiis Perduellionis rei peracti, & cædis Moravii & Levinii Proregum: bona eorum in fiscum redacta, prædia amœna & fructuosa, Aubignio, & Marrio concessa, huic Pasletum, illi Arbotha obtigit. Fuere qui ira ac odio accensi, Hamiltoniorum nomen penitus extinguendum crudelissimè censerent. Princeps ejus consilii fuit Mortonius: At Rex dignitati suæ magis, quam iræ alienæ consulens, novum sanè consilium & insolitum pœnæ genus improbavit, ac utendum censuit remediis, quæ legibus comparata essent. Relatum deindè in Comitiis de corruptis Judiciis, de iniquitate Judicantium, gratia, ambitu, pecunia, invalido adhuc legum auxilio (neque legibus opus erat, cum primi Judices suopte ingenio justè judicarent) in conjuges & servos eorum, corruptos largitionibus, latæ leges cum pœnis & coërcitionibus. Pensiones annuæ, in Regis infantia immodicè datæ, augendo ærario repetuntur. Donatio quoque Leviniani Comitatus, Carolo Stuarto patruo facta revocatur, & publico Ordinum

Iurisdictio ministrorum.

decreto

1579. decreto Roberto Stuarto avi fratri confirmatur, qui resignatione sua sponte, suoque judicio facta in gratiam & compendium Aubignii, posteà Marchiæ Comes appellatus, Aubignius primum Lenoxiæ Comes creatus, deindè Dux destinatus est. His rebus constitutis, repressis jam Hamiltoniis, & damnatis Lege & Senatusconsulto, Rex in primordio regiminis à se suscepti Religione populum devinxit, intentiorem familiæ disciplinam egit, clienres incorrupta fide adscivit, optimum quemque educatorem præmiis affecit, atque acquisitis vulgi studiis Sterlinum profectus est, remississimo ad otium, oblectamenta vitæ, & summam comitatem animo; ubi suum quoque fastigium Lenoxius attollere altius cœpit, Jacobum Stuartum Ochiltrium Ordinis in Belgio ductorem trucem, & ingenio violentum, ac Gulielmum Stuartum egregiæ militaris famæ Tribunum ibidem militum (cujus supra mentionem feci) in interiorem familiaritatem recepit, veniam exilii pro Carro Fernihurstio minaciter fremente Mortonio impetravit, qui fidus in Lenoxium memoria recentis beneficii, & infestus Mortonio dolore veteris injuriæ, discordiæ initium callidis artibus fovit. Inter quæ Lenoxius flagrantissima jam gratia apud Principem, nec minore lautitiarum invidia apud plebem, occulta fraude inimicorum, & vulgi rumoribus acerbissimè corripitur; perniciem rectæ Religioni machinari, Papanam superstitionem subdolis artibus promovere, Regis fidem labefactare, tumultuosis concionibus lacerant, quasi ad pietatis cultum labefactandum à Guisiis summissum, Gallicam factionem in Scotia fovendam, & Regni statum à fundamentis convellendum: multoque questu ad Regem deferunt, florere in aula intra penates homines novos, incauta Regis ætate in publicam perniciem Regni, & Religionis abutentes. Commotus his criminationibus Rex, adhibitis in Concilium pastorum Primoribus statuit, ut ex eorum numero selecti Lenoxium in sincera fide instituerent, oratque per fidem & obsequium ut in id sedulo incumberent deposita omni simultate. Tum à Delegatis actæ Regi gratiæ, & fidam pro se quisque operam pollicitus est; Lenoxius quoque promisit se Delegatos auditurum. Edinburgi congressi inter se quotidie conferebant, controversias ex sacræ Scripturæ auctoritate dirimebant; tandem Lenoxius homo veritatis cupidior quam contentionis, persuaderi sibi passus est, & præsente Magistratu urbico, ac Primoribus Ministrorum, in magno hominum cœtu sententiam suam de religione mutavit, & Papali abjurata instauratam confessione erroris sui comprobavit, pro hac decertandum, pro hac sanguinem effundendum, pro hac denique vitam exponendam affirmavit. Quæ res Regi & majori parti Procerum grata fuit; sed cœca Invidia, assidua eminentis fortunæ comes, detrectare virtutes, corrumpere honores, & dissimulationem falso arguere non cessavit: proindè Rex multò magis commotus est, & simul in integritatis suæ testimonium Confessionem fidei fieri curavit, cui ipse posteà cum familia, & subditi summo loco nati, subscripserunt, quo plus spei Ministris daret. Inter hæc Aubignius ad Regem Sterlinum profectus, in quiete & otio aliquot dies jlocaliter transegit, mores, animum, ingenium Principis consuetudine Gallorum imbuit, campestres equorum, & armorum exercitationes edocet: Rex domitat in pulvere frenatos equos magna voluptate spectantium. Per eosdem dies Ruchenus Joanni Atholiæ Comiti, egregiæ tum spei juveni, filiam collocavit: multi Proceres ad solennia nuptiarum Perchum congressi, convivia ternis ferculis profusissimè celebrabant, cantu vocum, tibiarum & buccinarum clangore, tota urbs personabat, picturis oculi, cantilenis aures tenebantur. Plebei delinimenta vitiorum, spectacula, choreas, & conviviorum elegantiam avidè spectarunt, vetusta gentis parsimonia in victu quotidiano & cultu, sensim labante, & externa luxuria per speciem humanitatis irrepente.

Res Anglicæ. Dum hæc in Scotia geruntur, Simierus in Anglia, qui suis artibus Andini matrimonium cum Elisabetha perpetrandum sumpserat, consilium ejus & probante & adjuvante Sussexio viro claro, atque inter Anglos primario, crebro jactando formæ decorem, stirpem nobilem familiæ Valesiæ, opes & potentiam, mirabilem amorem in pectore Reginæ excitavit: indè accensus Leicestrius stimulante Zelotypia, Reginam magicis susurris & devotionibus in Andini amorem pellexisse insimulavit. Igitur Simierus aulicis artibus insignis, quo Leicestrii gratiam & interiorem potentiam infringeret, incustoditum amorem cum vidua Essexii decora fœmina, & jus matrimonii castum ac legitimum ad crimen traxit, & præbuit Regina aures suspicionibus. Is repente Vico-viridi in libera custodia habitus, in carcerem Londinensem mox deducendus, nisi Sussexius infensus & inimicus ei semper antea, jam veritatis quam ultionis avidior, Elisabetham monuisset justas nuptias nemini unquam probro aut crimini fuisse. Haud defuere, qui ægris oculis inspicerent interiorem Reginæ cum Simiero familiaritatem, populumque Britannicum nuptiis adversari clamitarent. Leicestrius æmulus gratiæ, Teuderium satellitem Reginæ spe & pretio solicitasse, ad Simierum necandum ferebatur; quod ubi Elisabethæ compertum, repente per edictum monuit, ne quis dicto, facto, aut vultu denique eum aut comites perstringeret, neque repertus est quisquam hujus edicti violator, nisi unus Apleterus improvidus juvenis tali casu, cum Regina secundo Tamesi phaselo voluptatis gratia cum Simiero, Clintono Lincolniæ Comite, Hattono satellitii Præfecto deveheretur. Remigis brachium ictu sclopetti trajectum, suspitionem & crimen effecit, Reginam aut Simierum insidiis petitum; sed etsi quæstione habita, apparuit casu potius fortuito, quam voluntate aut consilio factum esse, tamen ad supplicium maleficus abreptus est. Simierus peritus morum Angliæ acquirendis vulgi

studiis,

studiis, veniam delicti impetravit, magnaque plebis assentatio secuta est. Placuit dehinc Andino jam 1579. prælato cæteris, non ultra cunctari, quin dilata expeditione Belgica clam in Angliam paucis comitibus itineris ad celebrandum matrimonium proficisceretur, ac Reginam prope ante rumorem sui adventus opprimeret. Hæc Fratris profectio Franciæ Regi grata fuit. Elisabetha cui nihil improvisum, nihil inopinatum accidere potuit, muliebri ac delicato ancillarum comitatu obviam processit, & non solum comiter, sed etiam magnificè accepit, cantu, cymbalis, conviviis, saltationibus sermonibusque sine satietate Vico-viridi complures dies detenuit. Invitatio benigna & hilaritas juvenilis, materiam vulgi sermonibus præbuit, obmurmurantis periculum instauratæ Religionis. Vocati post hæc Proceres ad placandam plebem, quorum consiliis ad subsidium dominationis utebatur, Burghleius, Sussexius, Leicestrius, Hattonus, Walsingamus, & Simierus, variè super commodis & incommodis hujus matrimonii disseruere, instauratæ Religionis interitum, Reginæ discrimen, Regni exitium, plebis ruinam, ac metum externi jugi, & miseri rursus servitii intentari, ac justi metus rationes adjecere, sperni authoritatem Senatus, consensum populi, portam ad turbas in Regno aperiri, summamque Reipub. agi exposuerunt, si sceptrum Majorum in Valesiorum domum ferret. Ubi hæc atque talia coram disputavere, Simierus veniam dicendi poscens orditur, quando matrimonium Principis cuncti Proceres suaderent, ut paternum Regnum liberis traderet, deligi oportere Andium Ducem, nobilitate insignem, filium Regis, nepotem Regis, fratrem Regis, florentem ætate, corporis robore, ac viribus, finitimis bellis assuetum, missum à fratre in expeditiones multas variasque, proindè idoneum ad subveniendum Belgis in tantis calamitatibus; ostentat potentiam Gallicam, unicum in terris remedium adversus dominationem Hispanicam, omnibus vicinis juxta formidolosam, & Scotæ Pontificisque molitiones ad Ecclesiæ Romanæ amplificationem, ac si sperneretur nobilissimum conjugium, perniciem publicam erupturam, periculum in mora, utilitatem in properantia. His permota Regina, & jam animata ad contundendum fastum Bæticum, ac pugnandum pro salute innocentis populi Belgici, postquam inanem animum incauti juvenis spe & cupidine matrimonii sui impleverat, multis promissis oneratum à sinu & complexu suo in Belgium dimisit, ut Philippi conatibus obviam iret. Haud defuere qui crederent, Elisabetham segnem ejus indolem cognovisse, ac simulasse matrimonii tractatum, ut populo suo nuptias importunè flagitanti satisfaceret. Joannes Casimirus cum in Belgio hyemaret, etiam hoc anno in Angliam paulo ante venerat, ut Reginæ gratias ageret, quod pecuniam & operam præstitisset, irritæ expeditionis culpa in Gallos rejecta se excusaret; ubi exceptus summo honore triumphali more, multa face per urbem transvectus, à nobilissimis viris in Regiam deductus est, hasticis ludis, conviviis, & saltationibus recreatus, Ordine Periscelidis ornatus, annuâ pensione donisque locupletatus, in Belgium in summa celeritate ad exercitum redit, qui post ipsius è Belgio discessum, ignominiosa facta cum Farnesio pactione, dimissus est. Intereà cum institores Anglici certis legibus & conditionibus decennii intercapedine Hamburgi negotiandi causa consedissent, ac Regina exeunte tempore veteres populi sui consuetudines, & privilegia à Senatu Hamburgensi renovari in proximum decennium postularet, Hamburgenses responderunt, rem ad maritimarum civitatum cognitionem pertinere; se nec velle audire, nec posse concedere, sine Teutonicæ Societatis consensu. Igitur Vandalicæ civitates Delegatos ad Reginam mittunt, petunt ut ad formulam Ultrajecti inter Eduardum IV. & maritimæ societatis Civitates conventam, fœdus, societatemque renovaret, ac vetera privilegia confirmaret, pollicenturque sese vicissim facturos magno utrinque commodo. His Regina respondet, suis nondum postulatis satisfactum, nec posse transigi, nisi Hamburgenses Civibus suis privilegia, libertatem, ac licentiam in libera civitate negotiandi publicis literis consignarent: adjectum huic responso decretum publicum, nisi Consul ac Senatus Teutonicæ societatis Londini, ante diem vigesimum quintum Martii idoneè Reginæ caverent ac satisdarent, Anglos institores Hamburgi, ac in aliis maritimis civitatibus vetere negotiandi libertate usuros, fruituros, exeunte die Anseaticæ Societatis mercatoribus pristinam libertatem in Anglia ademptam iri. Rogante Lubecensi Senatu, ut spacium de tantis rebus cogitandi daretur, suspensa est decreti exemptio, usque ad Calendas Majas, & Legatis domum abeundi venia data. Post paucos deinde dies, Delecti à consilio Lubecensi ad constituendas commercii rationes in Angliam venerunt, multisque verbis ostenderunt, studium, benevolentiam, observantiam gentis Anglicæ, ac continuandæ Societatis desiderium; sed Hamburgi negotiandi libertatem, & publicè & privatim exitiosam, nec ultra ferendam jacturam, damnum, periculum, discordiam, æmulationem, sociarumque civitatum querelas: à Regina magnoperè petierunt, ut æquo animo ferret, si Liberæ Civitates vetera pacta conventa, utrisque juxta salutaria, servarent, novas conditiones ad imminuenda Societatis privilegia excogitatas subterfugerent. Regina commotior in proposito perseveravit, nec ullam negotiandi formulam accepit, qua civium suorum libertas arctaretur, navesque Hamburgenses quæ negotiandi causa Londini constiterant, detinuit: ita controversia de commerciis occidentis transigi non potuit, quæ Anglis causam dissidii cum Civitatibus præbuit ad excessum usque Elisabethæ. Sub idem tempus Amurathes Turcarum Imperator opera Harbourni Angli, & gratia Mustaphæ Purpurati, mercatoribus Anglis, perindè ac Gallis, Venetis, Polonis, Germanis, per universum Imperium in oriente commer-

1579. commercium permisit: undè Mercatores illi, Regia auctoritate interposita, in Societatem coaluerunt, quæ Turcica appellata est, honestè mercaturam Constantinopoli, Tripoli, Alexandriæ fecerunt, thura, aromata, balsama, pannacea serica, tapetes, uvas Corinthiacas, & cætera luxuriæ instrumenta importantes, Anglis in modico ante usu. Sed Luxuriæ vitium aliquanto facilius est accusare, quam vitare, aut vanissimi cujusque cupiditati frenum dare! Horrenda infamis in omne ævum Hamonti impietas in Numen Norwici hoc anno licentia furoris erupit, quam abscondi potius, quam posteris ostendi, nec referri, imo nec audiri oportet. Ille in amentia perseverans, pro impiis probrosisque vocibus, quibus omnes Arrianos atrocitate superavit, convictus est, corpus igni crematum, & cineres dissipati ac populi pedibus obtriti, ut monstri memoria æterna infamia aboleretur; animus apud Inferos, quæ meretur supplicia pendit. Impetu mentis, & justæ indignationis stimulis ad eum lacerandum, pio magis quam valido affectu rapior, qui generis humani Redemptorem, auctoremque salutis, & Religionem Christianam ore impuro commaculaverat; cui pro singulari in nos merito satis digna gratia à mortalibus reddi non potest. Hoc anno quoque excessere insignes viri Nicolaus Baconus magni Sigilli Procurator, Prætoria auctoritate, ingenio, judicio, memoriâ, rerum peritia, cura Reipublicæ, diligentiâ nulli inferior, qui æquitate judicandi, sine acerbitate, sine invidia, non modo Prætoribus iis quos vidi, sed iis, de quibus audivi omnibus anteferendus est, si unum Morum excipias. In ejus locum Thomas Bromleius Cancellarius suffectus, majore & illustriore titulo, minore fama & fortuna. Thomas Greshamus mercator Londinensis prædives, Civitatis ornamento peristylium exstruxit, quod Regina Excambium Regium nominavit, de cujus spacio atque cultu supervacuum est referre; domum suam studiis Juris Divini & Humani, ac Liberalium artium Professoribus inhabitationem dedicavit, pari liberalitate singulis largissima salaria præbuit, assignavit & agros. Professores sapientiæ eloquentiæque hodie in tanta Regiæ urbis frequentia, ferè soli in scholis relinquuntur; quippè pauci juvenes studia liberalia cupide discunt, aut sapientiæ præceptis animos componunt, plures paupertatem privatis quæstibus vitant, & cruda indigestaque studia in forum aut suggesta propellunt.

Bella hinc civilia in Hibernia fuere, & Drurium Proregem turbidæ res excepere. Auctor defectionis Jacobus Fitz-Morisius Geraldinus supra memoratus, ferox ingenio, qui Perotti Memoniæ Præsidis genibus advolutus, fidem obsequiumque Reginæ sanctè juraverat, nunc turbidus, ac inquietus, rursus abruptis obsequii vinculis in Galliam secessit, multaque Franco pollicitus, & sceptrum Hibernicum, si ferret opem ac adjuvaret. Sed Gallis stupidam hominis vanitatem irridentibus, ad Hispanum profectus, magis tunc intentum Lusitanicis quam Britannicis rebus, qui in Italiam ad Pontificem, acrius ultionis cupidine, odio, iraque exardentem misit; ibi Sanderi & Alani Sacerdotum gratia adjutus, consecratum Romanis ritibus vexillum, & modicam pecuniam adeptus, regressus est ad Hispanum commendatitiis Pontificis literis; ibi sua importunitate, & seria Pontificis deprecatione, paucas cohortes ex Hispanis militibus accepit. Præcipuus exstimulator hujus expeditionis Sanderus, ferox, & amenti similis, veneratione Legati Sacro-Sanctæ sedis auctus, ad solennia pietatis fax belli fuit. Igitur novus dux cum exercitu collecto, ex Presbyteris desperatis, ex rusticis mediastinis, & persugis, ad Sanctæ Mariæ vicum in Kerria appulit, posuitque castra, & firmissimum munimentum erexit. Thomas Courteneius (cui cura oræ maritimæ obtigerat) certior per speculatoriam navem factus, Chersonesum Kerriæ petit, & captis navibus maris usum hostibus ademit. Cæterum Joannes & Jacobus Geraldini, Comite Desmoniæ geniti, aliique Hiberni agitantes intèr se mala servitutis, Præsidentium injurias, & insolita tributa vectigaliaque, gentili levitate ab Anglis defecerunt: quippè nunquam iste populus fidus, nisi tunc cum deest ad quem desciscerent. Nec adhuc ipse Desmoniæ Comes arma sumpsit; quin & callidis artibus Clancariæ Comitem amolitus est. Res turbidæ in Momonia properè per nuncios Drurio, qui præerat tunc Hiberniæ, declarantur. Is jam senectute gravis, per Henricum Davilium virum fortem, & strenuum, monet, Desmoniæ Comitem, & fratres nondum ad bellum versos, ut munimentum perrumpere aggrederentur, & oppugnationem quoquomodò accelerarent. Illi conscientia defectionis occultè illigati, ostentant locum aggeribus, & fossis munitum, adversus irrumpentes validum, expugnatu arduum, nec sibi vires ad mandata exsequendum. Intereà Davilius, suspectis eorum consiliis, discedit, ut Proregem edoceret, quo in statu res Momoniæ essent: sed Joannes furore agitatus, digressum consectatus ad Trallium oppidum, in diversorio cum Arthuro Cartero Tribuno Momoniæ dormientem assequitur. Ille tumultu excitatus, Joannem more militiæ & veteri vitæ consuetudine, filium appellat: ***Non amplius ego tibi filius***, inquit, ***neque tu mihi pater***, simulque concursu plurium ipsum Carterumque multis vulneribus confodit. Mox Davilii famulos pari crudelitate trucidat, revertensque cruentus ad Hispanos, fraude ac scelere insolenter gloriatur sicarius. Annuit turpissimo facinori Sanderus Sacrificulus, invisus atque infamis, ac ut ***suave & insigne coram Deo sacrificium*** laudibus extollit: Desmoniæ Comes scelus, tanquam auspiciũ malũ detestatur. Hispani paucis Hibernis ac inermibus aggregantibus se, & obseptis undique effugiis, diffidere cœperunt munimento commeatuum egeno, & fortunã deplorare suam: qua necessitate, aut potius timore, digressus munitionibus Fitz-Morisius,

obtentu

obtentu religionis,ac voti solvendi,dum seditiosos perConnachtiam illicit,tumultu orto de abreptis equis, filii Guilielmi à Burgo, juvenes prompti, & viribus corporis insignes, necessitatem pugnæ attulere, in qua Fitz-Morisius acrius ferro dimicans, graviter hasta vulneratus, globo trajectus, exanimatus corruit. Caput amputatum, & Kilmaloci affixum, ad terrendam similem proditorum audaciam. Duo Guilielmi filii in tam ancipiti conflictu cecidere: mox Regina Guilielmum à Burgo literis de filiis amissis consolata, dignitate Baronis Castri Conelli diplomate suo ornavit. Senex perlectis literis, decretam ei dignitatem nunciantibus mox exspiravit. Genus mortis insolitum; quem dolor non extinxit, & cladis tristis memoria, lætitia consumpsit! Extincto Fitz-Morisio belli concitatore, Johannes Geraldinus Desmonii frater (cujus supra mentionem feci) successor simul & ultor electus, accolas ad defectionem trahit, hortatur Hibernos, ut pro libertate, quam à Majoribus acceperant, arma caperent, ne mala servitutis, & Anglorum injurias ultrà perferrent, nihil profici patientia demonstrat. His atque talibus accendit. Non sanè aliàs magis turbidæ in Hibernia res: vici incensi, agri vastati, ædificia diruta, Tribuni & Centuriones trucidati, pecora abacta. Hæc & cætera belli mala, consiliis ductuque Geraldinorum agebantur. Joannes semper ad omnes motus paratus, Herbertum & Prisium Anglorum Centuriones, ex occultis insidiis circumventos, cum cohortibus fundit, & facie adversa vulneratur. Momonici tumultus fama vulgata, delectus in Anglia habentur supplementi causa, paranturque quæ bello opus erant; nec rei navalis cura omissa, missusque Perottus in Hiberniam cum classe, ut oram maritimam tueretur. Inter hæc Drurius Prorex it obviam conatibus, cohortes expeditas & auxilia contrahit, ac propè Kilmalocum castra pônit, Desmoniæ Comitem evocat ex auctoritate Reginæ, qui vim in occasionem differendam, & potiorem adhuc dolum ratus, fidem & obsequium simulat, ac auxilium in domandis rebellibus promittit, & jusjurandum adjicit: hinc missus ut delectum suorum haberet, pararetque quæ ad bellum opus essent. Prorex interim infirma atque etiam ægra valitudine fuit, ac corporis curandi causa Waterfordiam secessit; Nicolaum Malbeium Connachtiæ Præfectum, rei militaris peritum, copiis ducem dedit, ut rebus turbatis in Momonia pro tempore consuleret: is igitur properè exercitum lustrans, in hostem ducit,ne requiem permitteret. Joannes Geraldinus ultimum casum experturus, digreditur munimentis, ac sylvestrem locum pûgnæ deligit, ne pervius equitibus foret, Pontificis Romani sacratum vexillum exponit,fortunæ loci delegat spes suas. Tum Malbeius circumspecta loci natura, Anglos infensos ducit; hinc spes recuperandæ libertis, ac avitæ religionis, hinc gloria majorum, qui rebelles toties pepulissent, & diversæ cohortationes stimulabant. Dato signo utrinque ferociter concurrunt, pugnantque acriter: sed turbatis trepidantibusque suis, Joannes fugam capessit, multique clientes secuti. Angli cæsis qui restiterant, reliquos, armis abjectis signisque militaribus, in potestatem receperunt. Desmoniæ Comes qui in propinquo colle substiterat, fictè & simulatè congratulatur victoriam; qua pugna Alanus presbyter cecidit, qui huc illuc volitans,cohortatus est rebelles,ut pro religione,quam à Majoribus acceperant,fortiter pugnarent, conjuges & liberos à violentia atque crudelitate Anglorum vindicarent. Mox Desmoniæ Comes, tempus opportunum nactus, simulatione deposita palam hostilia induit, multosque ad defectionem trahit celebritate nominis, divitis familiæ fama, & amore libertatis, atque de improviso media nocte Malbeii castra aggreditur majore impetu, quam consilio. Anglici milites instructi & intenti propugnationi castrorum, unde frustrà, vel modico damno tentatis munitionibus recedit. Præfectus antequam hostilia cœptaret,agros vastaret,castella,vicosque exscinderet,ne initium belli existeret, monet Comitem,ut familiæ dignitati, Majorum gloriæ,posterorum saluti,publicæ quieti consuleret, neu fœdam rebellionis maculam apud omnes gentes subiret, aut Majorum plurima ac maximè illustria in gentem Anglicam beneficia aboleret; si ab armis discedere,ac veniam à Regina petere vellet, se adjutorem fore: ea mansuetudine atque Clementia Elisabetham semper fuisse, ut nemo unquam ab ea frustrà misericordiam implorarit. At Comes inconsultus & præceps spe, ac cupidine ulciscendi Anglos elatus, rectè monenti haud obtemperavit, castra Hispanorum auxiliis & Hibernorum præsidiis firmavit, bellumque ducere statuit: quippè numero,& viribus impar erat. Inter hæc Drurius Prorex Gallica & Scotica militia clarus, vi morbi extinctus est, lætis rebellibus, quasi tædio tristis belli absumptum credentibus. Mortuo Mandatarjo demandata Malbeii potestas exspiravit, qui distributis per præsidia militibus, redit in Connachtiam Provinciam cui præerat. Tali occasione oblata, rebelles velut custode exsoluti, & occasionem esse rati frangendi Anglorum spes animosque, magno impetu præsidia sub tempus brumæ oppugnare cœperunt; Jacobus Geraldus Comitis frater Adarum oppidum, cui præerant Gulielmus Stanleus genere illustri, ac pari animo,& Georgius Carewus summa gratia, inopinata obsidione cingit,missis qui tentarent nunc Præfectorum præsidii,nunc oppidanorum animos: obsessi veriti ne longius obsidium, & commeatuum inopiam tolerarent, in Hibernos muros temerè subeuntes, præsidiarios repente effundunt, & perpellunt Jacobum graviter vulneratum, magno dedecore omittere inceptam oppugnationem, terrentque rebelles ab agrorum populationibus. Intereà à Consiliariis Regni Hibernici, ne Provincia tam turbido tempore sine Rectore foret, Pelhamus præcipuus scientia rei militaris Hiberniæ Procurator, vulgò Justitiarius,constituitur: huic additus Ormundiæ Comes Momoniæ Rector, summa

1579.

Ignavia Ioannis Geraldini.

1579. nobilitate & gratia inter suos, ac egregia erga Anglos fide, hisque permissum, ut pro tempore atque discrimine agerent; illi edixerunt, nisi Desmoniæ Comes intra vicesimum diem, expiato suo crimine, ad obsequium rediret, Castella Clarigo-Foyluin & Askettenum Pelhamo traderet, ac obsides daret, ipsi aqua & igni placere interdici. Cum imperata non faceret, sed moram ac dilationes quæreret, hostis publicus decernitur, quod turbas ac tumultus concitasset, peregrinos contra Reginam introduxisset, loca hostium exscensioni opportuna occupasset. Belli Duces munia inter se partiri, cohortibus ex præsidiis evocatis, multa & clara facinora adversus rebelles fecere, qui passim cæsi disjectique. Tandem multo suorum cruore, & Hispanorum internecione, in Strangicallia pulsus Desmoniæ Comes, ac territus, magna parte suorum amissa, fuga & latebris per paludes, per sylvas discrimen evitavit. Ormundus urbem maritimam Yoghaliam à Desmonüs interceptam recepit, Conilium unicum rebellium perfugium, vicis ædificiisque incensis depopulatur, & frustrà impeditioribus locis disjectos consectatur. Crebra hinc prælia, & sæpius per modum latrocinii quam justi belli. Desmonius indecorus servili habitu, conditusque sylvis, scribit ad Pelhamum Hiberniæ Procuratorem, se Pontificis causam dignitatemque defendendam suscepisse, ac avitæ Religionis patrocinium, & pia arma sumpsisse Pontificis Romani auctoritate, & Regis Catholici auspiciis; Deos hominesque testatur, se neque dominandi studio contra Reginam cepisse, neque quò injuriam aliis faceret, sed ut more Majorum liberum Religionis exercitium habere liceret, rogat ne eam necessitatem imponat ut sanguinem suum pro Religionis libertate profundat. Procurator Pelhamus Comitis, inanes volventis cogitationes, temeritatem irridet ac inertiam, suæ infelicitatis immemoris: ille in dubiis consiliis omnium rerum inopia circumventus, modò de deditione cogitavit, modò indignissimam fortunam tam corporis quam animi robore fortissimè sustinuit. Ego Desmonium in maxima fortunæ luctatione relinquo, & ad res externas transeo.

Res Externæ. In Belgio seditio Gandavensis longè perniciosissima erupit: merces seditiosis proposita, Cœnobitarum bona & prædia rustica. Hanc secuta est maleficorum factio, qui Malecontenti vulgò nominati, passim sine ullo discrimine latrocinia & raptus exercebant. Aurasionensis conflictatus civium æque ac hostium odio, ad seditionem extinguendam Gandavum profectus, insolentiam urbanæ plebis precibus suis, & auctoritate Davisoni Anglici Legati mirè temperavit, ac factionem vi coërcuit. Interim Parmensis Dux clarus bellum ratione, non juvenili impetu gessit, cumque esset ei nunciatum, Fœderatos libertatis oblitos in semetipsos versos, agmine raptim contracto, in transitu arcem Carpensem opera Octavii Gonzagæ vi expugnavit, & edidit in præsidiarios insigne sævitiæ exemplum, ac servili supplicio affecit, quod moniti deditionem facere, ferocius superbiusque locuti essent. Inde trajecto Mosa Hamontem & Verdam cepit, ac præsidiarios pari severitate tractavit. Germanis equitibus, apud Turnhoutam, Ranstam, & Endoviam castra habentibus, absente in Anglia Casimiro Duce, signa intulit. Postquam in conspectu Iberi erant, Germani instructi intentique ante Endoviam se offerunt prælio; Iberi freti armis animisque invadunt aciem: ipse Farnesius cum legionibus infert signa. Germani equites sine Rectore, sine imperio, turbati trepidantesque, non pedites, non equites sustinuere, & consternati ad proximum lucum confugerunt, multis ex suis amissis. Postero die Farnesius perculsis majorem terrorem intulit; illi ignorantes & dissimulantes adversam pugnæ fortunam, non misericordiam, sed septem mensium stipendia per Oratores requirunt. Parmensis fastum aspernatus respondit: Germanos perfidos & turbatores pacis Christianæ, ultioni, & gloriæ mactandos, nisi se in potestatem & clementiam Philippi Regis permitterent; addiditque fastu Bætico nuntium expectare, ut numerum occisorum in Hispaniam perferret. Posteà preces degeneres fuere ex metu & periculo, ut aliqui ad eos mitterentur, cum quibus loqui de statu, & conditione possent fortunæ suæ. Parmensis qui fastum non tulit, inflexus precibus coëgit discedere Belgio, & indecoro recepto pactu, securitatis ac discedendi liberam potestatem fecit, neque solum parta ab Albano, Requesenio, Austrio prioribus Ducibus continuit, sed expugnatis urbibus, subactis populis, firmatisque præsidiis, in ulteriores Rheni & Mosæ Provincias arma promovit. Hunc Belgii statum, has belli vires Casimirus transgressus invenit, & indignabundus in Germaniam redit: namque adversæ fortunæ occasionem præbuit, & si Aurasionensis Princeps magnus Dux molem belli non sustinuisset, major clades accepta foret. Intereà Farnesius à Germanico equitatu securus ad caput belli Antverpiam exercitum ducit, equites præmittit cum Joanne Baptista Montano, post quos ipse cum Italicis cohortibus & Bæticis legionibus subsequitur. Montanus pervastatis protinus circumjectis vicis, ad pagum cui Burgerhoutæ nomen venit, ubi quatuor Fœderatorum legiones, & levis armaturæ equites fossa valloque circumdati consederant, qui repentinis hostibus circumventi, relictis munimentis ad muros Regiæ urbis retrò cesserunt. In urbe trepidatio fuit, conclamatum ad arma, tela rapiunt plebs, Primores, juvenes, senes; dimicationem Matthias & Aurasionensis spectant è muris. Tandem Iberi crebris tormentorum ictibus cohibiti, & pluribus vulneribus dejecti. Die postero Parmensis consumpto commeatu, & instante inopia, Trajectum ad Mosam ducit, in itinere vicos & castella populatur, exscindit, ripam crebrioribus præsidiis insidet, ne Franciscus Lanovius Francorum Tribunus,

Tribunus, ad subsidium missus, repente irrumperet, ad exsequendam obsidionem cuncta parat, & hostiles eruptiones prohibet. Ea dum à Parmense expugnando Trajecto parantur, Gallobelgici Proceres, qui non ideò arma sumpserant, ut Batavi & Mattiaci cæteris Provinciis imperarent, ad defectionem spectant, & à societate Batavorum desciscunt. Batavi & Mattiaci inopinata secessione Hannoniæ, Artesiæ & aliarum Provinciarum perculsi, auctore Aurasionense seorsum sibi consulunt, novum fœdus Ultrajecti ineunt instauratæ Religioni tuendæ. Subscripsere Fœderi Antverpia urbs Regia, Brugæ, Ipræ, Breda, & vicinæ civitates: à Gallobelgis similiter fœdus initur pro Majorum Religione servanda, & obsequio Philippo Regi, ejusque per Belgium Vicario præstando. Nunc vero Belgium novis cladibus & seditionibus afflictum, dum in civitatibus Antverpiensi, Brugensi, Bruxellana, alii Vltrajectensi, alii Gallo-belgico fœderi accederent. Batavi consumptis antiquissimis delubris, aut incendio vastatis, opima sacerdotia, & res Ecclesiæ immobiles ut spolia adepti in urbibus suæ ditioni subjectis, Romana sacra everterunt: cæterum Gallobelgæ projectis Fœderis Gandavensis monumentis, instauratæ Religionis templa suis manibus polluerunt. Hic habitus Belgicarum Provinciarum, hic status urbium. Inter hæc Trajectum (ut supra memoravi) obsessum à Farnesio, vi captum & direptum. Farnesius multis oppidis expugnatis, aut per deditionem acceptis, æger ex labore revertit, præsidia externa ex Gallobelgarum urbibus deduxit, Provincias Civitatesque, quæ ex æquo egerant, in Regias partes pertraxit, adversantibus inferre bellum statuit. Refecto exercitu, fesso laboribus militiæ, Batavis fidas urbes subitis excursibus populatur: ne ultra pergeret, Aurasionensis restitit, & Farnesio in iracundia pertinaciter permanente, ut vires firmaret, externam gratiam quæsivit. Andinus Brabantiæ Dux creatus, defensor Belgicæ libertatis adversus Iberorum tyrannidem electus est, qui miseratione commotus, tuendis Batavis & instaurandæ belli fortunæ mox auxiliator accedit. Hoc Anno in Francia pax alta fuit, quæ in Aquitania & Septimania haud magna belli mole interrupta est, proinde missa Regina parens ad res ibi componendas, quæ pacandis Provinciis salutaria remedia adhibuit, ne causa conquerendi materiave bellandi extaret. Rebus Tolosæ ordinatis, monitoque Senatu Tolosano, ut Protestantibus æquiorem se in posterum præberet, per Delphinatum in aulam revertit: ibi Henricus filius obsolescente D. Michaëlis ordine, dignis & indignis promiscue communicato, novum Equitum Collegium centenario numero absolutum instituit, quod nomine Sancti Spiritus insignivit, solenni lustratione celebravit, & cum Pontifice sedulo per Oratores suos egit, ut Cœnobiorum prædia rustica novis Equitibus attribui pateretur; reclamante sacro Ordine, Legati re non impetrata irriti reverterunt. Hæc quidem dum in Belgio & Francia geruntur, turbatæ in Occidente res, & mota prope arma de regno Lusitaniæ. Sebastiano ferro interempto, successit Henricus Cardinalis patruus, fessæ ætatis & brevis ævi: is ætatis decursu admonente, indictis Comitiis Proceres de Regni successione dicere jussit, si quid Regi sine liberis humanitus contingeret. Publico Ordinum decreto nominati XXII. ex quibus Rex XI. deligeret ad controversiam de successuro Rege juris judicio dirimendam, ridicula prorsus ratione; cum constaret, mandatam jurisdictionem morte mandantis expirare, sine magna clade, sine multo sanguine non dari aut adimi dubiam imperii aleam, verum Regna ambigui juris armis acquiri, & parta æquabili jure conservari. Brigantiæ Dux, Antonius Crati Prior, & cæteri domestici Competitores sacramento adacti jurarunt, illic imperium regium fore, ubi judicium fuisset. Vocati posteà omnes Competitores, & Catharinæ Mediceæ Francorum Reginæ exoletus titulus longissimi temporis præscriptione exclusus est. Ipse Henricus Lusitaniæ Rex causa cognita damnavit Antonium tanquam spurium; eam sententiam Antonius indignè ferens, Regem ut parum æquum judicem oderat. Philippus Rex, Sabaudus, Ranutius Parmensis Dux, & Brigantinus infensissimis animis inter se de Lusitaniæ successione dimicant, & rationes adjiciunt; Parmensis & Sabaudus à Regni petitione postea abstinuerunt. Maximè ambigebatur inter Catharinam Brigantini Ducis uxorem, & Philippum Regem. Henricus confectus ætate Philippi hinc preces, inde minas Oratorum denuntiationemque belli audit: prævaluere hæc, adjuta Ignatianorum illecebris, qui Philippi potentiam extollentes, dignum tanto Regno ostentabant, fovebantque. Perculso Regis animo, & inclinante ad Philippum prælatum jam cæteris, Comitia Regni rursus transigit, & de successore designando Procerum plebisque consensu consultat; plebei ordinis Procuratores, conjectantes Henricum suadentium auctoritate ad Philippi partes propendere, differuerunt, Regem inconsulto populo de successionis jure transegisse: successorem Regiæ nobilitatis domi quærendum, & Anthonio propinquo suo neminem indole animi & jure potiorem, aut hac fortuna digniorem. Rex Antonio tanquam notho infensus, inclinatione populi non mutatur: cæteri Regni Ordines extincta prole mascula, & incerto succedentium jure, rem ad electionem deductam, legibus institutisque Regni contenderunt. Contra differuerunt Philippici Oratores fautoresque, electioni locum non esse, quamdiu legitimi hæredes è posteris Lusitanorum Regum superessent. In hoc concussi Regni motu, Henricus Rex Philippum Lusitanici Regni hæredem pronunciare intempestivum ratus, salutem & securitatem respexit, veritus ne acrior vis populi ingrueret, tumultusque cierentur, si desperaret successorem fore Anthonium. Philippus cognita Lusitanorum aversa

1579.

1579. voluntate contrahit copias, & accita ex Italia auxilia specie Africani belli, ne conatus palam fierct, viam sibi ad Lusitaniæ Regnum in tempore vi facturus. Intereà Henricus fessus extremæ senectutis molestiis & tædio curarum, deliquio animi sine liberis moritur, qui Regnum non tam legitimo hæredi adjudicavit, quam potentiori vi occupandum reliquit. Audita morte avunculi Philippus misit Oratores ad conciliandos Lusitanorum animos: oravit, ut jure quam vi agere mallent, expostulavitque malle populum Olisipponensem Antonium nothum, quam veram Regum Lusitaniæ progeniem. Quod suum delictum? Quam populi offensionem? Suadet postremò posse res incruentas contingere, nova beneficia & vetera Regni privilegia si se Regem agnoscerent: sin perstarent in pertinacia, decrevisse se ostendit armis jus suum persequi. Auditis legationibus Proceres & Primores Lusitaniæ, Philippum precibus aggrediuntur, ostentantque posse illi Regnum judicio civium contingere, si jure disceptaret: at Philippus super proprias vires, Germanorum & Italorum auxiliis adjutus deliberat, quis exercitui Dux deligeretur, & visus idoneus cunctis Albanus Belgii, ut memoravi, Præfectus, levi post administratam Provinciam gratia, dein majore odio relegatus, suspectus invisusque, sive ex ingenio Principis, sive ob occultam aulicorum invidiam, sive ob militarem gloriam ingenti fama celebratam. Talibus curis exercitus, decerni in Senatu jubet, quis copiis præficeretur. Omnium sententia decernitur Toletanus Albæ Dux; qui operam suam in expeditione offert, si sibi in itinere Regem venerari, ejusque manum exosculari liceret: osculo & sermone prohibitus est, jussusque ad exercitum in Bæturia proficisci, ibique mandata Regis opetiri, vitansque occurrentium officia, ita uti præceptum erat, ad exercitum profectus est. Adhibiti à Rege speculatores custodes factis atque dictis ejus. Interim totum Lusitaniæ Regnum in duas factiones Anthonii, & Margaretæ Brigantini uxoris discessit. Margareta jure potior selectis Judicibus visa, sed Antonio gratia & factione plebis inferior. Philippus cum comperisset pluribus videri jure potiorem Margaretam esse, jactavit se in pari propinquitatis gradu Margaretæ præferendum; quippe marem fœminæ. Hanc controversiam Proceres domi non poterant dijudicare, proindè Pontificis arbitrio committere voluerunt. Philippus instat ex Theologorum Complutensium & Jesuitarum sententia, rem controversam merè soli esse, neque quicquam admistum habere, cujus respectu summi Pontificis aut sacri Consistorii debeat intercedere auctoritas. Ita calcatâ Juris divini & humani ratione, seriò ad bellum se accingit Philippus, spreta Pontificis authoritate, quæ voto & Regni cupidini non congruebat.

1580. QUieta Scotia, incerto auctore spargitur fama, Mortonium statuisse in Angliam Regem abducere: ille gravi rumore infamatus, Sterlini crimen diluit, & in invidiam implacabilem inimicorum deflectit, multoque questu ad Regem & Primores Procerum defert, se falsis calumniis circumventum fortunæ, & tempori cedere; non quod sibi sceleris conscius esset, sed ne redintegrata contentio in publicam perniciem erumperet. Gnarus cujus insidiis peteretur, auctorem atrocis injuriæ mentiri dixit; id verbum Nobilitati gravius vulnere: Rex commotus his querelis, & improbissimis rumoribus infensus, ne initium seditionis esset, rem componit, culpam omnem in imperitam multitudinem avertit, asseritque rumorem vanum & incompertum afferri, neque hujusmodi fraudis, aut sceleris Mortonium suspectum esse. Rumor adhuc sine auctore erat: Argathelius Mortonio infestus ob antiquas æmulationes, inanem rumorem aucupatur, insimulatque apud Senatum, quod temeraria audacia Regem in Angliam transmittere conjurasset. Reus tam frigidam tamque jejunam calumniam, verbo objectam, verbo refutavit: actor propter calumniæ metum falsum crimen persequi non est ausus, nec sine ignominia accusationem reliquit, neque Senatus malevolentiam, malitiamque comprobavit, Levinius, Marrius, Atholius in Senatum lecti. Fama rerum Scoticarum divulgata, Reginæ Angliæ lætus non erat honos Levinio habitus; quippe tacitè indignabatur fidissimum Francici Regis clientem in Biturigibus natum, in arcanum Scotorum consilium acciri: instauratæ Religionis mutationem pariter formidabat, quæ concordiam inter Regna dissociaret. Tempora jam longè turbulentissima extitere, & graves rumores sparsi sunt ab iis, qui missi sunt in Scotiam, ut rumores exciperent, & celeriter ad Reginam referrent. Levinius pacatus & quietus (de cujus placida indole supra memoravi) suo ingenio usurus videbatur, si per Jacobum Stuartum, Araniæ Comiti furioso & minus compoti sui post decimum quintum furoris annum tutorem datum, & Prætorianæ cohortis præfectum creatum licuisset. Is Aranii tutor salutatus, tutelæ jure specieque invasit Araniam insulam, Hamiltonium arcem, Kinvelium, & opes ditis familiæ, sine jure, sine more; ac multa acerba, multa turpia, multa turbulenta commisit. Fuit hic vir pravus, ambitiosus, asper, & iniquus omnibus, vultus naturæ torvitate horridus, ex industria compositus ad terrorem & formidinem; cujus tanta insolentia, immanitas, & superba dominatio, ut non modo vocem, sed & ne vultum quidem liberum cujusquam ferre posset. Cum homo ferox & militaris, imperiosius quam inquieta Scotorum ingenia ferebant, omnia tractaret, ac crudelitatem, libidinem, & avaritiam in cives exerceret, nec minore livore ac malignitate adversus Proceres grassaretur, in maximum omnium Ordinum odium incurrit, quod ipse insita naturæ temeritate violentiaque ingenii vehementer auxit: sæpè inter suos perniciem

perniciem capitibus Nobilium minatus eſt, codicilloſque habuit, in quibus nomina continebantur 1580. morti aut exilio deſtinatorum. Is fidei Nobiliratis diffidens, cuſtodiam armatorum ſatellitum adhibet, in agris equitum præſidia paſſim collocat, multos honeſti Ordinis, & optimum quemque de vita, fortunis, & ſama, novo & inſolito judicii more (ſuper inquirendis) in jus vocat; jam ſecurus Procerum ob turbas aut mutuas ſimultates, fundamenta potentiæ jacit. Omnes ſuas curas ac cogitationes ad opes augendas, ac rei familiaris rationes conſtituendas refert: nondum tamen ſumma moliri audebat, antequam Mortonius æmulus potentiæ ſubverteretur. Cum in tanta conſternatione & tam præcipiti ſtatu res noſtræ eſſent, ac dominatio Jacobi Stuarti Ochiltrij omnia tenerentur, Miniſtri Deum vindicem intolerandæ ſuperbiæ, ſevitiæque invocant, & precantur, ut iram peſtemque graſſantem vertat in eum: Mortonius acer & vehemens, novi & ambitioſi hominis ſuperbiſſimum dominatum, ac immodicam potentiam in libero Regno ferre non potuit, & omnibus machinis oppugnare inſtituit; ſed quia nondum vires, quæ averterent, furore diſcordiæ adhuc Nobilitatem agitante, indignationem in tempus recondidit. Nihil occulri eſſe domeſticis diſcordiis potuir, cucurrit Index ad Jacobum Stuartum, & cum reſciſſet homo ſuperbo ingenio natus, metuens ne in ordinem redigeretur, omnes circumſpicit opprimendi Mortonii rationes: nec multo poſt venit in Scotiam Jacobûs Balfourius, factionum diſcordiis, & ſedirionibus innutritus, ſerendæ in alios invidiæ artifex, non tam præteritorum precabundus, quam ad Mortonium accuſandum exilio irritatus; libellum attulit, à Parricidis Regis ſubſcriptum, manuque ipſius Mortonii ſignatum, ut remerè prodidit. Harum turbarum rumuſculi ad Reginam Anglorum permanarunt. Eliſabetha receptæ Religionis in Scotia mutationem formidans, quæ ſecum Anglicæ fœderis ſolutionem, & triſtis belli initium afferret, Levinii Principis, factionis ſibi adverſantis auctoritatem, gratiam, potentiam in aula imminui vehementer cupiebat. Fœmineum timorem augebant rumores de oppreſſo Mortonio, & Anglica in Scotia factione prope ad ultimam ſpem redacta, de Britinodunii arce inexpugnabili in æſtuario Glottæ fluminis ei tradita, ac portu Gallorum copiis opportuno, de Rege in Franciam ſubducendo. Miſſus Robertus Boweſius Berwicenſis præſidii Quæſtor ab Anglia Legatus, ut rumores Scoticos exciperet, ac celeriter ad ſe referret, quali quiſque animo in Anglam eſſet, obſervaret, Levinium criminosé argueret, quod quantum in ſe erat, Regem, Regnum, & libertatem Scotiæ hoſtibus prodidiſſet, *Facinus audax.* quod Regem adoleſcentem pravis conſiliis ab amicitia Eliſabethæ deficere ſollicitaſſet; Is in Senatum introductus, redditis fidei literis Regi conſiliariiſque ejus, apud Conſilium capita Legationis exponere recuſavit, præſente Aubignio certiſſimo Guiſiorum cliente, quem abeſſe poſtulavit, ne in mora publicis negotiis eſſet, neque illo præſente quicquam liberè decerni poſſe affirmavit. Senatus nihil æqui peti reſpondit, & quod poſtularet, non concedendum eſſe, ut ſocius publici Conſilii, indictâ causâ nulla injuria probata, loco moveretur; inde pro mandatis requiſitus, ſi id quoque à Regina mandatum expteſſe haberet, exhibere abnuit, & communi omnium conſenſu Legatus ſine mandatis eſt dimiſſus: neque Rex paucorum conſiliis permoveri potuit, ut *Turpe eſt Legatum eſſe ſine mandatis.* contra Senatus auroritatem aliquid faceret. Ille graviter queſtus non audita ſalutaria Reginæ ſuæ conſilia, quæ ad pacem, concordiam & communem utriuſque Regni utilitatem pertinerent, omiſſo etiam ſalutandi Regis officio, Scotia deceſſir. Poſt ſubitam & præcipitem ejus profectionem Alexander Humius Berwicenſis in Angliam Legatus miſſus, ut Reginæ ſatisfaceret, & crimen violatæ Legationis in Boweſii contumaciam haud immeritò averteret, qui mandata edere juſſus, quæ in omni cœtu Conſilioque proferenda eſſent, detrectavit. Regina plena ſtomachi & querelarum, quod Majeſtas, amplitudo, ac dignitas ſua negligentius, Legati autoritas contemptius eſſet habita, ut par pari referret, Humium indignantem, ad Burghleium remiſit, qui ea tempeſtate non ſolum conſiliis ſuis, ſed etiam fide ac induſtria Regni Anglici dignitatem & decus ſuſtinebat. Ille edocet, quam male Legationis munus Boweſius obierit, & quomodo diſſidii occaſionem dederit; rurſus Burghleius violatum ſacro-ſanctum jus Legationis, contemptum jus gentium, & Majeſtatis decus magna querimonia proſequitur, ac culpam à conſcientia Regis adoleſcentis removet, qui alieno potius, quam ſuo ingenio regeretur, in Conſiliarios ejus malos & imperitos, qui jus & æquum, vetera officia, pacta conventa, fœdera negligerent, in gratiam hoſtium communium, priſcas amicitias inter Principes divellerent, novis indulgerent, & ſe in Gallicam ſervitutem iterum præcipitarent, Levinium & Jacobum Stuartum nominatim perſtringens, Reginæ ſuæ gratiam convellere cupientes, expoſtulatque limites latrociniis quotidianis Scotorum vexari, verbis ampliſſimis laudibuſque haud immeritis Legatum Anglicum onerat. Humius graviter queſtus eſt ſe perpetuandæ pacis ac concordiæ inter Regna ſemper ſtudioſiſſimum, omnibus humanitatis officiis diligenter ſanctèque ſervatis, congreſſu colloquioque Reginæ prohibitum, acerbam injuriam non tam ſibi quam Regi ſuo illatam, monens identidem, Burghleium meminiſſe debere, optimæ Principi ſe Conſiliarium & adminiſtrum datum, Conſiliarios quoque vicini Regis non imperitos, ſed fideles & benevolos exiſtimare. Reliqua oratio, querela fuit de maritimis Anglorum prædonibus, & Legati calumniis. Sub idem tempus nuptiæ inter Joannem Marriæ Comitem, & Drumenii Baronis ſororem magna celebritate & frequentia amicorum conjunctæ; is floruit auctoritate, gratia, liberis, opibus,

potentia,

1580. potentia, quantum nullus ætatis suæ Scotiæ Comes, nec minore spe posteritatis; Ruvenus Quæstor summo loco natus & summa domi potentia, Oliphanto adolescenti pari dignitate & gratia occurrit; his erat inter se de re privata contentio. Altercatione orta ex licentia verborum inter clientes jactorum, Ruveni famulus interfectus, atque ipse ex media cæde profugit. Magna affectus sollicitudine hoc casu Senatus, ne convocatis subitò amicis & clientibus acrius concurrerent, quæstionem decernit, utrius culpa tumultus ortus esset; Oliphantus & Clientes contaminati facinore, ac metu pœnæ perterriti profugiunt, Delegatos ad Regem sui purgandi causa mittunt. Multi viri nobiles auctoritatem interposuerunt, ne pravis certaminibus Rempublicam distraherent. In hac controversia manente discordia Mortonius plus favit Oliphanto affini, quam Ruveno amicorum intimo: hinc invidiæ & odii offensio, quæ utrique exitialis fuit. Jacobo Stuarto Arraniæ tutori in capite fortunisque honestissimorum hominum dominanti, id unum ad stabiliendam potentiam restare videbatur, ut Mortonium everteret: cognita ejus & Ruveni tacita alienatione, disjunctos disjunctionemque callidis artibus fovit, in omnia Ruveno ultro suam offerens operam, assentando, dissimulandoque captavit, & in magno usu habuit. His anxius cutis cum aliquot dies egisset, tandem ante præmeditatis quæ objiceret, Regiam sanctæ Crucis ingressus, perturbato vultu, compositoque ad mœstitiam, præsente Rege & Procerum Primoribus, Mortonium apud Consilium accusavit, discrimen ei capitis intendit, super cetera scelera, crimina Majestatis & conscientiam Regiæ cædis atrociter objectavit, Archibaldum Douglassium, Witinghamum actorem postulavit. Mortonius jam reus in Regia diligenter asservari jussus; statim missi, qui Archibaldum Douglassium absentem comprehenderent: is cum sibi conscius esset, fortunæ & temporis metu perterritus, aut judicium veritus, eadem nocte in Angliam domo profugit. Mortonius Edinburgum primum magna prosequentium multitudine, deinde Britannidunum in carcerem, ab armatis cohortibus & primariis viris Glencarniæ Comite, Setoni Barone, Roberto Stuarto Orcadum Regulo, Casilio tutore, Barganio, Lochinuarrio, Coldinnovesio, & Mandestono ductus. Dum causæ dicendæ dies adesset, Douglassia gens strenua minaciter fremebat, à novo homine opprimi nobilissimum virum. Angusiæ Comes Princeps amicorum Mortonii, de periculo propinqui sui sollicitus, quingentis equitibus comitatus nihil intentatum relinquebat, dispositis insidiis, ut eum in itinere eriperet; ferrum, ignem, cædem, exilium Levinio denunciabat, si quid durius accideret: hinc fuit causa maturandi itineris, ut Douglassiorum insidias prævenirent. Igitur Mortonius amicis iratus intempestivos conatus compescit, ostenditque se magis fidere innocentiæ suæ, aut Regis clementiæ, quam eorum temeritati, & ferociæ credere: viri autem boni, fortissimæ optimèque de Scotia semper meritæ gentis memores, ac præsentem Regni statum licentia grassante deplorantes, domi se continebant. Permulti ocii quietisque inimici, sub Prorege vel acceptis injuriis, vel proscriptione aut calamitate aliqua affecti, sperabant sibi in novo dominatu fore aut ulciscendi, aut sublevandi se locum. Itaque Jacobus Baulfourius omnium in Scotia turbarũ auctor aut particeps, Thomas Carrus Fernihurstius exilio irritatus, Humiorum Comarchi, Coldinnovensius, & Manderstonus privatis de rebus infensi, Arraniæ tutori adjutores se offerunt, illum percolunt, comitantur, illi obsequuntur: at nemo illustriore loco natus ad illum se non invitus contulit, nemo ex oppidis aut vicis honesti ordinis civis illum non perhorruit, expavit, fugit, quasi feram aliquam immanemque belluam. Hinc ingenitam sævitiam in tenues, vel malè de gratia sua opinantes exercuit, ac undique pecunias quasi subsidium dominationis corrasit. Hac tempestate in Scotiam intestinis malis laborantem irrepserunt Jesuitæ & sacrificuli, ut ritus Romanos promoverent, sua præsentia Pontificios erigerent & confirmarent, novandisque rebus operam darent. Horum præcipuus Joannes Duræus Edmundi Campiani Anglici Jesuitæ patrocinium suscepit adversus Johannem Whitakerum, qui certamen Anglicanæ Ecclesiæ ministris obtulit in causa fidei, ut suo loco referam. Mox Thomas Randolphus veredariorum Magister, Legatus in Scotiam decernitur, ut imminentem Regno ac Ecclesiæ ruinam prudentia sapientiaque averteret, Mortonio in extremo discrimine vitæ ac existimationis suæ subveniret, Levinium Ducem adversæ Anglis factionis Scotia abigeret, Proceres Anglicarum partium foveret, ac eorum consilia promoveret. Ille coram Rege ipso & Consiliariis ejus mandata exponit, *Magnificè commemoratis multis magnisque Reginæ suæ in Scotiam universam, & ipsum Regem beneficiis, cum Francus totis viribus in perniciem Regni incumberet, ejus maximè secundum Deum opera, Regnum Scoticum injusta tyrannide oppressum, in libertatem vindicatum, Regem generis propinquitate & Religionis vinculo conjunctissimum incolumen servatum, pro quibus meritis petit Aubignium instaurata Religionis eversionem molientem, & veterum familiarum interitum, privatim publicèque exitiosum, ac literis Episcopi Rossiensis interceptis convictum, rerum novandarum occasionem quæsivisse, Regno exigi, Mortonium nefarii parricidii crimine infamatum, patrio more judicari, Archibaldum Douglassium sine vi tormentorum interrogari, Iacobum Balfourium nuper in patriam reversum, reum cædis Regiæ, & omnium turbarum per multos annos auctorem, comprehendi flagitat: tali modo accusatus Levinius.* Ad hæc respondit Rex: *Consanguineum suum nullius flagitii compertum, si judicium experiri vellet paratum satisfacere, indefensum inauditumque nobilissimum virum damnare non posse. Cæterum in hac causa non de fama factisque Aubignii, sed de libertate Regni Scotici, judicium fieri, Mortonium accessorium non prius judicio subjiciendum ordine Iuris, quam de facto principalis rei con-*

rii constiterit; Archibaldum Douglassium Iudiciorum vim absentia sua spernere, & ei cum libuerit fœdissimum crimen diluere, ac futuri Iudicii formam præscribere, permitti non oportere. Postremò Iacobum Balfourium, qui tot scelera commisit, in Scotia agere insciente se. Dein ad preces conversus, Mortonii vitam à Rege seriò deprecatur; sed hac quoque parte repulsus, à precibus ad minas transit, id ni fieret, bellum acerbum atroxque minatur. Hæc Legati comminatio Regem generosi & civilis animi non deterruit, quin moneret fortuitos casus esse belli, Martemque communem; suas existimare partes fines & Dominia tueri. Ob hæc ferociore animo Randolphus, velut injuria lacessitus, omnia commiscere magis studuit, quam remedia malis præsentibus ex præscripto Legationis adhibere, cœpitque cum Levinii æmulis & Mortonii amicis clandestinas coitiones facere; in quibus miseram temporum conditionem deplorabat, quod Rex incidisset in manus hominis Francici, Anglis inimici, qui prava cupiditate meditaretur clarissimas Scotorum familias ad interitum redigere, periculum Regi, Regno, Religioni creare; unam esse discriminis vitandi rationem edocet, si Regem incautum adolescentem, peregrini manibus, & se ab externo jugo vi & armis liberarent, Reginæ suæ ad id studium & subsidium pollicetur, & temerario consilio Regi indicat. Randolphus violatæ Legationis sibi conscius, Berwicum clam secessit; monuitque socios criminis Angusium & Marrium, ut suæ securitati consulerent. Rex ex Levinii & Arranii sententia edixit, ut Angusiæ Comes ultra Speam relegaretur, Tentallonem & Douglassium arces redderet; huic edicto si pareret spes veniæ facta: sed conditione rejecta, hostis publicus denuntiatus, cum nihil tutum fidumque à tutore scelesto esse sciret, in Angliam se proripuit. Secutus Marrius, & magna ejus factionis manus longinqua fuga se texit. Legati subitus decessus animos hominum varie affecit; quidam hujus fugæ turpitudinem excusare conabantur: plerique interpretabantur bellum triste ac turbulentum hac tempestatem suscipi. Angli metum armorum ostentabant; nec segnius Scoti commune periculum propulsare parabant, si quid repentini periculi ab exulibus impenderet. Regina Duces cum magno mercenariorum numero in Northumbriam misit: Rex ne adversus Legati minas esset imparatus, Joannem Granicum Montis-Rosarum Comitem cum assidua quingentorum equitum manu, & duobus peditum millibus finibus Regni Scotici præfecit, qui agros à populationibus prohiberent, si bellum ingrueret. Ita Angli à Gramio Regis vicario populari prohibiti, nullum operæ pretium fecerunt, nisi quod bellum ostentarunt magis, quam intulerunt. Humii, Carri, Scoti, in medio limite, Iohnstonii & Maxualii in occiduo cum clientibus & amicis, magnoque promiscuæ plebis numero dispositis stationibus, ac vigiliis summam tranquillitatem servarunt. Rex decem cohortes peditum, & aliquot turmas equitum, præsidii causa circa se habuit, utque sumptus ad alendos eos suppeteret, Conventus Ordinum egit, & stipendium militare impetravit. Sed Anglorum copiis dimissis, dimissa quoque manus, quam Rex in custodiam sui allegit. Arraniæ tutor in Mortonii clientes sævus, ferrum, & iras acuit, adversus Georgium Flequium ex sorore genitum, & Alexandrum Lausonium ejus familiares intimos, quæstiones per tormenta crudelissimè exercuit, torsitque fidiculis tabularibus, eculeo & torvo vultu suo. Flequius diu tortus ut falsa exprομeret, & Atholium lento veneno à Mortonio decocto paulatim intabuisse, nullum omnino verbum, quo Mortonius perstringeretur, vi tormentorum emisit; Lausonius homo timidus atque ignavus, solo aspectu carnificis cogitur quicquam confiteri, arcana consilia patroni, thesauros, fictam conjurationem, & crimina longius repetita: at Flequio obstinata adversus tormenta fides mansit. Cum ad eosdem cruciatus retraheretur, ac jam tortor atque essent ipsa tormenta defessa, nihil illum vincula, verbera, nihil carnificum cruciamenta acrius torquentium, quod spernerentur, moverunt: hinc palam factum est, tormenta moderari cujusque naturam. Simili crudelitate violentiaque tractavit Douglassii generis Principes. Thomas Douglassius lacus Levini Comarchus in discrimen vitæ adductus, accusatione corripitur, qui auctoritate Advocatorum defensus, in Septentrionem relegatur: Jacobus Douglassius & Archibaldus Mortonii filii naturales, Georgius ex pellice frater, & Malcolinus Manii Comarchus, Joannes Carnichellus ejus intimus amicus & affinis, nominatim proscripti, adjectumque edicto, ne qui tecto reciperent, pecunia, commeatu, aut aliqua ope juvarent. Denique iste Arraniæ Comitis titulo auctus, asperitate atque immanitate naturæ bonorum omnium odium atque invidiam excitavit.

Dum hæc in Scotia geruntur, Elisabetha infensa Hamburgensibus, quod Anglos ibi quæstuosè mercaturam facientes ejecerant, Embdenses solicitavit, ut sedem negotiandi causa in sua Civitate attribuerent. Embdensis civitas mercatui Anglorum opportuna, ad Amasis æstuarium sita, mercaturis faciendis patefacta est, non sine fremitu ac indignatione sociarum Civitatum. Regina irritata luxu temporis, vestium luxuriem, & palliorum laxitatem multiplici pœna coërcuit. Confluente Londinum immensa multitudine ex diversis locis, ut exhausta Regiæ urbis frequentia cætera Regni oppida pene viderentur, edictum publicavit de modo ædificiorum, ad coërcendam pestem si ingrueret, sanxitque ne quis civis in suburbiis nova ædificia collocaret, aut intra tertium ab urbe lapidem extrueret, data Prætori urbano potestate diruendi novum opus, neve plures quam singulæ familiæ, singulas ædes incolerent: ita urbem, pro immensa diffusaque ædium copia

Res Anglica.

1580.

I contagioni

1580. contagioni pestilentiæque obnoxiam, tutam in posterum præstitit. Funesta peste, quantum provideri humana ratione potuit, à civitate depulsa, Angliam à terræ tremore securam præstare non potuit; quippe maximo terræ motu conquassata est, ac ita contremuit motu quodã novo, ut tecta caderent, campanæ in sacris ædibus tremore agitatæ sonitum darent, cives territi fremitu ac mugitu, & consternati metu ruinæ supplicarent. Terræ motus horribilis sequenti nocte in agro Cantiano factus est, ut pacatum alioqui mare, vehementius quasi Aquilonis impetu concuteretur: nullæ tamen urbes collapsæ, aut diductis terris haustæ, fluminaque in contrarias partes non fluxerunt, & tecta vetustate magis quam terræ motu ceciderunt. Hunc terræ motum Pontificiorum motus subsecutus est: Pontifex Romanus, Hispanus, & Guisii Sacerdotum Anglorum affluentem numerum largè, liberaliterque tractarunt. Gregorius XIII. Romæ Collegium instituit, Anglis adolescentibus claræ indolis per gratiam & præmia allectis, & stipendia Pædagogis assignavit; nec parcior in causa promovenda Philippus, qui Duaci in Belgio publico Collegio exulantes juvit: Guisii Rhemis in Campania magnificentia operis & sumptu ad alendos eos ambos antecessere. Ad hunc modum instituta Collegia, Seminaria vulgus vocavit, quod indies novos Sacerdotes submitterent, qui Romanæ Religionis semina in Anglia rursus spargerent, Pontificis Romani auctoritatem tam in re sacra, quam in profana civilique assererent, diademа mitræ subjicerent, subditos sacramento fidelitatis, quo se obligaverant absolverent, & à debita reverentia Principis abstraherent. His sacris initiati, mente peregrina & externa redeunt in patriam, in suas civitates, ad suos amicos familiares, sacra Romana summa Religione ceremoniaque conficiunt, numinis sanctitatem prætendunt sceleribus, civium animos perfidia imbuunt adversus Principem, & discordiis armisque civilibus Rempublicam concutiunt. Regina Pontificis injuriis commota, de Senatus sententia imperavit, ut legitimi Magistratus Sacerdotes sacrificulosque Romanos contaminatos proditione conquirerent, comprehensosque capitali pœna afficerent, tantum initiatos & conjurationis expertes in vincula conjicerent, & darent operam, ne quid fraude Pontificiorum periculi aut tumultus oriretur, edixitque ne quis sceleratos, qui charitatem in patriam ac reverentiam in Principem exuerant, reciperet, celaret, aut ulla ope sublevaret. Datum deinde parentibus negotiũ, ut liberos, pupillos, cognatos qui sacris initiati non erant, è seminariis paterna autoritate revocarent, abnuentes reditum ope, pecunia posteà non juvarent. Edicto per totam Britanniam, proximasque Provincias divulgato, cum cæteri sacrificuli vincula, neces, ignominiasque vitarent, Robertus Personius & Edmundus Campianus Ignatiani, tantis Pontificiorũ periculis intrepidi, in communi discrimine Angliam ad sacra Romana promovenda repetunt. Personius ingenio violento, obsequii impatiens, Campianus etsi natura modestior, tamen ministros Ecclesiæ Anglicanæ ad disputationis dimicationem provocavit, & librum Decem Rationũ, ad asserendam Romanam superstitionem latinè edidit: hic mitis & mansuetus, ille acerbus scenica & theatrali licentia in Charkum virum acrem ac doctum scripsit, existimans ingenii indolem sic notescere. Regina coërcitionem in Pontificios magistratibus in omni tempore & loco lege vetere permisit, nec tamen eò minus eorum graves conjurationes vitavit, qui Pontificem, Hispanum, & Guisios quotidiè sollicitarent ad res novas, & perniciem publicam. Non solum Pontificii, sed hæretici turbidi è familia Amoris, sive Domicilio Charitatis, corruptelarum omnis generis officina, tranquilitatem Ecclesiæ & Reip. turbare cœperunt. Horum licentiam Regina compescuit, & nefarios cœtus urbe atque Britannia submovit, ne latius serperet contagio fanaticæ multitudinis, furore in perniciosos errores abreptæ.

Fanatica secta Familia Amoris.

Sub idem tempus Franciscus Dracus in agro Devoniensi plebeiis parentibus ortus, & inopia audax, in prima juventa ad munia nautica duriter exercitus, rei navalis peritissimus evasit; qui primo Joanni Hawkinso forti ac moderato Duci, in Americam naviganti, operam & labores obtulit, ac adscitus inter nautas, anxius, intentus, diligens, ingenium & industriam cunctis approbavit: sed quia classis illa parum fœlicem exitum habuit, in portu S. Joannis de Ullua ab Iberis oppressa, in Angliam rediit incolumis, ubi secum meditari cœpit damnum, mœstam fugam, & vindictam. Postremò cum ex opera nautica, & maritimis expeditionibus magnas opes corrasisset, tum majora molitur: navem maximam ædificat, quam Draconem nominat, classiarios non tantum corporibus, sed etiam animis præstantissimos deligit. Nave instructa & ornata, cum duabus liburnicis plenissimis velis in Americam, spe prædæ & rapinarum navigat, urbemque in Isthmo Darienæ (cui Nombre de Dios Hispani nomen imposuerunt) irruptione facta expugnat; accumulat aurum ex præda, ex manubiis, & passim grassatur. Muliones aurum rude, informe, barbaris nullo in usu (donec avaritia Bætica pretium docuisset) Panama mulis clitellariis Havanam devehentes intercipit, aurumque asportandum curat, argentum relinquit, quia asportari non poterat, merces magni precii incendit. His perpetratis montes editissimos ejus regionis conscendit, qua æquissimum aditum præbebant, è quibus Mare Australe exploratè contemplatus, Deum suppliciter rogavit, ut mare illud prospero cursu navigaret (quod nemo unquam adiit nisi Magellanus, qui vitam in cursu amisit, ac potitus est gloria) & voti religione se obstrinxit Deo. Tandem cum maximos quæstus prædasque fecisset, in Angliam onustus alienis fortunis revectus, magna cum gratulatione acceptus est. Jam opibus auctus, & naturâ gloriæ cupidus, quasi voto quodam & promisso se teneri putans, navigationis illius impetum cœpit anno salutis 1577. Solstitio hyberno, cum classe quinque navium, & 163.

bellatoribus

bellatoribus Plimutha soluit, navigationem Occasum versus instituit, & ad Cantinum Promontorium in Africa pervenit, ad insulam Magadoram, vulgò Majam dictam, tutam stationem habuit, ubi suavissimis uvis se suosque recreavit. Deindè insulam S. Jacobi quæ respicit Æthiopiam, lustravit; ibi Lusitanam navem vino onustam intercepit, eandemque nautis in terram expositis, abduxit eum Nonnio Sylva gubernatore scientissimo. Deinde cursum ad Æquatorem direxit, ubi magnam æquoris tranquillitatem, inter crebra fulmina & fulgura, expertus est. Inde verò longo tempore alto jactatus ad polum Antarcticum deflexit, donec Brasiliam conspicatus est, & ad eam confestim naves appellere aquandi gratia, ostiumque Platæ fluminis ingressus, vela contrahere anchorasque dimittere jussit. Multos deindè dies in illius oræ navigatione consumpsit, littusque legit fertilissimis insulis frequens, quarum situm & fertilitatem cum jucunditate conspexit, attagenibus, cervis, & lupis marinis abundans, quod magnas comoditates navigantibus præbuit. Inde S. Juliani portum ingressus patibulum animadvertit, quod ei Magellani memoriam revocavit, qui eo loci olim supplicium de quibusdam rebellibus sumpserat: ipse Dracus necis atque vitæ in reliquos Navarchos libera potestate instructus, severitatis illius exemplum sibi imitandum proposuit, urgente discrimine præparatæ conjurationis, quam paulo altius repetam. Contentio inter eum & Joannem Doughteium Vicarium ab æmulatione profecta, alitur diversis studiis classiariorum; exardescit invidia, cujus finis Doughtei exitium, qui ferox bello & animosus in crimen vocatus, quod seditionem in classe concitasset, patrio more constituto judicio, damnatus (Manliano imperio) securi percussus temeritatis pœnas invicto animo pertulit. Multi de nece illius variè disseruere, nec deerant qui crederent, Dracum in secretis mandatis à Leicestrio babuisse, ut Doughteium quovis modò tolleret interficeretque, quia Essexium Leicestrii scelere sublatum vulgò jactaverat. Tandem vicesimo die Augusti fretum Magellanicum tribus navibus, duabus minoribus absorptis penetravit. In illo cursu virtus ejus præcipue enituit, ac scientia rei navalis; fluctus erant immanissimi, tempestates horribiles, assiduæque procellæ: naves ita jactabantur, ut modo nubes contingere, rursus in imas profundi voragines detrudi viderentur. Contractis igitur velis, maximis turbinibus fluctibusque obsequi cogebatur, ita tamen ut varios flexus atque refluxus moderaretur; ne retrocederet, imbres, nimbi, procellæ, turbines non terruerunt, quin adversæ tempestatis eventum in fluctibus expectaret. Demum die XV Septembris freto superato, quod (ut fama est) quadraginta millia passuum in longitudinem patet, Mare Australe ingressus, turbidum supra modum expertus est, repentinaque tempestas classem in Occasum abripuit, & à terræ conspectu procul abstraxit. Joannes Winterus Navarchus ea tempestate abreptus, per fretum Magellanicum revectus in Angliam rediit incolumis, navemque salvam in portu collocavit, primusque omnium per fretum illud remeavit. Ipse Dracus turbida tempestate in summam tranquillitatem commutata, rursus ad terram propius accedit, & in Moucha insula aquationem facit. Hinc solvens in navem Bæticam onustam incidit, in qua auri obryzi CCCC. pondo erant. Hispani, Anglos accedentes suos esse rati, non mediocri lætitiâ se affectos demonstrant, eisque de adventu in illas oras maximâ voce gratulantur, & plenissimis poculis invitant. Angli pro tanta humanitate, expositis in terram Iberis, navem abduxerunt, & fanum Jacobi littori vicinum diripuerunt. Hinc oram legentes portum Aricæ ingressi, tres ibi naves nautis vacuas, sed mercibus & argenti infecti copia onustas invenerunt; inde Limam delati, naves duodecim in statione repererunt, & in illis immensam vim serici. Diebus aliquot ita consumptis, Dracus cognoscit pyrobolum, Cacofogam Hispanicè dictam, navem opulentissimam Panamam versus navigare, quam incredibili celeritate insecutus, in medio cursu myoparonem obvium habuit, in quo auri infecti libras LXXX. crucem auream, & smaragdos immensæ magnitudinis reperit, arripuitque. Pari fælicitate Cacofogam assecutus, diffracto malo facilè cœpit, margaritas gemmasque maximi pretii, LXXX. auri libras. XIII. arcas signati argenti, infecti magnam vim diripuit expilavitque. Deinceps Mare Australe scrutatur, naves Bæticas onustas margaritis, gemmis, auro obryzo diripit, & argenti facti ac infecti tantam copiam contrahit, quanta navi in saburram sufficeret. Egressus autem è navi ad Tauropasam, terram Australem pererravit; fessus tandem de reditu cogitavit: sed veritus ne in angustiis Magellanici freti Bætica fraude interciperetur, in Septentrionem cursum inflexit ad XLII. latitudinis gradum, explorans fretum, ut breviore compendio domum rediret, per fauces Atlantici Oceani. Obstitit Oceanus in sua secreta inquiri, & ibi procellæ, nimbi, tempestates perfrigidæ incubuere, disjecissentque classem, nisi stationem idoneam nactus esset, ubi aliquandiu hæsit. Hinc in Æquinoctialem plagam iter instituit; inde in Orientem navigavit, & ad Ternatam insulam, quæ una est ex Moluccis pervenit. Varii interim casus hominem exagitarunt, quos divina ope evitavit, & hoc anno per promontorium Bonæ Spei ingenti flexu in Angliam rediit, circumnavigato toto terrarum orbe, ubi magno plebis gaudio exceptus est. Etsi adverso rumore fuit ob Doughtei cædem, Mauræ gravidæ in insulam expositionem, quæ libidinis pœnas luit, & Nonnii Sylvæ miserandum casum, tamen quod terrarum orbem audaci facinore primus circumvectus esset, navalis gloriæ palmā facilè est adeptus: sed contigit illi, haud scio an ulli, ut summa severitas animadversionis non modò non invidiosa, sed etiam popularis esset. Navem confecto cursu Depfordiæ subductam, in perpetuam rei memoriam singulari ceremonia consecravit: Elisabetha propter labores & discrimina,

1580. discrimina, gloriam communicavit, ac epulata in nave hilarem in modum, ipso consecrationis die Equestris dignitatis honore ornavit, ut omnes cognoscerent, quanta benevolentia virtutem honestaret; & sæpè posteà navalibus copiis prospero eventu præfecit. Angli hac tempestate navalis scientiæ gloriam apud omnes gentes obtinuerunt. Primi omnium Anglorum Hugo Willoughbeius & Richardus Chancellerus in Sinarum regionem, Japponiam, Philippinas, Moluccas, & alias insulas Orientis opulentissimas per mare Cronicum aditum tentarunt; quorum ille variis casibus jactatus in Lappia frigore obriguit: hic ferè totam Norvegiam, Finmarchiam, Finlappiam ultra gradum latitudinis septuagesimum prætervectus, novum iter ad Moscos patefecit. Inde hoc anno Petrus & Jackmanus ad Tartareum Oceanum penetrarunt, quorum exemplo Batavi eandem navigationem secuti, septuagesimum septimum gradum tenentes, Petzoram fluvium primum, inde fretum à Mauritio Nassovio Nassovicum appellatum pervenerunt, non sine spe potiundi aditus; quia veteres scriptores prodidere memoriæ, Eoos Indos turbidis tempestatibus jactatos, ad littora Germaniæ appulisse. Nec minore spe aut fiducia Martinus Fourbisherus & Joannes Davisius, qui freto Davisio cognomentum dedit, occiduas Atlantici Oceani fauces tentarunt; nunquam debita sibi laude apud posteros fraudandi, quibus ostenderunt ignota Maria Britannicis classibus navigata. Bernardinus Mendoza Philippi in Anglia ordinarius Legatus arrogans & minax, graviter apud Reginam conquestus est, atque expostulavit, *In ora America prædari Anglos, capta hostiliter Regia pecunia & inter se divisa, bonis everti Iberos, & id non modo fieri, sed ita fieri quasi liceat concessumq; sit*: ita gravissimam & atrocissimam querelam habuit de Draci injuriis, incendiis, latrociniis, direptionibus, atque ex authoritate Philippi Commemorat calamitates in America acceptas, & nefandam prædam: cohortatur, ne initium periculosi belli ab Anglis oriretur. *Regina factum excusavit, iniquitate Iberorum commercium Occidentalis Indiæ prohibentiū, contra jus gentium, & naturalem æquitatem, qua suadet ut communibus pro communibus utamur; jus gentium nequaquam propterea violatum, cum maris & aëris usus omnibus sit communis. Respondítq; Dracum injuria lacessitum, graviore vindicandam statuisse; neque id quod fecerat in America, aut voluntate sua aut authoritate publica fecisse, nec indicta causa damnari oportere, Dracū præstò fore, si lege ageretur, ut ipse crimen dilueret, ac suum cuiq; ultro redderet: opes sepositas esse agere volentibus. Sed concitato in Hibernia tumultu, inopia ærarii, nec sufficiente ad tributum plebe, reddita non sunt; quia Philippus extra culpam causamque defectionis non fuit, ut mox patebit.*

Querela de injuriis Draci.

Res Hibernica.

Hæc hoc anno gesta in Anglia & Scotia: in Hibernia adhuc tumultuabatur. Elisabetha cognita morte Proregis Drurii, ArthurumBaronem Greium egregium Ducem, splendidæ inprimis originis, Regno Hiberniæ præposuit: is properè transvectus JacobumGeraldinū Desmonii Comitis fratrem, à Donello Mac-teg pugna graviter vulneratum, captumq; & supplicio proditorum affectum invenit, castellum Carigofoylū, cæsis præsidiariis cum Julio Italo præfecto, vi expugnatum à Pelhamo & Ormundio, Ballilogħum & Askettenum deserta per metum, vastatam Keriam rebellium receptaculum, minutam eorum spem, & fausta omnia accepit. Cognito Proregis adventu, Pelhamus nihil ultrà cunctatus, omisso bello it obviam, & Provinciam tradit: eum de auxilio Iberorum appulso, instituta ad S. Mariæ vicum munitione, & successu rerum plenius edocet. Novus Dux haud ignarus primis prosperorum præliorum eventibus, metum & formidinem hostibus incuti, citas cohortes rapit, adjectis Hibernorum auxiliis, & contracto exercitu festinat ad bellum. Glandilough vallem herbidam, frondosam, arduis montibus & densis sylvis validam, sedem rebellium O-Brinorum, in quam pecora & armenta transmittere consueverant, aggreditur, & redigere in potestatē animo intendit; lectissimos auxiliarium Hibernorum, quibus noti occulti tramites, & patrius pugnandi usus, non prætentatis sylvis, non exploratis itineribus, repentè emittit: ipse cum robore exercitus in propinquo colle opperiebatur, si rebelles occasionem pugnæ præberent. Cosbeius Centurio expertæ fortitudinis, septuaginta annos jam natus, Provincialium copiis, quosKernes appellant, præpositus, ad persequendos hostes ire pergit. Postquam sylvis appropinquat, monet commilitones iter angustum, & vix tutum ab insidiis, sed nihil arduum aut invictū viris fortibus: Hiberni occultis semitis se tenuerunt, prætergressos Anglos & auxiliares in loca iniqua & confragosa, incautos & locorū ignaros circumfuderunt, ac glandibus obruerunt. Petrus Carewus Equestris dignitatis Tribunus militū, Præfectus Cosbeius, aliquot Centuriones, & promptissimus quisq; militum iniqua valle cecidere. Carewū labore & onere armorum fessum ac jacentem, hostes superfusi oppresserunt, cognitumque crudeliter interfecerunt; cæteri per saxorum crepidines valle devia locorum difficultates eluctati ad Proregem evasere: acceptū hoc vulnus per nimiam fiduciam Proregis. Per eosdem ferè dies ex Hispania septingenti pedites veterani omnes & periti belli, San-Josepho Duce Sanctæ Mariæ vicum accesserunt; quippe Pontifex sua interesse existimavit, Regnum semel in fidem receptum, non sinere interire, aut Desmoniū pro libertate & avita religione bellantem deserere. Hispanus Reginam à cogitatione rerum Belgicarum avertere animo intendit, pavore propinqui belli: Iberi & Itali auxiliares impares multitudini hostium, & perculsi metu ac minis Ormundii, se munitionibus includunt; transfugæ pro comperto afferunt, Ormundiæ Comitem statuisse, postero die munitiones improvisò invadere. Itali aut Hispani ambigui & anxii, suadentibus Hibernis relinquendi castra consilium ceperunt, & in Glaningelliam, confragosam vallem, tutum perfugium se receperunt; sed non provisis commeatibus, latebrarū impatientes, & circumjectas sylvas vagi, tetris tenebris in munimentū relictum remeavere: hac re cognita Ormundius, utendum recenti terrore ratus, castris juxta oppositis obsidium incipit. Interim Prorex septus turba Tribunorum

Munimentū Aureū, fort del Or appellatum.

bunorum & Centurionum, illuc pergit infenso exercitu, & omnem transfert belli apparatum; missi ad Hispanos & Italos nuncii, qui ex propinquo alloquio animos tentarent, *suaderentq; ut discederent finibus Hiberniæ, & Elisabetha amicitiam potius quam vim experiri mallent.* Cum nihil æqui responderetur, *nisi Hiberniæ Regnum ex Pontificis Romani donatione Hispaniarum Regis esse, possessionem armis repeti, Elisabetham hæresis damnatam, Regni jure excidisse, Gregorium XIII. propria authoritate Regnum Philippo adjudicasse*; contumeliosum responsum Pontificem regnorum arbitrum constituens, vehementer commovit Proregem, ejus autoritatem in re sacra profanaque juxta abnuentem. Igitur irrisa Regni alieni donatione aggerem apparare, turres constituere, machinas admovere, & ab omnibus locis aggredi cœpit; mox munimentū non vi, sed per deditionem recepit: quippe San-Josephus Præfectus ignavi animi impellit milites, ut pacis incruentas conditiones flagitarent, dehortante Hercule Pisano, & cæteris Ordinum ductoribus, qui à Greio petunt primò, ut armatos suaq; secum ferentes abire sineret; dein si id minus impetrarent, vitæ tantum incolumitatisq; fidem acciperent. Ex conditionibus pacis Prorex ingenium Ducis, & pavorem militum conjectans, oppugnationem accelerat, & crebris tormentorum ictibus terrorem auget, ac deditos pacto salutis recipere recusat. Hinc dolor, metus, indignatio: sed victi necessitate, & suo pavore consternati milites, vultu demisso, & verbis misericordiam requirentes, voluntati Proregis se permittunt. *Is, truculentior adversus rebelles quam externos, vocat Consilium, quid statuendum de dedititiis consultat, quia trucidare sævum, tantam multitudinem servare arduum, arcto commeatu & ingruente hoste.* Plures tuta quam decora disseruere, *cædes, patibula, cruces, circumspecta multitudine hostium, & infrequentia Anglorum*: in hanc sententiam itum, datumq; militibus signū cædis. Impetus hostilis in dedititios factus; nec secus quam in adversa acie, cæsi Itali & Hispani, servatis Præfectis cohortium, & Centurionibus, Hiberni laqueis suspensi vitā finierunt: Anglici milites orati, neq; fletu, neq; lachrymis ad misericordiam orantium flecti potuere, quin dedititii quasi belli jure caderent. Egit ira Proregem præcipitem, & sævitiam necessitate armorum excusavit: turpi & crudeli facinori non annuit Regina. Cæterū Prorex pacem, crudelitatem adversus O-Conoros in Ophallia rebelles, qui densas sylvas & latebras insederant exercuit, ubi O-Moloyus defectionis pœnas capite luit, temeritatem Giraldinorū continuis cladibus coërcuit, vicos atq; ædificia defectorū incendit, prædas ex omnibus locis egit, solitudinem & vastitatem passim edidit, debilitatisq; ac penè fractis Desmonii viribus, instanti hyeme Dublinū rediit. Desmonius deducto exercitu fame & inopia periturus videbatur, nisi se suosq; latrociniis sustentasset. Momoniæ administratio Ormundiæ Comiti data est, ad persequendum Desmonium: nec proinde subactis rebellibus, firmatisque præsidiis, Hiberni Anglici orginis in Lagenia quievere, agitantes inter se injurias, Tribunatus, Præfecturas, Magistratus adimi contra leges institutaque Majorum, Præpositos in sanguinem & bona sævire, nihil profici patientia, proindè seu favore Giraldinorum præoccupati, seu Romanæ Religionis studio, seu mutationis rerum cupidi, statuunt Proregem cum familia tollendum, Dublini arcem intercipiendam, Anglorum nomen penitus exstinguendum. Id cum Prorex indicio cognovisset, singulari vigilantia declinavit: Consilio indicto de exitiosa conjuratione contra Reginam quæstionem instituit, & vincula consciis injicit, de Joanne Nogentio Fisci procuratore, qui author hujus conjurationis suspectus fuerat, ac sociis infame supplicium sumpsit, non sine miserabili luctu & multis lachrymis Hibernorū. Ferunt Hiberni Nogentium, virum egregium & innoxium, inimicorum fraude circumventum, fictæ conjurationis pœnas luisse: ita Greius nullum in Hibernos sævitiæ genus omisit, & Hiberniam Provinciam natura ferocem, nunquam crebrius aut perfidiosius rebellantem, ad obsequium redegit, O-Brinorum & O-Mororum in Lagenia defectionem repressit, Turlocho potentissimo Ultoniæ Regulo veniam petenti dedit, obsidibus acceptis, neque Desmonius ad sanitatem reliquorum deditione est perductus. Prorex nihil ex bello tam periculoso, fortiter & fœliciter gesto, reportavit, præter invidiam crudelitatis apud infimam fecem popli, ac gravem offensionem apud Reginam, quam Sussexius Zelotypia infensior concitavit, insusurravitque Principis auribus insatiabilem crudelitatem non solum in deditos, sed etiam in subditos. Obiit hoc anno in Anglia Henricus Fitz Alanus Arundeliæ Comes, insignis nobilitate, & Fitz Alanum antiquum genus, fœcundum illustrium virorum, in eo defecit. Maria filia Thomæ Howardo Norfolciæ Duci nupta, in domum ejus claritudinem & opes familiæ transtulit.

1580.

Nugentius Fisci Procurator.

Hæc domi in Britannia gesta, foris in Belgio rursus deliberatur de externi Principis patrocinio implorando: quippe res Batavorū hac tempestate vehementer afflictæ Gandavensiū temeritate, Gallo-Belgarū defectione, & crebris cladibus à Farnesio illatis. Igitur Aurasionensis, quantū authoritate, quantum consilio valebat, Franciscum Andium Ducem ad suam causam pertraxit. Andinus cupidus dominandi & belli adversus Philippū, defensor Belgicæ libertatis contra Iberorum tyrannidem flagrantibus plebis studiis electus est. Magnis copiis contractis, quasi recuperaturus Belgium à Majoribus suis possessum, eò proficisci parat, imposito Cameraco præsidio ad custodiam ultimarū partium Belgii, siquid ab Atrebatibus & Hannoniis moveretur. Eo tempore Legati Belgici in Franciā ad Andinum missi, apud Plessiū in Turonibus assecuti Ducem Brabantiæ Comitemq; Flandriæ salutarunt, ostenderuntque, quantas equitū peditumq; copias præbituri ei ad bellū essent. Archidux Matthias, memor generis Austriaci, successorem Andinū non aliter quam judicium abrogatæ administrationis accipiens Belgio discedere statuit, & cedere fortunæ. Intereà Joannes Norrisius strenuus bellator, missus ad recuperandā Mechliniam, quæ auctore Petro Lupo Carmelita ab Ordinibus defecerat, post

Res Externæ.

1580. acre certamen, in quo ipse Petrus Lupus occubuit, capta est urbs, & restituta in ditionem Ordinum. Tum Angli ad prædas versi, nequicquam prohibentibus Tribunis & Præfectis, fortitudinis egregiam famam, crudelitatis & sacrilegii infamia inquinarunt. Mechliniam Brabantiæ urbem longo sæculorum labore constructam penè everterunt; direptione urbis nullum genus sceleris aut avaritiæ prætermiserunt, aurum argentumque in cinere urbis scrutati sunt: neque solum cives, Religiosos vi, armis oppresserunt, sed cum jam humanæ opes asportatæ egestæque essent, sacrilegis etiam manibus delubra, fana, sepulchra spoliarunt, & nefanda præda Angliam contaminarunt. Cum prædandi finem non facerent, Famarsius Tribunus Batavorum, qui urbi Præfectus designatus erat, licentia atque improbitate militum commotus, edicto proposito monuit, ut à prædis abstineretur; unde inter eum & Johannem Norrisium Anglorum Tribunum conteotio orta, in turbam atque rixam exarsit, paulumque res à mutua pernicie abfuit, si ioter se signis collatis concurrerent, præbuissentque occasionem furore suo Parmensi Duci urbem occupandi, nisi acciti Antverpienses intervenissent, & rem composuissent, jusso excedere ex urbe utroque, & cohortes novas Batavorum in præsidium adduci. Iisdem diebus Hispani Curtracum, urbem bello sæpè frustrà tentatam, fraude cepere, & omnia scelera libidinis, avaritiæ, crudelitatis in captos cives edidere; tres Scoticæ cohortes, quæ loco præsidii erant, in foro acerrimè dimicaverunt, omnes Centuriones militesque Scotos crudelissimi hostes interfecerunt, & urbem munitam cæso præsidio in ditionem Philippi restituerunt majore ignominia, quam gloria. Batavi primam quamque occasionem arripiunt recuperandi ea, quæ bello amiserant, Willenbroucanam munitionem expugoant, integros se à Bætico dominatu servanr; Andinum in Principem deligunt. Varii hinc bellorum casus in Frisia, & mutuæ clades aliquoties collatis inter se signis: Georgius Lalanius Rhennebergii Comes Provinciæ Præses, Steenwicaoı obsidione cinxit, quæ diu duravit. Lanovius Francorum Dux strenuus, in ancipiti acie suis subveniens, multis Francorum cæsis, à Marchione Rysbongio capitur, & ad Farnesium Proregem mittitur. Inter quæ in Francia Coodæus, circa Aquitaniam & Delphinatum Provincias, dimisit ad seditiones in iis miscendas, & Primores Protestantium propinquis nunciis ad discordias traxit. Ipse ex Santonibus dissimulato habitu, in Picardiam Præfecturam suam transgressus, Faram Veromanduorum occupavit, atque illic metuens vim Regis, imposito loco præsidio in Belgium effugit, & inde in Britaniam transmisit, ubi cum Regina de auxiliis egit; postremò in Germaniam evolavit ad concitandum bellum adversus Pontificios. Vicini populi tardius moti sunt: Rex audita Coodæi clandestina profectione, Bironum Tribunum Francorum in Aquitaniam, Carolum Lotharingum Meduaniæ Ducem in Delphinatum misit, Matignonum Tribunum Faram Veromanduorum obsidere jussit. Meduanius in Delphinatu, Bironus in Aquitania Protestantium res, atque adeò ipsum Navartum continuis cladibus afflixere. Rex voluptuariū otium suum per has turbas interrumpi ægrè ferens, Condæum literis increpuit, non novissimi Fœderis, non humani juris, non divini memorem, denunciavitq; ne pacem, quam tantopere petisset, bello rursus turbaret. Ille contra religiosè testatus est, pacem sibi curæ esse, & pacificatoria Edicta, sed ne injurias Fœderatorum diutius toleraret, arma necessaria induisse contra Lotharingos seditiosos, Regiæ authoritatis oppugnatores, patriæ proditores, satellites Philippi. Præter multiplices belli civilis casus, cædes, urbium eversiooes, direptionesque, Lutetia urbs Regia incendio pestilentiaque penè exhausta est. Per idem tempus Lusitaniæ Regia sedes vacua relicta Henrici morte, Hispaniam concussit. Antonius Crati Prior, Ludovici defuncti Regis Fratris filius, materna origine ex pellice, juventutis concursu, & flagrantibus plebis studiis frequentatus, spreta Rectorum & Comitiorum auctoritate, insigne Regium suscepit, approbantibus Nobilibus & Lusitanica multitudine; cuncti venerantes Regem consalutavere, Olisipponensis quoque laudantes gratantesque accepere. Initia cooatuum secunda, sed non diuturna, & ipse lætus spe inani, brevis potentiæ. Intereà Rex Philippus armis potior, & jure haud quoquam Competitorum inferior, defuncti Regis ex majore Sorore Nepos, prærogativa sanguinis & sexus stipiti proximior, jam certior factus, Antonium Lusitaniæ impositum indignabatur, ac ut vulgò conceptum aspernabatur. Interim per homines idoneos Lusitanorum animos pertentat, num sponte in ejus ditiooem & imperium vellent concedere, & Primores illicit, aut emercatur per dona & largitiones; sed furor nationis inclinabat in Antonium, qui Proceres plebemque juxta comitate devinxerat: igitur mandat Antonium Lusitania exturbare. Albanus tempus invadendæ Provinciæ obvenisse ratus, valida manu Regni fines ingreditur, & expugnata Cetobriga, irruptione subita territum, exutum, vulneratumque Antonium in latebras vi atque armis cogit: ita una acie victi Lusitani jugum accepere, urbes, Castellaque dedidere, multi publica Reipublicæ mala, & Castulonensium ludibria fine lamentabili effugerunt. Franciscus Forerius Olisipponensis divini humanique Juris peritus, & Tridentinæ Synodi actione clarus, ex edito loco cladem popularium spectans, angore simul & pavore correptus, defixis in cœlum oculis finem vitæ sponte implevit; viri militares, Antonii magis, quam Philippi imperium cupientes, gladiis incubuere. Antonio undique deserto, & multis sectatorum dilapsis, oon aliud subsidium in tanta calamitate, quam in looginqua fuga reperire potuit; proindè ut ex certa peste se statim eriperet, paucis fidis comitibus assumptis, fugæ occasionem captavit, & Vimiosum Comitem io Galliam & Britanniam præmisit, ut vicinorum Regum opem contra communem hostem deprecarentur.

Jacobus

IAcobus Rex subito decessu Randolphi graviter commotus, statim Joannem Setonium Equestris dignitatis Legatum in Angliam misit, ut se Reginæ purgaret, quereretur que, *Thomam Randolphum rerum potius turbandarũ auctorem, quam Oratorem extitisse, periculosa, callida, & perniciosa Regno Scotiæ consilia cum Augusio, Marrio, & aliis Proceribus habuisse.* Setonius Levinio amicus, apud Berwicum subsistere jussus, donec Elisabethæ voluntatẽ ulterius sciret, ibiq; paucos moratus dies, nullo honore impertitus domum revocatur. Jacobus indignans fremensque, per literas expostulat, *Summam injuriam Legatis, Alexandro Humio anteà, & nunc Ioanni Setonio illatam, Randolphi fugam è Scotia criminosè accusat, queriturq́, Archibaldum Douglassium, VVittigamum Regiæ cædis insimulatum, sibi male conscium in aula Anglica palam versari, comprehendi dediq́, ex fœdere flagitat.* Ad purgandũ crimina à Regina responsum est: *Randolphum virum bonum, egregiumque semper habitum, fidem anteà omni tempore coluisse, tranquillitati publicæ Scotorum semper studuisse, ac rem Scoticam opera & consilio sæpe adjuvisse, nunc malè gestæ Legationis rationem apud Senatum reddendam, si coram argueretur; Douglassium novæ proditionis suspectũ in aula tantum substitisse, donec de criminibus objectis adversus Ipsam, & Regnum suum inquireretur: posteà in nullo honore usuq́, futurum.* Nihilominus in Anglia remansit, magnoque usui Reginæ, & Senatui fuit, Legatum se Regis Scotorum sine ullis mandatis, & fidei literis gessit, ac ad consilia de rebus apud nos turbandis animũ adjecit. Iisdem diebus Jacobus Stuartus Arranii furiosi Tutor (ut supra memoravi ob alienationẽ mentis) non contentus Tutelæ titulo, multis fructuosisq; prædiis, velut Numine imperante Arraniæ Comes creatur, & Comitiali auctoritate in veteris familiæ ruinas, contra leges institutaq; Majorum collocatur, idq; omen ipse Mortonius ad damnationem sui trahit, vaticinium in memoriam revocans, ut ab Arraniæ Comite caveret; nec fefellit opinio: quippe primum facinus novi Comitis, Mortonii cædes. Casuum in eo nos contemplemur varietatem, ludumque Fortunæ nunc blandientis, nunc sævientis, ac inter ornamenta & dedecora, alterna vice versantis! Mortonius ab Arraniæ & Montis-Rosarũ Comitibus cum magna frequentia armatorũ adversus vim externam, & duabus mercenariorũ cohortibus, Edinburgum ad causam dicendam properè transvectus, evocatis Proceribus ut de causa cognoscerent; & Perduellionis dicta die, Judiciũ patrio more constitutũ. Argathelius Cancellarius, & Mont-Rosius qui Judicio præerat, & alii è Nobilitate Reguli in Prætorium ascenderunt, productusque è custodia Reus, Argatheliũ ob inimicitias, irreconciliabile odium, & inveteratam invidiam Setonũ, & Woutonum ob simultates Regis & Reip. nomine suspectos, rejecit: Judicũ rejectio non datur, proinde Reus palam testificatus est, nihil ordine, nihil more Majorũ in eo Judicio fieri. Ab Arraniæ Comite, & Roberto Critonio Procuratore Regio Parricidii invidiosissimè postulatur, quod in cædem Regis concessisset, & in Bothwellii gratiã sceleri subscripsisset. Præter sævas & crebras Arranii percunctationes, Advocatus Regius violenter urget, scriptũ manu ipsius Mortonii signatũ, & post abdicationem Magistratus infensum Reip. animũ. Reus crebris suis officiis commemoratis, in vindicanda indignissima cæde, errorem sine fraude simplicitate Regis excusavit: verum expensis criminibus cum inficiari non posset consiliũ cædis à Bothwellio patefactum, detestandi Parricidii conscius, Judicio Procerum, præsidente Mont-Rosio, damnatur, *Quod in suprema auctoritate constitutus, Archibaldum Douglassium, VVittigamum fautorem suum, funesti illius Parricidii reum* (ut accusator perseverantissimè contendebat) *in jus non vocasset, & à Bothvvellio in conscientiam rei tam fœdæ adscitus, eam tacitam habuisset.* Posteà in custodiam amotus, & circumjecti Satellites, qui vultum, gemitus, vocesque exciperent; damnatus in silentium fixus novissima expectavit, & sumpto Sacro-sancto Viatico de æternitate immortalitateque cogitavit. Ministri circumsistentes bonum habere animum jubent, monentque non esse lugendam mortem, quam immortalitas consequitur. Ille nequaquam trepidus, & mori certus, rerum humanarum sortem detestatur, ac insistit spei salutis æternæ. Interim Arraniæ Comes necessitatem ultimam inhumaniter dinunciat, rogatque ut antequam digrederetur, Mortonius confessioni sceleris subscriberet: ille supremas curas animo volutans, & aversus à cogitationibus rerum secularium, interpellari se voce inhumana, & scelerata fremuit, ac Ministrorum alloquiis vacavit, intrepidéque in forum Regiæ urbis locum supplicii processit, accurrente undique per vias multitudine. Ibi adversus præsentem mortis formidinem firmatus, disseruit magna vocis & vultus securitate: *Se immunem à Parricidii scelere, nec posse dissimulare, nec abnuere, à Bothvvellio sollicitatum fuisse, ut truculento flagitio subscriberet, sed semper abhorruisse conscientiæ noxam, & silentii crimen non diffiteri, urgente metu Bothvvelliana potentia.* Hæc locutus conversus ad meditatas compositasque preces, orat pro salute Principis, tranquillitate Regni, incolumitate plebis; oratione peracta & implorata misericordia divina, manum percussoris exposcit, fortiter protendens cervicem ingenti omnium mœrore: caput amputatum ante oculos Fernihursti inimici avidè spectantis, Prætorio urbis suffixum, corpus sine ullo funeris solenni humatum. Hunc vitæ finem habuit Mortonius ultimus Scotiæ Proregum, vir naturali prudentia, moderationis, integritatis, industriæque fama clarus, nisi pecunias in Magistratu acerbe conquisivisset, Percium Northumbriæ Comitem, qui in Scotiam profugerat, pacta pecunia turpiter reddidisset. Supplicio tanti viri non satiatus sanguinarius, ac adhuc pro dominatione retinenda totis viribus contendens, in splendidissimum quemque Douglassiorum sævit, Angusii Comitem extorrem in Angliam proscripsit; multi servi ad supplicia & tormenta abrepti, in fide erga Dominos perstitere: eam necem magna odia domestica, simultates, & calamitates secutæ sunt, ac tandem ipsius Arranii auctoris cædes. Postero die Johannes Byneus

Archi:

1581. Archi: Douglassii famulus, cædis Regiæ particeps reste suspenditur, Levinius Dalketham & Aberdauram palatia, & prædia Mortonij infausta dona accipit, nec melioribus auspiciis Joannes Maxwellus avitam dignitatem, quæ non diu in ejus familia duravit. Hinc turbidus Arraniæ Comes, amoto æmulo & contraria factione pulsa, ab avaritia & crudelitate in libidinem provolutus, turpe matrimonium contraxit. Elisabetha Stuarta Atholiæ Comitis filia puellaribus annis Marchiæ Comiri nupta, adulterium cum novo Comite spe dominationis exercuit, & quem marito ardentius & constantius amavit, nunc blandiente fortuna cupit esse uxor, & socia potentiæ, ac litem de divortio obtentu impotentiæ apud judices Episcopales marito intendit. Nulla in divortio mora, intra paucos dies lis dijudicata, justum & legitimum matrimonium solutum, abducta nobilissimo viro ex stirpe Levinia uxor prægnans, Arraniæ Comiti uxorio nomine, pessimo exemplo, conjungitur, qui uno atque eodem die & maritus ac pater infantis, in alieno matrimonio per adulterii consuedinem procreati, in suo nati: inde crebri vulgi questus impudicitiam mulieris, procacitatem, luxuriam, & lasciviam perditam arguentis. Ministri uxoris impudicitiam detestati, & novi hominis insolentiam perosi, commemorant rem novi exempli à marito propinquo, & gentili Regis, uxorem abductam, stupro cognitam; sed nulla subsecuta pœnitentia, fœmina natura insolens atque superba, cupiti mariti potens, transilit metas quas natura statuit, sexus postulat, consuetudo approbat, cœtus saltantium frequentat, & virilia munera usurpat. Non plura commemorabo, ne quæ ad publicam narrantur utilitatem, ad privatam trahantur contumeliam, ob similitudinem casuum. Cum hic esset turbidus rerum Scoticarum status, Comitia de summa rerum administranda Edinburgum indicta, Aubignius nobilitate, fama, auctoritate ingens, in celsissimam sedem gratiæ & honoris ascendit, Leviniæ Dux consensu Ordinum confirmatus, eò potentiæ pervenit, ut nutu omnia administraret, Gulielmus Ruvenus Gaureæ, Jacobus Stuartus Arraniæ, Joannes Maxwellius Mortoniæ, Robertus Stuartus Orcadum Comites creati. His Comitiis Douglassiani Perduelles à Proceribus judicati, aqua & igni interdicti sunt, bona ærario publico addicta. Ita Douglassii, quorum plurima & maximè illustria in Patriam merita, odio iraque novi hominis dejecti & exturbati sunt; multa inimici confingunt, & comminiscuntur, ut nomen maximè populare, ad vulgus invidiosum esset. Rex in tenuitate ærarii & inopia publica, donationes patrimonii sui, rerum Fisci, & primitiarum decreto Ordinum revocavit, & modum donationibus immodicis imposuit, multas leges in publicum salutares sanxit, ac privatas de limitibus Gordoniorum & Forbosiorum tulit, ad dirimendas inter eos simultates: decimas quidem atque tertias sacrorum beneficiorum partes, alendis Ministris, & sacris usibus destinavit, Monachorum vectigalia in Fiscum redegit, subsidia ærario. Arraniæ Comes nimia fortunæ indulgentia superbiens, & ab omni civili more degenerans, Ducis Levinii societatem abrupit, & confodiendi eum impetum cœpit, non sine gravi offensa Principis: prima animorum facta alienatio, ob injuriam Setoni Domino, ac Joanni filio in Leviniani Reguli Clientela factam. Rex comperto Consanguinei Ducis discrimine infensus, Arranium Præfectura Prætorianæ Cohortis dimovit, aula ac conspectu suo abstinere jussit, & non nisi supplicem in gratiam recepit; ille ab aulâ Kinnelium secessit, & in ditionis suæ amœnitates se recepit, donec Societas iterum adhibitis pacis interpretibus reconciliatione focillaretur. Ita post breve divortium animo Ducis à communibus amicis expugnato, oblivio injuriarum utrinque sancita; ac gratiæ reconciliatio facta, quæ ex eo die sanctè culta fida permansit, & pari virturis impetu conniti inimicorum vires contuderunt, ac in omnia se consociaverunt consilia ad opprimendos eos. Marriæ Comes nobilis juvenis, favoris erga Douglassios suspectus, ab aula remotus fuit; sed ei matris studio redeundi data est venia. Longa huic feminæ ætas, & continua apud Principem auctoritas fuit, ob gravitatem morum, & intentiorem curam Regiæ educationis in pueritia, quam per omnem honesti animi cultum in sinu ejus transegit. Rex gnarus religione dilabente, & nomen ac imperium Regium amitti, Confessionem Fidei sermone Anglico ab Joanne Crago editam, Religionis Christianæ dogmata continentem, de Deo, creatione, peccato originali, lege, gratia, Verbi incarnatione, hypostatica unione, Christi passione, resurrectione, adscensione, Spiritu sancto, de Ecclesia, Scripturis, Patribus, Conciliis, Sacramentis, & controversis in religione quæstionibus, Comitiali Auctoritate firmavit, cui omnes, concepta sacramenti formula se doctrinam ac disciplinam Ecclesiæ Scoticanæ servaturos, & contrarium pro virili oppugnaturos, subscriberent. Igitur Rex à se suisque orsus primum cum familia subscripsit; inde subscriptiones Procerum & civium postulavit, hortans obtestansque ut Religionem colerent, egentibus largirentur, orbis pupillisque prospicerent, coramque monuit Ministros, ne Regni aut politicæ administrationis negotiis se immiscerent, sed ut Euangelium prædicarent, Sacramenta administrarent, rudes in fide instituerent, devios à semita erroris, flagitiosos à scelere traducerent, plebem à vitæ luxu, morumque licentia ad continentiam & sanctimoniam disciplinæ, Proceres ab intestinis discordiis revocarent, paci, dignitati, saluti, Ecclesiæ inservirent: denique multitudinem acriore disciplina ad virtutem, & obedientiam accenderent. Cæterum in his Comitiis Ordinum unanimi consensu Ministrorum auctoritas rata fuit, sancitumque ne ulla alia jurisdictio Ecclesiastica in Scotia, quam eorum agnosceretur: præterea ut dies omnes festi, quos veneranda antiquitas Sanctorum memoriæ sacravit, profesti haberentur, nec cultu

Joannes Cragius regum Concionator Confessionem Fidei scripsit.

Ministris major quam ante tributa potestas.

cultu aut solennibus feriis celebrarentur. Ministri tanta & tam libera potestate instructi, majora moliri cœperunt, & convellere Præsulum dignitatem; nam Synodo Glascuensi de abroganda Episcopis auctoritate actum Roberto Pontano præside. Patricius Adamsonus Fani Andrææ, Iacobus Bodius, Glascuæ Archiepiscopi, David Cunningamus Aberdoniæ, ac Nigellus Cambellus Argatheliæ Episcopi, sui Ordinis ornamenta, & complures Ephori virtute ac doctrina clarissimi, Præsulum causam dignitatemque defendendam acriter susceperunt, contra factionem & potentiam Ministrorum, qui sibi gratiam ex illius Ordinis invidia quærebant, ac strenuam in Episcopis evertendis operam navabant. Cum hi frequenti Conventu gratia suffragiisque prævalerent, perrogatis sententiis decretum interpositum est, de abroganda Episcopis authoritate; quod ne fieret, intercessit David Lindsejus, postea Rossiæ Episcopus designatus, & ut rem integram ad sequentem Conventum rejicerent, oravit; quod impetrare non potuit. Is convicio multorum correptus, qui se dixerunt Lindseii verba non sine gravi conscientiæ vulnere accepisse, & sibi indignum omni Ecclesiastico munere videri, qui Ordini corruptissimo Præsulum patrocinaretur, plerique inviti ne frustra contra niti viderentur, sententiam eorum secuti sunt, qui Præsulum dignitatem impugnarent. Refertur confestim ad Regem de decreto, & Lindseii intercessione: vocato Senatu dicuntur sententiæ tempori congruentes ab iis, qui in Republ. judiciisque plurimum poterant. Rex contumelia & injuria Episcoporum commotus, per internuntium testatus est quæ ab illis fierent, sibi displicere, ac remedium in tempore adhibiturum; illi sententiam mutaturos se omnino negarunt, asserentes hoc decreto liberam & sui juris Ecclesiam futuram. Peracta Synodo Ecclesiæ Antesignani Regem orarunt & obsecrarunt, ut de disciplina Ecclesiastica libellus editus, ac omnia Acta Synodorum Comitiali auctoritate sancirentur: omnibus his postulatis resistitur, quia magnam rerum perturbationem futuram prævidit, si Decretum de Præsulum dignitate abroganda stabile fixumque maneat, & Presbyteriorum disciplina interposita auctoritate sua stabiliatur. Igitur intempestiva desideria sprevit, monuitque, ne data potestate ad perniciem Regni abuterentur, nec omnia pro libidine gererent, neque Præsulum auctoritatem temere abrogarent: ita constituta Ecclesia Ministrorum disciplinæ magna accessit auctoritas apud imperitam plebem, Proceres, & Magistratus; sed minor apud Regem gratia ob superbiam arrogantiamque, qui non modo auctoritatem, sed etiam imperium legitimum in suos jure Regio vendicavit. Interea insitam naturæ vim virtute ac doctrina promovit, rectoque cultu generosum pectus roboravit, equorum & armorum exercitationes, ac venationem non omisit. Fine anni turbida tempestas navem Ecclesiæ concussit: Glascuensis Archiepiscopatus, mortuo Iacobo Bodio Antistite, vacavit. Contentio de Præsule in locum defuncti sufficiendo Rempublicam penè distraxit. Robertus Mongomerius Sterlini concionator, vir Clero plebique juxta invisus, Archiepiscopus Glascuæ designatur: hunc Dux Levinius instigantibus amicis, qui utilitati magis quam dignitati ejus consulebant, ad Archiepiscopatum provexerat, pactus ut titulo, & pensitatione annua mille librarum contentus, cæteris beneficii fructibus cederet. Fama hujus rei ad imperitam multitudinem emanavit, & Grammaticos quosdam Adolescentulos, qui conciunculis magnam invidiæ flammam, non solum apud plebem, sed apud Proceres concitarunt; inde Ecclesiæ Antesignani tollunt animos, & in concionibus in Mongomerium probra jaciunt, & ordinem totius vitæ graviter infamant, ac sibi indignum omni Ecclesiastica functione videri pronuntiant: quos evocatos Senatus magna orationis acerbitate increpuit, censuitque semel decretam Principali Auctoritate electionem pro bona atque utili defendendam, & Mongomerium in Episcopatum jure ad Regem devoluto, succedere, egitque cum Ministris ut ab ejusmodi turbis abstinerent, & quos Rex daret Episcopos eligerent. Ita res in præsens dilata; at Ministrorum impetus non elanguit: quis exitus fuerit, in sequenti anno memorabimus.

1581.

Episcoporum munus decreto Synodi abrogatum.

Presbyteriorum Regimen.

Hoc anno Antonius Diepam navi Batavica appulit, ut favorem rebus suis conciliaret; inde per Rotomagum itinere facto Lutetiam perrexit, ubi insigni pompa accipitur, quasi omnibus orientis gemmis onustus, quibus partim donatis, partim oppignoratis, in Angliam ad Elisabetham spe auxilii dimissus est: ibi perquam honorificè exceptus, & ad eam introductus, retulit injurias Philippi, labores ac discrimina sua, & veteres cum Lancastriaca familia necessitudines; questusque est injuriam suam cum Christiani orbis salute conjunctam, & securitatem publicam in suo periculo verti. Regina spreta Philippi potentia, perbenigno vultu solatia & fomenta dolorum adhibet, fratrem ac parentem appellat, & inter Principes amicorum adscisit, commeatu copiisque adversus Philippum in tempore adjutura. Per idem tempus Legati Gallorum missi ad festinandas nuptias Andini & Elizabethæ, omni genere honorum culti & auditi sunt, haud disparibus verbis, ac nuper superiores differuerunt. Princeps legationis Franciscus Borbonius Delphinus, cui adjuncti viri auctoritate ac prudentia præstantes. Regina dandum consilium nobilissimis Legatis censuit: congressi sunt Primores Senatus Anglici, & de conditionibus matrimonii tractarunt. Res ad pactiones venit, confectæque sunt Tabulæ Matrimoniales inter Andinum Ducem & Elisabetham Serenissimam Angliæ Reginam, sed nondum subsignatæ, quibus confectis Legati domum redierunt. Francorũ Rex moræ impatiens, celebrare solennia nuptiarum urget: Regina perita morum Franciæ, muliebribus artibus tempus procrastinat

Res Anglicæ.

1581. procrastinat differitque, *Andinum ob stirpem nobilem, & familia Francica claritudinem, lateris prælatum, ac matrimonii tertum, sed desideriis populi, & auctoritate Senatus aliquantum cedendum; Primorum animos à nuptiis aversos, ob bellum domesticum in Gallia triste ac turbulentum renatum, crudele & exitiosum in Hispanum pertinacissimè susceptum, afflictam Andini fortunam, domi suspecti, bellis infausti, sine auctoritate, sine gratia.* Missus cum mandatis in Franciam Walsinghamus; potestate dicendi facta orditur, *Elisabetham universorum civium consensui imparem, moram connubio interponere, donec rebus conducat: bellum commotum ab Andino in Belgio acerbum diuturnumque, cui nulla ratione sine infamia, aut Belgii pernicie se eripere posset. Quare supersederet de nuptiis agere, donec reliquias hujus belli oppirmeret, aut conficeret, ne Regina populum, tranquilla pace fruentem, in teterrimum & periculosissimum bellum nuptiis suis præcipitaret.* Nec ultra expectans Andinus, soluta Cameraci obsidione, jam fama, jam amore, quam nuper pompa, in Angliam descedit. Ubi aulæ limen attigit, ad eam introductus, officiosè salutat: Illa perbenigno vultu excepit, & lætari se adventu ejus dixit. Secretum nactus, post varios & familiares de matrimonio sermones pacta conventa interposita fide sua confirmat, & coram hortatur serenissimam Reginam pactum matrimonium consummare, & ingentibus promissis onerat. Illa simulans gratiam, aut illecebris capta (nam in arcano cum ea loqui, ludere, ac liberè versari jam insueverat) festos dies anniversarios violentia amoris amplectitur, & palàm annulum, favoris sui testem, digito detractum tradit: Cujus rei nuntio in Belgium perlato, Gandavi, Antuerpiæ, Bruxellis magna publicæ lætitiæ signa edita sunt, accensis passim in plateis ignibus, & displosis ubique tormentis. Versa hinc aula Anglicana, & varii Aulicorum habitus fuere; pauci læti primo impetu, quod maritum Regina acciperet, ad subsidium dominationis, & remedium orbitatis: principes amicorum Leicestrius, Hattonus, Walsinghamus periti rerum, ex similitudine externarum nuptiarum conjecturam facientes, exitium Reginæ, Regni, Religionis prædixerunt, & quantum poterant à nuptiis dehortati sunt. Post eos Sussexius, & Burghleus auditi ut refellerent eorum dicta, disseruerunt, *Matrimonium unicum contra Betitam potentiam remedium, solam, & solitariam Philippi viribus imparem fore; spretum Andinum, conjugem ex Hispania assumpturum, dignam tanto matrimonio; publicè pactam tum Gallis affinitatem, ut Socii subvenirent, ac externis gentibus quietem darent.* Inter has sollicitas de nuptiis cogitationes, puellæ Regiæ, & illustres fœminæ in interiorem familiaritatem assumptæ, questibus, fletibus, lamentationibus impleverunt aures Reginæ, ut somnum, aut cibum vix capere posset; flentes Proceres, ut subveniat, orant, ac rebus labentibus opem ferat, ab instituto nuptiarum consilio cogitationeque precibus, & lachrymis revocant: conglobatur promiscua multitudo, & idem vehementius rogitat. Regina his curis anxia, etsi metuebat, si sperneretur conjugium, ne perspectum ludibrium in publicam perniciem erumperet, ac sola casibus belli objiceretur; tamen in cœlibatu, & proposito vivendi cursu perseveravit, quo facto Reipubl. securitati & suæ gloriæ consuluit. Nec deerant sermones Elisabetham, Andinum, fautores nuptiarum, & gentilem Gallorum levitatem increpantium, sparsusque in vulgus libellus inscriptus, VORAGO, qua Anglia Gallico connubio absorberetur, eodemque nuptiæ (filiæ Dei cum filio Antichristi) tanquam Reipubl. & Ecclesiæ juxta exitiosæ damnantur. Regina mulier laudis cupida, gloriam apud populares quærens, & præcipuas actiones ad famam dirigens, nihil impatientius quam maledicta & convicia civium tulit; libellum contumeliis insignem in Andinum & Simierum flammis aboleri jussit: authores requisivit, Ioannem Stubbum Juris Municipalis studiosum authorem per indicem delatum, ac Gulielmum Pageum adjutorem graviore pœna affici imperavit, ex constitutione Philippi & Mariæ contra seditiosorum scriptorum authores, disseminatores. Tristis sententia lata ut dextræ amputarentur, multis Jurisperitis sævissimo decreto contradicentibus: etsi Monsonus in foro Communium Placitorum Judex, crebris contradictionibus suam gratiam & auctoritatem evertit, tamen in area Westmonasteriensi sententia executioni mandata est, spectante plebe dextra amputata laniario cultro. Hubbus interritus proclamavit, *Vivat Regina:* circumfusa multitudo propè attonita rei novitate, vel adhibens in integerrimi hominis fortuna misericordiam, obmutuit. Inde apparuit, quam vile & abjectum corpus fit iis, qui ingenii gloriam quærunt! Ea tempestate Edmundus Campianus Societatis Jesu presbyter inflatus, & tumens, in Britanniam clam appulit, qui fretus ingenio, memoria, ac eloquentia, in causa avitæ fidei certamen Anglicanæ Ecclesiæ Ministris obtulit. Igitur missi ilico idonei homines ut diligenter vestigarent, qui diverticulum repererunt, prodente Georgio Elioto: deprehensus ipse Campianus, & tres presbyteri consiliorum conscii è Jesuitico Sodalitio, Radulphus Shervinus, Lucas Kirbius, & Alexander Briantus, qui ob facinora atque flagitia sua, insidias in Rempub. consilia cædis adversus Principem eculeo impositi, ac acerbissimo supplicio excruciati, eundem vitæ exitum habuerunt, tractique sunt in eundem casum participes novissimorum consiliorum Thomas Cottonus, Laurentius Recarsonus, Robertus Iohnsonus, Thomas Fordus, Ioannes Shertus, & Gulielmus Filbotus Sacerdotes, & per intervalla temporum ejusdem ordinis plures in carcerem ducti, quorum supplicio reliquos territant. Hi omnes à Pontificiis celebrati ut innocentis vitæ homines, ad consolationem concivium in patriam reversi, & ad prisci cultus instaurationem, nimirum ut ad unionem Ecclesiæ devios revocarent, non ut tranquillitatem

Campiani supplicium.

publi-

publicam turbarent. Exin Regina flagrante invidia cædis tot presbyterorum, ubi primum facultas data est, quid sit agendum consultat: ad securitatem, & minuendam invidiam publicæ ultionis, censuit Cecilius maximus è Senatoribus, satius esse paucos internecioni dedere obstinatos proditores, civium animos sceleratis opinionibus & perfidia imbuentes; quam tantum Anglicanæ plebis, tot nobilissimos juvenes obsequio Principis avelli quotidie pati. Itaque refertæ per Provincias omnes custodiæ, ne malum latius quasi contactu serperet, Regnum factionibus scinderetur, ac funestissimo bello deflagraret, ut nuper Gallia & Belgium. Cruore & acerbitate suppliciorum non coërciti sunt Sacrificuli turbidi, qui in Angliam supplementi & subsidii gratia indies advolarent, latebrasque vitæ ac doctrinæ suæ quærerent. Etsi Regina consuluit securitati justa ultione, & tempestivis remediis, tamen Gulielmus Alanus Lancastrensis, quem Sixtus V. in collegium Cardinalium postea adscivit, Apologiam publicavit, qua Anglorum exulantium innocentiam tuetur, qui nihil unquam tota vita contra Reginæ Regnique incolumitatem attentarunt, & grande solatium adhibet Catholicis fractis & afflictis calamitate, ob constantem prisci religionis cultum. Per hos dies edicta in Anglia promulgata contra Iesuiticæ Societatis Sacerdotes, & Seminariorum alumnos, quibus ut perduelles proscribuntur, & tanquam quietis publicæ perturbatores, pari pœna constituta in eos qui hospitio reciperent, latentes celarent, aut ulla ope juvarent. Horum sceleratæ opiniones iram Principis provocarunt, quia Reges cœtu fidelium motos exturbandos prædicarunt, Pontificem maximum summam potestatem in re civili profanaque habere, Angliæ magistratus non esse legitimos, ideoque se dato juramento non obligari, omnia Reginæ acta post Pii V. excommunicationis sententiam latam & publicatam, jure divino & humano irrita esse, & nullius momenti; omnes cives fidelitatis & obsequii erga Principem absolutos. Inter turbas & graves conjurationes Religionis causa, triste prodigium accidit in Trinobantum centuria, Panseii loco nomen est, ubi tanta murium multitudo mari emersit, ut gregibus suis pascua latè operirent, & armenta tabe inficerent, quæ nulla humana ope aut consilio abigi poterant, donec bubonum infinita circumfusa multitudo deglutiret; ac detestabile agmen averteret. Non sum nescius quosdam insanientis sapientiæ discipulos, qui nihil Deum portendere nunc putant, ejusmodi portenta ridere, neque nunciari in publicum, neque in annales referri velle, ne tædio lecturos afficerent; sed me referre veritas monet. 1581.

Res Hibernica.

Quæ dum in Anglia geruntur, in Hibernia Ioannes Geraldinus Desmonii frater sanguinarius & author belli, à Lauchlo Kerriæ Rectore, ac Dudallo centurione expertæ fortitudinis interceptus, cum effugere ad paludes conaretur, hasta transfixus proditionis pœnam meritam habuit: caput Dublinum missum, corpus Corcagii omni ignominia affectum. Greius Prorex hostibus victis, cæso Ioanne, Desmonio Comite ita abdito occultè in sylvis, & latebris, ut plerique mortuum crederent, turmas equitum, & cohortes peditum passim exauctoravit, ut plebs Anglicana tributo vacaret, ac sumptus castrenses imminuerentur; quatuor cohortes peditum, & quinquaginta equites Momoniæ præsidio reliquit, reliquas copias in hibernis collocavit. Id reipubl. exitiale; quippe hac castrensis disciplinæ commutatione Desmoniæ Comes è latebris suis prodiens, omnes Momoniæ regiones incursionibus infestas reddit, nuntios in omnes partes circummittit ad sollicitandos Regulos, petit à Turlocho, ut ad se veniat, rationes belli gerendi communicet: ille se excusat, quod obsides apud Proregem deposuerat, reliqui absuerunt quod Anglorum præsidiis premerentur. Turbidis rumoribus prorupisse rursum Desmonium, & vastari Momoniam, cum ad Proregem allatum esset, expedire copias jubet. Desmonius itinere properè confecto, apud Adarum obvium habuit Smithum Præfectum cohortis præsidiariæ: ibi multis utrinque interfectis cum nec Anglos languidiores animadverteret, neque se quidquam proficere videret, spem iterum in metum mutat; prælia, oppugnationes urbium, & cætera belli consilia abjicit, atque in sylvas & latebras se rursus recipit, comitantibus paucis fidis clientibus, quibus solis salutem suam committere audebat. Ibi graviter queritur fortunæ commutationem, & Principis indulgentiam in se requirit, interpositâ Winteri Præfecti classis auctoritate postulavit, ut Regina sibi ignosceret, vitæque suæ consuleret. Illa commota denegavit, quod turpiter defecisset, fidem violasset, & patriam pro qua mori debuisset, in summum discrimen adduxisset, insignem memoriam nefarii sceleris posteris reliquisset.

Res Externa.

Hoc anno in Belgio Joannes Norrisius cum sua, Nassovii, Marchionis Coulerii legionibus, & aliquot delectis Batavorum cohortibus Stenvicæ, commeatuum inopia laboranti opem ferre destinavit, ne urbe expugnatâ cuncta Frisia deficeret: præmisit ad obsessos, qui de suo adventu docerant, hortenturque ut hostium impetum magno animo sustineant. Intereà Rennebergius summa ope nixus est, ut obsessi conventu prohibeantur; contra Norrisius modico commeatu summisso primum recreavit, dein copiosa annona sublevavit: ad extremum post quatuor mensium oppugnationem, summis obsidionis periculis liberavit. Rennebergius relicta copiosa annona, multis ex suis amissis, circa mediam noctem castris egressus, summo silentio abiit, fugæ simili receptu, cum seditionem militum præsentiret: ita defensa Stenvica, integros Frisios à dominatu Bœtico servavit. Inter prælia, obsidiones,

1581. obsidiones, & direptiones urbium, Renncbergius fatis concessit, phthisi attenuatus, magnumque moriens sui desiderium reliquit: erat enim comis, humanus, disciplinæ militaris studiosus, fortis ac strenuus. In ejus locum à Prorege Franciscus Verdugus Hispanus Provinciæ præficitur, qua oblata potestate, multa egregia militaris virtutis documenta dedit. Norrisius ad Verdugi conatus impediendos rursus in Frisiam mittitur, cum tribus peditum millibus, & aliquot equitum turmis, qua oblata potestate summæ diligentiæ summam severitatem adjungit, & prope Northornam Verdugum obvium habuit, qui peste, fame, & adversa valetudine conflictatus, honestam discedendi occasionem sine certamine optavit; sed urgente discrimine pugnæ præparatæ, ad preces versus Deum oravit, ut prima auspicia Præfecturæ suæ prosperum exitum consequantur; inde aciem instruit: contra in Norrisii castris cuncta confusè, ut in certa victoria gerebantur. Instructa utrinque acie conflixerunt, & sua consuetudine Rogerus Williamus cum equitibus Anglis primus prælium commisit, & equitatum hostium profligavit; pulsi equites consternatique, Northornam pavore suo prætervecti sunt. Hucusque fortuna instabilis incertaque, Norrisianis arrisit; quæ milite, quasi parta victoria, ad prædas averso subito mutatur. Victor Verdugus peditibus collectis ex fuga dissipatis, & cohortibus aliquot recentibus, quas in vallo seposuerat, iterata pugna palantes hostes in fugam vertit, turbatos trepidantesque ad Nieuwenzijlæ munimentum cum turma equitum insecutus est, & ab equite plurimi cæsi. Periere in eo prælio major peditum pars, & ingens equitum numerus; signa pleraque capta, primarii Centuriones Præfectique Batavi desiderati. Ab Anglis Cottonus, Bishopius, Fitz-Williamus strenui Ordinum ductores, & ipse Norrisius glande vulneratus: Dux hostium Verdugus peperit sibi gloriam militiæ, & securitatem Provinciæ. Dum hæc in Frisia aguntur, res vario eventu ab Ordinibus in Flandria & Brabantia geruntur: Regii Barlense castellum, & Turnhoutum oppidum munitum admodum capiunt, & Bredam astu intercipiunt. Ordines suis mercenariis militibus & auxiliis Francorum, quæ Andinus miserat, hostilem impetum coërcent. Parmensis novis subsidiis peditum, equitumque instructus, Cameracum ducit, pro mœnibus copias explicat, & arcta obsidione claudit. Interim Andinus antequam in Angliam digrederetur, contrahit copias, pergit properus, & urbem nuper interceptam periculo obsidionis liberat. Tum Parmensis spe potiundæ urbis dejectus, Tornacum Atrebatibus infestum operibus circumdedit, & præsidiarios ferro ac fame ad deditionem coegit. Inter quæ cum omnia Philippi Regis facta, dicta, consilia, injustam tyrannidem spectarent, & Belgium in servitutem redigere animo agitaret, Hagæ Comitis Batavorum, cæterorumque Ordinum frequentissimo Concilio decretum factum est, de abrogando ei imperio, cui universi cives ut justissimo subscripserunt, ac palam ostenderunt, imperium legitimum se rejicere, & ejerare fidem ac reverentiam in Regem. Post ejerationem Hagæ promulgatam, bellum acrius ubique exarsit, ac turbæ & defectiones. Intereà in Francia bellum contra Protestantes edicto Flexii compositum, totoque quinquennio alta quies fuit, averso intestino bello in Iberos, & aula ludis epulisque occupata. Henricus Rex omni publica cura solutus, & venereis voluptatibus intentus, nullum in profundendis sumptibus modum fecit. Exhaustus igitur atque egens, ad Italorum perniciosa in vexanda plebe commenta convertit animum, & exquisitissimis artibus novos magistratus, nova munera, nova & inaudita vectigalia excogitavit, & edicta iis de rebus proposuit: intercessit Senatus Parisiensis, qui nunquam desiit commodis Reipubl. & querelis populi prospicere. Hinc infensus Rex, nihil auctoritate Senatus opus esse dictitans, XXVII. edicta uno die promulgavit, fremente plebe decus prisci Senatus contemptu aboleri, & immodica conquerente onera rerum ac personarum, & prudentissimis viris summa auctoritate præditis tacite indignantibus, subverti leges, fastigium Regium labefactari, imperitos adolescentulos ad honores provehi, cuncta vi & ambitu turbari. Mansit Regi prior animus, & novos homines Jousam & Valetam è Provinciis in interiorem potentiam assumpsit, pactumque inter Iousam & Margaritam Aloisiæ Regis uxoris sororem matrimonium. Rex quo majorem nuptiis dignitatem conciliaret, eum Ducis & Paris Franciæ dignitate protulit, ad studia vulgi, ac Valetam non præmiis modo ingentibus sed & Ducis Espernonii titulo ornavit, detestante Guisio talem supremi Ordinis maculam.



RERUM

RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO,

LIBER TERTIUS.

1582.



RINCIPIO hujus anni Franciscus Stuartus Bothwellii Comes, juvenis Regii generis ex pellice, è longinqua peregrinatione reversus, vectusque Perthum ad præsentiam Principis, eum laudibus gratibusque veneratus est. Si, quanta fortitudo & indoles huic juveni fuit, tanta animi moderatio fuisset, insigne exemplum posteris fuisset: sed mente turbida, insita vanitate, fœda lascivia, ac contumacia elatus, se domumque suam pervertit, ut suo loco dicemus. Extincto Mortonio, relegatis Hamiltoniis, & Duglasiis, cum jam ad Ducis Livinii, & novi Araniæ Comitis arbitrium, munia publica, conditiones belli, & pacis tractarentur, Scoticæ juventutis Proceres aliquot, miseratione tanti viri acrius ad vindictam exarsere, & complexi dextras pepigere Mortonij mortem ulcisci. Nulla res Aranium magis præcipitavit, quam intoleranda potentia arroganter & immodicè habita, qui indies fortunæ indulgentia, imperio, potestate, prosperis rebus ferocior, & civibus intolerantior, quam novo homini conduceret; quicquid secus fiebat, id ei uni exprobrabatur, odio, iraque mortalium. Ad hæc crebræ inter aulæ Regiæ Proceres contentiones, simultates, & æmulationes esse cœperunt, instigante Gaurio Quæstore, semper aliud cogitante, aliud simulante. In tanta mole curatum Proceres primæ nobilitatis Marriæ, Gauriæ, & Glencarniæ Comites, Patricius Lindesius, Alexander Bodius, & Oliphantus, secundi Ordinis nobilium familiarum Principes, Thomas Leon Glamij Reguli tutor, Lacus Levini Comarchus, Clifius, & Vernius, orientalis Cœnobiarchæ Fermilinoduni, Cainskinethi, Driburgi, & Pasleti, homines novos in procuratione publica administrationeque versari, se excludi regimine rerum, iniquo animo ferentes, & privatis etiam de causis Jacobo Stuarto irati, dolo ante composito, unanimi consensu in ejus perniciem incubere, & in Levinæ Ducis æternum exilium. Pacato ubique à tumultibus Regno, Levinio & Aranio in alias curas intentis, &. jura per pagos vicosque Regionum pro tribunali reddentibus, & in cognitionibus opes civium spectantibus, ministri quidam in consilium conjurationis adhibiti, acerbis verbis exagitarunt obsoletam Camerarij jurisdictionem revocatam sine more aut exemplo, & immensam aulicorum cupiditatem; de nece Mortonij queruntur, & communem Scotiæ calamitatem miserantur: undè e ministris quidam turbidi, quasi læsæ Majestatis rei, in custodias traduntur: id reliquis persecutionem interpretari placuit. Intereà deplorato miserabili Scotiæ statu, & Aranij Tyrannide acerbissimè exagitata, pulpita nihil aliud sonabant, quam commune Ecclesiæ cum Rep. periculum esse, vexari Ecclesiam, Remp: premi, omnia divina & humana jura violari, aulam à fide jurejurando sancita deficere, veteres ceremonias comitiali authoritate toties abolitas restitui, non enim sola nobilitas, sed plebs etiam rebus Aranij invidit. Accelerata inde conjurationis cœpta, & tempus rei patrandæ XXIII. Augusti constituitur. Tandem cum Rex in regionibus Transforthanis, Angusia, Fifa, Jernia, venationi & aucupio vacaret, Proceres consilia de eo capiendo jam diu agitata ad exitum perduxerunt. Gaureæ Comes tum Quæstor primarius magnas Perthi & in præfecturis propinquis clientelas habebat: convenit ut is Regem incautum venationique intentum Ruvenum domum suam sponte blandimentis, vel invitum pertraheret. Ubi ea dies venit, consilium eventum sortitur, & Rex subitò raptus intercipitur, prætoriana cohors incorruptæ erga Aranium fidei, fidem præstare Principi frustrà conatur, ac per vim irrumpentes Proceres militari manu arcere. Facinore vulgato Aranius suspectans vim vel dolum inimicorum, pergit propetus Proceribus obviam, transversis itineribus per solitudines Ruvenum divertit, proprium etiam periculum negligens, dum exitium à Rege festinatione propulsaret, fratremque Gulielmum Stuartum luxuriæ, sævitiæque deditum, cum equitibus præmittit. Serum auxilium: ipse in itinere à Gaureæ servitiis comprehensus est, & Dublinum in custodiam traditus.

Aranei negligentia in explorandis Procerum consilijs.

Marrius stipatus caterva nobilium juvenum, Gulielmum Stuartum desperatione sola ruentem cum socialibus copiis, inter Perthum & Ruvenum assecutus est. Multa utrinque vulnera, & cædes; Stuartus sauciatur, post vulnerationem capitur, & in custodiam traditur: plerique comitum consternati,

1582. consternati, abjectis armis se dedidere, aut fugæ specie discessere. Jacobus Colvillus Vennius genere & factis illustris, fugientes ex tam ancipiti prælio longius persecutus est. Hoc successu animi Procerum aucti, Regem cohortantur, ut consuleret Regno dominatione crudelissima novi Comitis oppresso, omnem culpam in eum conferunt, deprecanturque liberationem facti: ille petentibus dare veniam utile esse statuit, oratque ut dimitterent Levinium, & ad suos redire paterentur. Levinius qui primarium gratiæ dignitatisque in curia locum obtinuerat dimovetur muneribus publicis, quibus à Rege impositus erat, eique aula interdictum. Arranius in arcem Sterlinensem conjectus est: Ministri scientes factam apertè esse conjurationem Procerum contra Regem, salutem & securitatem Reip. coacta Septembri proximo Synodo, unanimi consensu approbarunt tam exitiosam conspirationem, vetueruntque sub anathematis pœna, ne authores aliter quam Religionis & libertatis vindices celebrarentur, idque plebi in concionibus nuntiari placuit: pauci reprehenderunt Procerum in Deum ac Principem rebellionem: ipse Rex coactus potius quam sponte, edicto significavit, nihil expeditione Ruthuena contra suam aut publicam salutem factum, quod cum plausu exceptum est à populo, & accidisse hoc complures Procerum amici clientesque vehementer lætati sunt. At adulta jam ætate puer ignarus aut dissimulans quid ageretur, per aliquot dies velut in custodia habitus asservatusque Ruthueni, pessimo exemplo arbitrio sui amisso, potestatis alienæ factus est. Exuto Levinio, & capto Arranio, hi quos diximus omne curæ publicæ onus in se transferunt, de pace ac bello consultant, criminis & flagitij audaciam, quod per vim ad Regem invitum irrupissent, edictis excusant, ac in novi hominis superbiam ferociamque avertunt, ut à se invidiam vulgi amolirentur: sic demum patientia silentiumque. Turbidi Proceres, Principes nefarij conatus, variè animis afficiebantur; quidam de factis improbitateque Arranij secundum Leges & instituta majorum judicium fieri voluerunt: plerique interea qui præcipui ejus capiendi authores erant, in diversam sententiam tracti, subverti noluerunt, seu fato adhuc potentiæ, sive occæcata animi prudentia, nec ullis dissuasionibus diverti ab ea opinione poterant. Prudentiores hominem spoliis civium saginatum, sanguine nobilium imbutum, captivitate irritatum, vindictæ avidum, à Principibus nobilitatis odio avaritiæ, libidinis atrocitatisque, comprehensum non dimittendum rati, gnari si elaberetur, privatam injuriam crudeliter ulturum. Convocata Sterlini nobilitate de Arranii exitio consultari cœptum: dum sententiis certatur, dum deliberatio trahitur, spatium temporis fuit ei datum nobilium animos pertentandi, nec precibus, pollicitationibusve, in tanto discrimine pepercit, ut paratam sibi perniciem evitaret. Gourius fatali sibi clementia ei per amicos reconciliatus, in calamitatem incidit, & notam inconsulti hominis apud posteros subivit. Levinius arbitrio rerum dejectus ac anxius, quia intentatam hanc tempestatem in se videbat, in concilio amicorum, quibus maximè fidebat, quid agendum esset deliberabat. Plerique viri præpotentes suaserunt, ut bonum animum haberet, Britannoduni aliquot mensibus se contineret, ibique fortunæ mutationem opperiretur: plures censerunt ad Regem irrumpendum, inimicos depellendos. Levinius in tantis angustiis, cum se nec studiis vulgi, nec viribus parem adversæ factioni cerneret, in Franciam suopte consilio, & opinione magni præsentis atque urgentis mali redire statuit, ne æmulatio ad civile bellum prorumperet. Igitur missis Sterlinum summæ prudentiæ viris Joanne Maxuallio Heresiano viro nobili, Jacobo Ferrestero, & Gulielmo Levistono Kilsythiano equestris ordinis, & Marco Caro Neubotelii Cœnobiarcha, ut legatione apud Proceres fungerentur, & desideria ferrent, Delegatis de concordia agentibus, & brevem moram precantibus, rerum novandarum authores, regia potiti, has conditiones proposuerunt: ut Levinius intra trigesimum Septembris diem Scotiæ finibus discederet, Britannodunum arcem inexpugnabilem Joanni Marrio traderet, Blacknesso præsidium deduceret; quæ ni fierent, hostis publicus judicaretur. Apocleti ad Levinium reversi, cum ea quæ imperarentur exposuissent, & graviora atque indigniora mala, inclinante fortuna, imminerent, necessitas invitum discedere Scotia coëgit; nam haud defuere qui dicerent, si cunctaretur, vi acturos: proinde duas naves in Æræ portu parat, atque instruit, ut vitæ perculum & capitis insidias celeri navigatione vitaret. Interim amici sibi secessu consuluere: ille moras & dilationes nectit, & per occultos nuntios singularem amorem Regi demonstrat. Inter quæ Georgius Duglasius equestris dignitatis, Lacus Levini Comarchi frater insimulatur consilium inijsse, ut captiva Regina decreto Ordinum à rerum gubernaculo remota, communiter cum filio regnaret, ac pari authoritate in omnibus muneribus publicis frueretur: memoria prioris officii in Regina liberanda, in crimen tracta non valuit, licet is suspectus ut artifex talium. Per eosdem dies missi in Scotiam Georgius Carius Hunsdonii Bervicensis Præfecti filius, juvenis nobilis, & Robertus Bovesius qui sæpe ante Legationes obiverat ad sedanda Procerum certamina. Hi Sterlini in consilio auditi pluribus verbis commemorarunt nimiam potentiam Arranij, plurimam auctoritatem & vim Principatus penes Levinium, utrumque bono publico exutum gratia, potentiaque, Proceres inter ludibria & pericula necessaria cœpisse arma, nec pœnitendum eorum consilium quod non acciti in Curiam irruperint, cura pacis & amore Reipublicæ & alienigenam abegerint, dein innocentiam ac integritatem Archibaldi Anguisiæ Comitis per privatas simultates in exilium pulsi, ejusque preces supplices retulerunt, postularuntque ut injustè

ejectus

Conspiratio decreto Synodi approbata.

Arranij vita ab inimicis expetita.

ejectus ob inimicitias Arranij notas, in pristinum statum restitueretur. Legatorum preces Proceres qui aderant, ac tum aula & Rege potiebantur, enixè adjuvere: nec Rex à Duglasiis restituendis abhorrebat. Igitur Anglæ gratia Anguisio redeundi in patriam facile data est venia, ac Tentallo arx tradita hac cautione, ut Regi deposcenti redderet, multum acclamante plebe laudes gratesque. Indè Rex Sterlino Edinburgum digressus nulla principali authoritate, comitantibus victricium partium Ducibus, & offensam humilibus blanditiis velantibus. Civibus Edinburgenis erat inter se de Magistratu urbico contentio, furente plebe & infestante mercatorum ambitionem, quod è suo collegio Prætorem mercatorum & urbanos Magistratus quotannis crearent, ac petente suos Decuriones, suasque leges: adversus hæc postulata mercatores ita contendebant, ut morituros citius se dicerent, quam vetera Privilegia abrogarentur. Hæc inter se ptimo plebei in conviviis & circulis differentes fremuere, deinde ad arma extemplò discurrerunt, divites ad prædam, inimicos suos ad exitium destinarunt; impulit alios iracundia, alios temeritas, alios avaritia. Hæc cum summa contentione agerentur, nulla res alia manibus temperare irritatam multitudinem cogebat, quam quod orto tumultu mercatores metu perculsi se domi continebant. Tam ancipiti periculo permotus Rex, qui semper Edinburgenæ civitati præcipuè indulserat, medium se gerendo, nec opifices, artificesque irritavit, nec mercatorum salutem neglexit, inscientia levitateque vulgi increpita. In hac Magistratuum controversia Primores civitatis nominatim evocati, monitique quam mitissimè ut dirimerent eam legibus aut communium amicorum arbitrio permitterent, ne pravis certaminibus civitatem distraherent, Regi paruere, & sua urbi quies reddita, ac Magistratus hoc anno electis adjudicatus. Versa hinc ad conventum Ordinum cura, qui Edinburgum indictus, Proceres, milites Regi circumdedere: adversus repentinum impetum, aut gravioris motus terrorem, duæ cohortes peditum in urbe conscriptæ, & duæ equitum turmæ in agris. Per idem tempus actum in conventu, ne authores Ruthenicæ expeditionis alicujus facti in præteritum interrogarentur: comprobavere Proceres incusata invidiosè Arranij licentia, nec multò post decretum conventus in acta relatum, ut mox comitiali constitutione confirmaretur, neque Princeps adolescens continere se potuit, quin vultu & voce testaretur charitatem & affectum in Arraniæ Comitem, efflagitavitque ut è carcere emitteretur, modo caveret, se neque adversus Proceres quicquam attentaturum, neque ullam publici muneris partem aggressurum: at non obtinuit, prævalente metu ultionis, & invidia nobilitatis adversus contumaciam ferocitatemque ejus. Gulielmus Stuartus Comitis frater, datis prædibus custodia liberatus est. 1582.

In hac rerum perturbatione Archibaldus Angusiæ Comes, & Duglasii exules magna prosequentium multitudine, à Waltero Stuarto Blenteyreo ad Regem introducti, præsto fuere: Proceres Duglasianarum partium, nobilitatis quæ aderat gratulatione in regia Sanctæ crucis & magno vulgi plausu recepti sunt, his conditionibus, ut hostilem animum adversus Leviniæ Ducem, & Arraniæ comitem exuerent, ne Anguisius civili actione & privato jure Mortoniæ comitatum, aut Dalkethæ opulentum prædium repeteret, neu quam societatem cum ullo Procerum aut quoquam alio inconsulto Rege institueret. Adhortatio Regis virum moderati & temperati ingenii movit, ut egregia animi alacritate de jure cederet, verum indignari cœpit invehique graviter in perfidiam, sævitiam, & crudelissimam dominationem Arraniæ Comitis. Cæterum Leviniæ Dux seu pœnitentia relicta aula ductus, seu suo, seu amicorum consilio, omissa navigatione propè privati hominis cultu comitatuque Blacknessum ingenti flexu rediit: Levistonus illustris familiæ Princeps circumdedit servitia, cinxitque cunctis Fortunæ ministeriis. Cognito ejus reditu Proceres, authores perditi conatus Ruthenici ultorem metuentes, summa diligentia misso Alexandro Haio ab archivis, ut intra XII. Decembris diem terra marive discederet, imperiosè jubent. Amici qui aderant, monent inimicorum primos impetus acres, tractu temporis languescere, utilitatem ex mora, tempus profectionis inoportunum, quia hyems incipiebat, profitentur se nullum discrimen ejus salutis causa recusare. His agitatis, Levinius ex amicorum sententia in beneficij & gratiæ loco, exiguam moram petit, dum Reginæ voluntatem exploraret, si per Angliam transire liceret, Haius postulata retulit. Proceres adversarum partium moram & ludificationem non ultrà ferentes, tutum commeatum Reginæ Anglorum impetrarunt, jussitque Rex Lothianæ Regionis Barones honoris causa deducere ad ripam Tuedæ fluminis, & subministravit pecuniam ad itineria impensas, missusque Georgius Youngius amanuensis cum decreto Senatus literisque Regis & Reginæ Angliæ ut maturaret. Ille profectionem de die in diem prolatabat. Priusquam discederet consilium iniit, ut ferunt, trucidandi Proceres adversæ factionis inermes in palatio Sanctæ crucis, sed cum videret arreptis suspicionibus detectas insidias, à tam præcipiti cogitatione abstinuit, cumque nullum locum in Scotia sibi tutum cerneret, non ultrà expectandum ratus, tempore constituto non recta Bervicum, sed flexu per orientalem plagam Angliam petit, confestimque rapido cursu Londinum cum paucis familiarium vectus, paucos post dies honorificè ab Angla receptus, statim in Franciam ad suos est dimissus. Is vitiatis intestinis in gravem morbum incidit, ac satis vehementer diuque ægrotavit, quem tædio hiberni itineris, aut dolore animi, gravi injuria commoti, ob miserandum propinqui Regis casum contraxerat: Londini nihil firmior factus, *Levinij in Galliam reditus.*

Lutetiam

1582. Lutetiam profectus est, ibique quartum mensem periit. Ut discessisse Levinium certi authores attulerunt, plausit populus ingenti alacritate concidisse motum, & Ministri laudes gratesque numini per conciones egerunt. Intereà Scotici tumultus fama omnium sermone celebrata, & captivitas Regis pervagata Britanniam in Galliam penetravit. Missi à Franco duo Equites clari Mottafenellonius & Menivilleus multo comitatu; ab Angla Davidsonus: causa adventus eorum fuit, ut tumultus orientes quoad possent sopirent, concordiam paceinque suaderent, Regem custodia eximerent & nobilitatem ad obsequium redigerent. Legati Gallici intromissi multa commemorarunt de Francici Regis erga Scotos studio & benevolentia, ac desiderarunt majorum constantiam in antiquo fœdere conservando, cohortatique sunt Proceres ad concordiæ inter se studium & reverentiam Principis. Davidsonus Anglorum Legatus, idem petit, oratque ut positis simultatibus Religioni, tranquillitati publicæ, securitati Principis consulerent. Præterea Regi renunciat non ei defuturum Elisabethæ tempore opportuno officium, neque populi Anglici studium contra sceleftos & rebelles: pro quibus meritis Rex collaudatis Legatis amplissimis verbis gratias egit. His rebus agitatis apertè, occultè certant partium contentiones augere, factiones confirmare, Regis adolescentis animum in amicitiam omnibus officiis pellicere, injecta varia spe. Davidsonus & Bovesius, qui in Scotia substitit, ut Reginam de statu rerum Scoticarum faceret certiorem, Anglici oratores, multorum animos à studio Gallicæ factionis averterunt, favorem, opes, & auxilium Reginæ suæ si opus esset promittentes; nec segnius Francici, Argathelium, Cranfordium, Mont-Rosium, & priscæ nobilitatis Proceres, quorum avi proavique Anglorum exercitus sustinuerunt; oratione benigna, ac promissis alliciunt: Ministri multitudinis animos ad benevolentiam Anglorum incendunt. Rex ipse juvenilibus annis medium se gerendo, apud utramque gentem gratiam iniit, Mottafenellonio in Galliam abeunti convivium magnificè ac splendidè parari jussit. Ministri Edinburgenses pleni inconsideratissimæ, ac dementissimæ temeritatis, præpostoro ardore Legatos Francicos in concionibus atrocissimè lacerarunt, & sacrum legationis jus inusitata rabie temerarunt: cumque epulum Prætor mercatorum, & urbici Magistratus Principis nomine darent, Ministrorum intempestivo decreto interposito, cives urbani jejunium ita celebrarunt, ut aquam quidem non gustarent, ne quid, ex contagione noxæ, incommodi acciperet Ecclesia. Convivæ qui præsto fuere, & jejunii diem non concelebrarent, numero impiorum ac scelerorum à plebecula habiti, parum abfuit quin sacris interdicerentur. Rex & Menivilleus quam sæpissime de Rep. & adempta libertate inter se collocuti sunt, ac Legatus præcipuè congratulatus est secretis sermonibus, quod Regina mater singulari pietate Regium honorem, auctoritatem, ac rerum omnium potestatem ei indulsisset: nam etsi Rex legitimè creatus esset, tamen judicio optimæ Matris fastigium Regium comprobatum, eo sanctius apud exteras gentes valuit, ac Proceres Scotorum, qui penes Reginam, regii nominis honorem, & jubendi potestatem communiter esse voluissent. Hoc maxime pacto Guisianorum turbidi conatus in Scotia evanuerunt, & Anglicæ factionis Proceres insolentia ac arrogantia elati, abacto Levinio, capto Arraniæ Comite, summotis Gallicis Oratoribus, veteris aulæ ministros expellunt, novos eligunt, omniaque pro sua libidine gerunt; Arranium captivum huc illuc circumducunt, satis superque habent interclusum à Rege, à se retineri: qui mox rupta custodia, aut deceptis custodibus dilapsus, spei plenus ducem se victis partibus ostentat, & in Angusia cum Atholio, Mont-Rosio, Crafordio apud Cuprum urbem Provinciæ societatem init, multorum animos ficta comitate sibi conciliat, qui factionis Gaurianæ erant, plures homines nihili rurbarum studio certatim aggregant se, vel invitati præmin transitionis, vel sponte commeantes. Arranius suæ quoque injuriæ ultor, ira, odio, vindictæ cupidine accenditur detrudendi Gaurij causa; inimici remotis æmulis inertia & socordia hebescunt, uxor quoque ejus, mulier atrox acri dolore injuriæ, viri animum suopte ingenio trucem & immitem efferavit. In his rebus occupato Rege, eludentibus Ministris ætatem ejus, turbida tempestas orta Ecclesiam penè evertit: quippe Ministri velut injuria commoti, quod Mongomerius supra memoratus contra acta Synodi Archiepiscopi Glascuensis dignitatem suscepisset, diem ei ad fanum Andreæ dicunt; ibi amplissimo sacerdotio multandum, & censuris Ecclesiasticis ob facinus graviter puniendum. Rex sibi egregium, & ad immortalitatem memoriæ gloriosum duxit, minus liberali facto jure potestatis intercedere. Missus ilico Joannes Gramus homo per se cognitus cum mandatis, ut intentatam litem prohibeat, ni confestim pareant Conventum dimittat. Grami & Ministrorum altercatio in Conventu secuta est; isti cunctantur, & non incallidè tergiversantur: ille non esse locum tergiversationi adversus Regem ostendit, & imperata facere, aut Conventum dirimere jubet. Ita quæstione in præsens dilata, Gramus pro re certa spem falsam domum retulit. Post ejus discessum Ministri queruntur interpellari se, quo minus commodè Ecclesia administrari possit, nullo ordine, nulla juris via, Archiepiscopo sacris interdicunt. Qua contumelia Rex provocatus, excommunicationem irritam pronunciat, & Montgomerium in diæcesim cum imperio mittit: ubi Glascuam venit, fit fremitus & murmur; Præsul regius turbæ impetu vulneratur, ac sacris interdicitur, quod Synodi & capituli decreto non stetisset. Hæc contentio de Episcopatu magnorum malorum causa fuit; nam Ecclesiæ status huc usque serenus tranquillusque disciplina Antistitum,

Cura liberandi Regis.

Antistitum, qui deinceps per fastidium, & contumaciam Ministrorum, & potestatem & jurisdictionem amiserunt. Perdita laceratаque Ecclesia, & duravit discordia usque ad maturam Regis ætatem, ferocia & ambitu Concionatorum, quibus tum coercendi jus erat pro suo arbitrio. Per idem tempus Georgius Buchananus celeberrimi ingenij vir, domi forisque doctina clarus, provectus ad septuagesimum sextum ætatis annum fato obiit, qui Poeticam Psalmorum paraphrasin varij generis versibus composuit singulari fælicitate, nec minori elegantia Tragedias scripsit, & Epigrammata. Item prosa oratione Historiam gentes scoticæ tenus civili bello viginti libris complexus est, addiditque librum modicum immoderata libertate, cujus argumentum & titulus est, *de jure regni apud Scotos*; Hic vir judicio doctissimi Scaligeri & publico decreto senatus literati poeticæ culmen attigit; haud pariter probatus in Historia sui temporis, in qua plus dignitatis Eloquentiæque, quam veritatis & fidei, quippe Mariæ Reginæ infensus invidia, itaque fœdissima quæque objectavit multa cum acerbitate, haud tecordatus composita a se paulo ante in memoriam virtutis carmina, addictus Moranio patrono, & multis beneficiis obstrictus, laudibus cælo æquavit. Orta inter eos contentione quam æquus judex fuerit in eo negotio fides sit penes Lectores, qui iniquitatem scribentis arguere possunt ex dubia argumentorum fide temerariis suspicionibus, & inurbana dicacitate Patrono haud ingrata, cæteris mortalibus invisa. Præterea in libro *de jure regni* prætendens severum & testrictum laudatorum Principum imperium, ac speciosa nomina libertatis & moderati tegiminis, Procerum plebisque animos obstinatos pro legittimo imperio, juti Majestatis, & summæ potestatis callidis artibus subruit contra jus, fas, & instituta regni. Improbus liber qui circumfertur, & in ore hominum est, ob scribendi genus elegans & temperatum gravissimo judicio prudentiorum neutiquam probari potuit, ob falsa in Principes probra legittimi imperij dedecus summæ & absolutæ potestatis diminutionem, propter quæ passim & propalam vilescit, ac comtemptui est; nemo in libera civitate natus majore obtrectatione aut malevolentia jus Regium insectatus est, editis annalibus & non occultato de jure regni libro, Rex cum ulcisci authorem pæna legittima posset, tulit maledicta patienter educatoris & præceptoris sui, haud facile dixerim majore moderatione an prudentia; nam si qua alia in Iacobo virtus, fuit & contumeliarum insignis patientia, hoc facto conviciatori dedecus, sibi gloriam æternam apud Posteros peperit. Antequam moriretur, subeunte animum sera pænitentia procacis linguæ & immodicè liberæ sive naturæ vitio suæ sive consuetudine, librum cremandum censuit, sed amore præstantiaque styli mansit editus & occultatus, a Blaruodio & Barclaio I. C. Scoticæ originis exemplis & argumentis confutatus est.

Per hæc tempora Scotorum augusta, aspera custodia & diuturna squalida, domum, solitudinem, carcerem fert ægra tristique patientia, indè mærot dolorque non sine acerbissimo animi sensu, quare per literas ad Reginam dolenter queritur de miseriis & calamitatibus diuturni carceris, indignissima sorte sua, filij intercepti discrimine, inimicorum calumnijs ac insidiis, querelis quotidianis nihil profici ostendit, nisi ut indies graviora mala impendiant. Adjicit crimina longius repetita ex Hispanorum in Hibernia, & Iesuitarum in Anglia confessionibus, sed cuicumque nedum Principi ejusdem amplitudinis defensionem tribuendam. Ad hæc fidem amicitiamque promittens, ac flens obtestatur, ut filij Saluti consuleret, sibi libertates restitueret, communiter cum illo tegnare, aut alicubi extra Angliam tranquillè vivere permitteret, ne misetrimum spectaculum casuum humanorum luctus & squaloris diutius esset; denique muliebriter a lachrymis & precibus in iram versa Deum atque hominum fidem implorat, miscet jurgia, exprobrationes, minas, futuras secum meditatur ærumnas, aut filij periculum, aut suam mortem. Elizabetha questa magis incensu quam flexa precibus ad misericodiam, misso Bealo sacri concilij amanuensi viro, infesto animo & minaci, iracundius & vehementius de iis ipsis querulis, literis cum captiva regina expostulat, adventus Beali auxit potius timorem captivæ, ex acerbitate ejus, qualis in se Elizabethæ animus esset conjectantis, quam minuit dolorem. Salopiensis Comitis moderatior oratio fuit, & plena consolationis animum mulcens. Scota cum objecta crimina purgasset, petit ut in libertatem restitueretur, & in regni Scotici societatem cum filio reciperetur. De petitionis conditionibus in Senatu Anglicò serio consultari cæptum, ibique diversis sententiis certatum, sed transigi nihil potuit, iniquitate fortunæ nulla ope supplicem juvantis. Intereà Scotici Proceres adversæ factionis cognita deliberatione, actum de Rege, actum de Britannia, actum de Religione fremuere, si fœmina impatiens consortis, publico Ordinum decreto tegimine summota, diuturniore exilio exacerbata, odio in majorem partem nobilitatis imbuta, in regni consortium adhiberetur, quæ in partem publicæ administrationis accepta totam imperii molem in se, vi vel fraude nullo adversante facile traheret. Cecilius hujusmodi deliberationem proponebat, gnarus non fieri posse, ut animum Reginæ tædio carceris marcescentis a rerum externarum cogitationibus, & impotentibus Guisiorum conciliis averteret, qui tumultuantibus Pontificiis dies noctesque intenti faces admo-

1582.

Res Anglica.

1582. vebant; & consilia arcana cum exulibus Anglis ad eam liberandam agitabant. Hoc anno Commitiis Londini habitis eorum auctoritate obviam itum fraudibus, erroribus, seditionibus Papanorum, quæ toties oppressæ fortioribus remediis, ignominiis, vinculis, exiliis, mulcta, morte, acrius eruperunt: lege recenti & nova Majestatis rei declarantur Sacrificuli Romanis sacris initiati, ac Pontificij qui subditos a reverentia in Principem & recepta religione dehortarentur, aut externis sacris reconciliarent, Sacricolæ hostiam immolantes intra privatos parietes, aut peregrina sacra facientes mulcta & carcere puniuntur; mulcta quoque XX. librarum in singulos menses irrogatur omnibus quia sacris domesticis abessent, cum anteà absentiam festis diebus uno asse in tenuiorum usum redimerent, quia potentius jam malum in dies crescens apparuit quam ut prioribus remediis sanaretur, innumerabilia decreta Ordinum & senatusconsulta facta sunt, negotiumque Magistratibus Londini & præfectis juridicis per Provincias datum, ut sacra Romana fieri vetarent, Sacrificulos conquirerent, & in vincula mittendos curarent, inditaque sunt vincula per latebras repertis. Cæterum inchoata res jam ante de nuptiis Andini aliis atque aliis de causis dilata erat, species corporis nec ampla nec magnifica, minor præsentis reverentia, quia dignitas formæ deerat, ac flos juventæ morbo exaruit. Ille trimestri spatio in Anglia acto inter choreas, convivia, hasticos ludos, spectacula, oscula, complexus, secreto sermone aperit Reginæ, cupere se illi populoque Anglico in Belgio operam navare; Læta eum Elisabetha audivit, probavitque consilium utile & gloriosum. igitur fide data acceptaque matrimonij, addita securitate mansuram eandem Elizabethæ potentiam ac fortunæ fastigium ubi summa adeptus foret, parat trajicere in Belgium; Regina Cantuariam usque abeuntem prosecuta est. Robertus Dudleus Leicestriæ Comes, flagrantissima eo tempore gratia, Carolus Havartus maris præfectus, Hunsdonius, Villoubœus, Vindsorus, Shefeildius, Proceres priscæ nobilitatis, Sidnejus, Chirlecus, Perottus, Russelius, Drurius, Burcherus equestris ordinis jussu Reginæ Antverpiam usque comitati sunt. Ita dimissus Andinus comitante Leicestrio & magna nobilium turba, pecunia quoque commodata ex qua stipendium militi præstari posset, Vlissingam pergit; Regibus externis habiti sunt a Regina honores, decreta Friderico secundo Daniæ Regi periscelidis insignia, Peregrinus Villoubœus Baro juvenis egregius vita famaque Mariano tempore proscriptis parentibus religionis causa, in exilio natus, Peregrini nomen consecutus, in eam legationem dilectus dona tulit, togam purpuream, torquem rosaceum, fasciam cruralem gemmis distinctam; Rex equestria insignia lætanti animo accepit, sacramentum abnuit, memor ordinis Gallici S. Michaelis cum juramentum præstare recusasset, impensasque liberaliter tum Legato, tum toti comitatui ejus publicè præstitit, quæ tam prompta, & tam exquisita Regis humanitas effecit ut Legatus poscentibus mercatoribus Anglicis nova vectigalia, portoria, & onera mercium in transitu freti Damici omitti deprecaretur. Rex dissolutionem Danici regni ostendit, si portoria fructus quibus regni onera sustinentur diminuerentur, tricesimam rerum venalium fervente bello inter Danos & Suecos per publicanos exactam abolevit, & novas acerbitates ac publicanorum cupidines temperavit. Petrus Moritius Belga hac tempestate Londini ea parte urbis qua vergit ad occasum aquæ ductum inchoavit, & inchoatum absolvit, repurgavitque fossas ruderibus completas, honestus conatus in ornanda urbe posterorum memoria celebrandus, ut cæteri ejus exemplo pro facultate publicis operibus & monumentis adornent.

Res Hibernica. Inter quæ in Hibernia Fitz-Moritius Lexnæ Baro, qui superiore acerbitate tributorum & sævitia Proregis rebellionem cœptavit, ferocissimo quoque assumpto, a Dudallo centurione excita cohorte, & quibusdam Momoniæ auxiliaribus exercitus, incertis latebris Anglos frustratus, obseptis effugiis cum nulla spes superesset se Ormundio dedidit; neque multo post Greius Prorex peti se criminationibus inimicorum haud ignarus quasi asper & immitis obstinata severitate materiem rebellioni præberet, ac Hibernicos conciret, missis ad Reginam literis tumultuari rursus Momoniam incursu Desmonij & Fitz-Moritij certiorem fecit, monuitque diligendum successorem peritum rei militaris corpore validum, & ad regendam ferocem provinciam aptum. Is minus triennium in administratione Hiberniæ integrè ac strenuè versatus, intentus, severus, & invictus adversus gratiam, brevi deindè revocatus tanquam delictis provincialium acerbus, Dublini, Archiepiscopo, Prætori, & Henrico Valopio equestris ordinis militaris ærarij Quæstori, provinciam tradidit, ac statim in Angliam trajecit. Fuit Arthurus Greius vetere & illustri familia ortus, scientia rei militaris armis equisque exercitus, professione pietatis & recuperatæ Hiberniæ gloria palam laudatus, vir procul dubio insignis labore in negotiis, fortitudine in periculis, industria in agendo, consilio in providendo. At Leicestrio ignavo homini, militaris quoque gloriæ famam aucupanti, prægravis ad capessendos magistratus digressus, nullum in Rep: honorem assequitur, ætatem in quiete & otio transigit, fama atque omnium sermone celebratus. Ac primo Lætus Hibernis digressus Proregis, & jam qui provinciæ præerant majore comitate populares tractarunt, pari in omnes studio, suaseruntque Desmoniæ Comiti

miti Reginæ expertam fidem & clementiam precibus experiri, posse illi datis obsidibus & abjectis belli consiliis misericordiam contingere. At Desmonius ope Gorani Mac-Sueni & fratris ejus adjutus bellum quam pacem maluit, & in fatali rabie perseveravit, non furtim jam, sed palam Momoniæ accolas fidos Anglis depopulatur, per uligines paludum, inculta montium, & avia saltuum huc illuc volitans militum varios conatus eludit. Regina dilectum supplendis Hibernicis legionibus instituit, & Ormundo supplemento dato Momoniam mandat. Is militiæ munera impigre obivit, lectissimos auxiliarium quibus noti occulti tramites, subitis excursibus immisit, ut Desmonium caperent, aut exturbarent, & terrorem rebellibus statim intulit. Cæterum prætor & Vallopius saluberrimis consiliis causas tumultuum statuunt exscindere, injurias præsidentium, tributorum auctionem, & cætera mala servitutis, comitate, temperantia, auctoritate, moderato imperio. Hic Britanniæ status. 1582.

Res externæ.

In Belgio Andinus Ulissingam appulit, ibi Aurasionensis cum Principe Espinojo advolutus genibus affirmat se quæsisse diu occasionem, vitam, opes, studium, industriam deferendi, nunc tandem oblatam beneficio numinis ad suum quidem, Procerum, & reliquorum popularium solatium. Andinus congruentia tempori præfatus, Aurasionensem Principem & cæteros Proceres summa humanitate complexus est, vectusque Antverpiam faustis vocibus exceptus, mox approbantibus nobilibus & circumfusa multitudine magna pompa Dux Brabantiæ, Limburgi ac Loterii inauguratus, brevi & inglorio imperio perfunctus est. Inter quæ Gaspar Anastius mensarius Bæticus exhaustus & egens, ingentibus donis & promissis ad tollendum Aurasionensem illectus, non sine infamia Philippi Regis pessimum facinus ausus est; Ille multis verbis invectus in Aurasionensem, cuncta Belgii mala & miseram populi conditionem in eum transfert, denique servos ad interficiendum clam corrumpit. Antonius Venerus minister idoneus electus facinus sive magnitudine periculi sive conscientia exhorrescit; inde Iauregium natura duratum ad omne scelus tentat, ostentatque famam patroni perditam, pecuniam exhaustam, munificentiam Regis, & impunitatem si cædem perpetraret, omnem in audacia liberti spem reliquam patroni: non prius orare desiit quam Iauregius testaretur neque votum sibi, neque animum deesse interficiendi eum si occasio daretur. Ille scelus promittentem arctè complexus, authorem publicæ salutis profitetur, ac præmia tantæ perpetratæ rei ostentat. Deinde dubitatum ferrone an sclopeto grassaretur; placuit sclopeto grassari, igitur telum parat, veste occultè tegit, & in conferta turba nihil metuentem Aurasionensem per malas globo transverberat: ille attonitus velut exanimis corruit, haud ambiguus percussor à satellitibus charitate Domini multis vulneribus confectus est; suspecta mox Batavis Francorum ingenia fuere, & concursu plebis usque ad seditionem ventum est, quam novus Brabantiæ Dux voce vultuque repressit. Vulgato principis periculo per insidias serviles, plebs proceresque valetudinis causa supplicaverunt, votaque pro incolumitate sacerdotes nuncuparunt, precibus, fomentis, & munere Dei servatus est, & in dies magis invisus Philippus cæpit esse injuria & invidia. Interim Andinus conducta Gallorum & Belgarum, quanta maxime posset juventute, pecuniam undique corradit in subsidium belli, privatim omnibus coactis aurum argentumque in publicum conferre, cum paucis tribunorum militum collocutus, electisque idoneis præfectis centurionibusque Alostum sine strepitu ac tumultu pergere jubet. Francici milites per partem muri infirmam juxta Bruxellensem portam vim faciunt, pluribusque scalis in murum evadunt, patefacta repente porta, instructi armatique equites cum clamore irrumpunt, turbatosque oppidanos ad curiam urbis cum multa cæde persequuntur. Is casus Aldenardiæ deditione Parmensi facta compensatus est. Cæterum mercenariorum seditio primum exarsit, deinde defectio secuta est. Noritii Angli præfecti ferocia milites hostesque diversè affecit; sex Anglorum cohortes & centuriones severitate ducis ad Hispanos defecerunt: flagitiosæ perfidiæ premium inopiam, primos belli casus, & ludibrium commilitonum tulere, in certamine jurgioque proditionem objectantium. Defectiones Scotorum secutæ, militum discordia, vel fraude hostium; Gulielmus Stuartus strenuus tribunus militum, cum & pecuniam ad stipendium & commeatus deessent, in patriam revertitur; Semplius nationis ejusdem & ordinis obscuro loco & tenui fortuna ortus, ob non soluta stipendia, non provisum commeatum, super sævitiam ac superbiam Hetfeildii præfecti causatus, ad eluendam perfidiæ infamiam, Lirano oppidum Hispanis hoc actu prodidit, cum fidem præmiorum accepisset, compofuissetque agendæ rei ordinem. Is populationibus insuetus hostium agros populabundus incursavit, & quasi ingenti præda parta, intempesta nocte rediens portam aperiri jussit, cum valva tantum à janitore aperiretur, hostem insistere tergo clamitavit, haud dissimilia conscij milites circumstrepuere, janitor fraudem abesse ratus jussa exsequitur, statim confossus illicò à Scotis est, ille intromissus armatis in stationibus & vigiliis crudeliter interfectis, quos adversos suis consiliis cognoverat, simul ad signum editum irrumpentibus Hispanis ex insidiis, forum occupat, urbemque opportunam magnis conatibus Far-

1582. nesio tradit, tali facinore in spem præmij sublatus, digressusque in Hispaniam infamis proditionis mercedem Parmensis Principis suffragio assequitur, at dedecus apud cæteras mortales nequaquam in Batavos tam impius quam in patriam. Inter seditiones militares & defectiones, Parmensis occasioni intentus & pugnæ avidus in pago haud longè à Gandavo hostium copias discordes animis aggreditur, sine certo duce, sine rectore, Batavi, Franci auxiliares Angli, Scoti, Germani, firmati inter se densis ordinibus, ad propinqua Gandavi mœnia sensim recedunt, & excipiunt regios temerè effusos, Ioannes Norritius cum dilectis popularium in prima acie versatur, nullum egregij ducis aut strenui militis officium prætermittit. Parmensis magnum terrorem hostibus injectum esse cernens, ne deesset occasioni cum universo Philippici exercitus robore clamore sublato impetum facit, sub ipsis mœnibus fit prœlium anceps, & atrox multis utrinque cæsis primorum ordinum centurionibus, Mondrogonij suffosso equo, & Octavio Gonzaga nobili adolescente vulnere strato, præfectus Norritius avidus navandæ operæ summa cum gloria sub mœnibus Gandavi distributis popularium cohortibus & dispositis equitum turmis Ducis Parmensis impetum sustinuit, non telis, non vulneribus cessit, obstupefecit eo alacritas adversus tanto majores copias non solum plebem Gandavensem è muris spectantem, sed etiam duces Andinum & Autasionensem è vulnere recreatum, nec Parmensis ultra institit, cum tormenta desuper in subeuntes librarentur; itaque postquam inceptum irritum fuit majore suorum pernicie à mœnibus recessit, non sine ignominia temeritatis.

Dum hæc in Belgio geruntur à ducibus partium, in Francia Rex qui socordiæ luxuriæque se mancipavit, duobus gravissimis casibus conflictatus est, domi Salsecliana conjuratione foris Strozziana clade apud Azoras insulas cum infamia nominis Gallici conjuncta, metus conjurationis cladis memoriam obliteravit, quam paucis repetam. Rex Antonij omni possessione Lusitaniæ terra marique pulsi conatus privatis & promiscuis copijs juvit, Philippum Strozzium privato odio infestum Hispanis maritimis, Carolum Cosseum Brissaci Comitem terrestribus præfecit. Igitur Strozzius cum quinquaginta quinque navibus bellicis & onerariis omni copia rerum onustis in Azoras insulas trajecit. Manente adhuc apud eas favore Antonij, Philippus Lusitaniæ regnum adeptus seu terra, seu mari obviam eundum hostium conatibus foret, paratus ad omnes occasiones fuit. Alvarus Bassanus Sanctæ Crucis Marchio classem instruxit ut insulas tueretur, in ea XX. naves Bæticæ, XII. triremes, triginta naves longæ & onerariæ, classe juncta profectus ab ostio Tagi fluminis secundum ventum ad trajiciendum in insulas habuit. Duæ classes infestæ circa Azoras stabant, ubi primum opportunitas evenisset concursuræ, decrevit Santacrucius prudentissimus dux fortunam navalis prelij experiri, Strozzius fiducia virium periculorum contemptor, pari animi magnitudine prælium non detrectavit. Itaque utraque ex parte tuba signo dato haud procul à Sancti Michaelis insula pugnatum. Strozzius suos ad fortiter capescendam pugnam hortatus, primus in hostilem classem impetum fecit, Cossæus tribunus equitum insecutus est & tres Anglicæ naves egregiè instructæ, parum celeriter insequentibus reliquis cum multas hostium naves perforasset, & Sanmathæanam qua Fegetoa vehebatur penè submersisset, tandem circumventus ab Hispanis interemptusque, simul pugnans hortansque suos, cui subsidium nemo tulit, præter Cossæum Brissaci Comitem, qui magnis difficultatibus conflictatus se fortiter eripuit virtute, ac fæcilitate majorum nec à pugnæ discrimine ipse Santicrucius aberat, à duabus Gallicis navibus majoris formæ eodem tempore obsessus, ne Fegetoa cum prætoria & Cossæana premeretur opem ferret. In hoc certamine præcipuè enituit virtus Lupi Fegeroæ, Petri Toletani, Christophori Erasti, Francisci Bovadillæ, & Oquendæ, qui eo prælio rem benè gesserunt. Nave prætoria capta fusi fugatique Franci, bis mille cæsi; Hispani ducenti periere; naves octo in hostium potestatem venere, paucæ in alto mersæ, cætera fusa ac fugata classis. Hic exitus prælij fuit, Sausolinius nulla conserta pugna in altum cum novem navibus vela fecit, & in Galliam receptum habuit, ubi postulatus ignaviæ culpam confessus est, ut proditionis crimen evitaret, ipse Brissacus cum octo decem navibus rediens acceptum incommodum & Strozzij tristem casum primus nunciavit. Antonius prælio non interfuit, qui celeri navigatione Tertiam petijt in successu anxius, ubi pugnæ exitum cognovit, vehementer indoluit Gallorum vicem, & cum suis in Galliam navigavit. Nobiles captivi contra disciplinam, & instituta militaria tanquam proditores transfugæ & ruptores fœderis ignominiosa morte periere, quod Antonij Crait prioris conatus adjuvissent, ac insulas Catholici Regis ditioni subjectas prædaturi venissent; cædibus peractis ludibria adjecta. Francus delinitus illecebris voluptatis ne luxum, otium & fœdam lasciviam interrumperet, cladem & dedecus publicum neglexit: Tot facinoribus insignem annum Numen tempestatibus & prodigiis insignivit; vastata Hotfolcia Angliæ provincia turbine, qui villas, hortea, arbores, fruges, passim disiecit, sydus Cometes effulsit, magnarum calamitatum imminentum præsagium, partus hominum pecorumque monstruosi: Eodem anno Gregorius XIII. Pontifex maximus ne Pascha resurrectionis præposterè in plenilunio celebraretur, Kalendarium à C. Iulio Cæsare ordinatum, intercalatione conturbatum atque confusum, rursus in ordinem redegit, eximendo decem dies, qui

qui supra priscam solis rationem excreverant ex horariis scrupulis residuis XV. Decembris 1582. XXV. numeravit, eoque die natalem Domini celebrandum diplomate edixit. Hanc emendationem anni ut commodiorem omnes nationes Romanæ religionis acceperunt, quæ tamen vitio non carere posteà deprehensa est, sicut subtiliter & copiosè disputavit literati Senatus princeps Iosephus Scaliger in admirando opere *de emendatione temporum*. Protestantes Augustanam confessionem amplexi, & omnes instauratæ religionis professores novam anni formam recipere abnuerunt, præter Batavos & Frisios, qui auctoritate novi Brabantiæ Ducis permoti, approbarunt.

IN Scotia cum conjurati proceres ad securitatem, Aranius & suæ factionis primores ad occasionem recuperandæ potentiæ cautè verterentur, multi casum fortunæque Principis miserarentur, 1583. Regi erat animus elabendi specie venandi, sed custodes appositi, Anguisius, Bothuelius luxuriosa adolescentia famosus, & insita vanitate periculorum contemptor, Marrius, Glannij tutor vix strenuus ac futuri providus, hoc consilium impediebant. His anxius curis cum aliquot menses egisset, & spes varias versaret animo, mense Majo profectionem ultra Bodotriam meditatur ad Farmiloduni & Falcolandiæ amænitates, in eo cogitatione curaque defixus, ut si occasio daretur, ad suos transiret. Bovesius Anglorum legatus, rerum mutationem præsagiens, consilium profectionis impedire aut certè tardare conatur. Rex insigni equo multo cum honore digressus Limnuchum composito agmine incessit; erant in comitatu Argathelius, & Mont-Rossius imbuti favore Comitis Araniæ, & Consiliorum haud ignari. Accelerata interim cæpta, fide ac taciturnitate, & Gordonij numerosa clientela, ac opibus insignes adsciti in partes; inter quæ Gulielmus Stuartus, strenuus bello, qui tribunus militum in Belgio gloriam adeptus, eoque prætorianæ cohortis præfecturam, incorruptæ erga Acanium fide, ad Elisabetham à Rege Legatus missus: Regis Scotorum erga eam amicitiam & benevolentiam, studiumque pacis & concordiæ servandæ declaravit, rebusque domi turbidis petijt, ut Regina velut arbitra auctoritatem interponeret, discordes Proceres ad concordiam traheret, maritima Anglorum latrocinia cohiberet, Iacobi Regis salus, dignitas, matrimonium ei curæ essent, Legati utrinque congrederentur qui fœdus perpetuum religiosumque facerent. Ad hæc Regina respondit, Regis salutem, regni tranquillitatem, Procerum concordiam tantæ sibi curæ fuisse, ut rogari admonerive vix sustineat, neque defuturum suum in tempore studium, aut in fœdere renovando, aut in matrimonio contrahendo. Paucos post dies Stuartus in Scotiam redijt, & Fermiloduni quæ cum Angla acta erant exposuit; Per hæc dubia & formidolosa tempora ministri Procerum authoritate ac gratia, quorum causam enixè defenderant, disciplinam suam comprobari postulabant, verum illi in maximis curis suis causæ iniquitatem secum reputantes ministrorum iniquis postulatis Regis gratiam præferre satius duxerunt, & omnes suas cogitationes contulerunt ad retinendam potentiam. Leviniæ Dux recenti calamitate & angoribus confectus, nullo in Franco subsidio, vitæ hujus molestiis omnibus Parisijs liberatus est, magna Iacobi Regis commiseratione, in mortis articulo conscientiam in fide testatus ministrorum calumnias perpetua instauratæ religionis professione confuravit; Fuit vir is egregius naturali suavitate morum, temperantia, integritate, moderatione & in omni actione insigni comitate, tum nulla in æmulos malevolentia suffusus, His virtutibus favorem Iacobi Regis meritus, potentiam, gloriam, dignitatem consecutus est, singularibus ornatus & novis honoribus invidiam magnæ fortunæ perpetuam comirem effugere vivus non potuit, mortuus magnum sui desiderium reliquit, quippe popularis invidia partim lenita, partim in misericordiam versa. Is tunc rerum Scoticarum status fuit, ut in proditorum Procerum potestate Rex potius esset, quam eorum potens foret, tandem eorum imperii pertæsus qui imperabant potius, quam parebant, ac recentis injuriæ in se detinendo memor, conventu ordinum ad fanum Andreæ habito, ibi tempus opportunum nactus, de se vindicando in libertatem cogitavit, & cum persuadere posse diffideret, cogere fas esse existimavit, omnia enim in eum diem comparaverant, subsidia authores Regis liberandi Huntileæ, Crafordiæ, Argatheliæ, Atholiæ, & Montis-Rosarum Comites, ut si armis decertandum foret, comitatu & cætero belli apparatu superiores essent. Angusius, Marrius, Gaurius inermi turba septi, nihil ex adverso præparati habuerunt. Rex salutis cura cum fidelissimis clientibus in arcem Episcopi secessit, ibi periculum tumultuantium in urbe procerum discussurus. Gulielmus Stuartus præfectus prætorianæ cohortis, stationibus, & vigiliis in opportunis locis dispositis, clausisque arcis foribus, & adversus vim firmatis, Proceres exclusis immensis commitantium agminibus cum paucis clientibus intromisit, ac maximè inimicos conjuratorum procerum. Intereà Rex omne illud tempus meridianum in acerrima & attentissima cogitatione posuit, edixitque ut Huntilæus ac Crafordius, Angusius, Marrius, ac Gaurius, tumultus effugiendi gratia aula abstinerent, & in domos secederent. Angusius & Marrius edicto paruerunt, Huntilæus ac Crafordius retro in Fifam concesserunt, ibique cum amicis & clientibus manserunt occasioni intenti dum illi urbe discederent. In medio æstatis è Fano Andreæ Falcolandium pallacium satis amænum

1583. se contulit, ac brevi multis veteranis Proceribus accersitis,& aliis spontè accurrentibus, ac revocato Araniæ Comite, jam suæ potestatis factus, & satis adversus vim tutus, ex horum sententia edixit, ut Angusius, Marrius, Gaurius, Glamius propinqui, affines, & clientes, omni procuratione publica, ac ministeriis domesticis abstinerent, item alii aliò in exilium intra certum diem irent, huic edicto si parerent, Regiæ clementiæ spes facta, tanquam scelere expiato, si quis secus fecisset, ei capitale fore denunciatum est: omnes edicto paruerunt; Angusius trans Spæam, Marrius, Glamius, & tres Cænobiarchæ Driburgi, Pasleti, & Camskinethi, in Hiberniam circumjectasque insulas, Abbas Fermelinoduni, & Colvillus Cliffius in Belgium, Bodius, Iacus Levini Comarchus, & Colvillus Vennius in Franciam secesserunt. Gaurius commeatu in tres menses impetrato priore fato manfit, ita Aranius adversarios suos à quibus paulo ante erat ejectus, regno expulit, & suam vicem ultus est; Inde rex Perthum ad conventus peragendos proficiscitur, ubi edictum Levinium morientem doctrinam & ritus instauratæ religionis sanctissimi professum, rumoribus improbissimis dissipatis infamatum, si quis iracundia, levitate aut malitia defuncto maledicere perseveraret, capitale fore; Adjectum & aliud edictum, quo Rex affirmavit, quamdiu apud Gaurianos fuit, captivum fuisse, & semper vitæ suæ timuisse. Hoc edicto proposito magnus animorum motus est factus, quippe ministri auctoritate & sententia synodi expeditionem Ruthenicam justam legitimam & publice utilem pronunciarunt, mirantibus cunctis tantum vel animi fuisse in Ecclesiastico ordine, vel temeritatis. Rex consilio senatus, studiis Procerum, & singuli bonorum omnium consensione adjutus, infamem proditionem asseveravit, interim recuperata libertate scripsit ad Elizabetham literas, quibus promisit amicitiæ ac fœderis officia diligenter sanctèque servaturum, & consilium ejus in ordinanda rep: amplexurum, hunc casum illi ita improvisum inopinatumque accidisse, ut consulere non potuerit, quid faciendum censeret. Regina Anglorum cum denuo præter spem, auctoritatem Araniæ Comitis & potentiam crescere cerneret, non immerito timens, ne flamma ex Scotico incendio in Angliam evolaret, subsidio opportunissimo subvenit, saluti regni Scotici & Anglicæ factioni, consilio & ope Fran: Valsingami ab epistolis prospexit. Ille ad res Scoticas inspiciendas remediaque malorum inquirenda in Scotiam profectus Regi aperit, quod malum extremum reip. discordia civilis afferat, quod horrendi eventus, cædes, incendia, ruinæ, vastitas, solitudo, orbitas, seditiones consequantur, quam salutaris ei & honorifica fuerit semper Reginæ benevolentia, eumque orat ut studium pacis concordiæ, propagandæ religionis, quod non ita pridem literis ei declarasset, in posterum quoque præstaret: deinde sermone confecto, cujus rei causa venerat, sedulo sed frustrà egit, ut Proceres inimicorum calumniis pulsos in veterem gratiam reciperet, simultates oblivione finiret, bellum civile imminens in ortu extingueret, neque res diu fore pacatas ostendit, sine Gallicæ factionis pernicie: Rex ad ea breviter moderateque respondit, nunquam declinasse se à religione officii in aliqua re erga Reginam, etsi dirumpendæ amicitiæ deserendique officii plures essent justæ causæ, nec quicquam adhuc gessisse, cujus aut ipsum aut Reginam pænitere debeat, quod si in charitate & amore pristino perseveraret, neminem Elizabetha neque chariorem neque jucundiorem unquam fore, addit nomen Regium sperni, & Sacro sanctæ Majestatis potestatem vilescere, si alieno juri subjicerentur, adse quidem captivitatis atrocissimam injuriam, ad omnes Reges pertinere exemplum. Tali oratione admirationem animi, & ingenii excitavit. Legatus longa & accurata oratione Reginam turbarum in Scotia ignaram docebat, donec literis quam familiarissimis pernotuit, gravissimam procerum culpam communis concordiæ causa voluntaria oblivione deleram, & impunitatem concessam. Ad ea Rex respondit, invitum, vi coactum, metu impulsum scripsisse excusandos magis, quam reprehendendos formidine lapsos, consilium suum non improbandum & exemplum præclarissimum vindicandæ seditionis, quod usus esset quibusdam nobilissimis hominibus, fortioribus in se restituendo, quam fuerant conjurati Proceres in tuendo, denique prudentia & patientia suam auctoritatem, potentiam simul cum salute, & securitate recuperasse: Posteà Valsingamius secretum nactus multos sermones collocutionesque cum Rege habuit, de statu regni, administratione reip: de sanandis partibus, quæ seditionibus erant divulsæ, authorque fuit, ut benevolis & fidelibus consiliariis uteretur, malos & imperitos vitaret, pulsos Proceres aut reconciliaret, aut mitigaret ad vitandam seditionem, atque discordiam: cum paræneticis, Platonicis & Isaraticis sermonibus aliquot dies consumpsisset, & Rex vicissim specimen virtutis, indolis, ingenii dedisset, restitutione Procerum inorata in Angliam rediit. Aranius discessu Valsingamii lætus, novis & singularibus honoribus ornatus, immensis salutantium agminibus comitatus, munia imperii impigrè obit, nec segnius invadit domos, hortos, prædia fructuosa procerum, Maxualli rupem peculiare Ioannis Maxuallii Comitis Mortoniæ patrimonium, permutatione cupit, homo ferox & nobilis avitum patrimonium & gentile decus cum aliis prædiis non minus commodis sed male partis commutare recusat; Hinc Aranius accessione fortunæ & dignitatis elatus iracundia exarsit, Iohnstonium tribulium Principem olim Maxuallij æmulum

æmulum in præfectura occidentalis limitis, nunc apertis odiis discordem acrius accendit, & 1583. Maxuallios ac Iohnstonios finitimos velut in prælia accendit, nec alius discordiarum solet esse exitus inter claros ac potentes viros nisi ducum interitus. Igitur crebris incursionibus immittunt latrocinantium globos, disponunt insidias, & aliquando levibus prælis congrediuntur, spoliaque & prædas velut in hostili solo impune agentes ferentesque harum turbarum nuncio in aulam perlato. Aranius de periculo Iohnstoni viri majoris animi quam consilii sollicitus Lannium & Cranstonum centuriones cum duabus cohortibus peditum auxilio misit, missus obviam à Mortonio Robertus Maxuallius ex pellice frater Langholmi præfectus cum turma equitum, & Iacobus Fraserius cum cohorte peditum. Lannius & Cranstonus itineris labore fessi in Crofordiæ valle aperta, equestre prælium haud patiebantur, cæsus Lannius cum multis militibus, captus Cranstonus, cæteri se in fugam conjecere, multi cæsi captique in ea fuga. Iohnstonius malignissimè ferens hanc cladem auxiliarium coactis amicis & clientibus, ferro flammaque in vicina Nithiæ prædia grassatur, domibus Mortonii direptis & incensis. Mortonius ut damna accepta ulcisceretur, pari crudelitate Anandiam ingressus, lecta Iohnstonii incendit, ædificia diruit, pecora abigit multos Iohnstonii generis mortales interficit, & multa majora quam accepit damna hosti rependit. Ex eo die Anandiani in Ulirhiam, Ulithiani in Anandiam incursiones fecère, omnia igni ferroque vastantes, Iohnstonium tribulium principem frequentibus irruptionibus territum, compulere in castellum Bonstaum, cui Eduardus Iruinus præfectus erat, & cum minæ negligerentur, repente obsidionem incipiunt, ac acriter oppugnant, jurejurando se obstringentes nisi arce dedita, non decessuros. Arx per aliquot dies animose defensa, sed intercluso ad obsessos omni aditu, conditionibus conventum, Scrupo Anglo homine nobili auctoritatem certantibus interponente, hæc Holingshedius; Ego verius credi derim obsidionem relictam ob inopiam machinarum, inscitiam oppugnationis, labores & vigilias obsidentium. Iohnstonius, Anandia vastata & omni clade belli ad solitudinem pæne redacta, cùm Regi scripsit non satis esse in suis præsidii, Maxuallios successu fortunæ elatos exitio imminere, nisi ferret opem, tùm uxorem virilis animi fœminam misit nuntiatum, quo in statu Anandia esset, vicis ædificiisque incensis, illa Regem muliebribus lachrymis commoverat vehementer & Proceres omnes qui aderant, sed in tantis malis domesticis regiæ vires infirmæ erant. Iohnstonius destitutus non fractus est animo, quippe vindictæ avidus egregia alacritate tribulium copias contrahit, sed in ipso apparatu belli cum delectum haberet, in conditam multitudinem militiæ muneribus erudiret, repentè nihil minus eo tempore timens opprimitur à finitimis latronibus, Gulielmo Carutherio duce Holmencii Comarcho Dumfrisam captivus abducitur, & infesto sermone vultuque à Mortonio cognato excipitur, supplex fieri non ferens ad suos dimissus est, nec diu supervixit vir fortissimus doloris, iracundiæ, indignitatis, & animi ægritudine victus. Rex auctoritatis suæ contemptu, Iohnstonii calamitate, Maxuallii Mortoniæ Comitis superba contumacia, & Aranii patrimonio ejus inhiantis invidiosissima insectatione irritatus, vocat consilium Procerum docet acta Mortonii, & quomodo Ulcisceretur consultat, plures censuerunt spretæ majestatis pœnas ab eo expetendas, ne tanti facinoris impunitate, inproborum audacia cresceret, missi ad Mortonium nuncii ut judicio adesset, audiretque sententiam senatus, sed in jus vocatus haud obtemperavit. In tam turbido regni statu res Ecclesiastica, suis vitiis laboravit, & morbis, excusso Pontificis jugo, profligatisque Romanæ Ecclesiæ corruptelis, præproperi & præfervidi concionatores modum, ordinem, dignitatem, decus, non adhibentes in Sacris tractandis, sed rerum omnium humanarum contemptum præferentes, & puritatem Evangelicam spirantes, opes, honores, potentiam, dominatum à religione aliena prædicabant, Præsulum Ecclesiæ ordinem divinitus institutum initio inopem ad pascendum plebem, deindè pietate mortalium locupletatum, nunc propter ambirum cupiditatemque ad pristinam rursus egestatem & veteris disciplinæ severitatem redigendum, Quam jam pridem licentia temporum aut solverant, aut abjecerant. Nomem, dignitatem, jusque Episcopis in facultatibus concedendis, in ordinibus conferendis, in censuris ecclesiasticis, in suffragiis comitialibus abrogabant, æqualitate quadam in regimine ecclesiæ falso constituta, ad restituendos collapsos mores, ac tribunitia quasi potestate arrogata, quam Romana ecclesia sibi ascivit, magno reip: discrimine, summa imperitæ plebis lætitia, cui gratissimum erat eo tempore contra fortunas & honores antistitum sacrorum omnia dicere atque audire. Hæc & pleraque hujus generis prædicantes ausi sunt clara voce pronunciare, ex ambone in scholis, in circulis, non esse Dominatum qui à Numine committitur Episcopis, & clericis, sed curationem & tutelam, itaque curatores esse non dominos; cæterosque magistratus Ecclesiasticos administros divinarum curationum, æquamque habere in administratione Ecclesiæ potentiam: indè paulatim se ditioni regiæ in causis sacris subtraxerunt, omnesque sacris initiatos ab omni principum jurisdictione liberos esse asseruerunt, nec eorum legibus teneri; denique separatam præsbiterij jurisdictionem per singulas provincias instituere aggressi sunt, ac per ordinis ejus potentiam, Regem etiam obnoxium tenere. eoque contumacia quorundam processit,

Ecclesiastica disciplina paupertate magistra stetit.

Episcopi veterem disciplinam abjecisse arguuntur.

1583. processit, ut in jus vocati ad tribunal regium, obsequium detrectarent, & rationem rerum à se gestarum nisi apud synodos reddere recusarent. conventus Episcoporum synodos antiquitas vocabat, in quibus tam circa vitæ instituta contra pravos mores, quam circa rectam doctrinam contra hæreses, ac de religione & fide male sentientes inquirebat; Ministri nunc synodos vocant cætus doctorum, pastorum, seniorum, & diaconorum, modo in universo regno, modo in parte & singulis provinciis, non ad emendationem malorum, sed ad ambitionis fastusque propugnationem coactos, idque Præsidente aliquo eorum eximiæ pietatis & virtutis viro quem moderatorem appellant. In synodo Glascoensi aggressi evertere omnes Ecclesiasticæ jurisdictionis partes quas Episcopi recepto more veteris Ecclesiæ sibi vendicarunt, & omnes divinarum legum interpretes probarunt, pronunciaruntque se Episcoporum neque munus ullum præter consuetum cunctis ministris, nec usum in Ecclesia agnoscere, decreveruntque ut omnes Pontificatu abirent, omni procuratione Ecclesiastica, senatu & publico gentis concilio de statu ordinando abstinerent, nisi auctoritate synodus generalis interposita, si quis privatus aut Magistratus eorum decreto non staret, sacris interdixerunt. Patricius Adamsonus fani Andreæ Archiepiscopus eruditionis magis quam sanctitatis gloria pollens, dum summam authoritatem in Ecclesia retinere, & in synodo generali cleri præesse invictis rationibus scripturarum conciliorum, patrum, ac sacrarum historiarum testimoniis contendit, iram & odium ministrorum in se concivit, qui maledictis lacerant, & ultionis cupiditate nominatim execrantur, quod præsulum ordinem in synodo damnatum, ex usu pietateque veteris Ecclesiæ habendum probasset; Ille hominum ex inferiore ordine interdictum contempsit, atque ad ea quæ sui muneris erant privatim & publice se comparavit, nec singuli modo sed & universi, ordo ordinem insectantur; Præsules Ministros, ut homines turbidos, inimicos pacis, novatores rerum à majoribus benè institutarum, publicè privatimque perniciosos, seditiosos, schismaticos, hypocritas appellant, quod paupertatem quam Episcopis exigerent, summopere vitarent, & honores ac divitias quas verbis tam studiose execrarentur, omnibus votis exoptarent, nec acriore hodie quam anteà disciplina agerent, aut majore voluptatum parcimonia. Hinc inde dira anathemata circumvolitant, sed dispari eventu, quippe vulgi judicio Episcopi numero impiorum ac sceleratorum habentur, congressum eorum sermonemque omnes defugiunt, at ministri claro rumore erant per virtutes aut virtutum simulacra, obstinatam contumaciam adversus majestatem, imperium restrictum & perseverum in plebem. Fracta procerum Ecclesiæ potentia, & sacro, Pontificioque jure abrogato, politicæ administrationis negotiis se immiscent, nec minus cessant, vitia aulæ graviter publiceque increpitare, rumores satis quidem inconstantes & sine anthore plerumque aucupari, irruere in homines nobiles cum impetu & clamore, testimonia sacra temerariis opinionibus prætendere, auctoritatem religionis immodestia imminuere, interdum intemperantia linguæ fervore & ferocia, inter dicendi contentionem, in tempora, & mores inconsultius evecti: Ipsum Regem & Proceres aulæ insolitæ libertatis tædio offenderunt, nec deerant, inter eos qui sacram majestatem Iacobum nullo alio verborum adhibito honore, compellarent, id genus loquendi non incivile sacrarum literarum authoritate probarent, ac Reges omnes libertati ecclesiæ infensissimos hostes esse natura duce seditiosissime prædicarent. Aranius cum furcæ minis cohibere impetum ferocientium animorum, & intempestivam libertatem non posset, ac prospiceret, nisi ministrorum conatibus maturè obviam eatur, Regem propediem in ordinem redactum rei, & penes illos omnium rerum divinarum & humanarum potestatem fore, ex decreto consilii summos viros facundia, literaturaque præstantes Melvinum, Lausonum, Gallovidium & primores Ministrorum ad derimendam de regimine Ecclesiæ controversiam, & præsules aliquot ad idem munus nominatim evocavit. Ministri eorum ordinem à synodo sublatum contendebant, illi contra divinitus institutum ex usu dignitateque Christiani nominis retinendum differebant. In illa Ecclesiasticorum controversia, Rex universo regno damnosa per ministros agitari prævidens, pro Episcopis omni ope & consilio pugnavit, ut antiqua munia tenerent, & publicis comitiis assisterent, oravitque ne paterentur Ecclesiam imperitæ multitudinis & quorundam adolescentulorum pravis consiliis divelli, quod futurum providit si Episcopis sua auctoritas abrogaretur, monuitque ut Præsules exemplo & doctrina gregibus suis prælucerent, ministri Evangelium synceré prædicarent, sacramenta administrarent, & ne reip: negotiis se immiscerent, neve inanes rumores aucuparentur, aut Procerum aulæ dubia vitia tanquam manifesta, insectarentur. His autem cohortationibus cum impetum sisteret magis, quam curaret, nunquam tamen destitit quòad vixit obsistere, donec Ecclesiæ vulnera sanaret. Intereà Ludovicus Stuartus Leviniæ Dux Amati nuper mortui filius, è Francia puerilibus annis evocatus, Letham appulit, tanta synceritas, integritas, & moderatio animi in prima adolescentia erat, ut omnes uberiores fructus provecta ætate prudentiores augurarentur, nec fefellit divinatio. Audito ejus adventu magna lætitia in regia fuit, navem egresso Huntilæus, & Aránius præsto fuere ut deducerent. Itaque introductus ad Regem memoria meritorum patris charior acceptiorque erat; mox duæ

sorores

forores è Gallia in Scotiam evocatæ, clarissimis viris Huntileæ & Marriæ Comitibus suo tempore collatæ. 1583.

Res Anglicæ.

Ceterum hac tempestate non solum in Scotia, sed etiam in Anglia exagitati Ecclesiastici Proceres; Ibi purioris religionis Professores, (& qui ex hac officina prodiit antesignanus ac dux errorum Robertus Brunus Cantabrigiensis à quo Sectarii *Brunistæ* dicti, qui non una vel simplici pernicie Ecclesiam turbarunt) concionantes Præsulum in explebili luxu, avaritia, & ambitione, servorum Dei numerum multis partibus imminui, alios bina, alias terna, alios plura fructuosa sacerdotia possidere, & in otio ac delitiis marcescere, ab animi cura ad corporis cultum se totos conferre, Ecclesiæ lumina hoc est Episcopos occæcari, & Dominicæ domus collumnas sensim solo affligi, tentarunt ut Episcopi ex Ecclesia funditus tollerentur contra morem majorum & Reginæ authoritatem Præsules consilio, opera, & diligentia Ecclesiam juvant, homines maximè idoneos ad Ecclesiastica munera provehunt, ejiciunt in exilium Brunum exitiabilis doctrinæ authorem, libros novi Shismatis dogmatibus refertos foculo posito in area Paulina comburunt, unius aut alterius Sectarii pœna malum ne latius serperet resecant, cæteris expellunt è patria, & in Belgium relegant Sectariorum commune receptaculum. Edmundus Grindallus Archiepiscopus Cantuariensis vir pio & miti ingenio, cum Ecclesiæ securitas vim & severitatem desideraret, censuit ista mala non asperè duriter, aut imperiosè tollenda, sed magis suadendi auctoritate, quam jubendi potestate sananda, & votis, lachrymis, curis remedia quæsivit. Inter æstus contentionum & mutua odia Ecclesiasticorum, Grindallus Pontifex homo doctus & pius cæcus factus fato concessit, qui Protestantium doctrinam tota vita professus est, ob eamque causam Maria regnante Anglia abstinuit, ineunte regnum Elisabetha regressus Londinensis Episcopus primum factus, inde Eboracensis Archiepiscopus, tandem Cantuariensis, & Angliæ primas; æquabili apud Principem gratia floruit, donec occultis Leicestrii charitatem in suspicionem trahentis criminationibus petitus, quasi novatores turbidos quibus potuit officiis sublevasset, revera quod Iulii medici Italici generis nuptias improbasset, quæ sine scelere perpetrari non poterant, incolumi adulteræ marito. Huic Præsuli præcipua ex eo gloria quod pro facultate sua utramque Academiam monumentis adornavit. In defuncti Grindalli locum Archiepiscopi Cantuariensis suffectus Ioannes Leucoderus ad Ecclesiasticum statum ordinandum, Præsulum incuria & tolerantia, novatorum pertinacia, aulica nundinatione honorum Ecclesiasticorum, labefactatum; Is præcipitantem Ecclesiam charitate, patientia, & acriore disciplina sustentat; omnes boni gaudent munus tam necessarium viro moderato, & erudito commissum: Ministri factiosi dolent, per fastidium, contumaciam, & contumelias bonum ingenium accendunt, sæviunt maledictis in sedem, confessionem fidei lacerant, ille omnes contumelias ferens magno animo, Archiepiscopi consueta munia impigrè obit, contumaces reprimit, dubios retinet, curionum virtutem auget, novatorum ferociam infringit, & unitatem Ecclesiæ non mediocri industria restituit. His articulis clero propositis, ut Reginæ supremam potestatem in rebus omnibus tam sacris quam profanis, Præsulum jurisdictionem Ecclesiasticam in Episcopis & sacerdotibus ordinandis, in censuris de vita & moribus, agnoscerent, librum precum publicarum, sacramentorum administrationem constitutam, & acta synodi Londinensis anno salutis M. D. LXII. approbarent; nec tanta sollicitudo destituta successu, quippè multi antesignani & duces errorum ad Domini gregem reverterunt. Annus hic insignis apud Anglos morte clarissimorum virorum. Thomas Ratcliffus Sussexio Comes, Leicestrii æmulus, de quorum jurgiis retuli, splendidis majoribus ortus egregia animi indole, ac summa in Principem & patriam charitate, amplissimis honoribus, ac variis pro Rep. legationibus gestis apud Carolum V. & Maximilianum Cæsares, ac Philippum Hispaniarum Regem, per Germaniam & Hispaniam quoque celebratus est; Hiberniæ Prorex, Præses septentrionalis plagæ, proximas provincias pervagatus gloria inclaruit, & Lodini in morbum lethalem incidit, ac vitam cum morte commutavit. Habuit in matrimonio Elisabetham Uriothesleiam & Franciscam Sidnejam splendidis natalibus ortas, sed prole in subsidium & solatium domus auctus non est, frater Henricus in prædiis successit. Iam Leicestrius remoto æmulo, qui per tot annos potentiam ejus & subitam fælicitatem sprevit, cuncta flagitia sibi impune ratus, minori moderatione agebat; suspectabat adhuc Cæcilii quæstoris callidum ingenium occultè infensi ac mutuo odio invisi. Eduardum Ardernum in Vervicensi natalibus & opibus illustrem callidis artibus pervertit, instructo & subornato accusatore Haleo sacrificulo infami: Causa offensionis Leicestrio fuit, quia Ardernus insita ingenii violentia irritavit, magicas superstitiones, adulteria, veneficia, & immania flagitia objectans, datum Throgmortonio inter epulas venenum, Norfolciæ Ducem specie amicitiæ circumventum, Northumbriæ & Vestmariæ Comites ad necessitatem belli civilis impulsos. Nec deerant speculatores qui has voces exceptas, prius deferrent. Hæc causa necis; sacrificuli ope dolus paratur, ne fæminæ quidem expertes periculi, Arderni uxorem & filiam Somervillam per invidiam mariti & conscientiam noxæ aggressus est; impunitatem concessit prin-

M ceps

1583. ceps mulieribus, & sacrificulo satis expleta ultione, quippe Somervillus Arderni gener Pontificiæ religionis professione, & soceri discrimine vecors duos Protestantes nihil metuentes, in via ferro graviter vulnerat, deprehensus suum illud scelus profitetur, & se Reginam ultum ivisse, post triduum ante sententiam in carcere manum sibi imposuit. Ardernus damnatus tractus ad supplicium Leicestrio gratissimum spectaculum præbuit, undè illi major vulgi miseratio. Per idem tempus Henricus Uriothesleus Comes Southamptoniæ fato obiit, filio atque filia superstitibus, patrem habuit prætorem studio juris municipalis clarum, qui virtutibus Henrici Octavi gratiam meritus ab eo provectus est, nepos avi civilem gloriam militari laude æquavit: Ac subinde Hunfredus Gilbertus equestri familia & scientia rei militaris præstans coloniam in Septentrionalem Americam deducere tentavit, verum cum agros viritim assignasset & terminos imperii constituisset in Angliam navigans fluctibus absorptus est, ita ingens conatus frustrà fuit. Barnardus Randolphus Londinensis modicæ originis decessit, cui magnæ opes contigerant; Is munificentia in pauperes, largitione in publicos,& pios,usus, publicis operibus extructis charitatem civium & gloriam consecutus est. Non minus insignis hic annus prodigiis, magnus terræ motus in Præfectura Dorsettensi factus est, ager trium jugerum loco motus in vicinum fundum transgressus, arbores & sepimenta secum traxit repentino hiatu & ingenti labe relicta, neque id solitum in tali casu, proindè plures profecti, ut spectarent, & naturales causas inquirerent. Natus in agro Eboracensi infans biceps, in Norfolciano vi turbinis ejectus in littus piscis monstruosus, longus ulnas septendecim, altus quatuor & dimidium, cujus immanes oculi, immensi dentes fuere. Terræ motus eluviones belluarum repentinæ multitudines, hominum animos terruere.

Res Hibernica. Inter hæc turbidis rumoribus proruptisse rursus Desmonium & vexari Hiberniam allatum est, missus Ioannes Perottus equestris nobilitatis qui Momoniæ cum laude præerat, tanquam Graio mitior & exorabilior; Is transvectis legionibus auxiliisque provinciales comitate magis quam vi in obsequio tenuit, Hibernis præcipuè indulsit, ac egregiam famam sibi ea moderatione conciliavit: haud multo ante adventum ejus Desmoniæ Comes fuga & latebris vitata per biennium Anglorum ira, nunc multis sectatorum cæsis aut dilapsis, inopia vagus, per tuguria aliquot dies erravit, diffidens & desperatis rebus suis, cupiensque ut morte fortuita miseræ vitæ molestiis eximeretur; tandem in tuguriolo à gregario milite repertus interrogatusque quis foret, dissimulans originem & nullas probabiles causas latebrarum reddens, ut ignotus latro sauciatur, at cognito nomine & fortuna allevatur reficiturque frustra agrestibus fomentis refovendis viribus admodum atrocitate vulnerum attenuatis; Ubi spiritus defecit, caput amputatum Dublinum, atque inde Londinum pervectum est, & in spectaculum ponti urbis regiæ suffixum. Hic finis Desmonici tumultus cum triennium continuum bellatum esset, idemque finis inclitæ & numerosæ familiæ Anglicæ originis in accolarum mores degenerantis. Fertur hic undecimus à Mauritio filio Gerardia Vindsora, qui primus florentissimæ familiæ fundamenta jecit, quæ diffudit inde se per Momoniam, ibique immensum terraram spatium cum Keria comitatu Palatino, suæ ditionis fecit, & per quadringentos annos egregia erga Anglos fide stetit. Hæc ruina non modo obstupefecit Hibernos, sed rebelles etiam terruit. Iacobus filius Eustacii vicecomes Baltinglasius clara inter accolas fama, tactus Geraldinorum casu, in Hispaniam profugit, ubi ad extremam inopiam adductus & nulla munificentia Regis sublevatus vitam ægritudine animi finivit, paucis rebellium interfectis, reliqui armis conditione positis, aut venia data abjectis, aut victoria detractis quievere. Nicolaus Sanderus natione Anglus furia ac pestis patriæ, idem presbyter Romanæ ecclesiæ, & legatus Pontificis ad statum Hiberniæ turbandum creatus, Desmonium varia fraude induxit ut concitaretur ad seditionem & concitatus perderetur, ubi adversæ res evenere ad extremam inopiam non solum alimenti sed etiam consilii fatali rabie redactus, inflammatus & furens sceleribus, per sylvas & solitudines variis casibus jactatus, fame periit, mendaciis probris in Elizabetham amarissime congestis infamis, & invisus bonis omnibus, insigne posteris divinæ ultionis exemplum fuit, ut à contumeliis & maledictis in Principes abstinerent, complurium dierum mora corruptum & tabidum corpus funerari prohibitum, reliquiæ dispersæ ne colligi possent ab iis qui superstitione Romana tenerentur. Perottus Hiberniæ Prorex cum agri Momoniæ continuis excursionibus vastati propè ad vastitatem & solitudinem pulsis cultoribus redigerentur, in Keriam Peninsulam avitum Desmonii patrimonium, & reliqua rebellium prædia vacua, in fiscum publico comitiorum decreto redacta, Anglos colonos ac aratores deducit, & iis agros assignat, hinc colonorum & incolarum dissentio dilata ad Proregem est, queruntur Hiberni agro se hereditario à novis colonis pelli, Angli affirmant, eum de quo agatur à quæsitoribus Regiis sibi assignatum esse. Prorex patronus, defensor, custos provincialium, quæsitorum avaritiam in alienas possessiones specie juris irruentium, edicto severissimè coercuit, homines idoneos qui de finibus cognoscerent statuerentque misit, mansuetudine, lenitate, & equalitate decernendi pacem provinciæ reddidit, & solitam reverentiam in Reginam reduxit, frustrà fremente milite

excipi

excipi tanta moderatione & comitate Hibernos: finisque bellorum ac tumultuum fuisset, nisi Ultonienses ambigua fide fluctuantes, ut supra retuli, agrestes Scotos Æbudanos in jejuno inopique solo natos, ad societatem armorum traxissent, lingua, inertia, similitudine morum Hibernis quam Scotis propriores mente animique acriore nobiscum congruentes. Hi limitibus auctis promotisque ulteriorem partem littoris Hibernici juxta insulam Ricenam occupavere, ibi in usum præliorum sepositi, exempti tributis & oneribus consedere, ut arma prompta essent adversus Anglos in Ultoniam ingruentes, idque præcipuum fortitudinis & virium argumentum. Prorex antequam radices altius in Hibernico solo agerent, ut vires rebellibus administrantes aggressus, in suis eos sedibus opera Merimanni fortissimi centurionis perculit, Maconeliæ gentis principes Angnum & Surlejum patruum cognomento flavum, ad obsequium & Anglici imperii reverentiam redegit, qui leges accepere & usu agri contenti, dominium, & jus penes Reginam agnoscerent, pedites, equitesque cum ad bellum opus esset, mitterent, boves, jumenta, accipitres ex censu quotannis in usus militares penderent. Maconelii novis sedibus finibusque Hiberni, mente animoque Scoti perculsi magis metu Proregis, quam victi, in proximam tumultuandi occasionem quievere, mox conditionibus repudiatis ad furorem revoluti spe Scoticorum auxiliorum bellum redintegrarunt, multis illatis acceptisque vulneribus. 1583.

Hæc domi in Scotia, Anglia, & Hibernia, foris in Belgio Brabantiæ Dux primo imperii tempore clarus acceptusque Batavis; mox gentili levitate degenerans, aut pravis amicorum consiliis deceptus, præpostera absoluti imperii ambitione in perniciem ruit, & Belgium antiquum, ac legittimum quondam Francorum dominium, nunc membrum à reliquo regni corpore divulsum recuperare statuit, & Galliæ securitati totius Belgii accessione consulere. His rebus agitatis profitentur conscii se nullum periculum publicæ utilitatis causa recusare, & ne res efferatur, Sacramento ac fide sanciunt. Hæ rationes & commoditates Belgii in potestatem redigendi ab illo Mompenserio, Lavallo, & Rupifulcaudio in arcano proponuntur. Mompenserius rei atrocitate permotus, pauca de se ac fide erga Ducem præfatus suppliciter obtestatur, ne claritudinem stirpis Regiæ, & anteactæ vitæ splendorem macula pollueret, quam nemo posset eluere, itaque parendi necessitatem deprecans se humiliter, & demisse excusavit; Idem à Lavallo & Rupifulcaudio responsum, nec propterea omissa res est. Desperati homines qui circa Ducem erant, facile eum incendunt, demonstrantque penes ipsum inanes titulos, ac nomen imperii, penes alios vim principatus, queruntur se miseria, inopia, inedia, inter ludibria quotidie conflictari, laboribus ac periculis debita stipendia denegari. Igitur re deliberata cum consciis clam proceribus dissentientibus, & flagitiosam perfidiam detestantibus, primarias Belgii urbes in potestatem redigere vi vel dolo intendit: ipse suis artibus Antverpiam intercipiendam sumpsit, deditque Tribunis Francorum clam negotium, ut urbes quibus præsidio impositi erant, securitatis causa occuparent, principium à Dunkirca factum, in qua Chamosius cum sua legione erat, qui haud magna cunctatione portum Gallorum Conatibus opportunum intercipit, Dismunda, improviso incendio Fraude Gallorum afflicta, cum Cives aqua extinguere niterentur, capta est: Teneramunda & Vilvorda munitæ urbes à Francis præsidiariis similiter interceptæ, Belgæ expelluntur ex oppidis Alostum, Neoportus, Ostenda, Brugæ, haud pari fortunæ successu tentatæ: quæ ubi Duci cognita, ipse non gloriæ memor, non infamiæ metuens, omnes copias ad suburbia urbis regiæ admovet, quasi exercitum in conspectu civium lustraturus. Cognito ejus consilio, & gravi rumore sparso, quod Galli prædæ urbis inhiarent, Philippus Shonovius urbis præfectus Francorum perfidiam veritus, tendi catenas, funalia per vices accendi jubet, hortatur cives ut securitatis ac defensionis suæ causa arma capiant, ut libertatem servituti anteponant; summæ diligentiæ, summam animi magnitudinem addit: Cives de consilio Præfecti armati celeriter concurrunt, & sui capitis periculo, civitatem in Libertatem vindicent. Dux anxius prius quam clandestina ejus consilia efferantur, Copias equitatus peditatusque irrumpere jubet, qui signo dato urbem Regiam prædæ sanguinisque siti invadunt; suis stimulis exciti Cives ad tuendam urbem irrumpentibus per portas Gallis & vim facientibus fortiter se opponunt, incolumitatem liberis, uxoribus, suo sanguine quærant. Audito tumultu Aurasionensis propero agmine prosilit, & obvium Fernacium tribunum cum Gallicis copiis quas Dux in urbe reliquerat, in fugam dissipat, Captumque in carcerem conjici jubet, & pugnam acriter ciet, languente Gallorum impetu, & conscientia sceleris terrente formidine implentur, equites inclusi catenarum repagulis disturbantur; cives alacres pugnant pro aris & focis, omnis ætas, omnis sexus ultionis cupidine ardet, certatum diu in urbe magno prælio quod non sine ope Divina Civibus prosperum, Francis adversum fuit; exarsere victores in tribunos & centuriones, plateas vicosque cruore & strue corporum fœdarunt, multi victi per turres & propugnacula mœnium se in fossas præcipitarunt.

Res antverpiæ.

 Cives

1583. Cives servata fide captivos maleficos infidos interficiendos censuere, vicit ratio parcendi suasore Aurasionense, & sine pretio dimissi. Dux operiens eventum pugnæ audita clade sera pænitentia ductus in castra retro concessit, antequam cives reparatis viribus ad ulteriorem ultionem se accingerent castris vallum circumjecit, ne subita eruptione turbarent, ubi alimentorum inopia pressus paucos dies se continuit; mox idoneos homines nactus duos cives Antverpienses per quos literæ ad Senatum perferrerentur, in quibus præfatus de benevolentia sua erga Belgii Ordines, & de opera à se suisque toties navata pro ipsorum salute subjecit se vana principatus imagine delusum, nihil in se honorificè, neque publicè, neque privatim factum, hanc honoris sui jacturam æquo animo tulisse, eos quoque debere iracundiam suam publicæ utilitati remittere, graviores injurias sibi illatas, quæ Antverpianæ seditionis occasionem præbuerunt non sine ingenti animi sui ægritudine ac pænitentia, neque propensam suam in Belgium, voluntatem mutasse, hortaturque ut in fide jurejurando confirmata perseverarent, & controversias amicorum arbitrio non libidine adversariorum finirent. Petit insuper ut commeatum in castra supportarent cum supellectile sua & Procerum, quam in civitate reliquerat. Nihil à Senatu responsum est. Quia allegata ad levandas injurias pertinere non videbantur, Rex ad Procerum Ordines, Aurasionemque remittitur, qui insita animi moderatione, & senatui, & delegatis Ordinum author fuit, ut commeatum in castra ac supellectilem summitteret; Postremo Dux abrupta undique spe pacis ac concordiæ memoria recentis cladis perculsus, ac mæstus pudore irriti conatus de reditu cogitavit, cum reliquis copiis, ac Comitatu aulico; in itinere ad extremas angustias redactus, laxatis chataractis penè submersus exercitus, & equitatus Germanicus Mansfeildio Duce ad Parmensem defecit, tandem summo cum discrimine multis ex suis submersis in Franciam rediit, non sine ignominia nominis Gallici, nec diu superfuit. Tumultus Antverpiensis satis fidem facit, quid animi sit peregrinis, qui obtentu libertatis tuendæ evocantur. Tam pavidus novi Ducis discessus terrorem Batavis, animum Iberis hostibus addidit, erepta Eudonia, capta Dunkirca, Neoportus, & Diesta deditione in Parmensis potestatem venere. Labefactatis ubique fæderatorum viribus, Aurasionensis pertesus militiæ & turbarum, in Zelandiam ad conventus peragendos profertus est. Inter hæc in Francia Rex de clade accepta certior factus, nihil de solito luxu remittit, insanis sumptibus lacerat imperium & opes regni, præter sacri consistorii Senatores dilegit è clero & nobilitate Archiepiscopos, viennensem & Lugdunensem, Luduvicum Castanium & Ioannem Augenneum Equestris ordinis velut consiliarios in negotiis publicis, revera ut essent quorum ministeriis ac fraudibus provincias, civitates & domos omnium depecularetur. Hi Aquitaniam, Neustriam, Amoricam, & Lugdunensem Provinciam pervagati multa de egregia Regis erga plebem voluntate prefati, flexerunt orationem ad necessitates & onera regni, petieruntque exhausto ærario, Regi subveniri parte aliqua bonorum. Ingrata plebi postulatio fuit, querenti de capta, oblata, coacta, acerbissimè à Regis ministris pecunia, & non relata in publicum. Cum nuntii rediissent, retulissentque Regi inhumanam acerbitatem coactorum et querelas civium, subiit animum timor, ne vulgi acrior vis in malum publicum erumperet: Igitur affectata pietatis specie populi offensionem vitare nititur, pænitentium cætus frequentat sine pænitentia perditi luxus, corpus sceleribus libidinibusque contaminatum verberibus castigat, spectante plebe; laniatus & ictus, adumbrata lætitia & vario sermone ad metum atque spem accommodato in foro, in convivio: conversus hinc ad publicam curam Ordinum conventum ad Germani fanum indicit, adhibetque *super delectos Proceres regni & Ecclesiæ sacri consistoris Consiliarios & Primores curiæ Parisiensis callide comitiorum autoritatem enervare, subvertere leges, vetera, & absoleta Majestatis crimina revocare tentat;* Dictis dein sententiis à primoribus nobilitatis & sacri Ordinis, responsum est, *hæc non paucorum arbitrio sed omnium Ordinum consensu dijudicanda*; atque in tali statu rerum Rex contemptior in dies & invisior exitium provocavit, inde ubique studium novarum rerum, dux novandis rebus facile repertus Guisius, ut posteà memorabo.

1584. PRincipio anni hujus in Scotia res turbulentæ fuere, exulantes Proceres mutationis rerum cupidi, solicitare alios ejusdem ordinis nituntur, quantum gratia, authoritate, necessitudine valebant, ne se in Aranii superbum ac crudele arbitrium venire sinerent. Rex cum literis & rumore comperisset, Gaurium, qui Taioduni Hibernis mensibus substiterat, edicti definitum diem obire neglexisse, traductis ad se jam pluribus nobilibus conspirasse, iterum cum Angusio, Marrio, Glamio, ut Sterlini ad res novas constituto die convenirent, turbare omnia ac permiscere voluisse, perfidiam ejus indicavit comprimi oportere, quem quia non existimabat vocatum in aulam venturum, ne tentando hominem callidum cautiorem faceret, Gulielmum Stuartum prætorianæ cohortis præfectum virum summæ audaciæ, misit, ut insidias struentem, & res novas molientem per dolum interciperet; Is ideò festinanter Taiodunum venit, & aditus omnes hospitii armatis obsedit, & inopinantem penè oppresserit. Gaurius audito tumultu obstinatus ad resistendum arma capit, ædesque pertinacissimè tuetur,

famulis

famulis haud segniter opem ferentibus, verum cum se diu armis defendere tentasset impar adversariorum multitudini, captivus magna circumfusus armatorum turba abducitur, invitis & gementibus civibus Tajodunanis ob suspicionem hujus conjurationis contra Regem. Lindesius, Coldinnovesius, Casilissæ tutor, circumpositis armatis in carcerem conjecti, ablato capite non ideo destitutum consilium; nam constituto tempore profugi Proceres Marrius & Cænobiarchæ Hibernia regressi, ad captandas novarum rerum occasiones, factionis suæ viros cogunt. Sterlinum sine vi occupant, arcem intercluso commeatu, & levi aggere circumjecto triduo expugnant, Angusius, Glamius, & multi Duglasii nominis Chomarchi, sponte & ultro confluunt, operamque suam tumultuosius pollicentur. In tanta trepidatione ac reipublicæ metu subito, Rex advocato Procerum suarum partium consilio, consultavit, quid agendum censerent, ipseque primus sententiam protulit, ut arma pararent, Proceres qui aderant, probarunt Principis consilium, ut tutum simul & generosum, edixit voce præconis, ut rebelles Sterlino decederent, copias deducerent, urbani cives sibi prospicerent, sesesque à contagione conjuratorum segregarent; senatus consulta facta sunt, multa odiosa Aranio postulante; Omnibus rebus satis comparatis, Rex iterum edixit, ut omnes Cisforthani armati adessent cum apparatu belli, quo ipse duceret secuturi; Brevi Edinburgum convenere supra decem millia. His copiis fretus expeditionem suscepit, præmisso cum equitatu præfecto Stuarto, qui statim in hostem ducit, & adjunctis Levingstoniis quorum magnum nomen & magna auctoritas in iis partibus, ad Varium sacellum castra locat, rebelles pensitatis suis & inimicorum viribus, desperantes tam præcipitis consilii eventum, non tentato prælio, timide ac trepide fugerunt. Stuartus dilapsis metu exulibus, urbem statim in suam potestatem redegit, arcem intra biduum dedicione, sine pacto salutis cujusquam præsidiariorum recepit, tum fugientes longius insecutus est, captique ad Lauricum Archibaldus Duglasius, arcis Edinburgenæ quondam subpræfectus, & Ioannes Forbosius Marrii Cliens, reste luerunt. Rex decem stipatus armatorum millibus, Idibus Aprilis Edinburgo digressus, ingenti plebis gaudio, & regio apparatu Sterlini excipitur, ubi mitior Aranio in puniendis sontibus fuit, præsidiarii XXV damnati productique ad supplicium, quatuor eorum reste luerunt, ceteri restes lenitatis ad refellendam crudelitatis invidiam servati. Senatum ob hos tumultus festinatò coegit, & cum intimis amicorum excogitare cepit præsentibus malis remedium, & concitatæ seditionis temperamentum; Ad senatum res defertur, Proceres auctores novissimæ conjurationis consularibus literis in aulam evocantur, cum non adessent, rei fiunt rerum capitalium Senatoria sententia, tunc plane deterriti perturbatis animis atque vultibus evolant, ex Scotia in Angliam, ac crudelitatis Senatum condemnant, si tum Senatus aliquid in rep. posset, cum Aranius eo tempore omnia in regno ad arbitrium administraret. Elizabetha quæ rerum Scoticarum mutationem lubens cupiebat, Proceres Scotorum sui studiosissimos in honore gratiaque habuit, Valsingamius ab epistolis iis impensè favit, aulæ primores benignè invitaverunt. 1584.

Nec quietiores res Ecclesiæ fuere. Andreas Melvinus ira odioque Præsulum ardens, ad fanum Reguli concionem habuit, qua inusitata rabie in præsentem rerum statum acriter invectus, subjecit *Procerum officium esse, ac reliquorum regni Ordinum, aulæ vitia ab Ecclesia alienatæ interposita auctoritate corrigere, & coercere, Prolatis in medium superioris seculi exemplis, & in his Iacobi tertii, abavi Regis, in ordinem redacti*; quamobrem à sanctiore consilio ad causam dicendam evocatus, ab audacia temerarium consilium mutuatur, & respondet *se nullius præterquam Dei immortalis imperio subjeci, omnes sacris initiatos à Regum jurisdictione immunes esse, nec eorum legibus obligari.* Illе quod auctoritatem Regis & senatus declinaret, ac contumaciter se gereret, in custodiam Blacknessum abire jussus, commutato itinere, Bervicum profugit, quo etiam paulo post Ministri Edinburgenii improbis concionibus dominantes, Lausonus, Drurius, Balcanquolius, Gallovilius, Perthensis pastor, Davisonus, Poluardus, Gibzonus, & Carmichelius, ut creditum est, superioris tumultus haud ignari, authoritate Ordinis amplissimi evocati ut causam dicerent, exanimati metu in Angliam profugerunt, ac edita apologia fugam suam in aulæ rabiem, & Aranii tyrannidem contulerunt, ibique omnia querimoniis miscuerunt; Tantus est gemitus factus discessu eorum, ut populus luctum & dolorem suum voce & lachrimis testaretur. Aranius execrationibus interitus eripit lachrimas non consolando, sed minando, edicitque ut ad operas & munia rediret; Id omnibus permirum videbatur, ut eos quos luctu afficeret, lugere non sineret: indignum visum prudentioribus, Ministros, quibus præcipuè tranquillitatem publicam cordi esse oporteret eos principes turbarum inventos. In tanta mæstitia publica, & tam perturbato rerum statu Rex memorabile exemplum servatæ religionis dedit, Hispano, Franco, Guisiis amplissimas spes in dies ostentantibus, si ad veteris Ecclesiæ sacra cæremoniasque tot sæculis à majoribus servatas, redire vellet, ab exactissimo pietatis cultu non descivit, sed decori summæ Majestatis atque imperii religionem prætulit, gnarus *omnia prosperè evenisse semper piè colentibus Numen adversa spernentibus*: Inter hæc magna Aranio spes erat in Gaurii morte proposita. Gaurius ab Araniæ Comite Sterlini Majestatis acerbè postulatur,

Melvini furiosa temeritas.

1584. tur, quod contra Regem apertè conjurasset, ac captivum eum injecta manu detinuisset, quod ante paucos dies cum desperatis hominibus Angusio, Marrio, Glamio occupandi Sterlini nefarium con cilium cepisset, literas mandataque ad Comites dedisset, quod recepto in domum præsidio amicorum, Stuarto præfecto satellitum Taiaduni acriter restitisset, spreta Regis potentia, quodque Madenam famosam veneficam in perniciem Principis consuluisset: Nec deerant qui peculatum pecuniæ publicæ in quæstura deferrent. Ad hæc reus respondit, quod arma cepisset, ut cives universos præsentibus malis liberaret, Regem crudeliter, & avare dominantium manibus eriperet, ea in re si qua fuerit culpa, jam pridem impetrasse abolitionem, quod sese Tajoduni defendisset, & Stuartum vim tentantem vi & armis repulisset, persuasum diplomatis Regii auctoritate; & juris publici beneficio, quibus privati Aranij Codicilli derogare non poterant; Postremò crimen & periculum proprium negligens, ac syngrapham negans expostulavit, cur dato commeatu discedendi navem conscensurus in ostio fluminis, contra jus, fasque comprehenderetur, irrisit magicas superstitiones, nec questu, & exprobatione abstinuit, objectans Aranium contumeliosum, barbarum, ferum, & sanguinarium, beneficio suo vivere, minimè grato minimè nobili animo esse, tandem acerbitate accusationis Procerum suffragiis damnatur; productus in forum Sterlini vesperescente die graviter & copiosè de inconstantia rerum humanarum, de crudelitate inimici, disseruit, cujus immanem animum cum tantarum injuriarum satietas explere non posset, coactum salutis tuendæ causa arma sumpsisse adversus hominem bonum, contra mores, leges & instituta majorum administrationem publicam usurpantem, plusque potuisse Aranii iracundiam ad perniciem, quam multa familiæ suæ in rem Scoticam merita ad salutem. Hæc & pleraque hujus generis non sine lachrimis circumsistentium locutus, cervicem securi placide subjecit, interfecti corpus ad omne genus ignominiæ damnatum, in quatuor partes dissectum non est. Rex puniendis sontibus mitior remissa ignominiosa pæna sepeliri permisit. Hoc supplicio cæteris metus injectus, res ad tempus paratiores reddidit. Iam molestis auctoritatis interpellatoribus remotis, fracta inimicorum potentia & cæde Gaurii consternata nobilitate; Araniæ Comes magno electorum juvenum globo circumdatus, addita etiam custodia adversus vim & insidias magis firmus omnibus rebus juvenilem Regis animum pellexit, quibus illa ætas capi, ac deliniri potuit, ut diutissimè obnoxium teneret; Ferunt uxorem muliebri impotentia fæminam, ardore retinendæ potentiæ, luxum etiam obtendisse, quo blandimentis spectaculorum ac conviviorum, & immodica licentia arctius devinceret; verum non delitiarum ullæ illecebræ, non lubricæ ætatis irritamenta, non cupidines prævaluerunt. Gulielmus Stuartus Aranii frater ex fraterna gratia licentiam usurpans, & cuncta scelera sibi impunè ratus, rapit, spoliat, verberat, vulnerat, occidit insontes, quasi superioris tumultus conscios, per fas & nefas multorum invadit patrimonia, tenuiores adversantes libidini, bonis evertit, inter alia fœda quæ edidit facinora, fecialem ministrum juris publicum crudelissimè interfecit, apparitorem diploma Regium comedere coegit, neque tantum erat improbus ipse, sed etiam alios docere voluit; Ista duo prodigia non solum factis, sed etiam exemplis rempub. vulnerarunt: Cæterum Rex jam adultior secum reputare cæpit, impiam spretæ Majestatis opinionem, Ecclesiasticorum contumaciam, ac licentiam, qui exemplo aliis esse deberent, eorumque culpa conjurationes proximas potissimum concitatas salutaribus legibus coercere instituit; habuit itaque Edinburgi XX Maii conventum Ordinum, in quo aderant multi amplissimi viri, ac Salutares reipub. leges latæ in acta relatæ sunt: dein exagitata flagitiosa perfidia Procerum, efflagitatumque adversus male meritos remedium, Angusius, Marrius, Glamius, publicatis bonis, his comitiis imperpetuum finibus interdicti, atroci proposito edicto, si quis de restituendis ageret ferretve. Rex cum non modo religioni, sed etiam regno ex contumacia Ecclesiastica summam perniciem imminere cerneret, ut Ministrorum accensum zelum, insolentiam, superbiam, contumaciam, intra limites modestiæ cohiberet, eorumque autoritatem quibus posset modis deminueret, togationem tulit, ut ipse per suffragia populi, Procerum regni, & Ecclesiæ, in omni causa non solum civili ac profana, sed & in sacra quoque judex & auctor esset, quicunque autem judicium ejus contumaciter declinarent, pro duellionis crimine tenerentur, utque Episcopis per tribunitiam vim disjectis prisca constaret dignitas, Ministri auctoritate Præsulum cederent, sublata æqualitate in regimine ecclesiæ, qua tenuiores disciplina cultissimis ingeniis æquari se putarunt: decreverunt Ordines Regem summam plenamque in subditos cujuscunque ordinis aut conditionis essent, potestatem habere, quam qui ministerii aut clericatus obtentu subterfugere conatur, læsæ Majestatis reum esse. Hoc freno nonnihil coercita est Ministrorum licentia, ut sentirent Regiam auctoritatem sine provocatione esse; Terrebant hæc, sed ille maximus terror agitabat animos, quo Rex publico Ordinum decreto Presulibus potestatem in Ministros restituit, obtinuit, adversante Ministrorum factione, ne publici conventus Ecclesiastici ordinis, aut privati præsbyteriorum concessus, in consulto se aut sine sua auctoritate interposita haberentur, neve synodi jurisdictionem exercerent, nisi Episcopi

Ex malis clevis moribus bonæ leges ortæ sunt.

Decreta comitiorum in ministros.

copi affisterent, aut apocleti Regii in quo uno fuit Ecclesiæ salus; & seditiosæ tribunitiæ potestatis temperamentum, quod non diu duravit; Ministri enim se in Præsulum potestate futuros esse impudenter denegarunt. In hoc publico gentis consilio cum jactata multa fuissent temerè de Ecclesiæ libertate retinenda, de manifestis Præsulum flagitiis expurgandis, de luxu cleri coercendo, tandem cunctis suffragiis, & multis præclarissimis legibus, sua stetit Episcopis auctoritas à Ministris vehementer diuque oppugnata, & penè versa, at paucorum culpa nihil universorum Præsulum, juri derogatum. Ministri ira ac odio accensi tanquam acta synodi subverterentur, indignabantur quicquam sibi ex veteri potentia detrahi; Regem falsa invidia onerabant, nec ullis verborum contumeliis aut mendaciis abstinebant, quasi Evangelii professores eliminare, synceram divinæ legis prædicationem abrogare; Papanæ superstitionis cultum promovere, pietatem, libertatem, ac disciplinam Ecclesiasticam evertere tentaret. Cum hujus generis multa adversus sacrosanctæ Majestatis autoritatem convitia dicerentur, & rumores in vulgus spargerentur, ne nomen regium contumelia affici, ac vilescere apud finitimos populos sineret, obviam eorum conatibus eundum censet, & res judicatas in conventu ordinum novo & insolito more in dubium revocat, ac causam profert, quæ Proceres ad tam accuratè decernendum impulit, obstinatam Ministrorum adversus Regiam auctoritatem, contumaciam, singulorum decretorum naturalem æquitatem ostendit; Primum Numen Regibus summum imperium in universos subditos tam politici quam Ecclesiastici ordinis indulsisse, unum Pontificem injusta tyrannide clerum Romanum eximere jure Magistratuum, deinde Præsbyteriorum seditiosos consessus plenos periculi & dedecoris, synodos publicè exitiosas: Igitur ejusmodi congressus imposterum adversus publicam utilitatem, leges, Majestatem imperii, prohiberi, nisi Antistites more majorum assiderent; Postremo Episcopos jure divino, legibus humanis, vetustis Ecclesiæ institutis Regibus, ac rebus administrandis præesse, atque hanc rationem majores nostros M. D. annis secutos, regimen inconsultæ multitudinis superbum & violentum videri. Denique propter nimiam dominationem Præsulum, adjecti tredecim è prioribus Ministrorum per provincias, qui una statuerent, de controversiis, si opus esset de vita & moribus, ac homines maxime idoneos suis sententiis deligerent, & probarent, virtus, probitas, integritas in legendo spectaretur; Ita jus Episcoporum temperatum, & restincta est tribunitiæ potestatis vis. Tandem Rex ad convitia respondit, & multis verbis injurias à Ministris factas, majestatem imperii, subditorum fidem labefactatam, exactos Præsules, ac periculosas contentiones apologetico libello exposuit, confessionem fidei non gravatè divulgavit, Papales errores abrenunciavit, formam futuri regiminis Ecclesiæ articulatim præscripsit, ne ultra calumniarentur, nonuitque Ministros ne ordo alicujus improbitate fædaretur, ex Ecclesia ejicerent scelere contaminatos, aut aliquo dedecore infames. His remediis animadversionem atque auctoritatem Præsbyteriorum retulit, & imperii decus conservavit, reddita Præsulibus libera jurisdictione, cura censendi, suffragiis in Comitiis, posteà eorum maximè opera seditiosis atque improbis Ministris obstitit, digna certe vox majestate regnantis, rationem rerum à se gestarum reddere, confessionem fidei palam edere, publicorum decretorum equitatem exponere. Sacratis legibus latis ptorogata comitia in tertium Calendarum Augusti, proindè *Parliamentum cursorium* vulgo dictum, quod sæpius diem diffisum esse Rex juberet. Relatum inde in Comitiis ad Proceres de *Historia Georgii Buchanani* refetta contumeliis in matrem Regis, & de *dialogo de jure regni apud Scotos* virulentissimo. Publica ordinum auctoritate sancitum, *ut libri intra.* 40. *dies ad Secretarium deferrentur, neque habere privatim in manibus lectitare ve liceret, datumque ei negotium ut Stili mucronem retunderet, probra temere vulgata oblitteraret, vera discerneret, ederetque. Promulgatum decretum ne Buchanani scripta comitiali auctoritate abolita per ignorantiam juris lectitarentur: Cautum quoque comitiali auctoritate sub pæna publicationis bonorum, ut omnes die Mercurii & Veneris, Sabbato quoque & quadragesimali tempore esu carnium abstinerent. Idem edicto per vocem præconis promulgatum pro communi totius regni bono.* Rex enim ubi sensit ita ægram Ecclesiam esse, ut consuetis remediis ægritudo sisti non possit, legum salutari auxilio usus est, ut contineret in officio Ministros, qui se moverint ad convellendum reip: statum, cogeretque fisci, carceris, exilii, atque mortis terroribus ad ea præstanda officia, auctore Deo, & conscientia teste, quæ Principibus præstare tenentur præcepto Apostolorum: In tanta rerum perturbatione Scoti Anglis finitimi incursione in Rhedisdaliam facta longè lateque populando solitudinem & vastitatem fecere, Angli inopinato malo tacti ut parem cladem inferrent, Liddaliam repentino latrocinio atque impetu ingressi ferro igni que accepta damna crudelissime ulti sunt: Aranius ipse excursiones in Angliam fieri patiebarur, arbitratus hoc maxime modo inter vicina regna bellum exarsurum, & è publica calamitate se privatum emolumentum facturum, ne tamen ex professo Anglorum hostis videretur per speciem & simulationem concordiæ Hunsdonium Baronem Bervici, & orientis limitis præfectum admonet, posse de rebus repetendis reddundisque transigi, si in colloquium veniendi potestatem faceret, ut in publicum consulerent. Placuit dehinc colloquio ipsorum tempus locumque destinari, dilecto inter Bervicum Scotiamque idoneo loco ad Fuldonum convenere;

1584.

Sermones rebellionem spirantes.

Carminum esus statis temporibus prohibetur.

Cap. 13. Roma. cap. Pet. 2. ver. 13. Tit. cap. 3. 1.

Superba

1584. Superba hinc inde magnificentiæ ostentatione, salute accepta redditaque, Hunsdonius orsus, commemorat incursiones in Angliam, furta, rapinas, incendia, superioribus diebus facta, se publica auctoritate res repetere, aut auctores noxæ dedi, sin ne id quidem vellet, se suo milite injurias & maleficia persecuturum: Ad hæc suadet Aranio Elizabethæ amicitiam amplecti omissa longinqua spe Gallica, Anglicam propriorem potioremque sequi; Ad ea Aranius respondit se paci magis quam prælio paratum, velle se Reginæ purgarum, publicè interesse, ut Liddalianos & Rheddisdalianos latrones vagos omnia cædibus, incendiis, rapinis, vastantes, sedibus exuerant; Inde profugos Proceres quam plurimis posset criminibus onerat, & eorum dissessum ex Scotia invidiose infamat, cæterum se Reginæ amicitiam unice expetere affirmat, amicitiæ officium, & jus diligenter sancteque servaturum spondet; hoc colloquio nihil ultrà actum, Clientes amicique damnatorum & exulum proni ad novas res, Duglasii præfecti Glencludensis consilio concitantur in perniciem Aranii, hic omnes motus conatusque compressit, præsidio amicorum & arcem Edinburgenam possedit, blandiente ceptis adhuc fortuna; nec deerant sermones superbiam, crudelitatemque increpantium. Interim Rex Edinburgo Falcolandiam se contulit, inde Ruthuenium ad aucupium atque venationem progressus; Sevissima interim lues cum magna hominum strage per totam Scotiam grassans, familiam ejus Perthi contagione invasit, servi infecti, ipse cum paucis Sterlinum profectus, edixit ne quis domesticorum aut clientum, ad aulam accederet, donec vis morbi languesseret; Illi edicto parentes Ruthuenum concesserunt, ibi mansuri dum de voluntate, Regis certiores ficrent. Iisdem prope diebus missus in Angliam cum lectissimis & spectatissimis comitibus Patricius Grajus familiæ Princeps ex intima Regis amicitia juvenis, decore nobilis, præter formæ egregiæ decorem, acri ingenio, at proclivi ad Romanæ religionis cultum, is dubiæ suspensæque ex fortuna fidei in Adolescentia Guisii amicitiam ambitiosè coluit, gratus ei paritate cultus, nunc attritis opibus & lubrico statu occasionem nactus ad venerationem cultumque Angliæ conversus, petit sibi Senatum dari, manus osculo & complexu exceptus, queritur de maritimis Anglorum prædonibus impunè latrocinantibus, & limitaneorum furtis, postulatque ut exules adversus securitatem innoxii Regis, res novas molientes, vel ex fœdere redderentur, vel regni finibus longius summoverentur; De coercendis incursionibus terra marique facile consensit Elizabetha, sed ostendit interesse saluti Regis regnique Scotici, ut simultates Procerum amnestia ac oblivione finirentur, contumeliis inimicorum expulsi ad suam dignitatem restituerentur, Aranius administratione reip: decreto ordinum summoveretur, nobiles in Anglia exulantes nihil aliud spirare quam Numinis gloriam, instauratæ religionis incrementum, Regis salutem, regni incolumitatem, & amicitiam cum Anglis sempiternam: contra; Aranium Lubricam Regis Adolescentiam corruptelarum illecebris irretire, ac pravis consiliis in exitium rapere, legem illam de rebellibus reddendis jam pridem exolevisse, omnia regna profugis libera esse perfugia, ne dum amicis in religionis cultu, & ritibus Ecclesiæ consentientibus. In consilio de exulibus & postulatis Legati cum diu deliberatum esset, Norvicum traducti sunt. Grajo habiti sunt extra ordinem à Regina honores, dataque munera abeunti magnifica; antequam digrederetur, in secreto congressu Elisabetham commonefecit, *nisi preveniretur Scotorum Regina, pereundem ei esse, solum insidiarum remedium, si præverterentur.* Sequentia documento erunt, Grajum omnibus flagitiis exercitum, legatione malè usum. Per idem tempus, quidam Eduardus Henrisonus desperatus pistor, furore vecors, per iram & levitatem paternæ ericæ cumulo facem immisit, & urbi regiæ fædum incendium intentavit, ignis latè circumvolitans coruscansque flamma, puerorum fæminarumque ulutatus, spectantium animos terruere, at benignitate Numinis, & servorum egregia opera cuncta tecta defensa fuere, præter privatum ædificium patris incendiarii, velut Numine plectente; Comprehensus conflagrationis auctor postera die questione habita, damnatus, foco in foro posito, & circumfusa ingenti multitudine vivus crematus est. Crudele quidem & inhumanum facinus, sed ultra humanissimum naturæ nostræ affectum crudeliter vindicari visum Araniani temporis rabie, cum reliquo corpore depasto viscera tetro odore flammisque torrerentur; Interim exules clam redeundi consilia struentes cum aliis alia moliuntur, & literas amicis ac clientibus dant, ut à contumeliis inimicorum defenderent, ferrent opem in asserenda dignitate, ac adjuvarent, honestos conatus patriam patrimoniumque repetendi; Ergò dum conjurati remotis arbitriis inter se, aut inter socios ac adiutores multa jaciunt, de novo consilio Regis intercipiendi, & Aranii contrucidandi, Robertus Hamiltonius Inchmachanus judex sive gnarus conjurationis, & infidus, sive arreptis suspicionibus ex signis & sermonibus incertum, ea quæ audierat, aut coujectaverat ad Aranium detulit. Deprehensi sine rumultu Iacobus Edmestonus Duntrethensis, & Malcolmus Duglasius Mamii, Comarchus, ac ex templo incarcerem conjecti; Edmestonus interrogatus in arce Edinburgensi de sermonibus, de literis, de sociis terrimi facinoris, sive imbecillitate animi lapsus, sive proposita vitæ spe ac impunitate corruptus, fatetur primum de Angusio & Marrio condemnatis, ut Aranij gratiam pararet omnes ad eos opprimendos artes conquirentis, deinde adjicit

Ioannem

Ioannem Humium cognomento nigrum, extorrem egentem internuncium inter se Proceresque profugos fuisse, tum aperit Cuningamium Drumuhasellensem à se paulo ante socium accitum, multos prætereà Primores viros in ea conjuratione esse; Cuningamius quoque edicere jussus, quæ sciret, nec patefacta conjuratione ullum silentii emolumentum existimans, eadem fere quæ Edmestonus in custodia fassus est, ediditque ultra Duglasium Mainium Angusii intimum conscium; is accitus & interrogatus ad ultimum vitæ spiritum abnuit derectæ conjurationis conscientiam; Post eum diem Edmestonus ad judicium productus sententiis omnibus absolutus est, quia fide publica dicere jussus omnia uti gesta erant, aperuit. Cuningamius, Duglasiusque damnati ac ignominiosa morte affecti Edinburgi in foro rerum venalium miserabili plebis lamentatione periere. Aranius cædibus ac rapinis potentiam exercuit, sanguinarium animum ultione explevit; suspecta sibi cuncta reddidit, tam externa, quam domestica. 1584.

Eodem tempore in Anglia Pontificii minaciter fremunt, suos fraude Leicestrii, & Valsingamii circumventos, tormentis, fidiculis, eculeo, crudeliter dilaceratos, indicta causa interfectos, certissimum ob fidem Catholicam exitium, nec locum consistendi in Anglia esse, homines audaces maleficos subornatos omnium secreta rimari, neque solum hujus generis publicè querimoniæ de injuriis ac miseriis habentur, sed privatè etiam consiliarii Reginæ cauti in periculis, interriti in contentionibus, muniunt præsidia reip: cum labefactari convellique viderent, intercludunt seditionum vias, succurrunt saluti communi. Henricum Northumbriæ Comitem, & filium ejus, Philippum Arundeliæ, & Gulielmum fratrem comprehendi, custodirique domibus magistratuum jubent; Metu prorsus & noxa conscientiæ perculsi; Thomas Pagettus summo loco natus, Carolus Arundelius Aulicus & Adolescentes aliquot, nec ji tenui loco orti, qui obtentu periculi salutis, ac religionis in Franciam clam confugiunt, reginæ sævitiam, simul leges rogatas, ac judiciorum iniquitatem criminosè invidiosèque insectantur; Cum exulum voces percrebuissent, magna affecta est solicitudine Elisabetha, quæ semper famæ præcipuè indulsit, cruciatibus, tormentis, suppliciis in causa religionis abstinendum censuit, septuaginta sacerdotes publico judicio damnatos, suo beneficio conservaros, quos jure regni ultimo supplicio afficere potuisset, tantum relegavit: Libellus duodecim Martyrum conquisitis acerbitatibus in vulgum editus palam pronunciavit in Anglia Romanam religionem pro crimine Majestatis haberi; Presbiteros doctrina & sanctimonia præstantes, audentes in periculis, constantes, in tormentis laudatis sanctorum patrum mortibus, pares exitus apud Anglos invenisse: Regina acerbitate accusationis permota, justitiæ Britannicæ patrocinium Cæcilio quæstori demandavit, qui libellum apologeticum edidit, quo neminem vincula, neces, ignominias religionis causa subire demonstravit, avitam religionem pro crimine non esse ulla lege regni, sed proditionem adversus imperii dignitatem, & communem salutem, hujus mali fontem ac fomitem, non alium esse quam Pontificem Romanum, ex ordinum consilio ac authoritate nisi esset severitas ista in judiciis tempestive adhibita, salus reip: sæpius periclitaretur. Cæterum Franciscus Throgmortonius adolescens nobilis vitio familiæ inquietus Reginam exturbandi consilia struens, aditum sibi ad Bernardinum Mendosam Bæticum oratorem invenit, & de accipiendis clam in Angliam externis auxiliis colloquitur, ubi, quando, & quemadmodum: placuit Legato solertia, paulo post Trogmortonius ex literis ad Scotorum Augustam interceptis venit in suspicionem conspirasse cum Mendosa, ut foris ille, ipse domi novas res moliretur, postquam detecta consilia sensit, scrinium cum literis ad Mendosam detulit, ne deprehensæ proditionem coarguere possent, quibus rebus cognitis, Throgmortonius ad tormenta abreptus est ad exprimendam sceleris confessionem, de Legato diu addubitatum quid facto opus esset, literarum precipua cura habita, ac arcula deprehensa domi Mendozæ, in ea inerant duo Catalogi, in altero nomina stationum, ac portuum, qui excensioni opportuni, in altero nomina nobilium, qui Romanos ritus in auctoritatem Pontificis mordicus defenderent. Continebatur ita universum crimen religioni judicantium patefactum, licet reus productus in judicium pro tribunali prætorio Londinensi pertinaciter denegaret, falsa se confessum in custodia argueret, ne ad cruciatus retraheretur, damnatus tamen de perniciosis in patriam & Principem machinationibus ut proditor, tractusque ad supplicium parum constantis animi significationem præbuit. Dubitatio de Legato manifesta tanti sceleris refertur ad Senatum, arguiturque sacrasancta potestate temerè abusus per dolum, & proditionem; Ille cum acerbitate & invidia respondet, se non adeo Majestatis Philippi, & dignitatis suæ immemorem esse ut si de crimine ageretur in Senatu Anglico, causam dicturus fuerit, atque non purgat sed ex animo vereque fatetur se institutum, & instructum ut omnia consilia ad dignitatem & gloriam Regis sui, ac utilitatem popularium referret, seque neminem qui Catholico Regi operam obtulit, aversatum esse, in ipsos adeo Senatores tanquam reos, magis quam accusatores idoneos, vehementer invehitur, qui pecuniam Albani interceperunt, rebelles Belgas adversus justum Dominum tutati sunt, spo-

Res Anglica

1584. liis Draci terra marique lattocinantis ædes exornarunt, maledictis & contumeliis in Reginam vix abstinuit. Interfatus est Cæcilius quæstor, qui auctoritate, ætate, & usu rerum ea tempestate antecedebat, *Legatos non Majestate honoris à criminibus publicis tutos esse, igitur singulare crimen singulari supplicio meritò vindicandum.* Quanquam major pars Senatus existimabat supplicium invidiæ, impunitatem perdendæ reipub. fore, ac proindè elegendum minus malum, ac animadvertendum in Mendozam reum manifestæ proditionis, tamen Regina memor magis juris gentium quam æqui bonique, Legatum ab injuria prohibuit, ac ignominiosè ablegavit, ne quietem publicam conturbaret; Edixit nihil acerbius quam ut ex Anglia exiret, fecitque id in summo periculo, quod erat ad severitatem levius, ad communem salutem utilius; Ille perturbato animo atque vultu amenti similis in Franciam trajecit, scripsitque ad Philippum suam fidem exolutam esse, injuriam ad ipsum pertinere, exemplum ad alios inposterum legatos, & velut materiem igni præbens, aluit callidis artibus ortum incendium, faxque belli fuit. His rebus ira actis decrevit Regina Vadum sanctioris consilii & amanuensem extemplo Legatum in Hispaniam mittendum, quò Regi satisfaceret, commune jus legationis non violatum, Mendozam proditionis convictum ultimumque supplicium cum summo cruciatu promeritum ad piaculum noxæ dedendum. Legatio irrita fuit, quippe auditus admissusque non est, sed ad Senatum rejectus ut par pari referatur; Vadus negavit esse ejusdem æquitatis, Mendozam exitium regni molienrem expulisse, & oratorem nullius flagitii compertum, ac amicitiæ inter regna perpetuandæ cupidum, ad consilium rejecisse, & sine mora inauditus itineri se accinxit: Proxima deliberatio in Senatu fuit de libertate Reginæ exsulis sæpissime acta, postulata vetera ab illa interposita sunt, ut libertas concederetur, in regni Scotici societatem, & consortium imperii cum filio admitteretur; Æqua atque honesta postulatio visa est plerisque Senatoribus, & de conditionibus agi cæptum, per Naum Scotæ secretarium, quas hic ne longiores simus placuit omittere; Ipse Leicestrius vehementer restitit, & Scotici Proceres adversæ factionis. Exin plures Proceres Anglici auctore Leicestrio chyrographo & jurejurando astricti, Reginæ salutem, regni dignitatem, suis omnibus commodis & rationibus præferre, societatem ineunt periculi, Salutis, laboris, mox in perniciem Scotæ erupturam, deliberantque quomodò Scotorum Reginæ resisteretur, bellum & Tumultus concitant; Pontificem Romanum, Hispanum, & Guisios consanguineos per audaces homines & perditos exsules ad res novas impellunt; In duriorem sententiam itum ut aut carceris squalore conficeretur, aut morte mulctaretur, ac summum supplicium decerneretur. Graii perfidia & Leicestrii scelere auctis in Scotam suspicionibus, Elizabetha Salopiensem Comitem custodia dimovet, dilecti Paulettus & Drurius equestris ordinis custodes, ut dicta & facta omnia specularentur, dolumque struerent, si forte occasio daretur. Hæc Scota cum non modo intellexerit, sed etiam senserit agi, & apertè conjurationem contra se videret, paruit justo dolori suo, ac iracundiæ servivit. In tantis asperitatibus rerum, & angustiis carceris egit cum Pontifice Romano, Hispano, & Guisiis per Inglefeildium, Morstanum, & Rafensem, ut Angliam invaderent, seque inimicorum factione oppressam in libertatem vindicarent. Semper aliquid pro dulci libertate aut cogitavit, aut fecit, aut dixit, inimicorum insidias, servorum infidelitates, atque perfidiosas simulationes experta est, & multifariam pro ea atrocitate temporis in vitæ certamen atque discrimen devenit. Ferunt Leicestrium dominationis cupidine flagrantem, percussorem summisisse, & præventum consilium opera Drurii custodis oppositi; hac spe dejectum crebris criminationibus apud Reginam, incusare solitam regni cupidinem & graves conjurationes in exitium reip. Fine hujus anni Carolus Nevillus Vestmariæ Comes antiqui honoratique generis, qui desperatis domi rebus Iberorum ad misericordiam perfugit moritur in Belgio extorris, egenus; Insignis nobilitas, & magna majorum merita latius hujus familiæ dignitatem propagarunt. Præter Vestmariæ Comites gentis principes floruerunt ejusdem generis Comitestres, nec potentia minores, nec dignitate, Sarisburiæ, Varvici, Cantii, Marchio Montis-acuti, Archiepiscopus Eboracensis, Dux Bedfordiæ, Barones Latimeri, Aburgavenne clara & insignibus fœminis, ac maxima Regina una, quinque Ducissis, Comitissis innumeris; ita Nevillorum potentia jam anteà nimia, & Regibus formidiosa, corruit, mortuis ramis & arescente arboris trunco, nisi benignitate Numinis foetus Aburgavennæ familiæ reviviscerет, & multa majorum egregia merita æmularetur. Eodem anno mortuus est Edmundus Plaudenus peritia juris Anglici præcellens ut testantur monumenta ab eo edita, quæ leguleorum manibus teruntur, is sordido quæstui non addictus, famam magis posteritatis quam opes spectavit.

Ulp l 7. ad l. Iuliam de vi publica.

Associatio in Anglia.

Res Hibernica. In Hibernia discrimine belli libera Perottus Prorex bonus æquusque provincias in præfecturas divisit, magistratus, juridicos, legesque Anglicas singulis imposuit, potentiam suam placidè ac salubriter exercuit, pars populi sobria, læta æquo jure fuerat, improbi institutis patriis & Barbaricis ritibus insueti, qui per rapinas & latrocinia alebantur, quasi oppressa liber-

tate

rate in novas res proni, inter se conquerebantur, vetera privilegia adimi, gratiæ aut servitio locum non esse, prædari præfectos juridicos, & ministros munerum provincialium bonis everti, pacem æque ac bellum exitiosam Hibernis. His atque talibus agitabant inter se pacis mala, belli commoda, tumultuandi consilia, ut leges ac judicia everterent; verum in Prorege tanta prudentia fuit in constituendis legibus, tanta æquitas in judicando, tanta constantia in proposita sententia, ut diu staret quieta provincia ejus institutis, tanta denique humanitas, ut difficile dictu sit, utrum Hiberni magis virtutem timuerint, an mansuetudinem animi dilexerint. Exempla honesta ex his bonis institutis orta sunt, magna gloria, Proregis. Turlochus Onealius & Hugo Dungannoni Baro, Tioreneæ Comes pro multis ac magnis suis in regnum Anglicum meritis creatus (qui posteà levitate gentili patriæ turbo Anglos ex Hibernia ejicere tentavit) agitantes inter graves controversias de finibus adjacentium agrorum, diuque pensitantes armorum ancipites casus ut jure lites dirimerentur à Prætore Hiberniæ petiverunt, impetraruntque cum anteà neglecta auctoritate legum, armis decernere, consuevissent. Cæterum deserto agrorum cultu, fames, qua nihil miserius est provinciæ, incubuit, ita per inopiam & annonæ penuriam carne humana & fædis alimentis propulsare inediam adacti sunt. Hiberniæ Prorex fame Dominante rei frumentariæ levavit inopiam cura, provisu, commeatum ex Anglia subvexit, plebemque hoc munere delinivit. 1584.

Hoc Anno in Belgio turbida & confusa erant omnia Gandavensis sive levitate innata, sive contumacia ordinum decreta, & Aurasionensis salutaria consilia de pacis simulatæ periculis aspernantur, qui societatem cum Philippo ut parum salubrem inire prohibuit, Imbisius ad quem Gandavenses summum urbis suæ magistratum detulerant, ad res novas pronus, in ipso conatu oppressus, abrogato Magistratu, & militum præfectura, securi percussus est. Parmensis occasioni intentus Verpum prætorem Curtracensem obsidere yparam jubet, qui urbem per deditionem recepit. Cum in hoc statu res essent, Brugenses; Franconatus & Damnenses societate Batavorum relicta in Philippi gratiam reconciliantur, Gandavenses diu ambigua fide fluctuantes, tandem perfidia Caroli Croji, Cinaci Principis, se Philippi potestati æquis conditionibus permiserunt, inter quæ novus Brabantiæ Dux Antverpiani facinoris pænitentia mæstus, gravi corporis morbo correptus, cum per quadraginta dies sanguine ex omnibus corporis meatibus profluente, nec extingueretur, nec ulla ope humana sublevaretur, pænas crudelitatis dare diuturno supplicio videbatur, tandem vi morbi non sine magno Galliæ malo extinctus est apud Castrum Theodorici, & amplè magnificeque impensis Regis fratris funeratus est. Mortem Brabantini Ducis Arausionensis cædes subsecuta est; Is acerrimus Bætici nominis hostis à Baltasare Gerardo Burgundione desperato homine ex occultis insidiis tribus globulis transjectis voce cum gemitu edita oravit Numen, *ut animæ suæ & populi afflicti misereretur*, nefarius percussor patrato facinore per aversam domus portam effugit, nec diu latuit, à satellitibus comprehensus in carcerem tractus est, ubi nulla vis tormentorum acerrimorum prætermittitur: ille obstinato adversus omnes cruciatus animo proclamavit se id unum dolere, si tam præclarus conatus frustrà cecidisset, nec ad supplicium tollerandum minus animi, quam ad patrandum facinus fuit; nam productus cum dextra manus exureretur, & singulæ totius corporis partes candentis ferri acri morsu pertentarentur, tulit acerbissimum dolorem velut alienato à sensu animo, sive ulla vocis aut vultus perturbatione, & inter cruciatus vitam finivit. Fæderati morte Aurasionensis alieno adeo tempore erepti propè attoniti, virtutes ejus, eximiam pietatem, prudentiam, probitatem, animi magnitudinem, patientiam, moderationemque debita laude prosecuti sunt, eique ingenti, ac regia prope pompa parentarunt. Delfis celebratum funus, cui gentiles sui Tribuni, Præfecti, Centurionesque atrati cum lachrimis interfuerunt. Hunc vitæ finem habuit quinquagesimo primo ætatis anno, vivus amabilis, mortuus desiderabilis Battavis, Mattiacisque. Bonitas ista singularis ingratos aut malignos æstimatores nacta non est, quippe plebs statim à funere Comitem Mauritium filium adolescentem summa spe & animi & ingenii præditum provinciis Hollandiæ, Zelandiæ. Frisiæ præposuit, adjecta maris præfectura, qui ab hoc tempore exercitui fæliciter præfuit; Parmensis ubi Teveramundum & Vilvordam recuperavit, Antverpiam totius Belgii caput aggressus est. Pontem Visurgi aveni mirabilis operis imposuit, planis manibus modicis inter se spaciis connexis, super quas tormenta & propugnatores fulgentibus armis in speciem & terrorem collocavit, pontemque ex utraque parte ripæ propugnaculis & præsidiis firmavit, ita plures menses efficiendo ponti absumpti, prius tamen quam fortunam obsidionis experiretur, misit ad obsessos qui suaderent ut dederent urbem ostenderentque clementiam Philippi Regis in deditos, & exorabilem animum in rebelles subditos, si veniam deprecarentur. Cives de fide Ducis & clementia Regis ambigentis congestis undique alimentis obsidionem ferre decreverant, pertinacia oppidanorum incensi Iberi, acrius obsidionem urgent, & cupidine prædæ in excidium civitatis incumbunt, nec Segnius Antverpiani juventute per cohortes composita, navi actuaria pontonibus & civibus

Res externæ

1584. ad scindendum pontem velut frenum flumini impositum eunt, & multa cum strage propugnatorum tres naves abripiunt. Non tulit Parmensis gaudium insultantis vulgi, qui hostium impetum toties contudit, misit subsidio cohortes, & missilibus è propugnaculis submovit. Mox oppidani inter se discordes Machinamentum vastæ magnitudinis dissiciendi pontis gratia fabricari aggressi sunt, cui tormenta ænea dilectosque milites imposuerunt, sed majorem metum quam damnum obsessoribus intulit machinamentum, quippe ob vastitatem & pondus inutile ac inhabile instrumento nautico, in fundum demersum, tandem ab hoste occupatum est. Cum Parmensis obsidioni assideret, in Francia Rex reputans se fæliciorem morte fratris Brabantici Ducis in fædiorem domi lasciviam prorupit, & monialium virginum cænobia religionis specie pererravit, comitantibus dominationis fautoribus Iousa, & Espernonio; Hi discordes, in duas factiones scindebantur, quippe Iousa implacabili odio Protestantium Guisios arcta affinitate sibi conjunctos fovebat; Espernonius haud æquior doctrinæ Protestantium infensus Guisiis privatis de causis in Navarræ Regem clarum fama & militum studiis propendebat, susceptoque itinere in Aquitaniam Navarreum ad majorum sacra redire, in aulam venire & reip: partem capessere, hortatus est, ad infringendam Guissiorum potentiam, & stabiliendam successionis fortunam. Ille anxius & metuens incerta ire abnuit, ut vitato aulicæ assiduitatis fastidio, auctoritatem absentia tueretur, atque etiam augeret, si quando sui resp: indigeret, Margaritam uxorem cum ultra impudicitiam perferre non posset, dimisit, qua de causa Regina parens ob tepudium filiæ Navarro offensior, nepotes suos ex Claudia altera filia, quos ex Carolo Lothamigiæ Duce genuerat, ad spem regni destinavit, & proindè facilis exorabilisque in Guisios fuit eorum gentiles, ut spes iniquas de nepotibus conceptas promoverent.

1585. APud nos Rex Leviniani agri avita jura persequitur, causam diuturno silentio velut intermortuam, missus in Angliam Ludovicus Bannantinus equestris ordinis vir, summa vi, & animi & ingenii præditus, ut exploraret exulum destinata, & Laviniæ familiæ in agro Eboracensi peculiare patrimonium repeteret ad sustinenda regni onera; In magna inopia ærarii cum proprium Regis patrimonium, ac pecuniam publicam, in privatos usus Protegis absumpsissent, is luculenta oratione apud Reginam habita, multa commemorat de Regis sui erga eam studio, fide, & benevolentia, ejus maximè post Deum opera, consilio, gratia, in ejusmodi rerum perturbatione servatum, nunc liberalitate & subsidio rei numerariæ fovendum, oratque Elisabetham ut suum beneficium tueatur, neque jacere Regem genere maximè propinquum patiatur, quem salvo pudore in angustiis fortunæ deserere non posset; De ea re disserens benignè auditus, dimissusque est amicè & humaniter, avitus dominatus non redditur, aliquot librarum Anglicarum millia promissa, ut proximo genere, fidesque mox servata est. Inter Maxuallios & Iohnstonios antagonistas exacerbata sunt odia, accesserant majores irarum causæ, namque Iohnstonius occidenti limiti præpositus, non cessavit efflagitare DumFrisæ urbis præfecturam, quæ diu in Maxualliorum familia hæserat, & tentare civium animos, ut ad publicum munus admoveretur, de qua re certior à Roberto fratre factus Maxuallius Mortoniæ Comes, tumultu orto Iohnstonum urbe trepidum exturbat, securus jam ab hac parte, Anandiam incendiis ruinisque depopulatur, quo discrimine coactus est Iohnstonus apud Regem gravissimè deplorare miserias suas, & injurias tribulium. Inde Rex Maxuallio infensior, studiosior alterius partis erat. Inter tot omnium rerum difficultates & assiduas tam vicini ac præpotentis inimici incursiones, Iohnstonius corporis & animi viribus ferocissimus, mærore extinctus est. Iacobus filius ei successit pari virtute animi, constantiaque, fælicitate majore, & acerrimus vindex paternæ injuriæ extitit. Eodem fere tempore, Elisabetha cum per speciem sancti fæderis apertè factum conjurationem à Philippo Hispano, Pontifice, & Guissiis fratribus contra Evangelii professores videret, Eduardum Vottinum virum prudentem & humanum in Scotiam mittit, ut Iacobum omni cautione perpetuo fædere annua pensione æquissimo jure devinciret, receptæ religionis mutationem & imminentem instauratæ Ecclesiæ ruinam averteret, nuptias cum Daniæ Regis filia promoveret, data etiam occultè mandata ut exulantes Proceres in gratiam cum Rege reduceret, Ministros Ecclesiæ in locum unde dejecti erant, restitueret, Aranii potentiam infringeret, Anglicæ factionis homines spe aleret. Legatus auditus à Rege petit ut non modo in antiquo fædere constanter perseveraret; sed arctioribus si fieri posset vinculis novum jungeret. Capita novi fæderis & arctioris amicitiæ à primo usque ad extremum scriptura exhibuit: Metellanus ab epistolis ait convenire prius de conditionibus oportere, & singula fæderis capita diligenter perpendit, ac scrupulosa adhibita interpretatione non ex æquo & bono, sed ex callido versutoque jure Legato reddit, additque nihil, in re tam gravi non diu deliberandum. Rex apud fanum Andreæ, coacto Procerum conventu disseruit, perpetuum fædus cum Anglis multis modis utile fore; & magnopere ad utriusque gentis salutem, ac instauratæ religionis securitatem pertinere, cujus incolumitas in hoc uno verteretur. Gallicæ factionis Proceres omnes circumspiciunt turbandæ

con-

concordiæ rationes, arctissimam amicitiam & perpetuam societatem ita demum pollicentur, si 1585. Scotos omni onere immunes Angla præstaret, & non ultra alienigenas censeret, sed in regni societatem ac fortunarum omnium communionem assumeret, si Iacobum Regem sua auctoritate, & Procerum omnium consensu secundum se hæredem regni Anglici statueret; Super his postulatis consultus Legatus Anglicus respondit his de rebus arduis certa se mandata non habere, & regnicolatus privilegium non Reginæ arbitrio, sed publico Ordinum decreto concedi. Tandem Procerum omnium consensu promisso fœdere, palamque approbato, censuit Rex ut delegati utrinque congrederentur, qui fœdus retractarent, conditionesque expoderent. Cum hæc de fœdere Anglico & postulatis Scotorum ultrò citròque disputarentur, tumultus in finibus ortus, aut impediturus concordiam videbatur, aut certe tardaturus. Per eos dies Ioannes Forresterus Equestris dignitatis medii limitis Præfectus, & Thomas Carus Fernihustius ejusdem ordinis veteri more congressi, egere de controversiis limitaneorum, latrociniis, pecoribusque per vim abactis; Ibi tumultu fortè orto Franciscus Russelius Bedfordianæ familiæ proximus hæres, qui Foresterum socerum honoris causa comitabantur, globo ictus interiit; magno utriusque gentis mœrore, Rex non minus atroci facinori quam Elisabethæ infensus, Fernihustium in custodiam Tajoduni tradidit, ut cædis crimen à conscientia publica removeret. Regina custodia præfecti limitis non contenta, Andream Carum Greinhidensem, Gulielmum Ancoranum, & Ioannem Retofortum noxæ dedi postulavit, sponsio fit de capite & fortunis eorum, si constituto judicio more patrio authores indignissimæ cædis illius arguerentur; Interea Legatus Anglicus cum aliis alia molitur ad labefactandam Araoii potentiam præturæ dignitare auctam, Graium, Mætellanum, Bannantinum, præstantes in rep. viros, ab amicitia ejus divellit, & clam reducendi exules consilia struit; at prævalente adversa prætoris Aranii factione, & pro dominatione retinenda totis viribus contendente, non impetravit, ut occulta cum Rege fereret colloquia, verum à Gulielmo Stuarto Okiltriano contra jus gentium contumeliosis dictis lacessitus, obstinato adversus contumelias animo colloquium Regis exposcit. Rex ex consilio amicorum causatus more majorum nihil magnum se, moliri posse, nisi auctore Senatu, proindè audientiam ad senatorum consilium retulit. Vottonus in Senatum introductus Araniæ Comitem regni Cancellarium tumultus in finibus nuper excitati authorem, & cædis Russelianæ conscium arguebat. Aranius Senatoria sententia in speciem exauthoratus, & ad fanum Andreæ in custodiam ire jussus, postea liberiore custodia apud Kinnelium habitus, brevi indè est dimissus Vottonus sive ob difficultatem novi fœderis, sive propter metum periculi ab Aranii Clientibus, sive ob conscientiam instantis tumultus insalutato Rege qua poterat proximè Bervicum contendit. Itaque plagis injectis gravibus reip. rabie Araniani temporis, omnia plena erant desperationis. Contagio regnum latè pervasit, plebs miserabiliter afflicta, infecit ea tabes præcipuè urbem regiam; Inter has procellas Legati à Frederico Daniæ Rege superveniunt, ut Orcades & Hetlandicas insulas multis sæculis ante pro pecunia oppignoratas soluto ære redimerent; eorum verba postquam in Senatu Fermelinoduni audita sunt, Rex argutè acutèque respodit, omnes in mari Deucalidonio insulas ab ultimis temporibus Scotorum regum fuisse, Reges Norvegiæ eas per summam injuriam occupasse, Alexandrum tertium Scotorum Regem Norvegis ademisse, atque in Scotorum possessionem restituisse, superiores Reges Daniæ jure quod sibi vendicabant cessisse, cæterum Legatos proximo vere de jure Orcadum & Herhlandicarum insularum disceptaturos in Daniam missurum. Hoc responso dimissi Legati Danici nuptias Annæ Frederici filiæ cum Iacobo Rege proposuerant, ad quas procurandas missos se cum mandatis profiteotur. Aranius jam in Aulam revocatus, nec justas odiorum causas, nec ulciscendi cupiditatem permultis deesse sciens, potentiæ suæ viribus fretus, rumores vulgi & indignationes Procerum parvi faciebat. Erant ounc in Anglia extorres (ut supra memoravi) Archibaldus Angusiæ, Ioannes Marriæ Comites, Thomas Leon Glamii teguli tutor, qui ferre non poterant Aranii injurias, ibidem Hamiltonii gens opibus & multitudine gentilium florentissima, inopem sollicitamque vitam agebant, Proregis Mortonii odio jam diu ab aula remoti, & regno pulsi. Duglasi & Hamiltonii compositis ab amicis ulrro citroque commeantibus ex vetere odio, dissidiis, in gratiam redeunt, adversus Araniæ Comitem, utrisque pariter infensum, consilium ineunt, impetratis ab Angla ad iter auxiliis, subministrata clam pecunia, & amicis occultè conjurationis consciis, per secretos nuncios præmonitis, profectionem in Scotiam adornant, edictoque significant egregio sub Principe servitutem, injurias, supplicia innocentum tollerari se destinasse salubriter tantis in naufragiis reip: ac plebis miseriis ferre opem patriæ, succurrere saluti fortunisque communibus, Aranii ingentia facinora ausi & majora molientes audaciæ scelerique resistere novorum hominum abutentium legibus judiciisque ad quæstum aut libidinem perniciosam atque intollerandam potentiam primo quoque tempore opprimere, qui de exitio regni & Regis cogitarent. Maxuallius Mortoniæ Comes Aranio infensus, quia alieniorem sibi sensit Regem crebris ejus criminationibus, agresti cultu, transversis itineribus, ad Duglasios & Hamiltonios consanguineos in Angliam pervasit, opem &

1585. operam suam obtulit in asserenda eorum dignitate, primusque fiduciam addidit, si offerenti fortunæ occurrerent, & communi animo consilioque in communem hostem Aranium res gererent, cætera secutura dignationem, securitatem, multosque viros nobiles mox in partes transgressuros. Præterea neque eis defuturum populi studium adversus sceleſtum, neque Numinis favorem, nisi ipsi sibi deessent. Redeunt secundo post discessum anno duces partium Angusius, Marrius, Glamius, & Hamiltoniæ familiæ principes, ut Kelsoam venere, paucos ad requiem dies sumunt, de improbis factis Aranii per edictum publicè queruntur, & gravissima ejus crimina, in omnes ordines, crudelitatem, & omnium in eum odia exponunt, adjunctis sibi Francisco Bothueliæ Comite, Hurniorum, Carotum, Scotorum Philarshis, & tribulibus, de tempore, loco, & ratione perficiendi conatus colloquuntur. Hæc in oriente; In occidente Ioannes Maxuallius Mortoniæ Comes, & Ioannes Hamiltonius familiæ princeps, comitis servitiis & clientelis, nihil cunctati Duglasiis se adjungunt, ad famam tumultus, magni motus in Scotia facti; Aranius consiliorum non ignarus & erumpentis seditionis Regis auctoritati quamvis inermi confisus, & Crafordiæ, Glencarniæ, Erroliæ, Rothusiæ, Montis-Rosatum Procerum impenso erga se favore corroboratus, factionis suæ viros Sterlinum evocat, contra armatos exules, Regis salutem, nisi tempestivè occurratur, deploratam edocet. Exsules celeritate summa usi ut prævverterent cum ea quam habebant manu per Varium sacellum recta Sterlinum iter intendunt ad urbem oppugnandam, populo quacunque ibant benè precante propugnatoribus publicæ libertatis, & instauratæ religionis, circumvecti mænia sirum urbis explorantes, qua parte tentare possent, diluculo muros repentina vi transcendunt, nemine obvio in forum penetrant, aditus omnes armatis claudunt, & urbe potiuntur terrore militari nullo adversante, nisi Gulielmo Stuarto prætorianorum præfecto cum quingentis militibus, quem in fugam averterunt. Armstrangi infames latrones non contenti equorum & supellectilis direptione, utensilia & clatras fenestrarum ferreas abstulêrunt, urbe capta, utentes recenti terrore arcem levi aggere circumjecto obsident, qui intus erant commeatu non sufficiente multitudini conclusæ, Regis discrimine anxii, & illam ac sese dedunt, cæteris nobilibus præter Grajum Mætellanum, & Bannontinum, hujus mutationis fautores si non authores, in custodiam traditis, quia spem improbam Aranii aluerunt; Profugi Proceres supplices & inermes Regem adeunt, genibusque ejus advoluti, se suasque fortunas omnes ei permittunt, fidem & obsequium jurejurando pacti. Rex nobilitati semper mitis, Claritudine Procerum, lachrymisque & precibus victus, data dextra in id quod petebatur, veniam supplicibus dedit, omnes in pristinum dignitatis, & gratiæ locum restituit, adempta iis prædia, oppida, agros, acres reddidit. Ioanni Hamiltonio Britannodunum, & prædia omnia quæ Aranius invaserat, Angusio Tentallonem, Marrio Sterlini castellum, invitis & gementibus adversariis, statimque in consilium de summa rerum adscivit. Araniæ Comes comperto discrimine cum præcipuis gemmis quibus superiores Reges Scotiæ effulserant, inter hostium tumultus per aversam arcis portam & Forthæ fluminis pontem timidè, ac trepidè in Leviniam evasit, ac vitam non privatam modo sed etiam trepidam egit, clam relicta provincia mare cum Iamesocio navarcho ingreditur, ut imminens exitium vitaret, posteà in servilem humilitatem dejectus, per loca deserta vagus vitam injucundam traxit, inconstantiæ rerum humanarum magnum exemplum posteris daturus, cui quanto longior vita, tanto misêrior contigit, brevique spatio, bona, fortunas, ornamenta omnia amisit, at inimici præreptam sibi ultionem dolentes ejus miseriis non satiati, in omnes regni solitudines dimittunt, qui eum comprehenderent, ipse plerunque in Gallovidia aut Caricta occultatus ægerrimè periculum effugit, adversus eum Huntileæ Comes missus, latebras per devia mutantem secutus, terra marique assecutus non est, cæteros casus conatusque suo tempore dicam. In proximo ordinum conventu de publico statu ordinanda Limnuchi habito, penes quem jure regni apud Scotos, summa rerum potestas est; Ioannes & Claudius Hamiltonij, Archibaldus Angusiæ, Ioannes Marriæ Comites, Thomas Leon Glamii tutor, Driburgi, & Cambskinethi Abbates, prætereà Gaurei liberi, & multi viri nobiles in integrum restituti, ex eo die summa fide, & observantia ergà Regem semper usi sunt, Aranius non modò dignitate, sed & prætura exauctoratus, oblivio superiorum tumultuum sancita, ac abolitio criminum cædis, incendii Maxuallio facta, qui multa flagitiosè, scelerateque in Anandia factitaverat. Ministri exules ex Anglia reversi criminum abolitione non contenti suam disciplinam & tribunitiam potestatem stabiliri vehementer cupiebant, cujus vim Rex superioris anni decreto in comitiis multum deminuerat, & Præsulibus potestatem restituerat, quod cum impetrare non possent, adveteres mores revoluti, in rabiem prolapsi sunt. Potestas Ecclesiastica Ordinum decreto stabilita, coercendi contumelias in Deum, hæreses, adulteria, libidines, stupra, scandala, & conservandi Eutaziar Ecclesiæ, ac morum integritatem, ut casta Christi sponsa, Christo sponso exhiberetur: quare cum Ministri homines natura maledici, malevolos seditiososque spiritus gererent, in pleno Ordinum conventu communiter edicitur morte esse puniendum, quisquis verbo aut scripto ea proderet, quibus populi in Principem reverentia deminui, Principis-

ve in populum charitas lædi possit. Hoc freno coercita Ministrorum in Regem effrenata & indomita licentia, quæ mox acrius erumpit in terrorem ac minas; abruptis enim obsequii ac reverentiæ vinculis Gulielmus valsonus & Ioannes Hovesonus remp: tumultuosis concionibus vexant, omnibus verborum contumeliis Regem lacerans, ac probra jaciunt, Ieroboamo comparant; deterrimam comparationem, & præcipitem furorem silentio præterire libet, ne referendo perniciosam imitandi licentiam inducam. Uterque minis & brevi carceris custodia coercitus impunè transmissus est, ita postulantibus duris reip: temporibus, impunitatis spes aliis fuit illecebra peccandi Iacobus Gibsonus effrenatus & præceps tantum animi habuit ad audaciam ac impudentiam, ut dicere in concione Edinburgi non erubesceret, haud Aranium, sed Regem infensissimum Ecclesiæ hostem, minitarique ferocius Ieroboami exitium, ac familiæ regiæ interitum. Ne hominis furor diuturniore impunitate aleretur, Ille ob sermonem contumacem & minacem adversus Principem ad judicium vocatus, & in senatu interrogatus, *Ecclesiasticam causam non esse regiæ cognitionis jurisdictionisque liberius atque audacius jactavit*; Proindè senatusconsulto reus majestatis non sine invidia vulgi incitati damnatur, & in arcem Edenburgensem conjicitur, senatui placuit gravioris motus metu perscribi sententiam, & ad populum ferri, ut rumores ambiguos compesceret, nec defuere qui censerent supplicium sumendum, sed prudentius temperatum, validiore adhuc rei gratia, quam ut pæna afficeretur; Ita peccantium impunitate, lenitate Principis, ac vitio temporis Prædicatorum audacia indies accrevit, Præsulum authoritas imminuta. Rex his rebus turbatus, ne serperet longius indomita atque effrenata concionum licentia ad Ministrorum studia suam voluntatem accommodavit, ratus satius esse mansuetudine, ac clementia in officio continere, quàm metu; igitur in conventu Ecclesiastico per procuratores suos graviter conqueritur de Gibsoni temeraria ac audaci denuntiatione, fatigatque precibus fratres ut pænas temeritatis lueret, excogitatum tamen paucorum consilio, ut in jus vocatus ad diem dictum non adesset, & contumaciæ nomine ab officio & beneficio suspenderetur, nec deerant in conventu qui magnitudinem animi laudarant pauci fuerunt, qui dicerent cætu fidelium exturbandum ob indignitatem rei, & contemptum majestatis. Rex nihilominus in animum induxit suum in cõmitate, & benignitate perseverare, & asperioribus remediis abstinere, quod spes aliqua relinqueretur suadendi potius, quam vi cogendi; sed incipiens adhuc & non adulta contumacia lenioribus remediis sanari non potuit, nec ille asperiore unquam usus, nunquam tamen destitit, quoad vixit Præsulum dignitatem omni ope tueri. Inter hæc Gossetonius Francorum Legatus in Scotiam venit, quem Rex benignissimè excepit, ei est senatus datus, frequens causa adventus ejus fuit, ut vetus cum Gallis sæpè de Scotis benè meritis fœdus tot Regum auctoritate, & judicio comprobatum renovaretur, solutis cum Anglis novis pactionibus. Audito Legato Scotorum Proceres ad fœdus Anglicum proclives, respondent de pace, aut fœdere more majorum, nihil nisi in publico gentis consilio constitui posse, proindè monent, ne tempus inutiliter tereret, neu fraude, & calliditate se putet ea quæ volet consequi posse. Postea crebros cum Rege sermones habuit, terrorem cum minis miscuit, jactavitque amicitiam cum Gallis dirumpendam. Postremo obtestatur ne Galliarum Rege inconsulto cum Angla fœdus fieret. Rex minis ac terrore non commovetur, respondetque prudentius quam pro ætate, *se fiduciam in ope divina, non in Francorum amicitia, qui Numinis gloriæ adversarentur, collocare, nec sibi minus licitum foedus cum serenissima Anglorum Regina facere Gallo inconsulto, quam Gallo nuper cum illa se inconsulto.* Relato responso Franci qui vetere illo ut dixi fœdere se nobiscum conjunctissimos esse arbitrati sunt, percepere Scotos pari religionis cultu cum Anglis imbutos, ab omni studio sensuque cultu Gallorum mentes suas ad Anglorum amicitiam nomenque flexisse, ac veram Christi religionem tueri paratos esse. Cum fœdis certaminibus Scoticana Ecclesia finderetur, Maxuallius Mortoniæ Comes, fiducia tribulium Suorum, parta nuper victoria & necessitudine Hamiltoniorum ferox, Sacra Romana contra leges ritusque patrios promovet, auctoritatem Pontificis Romani jam excussam revocat, Missam Dum-Frisæ propalam celebrat, turmatim ad Leucludense collegium progreditur, presbytero crucem cum labaro præferente, spectator flagitii Minister Urbanus pavidus, non concione compescere, non dehortari ausus est. Crebrescente atroci rumore Papani cultus, Ministri Ecclesiæ tulerunt ægerrimè, monueruntque Proceres idololatriam in publicam perniciem mox erupturam coercere, magnisque tem querimoniis ad Regem detulerunt. Eam ob causam jussus Maxuallius sui copiam in jure facere, Edinburgum venit, & causa cognita in custodiam conjectus est; Statim prævalente gratia apud Proceres Romanæ causæ minus æquos, sed memoria recentis beneficii, necessitudine affinitate ei addictos dimissus est incolumis; postea homo superstitione imbutus, consilium de instaurandis Romanis ritibus non omisit, de integro furenti non eadem venia data. Hæc dum in ulteriore Britannia geruntur, Insulani occidentales immanitate barbari, feritate, ignavia, luxuria, superbia, deterrimi, orta inter ipsos seditione, arma spectare cæperunt; Augus Macoveliusetat princeps eorum, sævitia detestabilis, natura ac moribus barbarus, & Maclenio Flæ Regulo, civilis animi ob æmulationem favoris & poten-

1585. potentiæ infestus, quamvis Sororem ejus in matrimonio habuerat, struxit insidias virtutibus ejus quasi vitiis infensus, hinc initium motus insulani, eventus, cædes, rapinas, direptiones suo tempore expediam. Nec in Catanesia, & Sutherlandia res quietiores fuere, insulani homines propè omnis humanitatis expertes impetu, & quadam temeritate semper ad omnes motus parati esse consueverunt, Reguli quoque authores armorum ducesque extitere. Per hos dies Huntileæ Comes sororem suam Georgio Catanesiæ Comiti in Matrimonium collocavit, egitque de reconciliatione gratiæ, & Sutherlandiæ Comitem reconciliavit, quod is sibi conjunctus & sanguine & necessitudine esset. Duo vicini Comites ut firmior fides reconciliatæ gratiæ videretur, Clanguinos ferro & flamma persequendos decreverunt, qui majores alienarant, & turbas crebro concitaverant; hac re cognita Clanguini suos ad consilium convocant, docent salutis causa arma esse capienda. Hac occasione impulsi silvestribus ac remotis locis arma rapiunt, profitentur se nullum periculum salutis causa recusare, mox campestribus locis demigrant, & montes petunt, ut inde armis locorumque situ sese tueantur. Henricus Sinclarus, homo strenuus, Catanesiorum dux antequam Sutherlandiæ auxiliares sibi conjungerentur, in rebelles duxit, & contempta paucitate inimicorum acriter conflixit sagittarum nimbis. Clanguini temere irruenti restitere, & per ardua atque iniqua loca subeuntes deturbarunt, tandem Henrico Sinclaro cum centum quadraginta aliis extincto, reliqui beneficio noctis ægrè evasere. Postero die Sutherlandiæ Comitis auxiliares Ioanne Gordonio & Iacobo Macrorio ducibus supervenere, Clanguini superiore pugna defatigati, & præmetuentes sibi, ultra tentandam fortunam non existimarunt atque celeriter in Rosiam profugerunt, hostes eo contenderunt, avidè ultionis cupidine insequentes, & ad Locmelinum Rossiæ pagum assecuti acriter invaserunt, ibi Clanguini circumventi atque interfecti sunt, Georgius eorum dux multis acceptis vulneribus captus, & ad Sutherlandiæ Comitem deductus est, reliqui à permiscua multitudine oppressi. Iam certamine Procerum exuto extinctoque Obegnino, abacto Iacobo Stuarto ad privatam, & inhonoratam vitam, & Guisianorum potentia paulatim infracta, Rege etiam adulto; & rebus gerendis adhibito majore cum æquitate & tranquillitate, res Scotorum ex arbitrio Senatus administratæ sunt, justitia, pax, pudicitia, securitas, dignitas, floruerunt; Rex regnum nihil aliud quam procurationem publicam existimans publicæ utilitati inservire, communique libertati, & multitudini consulere, cuncta ex usu dignitateque moderabatur, ut leges dominarentur, boni mores instituta que majorum servarentur, gnarus in regnandi primordio positum esse rerum discrimen, ac futuri principatus specimen. Nam sicut initio imperii animi popularium afficiuntur, ita ferè deinceps Reges vel contemnuntur vel in honore habentur; Igitur famæ inservivit, & consilium capescendi egregiè imperii edicto professus est. Fuit certè Iacobus nulli majorum inferior judicio, ingenio, memoria, & literis exquisitis ratissimam laudem, & nulli adhuc majorum concessam innocentiam consecutus est, non ira ad iniqua supplicia, compulit, non temeritas hominum, non contumelia Ministrorum per modum concionis in suggesta patientiam extorsit: quibus de causis magnis plebis laudibus commendabatur, & maturescentis ætatis vigore, & ingenii nobilitate, quam bonis artibus optimisque studiis ad res gerendas excoluerat, ut testantur monumenta clarissima utraque oratione ab eo edita, βασιλικὸν δῶρον aureum illud opus filio dicatum, singula quæ vitam Principis ornent quæque instruant, præceptis ad gloriam & virtutem salutaribus, publicè vel privatim complectitur. Scripsit etiam carmina quædam quæ adhuc extant, & in quibus ingenii præstantia elucet. Illud præterire non possum, memoriam fuisse Iacobo Regi tenacissimam naturæ beneficio, ita ut in illa inscriberet, quæ legeret iisdem litterarum notis, & iisdem prope verbis quæ audiret, duas præstantissimas disciplinas rei militaris atque literarum juvenili ætate percepit, alteram pacis & quietis firmamentum, alteram dominationis subsidium & ornamentum. Mollis adhuc & flexibilis ætas in studio venationis, labore, patientiaque & animi ac corporis, & ludis gymnicis exercitata adversus avaritiam & luxum, cæteraque vitia, quæ ex otio gignuntur, inter omnes rerum delitias in juvenili fervore & summa fortuna, non proni ad licentiam mores, non arrogantis fortunæ ullum in animo impressum vestigium, sed temperatæ cupiditates, ignoscendo, largiendo, indulgendoque popularium animos sibi suisque in perpetuum devinxit, nihil per eum neque vi, neque clam reip: ereptum. In cognoscendis perpendisque hominibus planè mirus, in imperio atque in publica dignitate locum virtutibus patefecit, juvenes honestissimos summis officiis, & summis beneficiis paravit, horum principes Iohannes Metellanus honesto loco, fide, & industria cognita, intimis consiliis adhibitus, primum ab Epistolis (cujus frater eandem dignitatem sub matre gesserat) deindè Prætor factus, homo callidus, promptus, & versutus, infensus nobilitati, turbulentissimas in rep: tempestates posteà concitavit: Patricius Grajus, familiæ suæ hæres aulica solertia ac formæ gratia insignis, cui omnes naturæ dotes contigere præter honestum animum: Ludovicus Bamantinus fælix ingenio, cura, diligentia: Alexander Lindesius adolescens nobilis dignitate, formæ juventa, & ejus frater Iacobus, Gulielmus Kerkus illustri ac antiqua familia ortus; Georgius Elphingstonus,

no..

non minore gratiâ, sed dispari genere, quem ex humili loco ad equestrem dignitatem provexit: Valterus Stuartus Blentgreus, innocens & industrius: Georgius Hunnius, modicæ originis, non solùm honoribus, verùm & quæsturâ auctus; & Thomas Eresꝭkinus vetere, & nobili Eresꝭkinorum familiâ, præcipuum in aulâ locum diu tenuere. Mætellanus, Graius, Bannarrinus, Stuartus, Blantgreus, magnumque agmen nobilium non inania nomina præferentium, sed eorum qui majoribus suis decori fuerunt, publica negotia, ac privatorum maxima tractabant; reliqui decori adolescentes Regis, intimâ familiaritate penè æquales, lusuum oblectamentis vacabant; à plerisque fautorum postea alienatus, magis eorum culpâ, quàm ingenio suo; à Graio offensione acerbâ, (ut infrà memorabo,) ab alijs, morum & studiorum commutatione: Ketlium, odium Mætellani; Spineum, Studium Botlinelianorum partium; Elphingstonum, ingenij Socordia; Blentgreum, potentiæ invidia subvertit. Georgius Hunnius & Thomas Eresꝭkinus potentiâ, opibus, atque authoritate, ad finem vitæ floruerunt. amicitiæ officia diligenter sanctèque servavit, benevolentiam amicis non ardore quodam amoris, sed stabilitate potiùs & perpetuâ constantiâ continuavit. Non pauci certè Principes compluribus virtutibus præstitêre, ratione, ingenio, memoriâ, curâ, diligentiâ, literis, prudentiâ in constituendis dominijs, exquirendis conditionibus populi, temperandisque, & in toto jure Pacis & Belli. non reverens assentandi suspicionem, possum prædicare audacter, quamvis multos enumeres, nullum dùm Bonitate, Clementiâ, Innocentiâ, Pietate, Munificentiâ, aut Continentiâ antevisse. diutius hìc morari non libet, ne omnes ejus virtutes repetendo, magnam voluminis partem impleam.

1585.

Dum hæc apud nos geruntur in Angliâ, Licestrius insectatur Scotorum Reginam proximam successioni, & novarum rerum crimen affingit, dictitans ejus nutu tumultus cieri, incolumitati Principis insidias tendi. Regina regni comitia evocat, ad deliberandum quid in præsentia conduceret; in quibus Proceres statuunt, suam salutem posteriorem salute Reginæ; & in columitate rei publicæ ducere, intercludere omnes seditionum vias, munire præsidia Principis. Hinc de Jesuitis & Sacrificulis perditis ea Jura sanxerunt, quæ nec vis temporum, nec potentia Pontificum labefactare posset. Gulielmus Parrius Camber, modicæ originis, Legulerius, in Comitijs legem in Jesuitas perlatam, sævam, sanguinariam, & publicè perniciosam dicere non dubitavit: proindè quasi temere de Republicâ locutus, in carcerem conjectus est; exin dimissus Reginæ parat Necem. Relatum indè ad Proceres à Novatoribus de Ecclesiastico ordine instaurando; eum non criminibus modo, sed maledictis & contumeliosis Scriptis lacerant, Residentiam pastorum in Ecclesijs exigunt. Regina Præsulum jura enixè tutatur, gravibus verbis licentiam Novatorũ coërcet. Actum & de societate in Scotæ perniciem (quam suprà memoravi.) Proceres cum in metu & periculo Reginam viderent, Facto publico decreto consociationem approbant; sanciuntque, sinè discrimine, Majestatis crimine teneri, quicunque adversus Reginam, vel securitatem ejus, commiserit, plebemve ad Seditionem concitaverit: eumque cujus causâ, operâ, dolo, consilium initum erit, adversus rempublicam vel regni tranquillitatem; quæ lex ut erat acerba & indigna, sic videbatur omnibus exteris. Finitis Comitijs, Regina humanissimis verbis gratias egit benevolentiæ Procerum, pro tantis eorum in rempublicam meritis, beneficijs in se, & subsidio reinummariæ; Simùl commonefacit Novatores, ne Ecclesiam turbarent; incusavitque Præsules, quod non publicâ auctoritate & priscâ severitate turbidos coërcuissent. Inter hæc Arundeliæ Comes e gente Huvartâ, fortunæ discrimen adijt; Is expers criminis, sed superstitione Romanâ infectus, volens pœnas ignominiasque legum subterfugere, quæ in Pontificios essent constitutæ; aut fatalem familiæ calamitatem metuens, Solum vertere cogitavit, & in exilium, quasi in aram, confugere. Igitur ex itinere literas ad Reginam misit, quibus gravissimè deplorat invidiam inimicorum, casum suum, infælicia majorum fata, & acerba funera Proavi, Avi, ac Patris; scripsitque se Avitæ infælicitatis hæredem, quoniàm Conspirationi inimicorum resistere nequiverit, cedere sævienti fortunæ, & in exilium proficisci, non quod sceleris sibi conscius esset in Patriam, aut Principem, sed ut animæ suæ saluti liberius per otium consuleret, in aliquo abdito & longinquo loco. In Sussexiæ secessu delitescens, & jam navem conscensurus, Servorum perfidiâ, aut naucleri inditio, comprehensus apud fretum, retractusquè in arcem Londinensem conjectus est, ubi mansit incolumis, innocentiâ magis & claritudine familiæ, quàm Clementiâ.

Res. Anglica.

Iisdem diebus accusatur Parrius struxisse Principi insidias, index & testis ex intimâ ejus amicitiâ Edmundus Vevillus, qui nobilitatem Vestmariæ Comitis agros & prædia, sibi vindicavit. Hujus rei initium & ordinem accuratius disseram. Parrius iste in vitæ & fortunæ discrimen adductus, quia de improviso domi suæ confodere Hugonem Harum voluit, & in eum impetum fecit, vulneratumque reliquit. Regina incepti, non patrati facinoris veniam impunitatemque dedit. Indè recenti Invidiæ impar, commeatu impetrato, ad velandam ignominiam, in Galliam secessit, ubi contubernio Papanorum, Romanæ Ecclesiæ reconciliatus est. Mox in Italiam concessit; Venetijs, familiari quodam colloquio cum Benedicto Palmio Ignatiano, mentione injectâ de afflictis in Angliâ Catholicis, pollicitus est confestim, incolumitatem Ecclesiæ sibi curæ fore; & trucidandi Reginam, sacræ sedis hostem, nec votum, nec animum deesse; si Papa, vel eruditi Theologi, afferre necem licitum demonstrarent. Palmius, & Campegius, Pontificis apud Venetos Nuntius, tanquàm laudabile

1585. institutum, probarunt. Cardinalis Camensis, totius rei assiduus internuntius, cùm Papâ egit, ut meditatum facinus approbaret; Pontificem ea movère, jussitque scelus. Parrius adhuc Conscientiæ sollicitudine turbatus adhibuit in consilium, ad Satisfaciendum, Vattum Præsbyterum doctissimum, & Jacobum Creictonum, Ignatianum Scotici generis. Vattus disseruit non licere, salvâ fide, & Conscientiâ, ne religionis quidem causâ, manus qualiscunque Principis cæde contaminare; idque multis è Scripturis, Patribus, Consilijs, Testimonijs, confirmavit; ipsa Creictoni verba referam. *Deus*, inquit, *magis Adverbijs, quam Nominibus delectatur, magisque ei benè & legitimè factum, quàm bonum placet; proindè malum non perpetrandum, ut indè bonum proveniret.* Destitutum penè consilium Creictano instante, sed Morganus Anglus exsul callidè fovit, disseruitque ob ejusmodi terrores non differendum tàm laudabile propositum, ipsi gloriam, & Ecclesiæ incolumitatem allaturum. Igitur accepto Pontificis diplomate, & delictorum gratiâ, ex Galliâ in Angliam rediens, aditum ad Principem postulat, & dextræ regiæ contingendæ copiam nactus, Demonstratis exulum insidijs, ferro adoriri cogitavit; sed subeunte divinitùs cruenti consilij pœnitentiâ, vel humanitùs metu, exsequi destitit; & Nevillum, interposito ad stringendam fidem jurejurando, Societate sceleris obstrinxit; Is Sacramenti immemor, cuncta ejus dicta consiliaque ad Leicestrium detulit, statim corripitur reus, & quæstione habitâ, scelus in custodiâ fassus, in judicio quoque confessus, tractusque crate ad supplicium, more proditorum cruciatus est.

Multi viri nobiles mortui hoc anno sunt, inter quos præcipuus Henricus Percius, Northumbriæ Comes, acer & animosus, per virtutes claro apud vulgum rumore. Is ob acre ingenium, & suspicionem Throgmortonianæ Conjurationis, in arcem Londinensem sepositus, à Reginâ; nullis adhuc criminis manifestis probationibus, tribus globolis trajectus, clauso cubiculo mortuus repertus est. Postera die manifesta cædes, sed ambiguus percussor, miserante plebe tanquam per scelus interfectum, non sponte extinctum. Quæsitores recepto more adhibiri, perpensis testibus ac testimonijs, palàm pronunciarunt, Northumbrium eximiâ nobilitate, sibi ipsi voluntariam mortem conscivisse, ne clarissima familia, bonis hastæ subjectis, ad pudendam inopiam dilaberetur. Bromelius prætor, homo disertissimus, ut sinistros rumores vulgi averteret, in Camerâ Stellatâ graviter ac copiosè disseruit, Comitem scelerum suorum conscientiâ, ac metu gravioris supplicij cruciatum, ac convictum, in se suâ manu sævisse, ut reus non damnatus periret; nec deerant multi quibus causa non visa est, cur consciscenda mors voluntaria; commoveratque quosdam magnitudo exempli. Clintonus maris præfectus, Lincolniæ Comes, Franciscus Russelius Bedfordiæ, claritudine insignes, & ad munera reip: sublati, animam Numini placidè reddiderunt.

Inter quæ Batavi, rebus jam domi desperatis, post Aurasionensem Sublatum, consultant cujus patrocinium experirenrur, Franciscine Regis, an Reginæ Angliæ. Galli nuper proditores, ac propè hostes, interceptis insidiosè tot in Belgio urbibus, habebantur. Anglorum beneficijs & veteribus & recentibus obligati erant, hinc in Angliâ spes major. Censuere Fæderati Belgæ Legatos circâ Reges mittendos, qui non solùm tentarent animos eorum, sed suis quemque stimulis moverent ad bellum adversus Hispanos, perseverantes in bello injusto, & communes libertatis hostes, suscipiendum. At ea Francorum Regis æmulatio fuit, ut æquo animo Elisabetham tantas adipisci opes, tantamque potentiam non sineret; ac rursus Bætica arma horreat, & periculosam belli aleam subire non auderet; proindè nihil aliud quàm moram & dilationes quæsivit; ac responsum sinè effectu Legatis dedit. Igitur Batavi tentatâ frustrà jam indè ab initio belli spe pacis, nunc abjectâ spe auxilij à Franco, diuturnioris moræ impatientes, misère in Angliam amplissimos Oratores, fidem, obsequium, & pecunias pro facultatibus suis offerentes, ac patrocinium orantes. Elisabetha fidem Clientelarem servituti quum libertati propiorem aspernans, Liberos atque immunes esse jubens; diuque pensitans in consilio arcano, Sociorumne rebus extremis, an Regni sui tranquillitati consuleret. vicit communis utilitas, quæ societatis maximum vinculum est; quoniam utrique suas belli causas habuerunt, suaseruntque prudentes, & rei militaris periti, è rep: esse, bellum illud propè necessarium suscipere. Quare his conditionibus transegère, *ut Regina egregium belli Ducem, cum quinque millibus peditum, & mille equitibus, multisque armatis navibus ad opem ferendam Belgis mitteret; utque Vlißinga, arx Ramula, & Brila in potestate Reginæ essent, præsidiisque teneret, quo ad belli sumptus numerarent, quibus solutis deduceret indè præsidia, urbesque fiduciarias restitueret, receptis in Societatem, ac velut in fidem Belgis.* Legati demissi, quantum poterant gratijs agendis, Reginæ in Belgium merita, cæteraque beneficia Anglicæ humanitatis extulerunt. Bellum de hinc adversus Philippum, communi animo consilioque Belgæ & Angli terrâ marique magnâ contentatione gesserunt. Regina in memoriam revocans quantas simul duas res suscepisset, bellum Hispanicum, & Libertatem Belgicam, in curam hujus belli dies noctesque intenta, arma, milites, classem comparat: Franciscum Dracum navalibus, & Christophorum Carlilum terrestribus copijs præficit. Hi protinùs in Americam, ad vexandos rursùs Hispanos, navigare jussi, in medio cursu *Sancti Iacobi, & Sancti Dominicè* urbes ex improviso occupant, ac diripiunt; insulas victorijs peragrant; indè ad *Cartagenam* Continentis oppidum perventum est, quod sinè justâ oppugnatione capi non poterat; erat enim ibi, cum juventute barbarâ, Hispanicum præsidium. Carlilius terrâ, Dracus mari oppugnare violentius adorti sunt. Angli dato tubæ signo perfringunt aggeres, munimenta perrumpunt, urbem in suam potestatem redigunt, cunctaque

prædæ

prædæ militum cedunt. Postquàm animadverterunt, quantus agminis sui terror esset, *Nombre de Dios* urbem munitam pergere, obsidioneque circumdare agitant, sed grassante febre epidemicâ, ac magnâ multitudine militum vi morbi insoliti absumptâ, reliquâ labore, aut vulneribus confectâ, oppugnationis consilium abjecerunt, & omisso incæpto in Angliam plenissimis velis navigarunt. In reditu terræ Floridæ littus legentes, *Sancti Antonij* & *Sancta Helena* ignobilibus oppidulis ignem immiserant, & solo æquarunt. *Virginiam*, Coloniam in memoriam Elisabethæ virginis denominatam, classe explorarunt, & omnia humanitatis officia Colonis, ad extremum inopiæ adductis, præstiterunt. Cæterùm Hispaniam pluribus locis prædati, cadaveribus littora constraverunt; post reditum grates Numini pro benignitate fortunæ redduntur. 1585.

Exeunte anno, Leicestrius artis aulicæ quàm rei militaris peririor, maximam gloriam in maximo imperio reputans, quia princeps amicorum Reginæ erat, cæcâ imperandi aviditate, præesse cupit copijs ex fœdere in Belgium traijciendis, Vicarij nomine: at quanquàm inexpertus belli, nullâ militari famâ, tamen favore Principis, aut callidis laudantium inimicorum artibus, ad summum militiæ munus provectus est; ut eum procul ab aulâ, per speciem honoris, ablegarent; cuncti milites, & socij navales parere jussi. Tantâ tàmque liberâ potestate instructus, magnâque nobilium adolescentum catervâ stipatus, in Belgium trajecit; ubi apud Vlissingam obvium Philippum Sidnejum nepotem habuit, virtute animi, politissimâ doctrinâ prudentiâque insignem, qui omnium ora vultusque in se verterat. à Batavis consalutatus Imperator Leicestrius, promiscuo spectaculo omnes honores decreti, Statuæ, Emblemata, Arcus triumphales, & continui plausus, populi maximo & immoderato gaudio, ipse magnificus cultu vultuque ad præsentem fortunam comparato, per urbes, vicos, Munimenta incessit, at in prælijs & oppugnationibus nullum fortis viri specimen dedit.

Hoc anno cum Elisabetha pacatos Hibernos existimaret, Perotti institutis, prorupere rursùs in Conactiâ, avaritiâ, & crudelitate Ricardi Bringami tunc Præpositi; plures Dilectum in bellum Belgicum, Tributa & graviora onera Præsidentium non tolerantes, & miserantes commuoem Hiberniæ fortunam, audacius de bello consilia inire incipiunt. Hæc belli causa; Auctores fuere Thomas Meilerius, & Theobaldus à Burgo, vetere & illustri Anglorum familiâ orti, at diuturnitate temporis degeneres. Bingamus infidelitatem eorum sinè ullâ perfidiâ existimavit coërceri posse. Thomas ad juridicum conventum vocatus, venire abnuit; Præfectus dissimulationem pro remedio adhibuit; misitque electos homines, qui eos comprehenderent, priusquàm occulto odio in optimi cujusque fortunas erumperent; itaque Thomas, ne callidis Præfecti insidijs interciperetur, fortissimè pugnans occubuit. Meilerius & Theobaldus capti, ignominiosâ morte periere. Accensi cæteri tribules ignominiâ, & reputantes eundem casum ad ipsos recidere posse, hostilem animum induunt. Perottus Prorex certantibus auctoritatem interposuit, Scripsitque Bringamo, qui Conactiæ præerat, ut sinè bello tumultus componeret, & optimè meritæ familiæ consuleret. Sed tribules à Burgo de castro Berrio, non atrocitate Præsidis, non clementiâ Proregis mutabantur, quin bellum cogitarent, ac erumperunt in actum: quos accendebat Bingami vox in vulgus elata, familiam illam penitùs extinguendam. igitur adjunctis sibi Joijs & Claudonellis, circumjectas quoque gentes ad defectionem trahebant, & castella proxima occupabant. Præfectus citus cohortes contrahit, & sociales copias, subsidium adversus rebelles. Ipse & Comes Clau-Ricardus, familiæ de Burgo princeps, egregiâ in Anglos fide, munia militaria inter se partiti sunt, ut equestribus copijs Comes Vicis & Castellis proximis subveniret; Præfectus pedestribus vexaret rebelles. crebra hinc prælia in modum latrocinij per Saltus, per Sylvas, per paludes, pulsique in montes, & solitudines; Joannes Bingamus Præfecti frater, infinito labore suscepto vestigijs insecutus est, magnâ multitudine jumentorum, atque pecorum abactâ; plerique metu, ne rerum omnium inopiâ perirent, vastatis agris, incensis ædificijs, pecoribus abactis, misére ad Præsidem nuntios, veniam suppliciter orantes; memorantesque se ea facturos quæ imperaverit; spe consequendi oblata se dediderunt; Ille veniam petentibus dedit: ut Obsides accepit, Ricardum à Burgo, Thomæ fratrem, laqueo, suspendi jussit; Insuetâ re perculsi cæteri, denuò rebellionem cæptavére, ac diffidentes proprijs viribus, extremum Scotorum auxilium quæsivére, adversùs vim & injurias hostium, missis in Hebrides, quæ contrà eas regiones positæ sunt, Kittacho, & Iicleano à Burgo; magnasque spes & præmia militiæ ostentantibus, si citi advenenirent; extemplò pepigére, ut Æbudani partis in Conactiâ agris fruerentur; tum composito agmine, parvis itineribus per Provinciam incedunt, positisque castris ad Moinum fluvium vastant agros, pecora abigunt, castella diruunt. Postquam exploratores attulére tria Scotorum millia invasisse Conartiam, incensis vicis atque ædificijs, Præfectus Bingamus dispositis cohortibus ac lectis auxilijs, prælio experiri statuit. Scoti locum pugnæ delegere uliginosum, ut equestres hostium copias limo illigarent; concursumque acriter, & dubio eventu, donec in iniquiorem locum gentili impetu audentius progressos, vel simulatione fugæ, pertractos, dato signo repentè equites circumfunderent, turbarentque. multi cæsi, plures in flumine submersi, pauci ægrè sese receperunt. quâ pugnâ duo Filij Jacobi Mac-Conelli, Donellus, & Alexander, Duces eorum qui auxilio accersiti fuerant cecidére, multis adverso corpore vulneribus, ipsique tribules de Burgo auctores expeditionis. Fama victoriæ hujus pristinam pacem provinciæ restituit. Res Hibernicæ.

1585. In Belgio ante adventum Leicestrij & Anglici subsidij, Neomagenses, Bruxellenses & Mechlinenses victi præsenti metu, in deditionem concesserunt. benignè his usus est Parmensis, sperans Antverpianos quoque idem facturos, sed spes eum frustrata est, quoniam Inibellius Mantuanus, qui in civitate diu habitaverat, machinas summâ solertiâ struxit, ad perrumpendum pontem Scaldi impositum, navibus validis utrinque trabibus connexis, cymbas aliquot majores ardentes, quas solaras vocant, trullis ferreis cocatenatas, & conceptum ignem portantes, rectâ fronte adversum in flumen direxit, quæ improvisæ assiluere, faces evomuere, & firmitatem pontis concusserunt. multi clari Duces, Marchio Rijsbergius, Roblesius Lusitanus, nuper Frisiæ rector, Sigura Hispanus, legionis præpositus, aviditate navandæ operæ, & extinguendi ignis vitam amiserunt. multæ & atroces militum cædes, cum flammis torrerentur. ipse Parmensis & Marchio Guastius afflatu pulveris strati sunt. Ubi metus abscessit, Parmensis ad ultionem se accingit, & connexis repentè navibus pari inter se spatio pontem reparat, & obsidionem acrius urget. Intereà Mattiaci fabricatis navibus, lata alvo impositis expeditis Anglorum & Scotorum cohortibus, adjunctisque sibi Antverpianis, aggerem Cauvenstegnum, qui præsidio Iberorum tenebatur, magno impetu expugnant, trepidos ex præsidijs stationibusque milites deturbant, opere permuniunt, & perfodientes aggerem, navigationem suapræ naturâ difficilem intendunt. Parmensis haud procul indè, suos pudore & probris ad occupandum aggerem, & abolendam labem prioris ignominiæ, accendit; acerrimum ibi certamen, multâ utrinque strage. Angli Scotique obstinati inter se sustinuere quinquies redintegratum impetum, ac semper multo suorum cruore pulsi Iberi, aspectum ferre non potuerunt; cum Tribuni, Centurionesque fesso militi intolerando labore, irritas exhortationes adderent, ipse Parmensis ingenti animo desilit in aquam, ventre tenùs; monstratque viam oppugnationis, armis conspicuus; proximi sequuntur, deindè plures clamore & impetu aggregantur, modò pectore, modò pube tenùs exstantes, mutuo se hortantur, recuperare gloriam, Anglos Scotosque profligare; gradum inferunt, aggerem scandunt, cominùs acerrimè certant, hastis, telisque, Iberi pro victoriâ, Angli Scotique pro salute, & gentis gloriâ. prælium ambiguum, donec perculsi nautæ immixti propugnatoribus se ex aggere præcipitarent, diffugerentque ad naves, & obsessi milites multitudine hostium circumvenirentur. rum paulatim languere cæperunt, & cedere fortunæ, difficili receptu locis impeditis, tandem Iberi victoriam conclamant. Parmensis naves triginta cum ceterâ prædâ abduxit, in posterum usui. non prius indè movere, quàm receptâ urbe constituit. Urbs frequentissimâ multitudine civium incolarumque continenti obsidione clausa, ac exclusâ omni spe invehendi frumenti terrâ, flumineve, de deditione agendi per oratores initium fecit, diuque de conditionibus disceptatum: tandem famâ adversæ pugnæ, & inopiâ frumenti perculsa, cum paucorum dierum superessent alimenta tantæ multitudini inclusæ, haud iniquis Conditionibus in deditionem venit: urbs Regi, templa Romano cultui reddita. Martinus Scenkius, Belgicæ legionis Tribunus, occuparâ Bredâ, intercepto Neomago, & plurium urbium excidijs clarus, Parmensi imperatori suâ manu & armis militavit, ab eo non pro spe, meritisque suis cultus, ægrè id patitur, infensus Iberis ad Batavos deficit, bellumque ciet.

Res externæ.

Res Gallicæ.

Tali rerum Statu in Belgio, in Franciâ discordia inter Proceres, potentia penes Jousam, & Espernonium aulæ primores, auctoritas & gratia plebis penes Guisios Fratres, impatientes pacis & otij; indè causæ irarum, malè dissimulata inter eos iracundia, quamvis vultu premeretur. Guisius Lotharingicâ familiâ ortus, à Carolo Magno Lotharingi originem trahens, indè spem fortunæ incipit habere, & proximam Successionem Regni Gallici sibi tacitè polliceri, nullâ Sobole masculâ Valesiæ domus superstite; Navarro & Condæo, Romanæ sedis hostibus, damnatis, vulgi ore celebratur Stirps regia quantæcunque fortunæ capax, recentia & vetera fortia facta. Ipse militum ac populi Studijs clarus, occultato interim regni consilio, Philippi amicitiam, salutem, & Securitatem Romanæ Ecclesiæ, Studiumque Sancti Fœderis prætendit. interitu Brabantini Ducis coalita audacia, meditatum facinus non ultrà differt, captatque propalam civilis belli occasiones, subruendo duas firmissimas regni columnas, auctoritatem Regis, & benevolentiam popularium. Hunc authorem rerum novandarum sequebantur Cardinalis Burbonius, & Antistites, longè plurima Nobilitatis multitudo, Rectores provinciarum, & Præfecti regni. Hi tubæ signo silentio facto, per Præconem Peronæ pronuntiant, *se bono Romanæ Ecclesiæ adesse; Pontifici maximo humani generis parenti sua sacra jura reddere, quæ pro libidine agant, ferantque Protestantes: se Collationibus, Tributis, Vectigalibus, & indignâ servitute afflictos populares levandos suscepisse; omnes sub ditione Regis civitates liberas atque immunes esse jubere, non pro libidine & impotentia fautorum premi; seque si necesse sit, pro Romanæ Ecclesiæ salute, dignitateque, pro Nobilitatis splendore, pro Plebis libertate, sanguinem profundere paratum.* Iteratâ deinde pronunciatione præconis, *memorant fidem & obsequium, nullumque sibi bellum adversus Regem, si inducat in animum majorum religionem promovere; Protestantium vires, negligentiâ coalitas, quibus posset modis comprimere; Lothoringicam familiam suâ dignatione non fraudare; Iura, leges, Instituta, quibus Regnum fundatum est, colere.* His auditis, nobilissimæ atque opulentissimæ Franciæ urbes Fœderi subscribunt, viros armaque ministrant. Guisius è proximis pagis juventutem armis onerat, frenatos equos dispertit, & signa quædam detracta templis in prælium ferre jubet. strepunt cuncta armis, & exhortatione mutuâ,

Rex

1585. *Injectus terror Regi de Guisij actu.*

Rex circumstante undique à suis repentino belli tumultu attonitus, pavensque non manu & armis, sed Edictis Epistolisque militat, & Delectus per provincias habitos prohibet, vix auctoritas inerat, ad prohibendum. Mater, Guisiorum favore imbuta, & invidiâ in Primores aulæ, super præsentia mala, & belli concurrentis minas falsos rumores adjecerat, non Guisium Ducem ejus belli, sed Pontificem, Philippum, Cæsarem Germanicum; validissimas ditissimasque civitates; concitas specie sanctissimæ causæ, cæteras tracturas; unde suspicio, Irâ, invidiâque Matris excitatum bellum, quod Rex insitâ ignaviâ aluit, egitque de ponendis per honestas conditiones armis. Intumuêre statim superbiâ Fœderati: bellum adversus Protestantes decerni, & stipendium militi postularunt; flagitatum, ut Navarrus, & Condæus, Regij sanguinis Principes, contrà Jus fasque spe successionis excluderentur. Rex invitus cogi se passus est, & sumpta adversus Protestantes arma vario eventu, unicum præsentis Tumultus remedium. Fœderati socordiâ Regis, & vitio temporum licentiam nacti, nihil sibi non arrogant, Regiam Majestatem apud animos popularium convicijs ac probris infamant, nefanda stupra, adulteria, fœminarum cœtus, & perditum luxum Aulicorum exagitant, ac alia hujusmodi contrà Jus fasque. Guisius, quem dominationis spes haud ambigua hortabatur, suspensos Procerum animos varijs artibus stimulat, ostendit esse in Hispaniâ Philippum, in Germaniâ Rudolphum Cæsarem, sui Consilij participes; sollicitat Parisienses, cæterasque Galliæ civitates; Plebem pretio & promissis allicit; Primores militum beneficijs. Rex prudens dissimulandi, instantes insidias, & domesticum hostem evasit, ac distulit tot graves offensas in occasionem ultionis. Navarrus sentiens sibi perniciem quæri, ditionis suæ urbes fidissimo milite firmat, in armis suam salutem positam arbitratur, Guisium regni æmumulum in certamen æquo marte descendere, provocat. respondet Guisius, intrepidè compositis castris congressurum, id Imperatoribus honestius. Hinc totâ Franciâ sparsa militum castra, quædam ignobilia oppida utrinque capta, plura dolis & promissis tentata. Condæi copiæ fœdâ fugâ dispersæ, fuit ipsi asfugium in Angliam; indè Cædis & Prædarum initium. Gallia suis viribus attrita, & multis cladibus afflicta, prudentioribus mala temporum dolori erant, mærebantque. Sixtus quintus Pontifex, qui certamina Procerum componere debuit, fastu inflatus, instigator belli acerrimus fuit. Is Navarrum & Condæum, quod de religione Romanâ, & Pontificis absolutâ potestate malè opinarentur, impiâ hæresi laborare pronunciavit; ac Solio regio vacuo, possessione regni depellendos censuit, diligendumque virum Catholicum Solio insidendo. Senatus Parisiensis Diploma damnavit, quod Gallicum Sceptrum Romanæ Sedi subjiceret, in re profanâ civilique. commotus Diplomate Navarrus respondet, eam causam merè civilem esse, non Pontificiæ cognitionis, Jurisdictionisque, & regni Jura copiosè tutatus est. Primores gentis ægrè tolerarunt temeritatem Romani Pontificis, Jus Regni Franciæ convellentis, quod sine exitio convellere nunquam tentarunt. Eodem tempore Francus, ut se à contemptu vindicaret, & vilescenti Majestati pristinam dignitatem conciliaret, intempestiva, & malo minora remedia adhibuit: Disciplinam aulicam, superiorum temporum licentiâ corruptam, restituit; & majorem cultum in se adeundo observari voluit. Quoniam Guisij dominatio, atque arma Fœderatorum magnum terrorem injiciebant, præsentis atque urgentis periculi causâ, rixas in Regis hospitio prohibuit, ne qua daretur armorum causa; Guisium honorificè appellando, civitates largiendo, facile in officio continuit Præfecturas: dona, liberalitates, gratias, præmia ad moderationem reduxit. Jousæ & Espernonio ministris, & satellitibus cupiditatum aditum sine licentiâ permisit. Plerisque novos homines non solum Principibus viris æquari, sed etiam anteferri, indignantibus, hanc ob causam Guisius adversus eos implacabile odium conceperat, quod posteà in publicum exitium erupit.



RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO,

LIBER QVARTVS.

1586. OC anno Rex Jacobum Stuartum, nuper Araniæ Comitem, edicto relegavit, & ex patriâ ejecit, maximâ acclamatione plebis, & secundis admurmurationibus cunctı Senatus: Ille paruit imperio, & in solitudines secessit, ubi in summis & fortunæ & vitæ sordibus delituit, qui paulò ante profusas epulas, ac magnificentiam amavit; inimici squalore ejus & sordibus lætantur, expiatoque suo dolore destiterunt insequi, quia sola spes hominum in miserijs suis consolari potuit, uxori, perditæ fœminæ, datus reditus in sua prædia, ad suos Lares familiares. Hoc tempore tabula Presbyteriorum ab Alexandro Hajo Scriniorum magistro confecta, Edinburgi in conventu Ecclesiastico exhibita est; mox Synodus per procuratores suos à Rege postulat, petitque ut authoritatem Presbiteriorum ratam haberet: qui respondit, quod postularent concedendum non esse, nisi Præsules Presbiteria in suis ditionibus moderarentur; & ea facerent Presbiteri quæ imperarent Antistites; atque Synodum scire voluit, se de ipsis Presbiterijs nihil decernere velle, nisi quod Episcopi civitatum æquum atque bonum judicarent. Tandem post longam altercationem convenit, ut Episcopi presbitenjs ubique præessent, ita tamen ut in Fano Andreæ Robertus Villichius Episcopi vice fungeretur; Melvini furor prævaluit, ut hoc sibi concederetur, qui cum Archiepiscopo Fani reguli de vitâ fortunisque contendere cæpit, in eum & reliquos Scotorum Episcopos iram vertit, & machinas omnes ad eos subvertendos admovet, fretus Villichij privilegio, quo à Jurisdictione Archiepiscopi exemptus erat, ut rebatur: Archiepiscopo denuntiat, ut se Presbiteriorum judicio subjiceret, gravibus additis minis, ni pareat: quam comminationem ille contempsit, & nihil de superioris vitæ consuetudine remisit: itaque Ecclesiæ Ministri ei sacris interdicunt. Jam Adamsonus, Fani Andreæ Archiepiscopus, à Melvinis fratribus contumaciter inurbanéque vexatus, ad hoc, cætu fidelium submotus, & absens inauditusque Sacris interdictus, palàm testificatus est, neque more, neque vetustis Ecclesiæ institutis, id fieri: hinc Præsul, ut Ministri intelligerent, quàm parum, in causâ injustâ, inferioris ordinis imprecationibus moveretur, illos diris execrationibus ferit; quia eorum eò crevit insolentia, ut non contenti suâ functione, Præsulum munia ad se traherent. prior excommunicationis sententia, velut vana, omnium ferè sententijs damnata, quia par in parem non habet jurisdictionem, aut imperium, multò minùs inferior in superiorem. Cæterùm Archiepiscopus, pari excessu audaciæ & furoris, à Lindesio & quibusdam Fifæ Conarchis incitatus, verberibus & fustibus malè mulctatus est; Melvinis facinus probantibus, ac juvantibus. Repentè magnâ quærimoniâ, ad Regem res defertur; isque Episcoporum causam suscepit, & antiquissimam se habiturum dixit, ob studium divini honoris, & Ecclesiasticæ dignitatis; percussores, ob scelus; Melvinos Ministros, ob impotentiam & immoderatam licentiam, evocavit ad causam dicendam; qui ad veterem cantilenam revoluti, negant Regiæ cognitionis rem, sed Ecclesiastici Juris esse, non obstante recenti Ordinum Decreto, Principis imperio omnes sine discrimine subjiciente; ac in tàm validâ Ecclesiæ concussione connivere nititur adversùs impetus sævi turbinis, concitati æstu humanæ superbiæ; & exortas tempestates consilio magis, quàm impetu deliberat discutere. Igitur contractis Edinburgum in Synodo generali Ministris, Rex commemorat in Archiepiscopum novi exempli decretum; superbiâ, execrabilique odio partium, ruinam Ecclesiæ imminere; hortaturque Præsulum auctoritatem agnoscere. Illi contentione animi pervicaces perseverant, in Jure sacro nullam superiorem agnoscere auctoritatem, præter Numinis. Rex in cætu Procerum Patrumque, rem ad disceptationem juris apud æquos Judices vocabat, ac Episcoporum munus, Jure, legibus, vetustis Ecclesiæ institutis, ac publico Ordinum decreto approbatum, contendebat. Illi eorum munus ullum aut usum in Ecclesiâ esse, inficias ibant; remque ad peculiarem Synodi cognitionem pertinere affirmabant; summum esse in generali Synodo imperium, summumque consilium. Magnæ utrinque rationes jactabantur, cognitores dati ad dirimendam controversiam inter Præsules & Ministros, metu injecto, definire non audebant. Archiepiscopus cum in formidine & periculo Regem, ac Jurisdictionem Ecclesiasticam labefactari, convellique apertè videret, humiliter demissus se Synodo submisit; ibi Moderator, qui summam

Tabula presbyteriorum confecta.

summam inter eos habet auctoritatem, in hanc ferè sententiam alloquitur, *si se divinitùs institutum ad pascendum plebem agnosceret; si Iurisdictionem, aut dominatum in Ecclesiâ sibi posteà non arrogaret; si Curâ, diligentiâ, moderatione, dignitatem retineret; si Synodi decretis Iudicijsque, sinè provocatione, pareret; Spem absolutionis esse.* Ille congruentia tempori præfatus, prece degenere, non sinè infamiâ, iniquissimis conditionibus subscripsit; & suffragio Cleri, in Ecclesiæ gremium receptus est, qui præcipitantem Ecclesiam pro virili parte sustentavit, dignitatem Ordinis, & ad ea quæ sui muneris erant, publicè & privatim obeunda se comparavit. Fuit hoc tempore incredibilis Ministrorum auctoritas, nullisque Reipub: temporibus eorum disciplina firmior atque fortior fuit. Itaque Rex insitâ naturæ lenitate, ac prudente moderatione multa tacuit, multa pertulit, multa concessit. 1586.

Res Hybernicæ.

Inter hæc, cædes indignissimæ, maximæque factæ sunt. Insulanorum duces Macovelius ac Maclenius, paulo antè memorati, cùm penè pari fortunâ & dignitate essent, nec alter alteri cedere vellet, ob æmulationem infesti; subdolâ Concordiâ egêre; mox Macovelius, ut solus Insulanorum potiretur imperio, virtutibus Maclenij tacitè infensus, astu aggreditur propinquam Insulam Ilam; & ejus domum non invitatus adit; incomptis epulis sinè condimentis, sed largo apparatu excipitur, commessationibus & potationibus effusius indulgent, dies noctesque continuant potando; cum omnia alimenta defecerunt, Macovelius abiens poposcit fictâ modestiâ parem humanitatem Convictus & officij, reconciliandæ invicem gratiæ. Maclenius suspiciones æmulationis causatus, ire abnuit ille datis nobilissimis ex familiâ obsidibus, fratre & filio, metum adimit; accepit eos Maclenius, petijtque ultrò Kinteram, modico comitatu quadraginta quinque Comitum, assumpto Obside puero, ut efficacius obligaret animum patris. Ibi magnâ munificentiâ excipitur, trahiturque in multam noctem lætitia. Hanc occasionem nactus Macovelius, non ira & impetu, sed dolo hospitem inermem ut inimicum capitalem trucidare pergit, dilato in silentium noctis consilio. Maclenium ad potionem nocturnam invitat; ille tempus intempestivum affirmat; tùm minaciter fremit inter gladios & lanceas. Maclenius cum sciret fremitu sibi insidias parari, & unam in audaciâ spem salutis cerneret, subsidium ab audaciâ mutuatur; puerum obsidem humerit impositum, patris gladio objicit, dum concutiunt gladios, fremensque puer avunculi vitam deprecatur; prævaluere nepotis preces, quo minùs gravissimum scelus patraretur; custodes tantùm adhibiti, ut asservarent; Domestici ministri metu torpentes comprehensi; duo, quibus primus apud herum locus, requisiti ad supplicium, cum latebris sibi consulerent, clausi intrà domum vivi cremati sunt. in reliquos similem perfidiam, impietatem, & feritatem exercuit, per intervalla temporum quasi animi causâ trucidavit, & Maclenius supplicijs eorum spectatorem interesse cogit. Macovelius intestinis externisque flagitijs infamis, non tantum jussit cœdes, sed spectavit avidè laniatus & ictus. Comitum strage peractâ, una victima manebat, Maclenius squalore & illunie obsitus, ac supplicio destinatus; at Numine plectente barbaram Sanguinis sitim in apparatu supplicij. Macovelius lapsu equi postratus crus fregit, subitæ rei miraculo attoniti Clientes. Hæc causa differendæ cædis, quam sinè dilatione poscebat, & hic casus salutem periclitanti attulit. Eodem propè momento rumor Sævitiæ ad Argathelium promanat, qui periculo Maclenij anxius, Regem certiorem facit. missus Fecialis, ut portum Kinteræ attigit, præsentiam Macovelij poposcit, & mandata Regis exposuit, ut tradito Argathelio Maclenio, veniret dilueretque infamiam Criminis. Ille insidiatum sibi Maclenium, non secura convivia, respondit, & præventum insidiatorem. Suspecta fraus erat; mox lenius rescriptum, si dolus abesset, posse eum innocentiæ causæ confidere. Eas literas Argathelius & serias exhortationes Kinteram misit cum Clientibus, quibus Maclenius traderetur. Macovelius etsi auxius flagitia secum reputans, tamen Argathelium vindicem metuens, si sperneret auctoritatem, captivum demisit, præter spem suam fælicitate quâdam. Maclenius præsenti periculo liberatus, Ilam redit, mox Kinteram regressus, insidiatus est hosti salutis suæ, compulitque in castellum munitum; nec minore malignitate Sævitiaque in Clientes ejus, Comitum interfectores, grassatus est; agros ferro flammâque latè vastavit, cunctis calamitatibus miseram plebem vexavit, perfringi crura pecorum jussit. Utinàm ista sævitia inter Insulanos mansisset, nec in nostros mores, iræ impotentiâ, transisset; non minus acriter Cuningamij in Montgomerios exercuerunt iram. Hugo Montgomerius Eglingtoniæ Comes decorâ proceritate, & viribus corporis insignis, familiæ suæ, & Scoticæ juventutis eâ ætate princeps; modico comitatu, ac inermi, Sterlinum versùs iter ingressus, securus ab insidijs inimicorum; sed Glencarniæ Comitis Frater Robert Laudius, Aikettus, Comarchi, & complures, Cuningamij iræ furore abrepti, privatam injuriam, excidio ipsius, ulcisci destinant, ac compositis insidijs vetus odium innocui Comitis Sanguine explent. Facinore audito plebs miserabiliter indoluit, ob corpus insigne, & altam indolem. Comitis per Scelus interfecti filius adhuc impuber, ad Robertum Montgomerium patruum confugit, apud quem educatus erat. Is nobilissimam familiam propè ad interitum redactam, virtute animi aliquandiu sustentavit; Interfectores in jus vocati, cùm cædis dolo factæ manifestè tenerentur, solum vertetunt.

Robert

1586. Robert Laudius in Daniam fæliciter secessit; cui posteà, precibus Annæ Reginæ, criminis abolitio facta est. Interim Regina crebris literis ac legatione Thomæ Rundolphi fœdus paulò antè memoratum arctioribus vinculis sanciri flagitat. Mætellanus ab epistolis promptus, & callidus temporum observator, Regem monet, instare amplam occasionem perferendi desideria ad Reginam, ut Tributum annuum cautione & instrumento publico confirmaret, hæredem regni Anglici omnium Ordinum decreto statueret, si nulli liberi nascerentur, atque hæc tabulis fœderis adjiceret. Rescripsit Regina in hanc ferè sententiam, salutem ejus, emolumentum, & regni tranquillitatem sibi semper curæ fuisse, foreque si justas offensionis causas non præberet, aut legittimum regnandi tempus prævenire non tentaret, neque quicquam adhuc fecisse, aut posteà facturam, quod jus legittimum in regnum Angliæ impediret. Musicam etiam juvenili ætate dedicisse, at hujusmodi instrumentum perpetuandæ discordiæ, quàm Harmoniæ Musicæ aptius, ad hunc usque diem penitùs ignorasse. Ad hæc, consultius utriusque majestate, in re tali, bonâ fidei-sponsione, & nudâ pactione, quam chirographo sigillo, aut stricti juris formulis cavere: neque in animum inducere potuisse, quin hæc diffidentia ab alijs, quàm ab eo profecta sit. Deindè ijsdem literis Mætellanum, ut tyronem in republicâ acriter perstringit, & se bonæ fidei Principem universo orbi profitetur; fœdus Anglicum palàm approbatum, vehementer renitente Gallico oratore, frustraque intendente minas ac metum. Mox delegati ab Anglâ ad fœdus faciendum, controversias de finibus & latrocinijs dirimendas, & discordias finiendas, Eduardus Rutlandiæ Comes, eximiâ nobilitate ac doctrinâ, Baro Eureus, & Tomas Randolphus, toties memoratus, Scaccarij Camerarius, comitatu magnificentiæ ostentatione visendo: ab Jacobo Franciscus Bothueliæ Comes, Robertus Bodius Baro, & Jacobus Humius Coldinnovesius equestris ordinis, Edinburgensis arci præfectus. Bervici ad Tuedam conventum, omniaque placidè transacta, Fœdus sociale pro conservandâ verâ & Evangelicâ religione initum, & arctius mutui fœderis vinculum adjectum, datâ ac acceptâ ultrò citroque fide, eosdem amicos inimicosque habituros, non obstante quamvis fœderum necessitudine priùs initâ, vel in posterum ineundâ. Item conventum uti adversus exteros, si qui hostili animo belli faciendi causâ, in Britanniam descenderent, utrique alteri auxilia mitterent, & ne alter alterius hostem aut transfugam ad se receptaret. Hâc societate multum fœderi Gallico detractum, & securitati Anglorum adversùs hostilem Hispanorum impetum tempestivè consultum. Ex in Anhibaldus Duglasius Uhittingamius absens antè in reos relatus, nunc ab exilio reversus in patriam, in maximo infamiæ suæ ardore, funesti parridicij conscius, aut particeps in facinore patrando postulatur, accusante Gulielmo Stuarto O Kiltrio Aranij Fratre. Ad diem dictum reus magno amicorum præsidio in prætorium Edinburgenum ascendit, ubi citantur quæsitores magnâ ex parte ipsius amici, abolitione impetratâ pro criminis conscientiâ pronuntiant, se non videre cur patrati condemnent; ita cunctis assentientibus absolutus est, majore decernentium moderatione, quàm severitate. Nos in hoc casu ancipites judiciorum motus contemplemur, quoniàm quæ innocentiæ tribui nequierat absolutio, Graij potentiæ, penè legibus æquæ, ac Randolphi Anglici legati gratiæ tributa est. deerat in hâc quæstione Aranij Accusatoris violentia, nec tam vehementes judices adversùs reum, quàm illi in Mortonij judicio, cum causam parricidij diceret; & validiora defensionis præsidia facundia modesta & sobria, ingenium acre: facinoris conscientiam, quam inficiari reus non potuit, abolitione vitavit, sed non facti infamiam. Absolutoriæ sententiæ ut nemo contraire ausus est, ita dissonæ vulgi voces audiebantur, gravius meritum proclamantis, & pro magnitudine delicti ultionem statui par fuisse.

Lepidè jocatur in Mætellani instrumentum publicum.

Fœdus religiosum.

Per idem tempus Maxvallij & Johnstonij, manente odio, in regni finibus tumultuantur, multis invicem damnis. occasione discordiæ hujus & civilium armorum, vel prædæ cupidine ac impotentiâ, Armastrangi, velut permissâ populatione, passim raptibus, & latrocinijs vagantur, fortunas agricolarum impunè agentes ferentesque, non agris & vicis infesti modò latrocinijs erant, sed crescente per impunitatem audaciâ, urbanis civibus insidias struebant, si negotiandi, vel oblectamenri gratiâ iter facerent. Inprimis tuendæ pacis à furtis ac latrocinijs seditionumque licentiâ, Rex curam habuit. Ademptâ Maxvallio, ob superbiam, contumaciam, & asserendi cultum Romani Pontificis ardorem, contrà leges ritusque patrios, finium regundorum potestate, eam cùm vicariâ auctoritate, Archibaldo Duglasio Angusiæ Comiri, Juris & æqui unico cultori, ex Consilij decreto demandavit; qui militaribus præsidijs Septus, cum Summâ æquitate jus dicebat; latronum audaciam Carnifice & laqueo coërcebat; solo terrore Duglasij nominis imperata facere cogebat; Johnstonios, & Maxvallios, animosos & fortes viros, à discordijs avocare conabatur, sed nullus alius discordiarum exitus esse potuit, nisi aut universus interitus, aut victoris dominatus. Summi labores magnâ compensati gloriâ ad posteritatis memoriam.

Res Anglicæ.

Cum jam pax cum summo utriusque Regni commodo confecta in perpetuum videretur, turbulentissima tempestas exorta est; conspiraverant enim ad res novas in Angliâ Savagius, & Babingtonius, assumptis compluribus Socijs nobilissimis adolescentibus, Eduardo Vinsorio, Baronis Fratre, Thomâ Salisburio, Carrolo Filneio, Chidioco Tichburno, Eduardo, Abinglono, Roberto Gagæo, Joanne Traverso, Joanne Charnoco, ad hoc Barnevello, nobili Hiberniæ familiâ orto, præterea

præterea ex inferiore ordine, Joanne Jonesio, & Henrico Duno; Hujus conjurationis extimulatores accerrimi Ballardus Sacrificulus Romanus, & Pollius Valsingamij emissarius, qui omnia quæ audierat, conjectaveratque, enunciavit. Populares sceleris consilio communicato, & juramento præstito, quo inter se magis fidi forent, parabant externa auxilia quærere, Elisabetham per scelus interficere, Scotorum Reginam eripere ex custodia. His amicis socijsque ex æquo adversarum secundarumque rerum confisus Babingtonius, mittit literas ad Scotam de serie Conjurationis, postulatque uti proponeret, quæ merces liberatoribus, qui se tantis periculis objicerent; quæ præmia posteris, si in conatu interirent; postremò quid domi auxilij, aut spei foris haberet: Paulo post Regina amplissima præmia literis pollicetur, jubetque Babingtonium de promissis servandis fidem cæteris interponere; ostendit fidissimos domi cultores, Arundelium & fratres, Northumbriumque supremi ordinis, foris Pagetum, agnatos Guisios, Francorum & Hispanorum Reges, adversus tantas vires imparatam Angliam; denique liberandi formam præscribit, ut vel oblectationis gratiâ in campis obequitantem de improviso interciperent; aut incensis stabulis, per tumultum dilabentibus custodibus ad restinguendum incendium, incustoditam eriperent: Voluntate Reginæ exploratâ, Conjuratos convocat, in quibus plurimum audaciæ inerat, & digna præmia Conjurationis edocet. Igitur dato jurejurando ab omnibus qui aderant, jam promptius inter se munia partiuntur; Babingtonus, Barnvellus, Charnocus, & Sanagius, dubitantibus cæteris, de tempore ac loco cædis cogitant: Salisburius, Tilvejus, Tuhburnus in liberandâ Scotâ strenuam operam pollicentur, & si res poscat, prompta arma; sed abnuunt se cæde Principis cruentare. Interim cunctantibus prolatantibusque consilium cædis, Giffardus quidam sacerdos Romanensis, Principibus conjurationis notus, quod in Galliâ cùm exulibus negotiatus erat, datâ fide socius adscitus est, factusque totius rei inter Babingtonum, & Scotam, internuncius, sive facinoris pertæsus, sive præmia perfidiæ secùm reputans, Valsingamio, (cujus consilio Elisabetha plurimùm utebatur) Conjurationem aperit, nominat Socios; præterea, quo major fides dictis in esset, alternas epistolas Babingtonij & Scotorum Reginæ, seu veras, seu confictas tradit, ac deinceps operam suam promittit. Valsingamius ubi intelligit ex nuncio, & literis, quantum periculum immineret, quia non erat salus Principis periclitanda, neque ab insidijs collocatis privatis consilijs diutius tueri poterat, rem ad Reginam refert. Detectâ Conjuratione illa antipiti malo perterrita, domestico & externo, extemplò dimittit qui Conjuratores comprehenderent, datque negotium magistratibus urbanis. Ballardus in Galliam proficisci parans opprimitur, Babingtonio majore impetu, quàm consilio, metu inditij, placuit maturare cædem, & domi suæ Reginam confoderé; Sanagio atque Charnoco, demandato negotio: sed dispositis bonorum & fortium virorum præsidijs, curiâ prohibiti sunt. Hinc furibundus, & multa secum voluens, arreptis suspicionibus patefactam Conjurationem, cum Charnoco, Barnvello, atque Duno, mutato cultu habituque ex urbe profugit, per avia saltuum, & Sylvarum latebras, se occultans. Hæc ubi Londini comperta sunt, senatus perduelles nominatim judicat, Tilvejus è præcipuâ cohorte satellitum, Tichburnus, alijque ex Conjuratione sive morâ in urbe capti. Salisburius paulò antè digressus, & Traversus in agro Lestrensi, Jonesius in Cambriâ, Babingtonius & Socij fugæ turpi latebrâ extracti, summâ plebis lætitiâ de Confessis, aut convictis judicio, more proditorum supplicium sumptum, non sine rumore crudelitatis. Septem abscissis genitalibus vivi exenterati, membra, artus, viscera, tracta & lacerata. postero die cùm septem reliquis, mitius actum, & minore cruciatu periere. Giffardus & Pollius veniam & impunitatem tulêre: ita quatuordecim perditorum hominum pænâ Regina conservata. Eodem tempore Scotorum Regina huc illuc, per speciem honoris, à novis custodibus raptata, per domos Procerum, rura quoque & proxima oppida. Naus & Curlus ab epistolis, & Principes servorum, ad quæstionem in caput dominæ abrepti; pari sævitiâ violentiâque, direpta pecunia, arculæ muliebres pervectæ in Curiam, & in præsentiâ Elisabethæ excussæ. In ijs inerant literæ ultrò citroque ad exteros missæ; Commentarij, & Judices Caracterum, & notularum locupletissimi. Hæ literæ fidem Anglæ suspicionibus fecerunt. Elisabetha, hinc Babingtonij & Sociorum conjuratione domi initâ, indè belli ab exteris imminentis metu territa, apud Senatum disseruit, quomodò Scota, injectâ spe haud dubiâ dominationis à Papanis, in perniciem suam incumberet; ostentatque exitium nisi tempestivè præverterent. Ibi aliquandiu diversis sententijs certatum est; æquiores rerum æstimatores erant, qui nihil gravius in Scotorum Augustam, conscientiâ, tantum cogitati criminis illigatam, Statuendum censerent; præsertim cùm valitudine adeò infirmâ esset, ut nulla spes diuturnæ vitæ humanitus esse posset. Plures, receptæ Religionis cultum, Principis securitatem, regni salutem, civium commodum præferentes, suaserunt, ne cunctaretur Mariam morte afficere, cum præter cædem & Sanguinem nihil tutum occurreret. huic tristiori Sententiæ assensum est. Ambigenti adhuc Elisabethæ ne delata mors perniciem; palàm jussa, atrocem invidiam apud vicinos Reges afferret, consuluit literis Leicestrius, veneno grassari, ad occultandum facinus; ejus opinioni vehementer ab omnibus reclamatum est: erat enim iniqua & nova. hâc controversiâ, usque ad noctem productâ, senatus est dimissus, Cæcilium occultius, Valsingamium apertius, optimæ Principis cædem festinavisse manifestum est. Proxima deliberatio fuit quâ lege ageretur? orta iterùm sine acerbitate dissentio;

1586. cùm alij vetere lege Majestatis, Eduardi tertij; Alij novissimâ XXVII. Elisabethæ, agendum censerent; in posteriorem sententiam multis partibus plures iverunt, Igitur Elisabetha viginti quatuor aut plures ex Concilio, & Cætu Procerum electos, publico diplomate adhibuit, ut lege XXVII. anno regni latâ de perduellione, Scotorum Reginæ inquirerent, ac cognoscerent; Bromelium, Cancellarium, Cæcilium Quæstorem ærarij, Valsingamium ab epistolis huic disquisitioni præfecit. Cum dies venit, Proceres ad earum rerum cognitionem adhibiti, Lotheringamiæ, ubi Regina asservabatur, mense Octobri, frequentes aderant; ibi tùm omnes quid faciendum esset, in re tantâ consultabant. Itaque postridiè recitatæ sunt literæ Reginæ Elisabethæ ad Scotam, quibus causam perduellionis dicendam proponit, crimenque Majestatis delatum diluendum. Maria, in repentino atque in opinato discrimine placida quietaque constantia queritur, pluribus modis se petitam, veneno, sicarijs, insidijs, cum associatio in suam perniciem iniretur, & mox lex sanguinaria sanciretur; edocet post intentam in se vim legis, imminentes has procellas prospexisse, ac in posterum omnis domesticæ seditionis infamiam, aut externi belli periculum subeundum. Deindè respondet literis, rem novam, acerbam, inauditam, plenam opprobrij, ac dedecoris, Reginam solutam legibus, capitis ream tribunali sisti; protestaturque se inopinantem vocatam ad causam Majestatis dicendam, apud eosdem Accusatores & Judices, diu antè ad accusandum præmeditatos; sinè Advocatis, sinè patronis, sinè commentarijs, ac omnibus reorum auxilijs; non agnoscere superiorem præter Deum; nec Elisabetham judicem causam dicere, tanquàm judicem, quæ jus ullum vitæ & necis haberet, cum par in parem non exerceat Jurisdictionem, aut imperium; nec velle supremi honoris sacrosanctam majestatem, in humilitatem causam capitalem dicentium, in fraudem Filij, & omnium Regum, summittere. Tandem oravit Proceres ut pro suâ Majorumque dignitate, famâ apud exteros, tranquillitati publicæ ac honori ejus quæ accusaretur, Consulerent; Ego, inquit *si quod scelus impiè in Reginam ejusdem Sextus, Ordinis, Stirpis; si quod flagitium nefariè in salutem regni admisi, nullum supplicium deprecor, neque recuso; Innocens si accusata sim, ne calumnijs inimicorum conflagrem, cum Criminibus non possem, precor.* Postquàm dicendi finem fecit, rogavit Eduardum Barkerum, Notarium publicum adhibitum ad excipiendum Acta, ut protestatio interposita publicis testata monumentis esset; hæc Acta cujus diei. Postero ad eam venerunt paulettus & Berkerus protestationem sincerè scriptis mandatam, & delegatis judicibus pari fide relatam ostendentes, postulaveruntque an in eâ persisteret? se perseveratioram, respondet. A meridie ejus diei electi & delegati ad criminis cognitionem præparatâ & meditatâ Oratione accesserunt; Ibi Prætor Quæstorque Auctoritatem ex diplomate perlecto dilucidè exposuerunt, nec regij fastigij titulum, nec regni administrandi potestatem, jam pridem Ordinum decreto ademptam, eam posse Judicio aut pœnâ eximere; monueruntque ut audiret objecta, dissolveretque, neu umbrâ magni nominis sceleri perfugium quæreret; quod si contumaciter in appellatione interpositâ perseveraret, de absente tanquàm præsente judicare inreminati sunt. Respondet Regina, Majestatis memor, *regni ejurationem vi & metu extortam; ac administrationis potestatem violento Procerum judicio ademptam; proindè statum conditionem non factam deteriorem; nec adeò viluisse nomen Regium, ut se miseram ac calamitosam à summo fastigio rerum mortalium ad infimum gradum detrahi patiatur, & Indicum sententijs in re atrocissimâ permittat. Postremò Privilegio Regio, aut spatio ad deliberandum frustrà sæpius implorato, rem tantam paucorum Procerum arbitriam non committendam; sed ad universi populi, in publico Ordinum conventu cognitionem pertinere disseruit; rogavitque ut quâ Causa in Iudicium deducta sit, & quâ formula procedendi, exponerent.* Respondet Prætor, Crimen Majestatis esse adversus Regnum, Reginam, & Religionem Angliæ commissum, formulam esse Juris Municipalis, ex auctoritate regij diplomatis, & decreto publico in Conventu Ordinum frequentissimo XXVII Elizabethæ. Illa, *Civilibus ac Canonicis legibus Ius teneri affirmavit; se ignaram legum Angliæ, & rudem in Iure Municipali; præterea hoc injusto decreto non Prajudicium, sed planè Iudicium Fatum de Capite suo; negavitque subire Iudicium, nisi Regina Angliæ protestationem adversùs acerbitatem, & iniquitatem hujus decreti ratam fore repromitteret.* Id quoque postulatum rejectum, quasi in præjudicium Regiæ Auctoritatis, & legum Angliæ, Hattonus Procamerarius interfactus, Reginæ sapientiam, Clementiamque satis multis verbis collandat, quæ rem apud tàm æquos Judices in disquisitionem vocarit, ubi Judicium esset boni & æqui, non stricti Juris; monetque Ream, ne in tàm frigidâ exceptione declinatoriâ diutius delitesceret; quippè si Innocens sit, hoc facto famæ factisque suspitionem inferret. Contrà si animus malè sibi conscius, vitandi justi supplicij causâ, Judicium in quo bonâ fide, Jure, legibus, & vetustis gentis institutis agitur, subterfugiat; Inane nomen imperij lege divinâ, aut lege naturæ non prodesse: quare oravit ut abjecto Regiæ Amplitudinis Privilegio, objecta Crimina, sive Convitia audiret; & si quid falsi afferetur, cotàm Cognitoribus, in illustri cætu dilueret; ac tandem Innocentiam Arbitrorum proderet, famæ apud posteros consuleret, Judicio se permitteret, ut sinè Invidiâ Culpa plectatur, & sinè culpâ Invidia ponatur. Sed nec Hattoni rationibus permota, nec Burlæi ingentibus minis exterrita, qui contumaciâ responsi furebat; servans insitam generosi pectoris magnitudinem, in protestando, appellandoque constanter perseveravit, donec irrita spes animum subiret deflagrare, Reginæ iras, purgari suspiciones conficti Criminis posse, subituram aliquandò memoriam propinquitatis, gradus,

1586

gradus, naturæ, Jurisgentium, quæ iratam Elisabetham ad sanitatem flectere possent; Ita fatali sibi vecordiâ Criminis defensionem meditatur, non suâ sponte, sed necessitate impulsa; ne iu tàm subitâ perturbatione honori aut Innocentiæ deesse videretur; Ita finitus est dies. Proximo die, qui fuit XIIII Octobris, selecti Proceres in superiore Aulâ, magnificis aulæis, pulvinis sericis, & uranisco ornatâ convenerunt; è regione Cathedra pro Reginâ collocata; dextrâ levâque Proceres positis sedilibus consederunt. Eodem penè momento Scota vultu Majestatis pleno, multa secùm animo volutans, in conspectu Procerum constitit; salutatio hinc indè benigna fuit; Ibi cùm consedisset, ac paulisper silentium fuisset; serenissima (inquit Cancellarius) Angliæ Regina, cùm non sinè curâ & angore Animi, perniciem suam cùm magnâ calamitate Ecclesiæ & Reip: conjunctam, quæsitam cerneret; cùm subditorum fidem labefactatam, nobilissimos juvenes ad scelus corruptos, ac cæteras machinationes tuas exaudiret; ne Ecclesiæ, Reip: & saluti subditorum deesse videretur, sine fraude, improbitate, aut malitiá, hos electos è Consilio, & Cætu Procerum, summâ integritate, & nobilitate, ad eorum Criminum disquisitionem, Judices adhibuit, quæ objicientur tibi, & quæ tu dilnas oportet, & falsa esse doceas, apud tàm æquos Arbitros, qui optant, ut Absolutoriæ sententiæ materiam præbeas. Scota primùm protestata est, *se non ad eos tanquàm Iudices, qui Ius ullum statuendi haberent, venire; aut Iudicij aleam subire in Causâ, Capitali, sed ut suam Innocentiam Deo satis notam, hominibus etiam testatam relinqueret*; deinde in totâ defensione atque causâ in illis suprà memoratis Protestationibus perseverans, respondet, *Regale nomen sanctum, & magnum Iudicio publico non subijci; per hoc novum Iudicium Præjudicium Regi filio, & cæteris summis Principibus nolle fieri; se legibus Angliæ non teneri.* Mox verbo objecta atrocissima facinora verbo diluit, obstinateque negavit se Reginæ exitium, Regno perniciem, Ecclesiæ ruinam machinatam. Proceres, apud quos tùm Causa agebatur, interfati ex callido versutoque Jure Appellationes interpositas, & in Acta relatas, irritas esse: leges enim Maleficiorum vindices, ac sublevandis innoxijs remedia provisa, omnes obligare ad Obedientiam, vel Pœnam: Principem in Angliâ leges Angliæ servare oportere; hoc vinculum esse Regni, hoc fundamentum libertatis, per improborum Judicium Præjudicium Jacobo Regi, aut sacrosanctæ Regum Auctoritati non fieri; in Confessione facinorum, defensionem Juris suscipi non posse. Illa intrepidè permanet in defensione susceptâ, caput & famam ab æmulis protegit. Gadius peritus Juris Municipalis, legem recentem & novam de Conjuratorum pœnis XXVII Elisabethæ rogatam, dilucidè explicat; Scotam contrà legem fecisse asserit. Egertonus Procurator Regius, quicquid comminisci potuit, criminosè objicit, ut conviciari magis, quàm criminari videretur; Conjurationem Babingtonij, Ballardi, Havagij, & perditorum Juvenum contrà Remp: oratione suâ exagitat; Mariam Scotorum Reginam quasi extinctâ Elisabethâ, debitâ sibi Angliæ dominatione, huic facinori affinem fuisse, Ope, Consilio, dolo malo favisse, multos præterea tumultus conscivisse. Ad ea Regina legis acerbitatem perstringens, *se Ballardum sacerdotem, aut Babingtonum nunquàm vidisse, neque ad Ministeria facinorum impulisse, nullas ad eos literas misisse, nullas accepisse, neque ullius impij consilij authorem fuisse; sed multos Catholicos à vecordi insaniâ deterruisse; nolle qualiscunque Principis cæde & sanguine Regnum parare, nedùm cruentum Agnatæ diadema gerere. Cum imminentes procellas cerneret, Catholicorum incolumnitati sæpè prospexisse; maluisse semper Hesteram quàm Iuditham imitari; securitatem suam Iustitiâ tueri, vigilijs, jejunijs Orationibus intercedere apud Deum, quàm Necem vel calamitatem cuicunque machinari; Captivis & circumventis, lege naturæ, & Communi Iure gentium, licere, ad libertatem recuperandam, hominum quos nunquàm viderint, fidem implorare: Regum afflictas fortunas facilè multos allicere ad misericordiam.* Post longam altercationem, testimonia Ballardi, Babingtonij, Savagij, antè mortem expressa, recitata sunt; quibus persuadere nitebantur, Scotam cùm eis consilia communicasse; & literæ Reginæ, conscriptæ ad Babingtonium, præmonentes qualiter eripi carcere placeret; & quem in posterum cursum tenerent. in quibus cùm mentio facta esset Arundelij, & Northumbrij, lachrimæ obortæ simul spiritum, & vocem intercluserunt; & aliquandiu silentium fuit; commotis plerisque qui aderant, utroque gemitus ejus mitigantibus; Tandem *perfusa fletu, Negatione, Inficiatione literarum, se defendit; probabiliter arguens potiorem Ministrum libertatis invenire potuisse, quàm Arundelium, Arce Londinensi inclusum; aut Northumbrium impuberem adolescentulum.* Exequutur Jurisperiti Ordinem Criminis cùm acerbitate, mox Judicijs & Confessionibus Naij, & Curli, Amanuensium ipsius; ac crebris Burlæi, & Valsinganij Interrogationibus urgetur; multis suspicionibus premitur, ex literis deprehensis ad Baronem Pagetum, Bernardum Mendozam, Alanum, & Personum; omnia Instrumenta, quibus Causa instrui potuit, legulejorum aculeis exposita, & in cætu Procerum perlecta. In medijs Judicij procellis animum non despondit, sed *falso criminantium sermonibus, dubiâ argumentorum fide, & Advocatorum arentijs gravari dignitatem & existimationem suam, questa est; qui suo acumine, & alienâ Invidiâ, Circumstantias in Consequentias traherent; dubia, contrà Iuris rationem, & æquitatis benignitatem, durius interpretarentur; & definitivam sententiam, ex Præsumptionibus, Iudicijs, & Confessionibus extrà Iudicium, sine More, sine lege, ferri flagitarent; cùm de Capite cujuscunque subaliti, nedum Principis, non modò ferri, sed ne judicari quidem posset, nisi duodecim virorum sacramento. Tum exagitat Babingtonij, & Sociorum testimonia, cupidine vitæ, & spe impunitatis Amanuensium, metu tormentorum expressa; ementitas etiam literas ad Mendozam & Pagettum, ac imitatione Caracterum simulatas.* Quid ego de singulari Magnitudine animi ejus, ac de incredibili

 virtute

1586. virtute in periculis propulsandis dicam? cunctis de vitâ ejus timentibus, ipsa animo fortissimo fatetur, se rebus suis consuluisse, ad recuperandam libertatem incubuisse, vicinorum Regum auxilia implorasse, sed nunquàm in Reginæ perniciem consensisse. Burlæus accusatorie Criminibus ac suspicionibus urget, Regnum scelerate cupijsse, huc transcendere nisi per sanguinem Reginæ non potuisse; Jus Regni Anglici in Philippum Hispanum transferre voluisse; clandestina concocta adversùs Regni securitatem consilia, Gallos & Hispanos, hostes, & æmulos quæsitos adjutores, nefarijs conatibus curam Consiliariorum, vel fortunam Principis restitisse; Illa, *cupiditatem regni, Elisabethâ superstite, cogitationes inanes, Ius imperij in Hispanum transferendi, occulta consilia cum Guisijs, & alijs inimicis Reginæ inita, nisi ut se in libertatem vindicaret, inficiata; repentè confessa est, desperatâ domesticis auxilijs, libertate, in Hispano spem omnem dignitatis, fortunæ, & vitæ, posuisse, rectène an perperàm fecerit, delegatos judicare posse.* Interfactus est Burleus, an potior fides literis deprehensis, Testibus, & Amanuensibus, quàm Negationi Inficiationique facti habeatur? delegati judicarint. In medio rerum omnium certamine atque discrimine, libertate, Constanriâ, Moderatione, retinuit dignitatem responditque, *calumniosas literas vim in Iudicio obtinere non debere, & Quæstiones servorum adversùs Dominos, legibus vetitas; Amanuenses, imbutos & infectos adversariorum artibus, promissis, aut pretio ad scelus corruptos, contrà datam fidem, & obsequium sacram majestatem prodentes, in manifesto perjurio fidem non merere. ad hoc, majorem fore auctoritatem præsentium testium, quàm testimoniorum, quæ recitata sunt, quippe in publicis Iudicijs, testibus, non testimonijs credendum. Curlum citatum adversùs se, honestum & inculpata vita propter lubricum consilij sui. Najum, propter Notam & Infamiam perjurij admittendum non esse ad testimonij fidem; Ideòque religioni judicantium permittere, quanta fides habenda sit testibus. Nec deerant aculei quoque in Burleum, contumeliæ in valsinganium, expostulationes cum cæteris.* Causa serò perorata oravit, *ut in memoriam revocarent, Elisabetham insontem in suspicionem Vietaria Conjurationes olim vocatam; neu in sanguinem regium sævirent.* Proceres non excussa aut perpensâ Amanuensium fide, ex quâ tota Causa perpendit, ne saluti Elisabethæ, deesse viderentur. Dubia argumentis colligentes reæ ulterius neque inficiandi rationem neque defendendi facultatem reliquerunt, ut omnibus appareret, ex præsenti silentio, opinione Judicum tacita propè convictam atque damnatam fuisse; verùm tàm brevi disceptatione, nisi consultâ priùs Elisabethâ, sententiam pronunciare noluerunt, ne onus simultatis soli subirent; & in xxv diem Octob: Conventum diffisum esse jusserunt. Ita productâ die in Cameram Stellatam Consilium Procerum indictum est. Scota cùm damnandi moram non in Causâ, sed in tempore esse animadverteret; & quid Proceres sentirent, intelligeret; *ad publicum gentis Consilium provocavit, oravitque Iudices universos, singulosque, ut ad Deum liberatorem versi, de se judicarent.* Deinde magnâ vocis & vultus securitate, secreto collocuta, cùm Burlæo, Hattono, valsinganio, & Comite Vervicensi, decessit. Rex comperto Matris discrimine, Gulielmum Kethum, splendidum virum, in Angliam misit, ut pro innocentiâ dissereret, ultionem in delatores exposceret, sanctissimum Augustæ caput securi redimeret. Is in Aulâ retentus variâ spe elusus est: non tantum Scotia & Gallia, sed ferè omnes Reges, civitatesque Europæ converserunt animos in eventum Judicij. Frequentes inde in Angliam legationes; missi ab Jacobo principes amicorum, Pattitius Grajus maleficus, turbidus, infidus; & Robertus, ex Melvinus Proquæstor probatissimus; qui nunciarent, *ne Clementiæ famam, multis magnisque Meritis collectam, Carnificina, atque crudelitatis infamia pollueret; ne regnum Angliæ non hostis, sed hospitis sanguine fœdaret; ne Inimicorum immanem sævitiam Calamitate Matris Satiaret, qui tàm acerbè, tàmque crudeliter scelus anhelarent.* Sed Grajus servili animo perfidiæ præmia secùm reputans, Patronæ salutem nefariè prodidit, castigando metum & moram supplicij, his verbis (*mortui non mordent*) & non semel inculcando Elisabethæ auribus, sed sæpius (*moriatur*). Postremò Kethus & Melvinus multis difficultatibus conflictati, cùm desperarent Scotæ caput securi, & acerbissisimi Carnificis arbitriò redimere; redierunt, & renunciarunt, Elisabetham fluctuantem, ac imbutam cruentis consilijs. Jacobum ærumnæ premunt, Curæ torquent, dies noctesque calamitate Matris cruciatur, nec cessat literis Elisabetham interpellare. Deprecatio erat in litteris, ut animum à supplicio averteret, & ne belli, extemplò movendi causam præberet. Nullâ jam spe incolumitatis, precibus, Minis, aut ope humanâ, pijssimus Filius, extremo discrimine ac periculo, Reginæ Matris anxius, ad divinam opem confugit, ac supplicationem singularem pro salutem ejus per universam Scotiam decrevit. Quidam Ecclesiasticorum adversùs Majestatem adeò violenti & contumaces, ut pro incolumitate ejus precari, aut Numinis auxilium devocare, non sustinuerint, suo magno dedecore.

Ministrorū factum inhumanum.

Ministri quoque Edenburgem, à Rege moniri, ut Reginæ Matris incolumitatem Numini precibus commendarent, quod Jure divino Ethnicis, & Paganis denegari non potuit, id facere contumaciter recusarunt Jacobus illis haùd immeritò succensens Patricio Adamsono, Fani Andreæ Archiepiscopo, habenræ Concionis in urbe regiâ, ac vota pro Matre nuncupandi vicem demandavit; sed Joannes Coperus, Concionator urbanus acer & vehemens, patientiâ Regis solitus abuti, scelerate in suggestum, antè horam statutam ascendit, præsente Rege, ut locum Præsuli præciperet; ibique coràm populo à Rege interrogatus, cur locum alterius præ occuparet? & nùm preces pro Reginâ, Matre concipere vellet? insigni audaciâ respondit, *se nullius quàm Spiritus Sancti consilio in Concione usurum.* Rex superbiam Contumaciamque verbis coercuit, & descendere jussit: ille furens irâ, indignansque descendit, atque voce clarâ Anathema denunciavit. Matronæ

repentè

repentè clamorem satis magnum sustulerunt, in Episcopum incitatæ; parùm aberat quin contumaciter inurbanèque vexarent, & lacrima togæ apprehensa retinerent. Posteà remotâ turbâ suggestum conscendit, & habuit Concionem celeberrimam, ac gratissimam, de Potestate Regum, & Obedientiâ subditorum; ad quam magnus populi Edinburgeni concursus est factus. Intellectum est illo die, quid intercesset inter levitatem Concionatorum Popularium, & sedatam eloquentiam Præsulum. Indè Coperus, pro immoderatâ libertate & licentiâ, cum magnâ stultitiæ exprobatioue in Custodiam est conjectus, & Blaknessi asservari jussus. Ministri oppidani, cum terror undique instaret, ne periculosam imitationem exempli reliquis per provincias proponerent, adhibitâ precationis formulâ, & contextis verbis cautiùs orarunt, præeunte verba Gulielmo Vatsono. Cæteri per Civitates & Provincias exemplum secuti, pro incolumitate Reginæ vota susceperunt, & Numini salutem commendaverunt, non tàm charitate, quàm reverentia Regis. Cum dies venit selecti Proceres omnes Londini in Camerâ stellatâ, convenerunt, præter Salopiensem, & Vervicensem, quod essent summâ senectute, & perditâ valitudine. ubi Naus & Curlus interrogati deliteris, Jurejurando interposito singulas agnoverunt. Indè, multis audientibus, triste Judicium in Scotorum Reginam, quasi Molitricem novarum rerum, & Conjurationis Babingtoniæ consciam, unanimi consensu pronunciatur. Res variè sermonibus hominum celebrata est, non modo in urbe, sed in provincijs. Primores Regni Scotam in securitatem Elisabethæ occidendam censuerunt. æquiores rerum æstimatores, cum Inimicos Judices; & Accusatores corruptos in Dominam servos; parùm probatum cogitatum Crimen; nullum flagitiosè perpetratum, cernerent; durius cùm illâ actum esse arbitrabantur, quæ esset Princeps libera, & legibus soluta; contendebantque, si molita fuisset quæ falsò criminarentur adversarij, tædio acerbissimæ Captivitatis, & ingenito amore libertatis, excusandam. Post paucos dies publica comitia Londinum indicta; & quo plùs Auctoritatis funestum Judicium haberet, ad Ordines, in Frequenti Conventu, de eo relatum est. Cum sententia Procerum recitata fuisset, magno omnium consensu rectè & ordinè fuisse data, judicatur; & decreto Publico confirmatur. Reliquas cogitationes intendunt Ordines libello supplici, ut promulgaretur & executioni severius mandaretur, quod Religioni, Regni tranquillitati, Reginæ securitati, popularium saluti, Scotorum Augustâ superstite, consuli non posset. extrema importunitas Ordinum fuit, & incredibilis sanguinis sitis. extant Reginæ, & Procerum æternæ Orationes. Elisabetha ancipiti curâ adhùc animo fluctuabat, quippè antè oculos obversabatur Nominis Regij amplitudo, splendorque, & commiseratio fœminæ, ejusdem stirpis, ordinis, & fortunæ. Instabat etiam metus à Scotis, Gallis, & Hispanis, pronis ad vindictam: Proindè medio responso in præsentiâ sententiam temperavit, rogavitque ut adhùc secùm aliquid salutarius comminiscerentur ad Scotæ vitam, si resipisceret; & suam salutem conservandam. Mora & dilatio mirum in modum Ordinum conventum offendit; missi Iancellarius & Pukeringus plebij Ordinis Orator, edocent Reginæ interesse, ne Justitia unicuique debita, universis civibus serio deprecantibus denegetur; neque quicquàm Justitiæ, securitati, Necessitati, obstare, præter inanem Nominis Regij umbram, & vanum metum à Guisijs sed Regina cùm videret, quantum interesset, publicè sententiam Ordinum decreto confirmatam executioni mandari, promulgare & exequi occultè statuit. Aulispinæus legatus Gallus, qui eventum Judicij expectabat, promulgationi intercedebat, monens Regem suum non posse honestè periculum Scotæ negligere; ad Illam enim atrocissimi facinoris insignem Injuriam; sed ad omnes vicinos Reges pertinere exemplum petebatque ne Judicium præcipitaretur, communique Causæ Regum fierat injuria. Elisabetha diem Edicti in Mensem Decemb: distulit; indè ampli quidam homines, sed immemores dignitatis suæ, cùm Auctoritate, tùm Oratione persuaserunt, intentis oculis omnia Reip: vulnera intueri, quæ sanari poterant, quæ ense resecanda erant, non pati ad perniciem suam, ac publicam, exulcerari. His permota, subito per urbem ac Provincias atrox decretum Præconis voce promulgat, at in rebus tristissimis risum excitavit sententiola ***Edicti publicationem non sinè summâ animi anxietate, & importunis Ordinum flagitationibus extortam.*** Londinum uno tempore, quasi signo dato, ex promulgato decreto, regij capitis servandi causâ, multæ celebres legationes convenerunt. Missus à Franco Beleureus, vir magni ingenij, summæque prudentiæ, ut Regis sui nomine, errori veniam deprecaretur. Is auditus disseruit cum cæterorum Regum id interesse, tùm præcipuè Christianissimi Francorum Regis, ne Regina producta à parentibus ad regalem dignitatem, Socia quondam Regni Gallici, ac fratris sui sanctissima Conjunx, cupiditate libertatis prolapsa, fœdâ morte periret: neu sæviret in suum sanguinem, & Agnatam, quam mors propediem absumeret; vitam ejus salutarem magis Elisabethæ regnoque, quàm Necem fore; Clementiam gloriosam, sævitiam calamitosam; ream confícti Criminis absoluendam; detestandum nefarij Judicij, & Parricidij exemplum; horrendos eventus, quibus se regnumque funditùs everteret, nisi cæde Agnatæ Principis, Invidiâ magis quàm Crimine conflagrantis abstineret; nec domi Papanos, nec foris Guisios, sceleris vindices, defuturos; potiorem Conscientiæ, honoris, quàm securitatis rationem esse debere; avertendum animum à cogitatione talium Consiliorum. Responsum scriptum tulit, Francorum Regi non adeò vile vitæ ejus pretium esse debere, ut nec præterito discrimine, nec futuro exitio Principis innoxiæ, & optimè meritæ, moveretur: Scotam sceleratè, & vivâ & spirante. Regnum Angliæ, spe & Cupiditate improbâ crevisse; sibi spem nullam dignitatis, aut vitæ superesse, si insidianti diutius

1586.

Supplicatio pro salute Mariæ reginæ in Scotia facta.

impunè

1586. impune sit; subditos indignari alteram in Angliâ reginam esse, aut Principem, liberâ potestate instructam; Proceres prudenter prospexisse, Mariâ incolumi, Britanniam pacatam non fore; Clementiam sibi fatalem, Regno exitiosam; severitatem rem ipsam flagitare; nihil salute populi, & Regni incolumitate, Sanctius, aut salutarius; adhibenda graviora remedia Reip: vulneribus, quando Necessitas postularet; Guisiorum vindictam non metuendam; denique factum ipsum animadvertendi in Reges, non novum, nec inusitatum, tot domesticis Majorum, & externis Græcorum, & Romanorum exemplis, confirmatum. Nullâ spe incolumitatis Belevreus discessit; at Anbispinæus, legatus Gallicus Ordinarius, modium famosum sicarium percussorem summittens, quò Elisabetham incautam opprimeret, imminuit Jus legationis, neque receptus est; in reos, postulante Gulielmo Staffordo juvene nobili; sed interrogatus à primoribus Senatus de tàm atrocibus insidijs, communi causæ legatorum factam esse insignem contumeliam questus est; & Injuriam suam conjunctam cùm publicâ Regis sui, à quo legaretur, nisi publice satisfactum sit. Pro ratione temporum Elisabetha implacabilius irascens, silentio prætermisit, nec voce vulneravit. Fraudis in Scotam authores ex hâc molitione occasionem captantes, suspiciones augent, multis anxiam curis Elisabetham, fictis etiam rumoribus, metu Guisiorum, tumultu Scotorum, Papanorum motu, & periculo suo exterrent, ut ei perniciem maturaret. Cum pavorem immistum charitate patriæ, ac discrimine vitæ injecissent, & periculum, si mora interponeretur, nunciassent, impellunt specie aspernantis tale quicquàm ad facinus, ad quod jàm suâ sponte animum inclinaverat; erexitque Consociatio gentis, pro salute ac gloriâ Principis, & defensione facti oppetere voventis, non mediocriter ejus animum. Per eosdem dies Baronem, Buchurstum, Bealumque ad Scotorum Reginam misit, qui ei denunciarent sententiam Ordinum decreto confirmatam, edicto promulgatam, executionem publico consensu efflagitatam, proinde moriendum quàm primùm esse; ac rogarent, ut animæ suæ saluti consuleret; ac peccata in Deum & Reginam pænitentiâ expiaret; Illa, magnâ vultus tùm dignitate, tùm venustate, Numini gratias agit, quod ærumnarum, in quas suis multis peccatis incidisset, finem & Requiem daret; at satisfactionem ex ullâ conscientiâ de culpâ haud præbet, nec pro Innocentiâ ultrà differit; postulat tantùm, ut ad solatium afflictæ animæ, cùm Confessore sermonem conferre liceret, si in hoc genere sibi gratificari vellent. Respondent, si in animum induceret, cùm Episcopo, aut Decano Petroburgensi colloqui, licere. Commota subjicit, nihil sibi rei cum illis esse, nec cùm eis libenter collocuturam; quod non aliam, quam Majorum Religionem agnosceret. Indè aulea, & omnia regalia ornamenta domorum parietibus detracta. In tantis fluctibus tempestatibusque, Elisabetha multa secùm, perturbato vultu, volutans, vocari extemplo Davisonum ab epistolis jussit; ac post varios sermones, digredienti à se mandatum de Reginâ occidendâ, suâ manu signatum, dedit; quod mox magno Angliæ sigillo firmatum, non invitâ Reginâ, Consiliarijsque ejus. Intereà magna rerum Commutatione impendente, Angliam angores, sollicitudines, nocturni diurnique metus vexabant, & aliam segnioris Mortis rationem, ad imminuendam Invidiæ molem inibat, tentabatque Paulettum & Drutium, Custodes Scotæ, perplexis sermonibus, ut ipsam curâ & Angore animi, Remp: magnis periculis liberarent. Illi prospicientes animo grave exitium, pernitiosum ac callidum consilium aspernati sunt. Severiores amici summâ ope adversantur, id quod in firmo volutabat consilio, nec Justum, nec honestum esse; monentes, unicam superesse rectam ad vindictam viam, ferrum, ac publicum supplicium; id melius, id tutius. Davisonus, ne solus Invidiam Interitus, & perditissimorum Consiliorum sustineret, Senatus auxilium putavit implorandam; qui cunctatus non est in cursu supplicij; sed Auctoritate suâ Bealo, fraudis in Scotam promptissimo ministro, mandatum cùm literis atrocibus ad delegatos Salopiæ, Cautij, Darbiæ, Cumberlandiæ Comites commendavit. Non expectavit hominis ardor vocem Reginæ, cum gladio & Carnifice Lotheringamiam avolavit, supremam sententiam Scotæ pronunciavit, seque Calamitatis Nuncium electum; Dein Proceres delegati vitæ discrimen patefaciunt. Illa vultu stabilo, & non [illegible]bato, fortis animi, documentum posteris præbuit; item rogavit, nùm cùm elemosynatio, Confessore, & Melvino dispensatore Colloquium ei permitterent? Respondent, non videri æquum, ut Confessor accederet. Finito Colloquio, humaniter salutavêre. Post quæ, digressis Proceribus, secreto captato, de extremis cogitavit, Cæna in terris novissima maturata. Inter Cænam dùm servi in lachrimas effusi, sortem Patronæ miserantes, illa attonitas terrore mentes solatur; intempestivas domesticorum lachrimas Auctoritate coërcet; singulos comiter appellatos cohortatur, ut sibi quisque pro facultate consuleret; fides & benè meritos Guisio, ac Francorum Regi, suis literis, commendat; Monilia, Gemmas; Margaritas, & residuam pecuniam, testamento distribuit cuique, pro dignitate, aut Meritis; noctem fere insomnem egit, ac supremis curis, & precibus vocavit. Luce primâ sexti Iduum Februarij, parata, intentaque jam morti, magnâ in fronte gravitate, incessu Majestate, in vultu securitate, in Aulam Lotheringamiæ, funebri pompâ instructam procedit; Proficiscentem comitati sunt, permissu delegatorum, Melvinus, Burgæus, medicus, Pharmacopola, chirurgus, & binæ famulæ: Melvinum, qui suprema mandata ad filum tulit, mœrentem se tristis fati nuncium electum, humanissimis verbis solata est, & ab osculo suo dimisit. Post hæc ubi consedit, silentio indicto, Bealus Mandatum perlegit; mox assurgens Decanus Petroburgensis, Oratione inflatâ à Vanianâ doctrinâ reducere tentat; Illa sibi nihil rei cùm illo esse respondet,

nec alium Cultum quàm Romanum agnoscere; modesteque rogat, ne morienti ac supplicanti negotium facesseret. Cum precibus, & supplicibus apud Deum votis finem fecisset, falsas estimantium, & sanguinem avide sitientium Calumnias multis verbis testata, de nemine questa, Ecclesiam, Filium, Elisabetham, Numini commendavit; ac imploratâ sæpiùs divinâ misericordia, ad supplicium se placidè composuit. Assistentes servi, Ancillæque clamorem & gemitus cohibere non poterant; Illa ad mærentes, & fletu perfusos versa, castigavit formidinem, quod Constantiam Mortis luctu ac lacrymis morarentur. Tandem adopertо capite, & obtento ante faciem sudario, Percussorem requisivit, & in hâc voce deficit, *In manus tuas, domine, Commendo Spiritum meum.* Vulgatâ morte, Londini miro certamine cives vespertino Igne in plateis accenso, lætitiam testantur. Funus maturatum, & sepulchrum modicum Petroburgi extructum est, ut acerbitas oculis hominum subtraheretur. Qui veterem morem Kalendarum retinent, Annum à Januarijo inchoantes, mortem Reginæ in sequentem reijciunt; Supputatione nostrâ Annus incipit mense Martio; primum damnati Principis exemplum, nihil actum Jure, nihil More Majorum, nihil legibus, Judicij formulis sublatis, Respectus Numinis, Religio animi, Regij Nominis amplitudo, Memoria propinquitatis, summæ fortunæ recordatio, immitem animum flectere non potuerunt, neque Sexus reverentia, neque Regum Sanctitas, neque Legatorum preces, innumeræ immani crudelitati obsistere. Non est operæpretium captivum innoxiam, supplicem, ferali securi percussam, nobilissimum corpus ab impetito Carnifice laceratum, omnium Regum, atque Principum prostratam Majestatem, violatum Jus gentium, violata Jura humana, violata divina, barbarâ & inhumanâ crudelitate queri, aut indignari; ne rem per se fœdam, tædiorem verbis, Orationeque facere videar. Hujus atrocitas facinoris magnam Invidiam Anglæ, non apud Scotos modò, sed apud vicinas gentes, populosque conciliabat; execrationesque à Pontificijs, in Elisabetham, vincente Odio metum, passim exaudiebantur; magnum Nomen, insignis species, magna dignitas, magna majestas Principis, & cætera ludibria rerum mortalium, ante oculos obversabantur. Scotorum Regina, Regis filia, Francorum Regis vidua, Regni Angliæ hæres proxima, ex custodiâ Rebellium Dilapsa, supplex ad Elisabetham, propinquitate sanguinis sibi conjunctissimam, in Angliam profugit; ibi præter fidem datam, præter fœdera, præter Jus gentium, primum circundata, validâ manu, specie honoris, detenta, deinde apertiore custodiâ conclusa, postremò post decimum Octavum Captivitatis annum fœmina magni & excelsi animi, nostri sæculi Ornamentum, miserrimâ & crudelissimâ morte extincta est. Ubi rescivit Elisabetha patratum Parricidium, & flagrantem Infamiam apud exteras gentes, pænitentia crudelitatis suæ stimulavit anxiam animum, ut culpam omnem in Davisonum averteret; ac supplicium, præcipiti ejus consilio, invitâ se, sumptum prædicaret, gratiamque ex servi odio aucuparetur. Jacobus, Matre defunctâ, ardens indignitate facti, & magno dolore accensus, clàm palamque luctum, perturbato vultu, & pullo amictu, testatus est; dilectum totâ Scotiâ habere instituit, pecuniam cogit, vicinos Principes legationibus sollicitat, & cum ijs secreta consilia agitat, Antistites Romanæ religionis, Glascovensem, Rossensem, & Dumblenium, jam diu in Franciâ exulantes, assertoresque unicos Maternæ dignitatis, in integrum restituit, secessitque in partem interiorem Regiæ suburbanæ, cùm fidissimis amicis. Infrequentes jam in Aulâ Proceres evocavit, quos consilio de rebus tàm arduis adhiberet; Intereà Elisabetha, omni occatione cæsæ Scotæ per speciem ingemiscens, Careum, Baronis Hunsdoni filium, Cognatum suum, Legatum in Scotiam, sui purgandi causâ mittit, datque ei mandata, ut culpam omnem in Consiliarios, ac Davisonum transferret, & per omne obsequium exasperatum Jacobi animum placaret; Is Bervicum venit, precibus se profecturum aliquid ratus, ut perturbato tempore, tutum Iter ei in Scotiam esset, Carnelium præsidiariæ Cohortis Bervici ductorem præmittit; Stat sententia Regi, non dare congressum colloquiumque, Georgius Junius, ex servis regijs ab epistolis unus, eo proficiscі jussus, Legato Bervici subsistere imperavit, ne tempore turbulentissimo arcana Imperij eliceret, specularet urque abditos Principis sensus, & Clandestina consilia. Tandem Carnelius importunis flagitationibus impetravit, ut selecti è Consilio Jacobus Humius, Arei Edinburgensi præfectus, & Robertus Melvinus proquæstor, cùm mandatis ad Careum mitterentur. Fuldoniæ, in finibus utriusque Regni, modico utrinque comitatu, conventum, Legatus Reginam de cæde purgat, Consiliarios arguit, & Carcerem Londinensem, vindicem Davisonianæ temeritatis, ostendit. Scoti accipiunt excusationem, si Elisabetha crudelissimi & teterrimi facinoris Ministros noxæ dederet, ac Crimen à conscientiâ publicâ removeret. Ille inquit, quid ad postulata respondeam in præsentiâ, non habeo in mandatis; Post varios sermones hâc de re ultrò citroque jactatos, literas porrexit, per quas Elisabetha purgavit se Regi, tali epistolæ principio, summum dolorem professa; *Mi Frater charissime, utinam scires, at non sentires, quàm incomparabili dolore animus mihi discruciatur, ex lamentabili contrà animi mei sententiam eventu; cætera ex cognato, quem ad te mihi, cognosces.* Ille lectione abstinuit, quia hoc præcipuè scribendi genere, magis exasperari animum sentiebat. Proceres spontè & ultrò confluentes, operamque in explendâ ultione tumultuosius offerentes, pro conditione temporum compescuit. Legatus reversus renunciavit, sibi conveniendi Jacobi Regis potestatem non factam, bellumque parari; item, sedirionem gliscere in dies, nec posse auctoritate coërceri. Cæterum, recenti adhuc mæstitiâ, Philippus Arundeliæ Comes, qui in carcere attinebatur, in Camerâ

1586.

Pœnitentia alcm.

Stellatâ,

1586. Stellatâ, accusatus Societatis cùm Sacerdotibus, & Jesuitis. Ille mitis ingenij, & comptæ facundiæ, obsequium in Principem, & amorem Reip: professus, se nimio Pontificiæ religionis studio, lapsum, & Juris ignorantiâ, agnovit. Verùm cùm nullas probabiles causas intentæ peregrinationis sine Commeatu redderet, dictis sententijs decem milibus librarum, & Carcere, ad libitum Reginæ, mulctatus est; Illa non mollivit sententiam domui Hanartorum immitis, cum bellum Scoticum in expectatione esset.

Res extern. Accesserunt Reginæ aliæ solicitudinis causæ, namque Leicestrius Belgio præpositus summum imperium in fœderatos sibi vendicavit, quod Elisabetha obstinatissima recusavit, nonnulli etiam fuerunt in Senatu, qui spem ejus quantumvis vanam suis suffragijs aluerunt, quorum auctoritatem Seculus Reginam arrogantia offendit. Illa beneficia sua crebris literis testificans temeritatem & inconsiderantiam ejus arguit, quod vana gloria sublatus, sine auctoritate sua, sine publico consensu, rem tantam attentasset; Missus cum minacibus mandatis Thomas Hineagius, Procamerarius. Leicestrius ut nimium nuper elatus, ita rursus summissus & abjectus, spe amplificandæ fortunæ infracta fatetur superbiam & arrogantiam, ægrè blandimentis & precibus exsolutus est. Cæterum Regina cum Batavis de suis innicijs iracundius expostulat quod summum imperium Leicestrio non sine infamia sua detulissent. Respondent disciplinæ militaris rationem non aliter constare, nisi imperium uni reddatur, potestatem omnem integram penes populum manere, modicè perstricti Primores Ordinum, monitique literis, ne mobiles animos nimijs honoribus ad superbiam extollerent; Igitur Leicestrius circumferre bellum coactus dispartit vires, ut adversus præfecturas invaderent, simul Comitem Hohenloum & Joannem Norritium summæ hominem audaciæ pedestribus copijs præfectum ad sublevandam Graviam mittit, quos Iberi repulerunt omni genere telorum; Parmensis eorum discessu urbem in Bæticam ditionem redegit, deinde Venlonem adortus est, interea ipse Leicestrius in Bataviam propriè dictam insulam inter Rhenum & Vahalim, proficiscitur, per multos ibi dies securè moratur, neque Hispani flumen transire ausi sunt, ne si transissent, circumsisterentur. Belgium multis cladibus afflictum, obsessæ urbes & captæ à Duci Parmensi, atque Angli in prælijs & oppugnationibus more majorum multa præclara facinora fecere; Skenkius Frisius, & Rogerus Villianus Camber subita irruptione apud Venlonem ad Mosæ ripam incredibili audacia ad tentorium Parmensis penetrarunt majore gloria quam fructu, Pelhamus Brabantiam equitum agmine incursavit, Peregrinus Villonbeus summa nobilitate & egregia disciplina militari hostium commeatum qui in castra comportabatur intercepit. Philippus Sidnejus & Mauritius Nassovius excelsi & invicti animi juvenes Axelæ præsidiarios inopinantes oppresère, urbe capta, dirextione prædaque abstinuêrunt. In tumultuario ad Zutphaniam prælio Georgius Cressiacus Epiratarum equitum præfectus sustinens impetum hostium à Villonbeo Barone equo disjicitur & captus abducitur. A Norririo, Sidnejo, Russelio, summis ducibus quam maximis hostibus terror infertur, qui non diutius sustinuêrunt impetum Anglorum, Hanibale Gonsaga cum multis fortissimis viris interfecto. Hanc victoriam luctuosam Anglis reddidit Philippi Sidnei casus, qui transfosso equo & femore trajecto, intra paucos dies extinctus est, isque non solum academiconum testimonio, sed etiam annalium monumentis & Jacobi Regis funebri carmine laudatus est, nam singularis ejus virtus in omnibus laboribus periculisque enituit; at Leicestrius qui brevi imperio plura famâ quam pugnâ perfecit, instante jam hyeme cùm cohortes & auxilia in urbibus & propugnaculis hostibus finitimis collocasset, firmatis præsidijs Hagam proficiscitur, ubi fœderati Ordines queruntur nova & inusitata vectigalia imperata, publicam pecuniam effusam, acriorem militiæ disciplinam mollitie solutam, hostium ferociam augeri, militum virtutem infringi, eripi carros, abstrahi ad opus servos, vetera provincialium privilegia adimi, miserantur communem Belgij calamitatem, orantes, ut commodis reip: & vectigalibus populi tempestivè prospiceret; Ille sublevandi onera spem præbet, & demandata suprema potestate Ordinum consilio in Angliam durissimo tempore anni traijcit, ut si quid in suam perniciem ab inimicis iniretur consilij, celeritate præcurreret, ubi certior factus de Scotæ exitio Ordinum decreto, Reginæ mandato, Senatus consulto approbato laudatoque, suum exitium maturavit, & Reginam alieniorem sibi sensit, criminationibus inimicorum, fuitque plebi contemptior indies & invisior.

Res Francica. Hoc Anno in Francia Guisius omnem vim dominationis licenter exercuit, copias contra majorum religionem, patriæ libertatem, & Regis authoritatem oppugnantes contraxit, nec ante dismissum se edicto professus est, quam populi injurias, Procerum contumelias cleri damna potentium in reip: aulaque flagitia vindicasset: Inde collationes pecuniarum in communem rem institutas in suum usum vertit, civitates ad defectionem sollicitavit, hortans ut religionis & communis libertatis causa arma capiant quarum pleræque inter obsequium & rebellionem fluctuantes ex æquo egere. Rex cognito ejus consilio dimittit quoquo versus nuntios, obtestatur civitates ut in fide maneant, in pace sine injuria vivant, quarum plerosque ferociores impotentioresque reddit, Guisius quascunque adit in suam sententiam perducit, dubitantes cogit, infirmiores terret, Segniores incitat, rem ad arma deduci studet, egentium & perditorum coacta manu Lutetiam pergit, Parisij

Parisij vim & terrorem Guisij tinuerunt. Rex veritus ne nimia patientia sua, & pertinacia hostis animi subditorum frangerentur, de sua salute cogitat, contra factionem ac potentiam exosi fœderis astu magis, quam principali auctoritate contendit, edictis Epistolisque bellum gerit: nam cum hostium copiæ longè abessent, edixit ut Guisius copias dimitteret, si non faceret, eum adversus remp: securitatemque Principis facturum videri, & refertur edictum ad Senatum Parisiensem, confirmaturque. Regina parens ambitiosa fæmina, quæ Jonsam & Espernonium dignitate secum exæquari dolebat, & in rep: aulaque minui potentiam suam, filio metum incutiebat amplificando hostium copias, & adventum terribilis Guisij, angebatque vires partium Pontificis, Cæsaris, Philippi, Lotharingi, Allobrogis; Ille fama hostium copiarum, matris minis, ac terrore commovetur, invitus & coactus Guisij postulata concedit, ut exercitus dimittatur, novissimum pacis edictum revocat, Protestantium religionem penitus extinguendam denuntiat, defessam bellis civilibus Galliam in prælia trudit; Quibus rebus cognitis, Navarrus injurias Lotharingarum in se commemorat à quibus inductum & coactum Regem queritur, ut pacem tum jucundam, tum salutarem abrumperet, Guisij in se perfidiam increpavit, mentiri dixit, provocavitque ad duellum, ut innocenti sanguini parceret, & perfidi fœderis improbitatem lueret, in pernitiem Regis regnique excogitati; Inde tota Gallia delectus habentur, arma imperantur, pecuniæ à civitatibus exiguntur, exercitus instruitur, cui Meduaniæ Dux Guisij Frater præficitur. Is auro militoque accepto magnis copijs domesticis & externis castra in Protestantes movet, Aquitaniam prope omnem & urbes agri Pictaviensis illis eripere posse paucis diebus insolenter gloriatur, sed multis tritis frustra diebus, pauca oppida ignobilia capit, instante hyeme Burdegalam discedit, ibi dilapsis inopia stipendij Comeatusque militibus redit, de se ipso gloriosius loquens tanquam victoria sibi suisque provenisset. Interea Navarrus suis rebus consulit, in fines Pictavij ex cursiones facit, ruinis incændijsque passim sævit. Condeus præ ferox ingenio, qui acie victus transmisit in Angliam, ab Angla adjutus ad instaurandum bellum redit in patriam, ut Navarro opem ferret, inde bellum in Aquitania, & Pictaviensi agro exarsit, magnisque invicem cladibus Protestantes cum Pontifijs certarunt. Fortuna sæpius Protestantibus affuit, hinc in Regem aperti fremitus, & sævissimæ civium voces; adjutos clàm Navarri conatus; objectos belli discriminibus Lotharingos; ejus proditione cæsos Catholicos, nullis summissis in tempore auxilijs. Rex Reginam Matrem cùm Mandatis ad Navarrum misit, ut bello absisteret; irita legatio fuit; petijt à Guisio ut discordias hostilibus animis actas oblivione præteritorum finiret; ille insigne adversùs Navarrum odium deponere noluit. *Hoc naturâ comparatum est, ut quem timueris, quo cùm de vitâ Fortunisque contenderis, cujus ex insidijs evaseris, hunc semper oderis*: proindè Rex Contumeliæ Guisianæ, ac dedecoris memor, odium occultum aluit, quod in utriusque exitium erupit, undè Regis ipsius feralis mors secuta est. Sixtus Quintus, Pontifex Romanus, vir acri ingenio machinas omnes ad Navarrum subvertendum admovet; ei Sacris interdicit; absolvit omnes subditos à Sacramento fidelitatis; Jure successionis in regnum Franciæ excidisse pronuntiat; Regnumque ejus primò occupanti exponit; Condeum quoque diro fulmine excommunicat. Principes Programmate quæruntur, vetusta Majorum Jura, & Regni Priviligia violari; Injuriam ad se, exemplum ad omnes Reges pertinere; ac multa universæ Galliæ damnosa, per Pontificem agitari: cujus tyrannide nisi confestim obviam eatur, Regem brevi in ordinem redactum iri, & penes illum omnium rerum potestatem fore, solo obtentu Censuræ Ecclesiasticæ. Reges, Augustosque devocant de cælo, qui diras Papacias contempserunt; Philippum pulchrum qui Bonifacium Octavum, jactitantem sese superiorem & Regis & Regni Franciæ, non solùm in Sacrâ, sed in re civili, profanâque, repressit: Carolum septimum, qui pragmaticam sanctionem instituit: Avarici Bitturigum, contrà Anatas reservationes, & pleonexiam Paparum; Ludovicum duodecimum, qui Julium secundum diris Ecclesiasticis exultantem, per Consilium Lugdunense à Papatu suspendit, quorum prædecessores Carolo magno, Ludoviço pio, & Lothario paruerunt; denique appellant ab Iniquitate Diplomatis Pontificij, ad Consilium generale, ac Curiam Parisiensem, quam in tàm justâ causâ non iniquam fore sperabant. *Distinctione x. cap: de capitulis.* Hoc diploma Pontificis in publica Monumenta Senatus Parisiensis relatum non est; quia factum audax, temerarium & insolens, exemplo Majorum probare non potuit; nec Pontificis auctoritatem in Francici Regni successione, Re merè civili, profanâque. Hæc diversis temporibus in Galliâ gesta in unum locum contuli, ut hoc memorabili exemplo miseriam istius temporis antè oculos ponerem, futuri periculum, ac Guisianæ factionis potentiam, nisi Rex providentiâ curâque præveniret, aut favor populi ergà Guisium languesceret.

INeunte Anno, insimulantur Proceres exules, & Matellanus, ac Grajus, conjurasse Regem tollere, aut in Angliam captivum abducere. 1587. Ejus accusationis author extitit Jacobus Stuartus, nuper prætor à Proceribus pulsus, ut inimicis conflaret, invidiam Imperij ad Anglos transferendi, ac privatum dolorem suum ulcisceretur. Cum hæ voces, vulgi rumores, & Clandestinæ literæ percrebuissent, circumsistunt Regem restituti Proceres, Judicium precantes, si mererentur; & ultionem in delatorem insuetum accusandis reis, si falsa afferret. Ille Procerum impetum cohibuit, sibi compertum referens Accusationem fictam; quo facto favorem vulgi latè quæsivit, & grata plebi Procerum

1587. Innocentia, exilium accusatori absenti in perpetuum prorogatum, rei capitalij reus factus est; & literæ, Vanitatis plenæ, crematæ sunt: quâ benignitate Proceres devotissimos sibi, ac observantissimos reddidit. Deindè Proceres ad occasiones intenti, acrius in perniciem ejus incubuere; at ille latebris se eripuit, vitamque per multos annos traduxit, quam infælici exitu clausit, varijs artibus sequentes diù frustratus. Jam Rex crebris popularium querelis fatigatus, ac tranquillitatis publicæ cupidus, in Nithiam & Anandiam, ad latrocinia coërcenda, & Maxvallij, Mortoniæ Comitis, sæpè rebellantes fiduciâ tribulium suorum, superbiam impotentiamque domandam, primam expeditionem suscepit. Ille, cognito Regis consilio, & adventu ejus perterritus, domo spontè profugit, ad vitam procul Scotiâ agendam in secessu Lusitaniæ, suscepit curam absentis & rei familiaris. Joannes Hamiltonius consanguineus, qui concedi redeundi commeatum sæpius desideravit, sed adversante Metellano, & Ministrorum adversâ factione, non impetravit: multi facinerosi laqueo suspensi; multis in spem melioris vitæ venia data; plures Anglis noxæ dediti; tribulium duces, qui quietem publicam latrocinijs, & rapinis ferocius turbabant, metu supplicij coërciti; & in pignua fidei, ac debitè obsequij, Obsides desiderati, ac dati. Ipse dimittit quoquo versùs equites, ut ob Maleficiorum magnitudinem aquâ & igni interdictos aspernantes, præfectis parere nisi ex libidine conquirerent, ac minus domi turbulentos redderent. Joannes Maxvallius Baronis Heresij frater, inter Comites Regis adscitus, ad recipiendum Carlaneorum Castellum missus, à Gramis prædonibus crudelissimè interficitur, non sine facti indignatione. Rex infensus hanc crudelissimam cædem execratus est, actores conquiri, & jugulari jussit; paucos Dumfrisæ dies morales, Edinburgum, ad Conventus peragendos profectus est; tumultibus & limitaneorum furtis hâc diligentiâ coercitis, contusisque tribulibus, in id præcipuo studio incubuit, ut privatas simultates, & hereditaria inclytarum familiarum Odia, veterum discordiarum accisis radicibus extingueret. Proinde claros & potentes viros ad se accersivit, qui magnis opibus, Cognationibus, Affinitatibus, & Clientelis innixi, tranquillitatem publicam vi aut ambitu turbabant; Communiter ab omnibus petijt, ut simultatibus positis, cædes, Incendia, raptus, latrocinia, comprimerent, æquitatem colerent, mutuis cladibus abstinerent, & oblivione Injuriarum discordias finirent; hæc si facere in animum inducerent, si legibus, humanitati, Pudori, frugalitati, & bonis Moribus assuescerent, apud se honores & præmia semper parata fore ostendit; sin minùs, Mulctas, supplicia, & Judicorum severitatem expectarent. Cum Inimicitiæ, veteri odio atroces, inter Crafordiam & Glamium, ob cædem fratris; inter Augusium & Mont-Rosium, ob sententiam latam in Mortonium Proregem intercederent; Regis precibus, & Auctoritate permoti, Glamij tutor vir fortissimus & satellitij præfectus cùm Lindesio Crafordiæ Comite clarissimo; Archibaldus, Duglasius, Angusiæ Comes, cùm Joanne Gramio, ejusdem Amplitudinis viro; Marrius nobilissimus, cùm Glencarnio, statim in gratiam redierunt; consenseruntque ut Regis salutem communi animo, ac voluntate defenderent; mox lautiore Convivio, festivitate, ac hilaritate, remisso omni officiorum munere transacta est maximisque poculis est certatum. Postero die, oratio Regis benigna, Iram, si quæ ex dissensionibus atque discordijs resideret, lenivit. Magistratus urbani publicum Convivium, in foro Edinburgeno, Regi & Proceribus junctis manibus incædentibus, promiscuo Spectaculo instiruerunt. Civitas omnis obviàm effusa, cùm Conjugibus ac liberis, Magistratus cùm Insignibus suis, intrantem urbem multâ cùm veneratione exceperunt, & magnis Acclamationibus multitudinis, omni laude onerantis. Reconciliatione Procerum factâ, solus Baro Yestetus sese Joanni Stuarto Traquirio, equiti nobili, implacabilem inexpiabilemque præbuit; Igitur in Castellum Edinburgenum conjectus est. Secundum hæc, Patricius Grajus, sæpè narratus, summæ potentiæ Juvenis, & charitate Principis eâ tempestate florens, malè gestæ legationis in Angliâ, proditæque Mariæ Reginæ, à Guilielmo Stuarto, fraternæ audaciæ æmulo, accusatus; quod metum & moram supplicij atrocissimis verbis castigasset (nempè *mortui non mordent*): quod occultata mandata adversùs instauratam religionem, ad Francum & Guisium dedisset. Rex offusus pudore principes amicorum in Consilium vocat; communi propè omnium consensu, uterque in Arcem Edinburgensem traditus est. Mox ambo in Senatum acciti, perstitit Stuartus in Accusatione Infidelitatis, & læsæ Majestatis, scelus & Mandata referens. Reus abnuit vera esse quæ scæleratè obijcerentur; tùm Stuartus, si id factum negarit, cæteraque quæ objecisset, gladio defenderet sese. Sed pervicaci Accusatione conflictatus, cum parum constanter, tremente voce, diluere Crimen videretur; nec subsidium dubij flagitij ab Audacia peteret; certatim Proceres circumstrepunt, Majestatis reum esse. Rex perculsus immanissimi facti atrocitate, non aliud prosecutus est, quàm *ô facinus nefarium! ô scelus!* jussitque ut pœnis Majestatis afficeretur. At interim Joannes Hamiltonius, summa eo tempore Auctoritate, genibus Regis advolutus, Clementiam expetivit, flagitavitque ne Exitio daretur. ejus favore, precibusque Procerum, ejusdem sanguinis, venia data, perpetuum exilium indictum, præmiumque Accusatori irrogatum. Rex crudelissimum factum deflevit, & Edicto Proditorem execratus est. Metellanus jus versibus proscidit.

Inter Proceres conciliata concordia.

Sis Paris, an Grajus dubito; pulchille videris
Esse Paris, formâ, Marte, & Amore Pari.
Fax etiam Patriæ nec fato aut Omine differs;
Græca tamen Grajum te docet esse fides.

Intereà

Intereà suspicione arreptâ deprehenditur à Bothvelio Anglus quidam, deduciturque ad Regem, tanquàm ob infandum scelus, ac paratum ei venenum; is inditis vinculis in Custodiam conijcitur; rumorque ex oritur in Leicestrium gravis; auditur Rege coràm, & diluendi Criminis facultas conceditur, ne id hostiliter factum gens Anglica deferret. Confessio patefacta non est, neque postea cognita, insertum an insons, de conscijs interrogatus non edidit. Constanti vulgi rumore percrebuit, hunc ab interfectoribus Matris summissum, ut filium veneno tolleret. Bothvelius apud Nobilitatem prædicavit subornatum à Leicestrio. Nec multo post Rex in hoc Conventu Procerum disservit magnam vim magnum nnmen esse, unum & idem Sentientis nobilitatis Clarissimas familias odijs atque dissidijs. funditùs eversas; Amicitiæ Coocordiæque fructus ex dissentionibus atque ex discordijs percipi posse; domesticas dissentiones, & intestinas factiones incruentam victoriam hostibus præbere: Concordiam arctissimum atque optimum in omni Rep: vinculum incolumitatis esse. denique in Matris Interfectores acerrimè ioventus est; & quod suspicaretut sibi cum Anglis bellum fore. Proceres, qui jam frequentes aderant, coosuluit. Re agitatâ in publico gentis Concilio, ferociores scelestum ac nefarium facinus acerrime vindicandum censent; universe gratuitam & sinè stipendio operam afferunt, vitam cæterasque omnes fortunas ad discrimen belli paratas fore profitentur. Si quis Regis Jus in Angliam oppugnet, demonstrant non ultrà ferendam Contumeliam fortissimæ genti illatam; accersenda externa Hispanorum, Francorum, & Pontificis auxilia; ne quicquàm posteà prætermissam Occasionem quæsituros; Socium promptissimus Fran: Bothveliæ Comes, furore & Ira flagrans, sic Scoticum nomen vile, & usque adeò arma Scotorum contemnis, de cujus fortuoa & exitio suo tempore memorabo. Prudentiores securitati ante quàm vindictæ consulendum; manendum in societate Anglicâ, & receptâ Religione censebant; ne spem Regni Anglici haud dubiam, ad incertos belli casus revocaret. Rex multa secùm animo volutans, & clandestina concoquens consilia, ac res occultas cum Guisijs, & penitus abditas, cognitâ Procerum voluntate, laudat Amorem, benevolentiam & studium eorum io consulendo, cæterùm ultionem sibi curæ fore respondit; & Comitia Regni x x i x. Julij, Edinburgum indixit. In tantâ mole rerum, Jacobus in ætatis flore, summâ domi apud Proceres, & plebem gratiâ, incredibili foris famâ, Annam Daniæ Friderici secundi Regis filiam, suscipiendorum liberorum causâ, in uxorem ambit. Patricium Vausium, honestum equitem, & Petrum Junium præceptorem, homines idoneos, cum liberis mandatis, in Daniam mittit: jam Matrimonij Certus pacem domesticam fovet, Proceres in Unitate & Concordiâ retinet: His diebus auctus Metellanus Præturæ dignitate, tale ingenij specimen præbuit in Judicando, non opinione tacitâ amicorum, sed perspicuâ admiratione omnium, ut Rex Juditio, Prudentiæque ejus magis indies fideret. usus complurium negotiorum exacuit illam ingenij aciem; omnia momenta observat temporum atque rerum, circumspicit omnia vulnera Reip: oullum prætermittit ejus juvandæ locum; Negotia Regis, & Munia regni ad se trahit; ita publica curat, ut privata non negligat; altiùs metuit suspitiones Ministrorum, qui io multam Nominis famam, & ingentem vitæ morumque admirationem veneruot; & ingruentem Invidiam Procerum. Ac fortè per illos dies, Ecclesiâ Contentionibus lacerâ, Præsules dolent ea, quæ vitio suo, desidiâque contigerunt: pro parte virili sua Jura, & sacri Ordinis dignitatem tuentur. Ministri laborant, ut Antistites vel sibi subijcerent, vel penitùs everterent; eoque Cootentiones deveniunt, ut Præsulibus Jus nullum Prædiorum, & Redituum potiendorum dicerent; Otium, Inertiam, & Opulentiam exprobrarent. Metellanus exhausto ærario, & proprio Regis patrimonio incuriâ Proregum absumpto, vel maximâ parte augendis proventibus Ecclesiasticis à Majoribus consecrato, Ministrorum Conatus adjuvit, qui divitias Ecclesiasticas fando scribendoque damnarunt; prædia, Reditus, resque immobiles possidere nefas pro diderunt; de Annuis Episcopatuum, Abbatiarum, cæterorumque beneficiorum Reditibus, deque decimarum proventu, nihil nisi ad victum & vestitum necessaria stipendia, postularunt. Lucri ostentata magnitudo, Prætorem & Aulicos, qui Juvenilem Regis animum, & aures pithanalogiâ possederant, eò perduxit, ut Regi Suaderent, potestatem designandi Episcopos ad suum arbitrium revocate; fundos, & Redditus Ecclesiasticos Patrimonio Regio insolubili copulá annectere; Præsulum opibus, pubicis necessitatibus subvenire; & benè merentes remunerare. His blanditijs & Assentationibus Regem, ætate infirmum, facilè in suam sententiam pertraxerunt Episcopi per amicos certiores facti, hæc io Aulâ in suam perniciem agitari, Regem ab Inimicis sollicitari, crescens malum prospexerunt, cui medendo impares erant; nec aliud Remedium habebant, quàm ut Aulicorum cupiditati se exponerent: judicabant enim id agi paucorum Consilio, neque liberis suffragijs Ordinum impetrari posse. Interim Ministri, Præsulum exitio inhiantes, & ultionis avidi, sibi Regem & Aulicos conciliarunt spe prædæ, & non dubitarunt toti imposito Ecclesiæ vulnere, insulsè gloriari, se Episcopis mortiferum vulnus inflixisse, quod non Caput solum, sed totum Corpus afflixit. Metellanus & primores Aulicorum, Ministris gratias egerant, quod Opem atque Officium suum Regi præstarent, atque Reditus ejus adjuvarent. His rebus in Aulâ agitatis, Comitiorum dies appropinquabat; quare, more gentis, probouli deliguntur, qui desideria Procerum & Plebis ad Ordines referrent, ut superioribus facere Comitijs consueverunt. Selecti Proceres, Equites, & Procuratores Civitatum, in Aulam evocati, de fundis Ecclesiasticis Patrimonio Coronæ annectendis: ibique est orta consultatio; ab ijs haud est impetratum ut in Comitijs tes propone-

1587. retur. Metellanus, Blantgreus, & Banantinus summâ contentione egerunt, ut id fieret quod postularetur, si Regem respicerent, atque ejus utilitatem; illi propositurost se omninò negarunt, & si facerent adversùs Remp: facturos se pronuntiarunt. Metellanus vi, Metu, Minis, perterritos exagicat, voluntatem Regis eis proponit, emolumenti spem ostentat, & in suam sententiam perducere conatur; tandem precibus, Minis, & spe lucri coacti, à suâ sententiâ discesserunt; & ea facturos, quæ imperaverit, promiserunt. Ubi ea dies Comitiorum venit, Proceres, Civesque frequentes concurrunt: sed publica negotia privatis dissentionibus distinantur; Contentiones inter Crafordium & Bothnelium, summæ potentiæ Proceres, Hunium & Fleminium exortæ sunt, qui suffragijs in Comitijs initium facerent; incredibilis fuit, ac singularis furor, convocatis Clientibus res revocatur ad sententias, Crafordius Bothnelio, Hieminius Hunio, cunctis assentientibus præferuntur; atque ille Contentiones ita dijudicatæ sunt, & deinceps publico decreto vetitæ. Similiter his Comitijs David Lindesius, Concionator Lethensis, Præsules & Antistites non criminibus modo, sed probris & maledictis exagitavit; quod neglectâ disciplinæ Ecclesiasticæ curâ, de Opibus, Reditibus, & privatis commodis cogitarent; petijtque ne liberis suffragijs in Comitijs uterentur, nisi qui Sacramenta administrarent plebi sibi commissæ, & verbum Dei prædicarent. Rejecta postulata, adversante Procerum cætu, qui subvertendum Præsulum Ordinem non existimabant. Probouli, datæ fidei memores, de consilio Aulicorum, præda Ecclesiastica patrimonio Principis contribui petunt. Metellanus prætor occasionem arripit, dissetitque de Regiâ sacrorum potestate: Si quid Ecclesia Juris habeat, si quos fundos latè possideat, annuosque percipiat opulenti patrimonij reditus, hoc omne Regum liberalitati, munificentiæ, acceptum referri debere; nec sine manifestæ Ingratitudinis notâ id dissimulare licere, Regis Scotiæ, præter cæteros Orbis Christiani Principes, pro modo facultatum, Ecclesias eximijs donis, nobilibusque fundis ditasse. Davidem primum in augendis proventibus Ecclesiasticis, omnes superasse; & posteros Reges, præpostero pietatis zelo, & profusâ largitione; penè ad pudendam inopiam redegisse; fructus harum donationum modicos extitisse, literarum studia extincta; Impedimenta hæc, non adjumenta; Onera, non subsidia studiorum. quare, inquit, duo potissimùm vobis exquirenda sunt, an Præsulibus conveniat, Latifundia & amplos Reditus possidere, oneri magis, quam usui; In publicâ Orarij inopiâ, & maximâ patrimonij regij deminutione? An immodicè data repetenda? Interim Ministri, præcipui incentores ruinæ Ecclesiasticæ, acerbissimis Concionibus Præsules & Antistites sibi ignavos, reip: graves, luxu & opulentiâ, insectantur, in opes & Reditus multis Calumnijs, invehuntur. Præsules tot Convitiorum tela objecto patientiæ scuto excipiunt, & calumniosas voces modesto silentio retundunt; Reditus non ad Invidiam, nec ad luxum, sed ad Necessitatem ostendunt. Diu deliberantibus Proceribus, justissimum visum est, Immodicè data indè repeti, unde Inopiæ publicæ causa erat. Mox cunctis Procerum, & Plebeij Ordinis suffragijs, temporalia prædia, & possessiones Præsulum, quæ ex Principum, Procerumque liberalitate, jure humano, Monastecijs, Collegijs, & Episcopatibus, obvenerunt, ad sustinenda onera Reip: fisco & Patrimonio Principis contribuuntur insolubili nexu, qui non diu duravit: quippè Abbatiæ, & Prælaturæ, promercales viri, & sordidâ pecuniarum, nundinatione proponuntur; præpotentes Audici dignitatibus Ecclesiasticis ornantur; decimæ, & sacerdotalia Jura Ecclesiæ Ministris vix servantur; Patrimonio omni Ecclesiæ abjudicato, publico Ordinum decreto, Comitia dimittuntur.

Inter tot publicas curas, Metellanus, boni publici specie, ex aulicâ nundinatione pecuniam corasit, quam vel publicis, vel fisci rationibus illatam oportuit, feuda, Latifundia, aliaque Præsulum Jura Dominica in privatos usus, pretio convertit; Ministrorum Cupiditati egregiè imposuit; eorumque assiduas & importunas postulationes vanâ spe illusit; quæ res magnam ei Invidiam statim conflavit. Ita hoc remedio non senata Ecclesiæ vulnera, sed gravius affecta; non adjuti Principis Reditus. nam statim à publico decreto, omnia Aulicis, qui gratiâ florebant, vel donata, vel pretio vendita; non sublevata publica onera. Ministri donata Latifundia, & concessos Aulicis Ecclesiasticos Reditus deplorant; nec ullas publicas merces tàm venales, quàm bona Ecclesiæ; multitudinis animos, paupertatis ostentatione commovent; populi charitatem magno ardore excitant; exigunt nunc pretium Votorum & precum, qui in Otium & Opulentiam Præsulum tàm acciter, & indignè invecti sunt. Multæ Constitutiones Regiæ reip: salutares his Comitijs latæ; Rex sui Juris factus, in pueritiâ suâ cùm alienæ potestatis esset, data, aut in præjudicium Coronæ alienata, revocat; cavetque ne liceat res Coronæ alienare.

Finitis jam Comitijs, Proceres dilatam ultionem quærentes, genibus Regis advoluti, ulcisci Parentem demonstrant opportere. Si nefarium scelus vi manuque vindicare in animum inducat, consentiente voce memorant, se pro ejus gloriâ, & vindicta detestandi maleficij oppositurost. Rex gratias egit, & amplissimis verbis benevolentiam Procerum collaudavit. Inter hæc multæ machinationes, non ad delendam, sed ad commutandam Remp: excogitatæ. Huntileæ Comes, neque consilio, neque fortitudine insignis, sed omnium Scotorum longè opulentissimus, iratus Metellano, qui eo tempore omnia in Rep: ad arbitrium administravit; Joannes & Claudius, Hamiltonij familiæ principes, Glencamiæ Comes, & Maxvallus Heresianus, pariter infensi, quod Maxvallium Mortoniæ Comitem, Socium atque Amicum expulerat; hi in nullam partem dominationis assumpti, in privatâ vitæ conditione conquiescere noluerunt; convocatis Clientibus & amicis Regem Fermelinoduni

convenerunt,

1587. convenerunt, hâc impulsi occasione. Metellanus nunc præturæ, & Baronis dignitate auctus, & præcipui Aulæ Ministri Bannantinus & Blentgreus rerum mutationem augurantes, præceperunt Magistratibus Edinburgenis, ut noctu vigilias agerent, seditiosis celeretatisque conatibus resisterent; & fioxerunt rumores, Huntileum eversionem Instauratæ Religionis moliri, Magistratibus vim intendere, Remp: oppugnare; indè urbana Juventus contrà Gordoniorum & Hammiltoniorum repentinum impetum armata est. Igitur Huntileus, ubi neque insidiæ Metellano procedebant, & intelligebat urbem vigilijs munitam, tunc planè deterritus, suæ securitatis causâ, Fermelinoduno discessit. Ita Prætor curâ, cogitatione, industriâ pacem firmavit, & rutam tranquillamque potentiam retinuit, pacatæ quietæque Scotiæ civitates manserunt, donec Maxvallius Heresianus Occidentalis limitis præfectus, potestatem Pontificis Romani, jam pridem invisam, & Cultum Romanum Dumfrisæ revocaret. Ibi, pristinæ dignitatis recuperandæ spe, Sacrificuli è latebris prorepserunt, ac speciem tumultus præbuerunt, solenni Missâ in urbe celebratâ; purioris Religionis Ministri se in fugam Conjecerunt. Verùm in Dumfrisano Motu plùs terroris, quàm periculi fuit; quippè gravissimæ penæ comminatione, Rex Heresianum ab asserendæ Missæ ardore deterruit; novandæ Religionis motum, in Nithiâ finè cæde & Sanguine compressit; pacatâ provinciâ, necem comminatus est, si in posterum tumultuaretur; tantumque metum Judicij injecit, ut ad genua ultrò accederet ad deprecandum veniam; Jacobum Gordonium, Hontelei patruum, Jesuiticæ societatis, in Sacris literis non mediocriter versatum, in Palatium sanctæ Crucis evocavit; ibique frequenti Ministrorum Cætu, de rebus difficilimis, Auctoritate Ecclesiæ, Sacrificio Missæ, *Μετανοίᾳ*, Eucharistiâ sub unâ, specie, Purgatorio, Indulgentijs, & cæteris profani Cultus Inventis, argutissimè disputavit; ac multis & gravibus argumentis *Pias fraudes*, Impietatis testes, & portentosas Papanorum Opiniones facilimè confutavit: quâ de causâ exceptus est effusius Ministrorum laudationibus, exsultationibus, acclamationibusque populi; Victorem eum pronunciantes. Gordonium, oaturâ & ætate invalidum, cum ad sanitatem flectere non posset, in Franciam, cùm bonâ gratiâ, dimisit. Interim durissimo hyemis tempore, Huntelcius, homo minimè ambitiosus, si per propinquos turbidos licuisset, tumultuari non desistit; servos circùm amicos dimittit; atque in suis finibus habet Dilectum; multitudinem cogit, armat, instruit: adijcit iterùm factioni suæ Hamiltonios, sanguine propinquos, & multos Proceres, Prætori, privatis de causis, infensos; qui omnes, tempore constituto Limmichum concurrunt. Metellanus hanc procellam intentam in se cernens, & præsentem ultionem metuens, multiplici undique familiâ comparatâ, ad asserendam dignitatem, Amicos, Clientes, & multos viros nobiles ad arma convocat, præsidij causâ; summæ prudentiæ summam fortitudinem adjungit; loricâ sub veste munitus, ferrum veste abdit, quo se tutaretur, si qua vis fieret. Cum jam gravissima tempestas imminere videretur, Rex prudentiâ imminentis tumultus formidinem discutit. Patricium Moravium, Clientem suum, ad Hunteleum mittit, & obtestatur ut in fide & obsequio maneat. id consilium eventum sortitur, Hunteleæ Comes, minimè turbidus, & ad quietem proclivis, fidem & obsequium memorat, si Prætor administratione Reip: decreto senatus summoveretur; Cupiditatem Cruoris hauriendi frenat; & bis senis comitantibus valentissimis amicis, Regiam sanctæ Crucis ingreditur; genibus provolutus Iram Regis simplicitate ac Observantiâ lenit; convivij lætitiâ, multâque Comitate à Rege cultus; in eodem cubiculo pernoctat; reliquiæ factionis illius pro tempore extinctæ sunt. Trepidabat nihilominus Metellanus, ne juvenilis animus à Gordonio mutaretur, qui multâ cùm Invidiâ aperiebat Ambages, & Attes ejus; largitionibus corruptum, ac pleraque fæda flagitia memorans: sed non ideò pervicit, quin Rex magis ad meritorum memoriam, quàm Calumniantis Invidiam revolveretur. Ergò ubi depellere nequivit, desperans tàm præcipitis consilij eventum, post paucos dies domum regressus, Abredoniam urbem Pronunciæ suæ proficissitur; eo cùm venisset, magnâ difficultate eam Civitatem Baliohaniæ Comarcho conciliat. Dum in Scotiâ hic rerum status est, belli à Scotis & Hispanis imminentis metus, Reginæ Anglorum animum altius penetravit; neque magnam spem habebat, recenti adhùc memoriâ tàm gravis Injuriæ, absque ullâ satisfactione Regem sibi placari posse, donec acerbissimus dolor, tractu temporis, languesceret, & Ira deflagraret. tandem Crimine in Davisonum, & quorundam Consiliariorum inconsultam temeritatem rejecto, Jacobum aut reconciliare, aut mitigare dat operam; & per Hunsdonium, Bervicensis præsidij præfectum, multis condimentis humanitatis, ac immodicâ adulatione flectit; monetque ut cogitet, quanti periculi sit bellum funestum suscipere; sibi nec domi vires, nec foris Amicos, nec Anglis virtutem fortunamque deesse si res in contentionem ac discrimen veniret, Angliam armis, opibus, re navali, & Juventute florere. Scotiam tristi & domestico bello attritam, spem externæ gratiæ incertam ac inanem, Longni qua auxilia Matrem infæliciter expertam; Francum haùd ignarum, quàm ex usu Regni Galliæ esset incrementum Regis Scotiæ; id ægris oculis iospecturum; Hispanum in præsentiâ jactare se, Lancastriæ familiæ genere maximè propinquum, haud ambigua Regni Anglici consilia agitare; Jesuitas, & exsules præposteræ ejus ambitioni inservire, exoletum, incertum, vanumque titulum Codicillis fovere. Addit, si quis belli tumultus inter hæc Regna, eâ de causâ oriretur, quæ Ordinum decreto approbata, ut universa Britannia ab omni domestico tumultu, ac externo bello liberaretur, plebis Anglicanæ ac omnium Nobilium salus in discrimen veniret qui, si dignitatis, vitæ ac fortunarum omnium periculum subeundum intelligerent, quod

1587. Reginæ suæ & securitati Regni tempestivè prospexissent, publico decreto ipsumque ac Posteros Regni Anglici hæreditate exclusuros, gratiam & Jus successionis convulsuros, aut imminuturos, quod nunc firmum,& ratum, ac suo tempore Procerum judicio confirmandum,si iu Religione, Pace, ac amicitiâ constaret. Postremò demonstrat, pietati in Parentem, ac honori suo satis consuluisse, cùm nullum pijssimi Filij in Matrem Officium in tempore prætermitteret: sibi ex necessitate pereundum fuisse, si Maria imperio fæmina delectata, nec illud nisi morte depositura,rerum potiretur. Gravissimæ Offensæ justum dolorem, & Vindictæ cupidinem nondùm blanditijs placare potuit, quam dies posteà, & utilitas publica mitigavit; quippè commotum his Regem perpulere Anglicæ factionis Proceres, ut securitati & successioni Regni Anglici potiùs consuleret, quàm Iræ, cùm jam terrâ marique ingens clades ab Hispano infenso, & ad bellum prorumpente, immineret.

Res Anglicæ. Elisabetha misso cùm Classe *Draco*, ut ultrò Philippi bellum inferret; totam in hostes Cladem impigrè avertit; Centum naves in *portu Gaditano*, Commeatu, Tormentis, & cætero belli apparatu oneratas, aut mari submersit, aut igni vastavit, Inter cæteras duas Onerarias *Galeonam Marchionis Sanctæ Crucis*, eximiæ magnitudinis, & alteram Ragusinam Oceano adventantes interrexit: utque Hispanos ad sua defendenda cogeret, exscindere parat Castella, Propugnacula tria oppugnat, & tradentibus ipsis præsidiarijs, recipit. Inde *Cascaletum*, ad Ostium Tagi fluminis, classe petit. ibi *Marchionem Sanctæ Crucis, Præfectum Philippi*, ad pugnam provocat, neque illum, ignaviam confitentem, excire ad arma contumelia potuit. Igitur *Dracus*, quæsito diu prælio, bellum circumferre coactus est; omnis Ora Maritima acervis corporum, & Hispanorum sanguine mundavit, Marchione inspectante. Indè progressus ad *Azoras insulas*, Onerariam unam ex classe Indicâ, pretiosissimis Mercibus onustam Caraquam, gennli vocabulo vulgus vocat, sancti Philippi nomine insignem, primo impetu expugnavit: Tigna, Lintea, Spartum, & Navalem materiam ad Classem edificandam in Portibus, avertendi Maritimi belli causâ, incendit. Hæc Victoria læta omnia, prosperaque Anglis, adversa. Iberis portendit; eosque cogitantes cùm summâ Classe in Angliam traijcere, hoc Anno domi continuit. Mercatores Londinenses, cognitâ, per Codicillos Mercium Judices, quæstuosâ Mercaturâ, Indiæ Orientalis societatem instituerunt, magnâ gloriâ. Itaque ingenti consensu bellum adversùs Philippum decretum. Angli ex vetere fortunâ animos sumentes, certatim provolarunt; non Mare solum infestum, sed omnia loca Maritima, Europæ, Africæ, & utriusque Indiæ, Hispanis, continuis exscensionibus, fecêre.

Pari fortunâ *Thomas Canendishius* usus est. Is *Fretum Magellanicum* prætervectus palàm insensavit Americam; in orâ *Peruniæ & Novæ Hispaniæ*, oppidula passim incendit; Regiam navem opulentissimam Auro, Argentoque infecto, & Mercibus Indicis oneratam, in Australi mari intercipit. Indè per *Insulas Philippinas, Moluccas, ac promontorium Bonæ spei.* uno demum navigio, auratâ prorâ, & versicoloribus velis, Londinum navigavit, haud minore audaciâ & gloriâ, Tertius Terrarum Orbem circumvectus est.

Res Belgic. Inter hæc, in Belgio Dux Parmensis *Sclusam* obsidet; eâ oppugnatio diu tenuit; Anglorum duces Rogerus, Williamus, Franciscus Verus, Thomas Baskervillus, Muri parte Stratâ, impetum hostium fortiter sustinuerunt. Igitur Leicestrius accitus ad Imperium, omissâ Aulâ, ad subsidium sociorum, nonnullâ spe profectus est. ac primò lætus Batavis adventus ejus, at cum trajecisset, procul stans, ut videri posset, spem tantum auxilij, ex propinquo ostendit; ac socordiâ bellum aluit, neque terrâ, neque mari adjutis præsidiarijs, Urbs hostium conatibus opportuna, dedita est, quæ eripi ex obsidione potuit, si Auxilijs & Socijs cohortibus Parmensi institisset. Hinc Leicestrium invisum aliorum malefacta premunt, quia *Rolandus Torkus*, natione Anglus, degener & exitiosus, odio Leicestrij flagrans, Propugnaculum juxtà Zutphaniam, quod præsidio Anglorum tenebatur, nefariè prodidit; undè Ignominiosam proditionis infamiam sibi comparavit, & funeris Officium, pro præmio sceleris, infamis invisusque quoad vixit. Per idem tempus *Gulielmus Stanelius*, Stirpis Derbiensis diu fortiter meritus, Babingtonij sceleris sibi conscius, aut occultâ corruptione Yorki impulsus, *Daventriam*, urbem Naturâ & præsidio munitam, pari scelere tradidit. Ipse in Hispaniam profectus est, repetere Officij præmium, & fractum: ubi non prospe acceptus est. *Pagtonus* Scotorum Tribunus, privatam injuriam fraude ultus est, *Geldriam Civitatem* deseruit, ac hosti prodidit. Id eâne de causâ, an perfidiâ adductus fecerit, incertum relinquo. Celeriter ad omnes Ordinum civitates fama Proditionis perfertur, quæ de dolis, machinis, fallacijs, gravissimè & acerbissimè queruntur. His querelis commotus Leicestrius, & dolis præsidiariorum hortatus est fæderatos ad Concordiam, si quâ hominum æquitate res ad fædus deduci posset. abnuunt Pacem Batavi eo tempore infirmiores; satis cognitam Hispanorum perfidiam prædicantes; id ægrè & in præsentiâ passi, & in futurum etiam suspicionem ceperunt; moxque gentili libertate, licentius Noni Gubernatoris ignaviam, & perfidiam exagitarunt. Ille incensus & ad Minas prorumpens, semina odiorum jacit, Populum ad discordias trahit impellitque ut Pacem

ut Pacem flagitarent. Comitati, Magnificentiæ, & aliquandò Luxui indulgēt: Sæpius vinolentiam & Convivia grata Batavis usurpans, multos sibi conciliat, occupare Belgij opportuna loca constituit, sed urbibus vini facere non potuit, præsidijs prohibitus, qui partis adversæ fuerunt. Suspectis Gubernatoris consilijs, secretis nuncijs monent Reginam, ut à finibus Belgicis eum abstraheret, & rebus turbidis pro tempore consuleret. Itaque ne irritum bellum traheret, jubente Reginâ revocatus est, multis irridentibus egregium. ***Excellentia*** titulum, & Imagines ejus subvertentibus. ***Mauritius*** Nassovius, Aurasionensis filius, bello strenuus, ijsdem in terris ortus, in ejus locum fæliciter suffectus est, quippè prosperas res diu gessit. ***Peregrinus Villoubeus***, vetere & illustri familiâ, Anglis in Belgio militantibus præpositus est pari fortunâ. Revocato Leicestrio, ne initium belli adversus Socios existeret, nihilominus factionis ejus homines faciunt maximas turbas in urbibus. Russelius Flussingæ præfectus, Valacriam Insulam in suam potestatem redigere animo intendit. Regina ne turbidis consilijs annuere videretur, monet ***Villoubeum***, ut tumultuantes & in tempore rebellaturos ad solitum obsequium reduceret; Igitur properè moderatione, prudentiâque turbas composuit, urbesque Batavorum, ***Getrudis fanum***, ***Bergam***, ***Nordam***, ***Vorcomium***, ***Hueslam***, ***Medenblicam***, Aulicæ Societatis, imperata facere coëgit, ***Mauritio*** honestos Conatus adjuvante. Profectò arsissent bello fæderati, nisi ***Villoubeus*** tempestivis remedijs subvenisset. Ita quies Provinciæ reddita, extinctâ Seditione. Buchurstius, jam mihi sæpe narratus, Leicestrij factis atque dictis. Custos in Belgio appositus, potentiam quærens acerrimis consilijs, Leicestrium malis Artibus Batavis infidum, damniosumque socijs magis quàm hostibus, ad cognitionem Senatus vocavit, quia Regina causis Rebellionis auditis, jus etiam statuendi dedit. Turbatus his Reus, & volutans secùm adversæ factionis potentiam, ac Reginæ indolem multis experimentis antè cognitam, Colloquium ejus nonnullâ spe exposcit; ubi datum secretum genibus provolutus Clementiam expetit, multâ cùm humilitate orans, ut reminisceretur pristinæ gratiæ, ne summam gloriam summâ ignominiâ commutaret. Commota blandimentis Elisabetha, facilis, exorabilisque fuit. Posterâ die ad causam dicendam vocatus invisus & nocens, tantum illi securitatis fuit, ut discumberet inter Judices, quo Accusatores deterreret: cumque Crimina ederentur Crudelitatem & Iniquitatem inimicorum, multâ cum Invidiâ, incusans, nihil pro Innocentiâ disseruit; sed ad Reginæ, jam pronæ ad Misericordiam, arbitrium provocavit. Ita magnas Accusatoris minas, magnamque Judicij expectationem elusit, vindictam in delatorem, & munera publica sibi suisque obtinuit. Accusator jussus à Reginâ domi se continere. Robertus Denoreus, Essexiæ Comes, decorus adolescens (de cujus flagrantissimâ gratiâ, potentiâ, & exitio infrà memorabo) Leicestrij favore, Hipparchus factus est. Hinc manifestum est, potentiam melius cautis consilijs, quàm acribus quæri.

Magristratus publici aliquot hoc Anno mortui sunt, ***Radolphus***, ***Sadlerus***, Lancastrensis. Ducatus Cancellarius, qui ad Remp: moderandam, usum & scientiam, & studium suum, contulit. In locum ejus suffectus ***Valterus Mildmajus***, prudens & vigilans; Bromleus Prætor, Juris Municipalis peritissimus, Eduardus Rutlandiæ Comes egregiâ & dignâ homine nobili doctrinâ ornatus, successor ei destinatus fuit, nisi morte extinctus subito fuisset. Christoforus Hattonus equestris ordinis Marianæ Cædis molitor, nullâ cognitione rerum, nullâ scientiâ ornatus, nisi domesticâ eloquentiâ in verborum cursu positâ, à Præfecturâ Satellitij ad Præturæ dignitatem, Principis favore, evectus est; aut callidis æmulorum artibus, ut per eum honorem ab Aulâ ablegarent. Ipse jam Causis agendis intentus, Assiduitate, Integritate, Æquitate, & suali Jurisconsulti prudentissimi hominis Sapientiâ Juris scientiam supplevit.

Hæc in Angliâ & Scotiâ, domi, militiæque gesta; In Hiberniâ, Perottus domitâ gente, acceptis Obsidibus, collocatis præsidijs in locis opportunis coërcendis latrocinijs, pacatam Provinciam Fits-Villiamo, jàm quintùm Proregi, tradidit; antè nemo hunc magistratum quinquies consecutus est, tanta autem inerat Comitas Perotto, insueto moribus Provincialium, ut infestissimos hostes sibi conciliaret. Instaurator haud dubie Hiberniæ, provinciæ præfuit, non minore Justitiâ quàm fortitudine. decedens Poculum cum psittaci effigie insculptâ, & inscriptione præclarâ reliquit, ***In pace relinquo.*** Non sanè aliàs magis armis equisque, in Anglorum morem, domi exerciti Hiberni, adversus Æbudanos; & foris Belgicis prælijs innutriti, non multò post in Cædem Anglorum prorumpere ausi. Itaque relicta Provinciâ, relicto exercitu, infeliciter in Angliam, ad honores adipiscendos trajecit. quippè revertentem Elizabetha ad Remp: gerendam non ascivit, ex Consilio amicorum, qui excellentis viri bellicam virtutem Invidiâ dignam, non Imitatione putarunt. Perottus militari ingenio, vim suam, ardoremque compescere non potuit, ac exitium Iræ impotentiâ provocavit. Fits-Villiamus jam Hiberniæ impositus placidius quàm par fuit, ferocem Provinciam rexit.

Res Hibernica.

In Franciâ ***Dux Guisius*** intemperantius Indignationem præ se ferens, Invidiam Regi conflavit, favoris in Protestantes insimulans, quod stipendium serius præstaret; & nulla in tempore Auxilia submitteret. Rex discordiarum Principes, Navarrum, & Guisium, auctoritate suâ coërcere non potuit, & arbitrio quidem suo neutram partem extollere, aut deprimere voluit. Ita cunctantem Regem

Res externa.

Guisius

1587. Guisius ad arma invitum perpulit, & universam gentem in Civilem rabiem rapuit. Ratio administrandi belli, libera ei permissa, Navarrus clàm in Germaniam mittit, subsidium rogatum. mox quinque Germanorum equitum Millia, & decem Helvetiorum Galliam irrupêre, ductoribus Duce Bullionio, Castilionæo, & Barone Donnanio, Præfecto auxiliorum. Ubi allatum est ex Germaniâ venire Auxilia, Rex Jonsam, summâ gratiâ & auctoritate Navarro per Pictavium ingruenti opponit; Simul admonet, ne hostes castra conjungere pateretur. Dux Guisius qua Germani iter facturi videbantur, se objicit infestisque itineribus Commeatus qui comportabantur in castra Germanorum, intercipit; dispositisque insidijs equitatum hostium sæpè aggressus, prospera prælia facit; & summâ ope nititur, ut Pabulatione ac Commeatu Germani prohibeantur. Jonsa princeps amicorum Regis, temeritate inani Navarro ad Curtrasium obviam it, omnium suorum fidem atque virtutem invocat, cum utrinque ad Certamen militum animi accensi essent, eques prorupit, exceptusque Protestantium compositis turmis, subitò funditur, fugaturque. Vasconum lectæ cohortes Peditatum magno impetu perrumpunt; diffugientibus cunctis, Jonsa cùm fratre interficitur, & multi Proceres, Aulæ quàm belli peritiores. Princeps Condæus pugnam ciens, paulum infrà Costam, gravi lanciæ ictu vulneratur, vulnusque lethale posteà repertum est; ex quo decessit, relicto filio posthumo; vir verè militaris, & multos belli casus expertus, majore virtute quàm fortunæ fælicitate, quæ nunquam fortissimi viri animum imminuit. Miles, fessus prælio, paucorum dierum quiete reficitur, cum instandum cæptis foret, victoris exercitus robore. Navarrus interim magnâ difficultate afficitur, quâ ratione ad Germanos auxiliares pervenire posset: nam regij omnia vada Ligeris fluminis, dispositis opportune præsidijs, clauscrunt, ne ipse ad eos contenderet. Guisius à tergo, Meduanius frater à latere, acriter Germanicis copijs institêre, ne flumen transirent, & Navarro se conjungerent; in eo rari spem victoriæ verti, si transitum fluminis interclusissent. Per eosdem dies Germani, post longum circuitum, in Belsiam penetravêre, vigilias & militiæ munia Aigneanæ incuriosè agentes; de quâ re per Exploratores certior factus Guisius, confecto properè itinere, Sopitis vigilibus, ut in nullo propinquo metu, Germanos equites, somno vinoque sepultos, aggreditur, trucidat, atque in fugam conijcit, qui multis amissis, & impedimentis sese receperunt. Bullionius & Castilionæus ex tàm ancipiti peste cùm Francorum turmis incolumes evasêre. Helvetios ordinem agminis servantes domum remittit, pretium proditionis numerans; prosperè datæ pugnæ, Nuncios cladis, per proximas Civitates dimittit, memoratque, suâ operâ, intercepta Germanorum, Helvetiorumque auxilia; discordem, dispersumque Navarri exercitum, fractas spes, viresque ejus: Sibi salutem, securitatemque Franciæ cordi fore. Erant jam magnâ ex parte Plebis, Nobilitatisque ad favorem Guisij inclinati animi, beneficijs, Muneribusque obligati, & aliquantò quàm in Regem propensiores, nunc Urbes etiam, Civitatesque, impulsæ præcipuo Parisiensium Studio. Inde graves simultates, inter Regem & illum exarserant, quæ nisi alterius aut utriusque interitu finiri non poterant. Ipse Guisius studijs Procerum, clamoribus Populi, & fiduciâ Philippicæ potentiæ fretus, Sancti fœderis specie Franciæ Civitates ad defectionem trahit; majorem partem subditorum distrahit; Auctoritatem & Potestatem Regiam occultè convellit.

Pugna Aigneana.

Helvetii accepta pecunia domum revertuntur

1588. HÆc ab Aulicis suspicionibus & conjecturâ coarguuntur; & incidere in suspitionem Regni appetendi insimulatur. undè Rex ancipiti curâ cogitandi, in deliberando distrahitur, cum perniciosi fæderis potentiam, non invito populo, crescere indies cerneret. Pro Remedio in præsentiâ dissimulantiam adhibet, & futuri providus inimici opprimendi rationes excogitat; & frustrà luget ea, quæ ignaviâ suâ, desidiâque contigerunt.

Joannes Regio-Montanus, & Henricus Ranzynius, periti Cælestium, & fatidici, annotaverunt hoc Anno multiplices rerum Humanarum casus; Terra Marique atroces clades. Præsagia tristia ac adversa, varios animorum motus apud omnes gentes conciverunt. Eventus rerum prædictiones approbarunt; Britannia stupendâ classe territa; turbata Gallia, interfectis Guisijs fratribus, Sarmatæ, Sueci, Germani, mutuis cladibus attriti; nec unquam Belgæ atrocioribus calamitatibus Famis aut Pestis afflicti; turbidæ in Occidente & Oriente res; Scotia discors seditionibus, intestinâ discordiâ nihil occultum esse potuit. Speculatores Huntilei, dicta factaque Metellani in Aulâ exquirentes, renunciarunt jocasa dicta, ac contumeliosa verba multâ cùm acerbitate; quæ eo facilius credita, quod naturâ esset dicacissimus, & Carmina referta contumelijs Inimicorum Scripsisset. Metellani autem Exploratores retulerunt, succincto ferro percussores summissos, ut de improviso, domi suæ confoderent. Huntileus, Papanæ religionis studiosus, Prætorem quovis modo è medio tollere constituit, cujus precipuè prudentiâ ac auctoritate, Pontificios Conatus omnes impediri existimabat. Id quo minore periculo faceret, secedit ad Consilium capiendum cùm amicis; docet Acta, & quomodo ulcisceretur, consultat; illi profitentur se nullum periculum, contumeliæ vindicandæ causâ, recusare. His agitatis Huntileus, Crafordius, Mont-Rosius, Principes Factiones, Prætori adversæ, magnâ Clientium & amicorum manu collecta, adjunctis sibi etiam Hamiltonijs, in Aulam proficiscuntur, detrudendi Metellani causâ. Cum primùm conveniendi potestas Regis fuit, omni ope in eum accendunt; Præturam Claudio Hamiltonio; Præfecturam Castelli Edenburgeni Huntileo, Prætorianæ Cohortis Gulielmo Stuarto Tribuno militum, exposcunt.

Rex

Rex suæ Auctoritatis contemptu irritatus, flagitationibus intempestivis abstinere jubet. Metellanus, vir magni animi & consilij, in tantâ Reip: tempestate, singulari magnitudine animi, permanere in Magistratu, & Jus dicere ausus est. Cum periculum suum videret, nihil sibi nisi de Patriæ periculis cogitandum putavit; Inimicos præsentes fregit in Senatu, cùm Oratione, tùm Altercatione. Semina etiam odiorum jecit, turbandis eorum animis, traductis ad se jam pluribus: hinc vehementer commoti; ubi Consilia non procedunt, componunt Insidias, & immittere Sicarios constituunt, ut Prætorem tollerent. Ille de occultis insidijs certior factus, salute provisâ subsidio Angusij, Bothuelij, Marrij, fremente adversâ Nobilitate, Præturam cùm dignitate, & Auctoritate retinuit, ad securitatem posteri temporis, multos Proceres beneficijs, Muneribusque obligavit; nec quenquam ad honorem pervenire passus, nisi qui operam sibi in asserendâ dignitate polliceretur; acie Amicorum, Clientiumque præsidio, à furore inimicorum animo fortissimo tutatus est. Huntileus ubi neque Dolus, neque Insidiæ, quas Metellano paraverat, prosperè cessêre, sed præter spem Gratia, Potentia, Opes crevêre, re infectâ domum redijt, totumque se ad quietem contulit, privata officia obiens. Rex ut tutam tranquillamque Pacem, ac popularem bonorum gratiam confirmaret, Jedburgum proficiscitur, ut latrones compesceret. Multi Teniotiani in Angliam Obsides missi; ut reliqui à latrocinijs deterrentur, plures Comarchi noxæ dediti, Hunt-Hilli liberi, Greni-Hidensis, Corbetus, Overtonius. Indè per totam Provinciam trepidare ceptum est; quippè non modo à Teniotianis, ob securitatem plebis, sed ab ulterioribus, metu obstupefactis, Obsides ultrò accepit; maleficiorum magnitudine infames aquâ & igni interdixit. Hæc expeditio non modo gratiam vulgi confirmavit, sed etiam apud vicinos egregiam famam comparavit. in reditu Bervicum, & subjectos agros spectavit; nemini unquam Bervicenses præsidiarij majorem honorem, ostentatione Officiorum, habuerunt; quia certum erat, ei spem successionis incumbere, defunctâ Elisabethâ. Pro tantis eorum in se Meritis gratias Præfectis & Centurionibus egit; præmia militibus divisit. 1588.

Interea redijt in Scotiam Maxvallius, Mortoniæ Comes, sine Commeatu, Commentarium ferens secùm de apparatu *Classis Hispanicæ*, & occulta mandata Philippi ad complures Proceres, Romanæ religionis; Identidem ostentans, quanta præmia à Philippo manerent. huic additus Semplius, Scoticæ Legionis Tribunus, desertor Liræ, Proditione infamis, ut tentaret Popularium animos ad res novas; & Nuptias Isabellæ Hispaniarum Regis filiæ cùm Jacobo Rege moliretur. Missus quoque à Pontifice Chisholmius, Dumblemensis Episcopus, exulans Religionis causâ, ad res Scoticas inspiciendas, turbandasque. Regem quoque adire jussus, Congressu, Colloquioque prohibitus est. Siquidem nihil eo tempore prætermissum ab Anglâ, ad Majestatem Regis augendam, & benevolentiam promovendam: proindè edixit Rex, ut Cisforthani armati, Dumfrisiæ frequentes adessent, ad restinguendum incendium, scelere Maxvallij, in Majorum Ritibus & Cæremonijs propugnandis obstinati, nuper in finibus ortum: tantâque celeritate famam sui Adventus prævenit, ut Maxvallium inopinantem penè oppresserit. qui Adventu Regis nuntiato, cultu habituque servili, ad dissimulationem sui, Kircubriam, Gallonidiæ Portum, perfugit; & evadere in Hispaniam lembo tentavit. cognitâ fugâ, Gulielmum Stuartum, Kiltrium equitem è ministerio suo, ad comprehendum eum, mittit. Is quàm maximis potest Itineribus Æram Ceilæ portum pervenit; ibi nactus Navem, Centum & x x armatis instruit; neque nocturno, neque diurno labore intermisso, Kircubriam navigat, ut famam adventus sui celeritate præverteret. Eo cùm pervenisset, videt Navem, in quâ Maxvallius vehebatur; secundis ventis cursum tenentem suum, confestim insecutus est, & propiùs advectus exterruit. Is perculsus, & præsidij egens, egressus navi, impetu pulsuque remorum in Cænobium Crucis Regiæ in Carictâ appulit; ibique, fraudationis causâ, in tenebricosâ popinâ, uno omninò Comite abditus delituit. Stuartus per Exploratores certior factus, eum è suis latebris extraxit, & in custodiâ non ad Judicium, sed ad certum exitium servavit. Eo capto, Ministri clamitant, contemptæ Religionis, ac Spreti Imperij pænas ab eo expetendas; sed casu adjutus: quia infirmis intestinis, & profluvio Alvi, omnium consensu periturus videbatur, supplicium evitavit; multis tantam fortunæ commutationem miserantibus. His rebus gestis, Stuartus summâ celeritate Dumfrisam pervenit; inde profectus Lacum Mabanum, Anandiæ Oppidum, nactus est regem in oppugnatione Castelli illius, tuti loco, & præsidio militum, quibus David Maxvallius, Con-Hillus præfectus præerat. Rex misit qui suaderent præsidiarijs, ut Misericordiam potiùs quàm vim experirentur: Cum ferocius respondissent, frustrà diu tentatâ deditione, Conditionibus incruentis, Obsidionem incipit. cum longius ductam iri, loci naturâ & ferociâ Præfecti, provideret, ex Angliâ vicinâ Machinas, Tormenta, Nitrum, Globos, & reliqua quæ ad oppugnationem pertinerent, afferri imperat. Mox vineis actis tormentisque dispositis, Obsidionem accelerat. Posteà cùm Muri pars strata ruinis esset, & Machinamenta Obsessos terrent, de Conditionibus tradendæ Arcis agere cæperunt: eas qui conficeret missus Guilielmus Stuartus; is fide securitatis datâ acceptâque intromissus, nullam spem Auxilij præsidiarijs superesse, capto Maxvallio; nec quicquam præsidij, præter Castellum Commeatum egenum, ostendit; obtestatur ut sibi vitæque consulerent, Arce excedentes cùm singulis vestimentis; neu Regis Iram scelere & pervicaciâ accenderent. Cunctante adhuc Præfecto, & aversante suspecta Consilia, pacisciturimpudenter, nomine Principis, vitam & Incolumitatem. Cum Rex nullam Pactionem fore, nisi omnia permitterent, respondisset, quâ spe Præfectus

1588. Castello egreditur. concursu plurium iniiciuntur Catenæ, moxque cùm quinque administris resti suspenditur; qui à circumstantibus mortuus creditus ut fertur, dissecto fune cùm aliquandiu humi jacuisset, vitali adhuc aurâ frui apparebat; sed jam suffocato spiritu, nullâ humanâ ope Fato subtrahi potuit. His confectis rebus, Rex Dumfrisam revertitur, fures & vagos Latrones, formidine supplicij, imperata facere cogit; Castella Langholmium, Castelmilkum, & Mortonium, receptacula eorum, facilè capit; Robertum Maxvallium, Baronis illegitimum fratrem, & Gulielmum Armstrangum Kinmonthum, Latrocinijs intestinis externisque famosum, conquiri jubet. Missi è Ministerio Regio, qui per aspera loca vitabundos persequutur, magnoque incommodo afficiunt. At illi latebris, aut Sylvis se eripiunt. Rex ubi satis terruit, exercitum deducit, magnam Clementiæ, & Justitiæ laudem consecutus.

Res Anglica. Interim Philippus Hispanus, omnibus Europæ, & utriusque Indiæ viribus confisus, ingens bellum adversùs Anglos molitur; magnas Copias terrestres, maritimasque contrahit; *Classem Centum & Triginta Navium* (qualem nec nostra ætas, vel superiora sæcula in Oceano viderunt) militariter instruit, Commeatu, Telis, Tormentis, Machinisque omnis generis. *Alphonsus Peresius, Gusmanus, Metemnensis Sidonia Dux* totius expeditionis Curam obtinet. *Ioannes Martinus Ricaldus*, Nauticarum rerum scientiâ præstans, jussu Regis, Classi præerat. Erant in hâc Classe quatuor eximiæ magnitudinis Quinqueremes, quas imperitum vulgus, *Galeassas* vocabat. harum singulis præerant singuli summæ Nobilitatis Duces, cum CCCC *militaribus viris*. Totas autem compagines contabulaverant, ex omni parte intextis Laminis ferreis. in eâ quæ cæteras magnitudine anteibat, vehebatur *Hugo de Moncada*, Triremium Præfectus. Quantum militum navibus impositum sit, Authores discrepant, augentes vel imminuentes numerum, pro arbitrio; Ipse in re incertâ, certum adijcere nolui. *Sixtus Quintus Pontifex Romanus* Philippi Studiosus, Brutum Fulmen *Pij Quinti & Gregorij decimi Tertij* ingeminat; Subditos à vinculo fidelitatis jurisjurandi Religione solvit, quâ se Elizabethæ obligaverant: Religionem animis Popularium inijcit, nefario Scelere devinctos iri, si ultrà parerent. Exules Angli, Itali, Germani huic Militiæ, quasi Sacræ, adversùs Romanæ religionis hostes, certatim nomina dederunt. Dux Pastranæ *Amadaus*, Alabrox, *Vespasianus Gonsaga, Ioannes Mediceus*. Dùm apud Hispanos Apparatu Belli cuncta strepunt, rumores celeriter impleverant Anglorum aures, Terrestres, Navalesque copias commemorando. *Elizabetha* cùm tantus belli tumultus instaret, & propè nulla spes esset, vires suas hostiumque æstimans, generosi pectoris mulier animo non deficit, sed Munia Ducis per eos dies induit. Eductos in Campum *Trinobantum* (*Tilburium* Angli vocant) omnibus Tamesis Accolis, qui bello apti erant, multa Popularium Millia in armis decurrere facit. Militem simulacris pugnæ exercet; & florentis Regni vires oculis hominum subijcit; Loca hostium exscentionibus opportuna munit; & paucis diebus Exercitum invictum conficit, ut si appulsu Littorum arceri hostes non possent, terrestribus viribus victi caderent. His copijs Leicestrium præesse jubet, Belli ignarum, nisi quod in Belgio, Præfectus Auxiliorum, militaverat; & Præsidio Triginta Millium armatorum, sui tuendi causa, Hunsdonium præficit. Ne quid intereà intestini motus oriretur, execratione detestationeque Pontificis, ac domesticâ perfidiâ, Pontificios omnes suspectos, & Mutationis rerum cupidos, Visbechæ, Paludibus munitæ, in custodiâ continuit, suadente Leicestrio gravia, Acerba & Intempestiva Remedia: Sed prudens moderandi Princeps precibus ipsorum, & insitâ misericordiâ permota, in sententiâ perstitit, tutiusque reputavit prohibere potiùs, ne quid Moliri possent, quàm punire non Molientes. Hoc terrore abstinuerunt Papani ab omni conatu rerum novandarum. Intereà Angli qui Oceanum attingunt, passim per Provincias edocti, quantum Exercitum, quantum Navium numerum ex Campania & Siciliâ comparasset Hispanus, majore conatu Bellum capessunt. Grajus Nobilissimus vir, & bello egregius; *Norritius* Belgicâ, *Bingamus* Hibernicâ, *Villiamus* Gallicâ Militiâ clari, Equos, Arma, Tela dividunt; Equites in turmas, Pedites in Cohortes, distribuunt, ne Multitudo incondita Munia belli impediret, lætante vulgo, locum Militaribus viris patefactum. Interim non omissa rei Navalis cura. Omnium consensu ad *Carolum Havartum Effingamium*, Regiæ Classis Præfectum, defertur summum Maris Imperium; proximum *Francisco Draco*, rei Navalis peritissimo. quâ oblatâ potestate Classem instruit, ornatque; certum numerum Militum & Nautarum ad se adduci jubet; inprimis Commeatui studet; *Hakintum, Iorbisherium, Segmerum*, in rebus Maritimis exercitatissimos Duces, sibi adjungit; ac Proceres, genere factisque clarissimos, *Thomam Havartum*, Norfolcianâ familiâ ortum, *Sheifeldium*, & *Carolum Bluntum, Montiojum*, Barones priscæ Nobilitatis. Præfecto Maris relicto Henrico Segmerio, illustri Equite, in Angustijs Freti Britannici, inter *Doroverium & Calitium*, cùm XXXX lectissimis Navibus, additis *Socialibus Batavorum triginta quinque*, Præfecto *Iustino Nassovio*, & mandatis ut *Dunkarki* oram maritimam diligenter tueretur, ne Pedestribus Copijs hostium egressus pateret, neve *Parmensem* cum *Sidonio* conjungi pateretur. Ipse, lustratâ Classe, ad Ostium Plini fluminis navigavit, ac per universam Oram Maritimam edixit, ut navibus omnis generis contractis, frumento & cæteris quæ belli usus postulabat, paratis, eodem convenirent; inde se frequenti Classe ad hostes iturum. Interim Regina animo providere, ac præsentari cæpit, quantum humanâ ratione providere poterat, per Oratores à Parmensi, importunissimo hoste, petit, ut fœdus sanciret, dirimendarum simultatum causâ

veterem

veterem Conjunctionem Anglorum, Hispanorum & Burgundionum memorans, cæteras Necessitudines, Fædera, Connubia. At hostium Consilia cogitatione spectans molitionesque diligit Ministros idoneos exequendi Consilij, Comitem Derbiæ, virum genere & opibus facile primarium; Baronem Cobhamum, Jacobum Croftum, Equitem nobilem; Valentinum Daleum, & Joannem Rogersium, supplicium Libellorum Magistros; qui Ostendam, Flandriæ urbem, appulerunt. Missi à Parmensi, quasi Pacem vehementer cupiente, viri prudentiâ & authoritate præstantes; *Comes Arenbergius, Champignejus, & Ricardotus*, jussique sedulò Consilium suum celare; ac de loco, Tempore, & Obsidibus cavere inter se. Interim non abnuit Pacem Parmensis, propalàm simulans studium Concordiæ; Diem, Locumque Fædere constituit, quo incautam opprimeret. Philippum Secretis Nuncijs monet, Expeditionem accelerare, & vim non differre. Igitur cum Menses aliquot esset disceptatum, neque Pax coiret, auditis Tormentorum fulminibus à Consilio disceditur. 1588.

Elizabetha, suspectâ hostium Perfidiâ, Belli curam intendit, Fits-Villianum, Hiberniæ Proregem, quâ ratione Regnum administret, edocet; nec solis Anglis communem Britanniæ salutem committendam censet; literas etiam ad Scotorum Regem dat, quibus etiam atque etiam monet, quantum immineret Scotiæ exitium, si Hispani, non Religionis modo, sed Legum & Avitæ libertatis eversores, Anglorum vires infringerent; oratque ut pro terrâ Britannicâ, in quâ ipse genitus sit, & pro se, Regnoque Scotiæ, pium Bellum adversus Communem hostem juvaret. Decem Millia hominum dilecta, ex omnibus Copijs, in Maritimas Provincias, ad defendendum Littora, Stationes, Portus, summitteret; nevè cùm Anglis nuper initæ societatis immemor esset. Cum his mandatis Hckbeus Orator, octo servis comitantibus, in Scotiam missus, spem Regni Anglici haud dubiam facit, & societatis Imperij in præsens. Idne ex mandatis pronunciarit, an Perfidiâ, aut Necessitate Reipi adductus, in gravissimi Belli Necessitatibus, fecerit, quod nihil mihi constat, in re incertâ, incertum erit Judicium. Rex de suâ fide non dubitandum respondet; & Communem Britanniæ Salutem Scotis non negligendam. Indè suos ad Consilium vocat, quâ ratione bellum administrari posset, statuit; & ex Consilij sententiâ, universum Regnum Dilectum instituit; omniâ loca Maritima, Portus, Littora, custodijs firmat, ut adimeret facultatem exscendendi hostibus. Cum hæc, defensionis causâ Rex constitueret, Havartus Classis Præfectus, in Portu Plini fluminis paucos moratus dies, dum exploraret, ubi & quantæ hostium Copiæ essent; & quid molirentur; fit certior per dispositas speculatorias Naves, jactatam Classem Hispanicam in *Gallicia Ora*, magnâ ac turbulentâ tempestate, & fœde dissipatam: Tres in Galliam Triremes, scelere & perfidia Remigum, abreptss. Hæc sicut audita erant, Reginæ perscribit. Aliæ insuper ex Franciâ literæ allatæ, Navalem Cladem certam nunciantes; & Hispanos reliquias ex Naufragio colligere. Lætiores & frequentiores in dies Nuncij metum adimebant, securitatem Reginæ magna pars Amicorum, aut per errorem, aut immodicè assentando faciebat. Interim *Metimnensis Sidonia Dux* disiectas Naves in *Corunnam Gallitia Portum*, & vicinas Stationes, deduxit; per Rodericum Telium, Parmensem præmonuit, ad transportandum exercitum; Classem appropinquare; oravitque ut paratus ad omnes Conatus Terrâ Marique esset. Junctâ Classe, *Idibus Iulij*, soluere anchoras imperavit; *decimo nono ejusdem mensis* Britannicum fretum, vulgò *Canalem*, tenuit. Plimouthi tunc Havartus fuit, nihil minus operiens, quàm talem Nuntium, à Flemingo Navarcho edoctus, appropinquare Hispanicam Classem, conspectamque non procul ab Orcano Promontorio. Re subitâ perculsus, Tubicines, Centurionesque mittit ad cogendos Milites, Nautasque, in naves. Extemplo, ubi datum signum in oppido, ad arma conclamatum est, terrâ marique; haud secùs quàm in repentino incendio trepidatur; deindè, sedato tumultu, discurrunt nautæ ad Officia, & Commeatum in littore expositum, in Naves rapiunt; Milites ex urbe Naves cursu repetunt. Tandem in Naves conscensum; Nautæ alij Armamenta expediunt, alij à Littore naves in altum, summâ celeritate, expellunt. Havartus, Prætoriâ nave primus è Portu in Altum evectus, excipiens insequentes, suo quemque ordine instruxit. Hispani, si properassent omnia permista, turbâ trepidantium, primo impetu deprehendissent; quia concursatio Militum ministeria Nautarum impediebat. Postquàm Angli è portu solverunt, Hispanicæ naves, plenis velis advenientes, extemplo in conspectu fuere: Igitur Havartus, adhuc impar maritimis viribus, Quadraginta Majoribus Navigijs in Portu relictis, Classem in diversam partem agi jussit, ut à tergo secundo vento insequeretur. Postero die, *Sidonius* rem haud fore cum imparatis cernens, instructâ egregiè pro magnitudine navium Lunatâ Acie, & Statione unicuique assignatâ, hortari suos cæpit, incumberent Remis, Velisque; *adesse Diem omnium Votis expetitum*, jam nihil Gloriæ deesse, nihil obesse Virtuti. Nec *Havartus* cessavit suos inflammare cupiditate gloriæ; ingenita vis pectoris, & generis honos, alacritatem addidit. Hispanicâ Classe conversâ, & pugnæ paratâ manaci fronte, Anglum in altum evecti, optatam ad pugnam Classe longo ordine occurrunt. Prima Prætoria Navis Havetti erat, *Arca Regia* dicta, ipse fortunam pugnæ experiri statuit, & Tubicines canere jubet, Prætoriæ Navi in quâ *Sidonium* esse ratus est, suam objecit; sed ea erat *Alfonsi Levæ*; Nec mora fit prælio. *Franciscus Dracus* demandatam, à Præfecto Maris, Navalis Imperij potestatem habuit: is tantum moratus, dum *Hakinus & Forbisherius* arma expedirent, Naves quantâ maximè celeritate posset in hostes concitat. Raro aliàs majoribus animis justæ concurrerunt Classes; Hispanis pro gloriâ & vindictâ, Anglis pro salute, & dignitate Regni certantibus. *Ricaldus*

diu

1588. diu sustentatâ acie, jamque crebris tormentorum ictibus compagine Navis laxatâ, in Classem se recepit; ac velut pactis Inducijs diremptum Prælium. Hispani pansis velis cursum tenuêre: Angli supervenientes è Portu Naves collegere; Classem & Machinas instruentes, ut procul Missilibus instarent; quippè Hispani, non mobilitate Navium, scientiâque gubernandi, sed robore, magnitudine Tormentorum, & multitudine Militum freti, conserere pugnam ex propinquo dimicare voluerunt. Contrà Angli Insulam incolentes; ut Socijs Navalibus instructam Classem, scientiâ Nautarum, & usu Rei Maritimæ; ita inopem Militibus, Armis, Telis, habuerunt; proindè agilitate Navium, & Arte, non vi & armis cominùs rem gerere decreverunt. Quod ubi animadversum est, Hispanica Classis denso ordine constiterat, ita Nocte insequenti Concursus Navium inter se vitari non potuit. Nobile Navigium Cantabricum ***Michaelis Oquenda***, perfidiâ Tormentarij Belgici, deflagravit, in quâ Quæstor Regius vehebatur, & Apparatus ingens belli, Nitrum, Globi ferrei, & Armorum Telorumque ingens numerus; multi Milites, Nautæque, consilij auxilijque inopes, miserabili ululatu, periére, Angli Incendium non aquâ, sed ruinâ restinguere tentantes, fœdo nidore absterriti sunt; plures deinde Hispanicæ Naves ad subsidium Missæ tempestivò superveniunt, Incendio & Flammâ ægrè liberant. Transgressus est in Prætoriam Navem Quæstor; Milites, Nautæque in Onerarias; relictis semiustis fluctuum voragini, aut hostium Clementiæ. Inter hæc ***Petri Valdesij*** Equitis insignis Navis Hispalensis, diffracto Malo, ac laceratâ prorâ, nemine per obscurum Noctis opem ferente, à ***Draco***, postero die circumventa, capitur. Expugnatâ nave, ***Valdesius***, omni spe deploratâ, in potestatem venit; capti Milites Nautæque ***Dertmoutham*** devecti sunt. ***Oquendæ Navis***, ignis sævitiæ subducta, & in Portum ***Vegmoutham*** deducta est. ***Dracus*** lumen præferre jussus, quod reliqui per obscurum noctis sequerentur, Germanicas Naves hostiles ratas confestim insecutus, à Classe aberravit; itaque de industriâ ***Havartus*** inhibens cursum Navium, tardius secutus est ***Sidonium***, qui biduo ad quietem dato militibus nautisque non quievit, sed eo tempore aptavit ad pugnam Classem. Utraque Classis instructa, die insequenti, irritatis superiore certamine animis, acrius concurrit: Hispani venti increbrescentis opportunitate adducti, ultrò hostes lacessere cœperunt; nec Angli detrectavêre pugnam, sed agilitate Navium, & Scientiâ Gubernatorum, in altum evecti, beneficium venti præcipiunt, & concitatiore cursu, prorâ conversâ, impetum faciunt, simul à latere urgent. ***Havartus*** suos ad virtutem hortatur; Duce, hortatore, extimulatore, non egent, pari utrinque spe, ardore, æquoque Marte procul Missilibus certatur; aciem oculorum corruscantes flammæ perstringunt, & aures feriunt horrenda Tormentorum tonitrua; densa fumi caligine oculis offusa, lux conspectusque eripitur; nec divelli se Hispani sinunt, sed denso agmine, ad ***Calitij*** fauces, cursum jussu Imperatoris dirigunt. Nox pertinaciæ finem fecit, nec dubia res, quin postridiè pari conatu pugna repeteretur, nisi cessatum esset à Præfectis Anglicarum Navium, consumpto Sulphureo Pulvere, & Missilibus, crebris Tormentorum fulminibus. Interim imminere littori Classem Hispanicam trepidi Nuncij attulere, postulantes Nitrum, Globos, & omnem belli apparatum. Præfectus maris, à Reginâ admonitus, ut quod tempora Reip: postulassent, id è fide suâ faceret, & decertaret, si Occasio tulerit, Scaphas circummisit, ut ex omnibus Navibus Duces, Gubernatores, & Magistri Navium convenirent; Postquam convenerunt, Consilium habuit, faciendumne periculum justi Navalis certaminis extemplo foret? an Belgicam & Seguierij expectarent Classem, quæ in statione erat, ad distinendas vires hostium? Ibi in Diversum sententiæ tendebant; alijs non differendum Certamen censentibus; alijs vires suas nequaquàm Hispanicis conferendas, memorantibus. placuit eorum sententia, qui censuêre non priùs confligendum, quàm omnes Anglicæ Naves in Angustijs Freti conjungerentur, numero non multum impares, cæteris omnibus superiores Agilitate navium, Peritiâ gubernatorum, & scientiâ rei Navalis; nam quamvis Robore, Altitudine navium, ac Magnitudine Tormentorum, Hispanicæ longè præstarent, tamen inscitè factæ, & in Terram hostilem venientes, Commeatu oneratæ, ac immobiles, Nautico instrumento, Velisque minùs aptæ fuerunt. Navales quoque Anglorum Copiæ magno ardore & contentione in dies conveniebant, proinde ne vacuo Mari Classis Hispanica acceleraret, ***Havartus*** navalem Aciem sic instruxit, ***Franciscum Dracum*** in secundâ, ***Ioannem Hakimium*** in tertiâ, ***Martinum Horbisherum*** onerarijs futurum præsidio in extremâ curare jubet; ipse cum regijs navibus in primâ acie versari, & ex intervallo hostes sequi. Interea ingens pulveris & Missilium vis in Naves Anglicas confertur, magna Procerum multitudo, Comites Oxoniæ, Northumbriæ, Cumbriæ, & complures nobilissimi adolescentes naves conscendunt, nulla munia, nulla onera, nulla discrimina detrectant, ardent manus interemptorum Hispanorum sanguine lavare. Angli refectis viribus, non procul à Vecti insula, die Divo Jacobo sacro, ***Galeonam Lusitanicam*** segnius Classem sequentem adoriuntur; Fortuna juvit Hispanos, summa tranquillitas fuit maris, & immotum cælum, hanc occasionem nactæ quinqueremes regiæ remos intendunt, & multa moliuntur. ***Alphonsus Leva & Didacus Telles*** fidem se facturos fortitudinis profitentur: ipse præfectus Classis & ***Thomas Havartus***, Norfolicianæ stirpis, in Aureo Leone crebris tormentorum ictibus Latera quatiunt, proras lacerant, rostra obstergunt: igitur cum quinqueremes diutinâ pugnâ afflictæ languentesque prælium remitterent, ac eo ferocius Angli instarent, ***Mexias & Ricaldus*** cum pluribus Hispanicis navibus superveniunt, ut latus Anglorum adversus Triremes pugnantium transversus aggrederentur. adversus hunc hostium conatum paratæ aliæ Naves Anglicæ tanta vi

ingruerunt,

ingruerunt, ut satis gloriosum Hispanis esset, Triremes à classe tutari. rabies, furor, impetus, omnia pervadit. In medio ardore, *Non-Partlia, Maria-Rosa, & Triumphus*, naves regiæ flagrantes cupidine pugnæ, digna spectaculo facinora edidêre: *Triumpho* præcipuo discrimine Laboranti, premente Ricaldo, Angli opportunè opem tulere. in utraque Classe trepidatum, victoria outans, spes ambigua, par metus; quippe tradunt Iberi prætoriam Hispanicam, aviditate majoris pugnæ, & decoris, plures hostium Naves in se vertisse, diffracto malo, multis militibus nautisque cæsis, crebris ictibus Laceratam fuisse, *Mexiam & Ricaldum* ægre vim hostium sustinenti subvenisse. Deinde, *Ricaldo* & summis ducibus comitatam, redintegrata pugna Prætoriam Anglicam oppugnasse; eam vertentis Venti beneficio periculo ereptam; nec ultra animum Anglis aut consilium iostare Hispanis fuisse. utrisque lætus fuit pugnæ eventus, Angli ad Epulas dilapsi hilariter noctem transegêre; postera die ob singularem fortitudinem complures equites creati, *Thomas Havartus, Baro Shefeildius, Hakinsus, Iorbisherius*. Hispani certamine magis irritati, quam victi: hoc maxime modo navali prælio, ter pugnatum modicis damnis. post ultimam pugnam utrinque impetus languebat, nec majoribus navibus fortunam periclitabantur, nisi tuto facilique receptu. *Sidonia Dux* postquam nihil moveri ab hostibus vidit, occidentalem Angliæ oram segni navigatione prætervectus, superato Freto, quo Gallia ab Angliâ dirimitur, ante *ostium Iccij portus* instructâ Classe stetit; tum opericos ut terrestres *Parmensis copia* traijcerentur, simul ut onerariæ per altum dissipatæ consequerentur. *Angli* contra junctâ *Classe Belgicâ* & navalibus Socijs *Seguieri, ac Vinteri*, instructâ navium *centum & Quinquagenta* acie, stetêre, ut ab errantes ex agmine naves opportunè adorirentur. Hispani locum destinatum tenuere, reliquum gloriæ Anglis cessit. Intereà *Sidonius* Parmensem rogat, ut exercitum traijciendum quàm primum curet, ac maturet, priusquam hostes corroborentur, & ipsi perturbentur; in quo si celeritas erit adhibita, spem victoriæ haud dubiam facit. *Parmensis* certior per speculatoriam Navem factus, stare Classem Hispanicam apud *Caletium* jactis anchoris, ne aut inter se concurrerent Naves, aut terræ inferrentur, literas ad *Sidonium* misit, nunciantes, *Batavorum* navibus obstructos *Flandriæ* portus; summâ difficultate rei frumentariæ non commeatum exercitui, indiligentiâ Navarchorum, non Socios navales paratos: quam *Parmensis* negligentiam in omittendo omnium rerum apparatum, vel simulatum errorem, tanquam proditiooem aversatus est *Sidonius*, nominis Majestate & superioribus victorijs indignum Hispani clamitant. Interea de prælio dubitatum, Reginâ per literas flagitante, ut conjunctis Belgarum & Seguieri copijs, aut decernerent navali certamine; aut in oculis intuentium Belgarum, Francorumque, timoris confessionem exprimerent. apertâ vi experiri fortunam oon placuit, tum *Havartus* consilium cæpit utile reipi sibi gloriosum, Hispanicam classem insidijs expugnare. ita gerendæ rei fæliciter composita est ratio; Naves octo onerariæ, Bitumine, Pice, & alia materia alendo igni apta, illitæ, Nitro & sulphure oneratæ, trullis ferreis concatenatæ, ac velut uno ioter se vinculo copulatæ, multum conceptum ignem portabant. hæ opportuno tempore incensæ à nautis gubernatoribusque *Iunio & Prusio*, qui in Scaphas desilierant, quæ ad hoc ipsum præparatæ sequebantur, secundo æstu Ventoque in confertas Hispanorum Naves improvisò devehebantur. ubi autem latius fundere incendium cæpêre, tum vero ingens pariter militum, nautarumque trepidatio orta, non homines solum, sed equi etiam fulgore noctu micantis flammæ territi, cum vincula abrupissent, pavorem & tumultum inter suos fecerunt. Hispani cum oeque concursum incensarum Navium vitare, neque Catenas, quibus vinciebantur, incidere possent, re nec opinatâ perturbati, Anchoras, ne in moliendo moræ essent, præcidi jubent. ita aliæ in altum evectæ, aliæ quassatæ, aliæ in *Littus Belgicum* fluctibus abreptæ mox prædæ fuere. In hoc tumultu dum moliuntur à portu, una ex quatuor Hispanicis navibus inhabilis, prope magnitudinis instar Triremis, quam præter Vela trecenta mancipia agebant, effracto gubernaculo, amissis armamentis pene submersa, *à Prestono, Gerardo Harvejo* oppugnata; defendebatur egregiè quòad tela suppeditabant; quibus deficientibus, & interfecto Duce *Petro de Monada*, nobili equite, cum jam nulla alia res eam quam propinquitas terræ, multitudoque Gallorum in littus effusa tueri posset, concitatam remis quanto maximo impetu poterant, in terram immiserunt. Nave conquassatâ, alij fluctibus obruuntur, alij incolumes in Continentem enarunt. Prætoria Triremis direpta, & ab Anglis spoliata, frustra frement *Gardonio Gallo*, portus *Iccij* præfecto: capta in eâ Auri Argentique magna vis, Vasorum argenteorum Magnus numerus. repertæ inter spolia eorum Catenæ, quas in Anglos, ut non dubio eventu victoriæ, portaverant. *Havartus* trepidationem fugamque hostium contemplatus, in omnem occasionem opportunè aggrediendi intentus, instabat quidem acriter, recenti terrore perculsis; pro mænibus *Gravelinga*, spectantibus viris fæminisque, lacessebatur magis disiecta Classis jaculando, quam conserebatur pugna, fugientibus certamen Hispanis, Anglis tergis inhærentibus, donec extremam Angliæ oram prætervecti, vix ordinem servantes, per Insulas Septentrionis cursum in Hispaniam dirigerent. in quotidianis prælijs multæ naves, crebris Tormentorum ictibus labefactatæ; nobile *navigium Cantabricum* fluctibus submersum; *duæ Lusitanicæ Naves*, vulgo *Galeona Divi Mathæi, & Philippi*, ab hostibus oppugnatæ captæque; in altera *Franciscus Toletanus* Tribunus militum, antequam circumveniretur, Scaphâ evasit; in alterâ *Diegus Pimentellus* ejusdem ordinis, omni spe deploratâ, propugnatoribus cæsis, deditionem fecit. Consilio inde habito, Anglis visum melius ac tutius, deficiente Commeatu & pulvere, Classem Hispanicam dimittere, quam

1588. Mari Hibernico vadoso & procelloso insequi. ita *Havartus* secutus Hispanos ad *Bodotricum Sinum*, magno decore genti parto Classem reduxit. *Sidonius* hoc metu liberatus, convocatis Militibus Nautisque, ut *Cantabriam* peterent gubernatoribus edixit. ijs editis mandatis ipse cum viginti Navibus sexaginta duorum graduum Altitudinem tenuit; Reliquæ Commeatu, & aliâ navali materiâ ad quassatas Naves reficiendas indigentes, *Scotiæ & Hiberniæ Littora* aliquandiu prospero cursu legebant; verum *Scoti Hibernique*, armis publicè correptis, Mœnia, Fines, Oram maritimam custodiebant, appulsu Littorum prohibituri. Cum in conspectu *Orcades* haberent, sæviente Pelago atrox exorta tempestas rapuit, desiecitque Naves; quæ partim fluctibus absorptæ, aut scopulis allisæ, aliæ Ornamentis nudatæ, pleræque in *littora Scotiæ aut Hiberniæ* ejectæ sunt; Acervis corporum, & Naufragij tabulis universam Oram complevêre; multi milites Nautæque illuvie, & fame horridi, adnantes terræ ex Naufragio miserabili specie semianimes evaserunt. Scoti Maris casum miserantes, frigore victusque penuriâ laborantes, tectis & Commeatibus juvêre, & per familias benignè accipiendos, curandosque dimiserunt. Patuere Procerum domus, & Alimenta passim egenis præbita, omniaque publicè & privatim hospitaliter facta; tandem cum Frumento, Veste, Viatico domos remittuntur. In *Hiberniâ* non pari Comitate habiti cultique sunt in Calamitate suâ; impetus hostilis, jussu Proregis, in miseros factus, nec secùs quàm in acie cæsi.

Magnum charitatis exemplum.

In Hispaniâ, auditâ Clade rei Navalis, pavorem Luctumque ingentem fecit, dedecus omnes obstupefecit; nam præter Navium, Militum, Tormentorumque jacturam, magnæ Opes amissæ. ita demum *è Centum & Triginta* Navibus, *Quinquaginta tres*, cum undis & ventis diu colluctantes, *incolumes domum remearunt.*

Infausta hæc Expeditio admonet humanæ potentiæ non arroganter fidendum. Classis paulò ante Maris domina, & *Invicta* nomine à Pontifice insignita, victa & dissipata est. redeunti *Sidonio*, & supplicium acceptæ Cladis metuenti, *Philippus* mulcens merentem animum, rescripsit, *se non adeò iniquum rerum humanarum æstimatorem, ut culpa Ducis imputaret, quod Æstus hostilis, Venti, & fluctus deliquerunt*; cohortans, ne se admodum animo demitteret; neve quod Casus Maris attulisset, id Virtuti hostium attribueret: Non Virtute neque Acie vicisse Anglos, sed artificio quodam, & scientiâ Rei Navalis; proinde Cladis, fraude hostium acceptæ, neque se, neque Ducem meminisse oportere; hoc Incommodum celeriter majoribus commodis sanarurum: adhibuitque in Militum Nautarumque Miseriâ Misericordiam; in Reip: salute, Prudentiam; in luctu, animi Moderationem.

Inter hæc, *Elizabetha* supplicationes per omnia delubra Angliæ decrevit, ipsaque triumphanti similis *Londini* Deo immortali laudes gratiasque egit. Exceptus est ejus adventus à Civibus incredibili lætitiâ; nihilque prætermissum quod ad ornatum Vicorum, Locorumque omnium, quà iter factura erat, fingi excogitarive poterat. *Templum D. Pauli* Navalibus spolijs exornavit, deindè advocatâ Concione Militum, Nautarumque, animi magnitudinem collaudavit, quos non Altitudo Navium, non Multitudo hostium deterruisset. Exin Plebs læta templa scandit, Numenque veneratur; itaque etiam in Principis laudes, Palatium multitudine, & plausibus complet, & ei voce maximâ Victoriam gratulatur; *Havarti Imagines*, & Ducum effigies in foro, ac publicis locis avidè spectat. Jamque *Asbbeus*, Reginæ in Scotiâ Legatus, dissipatâ Classe, velut eludens privato Consilio, non publicâ Auctoritate honores, Præmia, ac Regni consortium spondisse, justæ se Regis indignationi subtraxit; Rex fremuit fraudari se fructu laborum, & præmijs navatæ adversus Hispanos operæ; hâc sponsione an illam, pro quâ spospoderit, ex æquo bonoque obligarit, Posteris, qui Casus temporum istorum legent, judicandum relinquo. Quinetiam *Robertus Sidnejus*, illustri Sidnejorum familiâ ortus, missus ad Scotorum Regem Legatus, ut humanitatem agnosceret; Strenuè navatam operam laudaret; mutuam Officiorum vicissitudinem promitteret; Studij & Voluntatis testimonium præberet; Sanctæ inviolatæque amicitiæ fructus, in tempore, defunctâ Reginâ, sperare juberet; Regni Scotici saluti consulere; Hispani abstrusas insidias vitare; Pontificem, avito regno exuere, ac Angliæ successione arcere tentantem, cavere moneret. Respondit Rex, experiendo didicisse se, *quibus crederet, aut quos caveret; nec metuere Pontificis Romani diras execrationes, nec Philippi occultas fraudes, à quo non majus beneficium speraret, quàm quod Vlisfi Polephemus spospondérat, ut, socijs devoratis, postremus omnium deglutiretur.* Retexuitque *Asbbei* impietatem, Verba, & Promissa irrita. Interfatus est *Sidnejus*, testatam Elizabetham, si quid sibi humanitùs contingeret, nihil esse, futurumve charius filio suo Jacobo; Cuncta optare, precari fælicia ipsi popularibusque; *Asbbeum* privatâ, non publicâ fide spospondisse, verba secùs concepta fuisse, eorum vim Omenque in ejus caput versum iri. Spes Regni potior apud juvenilem animum, quàm Memoria atrocis injuriæ, quàm illustris satisfactio.

Argutè dictum.

Asbbeus onerosus legationis mandata.

Sidnejus, supervenientibus ab Angliâ Nuntijs, extinctum avunculum suum *Leicestrium* cognovit, statimque è Scotiâ discessit. Leicestrius in Itinere ad Secessus amænos, Killingronthæ febre continuâ correptus, fato obijt, & nullos post se liberos reliquit, nisi *Robertum Dudlejum*, quem ex illegitimo coitu procreavit. Ferunt, fallaci nuptiarum pollicitatione, *Duglasiam Havartam Sheifeildij viduam*, sibi concitavisse, ac Deinde voti oblitum, subdolam libidini suæ perfidiam adjecisse, utcumque fama fuit. Promissæ fidei probationes vivus rejecit, & Moriens, neque sobolem legitimâ

ullâ

ullâ commendatione agnovit; neque Duglasiam lasciviæ libidinis Crimine, & Incontinentiæ suspicione liberavit; quæ, post factam pudicitiæ jacturam, Eduardo Staffordio, equiti nobili, nupsit; ab eoque tempore, & castè, & pudicè, vitam exegit. Plebs publicâ fortunâ extinctum voce maximâ gratulata est, cuncta ejus flagitia referens, pericula viris illustribus intenta, corruptas fæminas, Amicorum potissimos lento veneno interfectos, Consortium Imperij cum vicariâ potestate Angliæ & Hiberniæ expetitum, concessumque diplomate, nisi *Burlejus & Hattonus*, fautores, dominationis impetum attenuissent, idemque dedecus Regni & Populi monuissent. At apud prudentes extollebantur Aulicæ artes, quibus honores, per multos annos, multiplicavit, continuavitque longam potentiam, æquabili gratiâ, contrà insidias inimicorum. Numerus etiam publicorum Munerum celebrabatur, Magnificentia, Comitas in Sermone & Congressu; ac fortuita quædam, Corpus procerum, decora facies, pluribus probabantur; Regina, quantâ Munificentiâ vivum, tantâ Parcimoniâ Mortuum, fisci debitorem, prosecuta est: Bona ejus, propter angustias ærarij, vendenda censuit; mox *Burleus* Quæstor, propter Invidiam, vendidit. 1588.

Horret animus referre omnes Scotiæ plagas, Civilis sanguinis fluminibus inundatas; Item Rapinas, Cædes, Incendia, funestas Regni nostri calamitates: Nam si singulas commemoratem, me scribendi satietas caperet, & legentium animos tristitia Casuum offenderet. Duas Cædes, propter Actorem, similitudinem, & eventum, conjunxi. *David Humius*, Georgij frater, sævus & sanguinarius, à Francisco Bothuliæ Comite contumaciâ irritatâ circumventus, & cæsus est: Mors improbi hominis non tàm ipsa immerita, quàm pessimo exemplo in publicum fœdè perpetrata. *Guilielmus Stuartus Akiltrius*, Arani frater Naturâ ac Moribus, cujus sæpius memini, vulgo propter sitim sanguinis *sanguinarius* dictus, à Bothvelio, in sanctæ Crucis Regia, exardescente Irâ, Mendacij probro lacessitus, obscænum Osculum liberius retorquebat; *Bothvelius* hanc Contumeliam tacitus tulit, sed ingentem Irarum molem animo concepit. utrinque postridie *Edinburgi* conventum, totidem numero Comitibus armatis, præsidij causâ, & acriter pugnatum est; cæteris amicis & Clientibus metu torpentibus, aut vi absterritis, ipse *Stuartus* fortissimè dimicat, tandem excusso gladio à *Bothvelio*, Scythicâ feritate transfoditur, sine cujusquam misericordiâ; habuit itaque quem debuit exitum. Dignus erat *Stuartus* qui pateretur; *Bothvelius* qui faceret. Vulgus sanguinem sanguine expiatum prædicabat, & horum cruore Innocuorum Manibus egregiè parentatum.

Res Scoticæ.

Mors Guilielmi Stuarti equitis non obscuri

Rex per *Maxvallij* captivi amicos vehementer rogatus, ne hominem nobilem, ægritudine animi, & imbecillitate corporis propè confectum, in Carcere perire sineret; qui misericordiâ captus, Veniam petentibus dedit, Vadesque accepit, ne Turbas posteà concitaret. Is insperato ereptus periculo, modestius se gessit: Plebs passim fremuit, maximâ Regis lenitate publicos hostes insolescere; Reip: interesse, ne Maleficia sint impunita; satis ad Clementiæ laudem vel semel pepercisse; Iterum parcere formidolosum esse; Salutarem magis severitatem, quàm Clementiam; spe Impunitatis improborum Audaciam crescere; Nunquam rem Scoticam quietam fore, incolumi Papanorum factione. Rex his commotus, teterrima homicidia impunita vehementer indoluit; nemo enim illustri loco ortus, quamvis sanguine & Cædibus imbutus, ob nobilium familiarum inter se Cognationes, Affinitates, Amicitias, Clientelas, Factiones, Fœdera, sinè gravi propinquorum offensione, & magno Principis discrimine, plecti poterat. Rex convocatâ Nobilitate, Majestatem summi Imperij Latronum, Sicariorum, ac Incendiariorum audaciâ, fœdè violatam, ac pænè prostratam aperit; sua in Proceres merita exponit; & quam in fortunæ magnitudinem, quamque in Amplitudinem multos ex humili loco deduxisset: hortatur, pro tot beneficijs, ut persequantur eorum Mortem, qui indignissime interierunt; ab imbecilliorum Injuriâ se abstineant; ad scelera coërcenda animos intendant. Confirmatis Proceribus, ne ob supplicia Amicorum, aut Clientum, animo permoverentur, Conventum Juridicum, adjunctis Quæstori ærarij integerrimis viris, Edinburgi severè egit. Maleficentissimos, sinè discrimine, divites vel Inopes, supplicijs coërcuit: Item convictos alios Agris, alios Bonis, mulctavit; Abolitiones, & Impunitates amicis deprecantibus non modò negavit, sed etiam antè concessas per Quæstorem & Procuratores Fisci, revocavit, nisi de Maleficijs, & Injurijs, Parentibus, & Propinquis cæsorum pænitentiâ ac pecuniâ satisfecissent; Nec Impunitates Studio, gratiâ, aut compendio Aulicorum largitus est. Bothvelium, multis validisque Propinquitatibus subnixum, ab potentiam prætermisit.

Parva quoque res magno motu agebatur *Alex: Lindesius* decorus Adolescens, cui insignis nobilitas ex Craforđianâ familiâ, ad interiorem familiaritatem Principis assumptus, nullâ cujusquam injuriâ aliquandiu prosperè usus est Numinis favore, & propriâ vi incubuit, Glamij tutorem, summæ audaciæ virum, Inimicum familiæ suæ, pervertere, ac vetus odium explere, Cohortis, ad custodiam corporis institutæ, Præfecturam, exuto Glamio, charitate Principis adeptus est. Id factum variè jactatum, multos Proceres, & præcipuè *Glamium*, indignitate rei exacerbavit; hinc nova turba atque trepidatio in urbe Regiâ. *Glamius* magno semper electorum Juvenum globo circundatus incessit; *Lindesio* quoque plurimi & acerrimi Comites, in illâ Præfecturæ Controversiâ. *Marrius* pro Glamio, *Bothvelius* pro Lindesio summis viribus pugnare parati. Rex, etsi *Alexandro Lindesio* præcipuè indulserat, tamen ut orientem tumultum ex ambitiosis studijs in hunc velillum, si se tot Amico-

1588. Amicorum & Clientum Millia conjungerent, præverteret, Prætorianam Cohortem exauctoravit, & multa documenta egregij Principis dedit. Utque materiam turbis subtraheret, *Bothvelium*, Limuncum, *Glamium* in Arcem Edinburgensem custodiendum dedit. Ita illuc cùm paucis familiaribus concessêre. Cautum est de Numero Comitatus, & ne majorem cuiquam Procerum Edinburgi habere liceret.

Iisdem diebus, abjectâ Bæticarum Nuptiarum vanâ spe, *Gulielmus Stuartus* tribunus militum, in Daniam missus, ut quoniam *Fredericus Daniæ Rex* mortem obijsset, cum filio successore, de Nuptijs *Annæ sororis*, & dote ageret; utque velut Controversia de *Orcadibus & Shetlandicis insulis* tolleretur. De Nuptijs facilè cum Dano transactum est. Legatus paucos ibi dies moratus, domum revertitur, & Regi in Conventu Procerum renunciat, omnia in Daniâ esse, ex sententiâ confecta; & Danum *Iuri in Orcades in perpetuum cessisse*; postulat impetratque, ut Acta in legatione cuncti comprobarent. Proxima deliberatio fuit, quis deligeretur genere & Opibus illustris, ad novam Reginam deducendam? tempore ejus rei constituendæ delato, à Consilio discedunt.

Jam depulso *Glamio*, exauctorato propter turbas *Lindesio*, Huntileus, Nuptijs sororis Ludovici Leviniæ Ducis nuper auctus, Prætoriæ Cohorti, & Alæ equitum præpositus est. Novum Officium ipsi invidiâ onerosum, plebi invisum, *Metellano* Cancellario potentiæ æmulo formidolosum. Hinc magna spes injecta Pontificijs, tes in Scotiâ Novandi. *Crichtonius, Gordonius, Leiolam, & Robertus Brutius, Papanus*, omnes homines factiosi, parniciem Patriæ occultè moliuntur. ab Hispano, ac Pontifice Romano pecuniam, sub fictæ pietatis umbrâ, adversus eos, qui à Romanâ Ecclesiâ, in Scotiâ, defecerant, petunt & impetrant; quantæ Gordonij opes, & quam prævalidæ erant, quantus in Missâ asserendâ ardor, & studium, exponunt. Pecunia in Scotiam allata, magis ad spem fovendam, quam rem gerendam idonea, cum pluribus Romanæ Religionis Proceribus repræsentata, ut ad veteres Cæremonias, Boriales Scotos reducerent. Horum principes *Huntileus & Errelius*, omnia consilio eo conferre cæpêre. Huntileus omnium Septentrionalium Regionum incolas, vel metu potestatis Juridicæ, vel servitutis Clientelaris, in suâ potestate habuit. *Errelius* ob fortitudinem, excelsi animi magnitudinem, veterem Nobilitatem, & antiqua Regni Munia, cunctis erat charus. Non pauci pecuniam, quam ad res novandas acceperant, in proprios usus converterant; privatam Pactionem, eamque injustam, publicæ fidei, & Obsequio Principis postponentes.

Minimè obscurum *Angla* fuit, quid Pontificij Proceres occultè in Scotiâ molirentur; Exploratoribus cuncta in pejus referentibus. Itaque per *Ashbeum Legatum suum, Huntileum, & Claudium Hamiltonium*, primæ Nobilitatis virum, contulisse se in fidem & Clientelam Philippi Hispaniarum Regis, opem suam ultrò obtulisse ei ruinam Regni Anglici, atque adeò totius Britaniæ speravisse, criminatur. Literæ eorum in Senatu, Rege coràm, prolatæ, sed falsæ, & adulterino Chirographo Huntilei, & Claudij Hamiltonij signatæ, quæ Iberorum Conatus, Operâ & Consilio junare pollicitæ, coarguebant; sollicitabantque Philippum, ne gravaretur iterum bellum Anglis inferre; multa accessiuta documenta Catholicæ pietatis, & Auxilia Borealium Scotorum. *Huntileus & Hamiltonius* Senatu coràm interrogati, dolore in iram verso, demonstrant confictas literas, falsum Judicium, hos fructus malè gestæ Legationis, ementitæque Auctoritatis; hæc Commenta Anglica ad provocandam Regis in subditos iram, & sollicitandam subditorum fidem; ad se quidem pertinere atrocem injuriam, ad omnes Proceres exemplum; hunc casum ad ipsos recidere posse. Dein interrogati de pecuniâ, ex mandato *Philippi* à *Iesuitis* distributâ, pernegant, ex eâ omni quicquam ad se pervenisse; incerto Crimine, & nullâ plenâ probatione facti. Cum instaret Orator, falsum non esse, quia probari non poterat; premeretque Reos fallacibus Præsumptionum indicijs, Proceres magis ob suspicionem facinoris, quam infamiam, in *Arcem Edinburgensem* dati: sed Actore non probante, gravi Calumniâ liberati, statim exempti, in pristinam gratiam restituti sunt. *Huntileus*, repetitâ cum Præfecto Juris contentione, ubi vidit fraude inimicorum, & callidis *Metellani* artibus, eo pænè perventum, ut in Hospitio suo, *Edinburgi*, à civibus obsideretur, Urbe cessit, & peraversam portam salutem sibi peperit, vulgi rumore territus, Necem minitantis, quò studium suum in Ecclesiam clarius esset. Ille indignatione succensus, ne alieno tempore in Aulâ obversaretur, Commeatum à Rege efflagitavit, & *Fermelinodunum* concessit; indè properè discedens, ad captandas novandarum rerum occasiones, acrius ad ultionem exarsit. *Errelius*, Prætori pariter infensus, Curiâ abstinuit; atque ita *Metellanus* potentissimos duos Adversarios sedavit, ac ne sic quidem impedire potuit inimicos, immoderatius perseverantes.

Res Anglica. Cæterùm, ut externo bello, ita domestico schismate vehementius laboravit *Anglia*; & *Scotia Ecclesia tabes* Angliam truculentius invasit; nam neque *Belga* neque *Hispani*, cum quibus erat hoc anno bellatum terra marique, tam inimici infestique erant Anglis, quàm *Therapeuta* contrà Instituta Moresque Majorum externos, *Genevensium Ritus*, & deteriores, hostilibus animis promoventes. Ij spretâ legum potentiâ, *Synodos & Presbiteria* instituunt; in Concionibus falsa in Antistites probra, multâ cum acerbitate, & temeritate jaciunt; Convitijs omnibus maledictisque vexant; vulgi animos incitant ad cogitandum aliquid, miscendumque. Haud dissimili impetu *Libelli*, referti Contumelijs Præsulum, plenique omnium probrorum, in vulgus occultè editi speciosis Titulis, *Martinius*,

Martinius, *Præsulomastix*, *Mineralia*, *Demonstratio disciplinæ*. Improbi authores *Perrius*, *Vdallus*, Ecclesiæ Ministri, & *Iobus Throgmortonius*, facetus & dicax intolerabili petulantiâ, arreptis maledictis ex Trivio, aut ex scurrarum convitijs, periculum ac dedecus sibi, Præsulibus, sustinentibus scuto patientiæ quotidiana Convitia, majorem gloriam peperêre. Proceres Ecclesiæ Anglicæ zelum, Pietatem, doctrinam, sanctimoniam, animique Magnitudinem *Anselmi*, cæterorumque (quorum memoria in honore est, ob studium divini Cultus, ac Ecclesiasticæ dignitatis) æmulantes, cum effusione proprij sanguinis parati fuerunt tueri Ovilis Dominici Septa, & Jura Ecclesiastica, melius atque rectius à Majoribus provisa, ne in deterius mutarentur. *Leucodorus*, *Cantuariensis Archiepiscopus*, egregiâ moderatione ac patientiâ Ministrorum ferociam edomuit, Spiritus fregit; tandem Ora convitijs defessa quievêre, ac tutum optimi Præsulis Consilium Incepto & Eventu fuit. Concussæ Ecclesiæ Regina opem tulit, castigatis utriusque partis principibus, quæ pericula ex diuturnâ impunitate, & remissione Discipinæ, advertit; neque solum ea expendit, quæ gererentur contrà Instituta & Decreta Ecclesiasticæ Potestatis, sed etiam qui Cursus rerum, qui exitus futurus esset, si præcipuum decus & stabilimentum Imperij, *disciplina Ecclesiæ*, dilabatur; si Regiæ Prærogativæ pennas, pari audaciâ & temeritate, inciderent; quæ acriter intenta, Nominis Regij & Regni tenacissimum vinculum est; ex cujus officinâ omnes Opes Regiæ manarunt; Sed si resolvatur, aut debilitetur, Auctoritatem, & Imperium amittendum. Hinc Præsulum virtutem auget; sæveritatem Disciplinæ intendit; Ministrorum ferociam infringit; Colluviem Plebis metu supplicij coërcet; & inquieta ingenia in Judicium vocat. Primores *Carturightus*, *Suapus Kingus*, *Prondous*, *Painus* & alij minùs illustres, fautoresque Novitatis sacrorum, convicti: *Kinghleus*, *& Vigstonus*, Equestris Ordinis, metu Judicij in Camerâ stellatâ perculsi, quos Concursus incitatæ Plebis protegere non potuit, *Cantuariensis* preces pænæ exemêre, utili in præsens Clementiâ, ne Plebs per sævitiam incenderetur, sed in pubicum exitiosâ, quia quies Ecclesiæ haud diuturna. *Cartvrighrus* probrosos libellos factitavit, vulgavitque. *Cantuariensis*, rescripto responsio, velut apud Judices disceptavit, licet ille per fastidium & Contumaciam, asperiore Castigationis genere indiguerat. Primores *Catharorum* personaliter in Curiâ Cantuariensi comparere jussit, atquè illis *prædicandi Officio interdixit*. Non attingo Disciplinæ Controversias, Argumenta, Iram, insigne adversùs Præsules Odium, ultionis Cupiditatem; ne dignam Materiam Ecclesiastico historico subtraham. Ex Shismate, ut plerumque fit, hæresis orta est; mox *Kettus* quidam impij dogmatis *Areani* damnatus, *Norvici* pænam subijt, & vivus crematus est. 1588.

In Hiberniâ *Fitz. Villiamus* nimiam severitatem adhibet, Hispanorum bona, in Naufragio ejecta, acutè indagat; Avitis bonis, quasi de Naufragio arripuissent, exuit; suspectos favoris ergà *Iberos* in Custodiam conijcit; quâ Contumeliâ, & metu graviorum, turbidis Motibus, qui posteà proruperunt, Occasionem patefecit; commotis ad rebellionem *Vltoniensibus*, intempestivis remedijs, qui nondùm servitutis Jugo assuefacti, Avitam virtutem pariter ac Libertatem spirabant; namque homines imperiti & rudes, à quiete & Otio, ad bellum proclives erant. *Res Hibernicæ.*

In Belgio, hoc anno, *Parma Dux* Iberis graviter suspectus, atque invisus, ut Invidiam amoliretur, *Bergam ad Zoma ripam*, naturâ loci, & præsidio Anglorum munitam, aggreditur; ac repentè Hispanicum agmen, positis castris, circumfundit. Nec adveniente cùm infenso exercitu *Fernesio*, *Villoubeus* Baro militiâ clarus terrebatur; qui nihil apud hostes quietum, nihil tutum subitis excursibus patiebatur. Ratione, Curâque cuncta providebat, ibatque ipse obviam discrimini. Ita *Fernesius* frustrà, vel cùm damno, tentatis hostium Munimentis, vi apertâ potiorem Dolum ratus, missis Corruptoribus, *Grimastonum & Redheadum*, ad exuendam fidem, occultâ proditione impellit, haud ignaro & subornante *Villoubeo*. Illi, simulato Obsequio, pergunt ad *Parmensem*, multâque Comitate ab eo culti, donisque devincti, de unâ Portarum ei tradendâ pacti sunt. Locum & Tempus constituunt; invitant, paratasque res ostentant, si citæ Cohortes advenirent; quâ fiduciâ *Parmensis* diem sceleri accepit. Illi regressi in Urbem, quæ fraude confecerant Præfecto nuntiant; cætera annis exequenda demonstrant. *Villonbeus* distributis Cohortibus, dispositisque per idoneos locos, quæ agerent prædicit. *Parmensis* interim Proditionem suspectans, multa secùm volutat. Adveniente constitutâ die, *Grimstonus & Ridheadus* præ se ferentes fidem, & promissorum Constantiam, ad *Parmensem* redeunt; ille adijcit Jusiurandum, & provisum, antè Sacramentum Corporis ac Sanguinis Salvatotis; quod impigri hauriunt, ut omnem suspicionem averterent; nihilominus injectæ Catenæ, ne impunè illuderent. Tum intempestâ nocte *Baticas legiones* egregiè instructas per devia ducunt. Ubi ventum ad Portam, intrà Munimenta, sicuti convenerat, accepti. Centutiones *Anglici*, positis loricis, & galeis, in amplexus Hispanorum effusi, simulant amorem, Socios, ac Commilitones appellant. Majoribus mox Copijs, sub signis, sequentibus, quàm quibus Præsidiarij pares numero erant, abscisso fune continuo Cataracta dimittitur, dato signo, & obseptis effugijs, jam intromissos circumveniunt, trucidantque sinè discrimine. pars interfecti, pars armis exuti; qui exclusi remanserant, hastis, Lanceis, ac glandibus depelluntur; damno eorum exterriti, qui subsidium ferre debuerant, sua in Castra, trepidâ fugâ, rediere. Hoc Stratagemate capti cæsive *quadraginti Iberi*; in ijs Sabaudiæ Ducis Nothus, *Res exteræ.*

1588. & filius Secretarij Bætici captivi. Dein hæc Clades, virtus Anglorum erumpentium, atrox hyems, & parùm provisi Commeatus, perpellunt *Parmensem*, omni spe perditâ, non sinè infamiâ, omittere incæptum. Solutâ Obsidione, *Franciscus Verus*, Oxoniensi familiâ clarus, sed militiâ mox clarior, *Thomas Knolesius*, *Nichola Parkerus*, *Ioannes Polius*, viri militares, Equestrem Palmam meruêre, & Balteo militari à *Villoubeo*, præstantissimo duce, succincti singulari Ceremoniâ.

Res Francica.

Magna tum rerum perturbatio; & nihil à civili bello liberum in *Belgio* fuit. In Franciâ *Guisius*, populi favore, Factionis potentiâ, Militum studijs, & Lotharingicæ stirpis gloriâ clarus, altiora jam meditans, & Regnum moliens (ut passim ferebatur) turbare omnia ac permiscere intendit. Rex Francorum reputans quanta moliretur, nutantes & dubias Civitates, à talibus cæptis abhorrentes, in fide retinere Studet, Helvetijs stipatoribus contractis, & dispositis opportunis locis præsidijs: *Lutetiam* favore *Guisij* imbutam, & discordijs furentem, redigere in ordinem satagit, vulgato Civitatis periculo. *Guisius*, ne desidere in Sociorum discrimine videretur, *Lutetiam* modico Comitatu venit, Machinationibus Larvam detrahit, & multitudinem spontè confluentem, ad capienda in *Helvetios* & Milites arma, concitat. Illi raptis temerè telis, Catenas vijs vicisque prætendunt; Satellites Regios armis premunt; mulieres è tectis fenestrisque lapidibus, legulisque incessunt; fit passim Cædes; Milites, deferentibus se inter tumultum Ducibus, paventes trepidant, pactique incolumitatem arma abijciunt, & urbe excedunt. In tantâ calamitate missi à Rege ad *Guisium* Nuntij, *Regina Mater*, *& Bellevreus Cancellarius*, qui juberent, ut sævientes Cives, fidem per scelus abrumpentes, compesceret. *Guisius* satis dimissè respondit, facinus se invito à Civibus inchoatum; seque terrore præsentis tumultus coactum, atque Turbæ impetu abreptum; manente integrâ obsequij voluntate. Cum ad postulata ventum est, perplexius loqui cæpit; simulat se non posse Tauros rabie furentes coërcere; Reginam rogat, ut Regi se excuset. Illa, sermone confecto, redit; & Regi renuntiat, *Guisium* perplexè loqui, neque expedire quid sit acturus. Rex re cum præcipuis amicorum communicatâ, trepidat; missaque denuò Regina ad *Guisium*, oravit, ne gravaretur *Luparam* venire, si Controversias tollere, & omnem Galliam armorum metu liberare vellet. Ille renuit in Aulam venire, in quâ tot tamque potentes inimicos haberet. Rex per Matrem certior factus, & vehementer rogatus, ut saluti suæ consuleret; tumultu urbano, simul strepitu armorum territus, ne acrior vulgi vis ingrueret, urbe profugit; in *Guisij*, Fæderatorumque perfidiam invectus; infenso animo *seditionem*, *defectionem*, *proditionem Parisiensium* coarguens; suppliciumque summâ indignatione minitans, *Carnutum* profecutus est. sicque pravo certamine *Guisij* authoritas adolevit. Fæderati Pietatem ejus, ac animi Magnitudinem laudarunt; pleræque Civitates in gratiam inclinavêre, venerantes gratantesque, nullâ dedecoris curâ. Sedato Motu metus redijt, & reverentia Nominis Regij. *Guisius* sceleris conscientiâ perturbatus secùm reputare cæpit, magnitudinem facinoris, & exitium, si pertinaci odio tenderet, missis idoneis Nuntijs cum Mandatis, quæsivit Concordiam, simulavitque obsequium. Regina Parens, de abolendo dolore, Irâque recente *Parisiensis tumultus*, cum Rege *Guisioque* egit; & ab utrisque petijt, ut discordias finirent, ne pertinacibus odijs florentissimum Galliæ Regnum everterent. Miscuêre sese summi Proceres Regni & Ecclesiæ: tandèm per Reginam Matrem compositæ res. Rex Injuriæ quam gravissimam acceperat, oblivisi sibi imperavit, ne Pertinacem se exhibendo, Remp: distraheret; sed insigne adversùs *Guisium & fæderatos* odium altius in præsens recondit, in tempore exprompturus. Hujus reconciliationis inter Regem & *Guisium* fides, dato Jurejurando, firmata est. Rex in aspero & difficili temporum articulo, *Blesas* indixit Conventum Ordinum; ubi *Guisiorum* fraude præoccupati Civitatum Procuratores, & Ecclesiasticus Ordo, ad spernendum Regem; & plerique Procerum beneficijs obligati, mixtis mandatis decretum postulant, Sacramento interposito, *de arcendo successione Rege Navarra*; *de apparatibus belli adversus Protestantes*; *& possessionem Regni*, *fatali vecordiâ*, *Lotharingica genti clàm destinant*. Rex respondit, *Navarrum* indefensum inauditumque condemnari non debere; cernensque indies spretam potentiam temeritate & audaciâ *Guisij*, terminos subditi egressi; & in animo revolvens memoriam recentis Offensionis; quia pro palam opprimi nequibat, accitum in Curiam, & multis verbis collaudatum, quo incautum opprimeret, ad securitatem sui, Regnique salutem, & Ordinum Concordiam, interficere constituit; ejusque morte Tranquilitatem Publicam stabilire. Nec deerant, qui *Guisio* nuntiarent pereundum ei esse, nisi præveniret, suaderentque fugam. ob hæc diu cunctatus, an domum clàm rediret, tandem *Archiepiscopo Lugdunensi* adhortante, ne frequentes Ordines, & fidissimos amicos desereret, affirmanteque Regem nihil atrox ausurum, multos homines Nobiles, etiamsi Rex quiequam adversus ejus salutem moliri velit, incolumen tamen servaturos. Rex facinore jam destinato, *Guisium* ad se accersit, septem è præcipuâ Cohorte Nobilium in eam Cædem eligit, *Guisio* privatis odijs infensos, facili Credulitate ad Regem venientem, specie Officij, circumsteterunt, iliçòque, haud procul Cubiculo Regis, Ignarum inermemque ægrè vulneribus confecerunt. Ita Mors pro dignitate & securitate Principis, *Guisio* summo Duci illata; alijs pessimum, alijs pulcherrimum facinus reputantibus, *Perfidiam suis opprimere artibus*. Frater *Cardinalis*, audito strepitu armorum, accurrit; & compertâ Cæde, exitium verborum contumeliâ provocat; Invocat ultorem Deum; Vindictam palàm minatur. Rex irâ incensus, & ignarus quanta in posterum maneret à Plebe Invidia,

Baricades Parisiensis

Invidia, *Bastidi & Valencae* cædem imperat; ille memor *sacri ordinis*, perpetrare recusat; iste perpe- 1588
trandam suscepit, perpetravitque. Guisij filium & *Burbonium Cardinalem* in custodiam tradit. Consternata *Guisij & Fratris* cæde Gallia; primariæ Civitates, & plerique Principum sustulerunt animos, conspiraruntque cum *Meduania Duce*, fratre superstite, Regem solio deturbare: missique per Galliam concitores belli. *Meduanus* multitudinem vindictæ cupidine confluentem armat & instruit. Rex ut comperit fœderatos frequentes, obstinatosque ad vindictam concurrisse, adversus imminens bellum, *Navarrum* cum robore *Vasconum* accersit, qui Propugnatorem se Regiarum Partium fortissimè præstitit; magnisque mox Franciæ Cladibus, Cædes, vindicta, passim Miseriarum, & sævitiæ exempla. Milites torserant Agricolas, per omnia cruciamenta, quæ in rerum naturâ tristissima sunt, fidiculis, igne, ferro, verberibus.

RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER QVINTVS.

DUM in Franciâ hic rerum est status, *Huntileus* Metellano infensus, & Anglici 1589.
Oratoris accusatione succensus, cum videret Prætorem summâ gratiâ & au- *Res Scoticæ.*
ctoritate esse, sese è propinquo, spe honoris ac dignitatis, in acerbissimum civium odium incidisse, multis Proceribus adhibitis *Errelio*, *Crafordio*, *Moranio*, *Mont-Rosio*, Brechini Copias contrahit. Hos, ut factionis principes, sequebatur magna Nobilium multitudo, suâ quisque indignitate, doloreve accensus; in quibus *Bothuelius*, naturâ turbulentus, in *Metellanum* irâ furebat, Infidelitatis, ac Majestatis arguebat, supplexque petebat à Rege, ut sibi liceret, pro se Amicisque Nobilissimis coràm verba facere. Rex preces aspernatus est, ita homo naturâ ferox dolore efferatur, iracundia longius progreditur, undique desperatos homines aggregat, & in *Huntileana castra* proficisci parat. *Huntileus* ingenti exercitu conscripto, *Perthum* perit, atque ibi subsistit, irruptione subitâ territum Glanij Tutorem intercipit. Rex, circumstante undique à suis repentino tumultu, non demittit animum; ex consilio *Metellani*, hostes publicos denuntiat: exercitum ad *Edinburgum*, stato die, adesse jubet; magnâ coactâ Popularium manu, præveniendos Procerum conatus ratus, summâ celeritate illuc iter intendit, præmissis levis armaturæ equitibus: quibus rebus cognitis, Conjurati conspectum irati Regis ferre non sustinentes, noctu ex oppido profugerunt, & retrocedentes ad *Abredoniam* usque compulsi fuerunt. Ibi *Huntileus* circumjectas Regiones omnes, & florentissimum Scotiæ latus in suâ potestate habuit; Altitudine fluminum, aut obsessis ripis hostes arcere decrevit: intercepti equites aliquot inter fluvium Australem Borealemque, quo successu Rex, Septentrionem versùs, per Solitudines minoribus Iteneribus subsequitur, ac in incultis jugis Conæi Montis pervigilium agit, in armis excubantibus militibus, & magno ardore pugnam poscentibus. Interim per Exploratores adfertur, Rebelles cùm Copijs pedestribus, equestribusque ad *Abredoniam* concedisse, prælio intentos. Rex, ne nihil hâc expeditione patratum videretur, ad hostem ducere statuit. Cognito ejus consilio, perduelles, urbe relictâ, ad Deæ fluminis Pontem, in ulteriore ripâ, pontis angustijs, & fluminis altitudine freti, subsistunt ad transitum prohibendum, si Regij transire conarentur. Rex indignans quod conspectum suum Rebelles ferre possent, cohortatis Militibus, quos cum confirmatos videret, ut nullum discrimen pro suâ salute, & Religionis incolumitate recusarent, cuncta prælio providet, & cupidissimis omnibus progreditur. Ut adesse Regium Exercitum trepidi Exploratores, primâ luce, nuntiarunt, Perduelles metu territi obstupescunt; non Arma, non Ordo, non Consilium, reverentia Principis, desperatione, & diffidentia rerum suarum, aspectu armati agminis repentè diffugiunt. Primum fugiendi impetum cæpit *Crafordius*, pudore ne magis Rebellionis, an metu pœnæ anxius, incertum. *Huntileus* quoque, vel susceptæ rei magnitudine attonitus, vel ingenij socordiâ, animum despondit. Montani Procerum fraude perspectâ, ubi se adversus Regem duci intellexerunt, in extremâ fortunâ deseruerunt Patronos, projectis armis. *Errelius* promptus, & audax alienâ ignaviâ abreptus, proditores clamitavit, & invitus fit alienæ Temeritatis Comes. Rex *Deam* ponte transgressus, *Abredoniam* ingreditur; ubi

1589. proximum quatriduum satis tranquillè transactum est, concurrente undique viciná Nobilitate. à *Philarchis* & *Comarchis* Obsides accipit; nutantes Montanos; *Grantium*, *Macintotium*, Catanæ Tribus Principem, & *Drummium*, cum Clientibus, quibus nefas, gentili more, in afflictâ fortunâ deserere Huntileum Patronum, confirmat; Præsidia in locis opportunis collocat; Arces occupat; multos suo beneficio conservat, quos Jure supplicio afficere potuit. *Huntileus* vocatus in Aulam venire, obstinatè renuit; proinde *Strabogium* & alias *Gordoniorum* Arces demoliri statuit; atque in *Huntilei* fines celeriter proficiscitur, Incendijs & ruinis odium non temperaturus, ne ultrà, ad detrectandum obsequium, receptacula essent. Eò cum venisset, *Huntileum*, subeunte animum Rebellionis pænitentiâ, vel spe Clementiæ, quod ex Aulicâ Nobilitate multos haberet sui Studiosos, obvium habuit, orantem, ut sibi ignosceret, vitæque suæ consuleret: sed Misericordiam omnibus blanditijs captans, non elicuit; & *Abredoniam* primum, deindè *Edinburgum* in custodiam à *Carmichelio* abductus, & ad Judicium servatus. *Crafordius*, *Bothuelius*, *Errlius*, aliquoties vocati Edictis, Epistolisque, ad obsequium redire detrectant; sed *Bothuelius* & *Crafordius*, Aulicorum promissis confisi, mutato consilio in urbem Regiam modico Comitatu veniunt; ubi in custodiam conjecti sunt. Mox *Huntileus* in prætorio Edinburgeno, frequenti Cætu Procerum, perorante Advocato Regio, Majestatis postulatus, Tumultus hostilis, perturbatæ Reip:; advectenteque, Philippum Hispanum Concitorem belli, Ministravisse pecuniam. Reus infracto animo extremum scelus inficiatus, domesticum tumultum fassus, ac fœdus cum *Crafordio*, *Errlio*, *Bothuelio* publicè exitiosum; antè perfectum Inditium Regiæ Clementiæ se submisit, & ita statim exemptus est. Dein *Crafordius* & *Bothuelius* Proditionis insimulati, quod Clientes armatos ad seditionem convocassent; quod Regi insidias Struxissent; quod Charitatem in Patriam, & Obsequium in Principem exuissent. tali modo accusati, respondent, arma sumpsisse sui tuendi causâ, adversus *Metellanum* ferocem, arrogantem, flagitijs coopertum, & infestum Nobilitati; non adversus Principem, vel securitatem ejus. Cætera objecta crimina inficiantur. dictis intempestâ nocte sententijs, & non occultante *Metellano* odium suum, omnes tres seditionis tumultusque excitati contrà Remp:, convicti Judicio Procerum, mox perituri erant; sed plus Misericordia Regis, quàm æquitas, in causâ eorum valebat; Rex prudens moderandi, adhibebat in afflictis Clarissimorum hominum fortunis Clementiam, in Reip: salute Sapientiam. *Errelius* quoque absens, & contumax, Perduellis judicatus, Regem naturâ & voluntate Clementem & incruentum posteà expertus est, cunctis humanitatem & Mansuetudinem laudantibus. Damnati Proceres arctiori custodiæ mancipantur, donec Pontificis, Hispanique factione ejuratâ, ad solitum Obsequium redirent. ita *Bothvelius* Tentalonem, *Huntilejus* Borthuicum deportatur, *Crafordius* Andreopoli clauditur; Rex, datâ vitâ, dandos vitæ usus censet, in cubiculum introducit, & dismissurus hortatur, ut modestè se gererent, in Fide & Reverentiâ constanter perseverarent, nec in posterum eam Lenitatem Moderationemque animadvertendi expectarent. Is finis Boreali tumultui impositus.

Rex totâ Aulæ facie inversâ; Comites nuper morti destinatos in summâ gratiâ habuit; ereptum ex occupationibus tempus studijs honestis, & voluptatibus concessis impartit; graves Reip: labores lætitiâ magis, quàm lasciviâ sustentat. Inter quæ à Venationibus, Oblectamentisque rès Septentrionis retraxere; *Abredoniam* magnâ curâ, & gloriâ regressus, Conventus Juridicos, per Quæstores Ærarij integrè Sanctèque egit; Paucorum culpam, quos beneficia non mutaverant, ademptâ parte bonorum, equorum, pecorumque, coërcuit; cæteros ad obsequium Clementia composuit. igitur Misericordia ergà supplices, & Clementiæ fama passim celebrata est. Hinc *Errlius* & *Buchanius*, viri illustres, *Archiudunensis* & *Clumensis Comarchi*, abjectâ spe longinquâ & externâ, propiorem ac potiorem Regis Misericordiam experti sunt, seque tradidere impunè, Congressu, & Comitatu non prohibiti. Abscessit indè Abredoniâ, & proximas Præfecturas *Rossiam*, *Marriam*, *Moraniam* peragravit; ubi Proceres, & Tribulium Principes plausibus, convivijs, & Venationibus lætitiam testati sunt; quibus ad fastidium recreatus, *Edenburgum* ad Conventus agendos regressus est, jam Perduellibus coarcitis, & Pace Septentrionalibus Provincijs redditâ.

Rex quietem tutiorem & gloriosiorem nactus, in ætatis robore, studio suscipiendæ prolis, ac familiæ per sobolem firmandæ adductus, de Nuptijs *Annæ*, *Frederici secundi Daniæ Regis filiæ*, florentissimâ ætate, formâque corporis egregiâ, agere vehementius perseveravit, gnarus illud Matrimonium multis quidem modis utile fore, maximèque commodum suis rationibus. Cum ad eam deposcendam prius Legatos misisset, cum Ordinum decreto, clarissimos viros *Georgium Kethum*, Comitem Martialem, Borealis Plagæ Vicarium; splendore, opibusque insignem, *Andream Dingvallia Baronem*; *Iacobum Scrimgerum*, Prætorem Urbanum Tajoduni, & *Ioannem Skeneum*, Jurisconsultum; cum mandatis in *Daniam* legavit, ut Fædus & Affinitatem instruerent, ac simul de Re Conjugali transigerent. De Conditionibus per Legatos agitatum, Matrimoniumque Pactionibus ritè confirmatum, pariterque probatum. In accelerandis Nuptijs insigne *Daniæ Regis* studium erat; electique Matrimonio conficiendo Primores *Danorum*, consilio simul & Auctoritate probati; qui *littus Norvegiæ* cum sponsâ, & Scoticâ Legatione legentes, sævissimâ tempestate afflicti, in opportunos Portus ex Alto invecti, ut longæ Navigationis timore & nauseâ laborantem Puellam Regiam reficerent. Cum rursus in unum locum convenissent, Legatis Scotorum in consilium adhibitis,

Præfectus Classis Navigationem, durissimo anni tempore, omittendam, & Veris gratam vicem expectandam censet; & in Portu *Astloia* Classem constituit; omnium consensu sententia approbata. *Anna* misit confestim *Dingvallia Baronem*, *& Andream Sinclarum*, qui Regem suo nomine salutarent. Rex pacti Matrimonij famâ lætus, Instrumenta & Ornamenta Aulæ lustrat; familiam suam coërcet; Palatium sub urbanum, deforme veteribus ædificijs, novis exornat; & Proceres, Civitatesque regni, domos omni apparatu ornatuque instruunt. Inter hæc casus Naufragij, incertis authoribus, percrebuit; Ille, rumori minus credens, Nuntios operitur, ac statim superveniunt *Dingvallius & Sinclarius*, disiectam Classem, Reginæ Navem afflictam, ipsam vitato discrimine *Astloia* detentam, hyemis sævitiâ, nuntiantes. Rex vulgato Sponsæ periculo, amore & pavore exanimis vocat Consilium, volutat secum modò Maris casus, modò Amoris violentiam. tandem cum dilatio major, & diuturnior mora esset, quàm desiderium ejus & solitudo (cum unicus in suâ familiâ superesset, sinè fratribus, sinè liberis) facile pati posset; domi rebus tranquillis, ac Otio ab alijs curis impetrato, sinè morâ constitutis *Triumviris*, cum summâ Auctoritate, qui summæ Rei in Scotiâ præessent; *Ludovico Levinia Duce*, *Francisco Bothvelia Comite*, *Ioanne Hamiltonio*, omnium Limitum Præfecto, cujus Pater Ducatum in Pictonibus, Imperium cum Vicariâ potestate in Scotiâ obtinuerat; ineunte Hyeme; nemine Amicorum contradicente; ne irriti dissuaderent, clàm ad profectionem Classem *Letha*, pro temporis brevitate, ornavit. Ibi cum *Scotia* delectâ Juventute, ac Procerum ingenti Comitatu, Naves conscendens, *Norvegiam* dilatus est; indè qua proximum erat, prosequente Prætore *Metellano*, præcipuis Officiarijs, & amplissimo Procerum comitatu, procellarum vi in *Norvegiam* delatus, *Astloiam* adcò inexpectatus venit, ut propè antè rumorem Adventus sui, Sponsam oppresserit. *Anna* ibidem sevâ tempestate, & Ventis contrarijs detenta, Veris tranquillitatem operiebatur; & audito adventu sponsi, obviam procedebat. Rex, gentili more, in amplexus effusus, invitam & renitentem osculabatur, quod indecorum *Danis* antè justas Nuptias. Igitur *vigesimo tertio Novemb:* Solennia Nuptiarum, magnifico apparatu, gratulatione, donisque innumerabilium Legationum, celebrata sunt. *David Lindesius* sacra operatur; hinc *Iacobus* alacri vultu, illinc *Anna* multis munditijs insignis, Deo teste, Aram tangunt, implicant Dextras, in individuam vitæ societatem fæliciter coëunt. Ab Adijtis Arisque itur ad Regale epulum; Regum saluti, Puerperio, maximis poculis litatum. Die Nuptiarum, Choreis, Spectaculis, Plausibus, totâ urbe effusissimè indultum. Nec *Iacobus* ultrà expectans, in *Daniam* terrestri itinere ad Fratrem, Socrumque maturat. Festi dies, adventu Regum, celebresque acti; omnes ferè finitimarum Provinciarum Principes, honoris Officijque causâ obviam venire. excita Germanorum Juventus, suum quæque in morem exculta, Argento, Auro, Veste pretiosâ. *Scoti, Danique* publicè privatimque hilaritate, festivitate, Sumptu, Cultu, Ostentatione Magnificentiæ, ac Munificentiæ certabant. Inter se Militarium, Equestriumque Certaminum simulachra commissa, præmiaque Victoribus data. Tandem fatigatus Nuptialibus orgijs, & pompæ tedio, dimisit quoquoversus Legationes; & per Literas quidem, ac Nuntios *Stuartum* Tribunum militum, *Dingvallium*, *Petrum Iunium*, *Carmichelium*, *Barnebarroum*, certiores fecit suos, quid egerit: Sed etsi Fama ipsa, suâ celeritate, Nuntios superavit, tamen optatissimi Nuntij, & literæ *Scotis* fuerunt. Dies ac Noctes plausibus personuêre. Cæterum devulgato discessu Regis, & promulgato Edicto, quo obtestatus est subditos, ut in Fide & obsequio manerent, ac *Triumviris* parerent, *Levinius & Bothvelius*, principali Auctoritate receptâ, publicorum Munerum curâ ad Remp: capessendam se accingunt; ac per totum absentiæ tempus, pacatam & tranquillam reddunt. Edictis & Epistolis noxios terrent; *Hamiltonius* finibus regundis præpositus, assiduos finitimorum excursus maximis supplicijs coërcet; suspectissimum quemque haud cunctanter opprimit; acceptisque Obsidibus, reverentiam, in absentem Principem firmat. Quibus rebus *Triumviri* tranquillitati publicæ proindè caverunt; nullæ Injuriæ, nulla Incendia, nullæ Cædes; contrà multa egregie constituta sunt; manseruntque Concordes, donec Magistratu abirent.

Per idem tempus ab *Anglorum Reginâ* missus iterum in *Scotiam* Bonesius, Legatus ad res aspiciendas, qui sinè Commeatu *Edinburgum* venit; propterea verbis castigatus, in domum per biduum sepositus est. Posteà in Senatu auditus, exposuit abditos per latebras *Iesuitas*, *& Sacrificulos* pestem Patriæ nefariè moliri, & Nobilium animos occultè pertentare; demonstrato crimine, & suspectis reis: pollicetur Reginæ suæ operam, & auxilia, in asserendâ securitate Regni, absente Rege. Responsum à Senatu, nunquàm statum *Scotiæ* tranquilliorem, aut securiorem: Ac nuntiare jubet, sufficere vires suas, ad coërcendum turbidos, & infidos *Sacrificulos*. Auxit ea res Obsequium Procerum, & Industriam Senatorum, ne, absente Principe, externâ ope indigere viderentur. Interim absumpta Hyems in *Daniâ*: Conviviorum elegantiâ, sed discordiâ laboratum. *Gulielmus Kethus*, animo & amictu Gallico magnificus, cui Nobilitas per Patrem, ex illustri Comitis Martialis familiâ, munditijs omnes Aulicos suæ ætatis supergressus, à *Metellano* profusæ Luxuriæ in cultu corporis incusatus, dejjcitur primum interiore familiaritate, ac potentiâ; post Congressu & Colloquio Regis; postremò subitâ alienatione Regis perturbatus, animo mæsto peragravit Germaniam, & Italiam, donec mortem obiret. Nimia luxus cupido, aut Amor Principis, in superbiam versus, exitium tulit. Perculit ejus casus *Comitem Martialem*, qui adversus *Metellanum* hostilem animum induit, &

1589. Cupidinem vindictæ, si occasio daretur; fovitque præceps Consilium Ludovicus Bannantinus, vitâ famâque laudatus: Indicium è domo Comitis manavit; Igitur suspectans Metellanus Bannantinum, per speciem honoris, in Angliam ablegavit; ac ita acre ejus ingenium vitavit; Comitem Regis precibus, & Minis, incæpto absterruit. Depulso jam Ketlio, Georgius Hunius curæ rerum, quibus impositus erat, præponitur, qui habitu severo, Officio aut Obsequio in Principem, altius attollere fastigium cæpit, magnâque famâ per totam Britanniam postea celebratus est.

Accidit deindè, cum Rex in Daniâ hyemaret, ut Ioannes quidam Cunnigamius, aliàs Ieanus Tranenti, Ludi magister, Anna Samsona, & aliæ fanaticæ Mulierculæ, Conventus nocturnos in Norbervicensi templo, ad Regis & Reginæ perniciem agerent, Infernas Umbras Magicis devotionibus elicerent; ut Rex in trajectu difficillimis Ventorum procellis jactaretur, & casibus Maris objiceretur. Quid de hoc genere Veneficij sit sentiendum, legentium animis dijudicandum relinquo. Quæstionem in Regis reditum differri placuit. Bothuelius hanc turbulentam tempestatem in se intentam non prævidebat, vel quia tranquillitas animi aderat, & securitas; vel quia Consilium ab Audaciâ & Confidentiâ mutuabatur, animus paratus ad omne facinus, si suâ Cupiditate impelleretur.

Intereà Papani Sacerdotes, Religiosique ex Benedicti Dominici Francisci Ordine, vehementer exagitati sunt, qui Militem, aut Mercatorem mentientes, supplicium effugerunt, legibus constitutum; Nec cuiquam eorum Magistratus parcere decreverunt, si comprehenderentur: ac admotâ Severius manu, Libros omnes Puriori Doctrinæ adversantes, flammis combusserunt; inter quos plurima Civilis Pontificijque Iuris volumina periêre, quod Rubris Caracteribus notarentur. etiam omnia adiaphora Sustulerunt, Pervigiliorum tempora, Lineæ Sacerdotum Ornamenta, cæteraque Antiquitatis festa.

Res Angliæ. Dum hæc in Scotiâ gerebantur, Elisabetha, ne sui Otio marcescerent, aut Hispanorum vires extemplo convalescerent, secum volutans, cum Ibero hoste in Hispaniâ quàm in Britanniâ bellum genere melius ac tutius; Authore Antonio, Lusitaniæ Rege, à Philippo pulso, quem extorrem Liberalissimo hospitio sustentavit, in Expeditionem Lusitanicam cogitationes Curasque vertit; dubitans adhuc suscipere bellum longinquum, anceps & periculosum, Cælo fervido, Solo Comeatum egeno. Antonius contrà disseruit, superbiam Hispanorum invisam Lusitanu; patere Mænia Olisipponis; intentos Populares ad jussa; durare adhuc favorem Nominis; promptum Procerum obsequium; si cum modicis auxilijs adveniret. Itaque ingenti consensu bellum decernitur; fama ditis Regni multos ad spem prædæ traxit, fovitque fallax Ambitio. Copiæ erant tredecim Millia Peditum, Quingenti equites, Socij Navales complures. Ioannes Norritius, genere & fortibus factis illustris, terrestribus Copijs præerat; Francisco Draco, egregiæ famæ, Classis evenerat. Convenit, ut Regina pecuniâ, & sex Navibus Regijs bellum juvaret. Itaque rebus omnibus instructis, & Navibus Septuaginta Onerarijs Batavorum, quas in freto Britannico deprehenderant, sibi adjunctis, Classe 140. Navium ad Ostium Plini fluminis traductâ, eodemque Terrestribus Copijs contractis, proficiscendi signum Milites expectabant. Angli vento secundo profecti, septimo die Corunam Gallitiæ portum tenuerunt: ubi exscensione factâ, muro oppidi portisque appropinquarunt. Milites, signo dato, celeriter Munitiones transgressi, urbe inferiore in planitie potiuntur. Iberi, ex tàm ancipiti peste in superiorem, callibus notis, perfugerunt; undè orta fiducia clam quoque aggrediendi, sub ipsis radicibus Montis egregiè munitam, dissuadente Antonio Rege. At excitati spe celeris victoriæ, Angli Consilia Curasque in oppugnationem vertunt. haud pari fortunâ, in eâ oppugnandâ usi sunt; distractæ Cohortes; ambitu Ducum, aliquot milites, incendio Cuniculi, absumpti; alij ruinâ propugnaculi obruti sunt. desperato successu, Norritius, oppugnatione desistit, atque obviam Comiti de Andrada, eximere Clausos obsidione conanti, proficiscitur. Bæticæ cohortes apud Vicum (cui Pons Burgi nomen) incautè Anglis se obtulere. Septingenti telis obruti, reliqui se in Fugam trepidè conjecerunt. Magna Strages in fuga facta; pauci admodum Angli vulnerati, aut interfecti. Urbe Corunnâ direptâ, & incensis aliquot in Portu navibus, ac perculsis hostibus, è vestigio solvunt, & Lusitaniam petunt. Indè Penicham delati, urbe potiuntur, Castellumque Antonio deditur. Inter quæ Essexia Comes Juvenis ad incrementa gloriæ natus, cupiditatem res gerendi ostendit, ac ardore traijciendi in Hispaniam percitus, injussu Principis, magnâ Nobilium turbâ Stipatus, Naves paratas instructasque conscendit; ad Penicham Classem consecutus, exceptus est summo honore atque amore; Obsequium atque Officium Norritio præstitit, honorificè appellando, observandoque. Nihil ejus adventus animum militaris viri, multos casus experti, deminuit; qui, receptâ Penichâ, cum terrestribus Copijs egressus, Antonio Rege, Emanuele ejus filio, Essexia Comite, pedestri itinere Olisipponem, pulcherrimam opulentissimamque urbem, perijt. Dracus cum Classe circummissus, ita moderari cursum Navium Jussus erat, ut quo tempore exercitum urbi ostenderet, eodem Classis Portum Tagi intraret, ut Urbs terrâ Marique oppugnaretur. Classis uti convenerat, Vadoso flumine, Mænibus urbis invehi non poterat, proinde ad Cascainum subsisterat. Milites sine Certamine, nec obvio hoste, nec Aciem auso, hostilibus animis per Lusitaniæ vicos incessêre. frustrà quæsito prælio, Norritius dispartit vires, ut

Ponte de Burgos.

Tribuni,

Tribuni, Centurionesque adversos locos invaderent; Prædam ingentem, maximè Pecorum, abigerent. Simul *Antonium* Regem, addito præsidio, mittit in proximas Præfecturas, ut Nobilium animos per Colloquium tentaret: at promissa magnifica *Antonij* in contrarium vertebantur, durante apud omnes *Philippi* Obsequio; nullo apud quenquam *Antonij* favore, seu longa pax ad vile servitium fregit, seu usus assuevit. At *Norritius* instructâ acie, *Olisipponem* duxit, & Occidua suburbia occupavit. Ibi Milites suburbia, copiâ Negotiatorum opulenta, diripuerunt, & ingenti prædâ potiti sunt. quo successu, eodem die, ad Muros Civitatis tumultu majore quàm vi subierunt, sperantes primo adventu seditionem motam fore inter Oppidanos, ad resumendam Libertatem. Postero die, Præsidiarij *Olisipponenses* repentè in proximas stationes, nullis munimentis septas, impetum faciunt, securos *Anglos* invadunt. Initio pugnæ cæsi vigiles, perruptæ stationes, multis utrinque interfectis, variante belli fortunâ retro in urbem submoti sunt hostes. *Brettus* Tribunus legionis, quæ in statione erat, cupiditate gloriæ, longius progressus, & accerrimè comminùs pugnans, ictu sclopetti exanimatus concidit, & *Carsejus*, *Currus*, ejusdem Legionis Centuriones, multis vulneribus acceptis, occubuerunt. *Essexius* in subsidium advolans, ac irrumpens in medios hostes, suis saluti fuit; neque prius finem sequendi fecit, quam Muro oppidi, Portæque appropinquaret, quam exscindere juvenili fervore conatus est. Ubi *Norritius* omnia expertus, urbem præsidio satis valido teneri conspicatus est, obstinatamque ad resistendum, & nihil in *Antonij* Regis gratiam ab oppidanis moveri, ejus Temeritate ac Credulitate increpitâ, ac lustratis Copijs, quæ *quinque fermè Millia* armatorum erant, Obsidionis consilio destitit, discrimen prævidens. Ita *Angli* biduum morati, nullâ aliâ re memorabili gestâ in *Olisipponis* suburbijs, nisi quod *Essexius* tunc Juvenis in flore ætatis, flagrans cupidine laudis, Nomen suum Portæ Civitatis inscriberet, conclamatis vasis, prædâ famâque onusti, *Cascajum* ad Ostium *Tagi* fluminis redierunt, ubi *Dracus* cum Classe & Commeatu operiebatur. Ibi Arx incensa, inspectante *Petro Gusemanno*, Comite de Fontibus, *Lusitaniæ* Præside: Aurum, Argentum, suppellex, & cætera impetu Militum direpta sunt. Certum erat Comiti, continere intrà Munitiones tumultuarias Cohortes, nec *Anglico* exercitui objicere. Mirâ diversitate, providentiam Præsidis laudant *Hispani*; Ignaviam exprobrant *Angli*; Temeritati propriores Duces ut Segnem & desidem increpant; Moderati contrà, ut diligentem ac providum celebant; *Philippus* mox gloriam communicavit, ac *Mediolanensi Ducatui* præposuit. *Exercitus Anglicus*, ut modicis in Obsidionibus damnis affectus, ita Alimenti mutatione, & fervidâ æstate vehementius afflictus; plerique liberaliori victui insueti, Cibariorum inopiâ arido Jejunoque Solo, aut Aeris intemperie, periêre. denique ex Numero Militum, vix *quinque Mille pedites, & 40. equites* incolumes Naves conscenderunt. *Sexaginta Naves Teutonicæ societatis*, quæ in portu *Tagi* stabant, ferrum, frumentum, Rudentes, *Iberis* subvehentes, ab *Anglis* velut hostiles interceptæ, & spoliatæ sunt, ut hostibus usum adimerent. Proximi Maris Oram Fama victricis Classis peragravit, quæ, exscentione Iterùm factâ, *Vigonem Biscaiæ oppidum* ussit. Tandem *mense Iunio*, datis velis quâ potuit celeritate, *Plimouthum* appulit. Milites dimissi, ad suos Lares redierunt; nec multo post, palantes vim Agricolis, ac Oppidanis intulerunt. paucis laqueo suspensis, cæteri Clementiâ compositi sunt.

1589.

Maritimæ Germaniæ Civitates, vulgo *Anseaticæ*, apud Cæsaream Majestatem, de expugnatis Navibus, ac direptis ab *Anglis* Bonis, in Portubus *Hispaniæ*, gravissimè queruntur: apud Civitates reliquas, & *Sarmatas*, *Danos*, *Suecos*, criminosè accusant. *Regina*, non recriminandi libidine, sed sui purgandi gratiâ, Apologetico libello, Rationibus & exemplis contendit, Jure Gentium, ferrum, frumentum, Salem hostibus subvehere non licere. Direptionis hujusmodi bonorum si qua esset invidia, meritò in ipsos verti debere, qui mitissimè prohibiti non ita pridem in *Hispaniâ* negotiari, capti Compendio, injustè perseverarent. Hoc factum *Anglis* causam diffidij cum *Civitatibus* præbuit, ad excessum usque *Elizabethæ* recuperandorum bonorum causâ multa molientibus.

Ijsdem diebus *Batavi*, pro operâ nauticâ, in *Lusitanicâ* Expeditione, præmia frustrà petierunt; & haud dissimiles querimonias miscuerunt: Auctoritate Principis & Senatus mitigati sunt, plura pollicentis, quàm præstantis. Ad hæc *Iansonius Dotumensis Frisius*, & *Dijdimus Veridicus*, rectius *Falcidicus*, horum temporum scriptores, calumniosè tradunt, sollicitasse *Elizabetham Bisantinum Imperatorem* Literis, legationibus, Precibus, ad infestandum *Hispanum*. Sed cui bono Turcarum globos immitteret, cum suis viribus, & prædatoriâ Classe, Thesauros diripuisset, Provincias expilasset, Naves incendisset, Oppida, Castra, Portus occupasset? Igitur *Ottomannici* Tyranni ad *Reginam* literas, *Ingolstadij*, Germanico & Latino Idiomate excusas, commentitias esse, verisimile est. Certè qui hujus atrocis Criminis Reginam incusant, vel imprudenter errant, vel impudenter Calumniantur, suas Injurias, universi Christiani Orbis damno, ulcisci voluisse. satis cognita *Turcarum* perfidia, satisque magnis cladibus *Hispanorum* temeritate vindicata.

Cæterum *Philippus Havartus*, cui Pater erat *Norfolciæ Dux*, super familiæ Havartæ claritudinem, gentilitiâ hæreditate *Arundeliæ* Comitis vetustissimi Nobilissimique, per Matrem auctus, paulò antè perculsus Civili Judicio, nunc in suspicionem conjurasse cum *Alano Cardinale*, *Personio*, & alijs *Sacrificulis Romanis*, & fugæ consilium cæpisse, die ferè disputationibus extrahetur: tandem Reus, Infamiam Perduellionis, publico Procerum judicio, subijt; sed non supplicium; in *Arce Londinensi*, in Caveâ velut inclusus, quamdiu vixit, in dies per humum evolutus, summâ cum veneratione,

callosis

1589. callosis genibus attritu, auxilium Numinis invocavit. quod Religiosum Obsequium, ut priscæ Pietatatis Cultores ad magnam Religionem Ceremoniarum; ita Instauratæ Professores, ad superstitionem imbecilli animi, & Sanctam Ignorantiam trahebant.

Ambrosius Dudleyus, Leicestrij frater, minore gratiâ apud Principem, meliore famâ apud vulgum, *Londini* obijt sine sobole relictâ; Russeliâ uxore superstite, quæ diu posteà, in Aulæ luxu & delicijs, sanctitatis ac Modestiæ specimen exhibuit, & sibi diu posteà æternitatis domicilium paravit. Is in Adolescentiâ, cum fratribus proscriptus, ex Conditione abjectâ atque contemptâ, ad dignitatem, *Varuccensis Comitis*, *Roberti fratris* favore, evectus, gessit se integrè Sanctèque.

Hibernia hoc tempore pacata, deductis *Anglorum Colonijs*, sua omnia in eorum potestate agnovit.

Res externæ. Dum in *Britanniâ* hic rerum est status, in *Belgio* præsidiarij *Gertrudenbergenses*, Anglicæ societatis memores, obsequium Ordinum abrumpunt, armisque correptis tumultuantur, stipendium persolui flagitant. *Villoubeus*, sæpè oratus, Auctoritatem suam Tumultuantibus interponit; impellitque Comitate, ut Pacem quàm Bellum mallent. Non abnuêre Conditiones: *Fœderati Ordines*, delictis Militum infensi, sed Iram in occasionem vindictæ dissimulantes, velut Pœnitentiâ contenti, solutionem stipendiorum & Auctionem decernunt, si numeratâ pecuniâ Præsidio abirent. Præsidiarij, Conscientiâ defectionis agitati, Ordines ulterius opportuno tempore consulturos præsentientes, sumpsêre iterum arma; direptis Civium bonis, expugnatis Ratibus, præter navigantes Mercatores & Navicularios invasêre; circâ omnes urbes vicinas dimiserunt, ad seditiones in ijs miscendas; Vectigalia, & Tributa in suos usus plus convertêre; nihil Avaritiæ, nihil sævitiæ exceptum. Cognito novô motu, *Villoubeus*, ne seditioni annuisse videretur, properè subvenit; missæ ad sororem literæ, ut abscederet urbe, secumque Maritum abstraheret. Erat jam Præsidij Præfectus *Ioannes Vingfeildius*, Nobilis Anglus, qui sororem *Villoubei*, Cantij Comitis viduam, in Matrimonio habuit: Is in urbe relictus, ut vim ardoremque Militum compesceret, in fide officioque contineret, aliquandiu integrè ac strenuè versatus est. Ubi rursus seditiosè agere ceperunt, (incertum suo, an Militum studio electus) Tumultuantibus fuit Auctor, & Dux; mox precariò præfuit, non potens cohibere licentiam militarem. Nonnulli etiam fuerunt, qui perperàm crederent, *Villoubeum* spem *Vingfeildij* aluisse, & nascentem seditionem corroborasse. Is, quippè insons, extrà Culpam, non extrà Invidiam *Batavorum* fuit. Brevi deinde *Comes Mauritius*, clarus & magnus dux, truculentior quàm antè, tanquam adversus defectores, qui in rebellionem proruperant, tentatâ frustrà eorum fide per Colloquium & Promissa, contrahit Copias; *Gertrudis fanum* terrâ Marique circumvenit; Tormenta idoneis locis disponit; Oppugnationem incipit; & partem urbis Mœnibus nudat. Obsessi, terrore pœnæ exterriti, continuo labore omnia hæc superaverunt; Murum, quem hostes crebris ictibus diruerant, Nocte extruxerunt; Mœnibus appropinquare telis prohibuerunt. Adjuvit fortes conatus Casus; subitâ Inundatione impedita oppugnatio. *Mauritius* prospiciens, sinè magnâ jacturâ suorum Militum, sese non consecuturum id, quod animo proposuerat, Obsidione discedit. Digressu ejus cognito, *Parma Dux*, elatus spe potiundæ urbis, Cohortes expeditas, Equitatumque cum *Marchione Varebonio* præmittit; ipse magnâ opportunitate & celeritate supervenit; ac vacua Castra *Mauritij* occupat; impellit Milites amplissimis promissis ad deditionem. *Mauritius* iisdem artibus pertentat: Sed Promissa *Parmensis* sequentes, Philippi Regis Societatem palàm induxerunt, & Obsequium, ac Regios mœnibus receperunt, Pacto Impunitatis, Præmiorum, & decem Mensium stipendiorum. Intereà Præfecti, Centuriones, Præsidiarijque *Gertrudenbergenses* à Batavis Proditores denunciati; à Commilitonibus, tanquàm Mercatores, irrisi; plerique capti posteà, summo cruciatu, suppliciòque periêre.

Inter quæ *Parmensis* domestico vulnere ictus, *Cardinalem Farnesium* Patruum, virtute animi, Constantiâque præstantem, amisit. Adversus luctum bellum remedium fuit, & *Heusdam* deditionem recipit; *Heilam*, Arcem in *Bomelensi* Insulâ, expugnavit. Seditio quoque *Hispanorum* militum orta, astu *Pastrana & Ascoli* ducum aucta, generosum pectus ejus afflixit; modò palàm tumultuosis vocibus, modò occultis apud *Philippum* Regem criminationibus, Tribuni, Centurionesque Italici generis, Cohortibus, quibus à *Parmensi* impositi fuerunt, remoti, confictis causis. Contumeliosum id Italicis Militibus, acerbum Duci. Comes *Mansfeldius* temperare vim ardoremque Hispanorum cæpit; ipsum globis petunt, fugientem sequuntur. Postremò *Parmensis* conjectans, corruptâ militari disciplinâ, è lasciviâ perfidiam erupturam, Cohortes turbidis dispergit, & ad aquas *Spadanas*, valitudinis causâ, proficiscitur, donec seditio commota deflagraret.

Intereà *Batavi* pontones parant, *Skenkio* duce, & ad *Neomagum* oppugnandum, *Vahalim* flumen trajiciunt. Jam subeuntibus armatis Muros, conglobati Cives, præsenti & imperterrito animo ad portam occurrunt: eo conatu repulsus *Skenkius* ferox, qui desiliens in Scapham, onere ruentium depressam, hauritur Flumine, ac multi Militum circà. cæteros *Pontones* subvenientes periculo exemêre. Fuit hic clarissimus dux, Prælijs fælix & fortunatus, Obsidionibus perindè celebris, Nocte dieque paratus instructusque Insidijs, ut nemo Tribunorum haberetur prior, nec probatior Primoribus Ordinum.

Marchio

Marchio *Varrabonius* Bercam ad Rhenum obsedit, qui per tres continuò Menses, *quingentis* equitibus, & *800.* peditibus, vicina loca infesta reddidit, & Commeatus terrestres inferre prohibuit; *Batavi* opem ferendi occasionem, diversis temporibus, & incertis Itineribus, noo prætermiserunt, ac laborantem Munitionibus & Commeatibus sublevarunt. *Comes Moersensis*, *Villarsius*, Mariscallus Ordinum, & *Skenkius*, clarissimi duces; post eorum interitum, Comes *Valcenstenius*, & *Franciscus Verus*, Anglorum Tribunus, *200.* equitibus & *bis Mille* peditibus, eo Commeatum, Globos ferreos, & sulphureum Pulverem ducere, jussi sunt. Intereà duces *Pastrana ac Ascoli*, & veteres Bæticæ Cohortes *Berca* incæptam oppugnationem acrius urgent. Marchio *Varrabonius*, per Exploratores adventu subsidij cognito, quod parabatur, ad Angustias viarum, quâ venturi erant, se cum *500.* equitibus, & *Mille* peditibus objecerat: nec recognitâ, *Angli*, *Batavique* aliâ viâ instituerunt ad Obsessos penetrare. *Varrabonius*, cum equitibus, in hostes subeuntes invectus, acre certamen conseruit. *Franciscus Verus*, cum quinque Anglorum Cohortibus, ad pugnam instructis, impetum fortissimè sustinuit; aggregantibus se mox *Batavis*, tanto impetu io hostem irruit, ut fundaret, aut fugaret. *Sexcenti* trucidati, non pauci in fugâ vulnerati, aut aquis absorpti. Ferunt eo die cæsos circiter *Sexcentos*; erepta signa Militaria decem; tres equitum Turmas postratas; captos equos trecentos. Tradit *Carolus Columna*, Auxiliares ad obsessos, quinquaginta ex suis amissis, penetrasse; & aliâ viâ ad suos redisse, nemine obvio facto. Tandem urbs, Bæticis Legionibus vehementer prementibus, & instante iterum Commeatuum penuriâ, dedita est. 1589.

Res Francica.

In Franciâ *Catarina Medicaa Regina*, ægritudine animi, in lethalem morbum incidit, & *Blesis* vitâ excessit, quod Regem in tot tantisque turbis relinqueret. Fæmina raris excelsi animi dotibus insignis, quæ Impotentiâ, superbiâ, Otij impatientiâ, ac Cupidine retinendæ potentiæ, omnem civilem modum supergressa, non solum *Gallicis rebus* exitiosa, sed & suis liberis fatalis fuit. quod ei exprobratum est improbo vulgi rumore, ac famoso libello evulgato, quo totius vitæ ordo invidiosè infamatur, & funestus exitus ei deountiatur.

In tantâ Galliæ perturbatione, apparebat atrox cum Rege certamen, & nihil nisi dux deerat. Prius itaque cum arma caperent Rebelles, *Meduanius*, *Guisij frater*, *sancti fœderis dux*, omnium consensu appellatur: qui, ob necem fratrum, in exitium Regis succendebatur, & eum ferociter sceleris arguebat, indignum facinus esse clamitans, cujus, Jure ensium, pænas reposcebat. tum in tam ancipiti periculo, Proceres suæ Cognationis ad illum properè convolavêre, *Mercurius*, *Aumalius*, *Elbouius*, *Ionsa*, *Nemorosius*, *Bassampetra*, *Castreus*, & *S: Pauli Comes*, Magistri militum. Trahuntur in partes *Hispaniarum rex*, *Ducesque Lotharingia*, & *Allobrogum*; quod in spem ventum erat, discordiâ Civili, dissolvi Rem *Gallicam* posse. Statim à Rege desciscunt *Aurelia*, *Parisij*, *Rotamagus*, *Lugdunum*, *Ambianum*, *Tolosa*. Ad Regiæ urbis defectiooem, facile erecti sunt aliarum Civitatum animi; magnaque totius ferè *Gallia* consensio fuit vindicandæ Necis. *Meduanius* ducem se defectoribus offert; præscriptum oumerum Militum obduci jubet; ipse in agris delectum habet. *Regem* sectantur *Navarrus*, & *cateri principes sanguinis Regij generis*, *Momorantius* Magister Equitum; *Espernonius*, *Neversius*, magistri Militum; *Bullsonius*, *Bironius*, *Matimouius*, *Lanovius*, *Aumentius*, & *Cossanus*. Missi à Rege cum mandatis ad *Meduanium* homines idonei, ut abstineret armis; privatam Injuriam publicæ utilitati remitteret; & Civitates furentes ad sanitatem revocaret. Ille suspirijs respondit, egregium præmium laborum suorum, ac effusi toties sanguinis, Carnificinam fratrum, & Carcerem amicoruoi; suas Iojurias Fata, & Deos ulturos, in Acie, in certamine: Sic in pertinacibus armis perstitit, & Nuntios dimisit. Interim Rex non perpetuo divortio, Obsequio discessisse tot subditos putavit; sed jam deferbuisse Partium studia, & diem tempusque sanitatem animis allaturum. quare obtestatur Civitates, jam ferè surdas, ut io fide manerent, & præteritorum indulgentiâ Turbas finirent; malis præsentibus mederentur, ac suâ in eas humanitate & clementiâ in melius mutarentur. Ferocissimus quisque æquissimis postulatis adversatur. Cognitâ voluntate Civitatum, Regij Proceres defectionis culpam in fatalem temporis rabiem conferentes, ilicò vociferantur spretæ Majestatis pœnas ab eis exigendas; nimiâ Indulgentiâ Principalem Authoritatem vilescere; Clementiâ & benignitate improborum audaciam atque insolentiam crescere; totis itaque viribus intestinis malis obviam eundum esse; ac ferro comprimendam Civitatum licentiam. Indè omnia cruentis seditionibus plena: singulæ Civitates quandam seditionem fecerunt, & Magistratibus Regijs restitêre. *Parisienses* partim XVI *virorum* coosilijs, partim amentiâ plebis, jam ad extrema descendunt; repentè concussu atque impetu *Luparam* iovadunt; revulsas undique Imagioes statuasque disijciunt; Ornamenta Aulæ diripiunt; Nomen, atque Insignia Regia demoliuntur, ac labefactant. XVI *viri*, seditiosi homines & turbulenti, coocitatæ Plebi impetum addunt, duces Principesque se futuros profitentur; Jurejurando & Chiropraphis observationem sanciunt: Unus ad ostentationem *sanguine signavit*; cujus brachium posteà sanguine & Spiritu carere cæpit: reliqui *quindecem* sanguinem verum depravarunt, & vitiosum succum per Venas io omne corpus diffuderunt. His, proximi Turbarum Authores, seducti atque depravati *Curiones & Concionatores*, qui in omnem licentiam effusi, seditiosissimè demonstrant, tales impetus Populi non esse injustos; Regem probris omnibus, contumeliosisque verbis laceraot; *Maledictum hareticum*, Crudelem, & Impium *Tyrannum*, non Sicarium, sed

1589. crudelissimum Carnificem appellant. quanto quisque contumeliosior in Regem, aut acerbior fuit, tanto magis per *Scurtas ac Operas* extollebatur. Nam Prudentiores *Insulsitatem & Insolentiam Concionum*, tanquam Insaniam quandam nderunt; indoluerunt que Regem, usque ad superstitionem religiosum, tot Opprobrijs immeritò affici. Horret animus referre immania Scelera ac flagitia, quæ in Regem *Famosis Libellis* sunt edita; quia Ignoratio eorum utilior est, quam Commemoratio. Ad hæc, nemo satis mirari poterat amentiam *Parisiensium*, qui improbis Concionibus incensi, arma raperent, non ut Patriam liberarent, sed ut se in *Baticam Servitutem* ultrò præcipitarent. Inter cætera inconsulti impetus acta *Doctores Sorbonicos consulunt*, quos sciebant alieno esse animo in Regem; & inquirunt, *an Populus Gallia posset à Sacramento fidelitatis, Henrico Regi prastito, absolvi? Et, liceatne salvâ Conscientiâ, Propugnationem ac defensionem Romana Religionis suscipere; dignitatemque Catholica Ecclesia tueri?* Conclamant *LXX doctores*, cum Decano, *Henricum Vallesium* impium hæreticum esse; & omnes subditos ejus à Jurejurando fidelitatis esse solutos; & deturbare ipsum Solio licere; vel vi, & armis cogere, ad abdicationem Regni. Quam sententiam *Sorbonista* superbissimâ temeritate pronunriarunt; & ad [1 Petri cap. 2. vers. 13.] *Pontificem Maximum* transmiserunt, ut eam, Auctoritate suâ interpositâ, confirmaret; haud recordantes obsequium Regibus Jure divino, & Deo authore debitum, quod est immutabile; aut [Tit. Cap. 3. vers. 1.] *Sanctiones Pragmaticas Philippi pulchri, contrà Bonifacij Octavi diras minas; Philippi Valesij, contrà Innocentium Tertium; Ludovici XII, contrà Iulium secundum:* quæ omnes Jura Regum tutantur, & *Ecclesia Gallicana* libertatem. Paucis post diebus, sententia *Sorbonicorum* in *Consistorio* recitatur. Ibi dicuntur sententiæ graves; plerique Purpurati sententiam Doctorum sequuntur, virtutem Constantiamque eorum collaudant. *Pontifici* verò liberè decernendi potestas permittitur; qui *decreto facto* dictam sententiam probavit, Regique sacris & Communione Christianâ interdixit; nisi *Cardinalem Burbonium*, aliosque Ecclesiasticos Captivos incolumes dimitteret, Cædemque *Cardinalis Guisij* illustri satisfactione expiaret.

Jam velut signo dato, divulsa est *Gallia* in turbas Factionum, & ad exiriabilis belli cladem accensa. Cognitâ *Pontificis* dirâ execratione, *XVI virorum* conatus acrius erumpere, omni genere Immanitatis, atque Perfidiæ; qui *Civium & Monachorum* valentissimum quemque armarunt; & eo creverunt Impotentiæ, nullo jam Juditiorum metu, ut multos Bonis ac Vitâ spoliarent, & locupletissimum quemque, per speciem obsequij Regij, everterent. has Injurias *Curia Parisiensis* palàm ulcisci non ausa, clausis oculis, pessimis illis temporibus, dissimulavit. Nam fato Senatui nulla Authoritas; nulla Principis, aut Legum reverentia, in humanissimâ gente. Furiæ illæ, & Pestes Patriæ, vel ex Cnnscientiâ suâ, cum de se malè sentire *Curiam* crederent; vel ex Odio, quod ob metum facinorum ac scelerum in illam susceperant, Conjuratione factâ in universum Judicuum Ordinem exarserunt. Cujus author fuit *Busius quidam Clericus*, claro apud furentes rumore, Procuratnr quondam Palatij; aut, ut alij tradunt Scriba; nunc *XVI Tyrannorum* Antesignanus, & *Bastila* Præfectus, adjunctis sibi armatis satellitibus, Curiam armis circumvenit, & audaciâ furens irrumpit. *Prasides Curia*, improviso malo inter se attoniri, obstupuerunt; neque eos metuentes ullo vitæ crimine alio arguit, præterquàm qund Regi obsequerentur, & *Tribunitia potestati* clàm adversarentur. Cum loqui cæptarent, armati, qui latera *Busij* tegebant, fremitu & clamore impediunt. Ille conantes dicere prohibuit, & comprehendi jussit. Indè latè terror. pessimo exemplo *Prasides Curia*, & innoxij Judices in Carcerem tracti. ad quod Spectaculum concursu facto, imperita multitudo, scelesto facto, scelestiorem Sermonem addidit. *Prasides* Augustissimæ Curiæ *Bastilâ*, aut Luparâ clausi. Illic indignissimum casum patienter tolerant. *Minores Iudices*, & celebres Patroni, in proximas domos familiarium se conferunt; ubi latebris tecti, posteà, ope amicorum evasêre. Cives, qui obsequium in Regem non exuerant, multi bonis, quidam vitâ spoliati; plures servili habitu, vim metuentes, aufugerunt, & sedes ac domos in urbibus, quæ in fide Regis permanserant, collocaverunt. Rex Pacis & Otij cupidus, ubi præcipuas urbes depravatas & Seductas, ac labefactatam Provinciarum fidem sensit, abjectâ spe Pacis, bellum adversùs defectores invitus parat; cujus haud prosperi exitus fuerunt.

Navarrus intereà magnâ difficultate afficiebatur, quâ ratione ad Regem pervenire posset; aut ne in Itinere prælio dimicare cogeretur, possessâ per Rebelles majore *Gallia* parte: delatumque in paucos dies iter. Mox omnibus rebus ad profectionem paratis, cum *Tribus legionibus*, exerciris civili bello, & *Mille equitibus Ligerim* transit, & *Casaraduunum Turonum* proficiscitur, quò Rex, anxius animo, paulò antè se contulerat; cui nullus locus citrà *Aureliam* tutior videbatur. Ibi gratulatio inter Reges, atque omnium Militum animi ad lætitiam excitantur. Francus *Navarro* gratias agit pro tàm necessarijs officijs, sibi tàm calamitoso tempore præstitis. Iste vicissim expositâ suâ in Regem egregiâ voluntate, omne Obsequium Regi debitum profitetur. Eodem ferè tempore *Espernonius*, è præcipuâ familiaritate Regis, non temnendæ Manus Ductor, ad eum venit; adduxitque ei complures *Cohortes Vasconum*. Salutatione benignè peractâ, Duces de universi belli ratione consultant, & Regni saluti prospiciunt. Indè bellum exarsit, *Gallorum* in semetipsos versa rabies, mutuis cædibus furentium. Paucis diebus in deliberatione absumptis, *Rex Navarrum*, comiter exceptum, ad Curas Militares dimisit, cui ipse salutem suam, at Incolumitatem acceptam tulit. *Espernonius* cum suis Copijs *Blasas* premere jussus est, quæ tot beneficijs cumulatæ, à Fide defecerant.

Hoc

Hoc tempore nonnullæ Civitates *Regi* Studebant, plures *Meduanio* favebant, qui possessâ *Lutetiâ*, 1589. urbe Regiâ, alacrior multò ad bellum fuit, quod opibus Regni, direptionibus Civium, & gravissimis Oneribus Galliæ, gestum est. Ibi convocato Consilio, in Regis Aulicorumque infidelitatem invectus, nullâ verborum Contumeliâ abstinuit; hortans Rebelles, ut Copias undiquaque contrahant; pro salute Communi pecunias locupletibus imperent; extrahant à latibulis fœdi fragos Perjuros, scelerum adhuc Conscientiâ perturbatos. Omnes qui aderant animi Magnitudinem Laudarunt. Servi perindè ac domini armantur, aperto Armamentario arma populo dantur; Pecuniæ acerbissimè exiguntur; Delectibus undique actis, & proviso Commeatu, iter ingreditur. Præmissa Peditum agmina, ipse cum Equitum turmis subsequebatur modicis itineribus; *Antiquam* omnes Copiæ convenirent. Exercitu indè instructo *Vindocinum* agrum peragrabat; Arces Regiorum diruebat; Agros ferro flammâque vastabat. In hâc colluvie rerum, Præsides & Judices *Curiæ Parisiensis*, populari seditione capti, aut dispersi, *Cæsaro dunum* ad Jus dicendum evocantur; Sesequè ad Regem conferunt, & *Vindocinum* ingrediuntur, ut se à labore suscepti itineris reficerent: fidesque data, per Præfectum urbis *Benhardum*, incolumes fore: qui contrà fidem datam, Deosque testes, cupidine ditis prædæ, magnam partem Senatus, multos illustres Judices, attonitos & paventes, urbemque, *Rhosnæo Rebellium duci* tradidit; qui circumdatos Cohortibus turmisque equitum, ad *Meduanium* deduxit. Ille Moderatione, Modestiâque supplicio cujusquam abstinuit; at nonnullos ingrati animi incusavit. Quo successu elatus, consilium inijt securum *Regem* invadendi, non sinè conscientiâ potentissimorum Procerum. Igitur magnis itineribus, & rapido agmine, *Cæsarodunum* proficiscitur, & *Suburbium S. Symphoriani* extemplo adoritur; adeòque improvisa res fuit, ut nisi Civis quidam, effuso cursu, obambulantem Regem monuisset, agmen hostium se de tergo insequi, opprimi potuerit. Igitur Comites, inter se attoniti, circumspectarunt ingruentem hostem. Rex inopinato casu trepidus, contra spem omnium, ad munia belli se accingit. Vasa vinaria aggere oppleri jubet, & irruenti hosti objici; Prætorianas Cohortes in suburbio instruit; quibus *Legionem Picardiæ* adjungit; *Aumontium*, Magistrum militum, *Pontis Ligeris* præficit; & *Helvetios* in fore constituit; certas cuique partes, ad custodiam urbis distribuit; deflagrante paulatim formidine, *Navarrum & Espernonium* cum suis Copijs accersit. Interim in suburbio pugnatur utrinque acriter, sed tandem Regij complures interfecti, reliqui operibus depelluntur. Ita nisi celeriter *Navarrus* cum suis Copijs venisset, Major Clades esset accepta; cujus adventu cognito, *Meduanius* S: Symphoriani *Suburbium* diripuit. ubi duces, Militesque multa infanda commiserunt, stupra cædibus, cædes stupris miscuerunt; calamitatibus Popularium crudelitatem expleverunt. Direpto vastatoque *Suburbio*, citatiore, quam venerat, agmine, se recepit. Ita subita illa expeditio, & vana spes de intercipiendo Rege, frustrà fuit.

Post trepidum Rebellium discessum, inter Duces de summâ belli consultatum, decreveruntque obviam eundum hostium Conatibus; Celeritate opus esse. *Monpenserius* cum expedito agmine in *Neustriam* profectus, ut Regiæ ditionis urbes tueretur, & Rebellium vicos Agrosque depopularetur, *Falesium* urbem aggressus est. *Brissaci Comes*, hanc ut Obsidionem turbaret, magnis itineribus eo duxit, laturus auxilium. Dux, relictâ Obsidione, Comiti occurrit; primo impetu cæsi disiectique Rebelles. Cecidêre in hoc conflictu *tria ferè fœderatorum Millia*, præter ingentem turbam Captivorum. Ipse *Brissacus*, relicto Peditatu, cum Equestribus turmis se recepit. Inter hæc missus à Rege *Lorgius*, ut Rebelles *Turonum* finibus arceret: huic additus *Castilionius*, Pedestribus *Navarri* Copijs præfectus; qui ad *Bongentiacum Ligerim* transgressi, hostibus latè terrorem cædibus Incendijsque injecêre. his occursant Rebelles, pari numero. Nec mora prælio; Equitum turmæ, & lecti è Cohortibus Sclopettarij, minaciter concurrêre. *Castilioneus*, equo suffosso periculum vitæ adijt, quod virtute ac audaciâ discussit, fortissimè pugnans. Mox, superveniente loricatorum dilectâ manu, cum *Lorgio duce*, & sublevato in equum *Castiloneo*, hostes pulsi, dein in fugam versi sunt; plurésque in fugâ, quàm in pugnâ interfecti. *Saveßius*, dux Rebellium, graviter sauciatus, *Bongentiacum* deportatus est, ubi ex vulneribus decessit.

In hoc alterno pavore, *Silvanecta* Picardiæ oppidum, à rabie defectionis ad sanitatem revertitur. hâc renunciatâ, *Civitas Regia* in magno pavore fuit. *Aumalius* Dux, publicam mæstitiam consolatus, delectum agere, & *Parisiensem* plebem militiæ muneribus exercere cæpit. Nonnullæ rebelles Civitates, suâ sponte auxilia miserunt. tum benè magnâ coactâ manu, urbem armis circumvenit, factâque ruinâ impetum fecit; quem Oppidani fortiter sustinuerunt; & *Longevillæum*, Regij generis Principem, certiorem fecerunt, urbem arctâ obsidione premi, quia à Fœdere discesserant. Quo Nuntio permotus, præparat celeriter se ad opem ferendam obsessis, & cum *Lanovio* de ratione rei gerendæ agit, penes quem, jussu Regis, vis consiliorum erat, ob summam belli peritiam. Ille respondit, Auxilium nec omitti, nec tutò differri posse, ne quid opis, Socijs laborantibus, in Regijs esse videretur. Igitur ad obsessos, celerius quàm ipsi opinati sunt, pervenit. quâ re cognitâ, *Aumalius* milites suos educit, & pro Castris aciem instruit. id cùm *Lanovius* ex loco superiore videret, Pedites, densis ordinibus, post loricatum Equitem collocat; & equestri prælio hostem lacessit; qui primo impetu virorum fortium dissipati, disiectique sunt. Regij perculsis acriter instant; fit fugientium atrox cædes; *Chamosius & Minevillæus*, illustres homines, & multi Nobiles Equites cecidêre: *Silvanectense prælium.*

1589. ipse *Aumalius Balagnius*, Cameraci Præfectus, & alij primarij Duces, amissis copijs, impedimentis, & tormentis, pernicitate equorum evasêre. *Parisienses* inopinato malo trepidi, publicam mæstitiam solitudine per urbem testati sunt. Læta Regi hæc auspicia belli, blandiente cæptis prosperâ fortunâ; quo successu elatus, se *Lutetiam* occupare velle palàm dictitavit, quam seditiosi Rebelles ambitioso imperio tenebant. Re consultatâ, agitatâque, commune omnium consilium, ac votum erat, ut *Lutetia* Regni caput, antè omnia peteretur; clausis Annonæ subsidijs, inopiâ Alimentorum premeretur. Dat negotium belli ducibus, ut cuncta præpararentur: missusque *Lorgevillem*, cum *Lanovio*, ad decem *Helvetiorum* legiones adducendas; qui summam diligentiam adhibuit, deduxitque ad Regem. & *Espernonius* occupare ripas *Sequanæ fluminis* suprà *Parisios* jussus, ipse cum *Navarro*, & cæteris Regij sanguinis Principibus, infrà occupat: & positis ad *Pontesaram* Castris, urbem cæpit, & *Fanum Cloudij* intercipit.

Timor indè *Parisienses* incessit, ex conscientiâ suâ, & flagitijs in omnes Regni civitates diffusis: quo pavore adducti sunt, ut nefaria de morte Regis consilia inirent. In tantâ consternatione non defuit plerisque animus adoriri: Sed *Iacobus Clemens, Monachus Dominicanus*, nefarium Consilium inijt contrucidandi Regem; quod cum *Priore Conventus* sui, *Comeroleto* Jesuiticæ societatis Sacrificulo, XVI *Viris*, & Primoribus Impij Fæderis communicavit, perfecitque; non sinè instinctu *Monpenseria*, interfectorum sororis. destinatum facinus omnes conscij laudant; dubitantem confirmant; augent odium; ut Vindicem ac Authorem libertatis celebrant; pollicentur digna præmia vitæ præsentis, & futuræ. *Kalendis Augusti* Sicarius, cæptâ luce, urbe egreditur, ultionis avidus; & *Clodij fanum* adit, ubi in æde *Gundiana* Procuratorem Regium, è præcipuâ familiaritate primi Præsidis, invenit; eique falsò aperit, se literas & Secreta mandata *Primi Præsidis* afferre; ac multa prætereà fidei commissa monet, quæ communicare nisi Regi, remotis arbitris, nec posset, nec vellet. quibus rebus adductus *Procurator*, de adventu ejus facit Regem certiorem: quem accersi jubet, deductusque ad eum submotis Proceribus, literas summissè tradit, deindè quasi responsum ab eo peteret, se insinuat, cultelloque viscera suffodit. Rex arripit Cultrum ex vulnere, dextrâque Parricidæ frontem ferit. Audito tumultu, Stipatores & Satellites ad auxilium occurrunt, & Stupentem Sicarium magnitudine sceleris multis vulneribus conficiunt; mortuusque est in eodem Cubiculo, in quo *laniena Parisiensis* consultata, atque agitata fuit. Ita *Henricus Valesius tertius*, Francorum Rex, ex Guisiorum fratrum internecione, miserrimum exitum habuit. per nefarium *latronis Monachi* Parricidium sublatus. Nuntiatâ clade, *Parisienses* ovantes gutture laudes gratesque Deo vindici cecinêrunt; detestandum *Monachum*, ut Authorem libertatis celebrarunt; Statuas & Imagines ei passim posuerunt; & Præmia parentibus, ac Amicis præbuerunt: demum à *Pontifice, ut Martyr, & Liberator Ecclesiæ, in numerum divorum relatus est.*

Post ejus mortem, *Henricus Burbonius*, generis Regij à *Valesiorum* ultimo, ad capessendum Regnum Gallicum dilectus, non pari consensu acceptus. quippè *Franciæ Primores*, indignâ cæde consternati, se in fidem & Clientelam ejus dedunt. *Pontificij*, ob diversum Religionis Cultum, aversi ferociunt, & indignantur dilatum ei Imperium. hinc longinqua inter *Francos* belli materia, multa Prælia, & cruenta, expugnationes urbium, fusi exercitus; & Galli, civili bello, mutuis cladibus attriti.

Cum plerique proceres ad Securitatem, & Occasionem, in avitos agros secessissent, *Navarrus*, contractis Legionibus, & auxillijs Helvetiorum mercede conductis, universam gentem in suam potestatem redigere intendit. palàm infensat bello *Neustriam*, multis conatibus opportunam; *Fæderatorum* vicos Agrosque depopulatur, aliasque Civitates, quæ partis *Fæderatorum* erant. Multi mortales, pænitentiâ mobiles, imperata faciunt; quidam vicos deserunt, & in urbes carissima secum ferentes, digrediuntur, ac obsidione cinguntur. Rex ut metum hostium pluribus simul locis intenderet, *Longevilleum* Ducem in *Picardiam*; Aumontium Tribunum Militum, in *Campaniam*, summâ celeritate immittit. Igitur *Carolus Lotharingus*, Meduaniæ Dux, Rebellium princeps, vicarij nomine, disperso rumore diviso exercitu posse *Navarra Regem* circumveniri, pudore, & *Parisiensium* importunis flagitationibus inductus, statuit obviam ire; prælium tentare; cursum victoriæ in Normaniâ remorari. At *Navarrus* haud ignarus, & pugnæ paratus, positis Castris apud *Vicum Arcuensem* consedit, lotaque opportuna munivit; dispositæ expeditæ Cohortes, & duodecem Turmæ Equitum, cunctaque prælio provisa. Nec multo post; *Meduania Dux* fidens robori exercitus, cito agmine advolat; concentu Tubarum, & gentili fervore ruit in Munimenta. Magnus impetus majorem constantiam apud hostes invenit, quàm speravit; Regem insuperabilem in labore & periculo expertus, tandem inglorius recedit.

Per bellorum Civilium vicissitudines, *Navarrus* in *Diepam*, extremam *Neustriæ* urbem, extrusus est: & obsessus à *Meduanio*. In tanto discrimine *Elizabetham* nuntijs monet, nullum sibi, socio Regi subsidium, nisi transmarinum; pereundum esse, nisi properè subveniret. Illa periculo amici Regis exterrita, misit *Villoubeum* Baronem, cum *quatuor* legionibus Anglicis. qui extremo Autumno transgressus, turbato *Meduanio*, & absterrito, Regem obsidioni, benignitate Numinis, exemit. Simul ex *Scotia* duo millia egregiæ Juventutis, *Colvillo Vemio* duce, auxilio affuêre. Principes Regij Sanguinis, exciti periculo Regis, junctique *Anglis Scotisque*, paventem *Meduanium* consectantur.

Lutetia,

Lutetia, quæ fatali vecordiâ *Navarrum* interfectum, aut profugum in *Angliam* putavit, Victorem, ultoremque, direptis suburbijs, repente sensit. Ibi *Angli* vetus adversus *Francos* odium exercent; se ultione, prædâ, & sanguine explent; Claustra Portarum convellunt; paucis amissis, multis vulneratis. Pari fortunâ, & sævitiâ *Castilonæus*, ultionis magis, quàm prædæ memor, in suburbijs *S. Germani* grassatur, *Lanienam Parisiensem*, & Patris cædem ingeminans. Indè orta fiducia, urbem Regiam aggrediendi, nisi Rex impetum militum attinuisset, & signum receptui dedisset; quippè nulla Regi utilitas, si capta esset. At concessisse illuc *Meduania Ducem* gnarus, quæsito diu prælio, elusus à *Meduania*, debilitate pedum invalido, aut hoc prætextu ignaviam animi tegente, circumferre belluni coactus est. Indè proximas Præfecturas *Canamanorum*, *Lexoviorum*, *Alencomiorum*, vastavit; gloriæ pariter, ac prædæ Militum consuluit. Multa oppida, aut Castella, terrore aut sponte in deditionem venerunt. *Vindocini* Muri ab Anglis, intrà paucas horas, nudati defensoribus; capta munimenta; sed Oppidani, Portis spontè patefactis, salutem sibi peperêre: reliqua præda militibus cessit. Pari fortunâ *Bironius* usus est, multis Castellis expugnatis. ad hæc *Franci*, ambiguâ fide *Anglorum* ferociam perosi, dato præsidio ne à *fœderatis* hostibus Circumvenirentur, ad litora Oceani deduxerunt; undè *Angli* dissimulato intellectu, nitidi & opulenti in Patriam remeavêre; dilapsique sunt in Provincias, in quibus nati fuerunt. *Villoubeus*, doctus per aliena experimenta, militarem gloriam ingratam placidis temporibus; ac *Cæcilio*, inhianti avito Patrimonio, in agro *Coritano*, invisam; ubi officio satisfecit, multum ætatis in Avitis prædijs, cum Amicis & Centurionibus tranquillè traduxit, donec ingenijs militaribus locus patefieret; ac diu post Præfectus *Northumbriæ*, & *Bervicensis* præsidij fuit. & successor electus in *Belgio*, *Franciscus Verus*, militiâ clarus, Convitijs acerbus, & arrogans in Milites; qui primum inter amicos locum apud eum obtinuit, dum in *Belgio* militavit. Nec negavit, se *Villoubeo* Authori, & Duci, omnia debere, Disciplinam Militarem, dignitatem, fortunam, & Famam; quâ moderatione gloriam & Auctoritatem auxit. 1589.

Cæterum *Villoubeus*, in præfatione Edicti adversus præsidiarios *Gertrudenbergenses*, à *Batavis* perstrictus, suæ injuriæ ultor, Apologetico libello durius respondit; nec se tenuit, quin Librum etiam ederet, nisi à Reginâ prohibitus esset.

PRincipio hujus Anni, *Rex Iacobus*, cum per Anni tempus navigare posset, de reditu cogitavit, & ad Classem operientem in *Freto Danico* festinavit. Portum, stationem, littora, innumera multitudo, visendi cupidine, complevit. Ipse decore Regio, neque procul Regina, auratâ veste, composito agmine Naves conscenderunt, & Portu solverunt. Priusquam navigaret, literas in *Scotiam* misit, per *Gulielmum Stuartum*, Tribunum, ut sibi Magistratus obviam irent; Comitibus *Danis* locum publicè pararent, ubi diverterent. Inter tot prospera, vicissitudine rerum mortalium, res secundas adversæ excipiunt. dum Reges *Classe Danicâ* comitati, *Scotiam* repetunt tranquillo Mari, in medio cursu, atroci exortâ tempestate, diu adversis Ventis, & turbulentissimis procellis jactati, dissipatâ ac multùm vexatâ Classe. Eâ sedatâ, *Calendis Maij Letham appulêre*. Ad Spectaculum omnes simul Proceres, & Cives; Pueri quoque cum fœminis effunduntur, summo cum gaudio, ac favore. *Edinburgi* quoque Plausibus, ac effusissimis studijs, Ludis, Festis, Pueris, virginibusque, laudes, Hymnosque concinentibus; Matronis cum pretiosissimâ veste, mundoque omni, alacri vultu formam utriusque in Flore Juventæ inspicientibus, excipiuntur. Populus exultans, Festis, Acclamationibus, fortunatum adventum, Maturam sobolem, læta, ac fælicia omnia precatur. Nobilibus Danis, *Petro Mankio* Præfecto Maris, *Stephano Bra*, *Rausonio*, *Nicolao Theophilo*, Doctore Juris, *Henrico Godlesiero*, & eorum comitibus, in parata honorificè hospitia diductis, omnis honos habitus, publicè privatimque, qui haberi potuerat. Medium tempus, ad discessum usque, in Convivijs & Compotationibus, inter profusissimos Apparatus, aliquantò incivilius actum. Per *Scotiæ* Civitates, circumductis epulum ubique publicè præbitum; domusque Procerum *Danis hospitibus* patebant; aliam impensam *Scoti* in *Danos* non faciebant. Intempestivus & profusus gulæ Luxus hâc tempestate invaluit; exolescente antiquâ gentis parcimoniâ; & posteà, magno Britanniæ damno, perseveravit. 1590. *Rex Scotiæ.*

Indè *Anna*, adhibitâ Procerum, & Primorum Aulæ Frequentiâ, in *Cœnobio Sanctæ Crucis*, Oleo perfusa, mystico ritu, sine Præsule, inungitur à *Roberto Brutio*, *Concionatore Edinburgeno*. Diadema capiti imponitur, & promiscuis Acclamationibus *Augusta Scotiæ* inclamatur, ac multorum Prædiorum dote locupletatur, quasi Arrâ Majoris dominationis; Codicilli Dotis à Rege signati, magno Regni sigillo firmati, Dânis aperti traduntur; quibus acceptis in Patriam remeavêre. eos digredientes, Rex omni honore, & Muneribus prosecutus est. *Annam* semper posteà in summâ flagrantissimâque gratiâ habuit, coluitque, eâ Continentiâ (corruptissimâ etiam ætate, omnium rerum Licentiâ) ut usum Voluptatum intrà cepta legitimi Thori cohibuerit; quod rarius ulli Majorum acciderat.

Interim *Ludovicus Bannantinus* Legatus in *Angliam* missus, renunciavit, in Senatu Anglorum Reginam non modo benignè respondisse, sed & ipsam Legatum cum donis ad Regem misisse. moxque *Vigornensis Comes* ab *Elizabethâ* Legatus, in *Scotiam* venit ad gratulandum, cum donis & Muneribus, Chlamyde auratâ, & Torque gemmeo; comiter exceptus, cultusque honorificè, brevi redijt. Paucorum dierum intervallo, *Metellanus* opibus & honoribus auctus; cujus fidem & Constantiam

1590. cum Prudentiâ conjunctam, multis in locis Rex expertus est; *Alex:* quoque *Lindesius*, Adolescens decorus, familiâ illustri, adscitus in interiorem potentiam; Baro *Spineus* creatus, quo prædio potitus fuerat antè *Pontifex Moraniensis*, Patrum ac Avorum memoriâ, & nullus antè eum *Laicus* Feudi Ecclesiastici dignitatem habuit. additi equites *Georgius Humins*, magnâ posteà gratiâ; & *Iacobus Sandelandius*. Inter majorum rerum curas, *Gnilielmus Stnartns* Tribunus Militum, legatus in *Germaniam*, cum *Ioanne Skineo* Jurisconsulto missus, ut eam gentem *Scotica* arctius conciliaret. *Ioannes Carmichelius*, Prætorianæ Cohortis Præfectus, Anglorum Studiosissimus, Regis Legatus ad *Elizabetham*, charus acceptusque ei erat. Viæ, multitudine Legatorum commeantium, & remeantium, celebrabantur.

Exin notabile Jurgium fuit, quo *Ioannes Gramns*, vehementis Spiritus, novus adhuc, & in Collegium Judicum nuper adscitus, *Davidem Margillum*, Cognitorem Regium, Veteratorem fori, ut largitionibus corruptum, insectatus est. Acribus initijs cæptum certamen; & mutui odij pertinaciâ continuatum; Collegarum interventu diremptum est. Rex appellatus, Corruptelas Fori *vetus, Resp: nostra malum*, ad Senatum rejecit.

Per eosdem dies Controversia inter *Grantium*, virum summæ domi potentiæ, ac magnæ Cognationis, & *Gordoninm* de Fundo, ac Piscatu exorta; atrocibus utrinque celebrata est certaminibus. pro *Grantio, Atbolia, & Morania* Comites; pro *Gordonijs, Huntilens*, Patronus, summis viribus pugnaverat. hæc Contentio novo insuper dolore flagrantis Iræ accenditur. *Atholius*, *Moranius*, *Grantsns*, cum multis amicis propinquisque, simulatione communium negotiorum coeunt, & in *Tarnvalliâ*, *Moraniauâ Arce* convenerant. *Gordonij* id contumeliosum rati, majorem multitudinem ad arma concitant; equos conscendunt; subditis calcaribus *Tranvallsam* contendunt; & contemptius Arci obequitant, ut elicerent. Itaque qui intus erant, primo intenti paratique, si Lacesserentur; deindè temerè adequitantium contemptum non ultrà ferentes, *Ioannem Gordonium*, Clunensis Comarchi fratrem, globo traijciunt. hæc cædes *Gordonios* ad furorem impulit, nemine ambigente majoris mali initium fore. Quâ re cognitâ, Rex majorem *Septentrionis* motum timens, magnâ sollicitudine affectus, Controversias ad disceptationem Juris vocat. Proceres Contentionis cupidiores, quàm Juris & Æqui, nominatim citat, & Pacis ac quietis Obsides exigit. *Hnntilem*, reconciliatâ cum *Metellano* per idoneos homines amicitiâ, non modo viribus, sed & Aulæ gratiâ superior, ingentes iras in pectore voluit; queritur de cæde Clientis; fugit disceptationem cum Adversarijs; petit ut suas injurias persequatur, quas negligere, sinè pudore & infamiâ, non possit. Respondit Rex, quod nihil æqui postularet; persuasitque, ut parvas, & vix dictu dignas Injurias communi utilitati remitteret.

Rebus *Septentrionis* adhuc suspensis, mutuis Procerum suspicionibus, cum universa *Scotia* Pacis Liberratisque perfruens bonis, egregiè præsenti statu gauderet, *Franciscus Stuartns*, Bothueliæ Comes, cui Nobilitas regia ex Pellice, vir & favore populi, & studijs Nobilitatis ingens, Regi multis beneficijs devinctus, sed moribus turbidus, inquies, & facilis Manibus, dulcedinem summi imperij in Vicariâ potestate gustans, multa alienati animi indicia detexit; ac secreta Consilia agitavit, quonammodo res in *Scotiâ* novarentur. Non enim verba modo, sed & facta tumultuosa erant. Itaque *Metellanum*, Auctoritate & Consilio sibi adversantem, tollere, aut Præturâ depellere decrevit. Periculum instruxit, oravitque Regem, ut secum animo reputaret hominis Malefici, & injusti fraudes, Insidias, Flagitia. At Prætor præmonitus suum exitium parari, depositâ jam veteri simultate, quam adversus *Huntsleum*, summâ animi contentione, gesserat, ut per eam occasionem Liberius recens odium exercéret, omnes acerrimi Comitis insidias & fraudes, cautis consilijs vitavit; & suam gravissimam Injuriam, excidio ipsius ulcisci destinavit.

His ferè diebus *quæstiones Veneficij* per urbes, per villas, & omnes Regni Provincias acerbissimè habitæ. *Fianus*, aliàs *Cnningamus*, infamis Magus, *Anna Samsona*, Venefica; & aliæ Mulierculæ, ejus Artis infamiâ Laborantes, deprehensæ. Ostentatis statim Tormentis, quid in Regis exitium pararent, detexerunt; ac *Magica superstitionis* pænas, extremo supplicio luerunt. *Eufemia Macalzeona, Barbara Naperia*, Matronæ *Edinburgenses*, dignitate formæ haud degeneres, ejusdem Criminis postulantur, quod de salute Principis, ac fine vitæ consuluissent. *Ricardus Gramus*, captus, in Conspectum adductus, interrogatusque frequenti Curiâ de *Veneficiis*, & *Cantionibus*, haud inficiatur; *Bothuelium* incusat, magno stupore Audientium: ac ne fortuitò prolapsus videretur, adnectit, suâ operâ usum, ut Finem Principis *Magicis* devotionibus scrutaretur. Circumstantes infensi odio Delatoris, & amore Rei, conclamant Indicem falsum esse; objectant, in infamiæ suæ ardore, Reum spem salutis ancipiti argumento petere, ut per societatem hominis Nobilissimi discrimen evaderet. Alij rem incredibilem rati, *Gramum* à *Metellano*, largitione & promissis impulsum, delationem subire ajebant. Ut quisque credidit, ita temerè vulgavêre. Perstitit desperatus *Veneficus* in atrocitate Criminis: ordinemque omnem Ministerij sui exposuit; *Magorum* sacra, *Dæmonum* Promissa, seque Crimen objecturum professus est. Igitur amici Principis, quibus maximis de rebus fidem habere solebat, non statim falsum Inditium existimantes, quia probari non poterat, inhor-

ruêre,

ruêre, & apertè fremuêre, haud dubia Regni Consilia, exitium instare, nisi præoccuparetur. Si- 1590.
mul *Metellanus* ad Occasiones intentus, Regi præbenti aures Author fuit; ne *Bothuelij* amentiam in concitandâ multitudine, & *Magicas* devotiones diutius toleraret. Ostendit, quantum ipsi, & universæ rei *Scotica* periculum immineret, si ejus Contumaciam, & tanti sceleris Infamiam inultam sineret; postulatque lege agi. Nec deerant hoc tempore, qui existimarent ferociam Comitis magis leniundam, quàm Criminationibus exagitandam. Cæterum, cum suspectum magis, quàm manifestum esset facinus, *Bothuelium*, ignarum adhuc objecti Criminis, ac Accusatoris, vocari placuit, ut defensio audiretur, quippè potentior erat, quàm ut indefensus inauditusque periret. Rex Inditium haud aspernatus, ad rem explorandam primos Amicos adhibet, & Reum vocari jubet. qui nihil pro Innocentiâ suâ disservit; Sed ultionem in Delatores, ac Inimicos poposcit. deficiente tanti Criminis probatione, Rex nec absoluit, nec condemnavit.

Hujus Criminis occasione, multorum Veneficorum nomina delata, quo *Bothuelius* pluribus Inditijs illigaretur. quidam ex his Viri fæminæque adducti ad Magistratus, fassique de se extorti, *Nocturnos Cœtus*; *Nefandas Execrationes*; *Fanaticas Choreas*; *horrenda Artis misteria*; *Obscæna Flagitia*, *Nefariaque, ad hæc stolida, vana*; *Metamorphoses*; *incestos Concubitus*; *Lycanthropiam*, quæ vix referre, audireve, nedum credere fas est. Nullam moram Judicio, & supplicio fecerunt: damnati quidam, & cremati. damnatorum Bona publicata; undè passim per universum Regnum trepidari cæptum est, nisi Mirissimus princeps, Quæsitorum Avaritiam subodoratus, opibus miserorum inhiantium, adhibendum Quæstionibus modum censuisset; & non esse à Tormentis incipiendum, in *Causâ Veneficij*, in quâ Rei nullis argumentis, aut probationibus urgerentur.

Jam operæpretium facturus videor, si dixero, *qui, qualesque sint Venefici*, quos vulgus *Lamias, striges, & Maleficas*, ob facinorum magnitudinem vocat; ut Judices in vindictâ temperamento utantur. Ptimum igitur, Mulierum magna pars est, quæ furore primò mentis turbatæ, deindè Dæmonum fraudibus seductæ, credunt se in *desertis locis potare, saltare, epulari, & Dæmonum Nocturnis sacris initiari*. Deindè simillimi fæminis *Mares Fanatici*, stimulis furialibus, & humore Melancholico attoniti, noctu coeuntes, cum Magicis devotionibus, in hominum perniciem. *Lege Corneliâ* veneficij tenentur, *qui occidendi hominis causâ, Venenum confecerint, dederintve*; *aut qui artibus odiosis, tàm Venenis, quàm susurris ediderint*. sed captæ Superstitionibus mentes, *Iure Civili*, non arguuntur; cum Maleficia argui non possent; neque puniuntur *Canonibus Ecclesiasticis*, nisi Carcere; usque dum, Cælesti Numine inspirante, spondeant vitæ emendationem: aut Exilio, ne Contagione imbecilliores inficerentur. In re tàm dubiâ suum cuique liberum erit Judicium, sentire quid velit, pro insitâ ingenij naturâ, de *Portentis Magicis, Veneficis Carminibus, & Mathematicorum fallacibus promissis*. Sed nemini dubium esse potest, quin ex hâc *Lamiarum* officinâ prodeant Corruptelæ omnis generis; *Venena, Fascinationes, Homicidia*; *item Characteres, Amuleta, & Concepta verborum Formula, ad depellendos Morbos*. Hujusmodi diverticula non attigissem, nisi præsenti rerum narrationi cohærerent. Rex, hâc Occasione, *Disquisitionis Magica* librum edidit, cui Titulus insignis & pulcher, *de Dæmonomaniâ*.

Inter hæc per *Moraviam, Rossiam, & Æbudas*, cruentæ Cædes, & multa Latrocinia fiebant. hæc *Silvestribus Scotis* feritas in irâ fuit, quos nulla eruditio, nullus literarum cultus imbuerat. Sub idem tempus, *Robertus Carus, Cesfordiensis*, Juvenis summâ & animi & ingenij Alacritate præditus, ingentem Iræ molem adversus *Gulielmum Carum Amoranum*, Consanguineum suum, pigrè in *fidem Clientelam* transeuntem, concepit; ac totus in Vindictæ cogitatione erat. Credidêre plerique auctam offensionem ipsius *Amorani* Contumaciâ, superbè quædam & contemptim jactitantis. *Clientes* quoque turbidi improvidum Juvenis animum, & facilem deterioribus Consilijs, non modo callidis offensionibus accenderunt; sed ultrò ad Necem ejus armarunt; affirmantes *Humio* æmulo proniorem, Tribules ad discordias trahere; nec aliud gliscentis dissidij remedium, quàm si interficeretur. Igitur in urbe regiâ, *Robertus Carus*, Tribulium Princeps, *Gulielmum Amoranum* nobilissimum Equitem, ejusdem generis, globo plumbeo trajecit. atque patratâ cæde, in *Teniotiam* se recepit, & ignotis locis sese abdidit, donec ira Regis deflagraret. Neque citò mirigatus Rex est precibus *Metellani*, cujus Neptem, ad retinendam Amicitiam & voluntatem, in Matrimonio habuit. Amoto *Roberto Caro Cesfordiensi*, in finitima *Anglia* loca, *Teniotia* cura, absente Rectore, alijs demandata est.

Eodem ferè tempore, *Hunius, Spottensis Comarchus*, interficitur, incerto sceleris Authore. defunctus *Iacobum Duglasium*, generum, *Mortonij* Proregis nothum, hæredem bonorum omnium reliquit. *Georgius Hunius*, multâ tum gratiâ, cui Avunculus *Spottensis*, infensus subitæ fælicitati, *Duglasium*, cædis *soceri* participem & conscium arguit, atque ideò successione hæreditatis indignum. Reo tantum metum injecit Criminis fædi ac detestabilis, ut, omissâ defensione, abesse satius duxerit. Accusatio nihilominùs tentata; & ex *Servis domesticis* quæsitum, præmiumque propositum, ut *Duglasium* Auctorem nominarent. Testium interrogationi, quæstioni servorum, *Georgius Hunius* idem Judex, & Accusator præsedit. hujus Accusationis eventum, sequenti anno, expediam.

1590. Hoc Anno, *Angliæ Regina* in summâ rerum administrandâ, gravem curam diligentiamque adhibet; quicquid agit, ad utilitatem refert publicam. Ita Munia Pacis curat, ut Bellum non obliviscetur: ne ab *Ibero* hoste, ex improviso, opprimeretur. Delectus totâ *Angliâ* & in *Momoniâ* habet, ad novos casus temporum. Propugnaculum, ad *Suici* fluminis Ostium, in Hiberniâ; atque *Milfordianum* Portum in Cambriâ, munimentis firmat. Aperit venas omnes, atque viscera Misericordiæ, pro ope ferendâ socijs. *Henrico quarto, Franciæ & Navarræ Regi*, Germanorum Copias, sub auspicijs *Anholdini Comitis*, conduxit; & ad spem recuperandi aviti Regni erexit; quamvis *Cardinalis Burbonius*, Collateralis in gradu, Omnium Conjuratorum consensu, *Rex Carolus X.* promulgaretur; & *Meduania Dux Vicarius Regni, & Assertor Gallicæ Coronæ* deligeretur; qui senectâ & Ignaviâ Fastiditus, in Catalogo *Regum Francorum* non recensetur; ne hâc in re, contrà *Ius gentium* peccetur. Conversis ad teterrimum Civile bellum *Gallorum* animis, gnari, si *Meduanio* Hispaniensis exercitus junctus esset, extemplo *Gallici Imperij* finem fore; quare coluit, summâ benevolentiâ, *Henricum legitimum Regem*; ac literis Nuntijsque objurgare non destitit, quod *Villoubrum* cum Copijs suis dimisisset, cum nec Copias, nec Duces haberet, quibus Conjuratorum viribus obsistere posset. Refectâ & auctâ Classe, magnâ impensâ, de Navigatione inprimis consuluit, ad retinendam Terrâ Marique potentiam. Ita molimina *Philippi* prævertit, & à Cogitatione rerum *Britannicarum* avertit: fecitque maximos sumptus in Rem Militarem, quotannis apud *Batavos*; non minores apud *Mattiacos*, in Præsidiarios *Vlissingæ, Brielæ & Ramecanæ arcis*. Si quis velit plura cognoscere, perlegat hujus Anni *Sumptuarias Reginæ Rationes*, quas ex Archivis *Scacarij* recenset, *elegans Rerum Britannicarum Scriptor Gulielmus Camdenus*. In his immanibus Jacturis, infinitisque sumptibus, compensare Officia subditorum amore, & benevolentiâ studebat, quibus pecuniam debitam, præter spem, solvebat. Hinc mirari homines magnoperè cœperunt, undè ei suppeditentur tanti sumptus. Eximiæ erant in illâ fœminâ virtutes, sed præcipuè *singularis frugalitas*; quæ eminuit cum in privatis rebus, & Muneribus; tum in administratione rerum. Domum suis sumptibus, ac more Majorum, sustentavit. In Imperio atque publicâ dignitate tuendâ, Socijs defendendis, Vicinis sublevandis, pecuniæ nunquàm pepercit; ut omnes scirent salubrem magis Principem, quàm prodigam, & luxuriosam. Deprehensâ fraude Publicanorum, quorum cupiditate atque Avaritiâ, Portoria & Vectigalia aut eversa, aut neglecta, diligentiorem curam *Burleio, Quæstori* demandavit; & cum *Carmerdino, Vectigalium Ephoro*, de Ministerijs Publicanorum sæpè tractavit: ex quo cognovit, *Thomam Smithum*, Vectigalium Redemptorem, publica Portoia *quatuordecim Mille libris Anglicis* conducta habere; & Aerarium vilitate Redemptionis, eversum Fore, nisi tempestivum remedium adhiberet. Illa *quadraginta duabus Mille libris* in posterum redimere coegit; neque præterita tempora excusavit, grandi Mulctâ ei impositâ, pro temeritate Redemptionis per tot annos. Et posteà *quinquaginta mille libras* quotannis persolvere constituit. Ita fundamenta Reip: jecit; atque ejus rei fructus successores perceperunt, in gravissimis Regni oneribus sublevandis. In quo facto restitit ei aliquandiu *Burleus, Quæstor*, dictitans *Carmardinum* curiosum delatorem; nec decere Majestatem Regiam delatoribus aures apertas habere; hoc enim factum sibi, & cæteris Consiliarijs dedecori esse; ambitiosius id existimans, quàm ratio Civilium rerum postularet. Regina respondit, omnia sibi *Iure Regio* libera relinqui, ad salutem & Columitatem Imperij; patefactâ fraude *Publicanorum*, remedium adhibuisse; Principis esse munus, cum auctoritate regnare; summos cum infimis pari Jure continere, ne tenuiorum mentes ac voluntates alienentur; si qui Magistratus, Judices, aut Senatores, temerè calumnientur, ultionem paratam; si preces veritate nitantur, in promptu gratiam & benevolentiam; se Reginam tenuissimorum & potentissimorum, ex æquo esse; nec aures infimis Occludere posse; nec passuram, ut *Publicani, Regni hirudines*, ad pastum Mendicitatis suæ, sanguine Civium saturentur, & Aerarium inopiâ tabescat; sed omni studio enitendum, ut singulorum fortunæ augeantur; subsidia belli alacriter semper conferantur; Pæcuniæ locupletibus imperentur; ne subditorum mentes avertantur, si in gregem locupletum tenuiores conijciantur.

Cæterum vitandas Inimicitias Principum censuit: Ubi turbari Mari cuncta sensit, Prædonum excursionibus, & immerentibus socijs bona eripi, in posterum *Fæderatorum* securitate edicto cavit. *Venetorum, & Etruscorum* naves interceptas restitui jussit; suisque denuntiavit, ne *Italis, Venetis, Gallis, Danis, Belgis*, aut Maritimis *Germaniæ Civitatibus*, vim inferrent; nisi ferrum, frumentum, Navalem materiam, *Iberis* hostibus subveherent: qui secùs fecerit, in numero Prædatorum & Pyratarum censendum. Ita ad præsens licentiam rapiendi atque prædandi cohibuit; & Mercatoribus tutum Mare præstitit. *Oceanum Atlanticum*, juxtà *Azoras Insulas*, infestum reddidit, navibus plurimis direptis; & Propugnaculo in *Fialâ* Insulâ, à *Cumberlandiæ* Comite diruto, & LVIII *Majoribus Tormentis* asportatis.

Dissidia inter *Moscum & Suecum* orta, Auctoritate suâ composuit. Pacem *Polonis*, difficillimo imminente bello à *Turcis*, impetravit. quibus rebus gloriam sui Nominis, & Regni illustravit. Insuper Gallia cum periculosissimo incendio deflagraret, propter amicum Regem, cum *Conjuratis*, cum *Philippo*, cum *Parmensi*, sinè cunctatione bellum gessit; quia prætermitti defensio, deserique officium non potuit. Amicitiam etiam cum *Batavis*, sanctissimè coluit, sivè consuetudine Naturæ suæ, sivè amore, quem in Provinciam illam susceperat. *Groningam*, opulentissimam *Orientalis Frisiæ* urbem,

Res Anglica.

urbem, fiduciâ virium superbientem, supplicemque ad fidem ejus confugientem, in Patrimonium accipere recusavit; ne in offensionem *Batavorum* caderet. Tunc etiam tumultuantes in *Provincijs Belgicis* diplomate objurgavit, qui per causam libertatis speciosam, & Prætextum Obsequij, ac benevolentiæ ergà ipsam, turbas excitarunt, ac opposuerunt se *Ordinibus*. 1590.

Cæterum hoc Anno, *Franciscus Valsingamius*, ab epistolis, cui publica salus charior, quam commoditates domesticæ, *Londini* inops decessit. Is quamvis moriens multa Creditoribus privatis deberet, plura tamen ejus memoriæ Resp: debuerat, & adhuc debet. nam ad Remp: moderandam, usum & scientiam ac studium suum domi forisque contulit. denique nihil in turbidis temporibus, & occultis Conjurationibus sciri discive potuit, quod ille non per Ministros idoneos investigaret. Nocte insequenti festinatæ exsequiæ, sine funebri apparatu, aut pompâ, in *æde Divi Pauli* sepultus est: relictâ unicâ filiâ superstite, quam primùm *Philippo Sidneo* Nobilissimo Equiti collocavit. Deindè ut is obijt, relictâ filiâ, *Roberto Essexiæ Comiti* nupta est, & ex eo liberos habuit, filium, ac filias. Illo quoque defuncto, *Comiti Clan-Ricard* nupsit; cui utriusque Sexus liberos peperit. ita fortuna, in sobole, defunctum non destituit.

Hunc secutus est, *Thomas Randolfus*, vir virtute, & rerum usu præstans; qui amplissimis legationibus functus, apud *Iacobum Sextum* Scotorum, Carolum IX, & Henricum Tertium, Francorum Reges, magno usui reip: fuit: pro quibus meritis, *Præfecturâ veredariorum*, & modicis in *Cantio* agris remuneratus est, parcius quàm suo labore & periculo meruit.

Hic Annus fatalis, & ultimus fuit *Iacobo Crofto*, equiti generoso, qui militaribus studijs in Angliâ & Scotiâ innutritus, regnante *Eduardo Sexto*, Hadnigtonum in *Lothianâ* regione adversus Gallos enixè defendit; & *Hiberniam* summâ æquitatis ac prudentiæ famâ moderarus est. *Bervico*, & limiti Orientali fæliciter præfuit; factusque Domus Regiæ Censor, aulicâ invidiâ immeritò exagitatus, æquabili apud Principem gratiâ, & integrâ apud bonos famâ, vitam morte commutavit.

Hoc quoque Anno ereptus est *Georgius Talbotus*, *Salopiæ* Comes, homo cum gravitate & prudentiâ præstans, tum laude militari; qui Juvenis *bello Scotico*, sub Patris imperio, pericula ac tela subijt; & *Northumbrium* in certamine periclitantem liberavit. deindè *Cataphractorum Alæ*, in limitibus Regni præfuit, ac suo labore & periculo, finitimas Provincias defendit. Provectâ ætate, ab *Elizabethâ* Custos *Scotorum Reginæ* appositus, summâ humanitate ac modestiâ tractavit; monuitque suos, ne quid ei fieret durum, agreste, vel injurium. Fidem & Obsequium, tàm periculosis Reip: temporibus, contrà Insidias inimicorum, Calumnias Aulicorum, Uxoris secundæ Criminationes ita defendit, ut non minorem Fidei, ac Prudentiæ, quàm Fortitudinis laudem meruerit.

Cæterum, *Regina*, amisso prudentissimorum hominum auxilio, *Burleum* à Rationibus Reip: Rectorem, & publici Consilij authorem esse habendum duxit. Is Gazæ Custos, effusâ in *bellum Gallicum*, & *Belgicum* publicâ pecuniâ, Rei Nummariæ subsidio indiguit, ad alendum exercitum, quo Regni salus in tuto foret. inopi ærario, plebe Anglicâ subsidijs, & Collationibus, alijs super alias, ad Inopiam redactâ, permulta Prædia Senatus vendenda censuit. Quæstor, propter Invidiam, non vendidit; & Author fuit petendi subsidij ex Hiberniâ. pacatâ jam Provinciâ, ibi multos pedites equitesque exauctoravit, ut Castrenses sumptus relevaret; Militarem Jurisdictionem cruentam, & intentiorem præsidim disciplinam, beneficij causâ, abolevit; Tributa, leges, & *Anglicum Ius*, ac Magistratus Provincijs imposuit. Etsi præfecti Juridici, Procuratoresque Principis, cuncta malefacta sibi impunè rati, urbanos Cives, agrestesque vexarent; tamen in *Momoniâ*, *Conactiâ*, *Lageniâ*, *Mediâ*, locupletissimis Regionibus, Collationes pro fide & Obsequio Imperij *Anglici*, utcunque toleratæ. *Vltonienses*, incondita gens, Solitudinibus & Sylvis propinqua, nec ad Tributum sufficiens, Collationes pecuniæ, & suorum fructuum, inopiâ magis, quàm Contumaciâ detrectarunt. *Res Hibernica.*

Originem *Motus Vltoniensis*, cum Causis, & Eventibus, nunc paulo altius expediam. Extinctâ *Ioannis Curei*, Equitis Anglici, in Agrum bello captum missi, & primi *Vltoniæ* Comitis, sobole; ingenti flexu, *Vltonia Ricardo Eboracensi Duci*, Comitatus titulo, devoluta est. *Angli* quàm plurimi eo immigrarunt, Stirpis augendæ causâ: alij spontè, alij ab *Eboracensi* conducti, ut Provinciam operibus excolerent, & Agrestibus frenum imponerent. Hi opportunissimas vrbes, fertilissimos Agros sibi incolendos delegerunt; Incultos *Hibernis* reliquerunt: nec quicquàm omisêre, ut universam *Vltoniam*, singulasque ejus partes, ornare possent. *Vltonienses*, Anglorum studio à Barbarâ & Sylvestri vitâ ad Cultum & Mansuetudinem traducti, exolescente paulatim feritate, Accolarum Indolem, Ingenium, Moresque induerunt. Ab his Magistratus, Leges, Jura, Judicia, postremò divina & humana Instituta acceperunt. Quæ Liberi parentibus debent, ea *Anglis* debuerunt. *Angli Hibernique* Affinitate, atque indè Cognatione juncti, in Imperium *Ricardi* unanimi consensu coaluêre. Verum exardescente bello inter *Eboracensem familiam & Lancastrensem*, de Jure Regni, *Vltonienses agrestes* inopesque, pristinam animorum ferociam resumpserunt; & *Angligenæ* degenerarunt, etiam in Accolarum feros mores. Occasione discordiarum, & Civilium armorum, Odio servituris (sic enim humanitatem appellant) libertatem affectavêre. *Anglis* invalidis, & procul agentibus, sibi ipsis *O-Neale Regem* imposuêre, ex Avitis *Vltoniæ* Regibus oriundum. Unus eminebat inter cæteros ejus

1590. familiæ Comes *O-Neale Claadus*, prudentiâ, opibus, potentiâ: is ab *Henrico Octavo*, Rege Hiberniæ, velut illustriore nomine, à Plebe, Sacerdotio, ac Proceribus appellato, cum Majores Reges *Angliæ Insulæ* tantum *Despota* vocarentur, in *Angliam* evocatus, *Tiroeniæ Comes* creatus est; ut oblita *Vltoniæ* O-Neali nominis, *Anglis* imperij reverentior foret. quæ dignitas non modum in *Conum*, sed in *Matheum* grandiorem natu Filium, *& Mathæi liberos masculos* collata; indignissimè id ferente *Ioanne* altero *Coni* filiio; asserenteque se legittimo Matrimonio natum; *Matheum* vel Fabri ferrarij, vel *Coni* ex pellice adulterinum filium; Codicillos *Henrici Octavi* irritos, constituentes *Matheum* hæredem; nec Patrem *Conum* potuisse legittimum hæredem avitâ hæreditate excludere, nisi ex Plebis, & Procerum *Vltoniæ* consensu. Intereà Fratrem *Matheum* insidijs aggreditur, & inter venandum nefariè obtruncat. Interfecto fratre, Patre ægritudine animi absumpto, *Hugone*, Mathæi filio, ob Pueritiam despecto; fretus prælijs, quæ prospere adversus *Æbudanos* gesserat, à Reginâ defecit; & apertè totius *Vltoniæ* Imperium invadit, assumpto *O-Neali* nomine; vagis populationibus, & prædatoriâ manu finitimos *Anglorum* vicos vastat, Aedificia incendit, Prædas abigit; & postremò, Cohortes *Anglicas* temerario ausu *Dundalkiæ* circumsedit, primoque impetu pulsus abscessit. *Eduardus Randolphus*, Tribunus legionis, impiger manu, & exercitus Miliriâ, à *Prorege Signejo* in ulteriorem *Vltoniæ* partem mari Circummissus, Castris *Dirriæ*, juxtà *Fojla Lacum*, positis, hostem populationibus prohibet; ac copiam pugnæ in aperto facientem fundit, fugatque. Hanc victoriam Cædes Tribuni Luctuosam *Anglis* fecit. sed *Ioannes*, perculsis *Hibernis*, quos ad tumultuarios Congressus, quàm ad Stationariam pugnam aptiores expertus est, Spargit bellum, hostemque paulatim carpit, Paludibus, sylvis, & locis impeditis se continet. Ipse *Prorex*, cæteris rebus omissis, susceptâ in *Vltoniam* expeditione, Populares, continuis cladibus fessos, affluentes in fidem accepit; levibus prælijs, & assiduis incursionibus Rebelles brevi attrivit. Mox versæ *Ioannis O-Nealij* res; *Vltonienses* ut sævum & exitiosum deseruerunt. Omni spe perditâ, & nullo in armis subsidio, paucis assumptis satellitibus, in longinqua & contermina *Scotiæ* loca, juxtà Oceanum, fugam maturavit. At *Prorex*, misso equitatu, & expeditis Cohortibus, profugo ita acriter instabar, ut non aliud præsenti fortunæ remedium cerneret, quàm aut *Proregis* genibus suppliciter advoluere, aut *Hebridum* Prædonibus, privatis odijs infensis, se permittere: nihil medium inter probrosum & periculosum Consilium. Paucis Comiribus in *Claudebojam* transijt, ut *Æbudanorum* misericordiam experiretur. *Æbudani*, claritudine familiæ, & mutatione fortunæ permoti, illum fines suos ingredientem, Pacto salutis accepêre. Sed faciles mutatu, prævaletne mox offensarum memoriâ. Excitato de industriâ, inter pocula, Jurgio, *Ioannes O-Nealius*, qui in cædem Anglorum proruperat, & per torum quinquennium variè exercuerat, interficitur; trucidati & Comites. Ita pax reddita fessæ Provinciæ; & *Prorex*, flexis, pacto salutis, ad obsequium *Vltoniensium* animis, cum Legionibus *Dublinum* remeavit.

Elizabetha, cognitâ cæde *Ioannis*, *Hugonem*, Mathæi filium, sanguinis ejusdem, licet Maternâ origine imparem, quem & æmulum *Ioanni* Patruo sustentaverat, ornat *Tironensis Comitatus* Titulo; ut Odia & Certamina potentis familiæ continuaret. durante apud omnes veterrimæ Nobilitatis favore, *Turlochus Lenigh*, quietus & imbellis, placido ingenio, *O-Nealus*, Popularium consensu, salutatur. Divisis Dominijs minus coërcita odia. *Tironiæ* Comes, *Turlochi* æmulus, acer & belliciosus, amicitiâ magis *Reginæ*, quàm *Hibernis* fretus, de Principatu *Vltoniæ* callidis artibus contendit: Latronum globos in fines ejus emittit; hinc dolor Injuriæ, & cupido vindictæ. Sed *O-Nealus* se imparem armis existimans, æquitate Causæ, quam sanguine retinere suam partem maluit; Nuntios, literasque ad *Fitz-Villianum* Proregem, de injurijs questum missit: qui Auctoritatem certantibus interposuit; constituit fines; distinxit dominia; coërcuit Odia; & cuncta ritè composuit. quippè *Prorex* unum illud propositum habebat, Comitate continere in Officio & Obsequio *domitos Hibernos*; nulli spem, aut Causam dare armorum; nihil enim minus volebat, quàm, sub discessu suo, necessitatem aliquam sibi imponi belli gerendi. Itaque sinè morâ *Reginam* & Senatum de statu *Hiberniæ* certiorem facit; edocetque proximam partem *Vltoniæ* redactam paularim in formam Provinciæ; Dilectum, Nova vectigalia, & Tributa, & injuncta Imperij munera obire: *Vlteriorem*, servituti haud assuetam, exemptam Oneribus, & Collationibus, ægrè Milites Pecuniamque tolerare. Seque orare, ut misereretur *Tironiæ* Comitem, fidum *Anglis*, *Turlocho* Cognato infensum. Ulterioribus *Vltoniæ* incolis, territis magis prælijs, quàm subactis, frumentum, Pecora, Tributa, & onera indicere posse.

Per hos dies, *Hugo Ioannis*, *O-Neali filius Naturalis*, Tironiæ Comitem detulerat, occultos sermones habuisse cum *Iberis*, in *Hibernijs* ejectis, & possessionem *Vltoniæ* tentasse; pollicitumque *Iberis*, si ulla *Hiberniæ* cura esset, non otiosam *Vltoniam* fore. Auditâ criminatione, *Tironius* Hugonem ex insidijs interceptum strangulari jussit. Sunt qui ferunt, Agrestes latrones, reverentiâ *O-Neali* nominis, vim afferre recusasse, donec ipse *Tironius* Resti manum admoverat; deindè reliquos, qui aderant, suam quemque manum admovisse. Audito facinore, Regina *Tironium* epistolis acciri in *Angliam* jubet; qui lætitiam vultu simulans, animo anxius, sinè morâ *Londinum* venit. ubi Crimen suppliciter deprecatus, veniam Cædis impetravit; vario vulgi rumore: obtinuitque, ut cætera objecta ad Senatum referrentur; qui frequens salubriter monuit, ut ab æmulatione honoris profectam cum

Henricus VIII. Rex Hiberniæ salutatus.

Turlocho contentionem deponeret; publicè ac privatim amicitiam *Reginæ* coleret; *Vltonienses Boreales*, imperitos ac rudes, legibus, humanitati, Cultui *Anglico*, ac recentissimæ Consuetudini Tributorum assuefferet; barbaricos ritus, ac corruptelas malarum Consuetudinum abrogaret; Prætoria, & Carceres in idoneis locis exstrueret; Præfectos Juridicos, & Procuratores Fisci, ad exigendum Censum Regium, ex formulâ datâ, admitteret; *O-Neali* nomine, & turbidis Consilijs abstineret; respiceret Onera, & Tributa sociorum, suis eadem subire consuleret. Si hæc efficeret, Præmia parata fore; sin aliud animo agitaret, præcipitem casurum. Ad ea pro tempore benignè respondit, Imperata, quæ sui arbitrij essent, cupidissimè facturum; cætera ut fierent, cum Magistratibus, Primoribusque *Vltoniæ* summâ ope enixurum; Authorem etiam suis futurum, ut Præfectos Juridicos, & Procuratores acciperent; ijs parerent; fide & obsequentiâ potius *Reginæ* gratiam conciliarent, quàm Contumaciâ & detrectatione onerum irritarent. Tandem oravit, obsecravitque Consiliarios demississimè, ut sibi Reginam adire, ac deprecari liceret; nec *Vltonienses Agrestes*, inopesque, oneribus quæ ferri non possent, ad ultimam solitudinem atque egestatem pervenirent, neque plus darent, quàm haberent. Consiliarij obstinati respondent, Necessitati parendum esse, detrectationem Munerum, apertam defectionem à Reginâ esse; honestius, Tributa Reginæ, ut optimè meritis Militibus stipendia solvantur, quam acerbissimas domesticorum *Regulorum* exactiones tolerari; neque Illam Congressum daturam, nisi, datis Obsidibus, promitteret efficere, quæ imperata essent. Ita absterrent eum à tàm pervicaci Consilio, castigando, increpandoque. cum multa de administrandâ *Vltoniâ* disseruissent, eum, pollicitum operam suam, domum dimittunt, cum literis quas *Proregi*, redderet; & Mandatis, quæ suis leniter renuntiaret. Itaque ex eo tempore; metu anxius, multa molitur, atque tacitè secum volutat, quæ tardius procedebant. *Turlochus*, paucis post diebus, moritur: hinc extincta de Principatu familiæ certamina, & aucta *Tironij* potentia, *O-Nealij* liberos, sibi genere propinquos, despicientis; & Nomen familiæ occultè assumentis, posito Comitis titulo.

Vltoniæ Reguli, pristinam animorum ferociam retinentes, & immanem sævitiam in miseram Plebem exercentes, in unum convenerunt, ut inter se de Negotijs cunctis, & Collationibus abrogandis disceptarent: Audacissimus quisque disseruit, nihil profici Patientiâ; eundum ad *Proregem*, deplorandas Plebis miserias, Procerum injurias, Tributorum auctiones, Quæstiones, Judicia, Præsidium, Injusta Imperia, Militum cruentas rapinas, & cætera mala servitutis. *Tironius* compescuit ardorem; demonstravit in *Prorege* nihil auxilij esse; suasit ne vi, & secessione adhuc contrà tenderent; monuitque quàm maximè occultè, se tot malis exitum reperturum, si tantam Ultionis curam haberent, quantam *Angli* dominationis. Hæc ubi dixit, Reguli in spem maximam libertatis adducti, spondent, nihil tàm arduum, neque tam difficile esse, quod non cupidissimè facturi essent, dum ea res *Vltoniam* servitutis Jugo liberaret. Dein, finito Colloquio, & Concursu *Regulorum*, fide in Occasionem dimittit; vim differendam; & potiorem dolum admonet.

Interim *Prorex* occultæ Conjurationis ignarus, placidè modestèque Provinciam tractavit. Sed *Ricardus Bingamus*, equestris Ordinis, *Conaciæ* Præpositus, haud pari moderatione egit, immani avaritiâ & non incruentâ, Provinciam vexavit; & *Pharmanacham*, ut vires Rebellibus ministrantem, hostiliter incursavit. Unde *Mac-Guiri* Tribules & Clientes, obsiti squalore & illuvie, ad pedes *Proregis*, cum flebili vociferatione procubuerunt: querentes omnia se passos à *Bingamis*, & *Conaciæ* Præsidiarijs militibus, quæ hostes ab hostibus pati possent; per vim ereptas pecunias; diruta Aedificia; abrepta Pecora; prohibentes tàm atroces atque indignas injurias, cæsos. Querelæ, expostulationes, vulnera, fletus, nimiâ indulgentiâ *Proregis*, pro nihilo habentur, foventibus injustam dominationem Præfecti cæteris Militibus, spe ejusdem licentiæ. Quamquam *Prorex* scripsit ad *Bingamum*, ut se Rectorem reminisceretur, Clementiam & Justitiam exerceret; tamen aucta sævitia, & *Conaciæ* Præsidiarij querelis accensi, plus Cladis faciunt, ac proxima *Vltoniæ* loca hostiliter invadunt.

Similiter *Henricus Bagnalus*, equestris dignitatis Tribunus, Militum vulgo *Mariscallus*, promotis in ulteriora *Vltoniæ* Præsidijs, ne Jussa exuerent, & Tributa detrectarent, recepto more, feminâ Rebellionis ferit. *Monacham* insedit, ignominiosâ nece *Mac-Mahoni* Tribulium principis, vacuam; & sibi à Prorege permissam. Subsidium adversus Rebelles, quasi cunctam Regionem munere accepisset, per Milites & servos possessionem usurpavit; jamque fixit domos, & femina Agris intulit; Cædes, Patibula agrestibus Cultoribus minitans, nisi Arvis, Militibus sepositis, abscederent. Hique discedunt ad conterminos populos, ac testificantur eripi domos, & agros; imponi Tributa, leges ac Novos Magistratus; adimi veterem *Vltoniæ* libertatem; potentiam Tribuni insurgere, nisi in communi consulerent, & fortitudinem Majorum, *Anglis* sæpè Cladibus notam, æmularentur. Hinc *Brianus O-Rocus*, in vicinâ *Bremiâ* turbas excitavit, veritus ne idem sibi quod *Mac-Mahono* accideret; qui à *Prorege* hostis judicatus, confestim à *Bingamo*, *Conaciæ Præfecto*, viro Militari laude præstante, armis profligatus, in *Scotiam* effugit; sibi incolumitatem fugâ quæritans: ubi non tutum exilium reperit. nam cum ex fœdere repeteretur, Rex poscenti Reginæ tradidit.

Mac-Mahonus tribulium princeps restis suspensus est.

Triennium ferè fuit *Vltonia* sine armis; sed Agrestium aut interitu, aut discessu, aut fugâ. postea ex Avaritiâ Præsidum, Intempestivâ severitate Tribuni, & Militum licentiâ, grave *bellum* *Tironianum*

1590. *Tironianum* ortum est; ex quo maxima ad *Remp. Anglicam* damna pervenerunt, ut suo loco subijciam.

Res externa.

Hâc tempestate, scenam *Gallia* dedit, ferro, flammâ, sanguine, exteris omnia permiscentibus. *Philippus* Hispanorum Rex, certior factus, *Navarrum* instauratæ religionis professorem; à moriente *Henrico tertio*, Principibus Regij sanguinis commendatum, & in possessione Regni relictum; perire & extingui vetustissimum Occidentis Regnum maluit, quàm justo Regi fidelis navatæ operæ pretium esse. Igitur Francum, Navarræ Regem appellatum, Regno, speque Regni exacturus, Francorum gentem, semper infestissimam Hispaniæ, delere proposuit. Rege sublato, prædam ex reliquijs, & possessionem liberam Galliæ somniavit: *Pontificos proceres* donis coluit, & præcipuè *Meduanium*, Regni Vicarium. Cum verò auxilia, ex fœdere, peterentur, magnâ Peditum Equitumque manu *Comitem Egmondanum* in subsidium misit; qui ingressus est Franciam, pacato agmine. Nam *Meduanius* transitum per *Picardiam* tutum præstitit. *Pontifex* quoque enixè *Philippi* conatus juvit. *Francus* duobus præpotentibus hostibus, *Hispano & Pontifici*, suis viribus nequâquam par, externa auxilia quærit; Vicecomitem *Turrenià*, jam *Bullionij Ducem*, ad Reginam *Anglorum* mittit, ut auctoritatem suam Instauratæ Religionis *Germanis* Principibus interponeret, sociaretque, junctis copijs in *Fœderatos* arma ferre. *Bullionius* magnificè amanterque cultus, cum *Horatio Palavicino*, Equite, qui in Germaniâ diu negotiatus erat, sine morâ dimissus; & Aurum minimè parcè suppeditatum. Nec irrita Legatio fuit, quippè missi in subsidium *Germani Equites*, simul Peditum auxilia. Ita *Elizabetha* enixè rem *Franci-cam* juvit Consilijs, Armis, & Opibus. *Batavi* quoque, Frantici Regis acerrimi propugnatores extitêre. Ea externa Auxilia *Francus* Gallicis Legionibus adjunxit: & Provincias armis victricibus peragrans, hostes apud *Tverium* assecutus est; ubi *Mille quingentos* equites, in subsidium missos, cum Præfecto Egmundano, interemit. Ipse *Meduanius* in fugam versus, cum Equitatu evasit. *Tverensis* pugna *Philippi* Consilia turbavit. partâ de *Meduanio* victoriâ, perculsis hostibus instat; collapsum sceptrum erigit; adversâ *Meduanij* pugnâ vulgatâ, *Medunta & Vernolium*, celebres pontes *Sequanæ*, *Melodunum*, *Dionisij fanum*, Oppidum Avorum Mausoleis insigne, Portis, sponte, aut terrore patefactis, recipit. Undè orta fiducia, *Lutetiam*, urbem Regiam aggrediendi, ut Conjuratorum Conatos perditos vindicaret: qui armati *Curiam Parisiensem* obsederant; Judicibus vim attulerant; & *Henricum tertium* Monachi scelere sustulerant: Oppugnationemque eminùs, incensis Molendinis, & omni instrumento frumentario, incipit; & circum missis equitibus, ut Commeatum intercluderent.

Fames Parisiensis, ac civium tolerantia.

Præterea dies Noctesque obsidio continuata, Oppidanos ad ultimum inopiæ adduxit. Civitas magna, & frequens, celeriter consumptis frumentis, summis erat in Angustijs. Multæ claræ & illustres Familiæ, Mulis, Equis, Canibus, purgamentis Fluminis, Radicibus, ac Corticibus arborum, & his fœdioribus alimentis, extremam famem propulsare adactæ sunt. Hæc omnia singulari patientiâ ferebantur, atque ipsa spes inopiam sustentabat. *Monachi* armati populum concitarunt; Concionatores, injectâ religione *Fœderis*, Jurisjurandi, ac æternæ salutis, Cogitationem omnem deditionis sustulerunt. Mentes Civium, ad incredibilem obstinationem, oratione durarunt: Crebròque voces eorum auditæ, *prius se Cæmentis ac tegulis famem suam expleturos, quàm Navarro haretico Civitatem dedituros.* Avena, cujus magna erat copia in Civitate, ampla ad Alimoniam Jumentorum provisa, admistâ aquâ multùm famem levabat. Hâc quoque deficiente, & Vini potione, fame passim dominante, prætereà Odore tetro ex Multitudine, Illuvieque Cadaverum, magnus quotidiè Plebis numerus necatus est. Egit adhuc Ira præcipites cives; spe abjectâ, multi ex plebe non aliam ærumnarum requiem cernentes, Sein *Sequanam* præcipitarunt: Alij stantes in Muris inermes, nuda corpora *scloppetorum* ictibus exposuerunt. Matronæ Nobiles, Virginesque haud degeneres, pro Cibo & Potione, se Militibus, in proximis stationibus, prostituerunt. Irritati his Calamitatibus, multi Cives coeunt inter se, armant, concurruntque in Prætorium, ferociter *Pacem aut Panem flagitantes*, frementesque non se ultrà Famem toleraturos. *Gosius* Urbanorum Cohortium Præfectus, facundiâ mitigare studet; affirmans *Meduanium* cum Bæticis auxilijs mox affuturum. Sed *Venter non habuit aures*; exarserunt Iracundiâ; & impetum in hominem fecerunt; vulneraruntque lethaliter; strepitu & tumultu omnia miscuerunt. Quo audito, *Aumalius*, fortissimus Eques, armat familiam, & cum Cohortibus suis ex improviso ad Palatium advolat, furorem Popularem comprimit, & tumultuantes repentino periculo exterret, disijcitque, immissis Lictoribus, laqueo & Carnifice seditionem coërcet, nullo obsistere auso. Sedato impetu, & deflagrante paulatim tumultu, *Nemorosij* Dux, absente *Maduauio* Præfectus urbis, consultavit, trahi defensionem, deficiente Commeatu; an Conditiones firmandæ pacis experiri placeret? Terror seditionis, & acerbitas Famis omnium mentes ad Pacis consilia converterunt; Obstinationis Authoribus non ultrà adversantibus. *Episcopus Parisiensis*, & *Archiepiscopus Lugdunensis*, in eam Legationem delecti. hi antequàm digrederentur ad Regem, Consilium *Cajetani Cardinalis*, Oratoris Pontificij, sciscitantur; ne quod in se scelus concepisse viderentur, *rectène cum haretico, sacris interdicto, collocuturi essent*, de salute Civitatis? Respondit, Pietati abundè satisfécisse; nunc habitâ ratione extremæ Necessitatis, colloqui licere, & tempori parendum. Accedebant huic Sententiæ severiores Theologiæ Magistri, *Panigorolla*, *Bellarminus*, *Tyreus*, non ita pridem deterioris Consilij Authores, & vindicandæ hæresis Concentores.

Igitur

Igitur properantes, primâ luce postridie, adeunt Regem; mandata Urbanæ Plebis magnâ facundiâ exponunt; & spe Auxiliorum, Commeatusque, tempus extrahunt. Rex pristinæ suæ lenitatis memor, commotus est Misericordiâ supplicium: & de Pactionibus agi secum est passus. Obsessi modico Commeatu sublevati, & Præsules super firmandâ Pace ad *Meduanium* missi, irritum Obsidium hâc Cunctatione fecerunt. Errorem Regis statim eventus damnavit. Nam, & redierunt plerique Procerum, adventante *Parmensi*; & magna pars Militum, sinè Commeatu, à signis dilapsa est. Cum in his Angustijs, intercluso Commeatu, Civitas esset, quia procul *Philippus* aberat, *Meduanius* petivit à Duce *Parmensi*, Procuratore *Belgij*, auxilia. Is, jubente *Philippo*, ut primo quoquè tempore in *Galliam* Exercitum duceret, ad *Gallicum bellum* Belgici exercitus robur traduxit. Cura interim *Belgij* Comiti *Carolo Mansfeldio*, permissa. Adjunctis *Meduanij* Copijs, festinato per *Picardiam* itinere, esurientes *Parisienses* ex fame atque Inediâ, farre ex agris undique convecto, refecit. Deindè *Corbelium*, & *Lamgium*, cæso præsidio, expugnavit; postremò clausos obsidione exemit. Quæ vulgata res Conjuratorum animos ad *Iberos* avertit. 1590.

Parmensi averso in *Francicum* bellum, & abductis *Belgij* viribus, Comes *Mauritius Bredam* intercæpit; & multas urbes & Munimenta in Brabantiâ expugnavit. quâ occasione *Parma Dux*, instante jam Hyeme, reduxit Exercitum, composuitque ad *Philippum* literas, quasi victo *Navarro*, magnificas. *Francus*, intellecto consilio discessus, equitatu præmisso, ut novissimum agmen carperet, ipse cum expedito exercitu subsequitur, & prælio lacessit; quod ille militari astu, flexu Itinerum, & Munimentis Carrorum, vitavit. Multi formidinem Ducis in receptu, & audaciam Regis variè interpretabantur.

Philippus, non *Africa & America* opulentissimis ditionibus contentus, *Armorica Britannica* avidius, quàm consultius, imminebat, Juris Civilis specie: quippè *Anna*, Francisci Ducis unica filia, in spem Paternæ hæreditatis edita, Ducatum illum in *Valesiorum* familiam, suis nuptijs, transtulerat. *Isabella Clara Eugenia, Philippi Filia*, cui origo per Matrem ex Regiâ *Valesiâ Familiâ*, extincta sobole masculâ, omnium *Hispanorum* ore, hæres *Armorica Britannia* celebrabatur. Igitur Pater Filiam opibus avitis Fraudari, Jusque in Ducatum amittere, ferre non potuit. Hanc belli causam confingit, gnarus, *Britanniam* Coronæ Francicæ, ex Ordinum Provinciæ decreto, individuâ copulâ unitam. Classem instruit, præsidio Oræ Maritimæ: Copias *Ioanne De Aquilâ* duce transmittit; *Blavettum* occupat, Portum opportunum, & Perfugium tutum *Hispanis* auxiliaribus, ope Ducis *Mercolij* adjutus; palàm bello infensat *Britanniam*. Quibus rebus cognitis, *Anglia Regina* dignum Majestate suâ rebatur, eam molem belli propulsare. Proindè *Norririum*, ob fortitudinem & solertiam, tuendæ *Britannia* elegit; belli peritos duces, & *tria millia Anglorum* ducere secum jussit. Classisque parata, quæ subveheret Commeatum. *Anglorum* adventu erecta Provinciæ spes, non solum Copijs, sed magis Consilio *Francum* juvit. Extant ejus adhuc literæ, quibus hortatur, ne Majestatem suam, salutem Regni, gloriam tot prosperis prælijs quæsitam, Ludibrijs fortunæ, & Belli discriminibus ultrà objiceret; sed summæ rerum seipsum reservaret.

Sub idem tempus, *Sixtus Quintus Pontifex Romanus*, Ambitionem *Philippi*, ac spem *Regni Gallici* haud dubiam pertæsus, sæpè oratus per literas & Oratores, ut *pium fœderatorum bellum* Auro & Milite juvaret, arma non interposuit, neque execratus est Pontificios Proceres, *Navarrica* dominationis fautores. *Lucenburgius* missus, in Novi Regis auspicijs, ad *Pontificem* Legatus, datâ spe illustris Pænitentiæ, satisfactionisque, Francici Regis diras distulit. proindè irritatus *Philippus*, terrore, ac Minis interjectis, per primarios viros Legatos, Comitem *De-Olivares & Ducem Sessanum*, nullum obsecrandi finem fecit, ut *Pontifex* Execratione, detestationeque Religionem *Francorum* animis inijceret, nefario scelere devinctos iri, si *Navarro*, damnato *Hæretico*, parerent; aut apud eum militarent. Inter quæ, *Sixtus Pontifex maximus*, vir vehemens magis, quàm sapiens, *Romæ* senex est mortuus. Id in eo fuit singulare, quod *Clementis Monachi scelus* probaret; diras *Pij Quinti, & Gregorij XIII in Elizabetham* renovaret; & *Navarrum*, sacris interdictum, numero Impiorum habendum decerneret. In cujus locum suffectus est, *Vrbanus Septimus*, Natione Genuensis, Munificentiâ, ac Comitate insignis, Innocens & nulli invisus, vir valdè bonus, quantum licebat illis temporibus, corruptâ Ecclesiæ disciplinâ: qui gravi repentè oppressus morbo, *ætatis anno* LXX, *& Pontificatus die* XIII.

Mox præfuit Ecclesiæ Romanæ *Gregorius* XIV, Hispanorum studiosus; isque præcipuus Civilis belli extimulator; *Francum* nominatim execratur; Plebem in exitium ejus accendit; opem suam *Fœderatis* Pontificijs ultrò offert; subsidijs Rei Numinariæ juvat; Brutum fulmen, à Regijs spretum, irrisumque. qui magnis invicem Cladibus cum *fœderatis* certarunt.

HOc Anno, Rex, *Franciscum, Bothuelia Comitem*, legibus aggredi, Reumque *Veneficij*, Authore *Metellano*, arguere statuit. Is inditio *Grams* vulgato, vocatus, perductusque in Regiam, indignans casum suum, seque & infamem *Magum* pari trutinæ examine ponderari; Deum testem advocat, nihil à se cogitatum, quo Principis salus periclitaretur. Negligit questionem, nullo alio postulante; & dicere in Senatu non dubitavit, Nobilissimis viris dominari indignos. Actæ, ad ulteriorem probationem *Veneficij*, de Matronis *Macalzeonâ, & Naperiâ*, questiones: quæ perstitêre 1591. *Res Scotica.*

1591. Innocentiam Comitis tueri. Mox Senatusconsulto inchoantibus Primoribus Procerum, *Bothuelio* Carcer decernitur. Conijcitur in Arcem *Edinburgensem*, ac in Crimina ei objecta inquiri jubetur. Crebræ indè querimoniæ, nec occultæ; per vulgum fuére: auditæ seditiosæ voces, *Bothuelium* fraude Inimicorum circumventum, in illum impetum fieri; Ei, ex studio & favore multitudiois, dolo ac Astutiâ *Metellani*, Crimen & Periculum quæri. Visi ultrò citròque commeantes Nobiles, mæsto vultu, in areâ antè Arcem obversantes, & suffragia adversus pericula pollicentes. Rex intellectâ Invidiâ, metu gravioris Motus, ut occurrat finiltris vulgi rumoribus, ei *Perduellionis*, ac *Veneficij*, (quod *Ricardum Gramum* Veneficum, & *Lamias* de salute Principis, ac eversione Reip: consuluisset; & adulteratæ Monetæ) in *Eremitagio*, *Villa* suâ, diem dicit. Etenim, veteri More Institutoque apud Scotos, in Capitalibus rebus nihil Absoluta Potestas Regum valet, nisi de flagitio Rei, Ordine, & Judicio, prius constiterit. Intereà dum appropinquabat dies Rei Capitalis, *Bothuelius*, seu metu pænæ, seu suâ consciertiâ perturbatus, diem Causæ dicendæ obire non est ausus: cum *Gilberto Laudero*, Custode adhibito, ex Arce diluculò erupit; & contractâ perditissimorum Colluvie, quantâ potuit celerirate, insidiari *Metellano* apertè non destitit. qui periculum invicem metuens, io vitæ præsidium, fortissimos Clientes contraxit; & fugam Comitis quàm invidiosissimè exagitavit; quod se omnibus impijs Sicarijs consociasset, ad delendam Remp:; quod ambiguis Præstigiatorum Oraculis, Foris in *Italia*, fidem adhibuisset; ac domi *Necromanticos* & *Lamias* de Rege tollendo consuluisset. Celeriter ad omnes *Scotiæ* Civitares hujus rei fama perfertur. Rex omoibus consilijs antevertendum existimat; contractis Copijs in *Teuiotiam*, ut inopinantem deprehenderet, quàm maximis potest itineribus, proficiscitur. Sed opportunitate Regionis, quam ab omni parte *Solitudines* claudunt, imminentem perniciem effugit. Indè Majestatis, absens, convictus, Procurante maximè *Metellano*, hostis publicus judicatus est: Edictoque frustrà provisum, durante vulgi favore, ne qua urbs suis Mænibus reciperet; neu quis ipsum, aut socios, ullâ ope juvaret; pænâ Proditorum receptoribus propositâ. *Bothuelius*, antequàm ad vim atque arma descenderet, plerisque Proceribus literas mittit, se falsis Criminationibus *Metellani* circumveotum; Custodiâ erupisse, noo quod scelerum conscius esset, sed ut Factioni Inimicorum, Tempori, & Fortunæ cederet. Ipse paucos dies commoratus apud *Iacobum Duglasium Spottensem*, in Agro *Lothiano*, nefarias cum Nobilissimis viris scelerum Pactiones, societatesque conflavit; quorum erant Principes *Martialis*, *Gulielmus Duglasius*, *Mortonius*: Exuto illâ dignitate *Maxvallio*, *Errelius*, supreni Ordinis, *Humius Baro*, *Bacleuchius*, & Glamij tutor, animi Magnitudine, & Claritudine familiæ, Primoribus pares. Hæc ubi *Edinburgi* comperta sunt, Prætor *Metellanus* Regem *Falcolandiæ*, ubi quotannis æstivare solebat, certiorem fecit clandestinæ Conjurationis. qui nullâ interpositâ morâ, *Edinburgum* perveoit; Comitem *Martialem*, & *Glamij Rectorem* in Custodias seposuit; *Humium* & *Baclеuchium*, homines summæ potentiæ, & magnæ Cognationis, peculiari merito *Bothuelio* devinctos, per causam peregrinarionis, io *Galliam* dimisit. nec ideò Insidiatum expers fuit. Siquidem *Bothuelius* conatum spei non Audacis modò, sed etiam Impudentis cæpit, *Regiam Sanctæ Crucis* occupandi. Consilio itaque cum *Ioanne Colvillo*, viro acri, sed turbido, & Negotiorum avido; *Iacobo Duglasio* Spottcosi, suspicione cæsi Soceri laborante, Criminante *Georgio Humio*, Flagrantissimâ tunc gratia; ac plurimis Adolescentibus, imbutis malis artibus, communicato; illi, vel se Principes ejus Consilij fore profitentur, & Operam in re perficiundâ promittunt, eamque sedulò præstant. Propinquos igitur, Amicosque, & qui ejusdem factionis erant, literis evocat, & docet, vitam suam in extremum discrimen adductam; arma adversùs *Metellanum* sumpta; singulos universosque obtestatur, ne Insontem, & indictâ causâ condemnatum, ob falsas & fallaces suspiciones, consenescere in exilio sinerent. Illis non ægrè persuasum; & tempus patrandi facinoris constitutum. His Amicis, socijsque confisus *Bothuelius*, die quem patrando facinori statuerat, cum magno Equitum numero *Edinburgum*, occultè sub vesperum, proficiscitur. Postquàm Palatio appropinquabat, desilire omnes ex equis jubet, ut Comitatus magis, quàm hostilis impetus videretur; & per angustos aditus, cum Comitibus in ædes irrumpit; obvios servorum arripit; resistentem *Ioannem Schaum Hippocomum* interficit; repentino Strepitu, ac tumultu per tenebras omnia miscet; *Metellanum*, incertum Ignarum an præmonitum, sicut creditur, à *Duglasio Spottensi*, ut immineas evitaret exitium, in suo hospitio, magno impetu adoritur; Conjurati subitò claustra Portarum, ferratis malleis, refringunt, fores disijciunt, irrumpere acriter nituntur: Famuli Prætoris domestici, armati Telis, Sclopettis, & appositis scamnis, Angustias aditus strenuè tuentur; hostes armatos, & strictos gladios intentantes, vuloerant, disijciuotque. Interim *Iacobus Duglasius Spottensis*, *Comarchus*, refractâ januâ Regiæ, comprehenso Janitore, Portarum clavibus ereptis, servis etiam suis abreptis, ob suspicionem Cædis Soceri in custodiam datis, (de quibus propediem Questio Tormentis in Patroni caput habenda) multis locis abditis frustrà excussis, si *Georgium Humium* Capitis sui hostem, vindictæ causâ comprehendere posset, qui initio pavidus in Cooclave Regium profugerat, nullo respectu Numinis, aut Sacræ Majestatis, eò irrumpere tentar. Cæteri quoque *Bothuelians* à *Metellani* Clientibus repulsi, ad fores Cubiculi Regis accurrunt, & effringere Malleis conantur. Repentina res, & aspectus furiosi Agminis, servos Regios perculit; qui objectis asseribus, temerè arreptis, aditum firmanr, arma ad Regem defendendum expediuot, forriter renituntur, propulsantes sceleratissimos latrones, venientes ad cædem. In Consilio temerè cæpto, sicut oportuit, omnia in perniciem Proditorum statim versa sunt. In

urbe

urbe devulgato brevi Tumultu, & nuntiato Regis periculo, Cives pro salute, dignitateque Principis arma rapiunt; rectàque in Regiam cum Luminibus ruunt. Ingenti concursu clamoreque eam fortunæ mutationem Proditores conspicati, tunc planè deterriti, arreptis equis per devios tramites diffugiunt: nihil usquàm spei, nisi in fugâ & latebris ponentes. Comprehensi deindè per tenebras *Octo* palantes, ac in Carcerem tracti. die postero insignis improbitatis pænas laqueo luerunt; neque enim alius Rebellium solet esse exitus. Sedato tumultu, vulgus præsentiam Regis exposcit. Rex se vulgi studijs permittit, & Civibus conspiciendum præbet: Multitudini pro Fide, & strenuè navatâ operâ, gratias egit. Ubi divinâ misericordiâ incolumem esse pernotuit, Cives inter se gratulantes, gaudio, clamoribusque domos redierunt. Multi erant viri Nobiles, in quos hujus Maleficij suspicio cadebat. *Metellanus*, ad præcavendum monitus, metuentior, in posterum Stipatorum Numerum auget; *Robertum Carum* Cesfordiensem, Neptis suæ maritum, ob cædem *Gulielmi Cari Ancorani* pulsum, accitum in Curiam Præsidij gratiâ, impetratâ impunitate in integrum restituit. Suæ securitatis causâ, in urbem Regiam secedit, ad declinandum periculum; ibi demum metu liberatus, incolumitati Principis prospicit; Multos Proceres, partim per intercessores servulos haud ingratos dominis, partim per dona, & promissa, defensores parat; Ministros Regios, tum exitiosæ Conjurationis conscios, ad disquisitionem Senatus vocat. *David Cuningamius Robertlandius*, Mongomerij interfector; & *Iacobus Duramus*, favoris ergà *Bothuelium* suspecti, capti & in Custodias traditi.

1591

Nec minus destitit implere nova Regem ira; non in *Bothuelium* modo, sed & in alios Proceres. *Atholium, Moraviam, Okilerium*, erectos in miserationem Exulis Comitis, & favorem *Stuarti* nominis, indè præcipuam Temeritatem ac Audaciam Rex comperiens, *Bothuelium*, & societate scelerum obstrictos, dissipatos profligatosque in *Botâ* Insulâ delitescere, sinè morâ *Lenulæ* Ducem, & *Huntilæ* Comitem, cum Clientelis & servitijs exploratum mittit, ut metum & rumorem præverterent, ac inopinantem opprimerent. Cæterum quia pluribus salus ejus curæ, Fama celeritate prævenit. *Bothuelius*, postquàm quæsitam sibi cædem comperit, effugit paratam perniciem. Non reperto Comite, *Stuartum* Insulæ Præfectum, Juridicum, *Bothuelicæ* factionis, Invidiâ flagrantem, redactum in potestatem, Captivum abducunt. Rex pænitentiâ Rei contentus, & pacto Operæ in tuendâ dignitate, supplicem recepit.

Deindè *Iacobus Sandelandius*, Minister regius, animo promptus, & Præfectus *Botæ* Insulæ, cum satellitibus missi, ut ex Insidijs Comitem comprehenderent, Clientes servosque prosequerentur. Ubi insidiæ parum cessêre, ad vim transgressi; persequuntur eos, qui *Bothuelium* secuti sunt, ac redactos in potestatem supplicio afficiunt; Ipsum in *Angliam* confugere cogunt. His Remedijs primi Motus *Bothuelianæ Seditionis* coërciti; & *Metellanus* in dies validior, Magnitudinem potentiæ, sinè Invidiâ retinere non poterat: quippè societate plurimi Proceres abstinuêre, quamvis magnis præmijs invitarentur; Insidioso ingenio diffidentes.

Inter tot turbida, miseranda *Comitis Moraniæ* cædes incidit. Erat *Iacobus Stuartus*, Moranius, omnium ætatis suæ Juvenum apud *Scotos* charitate præcipuus; procerum corpus, & perindè vires, formaque, quæ in vastâ magnitudine rarò solet evenire, cum virili dignitate conjuncta; totiusque Corporis mira quædam venustas accedebat; atque hæc Naturæ munera summa humanitas, & in omni actione Comitas, Mansuetudo, Modestia, comitabantur. *Huntileus*, & *Moranius* finitima Dominia, Castellaque inter se vicina habebant; nec Pax diuturna esse poterat, more patrio, inter duas opulentissimas familias, finitimasque, ob mutuas Clientium simultates, ut suprà memoravi; Injectâ etiam Aemulatione à *Metellano*, infenso, & *Bothuelij* Amicitiam in eo criminante, ut cognovit *Bothuelium*, post fugam, à *Moranio* receptum. Idcircò quærunt *Gordonij* haud obscurè, quâ ratione Caput rerum, Authoremque Injuriæ *Moranium* tollerent, & securitati justâ ultione consulerent. *Gordonius*, *Githus*, crudelis & sanguinarius, *Clunensis* cæde fratris infensus, se vel primas partes suscepturos profitentur; ipsumque *Huntileum* ad Cædem faciendam, importunis flagitationibus, penè invitum, perpellunt; ostentantes, sublato Comite, sobole in primâ pueritiâ relictâ, nullo Rectore familiæ, neminem vindicem futurum. Hujus Cædis exstimulator acerrimus *Metellanus*; per *Cambellum*, Caddelij Comarchum, Ministrum sermonum, veterem in *Moranium* iram renovat, Cædem urget, & Vectorias Naviculas omnes, *Idibus Februarij*, in citeriorem *Forthæ* fluminis ripam deduci jussit, ne rumor facinoris in ulteriorem pervaderet; utque ad trajciendum *Huntileum*, & Clientes paratæ essent. Erat *Moranius* in Duniberssillanis ædibus, juxta ulteriorem *Bodotriæ* ripam, cum comitibus paucis; *Metellanum* & *Huntileum*, per Intercessorem *Okiltrium*, ab æmulatione Invidiâque, ad gratiam deflectere tentans. *Huntileus*, cum minimè quis moturum putaret, armatus cum *Centum & viginti*, è Propinquis & Clientibus, itineris causâ dissimulatâ, clàm *Edenburgo* egressus, eo proficiscitur, ut incautum, minimo cum tumultu opprimeret, & Nuntios de se præveniret. Prætor digredienti mandata interficiendi *Moranij* dedisse creditur. Deindè totius circuitum domus ita statim complexi sunt *Gordonij*, ut nemo indè elabi posset. Occasione fugæ ereptâ, Claustra Portarum convellunt, fores disjiciunt, ferro & flammâ adoriuntur, nullum spacium deliberandi perterritis dant. Non minore confidentiâ concurritur, ad *Moranium* defendendum, à suis, omni genere telorum, quæ cuique festinanti Casus obtulerat. Occiso promptissimo quoque,

& in his

1591. & in his *Dumbario*, Moraniæ Præfecto Juridico, aut Socio eorum, qui aditus tuebantur. Cum jam fumo & flammâ omnia opplerentur, nec ullam elabendi facultatem animadverteret, nisi per dispositos in insidijs hostes, ægrè ex Incendio & Mediâ Cæde sese expediens, per Posticam ædium in propinquum hortum, atque indè Maceriam transgressus, ad littus penetravit, unum afflictis rebus remedium, lembum quæritans; cum nullum in conspectu prospiceret, occultandi sui causâ inter saxa & Algos maris, abvoluto capite delitescens, tenebris & solitudini confidens, accensæ galeæ flavillâ, & conflagrationis odore, à Sicarijs, strictis mucronibus persequentibus, deprehensus, eruitur, jugulaturque miserandum in modum; cruore Optimi & formosissimi Juvenis crudeliter saxa respersa. Rex inter venandum, ex edito loco, triste hoc Incendium fortuitum ratus, spectavit. *Metellanus* adverso rumore ovat: pepetrati facinoris fama cum urbem *Edinburgenam* noctu pervasisset, reliquum noctis fletu & tumultu transactum est. Plebs ejus mortem ultura, non sine lachrymis, ad arma conclamavit. Proceres, Amicique *Levinius*, *Marrius*, & *Okiltrius*, inopinato subitæ rei malo attoniti, arreptis equis, Authores nefarij sceleris, ferro persequuntur. Sed ubi *Huntileo* consternatio vulgi, Indignatio bonorum omnium, rumore Famæ innotuêre, per devia Itinera penetravit in *septentrionem*, ad suos Lares familiares; relicto *Gordonio*, Centurione, qui in conflictu globo graviter vulneratus est. Posteà Corpus, omnium illius ætatis formosissimum, plagis confossum, *Lethe* nudatum in foro, magnâ Circumsistentium miseratione, & magnis querimonijs, vulgi manibus diu contrectatum, Irritamentum Invidiæ, & execrabilis odij in *Huntileum*, fuit.

Intereà Mater *Dunensis*, Regis fidem implorabat, ne innocui Filij cædem inultam pateretur. Ille in vindictam pronus, respondit, Justam ultionem sibi curæ fore; quæ in gratiam delicti mox versa, postulante ira miserâ temporum conditione, & ludibricæ Aulæ inconstantiâ, quæ ad gratiam Interfectoris inclinavit, Curâ Pacis, & quietis. Nec idcircò Odia mortalium extincta sunt. Multa de *Moranianâ cæde*, vulgi sermonibus, temerè prodita, cunctaque aucta in deterius; cum hic Nobilitatem occisi, decorem alius, & insignem proceri Corporis formam, plurimi Mansuetudinem & Modestiam laudibus ferrent, vel ad Invidiam, vel Commiserationem. Percussorum ferè nemo suâ morte defunctus est, velut Numine plectente: damnati aliqui; *Gordonius*, Centurio, securi percussus; *Caddelij Comarchus*, totius rei Internuntius inter *Prætorem & Huntileum*, Insidijs *Arcinlaij* gentilis sui, obtruncatus est: Alius alio casu perijt; *Moncoferius* à *Criechtonio Clunensi* multis vulneribus confossus est, qui Interfectorum Inquisitor, & Punitor acerrimus erat, ut quemque sors obtulerat.

Nec multo post Rex, omissâ urbe, & Procuratione Magistratibus permissâ, *Provincias Occidentis* invisit. Senatus & Primores comitantur, ut Imperij Curas ratione ac consilijs adjuvarent. Multi in Quæstiones abrepti, quod *Bothuelium*, & *Huntileum* coluissent, occultavissentque apud se: Multi sontes increpiti, ob studium & benevolentiam. Nulli necem subiere.

Mox in *Æbudas* tumultuantes viros idoneos misit, ut eas à Latrocinijs coërcerent. *Mac-Onelium*, & *Macleniam*, ipsos Insularum Præfectos indomitos evocavit, qui Prædones & Sicarios raptu frugum, & Pecorum cohibere debuerant; & duci in Carcerem jussit, dum damnum acceptum Plebi, & Mulctam sibi persolverent; cujus Pacti Jusjurandum, atque etiam Syngrapham exegit. Paucos post dies, insitâ facilitate, indulgentiâque, utrumque dimisit, Mortem comminatus, si posteà tumultuarentur, & ad securitatem posteri temporis, Obsides accepit. Verum illi, spretâ Jurisjurandi religione, despectis Minis, post impetratam veniam, barbaram feritatem per Arma atque Acies exercebant, multis ferro & Igni, crudelem in modum, enectis.

Inter hæc, *Elphingstonus* familiæ Princeps, qui assiduus in Aulâ, ut omnia Regis consilia in *Huntilei* perniciem exquireret, ac per idoneos homines præmoneret, à Rege *Britanoduni* suppliciter petit, ut *Huntileus*, & *Gordonij* Moranianæ Cædis molitores, Judicio se sisterent; &, more Majorum, Accusatores, uxor, Mater, Liberi defuncti, ad diem adessent; vel Procuratores mitterent. At multis mirum videbatur, fretum viribus factionis *Huntileum*, non modò suâ Conscientiâ, sed publicâ flagitij infamiâ prædamnatum, diem rei Capitalis petere ausum. Existimabat se tam invidiosæ Cædis crimen, occulto mandato Prætoris evitare potuisse; destinabatque, si exitium immineret, proferre apud Proceres, & Prætorem arguere. Nullâ interpositâ dubitatione, Accusationem peragi Rex jussit. Cum dies Causæ dicendæ appropinquaret, & Reus in itinere esset, ut Judicium experiretur, jussus *Blacknessum* in Custodiam ire, saltem ad diem Judicij; Amicique conscij, *Edinburgum*. Ille cupiens Regi satisfacere, paruit Edicto. Amici, reputantes secum sceleris magnitudinem, & infensas vulgi voces, satius abesse duxerunt. Constituto die adventante, cum Accusatores abessent, & Reus, favore *Metellani*, Præsidio Amicorum, & Satellitum circà se, potentior legibus esset, datâ Cautione Judicio sistendi, quandò in Jus rursus vocatus esset, Custodiâ dimissus, sceleris infamiâ, & vulgi invidiâ liberatus non est, nec discriminum expers, permansit.

Catana Tribus, *Grantius*, complurésque alij, *Moranij* Clientes, qui propinquas *Huntileo* regiones incolebant, opibus viribusque inferiores, de Morte ejus Consilia ineunt, vicinos Agros depopulantur, *Gordonios* aliquot interficiunt, & in his *Baronem Brachlia*, virum ætate confectum, ad ejus mensam adhibiti, quam homines, propè omnis humanitatis expertes, hospitis sanguine nefariè cruentarunt; & perniciem sibi, hoc scelere, maturarunt. itaque *Huntileius*, homo domi summæ potentiæ, *Mac-intorium*,

Mac-intotium, Catanæ Tribus Principem, & *Grantium*, viros potentes, æmulos sibi appositos molestissimè tulit, & ad *Catanam* Tribum reprimendam, *Alanum Mac-Douj* cum vicariâ potestate misit: qui *Badanachiam* hostiliter ingressus, *Catanos* Tribules, congredi ausos, fudit, fugavitque, *quinquaginta cæsis*. Missus est adversus *Grantium Mac-Reginaldus*; qui, *Octodecem* interfectis, ferro flammâque grassatus est. 1591.

Ecclesiæ flatus mutat.

Nec cessarunt Ministri de Religione certare, quasi non satis turbassent, Patrimonio in omni Ecclesiæ abjudicato. In proximis *Synodis* deliberarunt, ut *Personatuum*, *Vicariatuum*, & *Ecclesiasticorum beneficiorum* fructus, Ecclesiæ Ministri ex æquo partirentur. Titulis *Curionum*, *Vicariorum*, *Canonicorum*, *Prabendariorum*, quasi *Papanam* superstitionem redolentibus, in posterum abstinerent. Quæ res magnam eis Invidiam conflavit; cum Aulicâ Nundinatione, honores Ecclesiastici, & Beneficia, Præmio vel Pretio licitis distribuerentur, vel divenderentur. Inter quæ *Patricius Adamsonus*, Fani Reguli *Archiepiscopus*, à *Melvini* discipulis contumaciter, inurbanèque vexatus, ad Securitatem vitæ suæ, Ambactos, Clientesque cum telis secum habere coactus est; à quibus, Pensitationibus & largitionibus exhaustus, ad eam Rei familiaris inopiam redactus est, ut Opem à Ministris implorare cogeretur. qui Occasione læti, Palinodiam ei vi & Minis expresserunt; quam innumeris à se locis interpolatam, typis publicarunt. Ita quem fortuna erexerat ad gloriam Ecclesiasticæ dignitatis, eundem *Melvini* furor, ad insignem Calamitatem depulit; quâ tandem confectus, decessit; vir eruditione, quam vitâ melior.

Obitus Archiepiscopi Andreapolitani.

Posteà Quadriennium ferè fuit *Scotia* sinè *Episcopis*, eorum aut Interitu, aut discessu, aut fugâ. Nam plerique Præsulum latitare coacti sunt, quod operam suam inutilem præcipitanti Ecclesiæ cernerent; ac cum imperitâ Multitudine de Vitâ fortunisque contendere, nollent. *Episcopis* à Muneribus depulsis, Presbiteriani ambitione præcipiti omnia ad Arbitrium suum revocabant. *Robertus Brucus*, Catharorum Coripheus factus est; id potissimum curans, ut sibi venerationem conciliaret, & sanctitatis opinionem Populo commendaret; cui Ecclesia se totam tradidit, temporibus coacta, ac malis domesticis: quibus medendis Præsules pares non erant. Cæteri magis pro factione suâ, quàm Religionis sanctitate decertarunt. Nec Aulici dolebant, Nundinationibus suis, & sacrilegæ rapacitati aditum patefieri. Ita specie Pietatis, inquietorum hominum insolentia, Præsulum dignitatem evertit, & sui Ordinis potentiam firmavit.

Rex deposito metu Insidiarum, & domesticarum discordiarum, exhausto Aerario, ac proprio Fisci Patrimonio à Curatoribus absumpto, expleto jam *vicesimo quinto* ætatis anno, Donationes omnes, in Præjudicium Coronæ factas, & Emptiones revocavit. Ratione, Curâ, Cogitatione cuncta meditatus est, quibus utilitas Reip: pararetur, augereturque. Magno labore, magnis periculis, quod cogitavit, effecit. Angebat generalis revocatio paucos Rapaces, ad quos, ex *Emptione* Prædiorum, lucrum; vel, ex *Donatione* Præmium pervenit. Hoc facto Rex æquioribus satisfecit; quibus honestius visum est, indè repetere, undè Inopiæ publicæ causa erat, quàm per vim & Injuriam, à Ditioribus bona extorquere, aut Plebem Collationibus alijs super alias vexare. Nec hanc diligentiam Regis, in utilitate publicâ procurandâ, honestis rationibus, Nobilitas Aulica improbavit, quæ modum inexplebili Cupiditati ægrè imponit. prudens Princeps, perpetuâ & constanti voluntate, maluit inopem hæreditatem Posteris relinquere, quàm ad divitiarum cumulum, Probro & scelere pervenire; aut sinè modo in Civium bona debacchari. Plurimæ Leges salutares, de *non alienando publico Regni patrimonio*, fraude, Ambitu, & Avaritiâ Potentium, irritæ fuere; qui dissolverunt nexum, nullâ publici Juris Curâ, quoties rebus suis conduceret.

Res Anglica.

Dum hæc in *Scotiâ* geruntur, *Regina*, jam divulsâ *Galliâ* in turbas factionum; interceptâ *Armoricâ Britanniâ*; & possessâ *Lutetiâ* ab *Iberis*; cum Auxilia ex sociali fœdere peterentur, à *Benverio*, ordinario in Angliâ Legato, si ulla Galliæ cura esset; non satis existimavit, verbis cavere, sed Portus in receptum postulavit; transvectionis Impensas, Apparatus, ac Impendij pretium: & *Burleo* Quæstori, *Havarto* Præfecto Maris, & *Hunsdonio Camerario*, paciscendi leges demandavit. Qui responsum in scripto Legato dederunt, paciscentes, ut primo quoque tempore, *Tria Anglorum Millia*, in *Armoricam* cum Apparatu bellico transmitterentur; *Rex Galliæ* stipendia, Transvectionis Impensas, & bellici apparatus prætium, intrà Annum, *Londini* persolveret. Cui nihil in discrimine Nimium videbatur; quia ita naturâ comparatum est, ut *Principes magis sint in timore benigni, quàm in Victoriâ grati*: Proinde Conditiones, Auctoritate suâ, confirmavit. Mox *Norritius* cum Tribus legionibus, ad tuendam *Armoricam Britanniam*, est missus: qui Copias traijciens, cum Milite descendit; & per dubios, infestosque hostes, ad *Lanovium* pervenit, Militiâ clarum. Cui *Regina* mandata exposuit; consultavitque, quemadmodum tractandum bellum foret? Ambo Duces, conjunctis copijs, ire obviam cæptis *Iberorum* parant; & oppugnare *Lambellum* urbem, à Conjuratis acriter defensam, frustrà tentant: ubi vir Nobilissimus & fortissimus *Franciscus Lanovius*, ex vulnere perijt: Eoque occiso, *Norritius* solus, cum *Henrico Fratre*, & *Antonio Shirleio* Tribuno, Imperium exercet; & Conjuratos, Hispanosque, à Regijs oppugnandis moratur; non sinè levibus prælijs prolatat bellum; crebrisque Expeditionibus, vario eventu, quas commemorare non est operæpretium.

Rogerus quoque *Villiamus*, jussu *Reginæ*, *Sexcentos Anglos* in *Neustram* trajecit: ubi conjuncto sibi

1591. *Charitas*, *Diepa* Præfecto, & ducibus aliquot Regiarum partium, Conjuratos catervatim vagantes, *Trembleconeto* duce, repressit; multosque partim profligavit, partim interemit. Quâ audaciâ terruit hostes, magnâque fortitudinis famâ per *Normaniam* celebratus est. His raptim actis, *Diepam*, ipse se recepit, ad bellum adversus Conjuratos capessendum, qui incurrere Provinciam soliti erant. Ubi Regem occupatum Oppugnatione *Novioduni* certior factus est, ipse evocatus, magnâ celeritate eò vertit Iter, & multos *Anglos* periculis in oppugnatione objecit; indignante *Reginâ*, monitis suis non esse obtemperatum.

Sub idem tempus, *Francus*, *Antonio Reauxio* ad Reginam misso, nuntiavit, quantum immineret *Gallia* periculum, si *Iberi* Operibus & Præsidijs loca communirent; exposuitque sibi esse in animo *Portum gratiæ*, & *Rotomagum* in suam potestatem redigere; *Batica* insuper arma ingruere; regredi etiam *Parmensem*; rem in extremo discrimine esse, nisi *quatuor Millia* armatorum in *Neustriam* transmitteret, & Bimestre stipendium numeraret. De his rebus cum ageretur, pro socio Rege atque Amico, illa re diu disceptatâ, spem Auxiliorum fecit. Adversus vim atque Injuriam *Hispanorum*, Copias instrui jussit, quibus *Robertum Essexiæ Comitem*, Juvenem, non tàm flagranti gratiâ, quàm spe & expectatione laudatum, præfecit. Erant in illo Illecebræ libidinum multæ; erant etiam Industriæ acres stimuli, ac laboris, quoties expediret. Itaque ab insitâ animo indole non degenerans, *quatuor Millia Peditum*, & aliquot *Equitum turmas* in *Neustriam* trajecit; Castrisque ad *vicum Arculensem* positis, Militibus exposuit, quas res *Regina* jussu gerere deberet. Adventus ejus fuit celerior *Gallorum* omnium opinione; nam ipse *Gallus* Novioduni oppugnatione impeditus est, ne *Rotomagum*, & Pacta cum Reginâ posset respicere; quæ, expectatione diutius, eum tenuit; adeò obstinate restiterunt Oppidani, per rabiem magis, quàm Audaciam. *Itaque Rogerum Villiamum* ad Essexium misit; is summâ celeritate advolat, Regis nomine postulat, *Noviodunum* celeriter accederet, ut de ratione universi belli consultarent. Comes quàm maximis potest itineribus Noviodunum pervenit; & cum Rege communicat, qui se ad *Rotomagum* obsidendum iturum negat, nisi conjunctis *Germanorum* Copijs in Campaniâ; atque pollicetur daturam se operam, ut *Monpenserius* & *Bironius* junctis Copijs urbem unà obsiderent. His rebus constitutis, *Rex* in *Campaniam*, supplementi causâ, profectus est. *Essexius* in Castra redijt, gloriæ avidus, qui XXXIII *viros* Militares Equestri dignitate honestavit, Muneribus & honoribus auxit, atque in Militum excitavit mentibus ardorem ad pugnam: quo facto viris displicuit Clarissimis, fortitudinis præmio Mediocribus hominibus pervulgato. Postremò cum *Noviodoni* Obsidium longius ductum iri existimaret, gloriâ & animi Magnitudine elatus, veritus est, ne spretus & irrisus Castris assideret, *Rotomagum*, speculandi causâ, accedere cœpit. Cum Portis Murisque Civitatis obequitaret, fratrem *Valterum Deverium*, strenuum Adolescentem, glande plumbeâ trajectum amisit. Hâc re nunciatâ Reginæ, *Essexium* literis Nuntijsque acerbissimè corripuit, vetuitque circum hostium Munitiones vagari. Ille quantas maximè potuit, gratias *Reginæ* egit, quod tanto studio illius saluti consuleret, & blanditijs facilè pacavit. Interim ubi profectum in *Campaniam* Regem audivit, *Bironij* Copijs se conjunxit, atque unis Castris factis, *Gornacum* oppugnarunt.

Inter quæ, Civitates contrariæ Regi, crebris nuntijs in *Italiam* missis, Auxilia efflagitant. Ideòque *Gregorius Pontifex Maximus* Copias in Italiâ, & Helveriâ, *Monmortino* duce, conscripsit, ut Pontificios ab injuriâ tueretur; & sollicitante *Philippo*, Regem, & Proceres ei adherentes excommunicavit; crudelissimis *Diplomatibus* detonuit; & suam causam præcipiti furore pessum dedit, qui tàm atrox Incendium honestâ Pace extinguere, ac reconciliatione Concordiæ, à discordijs avocare debuit. Decreto *Senatus Parisiensis*, qui jam *Turonibus* sedem fixerat, impium ac scelestum Diploma raptum, & Igni datum. Duo *Bullistæ*, *Cajetanus*, Cardinalis, & *Marcellinus Landrianus*, Nuntius ejus (qui truces *Bullas* attulerant contrà ipsum Regem) damnati, ut tanquam *Rei læsæ Majestatis* plecterentur; & contrà eos decreta Inquisitio est. *Fractus* Minas *Pontificis*, & *Bruta fulmina* contempsit. Hinc tot urbium dira eversio; hinc *Gallia* Acervis corporum, & flumine sanguinis redundavit. & universum Regnum hæc Contentio afflixit, cujus durabit ad Posteros atrox memoria.

Elizabetha intereà in *Belgio*, in *Hispaniâ*, in *Franciâ*, in *Indiâ*, in *Insulis*, Terrâ Marique *Philippo*, terrestres, Navalesque paranti Copias, negotium facessit: Contumelioso Edicto testatur, *Hispanum*, vicinis omnibus formidolosum magnitudine Imperij, multitudine subjectarum ei gentium, & affluentiâ Opum, Milite, & Auro *Gregorij* XIV *Pontificis* adjutum, exitium Christianæ Reip: moliri; Regno *Galliæ* inhiare; *Angliæ* statum, sinè justâ causâ, perturbare; subditos suos à debitâ obedientiâ divellere; Adolescentes turbidos, & Naufragos, ubi res familiares defecerant, publicè convictos, aut pro factis Judicium timentes, Proditionis callidis artibus in *Seminarijs* imbutos, in *Angliam*, ad Seditionem Tumultumque, remittere; & facinora incendere; acriores & peritiores *Emissarios*, *Alanum*, *ac Personum*, adversus Remp: sollicitare; non *Philippum* perindè metuendum *populo Britannico*, quàm Proditores & Transfugas *Iesuitas*, ac *Sacrificulos*. Cæterum quæritur de Injurijs in Reges, in Liberas Civitates, & *Populum Belgicum*. Tandem, cum cuncta Auxilia Reip:, fraudibus *Philippi*, labefactari convellique videret, Edicto intercludit omnes seditionum vias; Implorat subditorum fidem, & operam, in asserendâ dignitate; succurrit Saluti, fortunisque communibus;

communibus; & acerbiorem Inquisitionis formam proponit, contrà *viperas Venenatas*; *sacerdotes*, *& Iesuitas*. Multi capti, in locis celebrioribus laqueis suspenduntur, Intestinis detractis, & in Ignem injectis: Tantum severitate supplicij profectum, ut pauciores ex Hispaniâ transirent. 1591.

Hinc solida domi quies, & bellum adversus *Iberos* acrius susceptum. *Thoma Havarto*, Norfolciæ Ducis filio, hoc Anno Nauticæ rei Cura data; is cum *sex Navibus*, ex Classe Regiâ, & totidem Onerarijs, prosperâ Navigatione usus, paucis diebus ad *Azoras Insulas* pervenit. Ibique Anchoris jactis, Nautæ Militesque, aquandi causâ descendetunt. *Alphonsus Bazanus*, frater Marchionis Sanctæ Crucis, Præfecti Hispanicæ Classis, certior per Speculatoriam Navem factus, *Classem Anglicam* in Portu stare, *tribus & Quinquaginta* Navibus, majoris formæ, *Azoras* petit. *Havartus* territus subito adventu, cum Classis sua multis partibus Hispanicâ inferior esset, & Milites Nautæque æstu ac febri vehementius afflictarentur, doloribus erectis, Prætoriâ Nave altum tenet; & hostes impigrè prævertit, jussis cæteris qui sequebantur, eundem cursum tenere. Jam in conspectu erant *Iberi*, parantes instruentesque se ad Navale certamen. *Grenvillus*, Nobilis Eques Anglicus, in Nave Regiâ, *Vindicta* nomine insignitâ, prope terram subductâ, re inopinatâ turbatus parumper, unam viam salutis superesse cernens, si vim facere per confertas hostium Naves, atque erumpere in Mare apertum posset. Id ejus inceptum, Navis Hispanica, eximiæ magnitudinis, *Philippi* nomine, & *Octo Machinis aneis* à Prorâ prominentibus insignis, turbavit. *Grenvillus*, impiger manu, cum se cerneret circumventum, repentè desperatione in Audaciam versá, circumsistentem Navem Missilibus, & ancipiribus telis summovet; *Galeonam*, & Prætoriam Onerariarum primo impetu supprimit: cæteras ingenti terret metu; donec *Alphonsus* universam Classem admovit. Jam *quinque Hispanica* unam Regiam, ab utroque latere, summo impetu, per vices, circumsistunt. *Grenvillus*, memor virtutis Majorum, discrimen, dedecus, fidem ambiguam hostium, suis ostentat; si Navis Regia à Mancipijs *Hispanis* expugnaretur, cohortatur ut morte clarâ Contumelijs Captivitatis se eximerent. Fit atrox pugna, Hispanis haud incruenta; quâ diu sustentatâ, *Angli* telis obruuntur. Inter quos maximè in signis & Armis fulgentibus conspicuus *Grenvillus*; promptus inter tela, & sustinens impetum hostium, lethaliter vulneratur, & *Chirurgus* dum Emplastrum vulneri adhibet, interfectus est. Neque prælium omisit, Nocte concubiâ non cessatum; diffractis Malis, Antennis, & Armamentis excussis, abruptâ omni spe, Grenvillus optimum è presentibus ratus, & gloriosum Posteris, Navem fluctibus obruere, aut incendere; reclamantibus, qui adstiterant, *Navarcho*, & *Subprefecto*, non sinè dedecore, ob nimiam vivendi cupidinem. Postero die gubernator, suo metu perculsus, & miseratione curâque sauciorum (*Grenvillo* Præfecto non permittente, & dicente, Pacis arbitrium esse Ducis, non Militum) cum *Hispanis* de Conditionibus tradendæ Navis egit; postulavitque, ut Milites Nautæque nihil hostile paterentur. Præfectus *Hispanica* Classis, ne sublatâ spe veniæ, objiceret suos furentibus desperatione ac rabie, parcere se deditis velle respondit, si furore abstinerent. Et in omnibus fides constitit, cum in deditionem redegisset. Traditâ lacerâ Nave, *Hispani Grenvillum* Præfectum, viribus admodum attenuatis jacentem invenerunt, magis dedecore suorum, quàm dolore vulnerum anxium, ob Magnitudinem animi, obstupentes attollunt, reficiuntque Medicaminibus. undè deductus ad *Alphonsum*, comiter exceptus est vultu, Complexu, Fomentis: sed Nave expugnatâ superesse noluit. haud ita multò post, novissimum spiritum, per virtutem & gloriam, constans & libens pro Patriâ effudit. Finis vitæ ejus *Anglis* luctuosus, *Hispanis* tristis, Posteris haud inglorius, memoriâ facinoris. Nec diuturnum hujus Cladis gaudium fuit; quippè *Angli* hanc jacturam *Batico* sanguine, & ingenti Indicarum Mercium direptione, ulti sunt; atque eo quoque functi Officio, cum Prædâ domum rediêre.

Inter tot prospera quædam fortuita acciderunt. *Georgius Rimanus*, strenuus Classiarius, qui primus Navigationem in *Orientalem Indiam* instituerat, cum eam *Æthiopia* Oram legeret, quæ est ultrà *Promontorium bona spei*, Prætoriâ Nave demersâ, fluctibus absorptus est. *Iacobus Lancastreus*, ejus Subpræfectus, adversis tempestatibus jactatus, multis ex suis Nautis amissis, horrendis fulminum Ictibus, ad *Indiam* penetravit: ubi *Lusitanorum* Naves, *Pipere* onustas, intercepit. Periculorum discriminumque haud expers, cum paucis miserrimis comitibus, in *Angliam* revectus est. *Thomas* quoque *Cavendirius*, Vir Nobilissimus & fortissimus, qui Terrarum Orbem magnâ cum laude circumnavigaverat, hoc Anno, *quinque Navibus* instructis, ad *Fretum Magellanicum* cursum direxit: cum verò ingrederetur, subito coorta, sævissima tempestas, Naves ad *Brasilia* litus rejecit, & allisit, ut omnes fermè qui in Navibus erant, interirent. Inter quos ipse Præfectus *Cavendisius* fluctibus obrutus est. Ita vita ejus extincta est, quæ brevis fuit; sed non Gloria, quam nulla ætas conticescet. Et omnis Annus funeribus Militarium uirorum, ac Cladibus insignis.

Scelus est dicere, & dedecus prætermittere, quod Consensu traditur. hoc Anno *Hackettus* quidam, è plebe *Anglorum*, homo Lymphaticus, Numen prætendens sceleribus, ac gravitate, & fictâ sanctimoniâ impietatem tegens, sequacium hominum Turbam invenit; qui *Genuensem disciplinam* in *Angliâ* astruere moliebantur; Inter quos præcipui erant *Vigintonus*, Minister fanaticus, Titanum è genere; qui ut illi *Numinibus*, sic iste *Prasulibus* adversabatur; *Edmundus Copingerus*, genere clarus, præpostero *disciplina Genevensis* studio mirificè flagrabat; ad quam obtinendam, vehementer laborabat; Et *Henricus Arthingtonus*, summus *disciplina* illius Fautor; qui, veluti Duces, vel suæ *disciplina*

1591. amore, vel Novandi studio ei obsequi studuerunt. Ipse impotenti superbiâ, & vesanâ impietate elatus, se *Messiam* simulare ausus est; jamque *Christi Nomen* sibi indiderat, seque *Christum* à suis appellare jusserat. Nec defuit fanatica multitudo pura, & millis vitijs contacta, ut sibi videbatur; quæ genibus provoluta, & *Divinitatem* agnoscens, ex insano insaniorem reddidit. Indè ad tanti flagitij Audaciam provectus est, ut sibi persuaderet, se *universæ Europæ Regem* divinitus constitutum esse; Reginam Jure Regni excidisse; summam rerum potestatem ad se devolutam. Dum hæc *Hackettus* in Regiam Majestatem, sacrilego furore, profundit, *Arthingtonus* & *Copingerus*, vultibus genibusque, Insaniam approbarunt, & omne illi Obsequium, ut Regi divinitus constituto, præstiterunt. Secutusque *Vigintoni* plausus, qui eum ad sidera laudibus extulit. Mox Votis ac Precibus *Deum* implorant, ut Conatibus successus prosperos daret. *Hackettus* forti asperâque voce comprecatur, ut Spiritus illos, ad Dei Gloriam dirigeret. Mox concitatus, & velut instinctus, *ite*, inquit, *& prædicate Civibus Christum venisse, ad arguendum Orbem sceleris*. *Copingerus* & *Arthingtonus*, subito mandati impetu, anhelantes huc & illuc per Urbem, inconsultè, ac veluti per dementiam volitant, vociferantes per vicos, *Christum venisse*; & ingeminantes clarâ voce hæc verba, *Pœnitentiam agite, & resipiscite*. Coit populus, & circumfunditur, non sinè aliquâ admiratione incredibilis audaciæ, atque temeritatis. Mox in primarium urbis forum progressi, ubi præ concurrentium circà eos turbâ, Currum conscendunt, & silentio facto, accuratâ meditatâque Oratione, imperitorum auribus exponunt, *Hackettum divino Numine afflatum; & summâ potestate cælitus instructum, ut omnes ad judicium vocare posset; seque duos Vates, & secreta Pietatis Ministros, alterum Misericordiæ, Alterum Vltionis divinæ: si penitentiâ mutati, ob erroribus resipiscerent, paratam Clementiam; sin pertinaciter perseverarent, imminere æternum exitium*. Rei Novitas perculit Cives, per fora & Circulos coeuntes: Nec Reginæ senatuique sinè curâ fuit, postquàm facinus, facinorisque impietatem audivêre. Igitur Præfectus urbis *Hackettum*, *Copingerum*, *Arthingtonum*, cum custodibus ad se venire jubet. Ibi interrogatus à duobus Consiliarijs Regijs, *Hackettus* contumaciter inurbanèque respondit, *se omnibus Magistratibus superiorem dictitans*. Impostor, & Proditor deprehensus est; & ad Judicium servari jussus. Postea ob gravissimas in Numen, & Principem contumelias, sententiam passus, ad supplicium, in primarium urbis Forum, Crate tractus est. Ubi rogatus, ut Pænitentiam ageret; preces pro salute Principis & Populi offerret; homo insanissimus vehementius exarsit, ac inter furorem, Amentiam, & verborum insaniam, in hâc voce defecit, *Principem ac Populum perdat pestilentia*. Omitto cæteras *blasphemias*, quas impuro ore ad patibulum profudit. *Copingerus* socius, voluntariâ inediâ, damnationem in Carcere antevertit. *Arthingtonus* furorem ac scelus pænitendo expiavit.

Res Anglicæ. In tam turbido rerum *Britannicarum* Statu, idem qui in *Scotiâ* vulgatus erat morbus, Ecclesiasticum *Angliæ* Ordinem suâ Contagione affecit. Nam non solum *Cathari*, receptam in *Ecclesiâ Anglicanâ* disciplinam, & *Episcoporum* Vocationem, insigni quâdam Contumeliâ, & Calumniâ novâ, labefactarunt; sed etiam adductis in suam sententiam *Iuris Municipalis* peritis, *Præsulum* potestatem, Jurisdictionem, ac delegatam à Regia Majestate in Ecclesiasticis causis Authoritatem, scriptis passim editis, acerrimè oppugnarunt; conquerentes, Potestatem & Jurisdictionem, à Regijs Tribunalibus, ad sacra delapsam: Plures ferè Causas Civiles, & Controversias profanas cognosci, dijudicarique à Præsulibus, Sacerdotioque, quàm à Regijs Judicibus: subditos, sinè More, sinè Lege in Foris Ecclesiasticis vexari; & iniquis Judicijs opprimi; quicunque *Officialium* decretis non steterint, extemplo delubris arceri, piorumque Communione moveri. Reginam, Sacram Potestatem, & Jurisdictionem, Comitiali auctoritate Coronæ investitam, Jure non posse delegare: & *Forum illud Ecclesiasticum* non posse à Reis Juramentum, ex Officio, exigere; cum *Iure Civili*, nemo teneatur *seipsum accusare*, aut suam turpitudinem prodere. Gravissimum illud Jusjurandum Judiciale, litigantes ad sui Condemnationem cogere; vel in voluntarium Perjurium, ad asserendam suam Innocentiam, eum animarum pernicie præcipitare. Denique, *Præsulum* Jurisdictionem in Remp: introductam, Publicè perniciosam, Privatim Calamitosam. Jure Regni, apud *Anglos*, Ecclesiasticos Judices, de alijs quàm *Matrimonialibus*, & *Testamentarijs* causis, non debere cognoscere, ex veteri Principum rescripto. *Mandamus vice-Comiti Comitatuum nostrorum S: N: &c. quod non permittant, quod aliqui in Ballivâ suâ, in aliquibus locis conveniant, ad aliquas Recognitiones per Sacramenta sua faciendas, nisi in Causis Matrimonialibus, & Testamentarijs.*

Ricardus Cosinus, eâ tempestate Juris Ecclesiastici peritissimus; *Ioannes Morisonus*, Jurisconsultus acutus; & *Lancelotus Andreas*, Theologus singulari virtute, ac doctrinâ ornatus, *Præsulum* Jura copiosè tutati sunt; & Monumenta *de Ecclesiasticâ* Jurisdictione, edidêre, quæ adhuc extant. in quibus disseruêre, *Episcopos divinitus datos esse*: Jurisdictionem Ecclesiasticam, Comitiali Auctoritate in Reginâ investitam, & delegatam ab illâ, virtute Coronæ suæ, Præsulibus in Ecclesiasticis Causis, hanc oppugnare, nihil aliud esse, quàm Diademati & Authoritati Regiæ, violato obsequij Sacramento, derogare; Regumque potestatem à Numine Sancitam, Labefactare, & evertere: Juraque Sacerdotij, Statuendi de rebus Ecclesiasticis, principali authoritate indulta, in alijs, quàm Matrimonialibus & Testamentarijs Causis, ex Articulis Cleri sub *Ed: primo* constare: Juramentum ex Officio in Foris Ecclesiasticis, per multorum hominum, per multorum Regum ætates servatum, sanctèque exactum fuisse,

fuisse, ad *Simoniam*, *Adulterium*, *& alia occulta scelera detegenda*; præsertim, si Rei communi atrociori delicti famâ prægravarentur. Et quamvis nemo, Jure teneatur, *seipsum accusare*; tamen vulgi constante rumore infamatum, teneri Innocentiam suam defendere, ac seipsum Juramento purgare, ad scandalum tollendum. *Regina* Jura Ecclesiæ, *suo & Eduardi Fratris Privilegio* indulta, augeri potius, quàm imminui voluit; & Potestatem, Jurisdictionemque *Episcoporum* sartam tectam conservavit; *Catharorum* impetum repressum magnâ ex parte, non oppressum reliquit. Gratias universi *Præsules* egêre, Fidemque suam obstrinxerunt, *Iudiciariam* Potestatem, & *Iurisdictionem* Ecclesiasticam, *quasi beneficium à Regibus acceptum agnoscere*. 1591.

Res Hibernica.

Per eosdem dies, *Brianus Orrocus*, ex Hibernicæ gentis Regulis unus, Regibus ortus, ab Anglis expulsus, trepidus & consilij inops, in *Scotiam*, ad captandam Occasionem, transijt. Is *Ioannis Carmichelij* scelere proditus, vinctus, traditus est Reginæ: quod sceleratum factum non modò præstantis viri Laudes obruit, sed etiam contaminavit extremum tempus ætatis. Ubi Reus Tribunali astitit, in *Vestmonasteriensi* Prætorio, insimulatus est, Ob concitatam in *Hiberniâ* seditionem; Ob perniciem *Reginæ* intentatam; Ob Regnum *Æbudanis* hostibus proditum; Ob cruentas Cædes, & direptiones *Anglorum*. Aderat Judicio *Ioannis Laus* Hibernicæ linguæ peritus, *Interpres Sermonum*, ut doceret objecta Crimina, referretque Rei responsa. At *Orrocus*, gentilis ferociæ, & Prioris fortunæ memor, non vultu demissus, disseruit, *Delatores non adesse*; Sed Testimonia *Fitz-Viliami*, & *Bingami*, Inimicorum afferri: Spatium ad defendendum, sub egregio Principe, tribuendum; & Jurisperitos; in Imperiti Rei Causâ, adhibendos, Religione Judicum: Nihil pro Innocentiâ locutus, Judicium detrectavit. Ad ea Judex minaciter respondit, Novissimum exemplum meritum, Crimina & Probationes exposuit; monuitque per *Interpretem*, nihil Medium; *Iudicium aut Supplicium subeundum*. Postremò *Orrocus*, claris Majoribus ortus, sententiâ *Parium*, Proditionis condemnatur, & supplicium legibus constitutum decernitur, necaturque, More Proditorum.

Tum *Christoforus Hattonus*, habitu corporis speciosus, nullâ commendatione Majorum, à Præfecturâ Satellitij, ad Præturam, Indulgentiâ Principis traductus, aliquandiu Princeps fori, & Princeps in *Reginæ* Amicitiâ fuit. ab Ipsâ honores, divitias, & Opes accepit; quas Substructionum insanis Molibus consumpsit; quin ultrà Ambitionem proferret, jam Morte prohibitus est. Quod reliquum, in funere ambitiosus, Molem Marmoream, in *æde Divi Pauli*, cum simulacro exstruxit.

Sed *Philippus Sidnejus*, & *Franciscus Valsingamius*, Socer, pulchriores virtutum Effigies in animis hominum, in æternitate temporum reliquerunt. Causam valetudinis, vulgi rumore, contraxit *Valsingamius* ex ægritudine animi, quod, *Burlei* instinctu, Regina, præceps ad Iram, in celebri Conventu, ut *Tumidum & inflatum* increpuisset. pro certo affirmare, non audeo. Cæterum, per omnem valetudinem, *Elizabetha* indies per Nuntios, & Medicos invisit; aliquandò *Præsens*, remississimo ad omnem Comitatem animo, aliquot horas impendit; nullo denique genere Consolationis, sivè Ope, sivè Curâ, abstinuit. Morte nunciatâ per dispositos Cursores, magnum dolorem animo vultuque prætulit.

Burlejus, extincto *Valsingamio*, remoto Æmulo, Imperij Curas, Rationes, Judicia, solus disponit, ac pro libidine unumquemque extollit premitue. *Essexus*, ætate, robore, illustri Ingenio, & industriâ conspicuus, in spe Potentiæ & Gratiæ fuit. Primores *Procerum*, crebris sermonibus incitabant, ut Invidiâ & æmulatione, fortunam *Burlei* moraretur; Auctoritatis, Famæque partem capesseret. Nec abhorrebat Juvenilis animus. Cæterum *Burlejus* senex, Prosperis Adversisque exercitatus, Juvenem improvidum, Militaris gloriæ cupidum, *Casibus Dubijs* belli obijcere decrevit; undè, manente in Speciem Concordiâ, Vigorem, Constantiam, & Rei Militaris peritiam laudavit; ac ad gloriam præcipitem egit. *Robertum Cecilium*, Filium, Aleæ lusu, & Ludicræ Artis amore inquinatum adhuc, Muneribus Reip: (insinuante *Ralejo*, renitente *Essexio*; & vitium Naturæ acriter perstringente, breviquippè Corpore, atque etiam Gibber erat, sed facie liberali, & acri ingenio) admovit, in ætate nondum Senatoriâ. Exactam rerum agendarum solertiam, & multa experimenta Morum *Elizabetha*, Patris institutis, adeptus est. His Cunabulis initiata Authoritas, Parentis claritudine, & suâ Industriâ, in tantum accrevit, ut nulli magis salutem Privatam aut Publicam, ac Intimas Cogitationes, *Elizabetha*, vel *Iacobus*, crediderint.

Hoc Anno, in *Hiberniâ*, *Hugo Odonelius*, & *Turlochi* liberi, *Dublini* servati, in securitatem *Vltoniæ*, Carcere eruperunt; & Memoriâ Carceris, Anglis infensi, res *Septentrionis*, occultis Insidijs turbarunt. *Tironius*, Turlocho morte fortuitâ absumpto, ut nuper memoravi, ejus Arva, domos, Vicos invasit; stirpem, adversantem consilijs suis, non toleravit; eâque brevi pulsâ, Regium Insigne, &, more gentis suæ, Nomen, quàm maximè occultè sumit. *O-Nelium*, appellant Populares; propalàm tamen nullum venerantis officium in *Elizabetham* prætermittit; sibi nihil charius & Sanctius omni tempore, Auctoritate ejus profitetur. Postremò, literas ad Senatum componit, simulatâ Modestiâ. Modicè de Moribus *Bagnalij* Tribuni, Offensionum avidi, querens; ostendens, ad retinendam Tribuni amicitiam ac voluntatem, Sororem ejus in Matrimonium castum & legitimum ducere velle; ut Consilia sociaret, comprimendis seditionibus; ne æmulatione, Odio, aut privatis simultatibus,

1591. Publicam utilitatem impedirent. Recitatæ literæ pro Modestissimis accipiuntur; & Nuntius, firmandæ amicitiæ, diligitur. Ita graves pro Rep: susceptas Inimicitias irritas reddidit. Inter quæ *Rector Hiberniæ, Fitz-Villiamus*, hortatus est privatim, admonuit publicè, ut *O-Nelij* Nomine abstineret, quod sinè flagitiosâ Perfidiâ, & Contumeliâ Principis, assumi non poterat. Ille, si sperneret, *Proregem* vindicem metuens, respondit; ad hoc Nomen capessendum, impulsum, ut pravas aliorum spes cohiberet: Compressis seditionibus, & compositis rebus, properè depositurum. Et quo magis fidem Obsequij faceret, *Tironiæ Comitatum* in Octo Præfecturas, seu *Baronatus* dividi passus est; Præfectum Juridicum accepit; Carcerem publicum, coërcendis maleficis, & Reis graviorum Criminum, *Dungamoni* exstrui jussit; Instituta, & Cultum *Anglorum* imitans. Attonitis prudentioribus, & quorsum illa tenderent differentibus, *Prorex* noluit composita turbare. Nec *Tironius* callida Consilia mutavit. Studia *Popularium* raro cuiquàm perindè affuêre. Quanto acriora in eum Vulgi studia, tanto intentior Novandis rebus. Simul discordias adversus *Ioannis, & Turlochi* liberos, Propinquos suos, prætendens, Peditum & Equitum Cohortibus sese firmat. Intereà *Burlejus*, Aerarij Quæstor, occultæ Conjurationis ignarus, Curâ, Industriâ *Tributis* Regijs, & Provinciæ securitati consulens, Literis & Mandatis à peritis rerum *Hibernicarum* requisivit, Qui multis & validis Clientelis, ac Propinquitatibus subnixi, turbare Pacem & Quietem publicam possent? aut se *Reginæ* imperio subjectos dolerent? Multorum nomina in *Lagenia* & *Vltoniâ* delata, qui Publicis malis crescere cuperent. Nulla adbuc in *Tironium* suspicio Perfidiæ cadebat; adeò occulta ejus Consilia fuêre. Igitur *Quæstor*, quasi Media Pacis, Rationes *fisci*, *Patrimonij Principis*, & *Vectigalium*, diligentissimè exegit: adjecit & Nomina *Præsidum*, ac *Magistratuum*, à quibus Rationes exigi possent. Magnitudine onerum, *Hibernos* in officio continere cogitavit. Modica Militum manus, tutela Provinciæ, eaque sinè justis armis erat. quæ res *Vltonienses Regulos*, ad spem Libertatis trabebat; & Opportunitatem Turbarum ostendebat. Inter quæ, *Regina* Pacis & Otij in *Hiberniâ* cupida, *Collegium Dublini* instituit, jussitque, ut Juventus *Liberalibus artibus* se exerceret, humanitati, ac vitæ tranquillitati assuesceret. Nec defuit Consilij eventus; nam ex hâc *Academiâ* prodierunt erudita ingenia, quæ *Ecclesiæ* & *Patriæ* profuerunt.

Res externa Belgica.

Insecuta sunt turbida tempora in *Belgio*. *Mauritius*, Munimentum juxtà *Zutphaniam* & *Daventriam*, cum magno terrore & pavore, ad deditionem coegit, & *Batavis* contribuit. Eâdem celeritate vertit Iter in *Frisiam*; & multa Munimenta, expugnatis Præsidijs, occupat. Indè *Hulstam*, urbem sitam in *Flandriâ*, transitum *Hispanis* facturam, cæpit: ac Regionem *VVasianam* incursavit. His confestim actis, *Neomagum*, Geldriæ Metropolim, aggressus, in potestatem redegit. Eripuitque ex Obsidione *Parmensis*, *Knodsenburgum*, in *Betoniâ*. Ita *Batavis* redit animus, virtute Ducis; qui securi de salute, pro dignitate & gloriâ, cum hostibus certabant. quibus de causis, multæ Civitates, quæ in illum diem æquo Jure egerant, *Fæderatis Batavis* ascriptæ; Tributa, datis Obsidibus, æquali patientiâ toleravêre.

Per eosdem dies, *Edwardus Norrisius*, Ostendæ, *Reginæ* Anglorum, Præfectus, finitimas, & paulò remotiores Regiones, Tributis ac Collationibus inclementer vexavit; prætendens, quod sinè Exactionibus, & Vectigalibus, neque Incursiones coërcere, neque Aquarum alluviones, in sinu Maris intimo, arcere posset. Plus æquo sibi assumere *Batavis* videbatur. Igitur ut Authorem gravissimi Tributi indicendi, apud *Elizabetham* insimulabant, per Oratorem *Shonvalliæ dominum*. Is absens accusatus, præsens absolutus est, cedente Accusatore. Controversia exorta, Moderatione Prudentiâque *Reginæ* extincta, cohibitaque arctius Præfecti potestas: Statutumque, ne Tributa irrogaret. Offensarum acerbitas deposita, plurimum salutis *Batavis* attulit; quia pari Fortitudinis impetu connisi *Angli*, *Batavique*, Bæticas vires represserunt.

Gallica.

Inter hos *Belgicos* Motus, in Galliâ novis quotidiè malis ingruentibus, non de *Terminis*, sed de *Possessione* florentissimi Regni dubitatum est; pluribus inter se, veluti aucupio concertantibus; ac instante *Philippo*, ut non nisi *à se electum Regem comprobarent*. Is post multas secretas Consultationes, Galliæ Regnum in suam ditionem, per domesticas factiones redigendi; & eodem Jure, quo *Navarram*, occupandi; sensit tandem Ludibrium, & *Navarri*, hæreditatem justè vindicantis, bellicam gloriam. Quare ad ejus perniciem conversus, *Isabellam*, nubilem filiam, Duci Partium, Regnum occupanti, obtulit: agitavitque, quisnam Maritus deligeretur. Orto inter *Duces Rebellium* certamine, *Guisius*, Juvenis, quem, jugulato Patre, captum suprà memoravi, Custodibus deceptis, *Turonensi* Carcere sinè noxâ evasit; *Luteriam* petijt, majore spe Rebellium, quàm emolumento: Ducemque se defectoribus obtulit, quasi Fato debitâ sibi dominatione, ob Familiæ Principatum. Undè *Meduanio*, Patruo invisus; *Nemorosio*, Agnato suspectus, quod reliquos Duces Partium, Claritudine Patris, & studijs vulgi, obumbraret. Plebs frequens ad Paternam domum deduxit; Principatum *Fœderis*, ei non detulit; verita, ne acerrima Agnatorum Odia, quamvis occultata, erumperent. Nam *Lotaringiæ Princeps*, dignum se *tanto Matrimonio*, vulgi studijs, ostentavit, Nec minore ambitu *Guisius*, & *Nemorosius* contenderunt, Cælebatum, suam Nobilitatem, ac Opes *jactitantes*. Sed fortuna *Franciæ*, omnes *Philippi*

conatus rescidit, & irritos fecit. *Navarrus*, truculentior quam anteà adversus Perduellionis du- 1591.
ces, ac signiferos, qui adversus illum insurgebant, Belloque acerrimam facem præferebant, eorum domos diruit; Villas, Agros, decursionibus per equites vastat; Civitates, imbutas favore Rebellium, armis, aut Tormentorum fulminibus obruit; hostiles Acies, congredi ausas, fundit, fugatque. Multæ, & atroces inter se Gallorum Cædes, in funere Patriæ certantium, fuêre; donec Concordiâ, victoriâ, aut fædere coalesceret; & Insanientis Populi rabies quiesceret.

Interim *Navarrus*, suas vires tàm in *Philippum*, quàm in crudelissimos hostes pensans, *Rotomagum*, validam *Neustriæ* urbem, vi, aut Pactione expugnare intendit. Priusquam aut Tormentis, aut Operibus, Armisve Mænia aggrediretur, mittendum censuit Præconem, qui Præsidiariorum Magistratumque animos tentaret, ne in perniciem, desperatione ac rabie, Civitatem traherent. Postquàm obstinatos omnes vidit; Cives, Præsidiariosque, & Ducem Præsidij *Villiarium* Maris Præfectum, suffragio Civium creatum; pluribus simul locis oppugnare est adortus, vi, & Armis, ac Operibus. Ea Oppugnatio diu *Navarrum* tenuit; adeò obstinatè restiterunt Obsessi, per rabiem magis quàm Audaciam. Indè pro omnibus Portis, disposita Præsidia Regia *Germanorum*, *Anglorumque* Auxilia, ut facilius erumpentium impetum reprimerent. *Rotomagenses*, pertinacius in incæpto perstitêre; & cum *Ducibus Partium*, de Ope submittendâ sedulò egêre. Qui Auxilia, *ex fædere*, ab *Hispano* petiêre; & *Brissacum* Comitem, non minoris prudentiæ quàm fortitudinis virum, cum *Cimelijs Coronæ*, ad *Parmæ Ducem* misêre. qui non sinè stupore, mirari cæpit, quomodò fieri posset, ut subditi, humanitate penitùs exutâ, spretâque Reverentiâ in Principem, Patriam oppugnarent, immanibus Jacturis, infinitisque sumptibus. *Philippus* tamen, cum Auxilia, *ex fædere*, peterentur, jussit ut *Parmensis* Belgij Imperium *Petro Mansfeldio* Comiti traderet; *Rotomagenses* Obsidioni eximeret; adjungitque, salutem *fæderatorum* magnæ sibi curæ esse. qui aucto Exercitu, multiplicatisque Auxilijs, Iter in *Galliam* acceleravit, ut suo tempore referam.

Sub finem hujus Anni, XVI *Viri*, Perduellionis duces, & signiferi, velut oestro perciti, vel *Baticâ* Ambitione, vel Largitione adducti, adversus Optimos pijssimosque Cives seditionem concitarunt. *Præsidem Parliamenti Brissonium*, unicum *Galliæ* lumen, virum Innocentissimum, & duos venerabiles Palatij Consiliarios, clàm in Carcere strangularunt, ac postero die in foro restis suspenderunt; ignominiosâ inscriptione humeris impositâ, quæ *hæreticos, & hæreticorum fautores declaravit*.
Meduanius, turbatus Nuncijs de seditione *Parisiensium*, priusquam invalesceret, *Lutetiam* repetit; quatuor Principes XVI *Virorum*, in Optimorum Civium sanguinem sævientes, supplico affecit; & Tumultum repressum magis quàm oppressum reliquit, urgente discrimine *Rotomagensis* Obsidionis; festinavitque *Parmensi* occurrere, venienti cum Copijs *Baticis*.



RERUM

RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER SEXTVS.

1592. INEUNTE Anno, *Bothuelius* nunc coopertus ærumnis, periculo & metu anxius, alienam opem experturus, in *Catanesiam Insulam*, ad fratrem Comitem, eâdem Matre genitum, perfugit. Clientes intereà in loca finitima concessêre. *Atholius* quoque Nobilis Juvenis, florens ætate, formâque; & *Grajus*, familiæ Princeps, partibus ejus accessêre; & grande momentum addidêre. Postquam illa Pestis ex *Scotia* Continenti ejecta est, *Rex* lætus fautores Rebellionis, *Grajum*, turbidum, Maleficum; & *Atholiæ Comitem*, hominem Nobilem, *Perthum*, literis ad causam dicendam evocavit. Ille, legibus Nocens, varijs artibus susceptum Iter traxit; hic, suum facinus secum reputans, spreto imperio, Diem Primum obire neglexit. deinde paucis post diebus, mutatâ mente, in urbem venit. *Marrius* & *Moravius*, *Tillibardinus*, quorum eâ tempestate Auctoritas plurimum pollebat, intercessêre, ne gravius in eum consuleretur. Tanta fuit Regis Lenitas, & Moderatio, ut in gratiam & favorem reciperet. De hinc edixit, ut *Proceres*, priscæ Nobilitatis, & omnes qui in *Comitijs* sententiam dicere possent, *Edinburgum Idibus Iunij* convenirent. Cuncti ex *Scotiâ* convenerunt corrogati Amplissimi Proceres; qui subito *Bothuelium*, & socios sceleris, *hostes Publicos* judicant; Aquâ & igni interdicunt; Bona publicanda censent: *Instaurata Religionis* Cultum, Ministrorum *Potestatem Ecclesiasticam* corrigendis Moribus, *Synodos generales, & speciales, & Presbiteria* confirmant: veterem *Pontificum* tyrannidem, & Leges in eorum gratiam, honoremve latas, abolent; constituuntque, ut *Iesuita*, & *Sacrificuli*, qui in *Scotiam* clàm irrepserant, Proditorum loco haberentur, & ut *læsa Majestatis* Rei, supplicio afficerentur; pari pœnâ plecterentur, qui eos hospitio reciperent, celarent, aut ullâ ope juvarent: cum, per Eorum clandestinas Molitiones, Subditi indies à puro Dei Cultu dilaberentur; & à Civili Obedientiâ, flagitiosâ Perfidiâ deficerent. Rex pleno Ordinum conventu Fisci, Exilij, atque Mortis terroribus deterruit; & multa de administrando commodius Imperio disseruit; Præcipuè de *summâ reip:*, de *Vtilitate* & *splendore* ejusdem; de *Corruptis Iudicijs*, & *Remedijs*. postremò vetuit, ne ex soluto Legis nexu, *Deo Consecrata* profanarentur; neu *Decima* Laicorum Patrimonio contribuerentur; aut in Civilem, Profanumque statum converterentur; addit Decreto, si id posteà fieret, *irritum* futurum. Neque defuerunt, qui ejusmodi Legem callidè illuderent.

His Comitijs, *Atholius*, *Errelius*, *Grajus*, *Okiltrius*, & complures Comarchi, *Bothuelij* favore imbuti, abfuerunt. *Bothuelius*, Catanesiâ remeans, gnaris Conjurationis adscitis, graviorem sententiam cognoscit, & quid de suâ salute iniretur Consilij. ex improviso, intolerandâ audaciâ, ac scelere, ex latebris erumpens, sumptis rursus temerè armis, animum adijcit ad aliud facinus, non minoris Temeritatis, & Periculi, Regem nihil minus quàm Vim & Tumultum expectantem, in suam potestatem redigendi. Ratio autem expedita, & haud difficilis videbatur. Explorato enim, illum securum hilaremque in *Aestivo Falcolandia Palatio*, cum familiari Comitatu, inter lusus & Convivia otium agitare, collectâ subitâ manu latrocinantium, & trajecto *Fortha* flumine, Nocte concubiâ, cito agmine eò iter intendit. Multi obviam prodierunt; *Patricius Grajus*, Tribulium princeps, cum suis Clientibus, ingratissimus Mortalium; etenim quæ Memoria, quæ Magnitudo Observantiæ, tot tantisque Regis beneficijs respondere poterat? deindè *Baverius*, & *Ardreus*, cum benè magnâ Catervâ. Conscij hujus Conjurationis erant multi Reguli, *Atholius*, *Augustinus*, *Errelius*, *Iohnstonius*, Tribulium Princeps; *Stuartus*, Tribunus Legionis; & *Fisani* Equestris Ordinis complures, ad Ministeria belli prompti. In intestinâ discordiâ nihil diu occultum esse poterat; cucurrit Index ad Regem, armatos cum *Bothuelio* venire nuntians, ad eum interficiendum. Comperto discrimine, Rex familiam armat; Januam obserari, Clavesque ad se referri jubet; in superiore parte ædium idoneos homines, in Præsidijs disponit, qui ascensum Armatorum globis tardarent; mittit circumquaque Equites, qui quanto Rex in periculo fuerit, exponerent; & effusis Copijs *Falcolandiam* oppugnatam demonstrarent. *Bothuelsani* intereà, Sonitu Tubarum, & Clamore hostili diversos Arcis aditus invadunt: Clientes *Regij*, superstantes tectis, scandentes per conjuncta ædificia, saxis

saxis

saxis tegulisque deturbant; subeuntes per Angusta & lubrica loca vulnerant, ac depellunt; ad 1592. Cædem magis, quàm ad pugnam ruentes. Res in alio statu tunc erat, quàm spe præceperat *Bothuelius*; Aditus occlusos, Conatus omnes detectos invenerat, Interceptis Conscijs, *Errelio*, *& Stuarto* Tribuno. Igitur Obsidione Arcis frustrà tentatâ, direptis equis Regijs; cum in se rescisset *Fifanorum equitum* parari expeditionem, Plebemque armari, luce primâ, trepidus, in fuga in se dedit; sequuntur palantes Comites. Ita *Limitaneorum* Multitudo, quæ tàm audax facinus susceperat, insperatâ commutatione rerum exterrita, solutis Ordinibus, qua quisque poterat, trans *Forthum*, cum prædâ se recipiunt. In itinere aliqui, fatigatis equis, à *Ioanne Hamiltonio*, familiæ Principe, & à *Iacobo Sandilandio*, strenuo Equite, intercepti, in Crucem acti sunt. Cæteri per varios casus elapsi, & in *Solitudinibus Evia*, *Escia*, *Liddalia*, abditi, eruti posteà, Jugulatique sunt. Post turpem fugam Conjuratorum, *Fifana Multitudo*, Obsessæ Arcis famâ excita, omni genere telorum, ad subitum usum, concurrit, ad Regem defendendum; apertis foribus, armatum Agmen in Palatium irrupit; lætum aspectu, incolumis Regis gaudium, atque lætitiam agitavit. *Bothuelius*, cum bis improvidè Fortunam tentasset, semperque Nova Calamitas Cladesque exciperet. Turbæ raptu vivere assuetorum immixtus, in obscuris Regni Angulis delituit.

Post paucos dies *Angusia* & *Errelia* Comites ad Senatum adducti sunt; qui proficiscentes ad *Bothuelium*, timore præoccupati, ex itinere, diverterant. Frequens Senatus decernit, illos in Carcere retinendos, ad Culpæ cognitionem. Iisdem diebus, præcipui Ministri *Aulici*, *Balfourius*, *Burlei Comarchus*, *Vemius*, *Logeus*, *Spyneus*, cui præcipuè Rex indulserat, in suspitionem superioris Conjurationis vocati. *Burleus* se Reum agnovit; liberatque Confessione Invidiam Criminis, supplicumque vitavit. Sed *Logeus*, familiarium intimus, infesto sermone & vultu excipitur; arguiturque monuisse *Bothuelium*, ut per secretam ædium Portam, juxtà hortos, occultè introiret; Regemque incautum, antè metum & rumorem opprimeret. Ad hæc, pauca (purgandi sui causâ) respondens, Crimen amoliri non potuit. Graviore sententiâ pronunciatâ, supplicium, ope Puellæ Regiæ, *Danica* Originis, violentiâ amoris flagrantis, effugit, ac solum vertit.

Stuartus, Tribunus legionis, *Spyneum*, Juvenem dignitate formæ & familiæ præstantem, suspicionibus urget; quas *Georgius Humius*, Cupidine potentiæ, occultè auget; arguitque huic Conjurationi affinem fuisse. Adolescens ferox, multa de Innocentiâ suâ obtestatus, in Certamine honoris & dignitatis, fortissimo animo obtulit in discrimen Vitam suam; oravitque Regem, ut morte honestâ, ac *Aleâ Duelli*, Contumeliâ Perfidiæ eximeretur. *Stuartus* respondit, si negaret Proditionem objectam, Probationem ipsum præstare Jure, vel Armis, paratum: &, quo major auctoritas sermoni inesset, recentem Conscientiam exagitavit, Nuntios, Congressus, Colloquia. Uterque Militari Custodiâ, in Carcerem deductus. Accusator, cum legittimis Testibus intentatum Crimen probare non posset, licet id fraude & potentiâ Rei factum diceret, plerisque Caluminari visus est. Reus, quoniam Crimen diluere non poterat, Aulâ interdictus, in minore semper posteà gratiâ habitus. Ejus Casus incrementum favoris *Georgio Humio* erat. Rex *Spyneo* venire in Regiam jusso, breviter suam in eum Indulgentiam exposuit; quam cum humilem accepisset, in summam fortunam atque Amplitudinem deduxisset; questusque est, trepidam sibi vitam, suspectas Amicorum Insidias; se Perfidiâ suorum, in Palatio, ab occultis dolis vix tutum. Ille vultu à Conspectu Regis averso, ingemuit *Credendi Temeritatem*.

Inter quæ à *Glamy* Rectore, & *Iacobo Sandilandio*, *Ardreus*, *Comarchus*, *& Hackarstonus*, Tribunus legionis, *Bothuelij* fidissimi Cultores, *Letha* deprehensi, & onerati Catenis, ad Regem perducti, precibus ad Misericordiam flexerunt, multis frementibus, & ad supplicium exposcentibus. Sed Princeps, sanguinis parcus, abhorruit à cæde.

Dum hæc geruntur, *Metellanus*, asperi animi perversitate, & dicacitate, incurrit in acerbum Odium, Offensionemque summorum Procerum *Levinij*, *Argathelij*, *Mortonij*, *Marrij*, *Humij*, *Glamij*, qui se in ejus perniciem, circà Regem *Dalketha* aggregaverant; nisi Invidiæ ac Odij impetum, Prudentiâ, Moderatione, ac secessu *Drumlauricano*, lenivisset. Mox, missis ad Regem literis, incusat Inimicos sævitiæ & superbiæ; Ingerens identidem Remp: Novis Consilijs distrahi. ducitque *Dalkethani* validam Clientium manum; Regis se Prætorem testatur; & Munere quod is dederat, paucorum potentiâ privatum, Odium publicis Criminibus legentium, arceri. Rex contrà disseruit, non ademtione Præturæ satisfactum Inimicis; cædendum Fortunæ & Tempori. quod si Jus Prætoris exerceret, obsistentibus Proceribus, tumultum incipi. His rationibus permotus, in sententiam Regis trahitur; & *Edinburgum* proficiscitur. In medio Itinere fortè obvij *Levinius*, *Humius*, *Glamius*, ac Clientes Numero Animisque præstantes. Arma expediunt; *Prætor* in locum arduum & diruptum divertit; dein venire in manus mutuâ formidine dubitant. hinc Clientum Numerus, indè loci asperitas. Igitur Prætor, pensitatis suis & Inimicorum viribus, in *Nithiam* ad Præfectum *Lencludensem* transijt; & *Drumlaurici* substitit, in occasionem capiendum Jurisdictionis.

Posteà Edicto, omnibus qui *Bothuelij* partes deserent, exceptis *Ioanne Colvillo*, & *Iacobo Duglasso Spottensi*, venia data. Multi, factione ejuratâ, in quibus *Nidreus*, *& Carus Fermbustius*, ad obsequium redierunt; & delictorum Impunitatem impetrarunt. Ex Pertinacioribus in causâ, damnati aliqui,

1592. qui veniâ mutari non poterant, & Resti suspensi, *Hercules*, ex Pellice *Bothuelij* frater; & *Cochramus*, vir summæ audaciæ; Alij diu ac multum torti, latebras detegere, nullis tormentorum Cruciatibus cogi poterant.

Rex à domesticis insidijs munitus, majore accensus irâ, latentem investigavit; & Celantes omni Quæstionis genere detorsit; protinusque *Idburgum*, Militari turbâ cinctus, Iter facere cæpit, ne *Bothuelius* eo receptum haberet. Pauci *Teniotianorum*, qui se ad Parricidæ amicitiam aggregaverant, inter quos maximè insignes Præfectus urbes *Iedburgensis*, & *Vhitachi Comarchus*, supplicium literis deprecantes, se dediderunt. Rex *Levinia* Duci, Custodiam *Liddalia* tradidit; addito Militari Præsidio. quâ Necessitate ad Mortis metum adductus *Bothuelius*, de Periculo suo cogitat. Cum à *Scotis* ultrà impetrare Auxilium non posset, *Anglos* finitimos tentat. *Gramos, Esca* Accolas, Cædibus & Incendijs infames, sibi societate & scelere adjungit. Vitam suam, salutem, spem fugæ &, *Solitudini Cumbria*, ac *Northumbria* mandat. In Alienâ terrâ, Ludibrium fortunæ, Misericordiam eorum commovet, à quibus non sinè Invidiâ paulò antè conspectus est.

In tantis turbis *Australibus*, res *Septentrionis* quietæ non fuêre. Varij illic & multiplices *Moravianorum* Conatus. *Atholius, Grantius & Macintotius*, indictis inter se Consilijs, queruntur de *Moranij* Morte; vindicare ferro & flammâ *Huntilei* Maleficium contendunt. Strepitu & Tumultu omnia miscent; ex improviso fines *Gordoniorum* invadunt; multosque interficiunt; ac bona eorum diripiunt. *Huntileus*, hâc impulsus Occasione, parat Armis contendere. sed *Rex, Gulielmum, Angusia* Comitem, Carcere emissum, ad hos reprimendos motus, cum vicariâ potestate, in *Septentrionem* misit; ut sivè Vi, si fieri posset, Turbas componeret; Incursiones inhiberet; utrosque suis verbis moneret, ab Armis discedere. Ille maturans, diligenter & industriè Turbas sedavit; Temeritatem Auctoritate Regis coërcuit, ostendens quanta ex dissensionibus Incommoda orirentur, si ad Vim atque Arma discenderent. *Atholium & Macintotium* excedere finibus *Morania*, & in Agrum *Calidonium* migrare coegit; cohortatus, ut Vindictæ, & *Moraniana Cadis* obliviscerentur. *Huntileum* belli Consilia abijcere, & *Aberdoniam* proficisci rogavit; ne quis ejus præsentiâ motus existeret. Ille respondit, nihil sibi charius Auctoritate Regis esse; & à Pueritiâ semper se enisum, ut ab Eo in omnibus rebus probaretur: proinde imperata facturum. Ita utrique digrediuntur sinè prælio: & *Angusius*, composità seditione, Nomen gloriamque sibi addidit.

Dum hæc in *Septentrione* geruntur, *Iacobus Stuartus*, *Okiltrius*, qui anteà *Pratura* dignitatem, & *Arania* Comitis gradum obtinuerat, avidus prioris potentiæ, ac in turbis & Novis dissensionibus veterem dignitatem recuperare cupiens, latebris, quibus per *Septennium* occultatus, erupit; & Conveniendi Regis potestatem assecutus, humanissimè exceptus est: quod offendit animos majoris partis hominum, præcipuè *Pradicatorum*, quorum vim deminuerat, subeunte memoriâ præteritæ Arrogantiæ, Avaritiæ, & Crudelitatis. Is cum imminentem procellam timeret; ac cerneret, deflagrare Iras *Procerum* non posse; cum *Okiltrio* Nepote, secessit, ad declinandam Invidiam, & Periculum. Hic Conatus Novi hominis, deterruit Nobilitatem à dissensionibus; & *Metellano*, in retinendâ dignitate suâ, profuit.

Hoc tempore, Ignei quidam, & furiosi *Ministri*, arreptâ novâ licentiâ, Plebem quoquo vellent agitandi, quotiescunque pro Ecclesiâ, Populo, Regno, precarentur; toties detestantur, atque execrantur, *Philippum*, Regnaque, & *Iberorum* genus omne, Nomenque. Minantur, si quis posteà privatus aut Magistratus, in *Hispaniâ* Mercaturam faceret, sacris se interdicturos. Ejus Interdicti afferunt causam, ne assiduâ Negotiandi consuetudine, Religionem commutarent. Multi *Venalitij*, *Mercatoresque*, gravissimæ pænæ comminatione perterriti, ad Regem, querendi causâ, proficiscuntur; demonstrantque, sese justis Rationibus non confectis, Quæstuosissima Emendi & Vendendi Mercaturâ prohiberi: Quæstum Pecuniæ, Tributa, & Vectigalia imminui. Rex monuit *Ministros*, *ut res divinas tractarent*, *Sacramenta administrarent*, *Scripturas interpretarentur*; ne temerariam atque imperitam *Plebem* falsis Rumoribus imbuerent, & ad facinora impellerent.

Altera Controversia orta est, multis in *Scotia* Civitatibus, præcipuè Regiâ in urbe. *Die Luna* celeberrimi rerum venalium Mercatus, à Majoribus instituti, habentur. *Ministri* prædicarunt, hunc ad Quæstum pecuniæ, Mercaturasque idoneum non esse: Neque *eo die* Mercatum posteà servari placere, *quod concurrentes è Longinquo undique ad istum*, *Edinburgum*, *Diem Dominicum*, *divini honoris causâ institutum*, *profanarent*. Sed Magistratus, & Artifices, Emendi & Vendendi Quæstu Lucroque ducti, Mercatum Principali auctoritate indictum, mutare noluerunt. *Ministri*, linguæ promptæ ad concitandam Plebem, cum has duas res assequi non possent, in Concionibus fremuerunt. *Senatusconsulto*, extemplo, sancitum, *ne quam partem Reip: in Concionibus attingerent*; *nevè Rumores inanes, & Famam Multitudini proderent*; *sed ad Consilium deferrent*.

Natio est omnium *Scotorum* admodum dedita Puriori Religioni; atque ob eam causam, Ministri *Pontificios* turbidos *Scotia* finibus excedere jubent, sacris interdicunt. Quibus ita interdictum est, ij Numero damnatorum habentur; Congressum, Colloquiumque eorum omnes *Therapeuta* diffugiunt; Cuncta adversus *Pontificios* Ordinum dereta, cum omni Curâ, Executioni mandant. *Philippus Hispanus*, Prisci Cultus defensor acerrimus, novas in *Scotiâ* seditiones concitat; veteres fovet; *Pontificios*

ficios adversus Remp: sollicitat. Hâc permoti occasione, *Ignatiani Robertus Abercrumbius, & Iacobus Gordonius, Hnntilei Patruus*, qui magno cum pondere Auri à *Philippo* Rege missi, jam antè in *Scotiam* irrepserant, liberius atque audacius de Religione Consilia inire incipiunt. Queruntur apud homines Nobilissimos gentis, *Romanæ superstitionis* studiosos, Ministros nimium duros ac barbaros esse; & moliri eversionem Priscæ Pietatis; Novis ac sceleratis erroribus hominum mentes imbuere; Charitatem evertere; Regum Auctoritatem oppugnare; & Priscam *Nobilitatem* conculcare. Nec deerant multi Nobiles, maximarum familiarum Principes, *Guilielmus Anguisia*, nuper memoratus, *Georgius Huntilea, Franciscus Errelta, supremi Ordinis, Patricius Gardonius Archindunensis, Iacobus Chisholmius, David Gramus Fentrianus Equestris*, qui Ritus Romanos Sartos tectos ab omni detrimento conservare volebant. Hi clandestinis Consilijs, ac remotis locis, quæ opportuna rei & Tempori videbantur, statuunt. Non ausi intimos sensus Scripturæ committere, ne adversus semetipsos Judicia Chirographis suis testata, darent; Chartam puram, nullis literarum Notis inscriptam, sed Nominibus tantum, signisque; *Guilielmi Crichtonij Ignatiani* arbitrio supplendam, ad *Philippum* perferendam tradunt; eo velut signo authoratum Tabellarium rati, Cogitationes suas, & Arcana Mandata fidei ejus concredunt. Ira Ratio scelestæ Proditionis composita. Internuntius fuit *Georgius Carus Neubottelensis*, Philippo notus, & Minister idoneus, quod in *Hispaniâ* anteà negotiatus erat. Itaque sinè morâ suscipit Negotium, pari fide & diligentiâ; & *Æram Coila*, Urbem Maritimam, Hibernis Mensibus occultè petit; ibique ad conscendendum *Roberti Famesoni* Navem, instructam paratamque in *Hispaniam* navigare, subsistit. Interim *Andreas Knoxius*, Passettensis *Minister*, cognito consilio, cingit undique domum armatis, ne occulto aditu posset elabi; inopinantem cum uno seruo, & Literis, quas in *Hispaniam* deferre cæperat, occupat; literarum fasciculum eripit, & *Edinburgum* Captivum abducit: ibique ad explorandam rem, à Magistratu urbano in Carcerem conjectus est. Hæc omnia properè, per Nuntios, Regi declarantur; qui per eos dies, *Marrij Nuptias* cum *Levinij* sorore *Allana* celebraverat. Secundùm Nuptias *Ediuburgum* profectus, disquisitionem rei cum omni executus est curâ. Senatum advocat, magnâque frequentiâ ejus Ordinis, Tabellarium cum literis ad *Philippum* missis introducit. Is interrogatus de Navigatione, *Tabellis Signatis, & Occultis mandatis*, multa fingit, & dissimulat Conjurationem. Omnes igitur Proceres, Quæstionem de eo habendam esse, unà voce decernunt. Paulò post, metu Tormentorum cogitur, Secretiora Mandata sua adversus *Instauratam Religionem, Regiamque Majestatem*, & Conjurationis arcana confiteri; cæteraque omnia, ad incerta discriminum parata, atque decreta. Inter quæ, *David, Gramus, Fentrianus, & Barclajus Ladilandius*, sacris interdicti, hujus Consilij participes, missis satellitibus, comprehensi, ac in Custodias divisi; ne mutuò Consultarent. Hic spontè exitiosam in Remp: Conjurationem patefecit. Ille jussus quæ sciret edicere; eadem ferè, quæ *Carus* fassus est. Chirographa, Testificationes, Indicia, Quæstiones, rem suspiciosam perspicuam fecère. *Gramus* autem, vir Equestris Ordinis, suâ Confessione hujus Criminis reus, haud sanè trepidus, sivè securitate animi, sive satietate rerum Mortalium, *Edinburgi* securi percussus est; non sinè vario animorum motu. Novum prorsus spectaculum apud *Scotos*, Pontificiæ Religionis ergò supplicium: at Ille *Læsæ Majestatis* pænam Capite luit. *Georgius Carus* meliore fortunâ discrimini exemptus est. Eodem fere tempore *Angusius*, qui Princeps ejus Conjurationis fuerat, Indicum voces non suspicans, *Edinburgi* à Civibus captus, in Custodiam datur; non sinè summâ indignatione. Indè mox dilapsus, ad socios sceleris in *Septentrionem* profugit. 1592.

Ministri, patefactâ Conjuratione, perturbationem vastationemque Ecclesiæ veriti, Proceres tantum facinus ausos, ad pænam deposcunt. *Plebs* nefaria Consilia exsecratur. Nec destitit *Bonesius*, Reginæ *Angliæ Legatus*, hostilem *Hispanorum* impetum formidans, Regem Secreto hortari & orare, ut *Paci Ecclesiæ*, seditione Laceræ, Tranquillitati Regni, tempestivè prospiceret; Tantum Motum, Mutationemque molientes vindicaret; Imminentes *Reip: Christianæ* Calamitates averteret. Ille, Concilio Procerum *Edinburgi* habito, *Ministrorum* precibus, *Legati* Auctoritate, & suffragijs *Nobilium*, in asserendâ Religione operam pollicentium, permotus, ne Numen, & Regiam Majestatem temerè spretam, inultam sineret; subitarium Exercitum confecit, & in *Septentrionem*, Hyemali tempore, ac altissimâ Nive, Expeditionem suscepit. Sequentibus qui aderant Proceribus, & Multitudine ex vicinis Agris confluente, *Aberdoniam* progressus est. *Proceres* auctores restituendæ *Pontificiæ potestatis*, nuntiato Regis repentino adventu, perculsi metu, desperatis domi rebus, in Montes ac solitudines secessère, & Latebris sibi consuluerunt. Equites in omnes partes dimissi, ut comprehenderent, infinito labore frustrà suscepto, redierunt. Rex totius *Septentrionis* Concilio *Aberdoniam* indicto, *Comarchos & Phylarchos* convenire jubet; Causam sui Adventus edocet; de Conjuratione Procerum, & *Dealbatis Tabulis* Sermonem instituit; asperâ Oratione in *Parricidas* Patriæ commovet; atque obsecrat, ut deducto Exercitu in Fide maneant; Injurias publicas, & *Moranij* Mortem persequantur; Postremò Obsides dari imperat. Multi sinè morâ tradunt, & operam suam promittunt. qui aut, citati, non affuerant, aut Vades abnuerant, Noxios judicavit. Cætera qui conficerent, *Comes Martialis*, in Regionibus cis *Speam*, Atholius, ultrà, cum Vicariâ potestate constituti.

Nec deerant plerique, *Pontificiis* infensi, ob proditum Regnum *Hispanis*, qui Procerum domos

1592. diruendas, Bona in fiscum redigenda, Pecora abducenda, Ipsos interficiendos Jure censerent. Quâ re Cognitâ, *Huntilei* & *Errelij* Conjuges, ut tanto huic discrimini tempestivè occurrerent, adorato Rege, miserabiliter de Miserijs suis quæstæ sunt. Ille singulari benignitate ac Clementiâ, *Strabogaum* & *Stanesium*, Munitissima Maritorum Castella, ac latifundia, Conjugibus Liberisque utenda fruendaque concessit. Ita Rex ab Incendijs Ruinisque Pulcherrimarum ædium temperavit, quæ & Præsidio & Ornamento erant Regioni. Aequiores rerum æstimatores, Exemplum plenum Clementiæ, humanitatis disseruerunt. Ministri, linguæ acerbæ fando malè de Rege opinari soliti, eumque verbis asperrimis allatrare, Humanitatem appellandam non esse, in acerbissimo scelere Remissionem animi prædicarunt. Semper, ex eo die, Conciones, *Brucij Protomista Edinburgeni*, acres; *Melvinorum* apud *Fanum Andrea*, turbulentæ; *Davisonij*, temerariæ, & seditiosæ; *Blaquij*, *&* *Rossij*, furiosissimæ, & perniciosissimæ extiterunt. Boni viri, Auditores, plerumque stupore attoniti Concionum rabidarum, auribus respuebant, animis aspernabantur, recordatione denique ipsâ *Rossiana* Concionis perhorrescebant.

Sub idem tempus *Ioannes Maxvallius*, dynasta *Metellani*, magis beneficio ac favore, quàm æquo Jure, per Villas vicosque *Nithia*, *Anandia*, *Gallonidia*, Conventus Juridicos, adversâ Nobilitate, habuit; Equorum, Pecorumque numero humiliores mulctavit, Potentiores acri censurâ coërcuit; Magnam partem *Clientium* à *Iohnstonio*, æmulo potentiæ, propter veteres Inimicitias, metu potestatis Juridicæ, ad se transduxit. Quâ Injuriâ accensi *Regionum Comarchi*, consenserunt ad deijciendum Præfecturæ Munere; quia Indignabantur, Occidentis totius Principatum obtinere. Auxilij petendi causâ, ad Regem protecti sunt. *Maxvallius* quoque minitabundus *Edinburgum* venit, Comitatu non inermi. In Senatu, *Præside Rege*, Causam egit, questusque est refragari sibi Nobiles, qui fidem & Clientelam Majoribus deberent, quibus injuriâ Potentiorum Oppressi, sese in servitutem Clientelarem dicabant. Haud ambigebatur de *Præfecturâ Nithia*, *Comarchi*: multa de Jure Causæ suæ verba fecerunt, & acriter intercesserunt, ne in *Gallonidiâ* & *Anandiâ* Potestatem aut Imperium exerceret. Causa utrinque audita, *Maxvallius* Præfecturis non deijcitur. Molestè id tulêre *Phylarchi*; & infecta re redierunt, varios Motus animis agitantes.

Extinctâ hâc Controversiâ, altera orta est; Ultimus *Mortonia Comes*, tres Filias reliquit; quæ nupsere *Hamiltonio*, Castri Eraldi Duci; *Maxvallio*, Dynastæ: & *Iacobo Duglasio*, ad summos honores, & Regni Procurationem, Prudentiâ ac Militari famâ provecto. Hic *Mortonia* Comitatum, concessu aliorum, Uxoris Jure, ac Dotis nomine accepit; & Liberis justis orbatus, Capitis damnatus, Securi percussus est, ut suprâ memoravi. Mox de hæreditate ambigebatur, inter duos Potentissimos Competitores, *Maxvallium*, Maternum genus ex sorore uxoris *Mortonij* trahentem; & *Duglasium*, Lacus Levini Comarchum, proximum Agnatione hæredem. Hi acriter contenderunt, uter in dignitate succederet. Honor *Maxvallio*, Cognationis & Maternæ Originis Jure, primum delatus est, exulantibus *Hamiltonijs*, *&* *Duglasijs*: sed prævalente mox *Duglasianâ* factione, dignitas cum fructibus ad *Lacus Levini Comarchum*, legibus pervenit. *Maxvallius*, injuriam Matri factam, sibique ex eâ filio conquestus est. quâ ex re, inter duos summos Proceres simultates, dissensionesque ortæ sunt. Per eos dies *Maxvallius*, ad audiendam Concionem in Templo *Sancti Ægidij*, *Edinburgi* in Primo loco consedit. *Mortonius* quoque Manè ad Templum descendit. Is vir animi magni, quem ne Senectus quidem fregerat, præreptum sibi locum cernens, ad se pertinere ætate ac dignitate contendebat; & Secundum dignitatis locum capere dedignabatur, ne Antiquiorem Causam potentissimi Competitoris faceret. Cum finem Pertinaciæ non facerent, parum abfuit, quin in *loco Sacro-Sancto*, ubi Numini precari mos est, de dignitate armis contenderent. Magnæ utriusque Partis Clientelæ armatæ, Præsidij causâ, circumstabant. *Archibaldus Duglasius*, Mortonij filius, injuriâ Patris irritatus, deijcere loco *Maxvallium* tentavit, ut Pater adipisceretur. At illum fortissimi Clientes tuebantur immoderatius, perseveranti *Duglasio* Mortem minitantes. hic Tumultus Plebi tantum metum injecit, ut planè deterrita Templum deseruerit. Magistratus urbani, facinus sævum atque atrox metuentes, Armatos Cives sibi adjunxerunt; discordantes Proceres in hospitia deduxerunt; ac Auctoritate suâ publice jurare coegerunt, se non ultrà ad arma ituros, sed in Judicium Potestate futuros. Causâ iterùm cognitâ, Jus Comitatus cum dignitate *Duglasio* adjudicatum, inducto priore decreto.

Sandelandius, Calderij Comarchus, mortuo Patre, in puerili ætate, Pupillus relictus est, sub tutelâ *Iacobi Sandelandij*, Equitis, ex interiore Principis familiaritate. defunctus, indulgens uxori, Villam & fructuosum Agrum, non Dotis nomine, sed hæreditario Jure attribuit. Per idem tempus, *Ioannes Gramus*, Judex rerum Criminalium, Lucri cupiditate inductus, Viduæ Nuptias paciscitur; & Mulier dedita viro, ut Amorem & Obsequium probaret, Agrum quem à Priore Marito acceperat, cum fructibus, Arbitrio Novi Conjugis permisit. Is, spe gratiæ & potentiæ, de Prædijs Rusticis Pupillo litem intendit. *Iacobus Sandelandius*, infensus eâ lite, cedere jussit; & Tutelam ita gessit, ut fratris filio, cui Tutor erat, Propugnatorem se pertinacissimè præstaret. *Gramus* nihilominùs obstinatus, Jus prosequi immoderatius ausus est, & Pupillum callidis artibus, ac Juris specie, Opimis Prædijs spoliavit. *Sandelandius*, Nepotis, velut fraude circumventi, recenti Injuriâ provocatus, & in Vindictam pronus, *Gramum* trucidare constituit; in omnem patrandæ Cædis occasionem intentus. Rex rumore certior factus, *Iudicum Principi* exitium imminere, impedire rem non destitit;

& Edicto

& Edicto ultrà *Bodotriam* summovit; præsenti Malo unicum Remedium ratus. *Gramus* paruit Edicto, 1592. & comitatu non inermi Propinquorum, & Clientium, urbe excessit; ut paratus esset, si quid Adversarij contrà molirentur. undè *Sandilandius*, Irâ & impetu, pessimis Consultoribus, abreptus, multiplici comparatâ Clientelâ, intolerandam *Gramij* injuriam Amicis exposuit; qui facilè in Cædem ejus consenserunt; & rei aggrediendæ signum expectarunt. Cum hâc manu, sævum atque atrox facinus aggredi est ausus, in *suburbio* Urbis Regiæ. *Gramum* Clientes plurimi deseruerunt; pauci protexerunt; Ipse obstinatus ad resistendum, magnâ cum Invidiâ jugulatur. Eo interfecto, Comites se in fugam conijciunt. *Alexander Stuartus*, Nobilis Eques, à *Gramij* Clientibus fuit cæsus. Actores sceleris non solùm pænæ exempti, sed Aulâ & Conspectu Regis vix abstinuerunt. Ingentem ea Cædes fremitum in totâ *Scotiâ* fecit; quæ quanto cum sanguine fuit expiata, suo tempore referam.

Res Anglicæ.

Hoc Anno, in Angliâ *Ioannes Perottus*, vir sæpius memoratus, *Hibernicâ* Militiâ, & pacatâ administratione Provinciæ clarus, ob strenuè illic navatam operam, ad magnas Opes, & *Senatorium Ordinem* provectus est. Indè superbior, & ferocior, Ambitum ac immensam Cupidinem Ministris Dominationis objectavit; qui æmulatione, Invidiâque, Virtutibus & gloriæ viri infensi, ut *Turbidum*, & Ambitiosum criminati sunt. dataeque *Hattono Pratori* delationis partes; qui cæteris criminosius incusavit. Extincto *Hattono*, alij Aulici, æmuli, *Perottum* callidis artibus pervertere non destitere; frementes in Aulâ, ac sive cavendum hostem, prorupisse ambitiosi hominis irreverentiam in Principem; & gravissimas Contumelias dixisse; Injuriarum vindictam flagitantes. Ac detulêre, propriam potentiam, & possessionem *Hibernia* tentasse; eoque Literas ad *Philippum Regem* misisse, ut Odium ac Metum intenderent. *Regina*, magis Arte & Formidine, quàm ingenio suo impulsa, optimè *meritum Ducem* pervertere, in Crimina Reo objecta inquiri jussit. Missique in *Hiberniam* idonei homines, qui in Vitam, Mores, Dicta, Facta, Consilia inquirerent. Ubi duo tantum reperti, infamis *Sacrificulus*, & *Valtonus* quidam, homo nihili. Sed *Philippi Valliani servi* ab Epistolis Calumnijs, cecidisse præcipuè creditur; cui datæ sunt primæ Accusationis partes. *Perottus* ultrà modum ferox, petitum se Criminationibus gnarus, Magnitudine animi, aut fiduciâ Innocentiæ suæ, fraudes Inimicorum neglexit; & incensum, ac flagrantem irâ animum Moderatione, Prudentiâque cohibere non potuit; sed Contumaciâ, ac verborum Jactantiâ exitium provocavit: undè Comitatu Principis dejectus, & sepositus est. Atque interim intempestivâ Libertate Indignationem Principis accendit. quod statim patuit Inimicis, tanquàm in speculis atque Insidijs collocatis. Igitur crebrò, per eos dies, apud *Elizabetham*, ab Aemulis, omnes ad eum opprimendum Artes conquirentibus, accusatus, tanquam ergà Ipsam Contumeliosus; ergà Proceres superbus; in remp: perniciosus; mox discrimen adijt. Causa periculi, non flagitium ullum, aut querela Provincialium; sed Inimicorum Calumniæ, Verborum Irreverentia in Principem, Epistolæque inofficiosæ. Exin *Majestatis* delatus Crimini datum, quod probrosa in Principem verba jecerit; eam *spuriam*, *Timidam*, *atque Ignavam* dixerit; Proditores infames, & *Sacrificulos* suis opibus sustentarit; contrà *Reginam*, & securitatem ejus, cum *Parma Principe*, & Regni hostibus, nefaria Consilia injecit; denique, quod *Orrocum*, & *Tribules à Burgo*, in *Hiberniâ*, adversus *Reginam* sollicitaverit, concitaveritque. Reus verba Contumeliosa abnuere non potuit; disseruitque, non ultrà Verba ac Voces errasse se; Lubricum linguæ ad pænam non facilè trahendum; sed spectandum esse, an cogitaverit, an incautè per Iracundiam exciderint facta, & Consilia acriter objecta. Cum parum perspicuis Argumentis probarentur, diluit, arguitque Corruptos Testes, Confictas literas, verba inania, & plena Vecordiæ, in falsum aucta; & contrà *Popbanum* Procuratorem Regium, ac cæteros Causidicos, ad serum Noctis, se enixè defendit. Tandem, revocatâ Verborum incivilum memoriâ, de Judicum sententiâ damnatus est; ne in Contumeliâ Principis, famam Clementiæ affectare viderentur: reductusque in *Arcem Londinensem*, ut interjectu temporis Princeps mitigaretur. atque ibi Ingenium excelsum, & erectum, impar Dolori & Squalori Carceris, extinctum, non satis dignum splendore vitæ exitum habuit. Auditâ Morte Viri haud spernendi, nihil aliud calumniatus est Rumor, Vitam famamque penetrans, quàm *Superbiam ac Arrogantiam, Magna fortuna sapè Comites*. In hoc Judicio, Testes adhibiti, *Villiamus, Servus ab Epistolis*, qui Obsequij in dominum fidem non præstitit; *Dionysius Roybanus*, famosus *Sacrificulus*, qui Annuâ *pensione* x x x x *Librarum* remuneratus est; & *Valtonus*, homo nihili, & prostitutæ fidei. *Tradit Guilielmus Camdenus*, per Adulationem, potiente rerum Ceciliâ domo, *Burleum* Casum ejus indoluisse; nec deerant qui crederent, Calumnijs illius concidisse: *Robertus* enim *Cecilius*, nuper in Senatum adscitus, præcipuus Quæsitor fuit, & durioris Consilij Autor, ut constanti Vulgi rumore pervulgatum.

Inter hæc, Regina, attritis in *Rotomagi* Hibernâ Obsidione Auxiliaribus Copijs, festinato delectu *Essexij Legiones* supplevit; partim Asperitate Hyemis, partim crebris Prælijs deminutas. Monuit autem, ut solebat, mitibus verbis, ne se periculis, ultrà objiceret. Nec deerant, qui monerent Aemulos in Aulâ, in Principis gratiam irrepere; & ex ejus Absentiâ occasionem captare; hortarenturque nutantem fortunam prævenire. Ille Militaris honoris cupidus, reditum abnuere perseveravit; obtulitque *Franco*, auctis jam Copijs, in urbem irrumpere, antè Adventum *Parma Ducis*. quod Consilium

1592. filium *Rex* aspernatus est; noluit enim Ditem urbem *Anglorum* prædam esse. *Essexius*, inutili Cunctatione comotus, non formidine, aut detractatione Periculorum, in *Angliam* multâ cum exultatione revertitur, ab ipsâ *Reginâ* revocatus; Curamque belli in Franciâ, *Rogero Villiamo*, strenuo Tribuno, permisit.

Regina Claustra Maris præsidio Navium tueri, tutari Socios adversus *Philippum* non destitit. In *Armoricâ Britanniâ*, plus periculi sibi vidit impendere. Igitur *Ioannem Norritum*, Nobilissimum ac fortissimum Equitem, ex *Armoricâ* evocavit, ut de rebus Regionis illius certiora cognosceret. qui cum in Aulam venisset, *Reginam* edocuit, non excessesse *Armoricâ* Iberos; occupatum Portum *Blavetanum*; ibi bellum male & inutiliter administrari; cum *Galli* in discrimine se non conjungerent, nec Promissa præstarent. *Francus*, cognito *Armorica Britannia* terrâ Marique discrimine, missis ad *Reginam* Legatis, *Nocleo* & *Sancio*, Auxilium postulat: qui comiter excepti, Reginam adeunt, atque *Sex Millia Peditum* in bellum *Britannicum* efflagitant, ut *Iberorum* hostium metu liberaretur. Illa, comperto *Parmensis* reditu, ut novum bellum cieret, *Quatuor Millia*, præcibus eorum concessit; Tormentaque ænea, cum Apparatu adjecit; & datis occultis mandatis, *Norritium*, Armoricæ Provinciæ tuendæ, ac defendendæ, dimisit. Qui eâdem celeritate quâ venerat, cum *Centurionibus* & *Tribunis* ad Naves regreditur. His Auxilijs datis, *Legatos* remisit; qui digredientes, Portum receptui, & munitissimum Oppidum Exercitui liberaliter pollicentur; Pactionibus transvectionis & stipendij interpositis; quas mox frustrati sunt, gentili calliditate. *Regina* respondit, se nihil libentius facere, quàm socijs subvenire; monuitque *Legatos*, ut quæ pollicerentur, præstarent. Ita Regni sui Opibus, & continuis subsidijs, *Galliam*, *Belgium*, & *Britannicam Provinciam* sustentavit, distrahendo *Hispanorum* Copias, terrâ Marique: Causa in primis fuit, recuperandi *Regnum Galliæ*, & Libertatem *Belgij*.

Externis rebus constitutis, domesticis providit: Præmia benè Mærentibus tribuit; *Custodiam Sigilli*, Joanni *Buckerino* decrevit. Mortuo *Christofero Vraio*, Tribunalis Regij Præfecto, *Ioannem Pophamum* substituit in locum ejus. Curam Pecuniæ, in tot Impensis belli, ob magnitudinem Oneris, *Burleo* commendavit; Contractumque æs alienum jussit persoluere: & ei dedit Nogotium, ut *Quindecem Naves Bellica*, cum totidem Onerarijs, præpararentur. Classe paratâ instructaque, *Valterum Rallejum*, Equitem, summâ spe & Animi & Ingenij præditum, præfecit: Jussitque, ut in *Australem America partem* traijceret, ad occupandam *Panamam*, quò Aurum indies conveheretur; Vel *Classem Baticam* intercipiendam. Ille adversis Ventis occurrentibus, diu in *Portu Plini fluminis* detentus, segnius profectus est in *Hispaniam*; & missis per proxima litora Navibus, Maritimas Civitates terruit. *Philippus*, urgente discrimine tàm subitæ Præparationis, missis in *Americam* Liburnicis, jussit, ne *Classis Indica* hoc Anno ex *Americâ* solueret. *Angli*, vacuo Mari, latè vagantes, unam *Liburnicarum* intercipiunt, & prohibitam à *Philippo* Americanam Classem Literis, Nuntijsque accipiunt. Mox adversâ tempestate circà *Nerium*, Hispaniæ Promontorium, *Classis Anglica* deiecta, & sævitiâ Maris jactata. quâ sedatâ, *Rallejus*, periculosius se Navigaturum credens, dubitavit, quid sibi faciendum esset? amissâ spe, *Classem Americanam* intercipiendi, & Consilij sui exequendi; neque ullum exitum reperit, si in sententiâ permaneret in *Americam* properandi, & *Panamam* oppugnandi. quare Orâ Maritimâ vexatâ, & *Classe* hostium dissipatâ, cum paruis paucisque Navigijs in *Angliam* se recipere statuit. Reversurus incolumem Classem in duas partes distribuit, ut divisis viribus hostes facilius opprimerentur; alteram *Ioanni Burronesio* strenuo Equiti, alteram *Martino Iorbishero*, rei Maritimæ perito Duci, permisit. Huic imperavit, ut *Hispania* litoribus immineret; Exitum Aditumque *Baticu* Navibus prohiberet: Illi, ut ad *Azoras* transmitteret, Navesque *Indicis Mercibus* onustas, ad Insulas appellantes, interciperet. Nec defuit Consilio eventus. Digresso *Ralleio*, Jorbisherus *Hispania* Oræ Maritimæ imminebat, & propinquabat Litori, quasi descensurus. Inde Præfecto *Batica Classis* metus, ne aut *Hispania* detrimentum pateretur; aut *Lusitannica Classis* interciperetur. Quia utrique discrimini prudentiâ ac diligentiâ suâ occurrere non potuit, *Caraquas* ex *Indiâ Orientali* redeuntes negligit; de *Hispaniâ* sollicitus, magnam curam Oræ Maritimæ suscipit, ne quod periculum Patriæ inferretur. dum Præfectus *Baticus* Jorbisherum insequens navigat, *Borronesius* sæpè inter hostilem Classem, & Littus periclitatus, Velis evasit, & ad *Azoras* Insulas appulit. Cum propius *Floridam* Insulam accessisset, repentè *Caraquam Lusitanicam*, instructam propugnatoribus, animadvertit; quam *tres Camberlandia Comitis Naves* insequebantur: sed Pelagi malaciâ impediente, assequi non potuerunt. hanc *Borronesius* celeriter persequitur; sed cum mox Prælium dirimeret, per tenebras profugit, & in *Portum Florida* Insulæ se quàm celerrimè recepit. Luce ortâ, *Angli* conspexerunt Vectores, Nautasque *Caraquam* sedulo exonerantes; qui, *Anglis* propiùs accedentibus, Navi faces protinus subjecerunt; ne Prætiosæ *Merces Indica* in eorum potestatem venirent. At *Boronesius* a Captivis certior factus, majores *Caraquas* subsequi, Orientis Opibus onustas, satius existimat, suos dispertitos, & in speculis esse. Idcircò dissitis suis Navibus, & tanquàm in specula juxtà Insulam collocatis, longè latèque prospicit. Repentè venientem magnam *Caraquam*, à *Matre Dei* cognominatam, *Indicis* Mercibus, & *D. C. Propugnatoribus* instructam videt. quam ubi conspexit, Vexillo sublato, pugnandi dedit signum. Committitur acriter utrinque Prælium; & crebris Tormentorum ictibus eminùs certatur. *Angli*, Navis magnitudine, &

Propugna-

Propugnatorum multitudine deterriti, aliquandiu pugnâ abstinent. Mox *Robertus Crossus*, magni animi vir, Navem Regiam, cui *Providentia* nomen, *Lusitanica* Navis Proræ objecit; & trium horarum spacio pugnam solus sustinuit. Indè cæteri in Puppim incubuerunt; qui admirandâ fortitudine, ex suis Navibus, in hostilem transire non dubitarunt. *Crossus* Regiæ Navis Præfectus, primus irrupit, Cæteri, trepidis jam *Lusitanis*, insecuti sunt. *Lusitani* exangues, aut laceri, semianimes, cum exspirantibus miserabiliter pereuntes, triste spectaculum præbuerunt; & miseratione Vulnerum, ferociam hostium mitigarunt. Ita brevi spacio re fæliciter gestâ, *Borronesius* & *Iorbisherus*, incolumi Classe redierunt; & *Centum ac Quinquaginta Millia librarum*, *Moneta Anglica*, domum retulerunt; præter immensas Opes, quas Milites Nautæque, insitâ prædandi cupidine, surripuerunt. Quâ re cognitâ, *Regina* edixit, ut Direptores clàm surrepta in medium proferrent, omniaque restituerent, quæ penès eos essent; vel Prædonum ac Piratarum pænas luerent. Nihil exprimi Quæstione potuit; etenim Delegatorum Prudentiam ac diligentiam, & Edicti severitatem, Perjurija, ac Petulantibus verbis eluserunt, ne Pecunia ex rapinis confecta, in cujusquam potestatem veniret; dictitantes, *malle se periclitari animas apud Deum Misericordem, quàm Opes, periculo partas, hominibus Avaritiâ ferventibus, objicere.* 1592.

Cæterum in quibusdem Mercatoribus, neque Pecuniæ modus neque immensæ Cupiditatis erat; qui, fervente *Batico bello*, Terrâ marique *Hispanos* Tormentis æneis & ferreis, instruxerunt; quorum magnam copiam in *Angliâ* habebant. Fraude Mercatorum deprehensâ, *Regina* edixit, hostium loco habendos esse, qui Tormenta transportarent, & hostibus Patriæ opem ferrent; quod non modo turpe erat, sed sceleratum etiam, ac Nefarium; nec minus invisa scelera, quàm justa supplicia.

Hoc Anno, & multiplices rerum humanarum casus extitêre. Uxores Maritos venenis interceperunt. atroci scelere contaminatæ, foculo posito in *Foro Boario*, adhibito Carnifice, crematæ sunt. Servi dominos jugularunt. *Tamesis* Venti violentiâ, aut æstatis, Civitate aliquandiu alveo aversus. ea res *Londinenses* Miraculo terruit, sicut proditum est à temporum illorum scriptoribus. Inter tot rerum varietates, fortunæque vicissitudinea, priscæ pietatis bona exempla non defuerunt; *Ptochodochia, & Sacella*, publicè extructa, & ampliata Templa; diurna stipendia egenis provisa, ex pecuniâ in eam rem legatâ. Coloniæ quoque in *Kersam*, & *Desmonicum Agrum*, in Potestatem *Reginæ*, Jure belli, redactum, deductæ sunt, sine Injuriâ cujusquam. *Smithfelde.*

Tironius, homo quietis impatiens, & fraudulentus, viribus Cohortium in *Belgium*, aut *Franciam* adductis, *bellum Vltoniense* moliri, & res novare, ignarâ adhuc *Reginâ*, acrius cæpit. *Odonelius*, & Nobilissimi Popularium aggregavêre se omnes; *Dolo* grassandum, *Vim* in Occasionem differendam, rati sunt; ut à Provisu, Curâque belli, Procuratores, Præfectos, & Centuriones averterent. Cæterum *Regina* Prudentiâ & diligentiâ statuit, Belli causas in *Hiberniâ* exscindere, dissidia componere, & seditiosos ad obsequium reducere. à Præsidibus & Procuratoribus orsa, monuit literis, ne Avaritiâ & luxu Provinciales vexarent; aut intempestivâ severitate Militaris disciplinæ, bellum redintegrarent. hortataque est Præsules, ut in suâ quisque *Diœcesi*, ad Gregis suæ curam attenderent; neu se sæcularibus Negotijs immiscerent: censuitque, ut Templa Numinis, Cladibus belli diruta, aut longâ vetustate collapsa, publicè restituerentur. Interim *Tironius* in proposito perseverat; & Bellum tanto silentio, ac Calliditate parat, ut *Prorex* id odorari non posset. Alam Equitum, quæ Reginæ stipendio alebatur, disciplinâque *Anglicâ* instituebatur, ad defectionem occultè allicit. Plures *Vltoniæ Dynastæ*, *Regulique*, callidis ejus artibus corrupti; pauci in fide mansêre. Nondum tamen apertè hostilem animum induere audebat; dissimulabatque Consilium sceleris, quo Odium in tempore acrius exerceret. Erat *Hiberniæ Prorex Fitz-Villiamus*, invalidus senectâ, sed prudens & sagax, qui unum illud propositum habebat, continere in Officio & Obsequio *Hibernos*, Nulli spem aut Causam dare belli renovandi. Tandem *Vltoniensis* quidam illi Conjurationem totam detexit; atque demonstravit rerum novarum consilia. Is deindè scripsit ex *Hiberniâ*, *Tironij* callida Consilia eruptura in publicam perniciem. *Vltonienses Regulos*, in societatem assumptos, ad Rebellionem spectare; dubias cæteras *Provincias* Regina literis *Proregis*, & crebris nuntija *Tyronium* suspectum habere incipit; vocat Senatum; quæ moliretur, edocet; Armis cohibendum existimat, antequàm ad Funestum bellum Popularea armaret. *Burleus* anxius ne composita turbarentur, tutius quàm rectius disseruit, finem bello *Hibernico* adesse; nondum apertè defecisse Tironium; Armorum exitus semper timendos; Exhaustum Aerarium; Bellique externi oneribua attritos Cives; quare Nihil conservatione Pacis antiquius. Ita *Quæstor* in tanto rerum *Hibernicarum* motu, Parcimoniâ sumptuum perniciosissimum bellum aluit. *Res Hibernica.*

Dum hæc in *Britanniâ* geruntur, *Francus* in *Rotomagi* lentâ Obsidione immotè hæret. *Philippus* sæpè oratus, ut arma ex fædere interponeret, *Gallorum* precibus acquievit; & Numeroso exercitu, sub *Ducis Parmensis* auspicijs, spem Obsessia, metum Obsessoribus intulit: scripsitque *Parmensi*, ut omnibus alijs rebus omissis, *Galliæ* turbis pro tempore consuleret. Is, vergente Hyeme, *Bruxellis* digressus, magno Peditum Equitumque agmine, & Carrorum multitudine, Exercitum in *Franciam* duxit. *Rex externa.*

1592. duxit. Indè *Feram* perrexit, ut *fœderatorum* Copijs jungeretur. Posessa ipso transitu *Iera*; & ibi Conjunctis *Meduanij*, ac *Sfondrati*, Nepotis Pontificis, Copijs, Consilia, Curasque in liberationem *Rotomagi* vertit; expectarique se jussit. In itinere, admotis Copijs *Nonum Castum* cæpit, trepidantibus *Gallis*, qui Oppidum tenebant. Animos *Rotomagensibus* ita addidit, ut erumpentes Regis Castra invaderent; & aliquot Tormentis potirentur. Ubi hæc comperta Regi, hostium Exercitum Equestribus Copijs aggredi statuit; & relicto in Castris *Bironio*, Tribuno, ipse cum *Quatuor Millibus Equitum*, ad *Aumaliam* progressus, *Parmensem* eum universo exercitu instructo obviam habuit; hortatusque est suos, ut magno animo capesserent Prælium. *Bironius Iunior*, aviditate bellicam gloriam augendi, cum promptissimis Equitum prorupit, tentatoque levi Prælio, in brachio vulnus excepit. *Hispani*, & *Fœderati* Equites, instructi paratique densis Ordinibus, excipiunt *Gallos* temerè irruentes. Rex non deterritus discrimine suorum, conspicuus armis in hostem impetum fecit, intulitque formidinem; & pænè oppressum *Bironium*, Certamine renovato, liberavit. Sed multitudine hostium defessus, non sinè vulnere, & modicâ cæde suorum, paulatim cedere, coactus est; globo ictus in Renibus, qui Loricam, non Cutem fæliciter penetravit. Rex arctiore fortè viâ, illic *Sexcentos* sclopetarios equis descendere jussit, ut Receptui suo succurrerent; qui fortiter instanti hosti restitêre, nono genere pugnæ oblato, & juvante loco. *Parmensis*, incredibili Regis vel temeritate, vel fiduciâ commotus, non opinans sanum hostem, sinè expeditis Peditum Legionibus, cum instructo Exercitu congredi ausurum, cum animadverteret Ordines suorum in sequendo turbari, dato signo instare vetuit; ne in propinquis sylvis, insidijs collocatis, circumvenirentur. Ita fortuna, in ancipiti Casu, tutum Regi receptum præstitit. *Francus* de exitu belli securus, Vigore ætatis, Agilitate corporis, & pugnandi Ardore superior, Astu Militari inferior, existimat *Parmensis* Exercitum, inopiâ Pabuli, frumentique dissolui posse, non hosti Prælium detrectanti, non Militi requiem laboris permisit. *Parmensis* non satis fidens viribus, ut Urbem liberaret, Pacem & Concordiam, callidis artibus, jactavit; *Francos* impetu validos, per Tædia & Moras elusit; Obsessorum fidem per spem & promissa sustentavit. Durities hyemis, Insueta alimenta, & labes atrox ex mutatione Soli & Cæli, perpulêre eum, trahere bellum, & in *Abeuillam*, Oppidum *Picardiæ* se recipere. quò se, & Milites ubertate Agri Labore ac Inediâ reficeret; & hostium Copias fraude dissociaret. Reversum Rex credens, demisso Equitatu Pabuli egestate, & retentis Pedestribus Copijs, cum *Anglorum* & *Batavorum* Auxilijs, quibus maximè fidebat, Obsidionem acceleravit. *Parmensis*, ingenio solers, hâc Occasione Casum liberandæ Civitatis obvenisse ratus, contrahit Copias; in modum Valli, Carros præstruit; perpellitque *Navarrum*, robore Equitum destitutum, omittere Obsidionem; & *Caldobequium*, subvertioni Commeatuum opportunum, expugnat: Haud parvum Momentum ad ferendam Opem obsessis; Ibi brachium globo trajectum, lætis *Gallis*, tanquam summum ducem bello inutilem reddidissent. Indè accensus *Navarrus*, contractis Cohortibus, & Turmis Equitum accitis, acrius ad ultionem exarsit; Munimenta primi agminis ad *Iuetotum*, præcipuè opera *Anglorum* & *Batavorum* perrupit; capta & direpta Castra; dispalentes disjectosque Præfectos, *Meduanium*, & *Gusium*, qui deceptis Custodibus, nuper effugerat, spe Consequendi insectatus est. Nec multo post, *Octo Cohortes* profligavit; signa Vexillaque eripuit; & ad Prælium *Parmensem*, Munimentis coërcitum, Naturâ Cunctatorem, frustrà irritavit. Ille retrò *Caldobequium* revertit: ibi quietus intentusque Munimentis Castrorum, & exstruendis operibus, cuncta providit, ne vinceretur. *Navarrus* Equites jussit obsidere Itinera, ut Commeatus intercíperent. Ipse crebris Prælijs hostem fatigavit; stationes perrupit; apud *Ransonum vicum*, *Viginti duas* Turmas levioris armaturæ, *Septem* gravioris, sub ductu Principis *Chymay*, & Bossuvij, *tres Germanicas Cohortes* fudit, fugavitque. In subsidium missi *Hispani* Pedites, ut fortunam Prælij mutarent, à *Philippo Nassovio*, Auxiliarium *Batavorum* Præfecto versi in fugam, qui subveniebant: quæ res formidinem auxit. Direptis Sarcinis, Milites exultantes, Castrenses privatasque Opes, immensam Pecuniam, & *Tria equorum Millia* abripuêre. *Parmensis*, successu hostiùm dejectus, ac tædio diutini belli, Infirmitatem suam secùm reputans, omnibus suis rebus celeriter correptis, per obscurum Noctis, *Scaphis* inter se connexis, & Ponte raptim facto, cum omnibus Copijs *Sequanam* transijt, *Rotomagum* modico Commeatu sublevavit; & *Bruxellas*, non sinè trepidatione, Exercitum reduxit. Cum ipso vabido *Helvetiorum* manus discessit; *Sfondratus* cum Italicis Auxilijs domum redijt. Itaque *Francus*, externorum hostium metu deposito, *Rotomagenses* desertos ab *Hispanis*, ad petendam Pacem posteà coegit. *Armorica Britannia*, Anglorum virtute defensa; ibique ingentes *Hispanorum* Conatus frustrà fuêre. Nam *Noritius* coercuit eorum incursiones; donec *Britanniâ* evocatus, in *Cenomaniâ* & *Neustriâ* militare juberetur, quod hæ Provinciæ gravius bello premerentur. neglectas in *Armoricâ* res, Regina molestè tulit, & *Promissa Legatorum*, per literas, frustrà exegit.

Iisdem diebus, absente *Parma Duce*, à *Mauritio Nassovio* res prosperæ in *Belgio* gestæ, qui satis omnibus comparatis, *Steenvicum* oppugnat, eruptione subitâ Peditum Equitumque haud territus. Subruit Muros; instruit Aggerem; Tormenta, ac Machinas admovet. Contrà Præsidiarij, fulgentes armis, promptissimos Batavorum vulnerant, & Saxis deturbant. Sed dirutis Turribus, suffossis Munimentis Cuniculis, de Conditionibus tradendæ urbis egêre; utrum Armati, an Inermes emitterentur

rentur

rentur milites, convenire non potuit. Interceptis missis ad subsidium Equitibus, tradidêre se *Mauritio* Inermes; exceduntque cum singulis vestimentis. 1592.

Relicto ibi Præsidio, *Covardam* magnâ festinatione contendit, & in Itinere *Otmersum*, cui *Alphonsus Mendoza* præerat, cum paucis Equitibus, primo impetu expugnat. Indè urbem, naturâ & Arte monitam, summâ vi oppugnat, & vallum occupat. Missæ in Auxilium Cohortes, cum *Verdugone Frisiæ Præfecto*, turbatæ, fugatæque: *Trecenti* hostium cæsi; capti *equi LII.* Quo successu elatus *Mauritius*, acrius instituit Mænia Tormentis quatere. Obsessi, pulso *Verdugone*, & spe tantum Auxilij ostentatâ, tradidêre. *Fœderati*, rebus benè & fæliciter gestis, *Supplicationes Numini* decernunt.

Inter hæc *Alex: Farnesius, Parmæ, & Placentiæ Dux*, manu fortissimus, domi Militiæque multis insignibus clarus Pugnis, & *Magnus Imperator* in omni genere belli, gravi Morbo implicitus, incolumi dignitate, florente famâ, & flagranti desiderio Populi, *Atrebati* fato concessit. Morte per dispositos Cursores celeriter *Bruxellis* nunciatâ, non solum *Itali*, exitu talis viri tristes; sed & *Hispani* quoque, virtutibus bellicis, gloriæ Militari infensi, plangêre, & fletu Urbem compleverunt. Exenteratum Corpus, repletumque Odoribus, mox funus, *Bruxellis* celebratum magnifico apparatu, omnisque Memoriæ & Nomini honos habitus, qui haberi poterat. Exsequiarum die, *Hispani, Italique*, æmulatione Decoris & charitate Ducis, inter se certarunt, *ubi feretrum sequerentur*. Moderatione Meliorum direpti, præcessêre *Italici* generis Legionarij, cum laudibus & lachrymis. *Romæ* posteà plura decora tributa; &, vetere Instituto, *Effigies Marmorea*, in *Capitolio*, consecrata Memoriæ Nominis & virtutis. Nec deerant qui crederent *Veneno* interceptum fuisse; & Rumorem potentiâ Authoris suppressum; quod minimè credo: quippe Corpus nullâ tabe, & ne minimo livore corruptum. Eo mortuo, summum Imperium *Petro Ernesto Mansfeldiæ Comiti*, à Philippo *Rege* demandatum. Quod mox *Ernestus Archidux Austriæ* accepit, qui *Philippum* etiam Propinquâ Cognatione contigit.

His in *Galliâ*, & *Belgio* rebus gestis, *Elizabetha* verita, ne vicinum Incendium in *Scotiâ* ortum, *Hispanis* aditum aperiret, in utriusque Regni perniciem. Igitur *Regem* monuit, ut *Papanos Proceres* ferocitate exultantes, tempestivè coercêret; *Regiam potestatem* in seditiosos subditos exerceret, ne *Precariò regnare* videretur. Venit ex Angliâ Legatus *Boronensis*, à *Reginâ* missus, ut Fidem *Regi* faceret, *Bothuelium*, tot Cædium ac Turbarum Authorem, clàm in *Angliam* irrepsisse; Pœnam eorum sibi curæ fore, qui hospitio exceperant, aut ullâ ope juverant; utque *Regem* contrà *Baticam* Factionem incitaret. qui *Regem* adit, Postulata scripto edit, petitque ut audiret. Mox advocato frequenti Procerum Consilio, ei dicendi quæ vellet potestas facta est. Is asperius adversus *Hispanos* communes hostes locutus; retulit ferocius, totam *Scotiam*, beneficio libertatis, obnoxiam *Reginæ* esse; Bellum instare à *Philippo* Rege nuntiavit; & Injurias ejus in *Reginam* commemoravit; ingentes Iras eum in pectore volvere; *Populo Britannico* miseræ servitutis Jugum; *Religioni* ruinam minitari. *Regem* simili oratione incitabat, urgebatque *bellum Hispano denunciare*. Adjiciebat de *Conjuratis Proceribus* Mandata, ut hostes publici denuntientur, Bonaque publicentur. differens non esse jam Lenitati locum; summam severitatem Maleficia eorum postulare. Rogavitque postremò, Societatem, Pactionem, & Fœdus, tantâ religione percussum, renovare. Ad hæc, Auctore Principe, & decreto Senatus, *Robertus Melvillus* Proquæstor, Equestris dignitatis, & magnæ ob anteactam vitam Auctoritatis, respondit; Irruptam cum *Hispano* Amicitiam, & liberum Commercium intercedere; nec sinè offensione aliquâ dirumpendam societatem; aut sinè justâ causâ bellum denunciandum. Revocat in Memoriam superioris temporis Officia, contempta, aut neglecta; Ementitam *Asbbei* legationem; & irrita *Anglicæ* successionis promissa. Cæterum *Scotorum Regem*, Principem *legibus solutum*, suo, non Alieno Arbitrio, subditis Immunitates, Præmia, Pœnas, Impunitatem largiri. Postremò nihil sanctissimo *fœdere* cautum, adhuc violatum, aut ruptum; proinde renovare, non necesse. Nihil eâ *Legatione* ultrà impetratum. 1593. Res Scot.

Hoc responso *Legatus* exardescens irâ, in *Angliam* redijt. *Rex* in moderatione Animadversionis perstitit; & *Ministrorum*, supplicium Procerum poscentium, sævitiam increpuit; atque insuper *Huntiles* & *Errelij* uxores, in amplissimâ Procuratione bonorum Conjugum, confirmavit. quæ res infensum *Reginæ* animum acrius accenderant. Suspectâ *Elizabetha* iracundiâ, *Legatus* in *Angliam* decernitur. *Robertus Melvillus*, senectute gravis, usu, Ingenio, in magnis de Rep: Consilijs nulli inferior, ad capessendum hoc Munus dilectus. Is intromissus, ut coràm ageret, renunriat Legationem, *Bothuelium* repetit, ac Auxilium adversùs Rebelles poscit, & flagitat. Cui *Regina* respondit, *Bothuelium* ex fœdere restituendum, si in *Angliâ* hæreat; aut exterminandum. At exarsit implacabili irâ & stomacho, in *Pontificios Proceres*, servatos in periculum Reip:; Incusavitque, Aditum in *Britanniam* Hispanis, ac Portus Maritimos prodisse; Equitum Peditumque Copias promisisse; Deum, testem ingrati, ac perfidi animi eorum, invocavit. quinetiam pœnam *Huntiles, Angusij, Errelij*, poposcit; quod *Septentrionem* ad funestum bellum armarent; receptum Religionis cultum everterent; *Philippum* favore ac benevolentiâ complecterentur. Prudens *Senex*, adhibito temperamento, animum ab impetu ad moderationem deflexit; suetam, in Illustres familias, Clementiam Regis, laudibus extulit; *Procerum*

1593. delicta, in majus per Invidiam vulgata, disseruit; & *Ministrorum* turbidis ingenijs Jure succensuit. *Regina* non mota sententiâ, Lenitatem *Regis* asperitate Orationis reprehendit; facinora & flagitia Rebellium *Procerum*, supplicijs ac acrioribus remedijs vindicanda censuit; & *vanam Clementiam* Religioni perniciosam, ac in publicum inutilem; laudat Pietatem *Ministrorum*, modicas Numinis injurias acritet persequentium. *Legatus* ubi mitigare non potuit, properè redijt.

Per eosdem dies, *Huntilei* uxor, magno Clientum agmine, & Nobilium fœminarum comitatu, Regiam *Sanctæ Crucis* ingressa, Mariti Agros Emphytenticos, Conjugij Jure, fruendos, utendos, deprecantibus Amicis, accepit. Eaque Principis liberalitas agitata, incertis rumoribus; Iram *Vulgi*, ac Invidiam *Prædicatorum* auxit: qui indignitate rei, & rabie furentes, liberius fremunt, non solum *Hispani Emissarios* maleficentissimos incolumes esse; sed uxores etiam Gratiâ, Auctoritate, & Celebritate Aulæ frui. Rex, etsi eorum fremitus negligeret, cuncta magis ex Naturâ suâ, & Majestate Imperij gerens, quàm ex alieno impetu, aut Contumaciâ: Tamen, ut premeret sinistros vulgi rumores, Illustrem fæminam, sanguine propinquam, seposuit; Aulâ prohibuit; ac in ulteriorem Insulæ partem summonit.

Hoc tempore quoque, *Stephanus Belius*, & Jurisconsultus, *Legati Regis Daniæ*, in *Scotiam* venerant, ut explorarent, referrentque, quantos Agros *Anna Regina*, Dotis nomine, acceperit. Hi circumducti à dilectis Proceribus, per Pagos, urbesque, estimatione factâ, Dotem probant: & Muneribus culti, in *Daniam* rediunt.

Comitia deinde totius gentis habita, *Idibus Iulij*; Publico Ordinum decreto, ac cunctis suffragijs, *Bothuelij* turbidè & seditiosè omnia novantis *Proscriptio* iteratur; Nomen *Albo Nobilium* eraditur; *Insignia familiæ* lacerantur; Bona publicantur; Aqua & Igni arcetur. Similiter, erectis *Procerum* animis in ultionem *Papanorum Comitum*, *Angusij*, *Huntilai*, *Errelij*, qui Bellum ac perniciem Patriæ, & Ecclesiæ intentarunt, *Rex* Nobilitatem, & ipsorum, quamvis malè meritorum, gravem Casum miseratus, discrimini, & Ignominiæ exemit, *Proscriptionemque* distulit, quod Fidem & Obsequium *Principi*, illustrem satisfactionem *Ecclesiæ*, pro scelestis Maleficijs promitterent. addidit, se ad Absolvendum quàm condemnandum proniorem, *si pæniterent*. Atqua eâ Moderatione universos propè Cives offendit; & inter Proceres, *Atholium*, præcipuè *Moraniana* cædis ultioni intentum, exacerbavit. *Hamiltonium* quoque, gentis Princeps, *Cætu Nobilium* abstinuit; ne Præsens, Familiæ suæ dignitati, & Juri, minus consuleret, cum *Levinius* diadema gestaret.

His Comitijs, *Rex* Populum Religione, & divino Jure devinxit; Privilegia omnia, Ecclesiæ concessa, uno confirmavit Statuto; repertæ plurimæ Leges, in Maleficos ex delictis. Adversus Reip: *Depeculatores*, multa Populus præsidia paravit; Proprium *Principis* Patrimonium, suetâ ergà Adolescentes Nobiles liberalitate, magnâ parte absumptum, reliquum Providentiâ *Ordinum*, ad sustinenda Reip: onera, in summis Aerarij angustijs, *Coronæ* individuâ copulâ connexum. Ita hiantes *Aulicorum* cupiditates, egregiâ Constitutione coërcitæ. Sed prævalente iterum Ambitu, exsoluti legis nexus; & spes iniquæ *Curialium* erectæ.

Neque multò post, *Bothuelius*, qui tot scelera commiserat, periculis omnibus circumspectis, vel eorum Magnitudine, vel Perfidiæ pænitentiâ, vel Amicorum arcano Consilio adductus, Moderationem, Clementiamque *Regis*, quàm vires Iramque experiri, salubrius duxit. Itaque paucis Comitibus occultus *Edinburgum* proficiscitur; & cum *Ioanne Colvillo*, fugæ Comite, Thalamum Regis, in *Cænobio Sanctæ Crucis*, ferro succinctus, intrat. Mox, abjecto Mucrone, genibus ejus provolutus, demisso vultu, voce supplici, ac lachrymis veniam, Piacula, & si videretur, Justum in se supplicium exposcens. Compositâ ad Misericordiam oratione, suorum facinorum, atque Nefariæ Perfidiæ veniam deprecari ausus est. Proceres qui aderant Cognati, Affines, aut occultius Consilij hujusce participes, *Levinius, Atholius, Iarbosius, Spyneus, Okiltrius*, pro eo seriò deprecantes hactenus, moverunt Regem, ut Procumbentem ad Pedes plerumque humi stratum, surgere jusserit. Permulsâ Regi Irâ, prima Percunctatio fuit, quâ subactus Injuriâ, contrà se Bellum tàm infesto animo suscepisset? Responsum exspectantibus cunctis qui aderant, tacitus stetit & cogitabundus, utrum superiorum expeditionum Crimina, excusatione summæ stultitiæ, summæ dementiæ, purgaret; vel fateretur. Nec perindè Metus, quàm Pudor obstupefecerat. Tandem miserabiliter profitetur se Regis magis Misericordiæ, quàm suæ Innocentiæ confidere. hâc Oratione, seriâque *Ludovici Leviniæ Ducis* deptecatione, agnitâ Culpâ, Impunitate, Veniâque donatur; ac in pristinum dignitatis locum, his legibus, restituitur; *Vt ab Aulâ sederet*; Judicio, de Crimine *Sagas* consulendi, se sisteret; & Insidijs adversus Administros abstineret. Sed Rex Clementiæ, atque Moderationis, cum sæpissimè aliàs, tum præcipuè hoc tempore, verissimum ac pulcherrimum testimonium, in animis hominum reliquit; quo *Bothuelio*, omnis Humani Divinique Juris Contemptori, gratiam Flagitiorum & Facinorum fecit; qui in Ejus Fortunam, atque sanguinem, Omnia tentaverat, Multa perfecerat.

Vulgato Regis discrimine, *Alex: Humius*, *Norberniensis*, Præfectus Urbis, armatam Turbam congregat urbanorum Civium, ac ingenti tumultu Regiam pergit; de salute Principis percunctatur; & Præsidium provisum offert. Respondet *Rex*, satis esse præsidij in suis; pro Fide, Industriâ gratias agit. Postero die *Bothuelius*, vehementer inflatus, Mediâ urbe, ac per Forum, cum splendidâ Pompâ, in publicum Prætorium processit, multis occurrentibus gratulantibusque, quasi è Peregrinatione

longinquâ

longinquâ revertenti. Ille obvios humanitate, ac Comitate devinxit; vim *Principatus* sibi arrogans, 1593.
Odio adversùs Inimicos indulsit. Indè Amicorum à Rege divulsio; Clientum servorumque Proscriptio: Proceres sibi infensos, Prætorem *Metellanum*, *Glamium* Quæstorem, *Alex: Humium* familiæ Principem, *Georgium* Aulicâ solertiâ potentem, exauctoravit; Nisi hos Aulâ expulisset, obtinere se non posse putavit, licentiam Cupiditatum suarum. Quibus rebus graviter offensus Rex, omnia secùm perpendens, *Servorum* divulsionem, *Procerum* exilium, Comitis *Ferociam* Contumaciamque; à Necessitate Consilium in præsens mutuatus, ultrà *Bodotriam* in *Falcolandiam*, Voluptariam Villam, ad Otium concedere statuit; ut amoto *Bothuelio*, & *sibi* consuleret, & *Illi* potestatem (si fortè adhuc voluntas superesset) Novi sceleris patrandi adimeret. Igitur, Decreto Senatus, Comitatu Principis, foro, & Curiâ prohibitus, donec Objecto *Veneficij* crimina dilueret, & Cognitionem exciperet. Ipse *Bothuelius*, multum ad famam interesse secùm reputans, si *Veneficij* Ignominiam, Infamiamque effugeret, Judicij aleam subivit, & omnibus suffragijs absolutus est. De Insidijs; Proditione, aut Conjuratione, quæstio nulla habita. Rex *Lethâ* discedens, comitantibus *Levinio*, *Atholio*, *Spyneo*, *Okiltrio*, & Prætorianâ Cohorte, antiquàm naviculam conscenderet, accito *Bothuelio*, non modo Impunitatem, & Abolitionem superiorum Offensionum, sed certam etiam fiduciam salutis, ac pristinæ dignitatis præbuit, si *Regno* excederet, & in *Galliâ* aut *Italiâ* aliquantisper vitam ageret; adjectâ lege, si posteà tumultuaretur, veterum Maleficiorum memoriam renovatam iri. Haud facilè dixerim, Crediderítne Regi *Bothuelius*; an ad tempus Fidem & Obsequium simularet. Fidei Regis nihil sanè confisus mihi videtur, suspicans Justum dolorem ejus potius dilatum, quàm positum. Interim ad Modestiam non flexus. In *urbe Regiâ*, inter Cætus hominum, cum armatis Clientibus obversatur; Probra Inimicis, & Minas intentat; Clientes turbidi, quo studium in Patronum clarius esset, *Metellano* Necem suis manibus minitantur. *Rex* in diverso terrarum Tractu, Ripas, *Glotta*, Sylvas, Saltus, & Amæna loca *Occidentis*, magnâ voluptate peragrat; donec tempestas *Bothualianorum temporum* conquiesceret: Labor in Venatu, sudor Cursus non fatigat. Peractis ludorum, Venationumque lenimentis, cum de *Bothuelij* potentiâ summâ, cum Licentiâ conjunctâ, Nobilissimi *Proceres* publicè conquererentur; & gravissima in ipsum Crimina ederent; *Mense Septembri*, Ordinum Conventus *Sterlinum* convocatur; & objecta Crimina ad disquisitionem *Procerum* referuntur. Itaque constitutâ die, Rex cum firmissimo Præsidio fortissimorum virorum, *Sterlinum* se contulit; ac multis Nobilium ad se accersitis, præcipuè à *Bothuelio* alienatis, *Humio*, *Glamio*, *Metellano*, certatim accurrentibus, jam satis adversus vim tutus, in frequenti Ordinum Conventu disseruit, *se planè Captivum esse; trepidam sibi vitam; suspectas Bothuelij Insidias; Collapsum Sceptrum Scoticum; protritum Diadema; Abolitas leges, & funditus versas, Licentiâ atque Impunitate ejus; percrebuisse sermones, quos habuisset in Cætu servitiorum, recentem gratiam à se Invito expressam, metu gravioris detrimenti, cum in ejus potestate esset; Sibique à* Bothuelio *interitum paratum, nisi in tempore subvenirent. Ad hæc, Regni* Proceribus *indecorum, ipsi* Regi *probrosum, cogi sponsionem Immunitatis facere.* Non domi tantum, sed apud vicinas etiam gentes, tali Oratione Procerum Odium vehementer in eum accendit. Ex ijs, in Consilium adhibitis, multi consenserunt, non esse sæpius, *in uno homine*, salutem Regis periclitandam. quare decreverunt, ut *Bothuelius*, & suarum partium Proceres, ac Clientes, nisi Licentiâ impetratâ, aut evocati, Aulâ abstinerent; haberentque præteritorum Impunitatem, & Abolitionem, metu turbarum, si Maleficia non renovarent; ac rursus submissè supplicarent. Nec hoc Decreto contenti plurimi adversæ factionis Proceres, Regi authores fuerunt, ut per vim impetratam Abolitionem, non Judicio aut Voluntate concessam, justè pièque revocaret. Inter quæ *Valterus Stuartus*, *Blentgreus*, *& Robertus Melvillus*, Senatorij Ordinis; *Robertus Brucius*, *& David Lindesius*, Ecclesiastici; missi ad *Bothuelium*, cum Decretis Ordinum, & Mandatis, *Limunchi* assequuntur, & exponunt veniam ipsi, & Clientibus tribui, si iterum deprecarentur. Ille Obsequium ergà Principem, & limine *Curiæ* abstinere promittit: Subijciens, omnes oportere *Principis* dicto, & Decretis Ordinum audientes esse. Mox referentibus Delegatis, integris animis comiter excepisse Mandata; *Rex* Obsequio ejus lætatus est. Haud aliàs intentior suspicax Populus, quanta securitas Amicis *Bothuelij*, quæ fiducia ipsi Abolitionis, si accederet ad Aulam? quod periculum ei immineret, si suppliciter iterum deprecaretur? Intereà, ex sententiâ Inimicorum Capitalium, *Metellani*, *Glamij*, *Baronis Humij*, *& Georgij*, Rex per Præconem pronuntiavit, ne *Bothuelius*, aut quis Amicorum, vel *Clientum*, propiùs *Millia Passuum decem*, ad Regiam accederet. *Edictum* vario rumore exceptum, quasi exterminaret à Penatibus, ac bonis omnibus everteret. Constantes Amici, & audentes Clientes, socios se qualiscunque fortunæ, & Comites Exilij promittebant. Ille veritus, ne sinè ullo effectu novam tempestatem excitaret, in Regnorum finibus latitat, in omnes turbandarum rerum Occasiones intentus. Nihil *Regis* animum altius penetravit, quàm studia *Ministrorum* accensa in *Bothuelium*, & Numinis Religionem protegentem; qui versi ad Deum, res incolumes ei precarilunt, pravâ æmulatione, & privatis affectibus. Sed è contrà, *Pontificijs Proceribus* implacabiles erant; orum sanguine se exsatiare cupiebant; & in *Synodo Andripolitanâ*, disceptationem Juris fugientes, itis Ecclesiasticis prosequebantur: Tanto avidius, quia Rex placabilior, in suam securitatem, & egni tranquillitatem, ignoscere volebat; concesseratque Uxoribus Avita Prædia, ob preces Illuhum virorum. Adversus Lenitatem Regiam cum *Brucius*, alijque prædicarent, Tribunitiam

1593. eorum Insolentiam prudentiâ temperavit, & aliquod tandem frenum, quod inhiberet eorum Audaciam, Temeritatemque, excogitare cæpit, ac *Præsulum* Potestatem revocare. Neque tamen cessavit Religionem promovere; Templa & Fana ornare; beneficia à Majoribus concessa, firmare; sævas Ecclesiæ tempestates exortas, fluctus, & æstus mitigare; Navem Ecclesiæ sacram propugnare tutarique. Rex rebus omnibus tum satis comparatis, & Equestri turmâ ad Custodiam corporis adhibitâ, *Bothuelium* evocat, monetque literis, *si modum subditi non egressus, familiari Comitatu ad Aulam accederet, paratam fidem & Sponsionem. Si setùs faceret, ei Capitale fore.* Ille citatus per Literas, respondit, eo spectare Inimicorum Consilia, ut si accederet ad Aulam, facilè opprimetur; sin abnueret venire, hostis publicus pronuntiaretur. Adjecitque, *Alex: Humium*, Tribulium Principem, & *Georgium* sæpè memoratum, sibi ob fratris Cædem infensissimum, in Aulâ obversari; Omniaque *Humiorum* ac *Metellani* Consilia in suum exitium spectare; proinde dandam sibi veniam, quod hostium Capitalium vi atque violentiæ se subtraheret. Hoc Responso accepto, per Præconem jussus sui copiam in Judicio facere, vel in Custodiam proficisci; cum non paruisset Edicto, *hostis publicus* iterum est denunciatus. Adjectum & aliud Edictum; quo qui Eum, Propinquos, Affines, Clienres, tecto accepisset, aut ullâ ope juvisset, eidem pœnæ obnoxius judicatur.

Nec in diversâ Regni parte, ultrà *Taum*, *Atholius*, turbido ac inquieto ingenio, se à Novandis rebus continuit. Rex ubi Motum rescivit, Comitatu non inermi, *Hamiltonij*, *Metellani*, *Humij*, *Glamij*, *Levestoni*, *Cari*, *Cessordiensis*, ac Equestris turmæ Prætoriæ, ut imparatum & inopinantem opprimeret, *Dunum* proficiscitur. *Atholius*, per secretos Nuntios præmonitus, ægerrimè effugit. *Mont-Rosius* quoque in fugam se conjecit; sed retractus ad Regem perducitur.

Expeditio Dunensis.

Pacato *tumultu Dunensi*, Rex *Limnuchum* reversus, in sedandâ *seditione Ecclesiæ* nihil profecit. *Ecclesiastici*, immoderatâ libertate, ac intolerandâ *licentiâ Concionum*, Popularium animos accenderant; nunquàm deficiente Materiâ: cum primò *Pontificios Proceres* bile & Stomacho, deindè *Principis* familiares, specie Pietatis, ac Morum corrigendorum, persequerentur; Præsentia damnarent, & futura denuntiarent Mala. Neque solum hujus generis Publicæ, sed & Privatæ querimoniæ apud *Regem* habentur, quasi adhuc *Favorem Moderationis in Pontificios* captaret; atque ab eo referuntur ad Senatum: Cujus Authoritate decernitur, ut de Literis, Chirographis, & alijs delatis Criminibus *Angusij*, *Huntilei*, *Errelij*, *Perthi*, XXIV *Octob*: inquiratur diligentissimè; statuaturque pro modo delicti, si Rei fierent rerum Capitalium. *Robertus Brusius*, *Prædicator insignis*, sed homo ad dicendi licentiam liber, *Regem* oravit, ut Pacem Regno, Ecclesiæque redderet; ducique ad Judica Majestatis *Pontificios Proceres* imperaret; Jurisjurandi memor, quo sese obstrinxerat, frequenti Cætu Procerum, *Papanis*, nisi in sinum Ecclesiæ reversis, non indulturum. Respondet *Rex*, se non deserturum Numinis Ecclesiam, Navemque sacram, ad cujus clavum gubernator sedeat. *Pontificijs* autem Comitibus, nisi errorem suum deposuerint, ac Innocentiam clarissimis testimonijs probaverint, veniam & Impunitatem non daturum. De Absentibus Judicium nullum fieri placere. Ita dimissus *Brucius*, apparebat eum Irâ succensum; quam Casus posteà auxerat. Cum Conventus ad *Iedburgum*, *Liddalia Oppidum*, indictus esset, ut *Carus Fernihustius*, *& Hunt-Hillus*, Studiosi *Bothuelianarum* partium, ac Latronum Incursiones coërcerentur, *Regi* eo proficiscenti, & nihil minus suspicanti, in Itinere, non procul à *Falâ*, ignobili Oppidulo, supplices, ac se demittentes in genua occurrunt *Conjurati Proceres*, *Angusius*, *Huntileus*, *Errelius*. Adorato *Rege*, Veniam, aut delictorum gratiam non petunt, sed Judicium fieri de Factis, famâque; & à Viris bonæ fidei Jus dici æqualiter, Constituto tempore, Locoque, impensissimis precibus flagitant; ut cuncta proferant, apud æquos Judices, quibus Innocentia sublevari posset. *Rex* supplices Comites contemplatus, Publicas Injurias condonare ijs posse se negat; destinatque, Nihil super eorum Criminibus, nisi Arbitratu Ecclesiæ, statuere. De scelestis Maleficijs in Numen, & Ecclesiam, inquiri non oportere, infensus adhuc respondit, inconsultis Apocletis Ecclesiasticis. ad hos, veluti Religionis interpretes, decurrendum ut ij habeant Potestatem Judicum, in Crimine, quod Religionem injiceret. Cum finem obsecrandi non facerent, *Optimates* qui aderant, commoti Memoriâ prioris fortunæ, pervicêre, ut Rex è Numero Procrum, todidem ex singulis Ordinibus viri præstantissimi integerrimique deligerentur, qui excussâ, & cognitâ Causâ *Perthi*, Jurati statuerent, quatenus animadvertendum, quatenus ignoscendum. His rebus constitutis, eos à se dimisit. Et ne dare suspicionis aliquam causam videretur, per *Glamium Quæstorem*, & *Leudorensem Cœnobiarcham*, Procerum haud iniqua desideria Ministris exposuit. Hic Casus fuit Irritamentum Invidiæ. *Magistratus Ecclesiastice*, Conventu suorum *Limnuchi* habito, Injuriam, ita constituto Judicio, sibi factam, in *Synodo* atrociter conquerebantur; Dilecto loco, *Papanorum* conatibus opportunissimo; Tempore, parum idoneo; nulloque dato, in re maximâ, ad deliberandum spacio; simul, à Reis, propositis delegatorum Judicum Nominibus. Cuivis Legentium patet, quàm turbulenta Fuerint tempora, Varij Motus, Multiplicesque Ministrorum Conatus, & horrendi Eventus. Per Delegatos *Caldervodinm*, & *Merchestonum*, Comarchos; *Galonidium*, & *Iacobum Melvinum*, Ministros; Magistratus Urbanos *Edinburgi*, & *Taodunis* Regem *Iedburgi* adeunt; petunt de Conjuratis ultionem; prehendi attinerique publicâ Custodiâ postulant, donec dies Causæ dicendæ appropinquaret; queruntur, quod subdolis Artibus manifestas scelerum probationes subvertant, multaque comminiscend[e]

rei tàm

1593.

rei tàm atrocis quæsitionem eludant; Comitatu non inermi Judicio adesse, flagitant, prætextu Regiæ securitatis. Si quid *Papani* contrà nefariè molirentur, Facti atrocitatem, ac Indignitatem, Cognitionis molem, & gravissimam Ecclesiæ Censuram verbis in majus augent. *Rex* nimijs Ministrorum studijs Jure succensens, & Naturæ obtemperans, querelis placidè respondet; *supplices Comites*, & deprecatores aspernari non potuisse; Neque, ijs petentibus, Jus denegare, quod Plebeijs quoque conceditur; sibi & Ipsis egregium, si modus in postulatis adijceretur; Non cognitâ causâ, statui nihil in Reos pro existimatione, dignitateque posse; Objecta crimina, pro probatis accipi non debere; Citari Reos de More oportere, recipi, audirique; Tempus legitimum Judicio sistendi, *Quadragesimum diem* esse; locum ex sententiâ Ministrorum destinatum; Diem, Senatorum Arbitrio constitutum; selectos Judices, viros integerrimos esse; Id solum præter Leges præstitum, quod apud delegatos in Foro potius, quàm Comitijs, admissum facinus inquiratur. Si tenderent ad Pacem & Obsequium, cætera sibi curæ fore, Publicam quietem, Privatam securitatem, Religionis incrementum. Juris interim beneficium, ad diluendum Crimen, Nobilissimis viris justè deprecantibus, non denegandum. Religionis Negotium, æquabili Jure ac Charitate, melius, quàm Vi aut Metu, confici posse. Concordiam salutarem Ipsis, Patriæque, deterrere à vecordi discordiâ non potuit. dein ex Senatus Consilio, & sententiâ, diem Judicij diffisum esse placuit, ut interpositâ morâ, diligentius rem expenderent. XII *Novembris* objiciendis Criminibus, & diluendis statuitur. *Proceres* adesse jussi cum suâ tantum familiâ, nisi se multari Exilio, Bonaque publicari mallent. Moniti *Ecclesiastici*, ut mitterent delegatos cum Mandatis. Cum ad diem dictum multi mortales concurrissent, quatuor supremi Ordinis delecti, ut de scelere *Procerum* cognoscerent, *Levinius*, *Marrius*, *Prætor*, *Levestonus*; totidem Proximi, *Bassius*, *Balnerius*, *Abbothallus*, *Tillibardinus*. dein *Apocleti Edinburgeni*, *Toaduani*, *Sterlinenses*, & *Conperenses*, adjecti. apud quos Rei absoluti, vel damnati, cunctis Ordinum suffragijs, damnarentur, purgarenturve. *Contaminati* facinore Comites, Metu pænæ exterriti, sinè Amicorum & Clientum præsidio, diem Causæ dicendæ obire non sunt ausi. quare in Jus vocati per literas, responderunt, Indecorum, More Majorum, in vitæ ac fortunæ discrimine, sinè Amicorum advocatione respondere. *Rex* molem Cognitionis spectans, & majorem *Scotiæ* Motum veritus, rem integram ad *Conventum Ordinum* remittit, ut frenaret cupiditatem Cruoris hauriendi.

Nec dein post, *Edinburgi*, in Cætu Procerum, Præside Rege, re multum diuque disceptatâ, *Edictum Pacificatorium*, publicæ quietis causâ, conditum, & publico præconio promulgatum; quod unicum rebus pacandis Remedium videbatur; ut *Papani* omnes, antè *Kalendas Februarij insequentis*, aut Puriori Religioni subscriberent, aut Regni finibus, in perpetuum excederent. Proceres, *Majestatis* Rei, *Angusius*, *Huntileus*, *Errelius*, *Gordonius*, *Archindunensis*, & *Chisholmius*, si antè eum diem Edicto paruissent, Bonis, Prædijs, Laribus, nec non Famæ & honoribus, gratiâ priorum Criminum factâ, restituerentur. Nec hîc furor stetit; quoniam severiores *Ministri*, velut certo imminente periculo, nisi Religioni caveretur, vehementer institêre, ne qua fieret atrocium Criminum Abolitio. nec Pertinaciæ pænitentiam egére. *Brucij*, & aliorum, quidem acerbæ *Conciones* fuêre, quæ Faces Plebis animis, Irâ tumentibus, subdiderunt. Piget referre insolentem *Catharorum* fastum. Primùm *Rex* cum *Brucio* mitibus verbis egit, ut ab asperitate *Concionum* desisteret; & *Papanis Proceribus*, publicam sui sceleris detestationem profitentibus, ac Ecclesiæ satisfacientibus, æquiorem se præberet. Ille pro solitâ Contumaciâ, postulata sprevit; succensuitque Regi, quod *Pontificios Proceres* suâ Conscientiâ prædamnatos, ferro, flammâque non persequeretur. Cum ille exorari non posset, in eum potissimum Ira est versa, quod procaciter & contumeliosè, ad *fanum Reguli*, adversus *Principem* egerit; ac sinè Principali Auctoritate, Proceres & Cives convocarit, ad deliberandum, ne quid detrimenti Religio caperet. Eò Ministrorum indies crevit insolentia, ut non contenti suo Munere, lites, & Reos omnes ad suum Tribunal revocarent; *Consilij publici Placita rescinderent*; Ordinum Decreris Tribuniciâ potestate intercederent.

Sub idem tempus *Maxvallij* & *Iohnstonij*, propter antiquas Inimicitias, discordes; ac vetera Odia retractantes, de Clientibus cæsis, de rebus per vim ablatis, Pecoribusque abactis, firmata per Affinitatem *Maxvallij*, Heresiani gratiâ, paulisper reconciliati sunt; datâ ultrò citròque fide, Mutui Odij pertinaciâ nihil hostile perpetraturos; aut nihil Consilij separatim inituros. *Iohnstonij* Tribules, reconciliatione Populationum licentiam obvenisse rati, *Nithiam* prædabundi incursavêre. Populatione latè fusâ, *Crightonij*, *Sanghariani*, *Drumlanrici Lagi*, *Clasburni* Agros, omni genere Cladis vastarunt; non ignari, dites & imbelles familias esse. In *Drumlauricum* potissimum Iram verterunt; & ingenti prædâ in *Anandiam* redierunt. Quâ Injuriâ adducti Comarchi, Auxilij petendi causâ, *Dunfrisam*, ad *Maxvallium* familiæ Principem profecti sunt. Qui propter veteres dissensiones de Potestate Juridicâ, illis conjungi noluit, nisi sese ei in Clientelam dicarent. Illi cum per se minus valerent, jacturæ dolore, & Vindictæ cupidine, *Maxvallijs* se aggregaverunt, & supinis manibus exceperunt servitutem. Interim *Ioannes Maxvallius*, Præfectus limitis *Occidentalis*, summâ potentiâ ac gratiâ inter suos, & novâ nuper Clientelâ auctus, *Nithiæ* totius Principatum obtinuit; Arma tanto silentio & calliditate paravit, ut *Iohnstonius*, familiæ Princeps, Insidias odorari non posset. Tandem servus quidam, Cognomine *Iohnstonius*, illi rem totam aperuit, atque demonstravit

1593. Chirographa, subscriptiones, & signa Inimicorum. Id *Iohnstonius* admiratus, *Maxvallium* sibi sanguine conjunctum, per Nuntios admonuit, ne vellet fœdus tantâ Religione sancitum, violare, aut Tumultus renovandi materiam, contrà interpositam fidem, præbere. Hæc cum rescisset, *Maxvallius* Sagax, & callidus detectam fraudem esse cognovit; idcirco minimè dissimulanda occulta Mandata Regis, aut rem differendam ratus est. sibi deinceps nihil cum illo fore commune testificans, Mandata Regis exequi minimè dubitavit. Igitur Mercenario milite conducto, *Oliphanto duce*, inferiorem *Anandiam* incursavit, ut hostes inopinantes opprimeret. *Iohnstonij* suis viribus impares tot *Tribulium* Conspirationi, *Gramos*, inter Accolas latrocinijs famosos *Scotos*, *Baclenchi* Clientes, & *Eliotos* sibi adjunxerunt. Prælio verò ad *Lacum Mabanum* facto secundo, atque *Oliphanto* Centurione interfecto, & multis Militibus, reliquos compulerunt in *Fanum* vicinum, quod crudelissimè incenderunt. undè *Maxvallius* truculentior quàm anteà, eam Injuriam Excidio *Anandiæ* ulcisci destinat.

Hyberno tempore, veteribus Clientelis, & servitijs convocatis, & Novis Clientibus exeitis, *Drumlaurico*, *Lago*, *Closburnio*, *&* cæteris *Nithiæ* Comarchis, cum *tribus Millibus* hominum, Jussu Regis, *Iohnstonio* infensi, ob conscientiam *Falcolandicæ* expeditionis, *Anandiam*, antè lucem, ingressus, ut *Iacobum Iohnstonium*, cum gentilium numerosâ Tribu, inopinantem opprimeret. Is clamore, & repentino hostium adventu excitatus, prosiluit; & protinùs ex suis, qui accolunt, *Trecentos* contraxit equites; & latebris, aut sylvis se occultavit; eo missi à *Baclenchio*, Consanguineo, Centum & viginti. at *Maxvallius* in *Vico Anandianorum*, qui appellatur *Lokerbeus*, cum Copijs subsistir, ut *Anandiæ* fines depopularetur. Ubi subito per Exploratores certior factus est *Iohnstonius*, omnes Noctu discessisse, proximasque silvas occupasse, ut ingruentem tempestatem subterfugerent. Itaque paulisper apud *Vicum* moratus, vicinos Agros ferro & flammâ depopulatus est. *Iohnstonius* ad Occasiones intentus, gliscente pernicie ob Multitudinem hostium, Prælio congredi non ausus, componit Insidias; Fortissimos Tribulium, & ferocissimos Auxiliarium *Baclenchi*, propinquis Lucis occultos imponit. ipse incredibili armatus audaciâ, cùm modicâ manu suorum, usque ad Ictum Sclopetti, assultat; irritato Prælio, specie trepidantis, refugit; hostemque in Insidiarum locum pertraxit. Coortis Insidijs, opportunè ad id positis, mox conversus effuse sequentes fundit, fugatque, & subitam formidinem cæteris infert; disjectos insectatur, ne rursùs conglobarentur. Primis cedentibus, reliqui concitatiore, quàm venerunt, gradu fugam intenderunt. Equitum strepitu, ac discursu exterriti Pedites, & confusi Ordines per pavorem, festinationemque, *Anandiani* Catervas hostium insequuntur, ora mucronibus fœdant, plerosque semineces, aut laceros, festinatione victoriæ, relinqunt. Multi cæsi, captique, in fugâ sunt, aut fluminibus absorpti. Ipse *Maxvallius Baro*, in instaurandis *Ritibus Romanis* pervicax, multis ictibus confectus. primus *Ionhstonus* oblivionem Sacramenti & fœderis exprobrans, loquenti, & Clementiam imploranti, sinè Misericordiâ, stricto gladio manum præcidit, & lacerandum Comitibus reliquit. dein acrius fugientibus institit, ut reliquias opprimeret. *Drumlauricus*, *Lagus* & *Closburnius*, pernicitate equorum ægrè ex periculo evaserunt. Novi Operis *Comarchus*, effosso oculo, dirus ore, diu superfuit. Indè *Iohnstonius* ex fortunâ pugnæ clarus haberi cæpit. Accepta hæc Clades nimiâ fiduciâ *Maxvalliorum*, improvidè in Prælium ruentium; & hostium paucitatem contemnentium. Ab eo die ultrò citròque in *Anandiâ*, & *Nithiâ*, magnis utriusque Regionis jacturis, excursionibus certatum; Cædes, Incendia, Rapinæ, & Nefanda Facinora; liberi, in Maternis gremijs, trucidati; Mariti, in conspectu Conjugum suarum; Incensæ Villæ; lamentabiles ubique querimoniæ, & horribiles armorum fremitus: nec præter Causam; quicquam defuit ad Justam belli speciem. *Iohnstonij* plerumque in Prælijs superiores, eximiâ prudentiâ, & fortitudine *Iacobi Iohnstonij*, familiæ Principis.

Hoc tempore, *Bothuelius*, Amici Clientes, & fautores, in summas Angustias redacti. *Ioannes Russelius*, Patronus, verbosâ & profluenti facundiâ insignis, Consilio juvare periclitantem solitus; ac *Robertus Stuartus*, ob Amicitiæ constantiam, in Custodiam traditi. Neque ipse intereà quietus erat; sed in dies crudeliora Consilia animo agitabat; Insidias parabat *Metellano*; verum, neque Consilia, neque Insidiæ prosperè evenêre.

Per idem tempus *Robertus Carus Cesfordiensis*, Nobilis eques, *Bothuelij* Concertator, nec Indole animi, nec viribus dispar; uno servo comitatus, in *Teniotiam* occultus perrexit. Ei in Itinere, uno cùm Liberto, obvius fortè fuit *Bothuelius*, qui spe Victoriæ ferocior, postulare cæpit, cum Fortuna præberet Occasionem, ut *Carus* secùm ferro decerneret. Accepta conditio est; impigrè parant micantes gladios, dextrasque, infestis armis concurrunt: Nec illis periculum salutis, sed gloria obversatur animo. Consertis deindè Manibus, acrius dimicant; multis frustrà in Loricas Ictibus datis, in nudum corpus vulnera penetrare non potuerunt. Ergo intacti ferro, segregant pugnam; & magno impetu adequitans *Cari* servus, congressus validius cum *Bothuelio*, vulnere absterritus est. Ipse *Carus* adjuvat famulum suum, in præsenti periculo; jamque æquato Marte anhelant equi, fessi cursu, torpent Manus, micant ardore oculi. Postquam resedit impetus, nutrius partem inclinante spe, destitêre integri. Ita Nobilis Juvenis contudit exultantis Proditoris Audaciam, & Temeritatem: quippè celebrata, vulgi rumore, ultrà modum, eximia ejus fortitudo, ad ludibrium recidit.

Edicti Pacificationis, & Abolitionis famâ in Angliâ devulgatâ, statim secuta est alia Legatio. 1593.
Zenchius Baro, primæ Nobilitatis, ac summæ apud bonos Auctoritatis, ob Prudentiam, & probitatem, ad *Iacobum* Legatus missus. Adeundi, conveniendique potestate impetratâ, Mandata diligenter persequitur; Regem obtestatur, ut *Reip*: juxtà, ac *Ecclesiæ*, justâ ultione, consuleret; *Pontificiorum Procerum* nefaria Consilia, de purâ Christi doctrinâ penitùs extirpandâ, Cæde, Incendio perse- qui maturaret; Exercitum, pro tempore & discrimine, aliaque belli usui compararet. Deniquè magnoperè contendit, ne cui *Papanorum* Comiti parceret, sed ut pœnas improbitatis, atquè perfidiæ luerent. Ad hæc respondet Rex, Jus omnibus Civibus petentibus reddendum; summis Proceribus non denegandum; neque Militem sinè stipendijs parari; neque stipendia sinè pecuniâ persolui posse; Pecuniam igitur Militibus *Elizabetham* dare oportere. *Legatus* assiduus in Cætu *Procerum*, & oculis hominum, referre non destitit, in hâc Procerum causâ, de Religione Numinis, & utriusque Regni emolumento, Judicium fieri, aut Præjudicium; Reos amotos de industriâ, ne coràm arguerentur; donec ad liquidum Veritas perditissimorum Consiliorum explorata esset. *Rex* restitit aliquandiu *Legato*, ne fieret Proscriptio. Exitus fuit; & Relatio facta, ut Abolitionis beneficium revocaretur; quod intrà definitum tempus, *Edicto Pacificationis* non paruissent Proceres: Jussique, suasore Senatu, per *Fecialem*, alij aliò in Custodias proficisci. Cum detrectarent Imperium, hostes publici denunciati sunt. Neque tamen satis severum, pro rei indignitate, Decretum quibusdam visum.

Cum *Anna Regina* gravida esset, atque ad pariendum vicina, *Sterlinum* cum Rege concessit. Ibi perseveravit *Legatus* nihilo segnius postulare, ut Tribunali *Pontificij Proceres* admoverentur; aut Expeditio decerneretur. *Rex* in præsentiâ decernendum non censuit. Inter tot Turbines, tempestatesque, salutare *Sidus Britannicum* effulsit; etenim, publicis Obsecrationibus, & votis, *Sterlini* XIX. *die Mensis Februarij*, natus est Princeps, vultu, habitu, gratiâ oris, decore Corporis, Animique insignis. Celebritate famæ, in ipsâ Infantiâ, Pueritiâque, statim cunctis gentibus notus; quæ magis ac magis deinceps, per ætatis gradus, aucta, honestarum Artium cultu, & Militaribus studijs. Sed magna ista Ingenij indoles, paternis Consilijs imbuta, eximiæ Naturæ dotes, & virtutum semina, priusquàm Reip: prodesse potuerunt, in flore extincta sunt. Ego, divino Consilio ortum, & publico fato ereptum esse arbitror, ac Majore *Populi Britannici* damno, quàm suo extinctum esse; nec unquam *fatum* atrociore vulnere *Britanniam* afflixisse. Eo Nato, vulgi animi expleti gaudio, Plausibus, Clamoribusque, & quibus alijs lætitia effusa significatur. Nihil Patre *Iacobo* lætius, nihil hilarius fuit, igitur ad solennia Lustrica curas convertens, Sacellum *Sterlini* reficit, Auro distinguit lacunaria, exornat Parietes, Opere magnifico, ac summo Artificio; Pictores, Sculptores, & cæteros elegantiores Artifices adhibet; præponit viros Equestris Ordinis, Curatores, quo quæque maturius peragerentur.

Dum hæc apud nos gererentur, *Regina Anglorum* insidiarum haud expers permansit. Ab externis hostibus, & ab intestinis fraudibus, discrimen ei à *Papanis* domi conflatum; qui in ejus Morte rerum suarum incolumitatem statuebant. Consultabantque, *Ferro*, *Veneno*, *vel quâcunque aliâ vi*, tollere. Res Anglica.
Placuit primò *Ferrum*: & *Patricius Culenus*, Sicarius *Hibernicus*, in *Belgio*, tanto facinori dilectus, obtulit operam. qui Colloquio petito, insidiatus Principi, deprehensus, conjectusque in Carcerem: & Confessione suâ convictus, *Cogitati Parricidij* meritam pœnam luit. Et cum res, parum ex sententiâ, *Ferro* procederet; statuerunt *Veneno* grassari. Nec defuit id molientibus Minister idoneus. Erat in *Angliâ*, stirpis *Iudaica* Medicus, *Lusitanus*, nomine *Rodericus Lopezius*; Aulæ *Anglica*, inter ejus Artis Professores, inserviens. Is ab *Andradâ Lusitano*, & *Christofero Moro*, *Philippi Consiliario intimo*, Muneribus, *Margaretis*, *gemmisque* corruptus; item à *Comite Fontano*, & *Petro de Ibera*, Hispanis sæpè literis interpellatus, ut *Philippo Regi* navaret operam, ac digna præmia expectaret; hæc in communi. Cæterum occultius pretio corruptus, ut *Reginam* Veneno interciperet. Hic Princeps tanti sceleris: Participes, & Ministri idonei delecti, *Emanuel Ludovicus*, *Timocus*, *Stephanus*, *Ferea de Gama*, *Emanuel Andrada*, Bernardini *de Mendoza* familiarium intimus. *Lopezius*, fædus & Maculosus, non pro Magnitudine sceleris patrandi, & Cupiditate suâ remuneratus, aut Facti Nefarij dies Noctesque obversante Conscientiâ, turbatus, volutat secum modò Facinoris, & supplicij Magnitudinem; modò immensam Pecuniam, & Potentiam, si Impunitas contigisset. Sed *Fontanus*, lenti sceleris, & Moræ impatiens, literis *Lopezium* admonuit, ut Promissa perpetraret, & *Rapidum Venenum* ad præcipitem Necem paret: Jussitque Pecuniam largè subministrari, per Institorem *Consaluum Gomesium*: & ampliora Præmia Perfidiæ, in posterum, tanti Muneris Auctori promisit. Nummis, *Francisco Torresio*, *Lopezij intimo*, numeratis, Famam, spem, Vitam pretio venditat, & *Venenum* diluit. Interim, benignitate Numinis, interceptis *Cambij* literis, & arreptis indè suspicionibus, *petitam Veneno Principem*, innotuit. Plebs Conjuratione patefactâ, *Reginam* summo periculo ereptam gavisa est; & diris execrationibus fraudem incessit. Ergò acciti *Lopezius*, *Ferrera*, *Internuntius inter eum & Fontanum*, *Ibaramque*, & *Emanuel Ludovicus*, *Conscius*; ac diversi interrogantur à Senatoribus de Cæde *Regina*, de *Literis*, de *Conscijs*, de *Sermone cum Christofero Moro*, *Fontano*, & *Iberâ* habito. *Lopezius*, pudore deprehensi sceleris, quod inficiari non poterat, fatetur *captam Pecuniam*, *receptas gemmas*, *Parricidium abnuit*.

Ferrera,

1593. Ferrera, & *Emanuel Ludovicus*, nihil profuturum silentium cernentes, objecta Crimina fassi, Indicia, literas, & Machinationes detulerunt. Peractâ Quæstione, rapti ad tribunal. *Lopezius*, patefactus *Literis*, *Indicijs*, *& Confessionibus* Sociorum, in Pertinaciâ perstitit: Convincitur à Conscijs, urgetur Confessione suâ; neque Obstinatio profuit. Singuli damnantur; & post Tres Menses, ad *Tiburnas Furcas*, more Proditorum, supplicium sumptum.

Per eosdem dies requisiti Authores, qui libros ad *Infamiam Cleri* pertinentes, scripserunt; aut alterius Nomine ediderunt; vel sinè Nomine. Item, qui emendos vendendosve curaverunt. Haud cunctantes Capitali supplicio affecti sunt. In his *Penrius Camber*, Vie naturâ vehementior, Author libelli, cui Inscriptio *Præsulomastix*, condemnatus, & raptus in locum Maritimorum Prædonum supplicijs sepositum, laqueo vitam finivit; ut Alij post hac à scribendo deterrerentur. Auditâ Morte, inhibita *Catharorum* licentia. Vulgus per Fora, & Circulos variè locutus est.

Intereà cum de *Supplemento Legionum*, qui in *Belgio*, & *Armoricâ* erant; de Impensis belli necessarijs; ac subsidio *Rei Nummariæ*, in Comitijs *Anglicis*, ageretur; quo Communis Salus in tuto foret; Boni obedientesque subditi, continuis *Collationibus* exhausti, urgenti discrimine publicæ salutis, Bona Fortunasque in subsidium belli, æquo animo contulerunt; & *Principis* honestos Conatus, suis Opibus adjuverunt. Finitis *Comitijs*, *Regina* hujusmodi verba locuta, audita est magno silentio; *Compertum habeo*, Proceres, *Auctoritatem* Principis *altius*, *quàm facundiam Iudicum, subditorum aures sæpè penetrare: Proindè ego, quæ semper tacui, & tacendum putavi, enuntiare apud vos decrevi, Non imperatas, non exactas Pecunias, in privatos usus, aut Luxus irritamenta; quo pauci Potentes magnificè excolantur. Sed Bello Necessario, gesto terrâ Marique adversus* Philippum, ambitiosum hostem, Raptorem Orbis, Omnium Regnorum appetentem; quem non Orientis, non Occidentis diviriæ satiavêre. *Igitur suffragijs Procerum Plebisque, in subsidium Belli collatas opes Reip: esse; si gravamini Onera ultrà pati, in publico discrimine, Subjecit se, Tributa remittere. In tantâ Reip: tempestate, nihil nisi de Salute vestrâ, de Regni periculis, Vigilijs omnibus cogitandum; neque Consilium in providendo, neque Auxilium in agendo, Armis atque Virtute defuturum. Prætermissis omnibus emolumentis*, (*inquit*) *Nulla Onera, Nullos labores, Nulla pericula recuso; ut vos Aris, Focis, Tectis, atque Agris, incolumi dignitate, & florente fortunâ frui possitis. Deum testor, Me rerum vestrarum providam, volutare in animo multas & graves cogitationes, quæ nullam partem neque Diurnæ, neque Nocturnæ quietis impertiunt; præcipuè de summâ salute Reip:, Populique; de Amplitudine, dignitate, splendore Regni hujus; de Socijs atque Amicis tuendis, contrà eos qui delere conati sunt. Admoneoque vos Proceres, & Provinciarum Præsides, per Præfecturas militaris disciplinæ curam gerere; Provinciales armis, & Militiæ muneribus exercere; Virtutem porrò, ac ferociam subjectorum augere; Spe Præmiorum, spe Gloriæ, spe Honoris & Beneficij, auribus Populi metum adimere. Ad hæc, quoties causam Belli considero, Pacem, externam libertatem* Franciæ, *&* Belgij, *vestrum Otium domesticum, nos pro Patriæ salute, & gloriâ certare: Hostem, dominandi studio & Avaritia, propter Imperium Orbis, atque divitias,* Gallis, Belgis, Britannis *maxima bella inferre; metus & terror concidit. quippè omnia Victoriæ hortamenta, pro nobis sunt; Numinis benignitas; Causa æquitas; facta Majorum in Acie; Virtus vestra, tot Prælijs, tot Expeditionibus, hostibus cognita; Nisi diuturniore fœlicitate, in Socordiam, atque Ignaviam mutata sit. Quare pro Collatis Pecunijs, pro Fide, atque Obsequio Imperij benè meritis, & benè merentibus Civibus, gratias ago. Spondeo quoque, Tributa, æquo animo tolerata, dempto tandem, divino Numine, Belli metu, ultrò abroganda.* Denique hortata est, ut Memores pristinæ virtutis, forti atque parato animo essent. Ne *securitate Pacis*, aut *Belli formidine* circumvenirentur. & quasi quasdam verborum faces admovit ad resistendum *Philippo*. Excepêre Orationem *Proceres* alacres; & Jussa Principis exequi pertexerunt; Populares, illorum Authoritem secuti, pro *Libertate* & *Vitâ*, insolitos Militiæ labores non sunt perosi. Pleni Agri fulgentibus Armis, virisque, ad sustinendum *Ibericum Bellum*.

Res Hibernica. Hic Annus domi in *Britanniâ* turbidus; in *Hiberniâ* haud inturbidus. *Secretum Fœdus* de Bello, per totam *Vltoniæ* ditionem, suscitando, factum est: eique *Tironiæ Comes* Dux destinatus, ad *Religionem Romanam* tuendam; & *Anglos* exturbandos. Nec *Finitimi Reguli* à belli Consilijs abhorrebant. *O-Conorus*, & *O-Brienus*, *dynastæ Conaciæ*, Provinciæ Rapinas, Bonorum direptiones, Iniqua Judicia de Carissimis Possessionibus, olim Mortuomariorum Comitum Marchiæ; quas Illi non alio Jure, quàm *Longi temporis Proscriptione*, usurpaverant, vim atque Contumelias Præsidiariorum, quibus oppressi erant, graviter conquerebantur. *Vltoniæ Reguli*, ad belli munia acres, veriti, ne legibus Anglicis impositis, *Dominia* in *Comitatus* divisa, Ipsorum in Populum Imperium ac Potentiam, paularim imminuerent, Rebellionem cæptavêre. Primumque *Hugo O-Donellus*, magni Nominis Regulus, æmulatione accensus, quod *Conaciæ* prævenisset, *Montrosum Castrum* ex improviso occupavit. *Mac-Guirus* deindè, ferox & turbidus, in *Pharmanacha* erupit; Causâ interpositâ, quia *Villicus* Centurio, cum Cohorte Peditum Provinciæ Præfectus, Juridicus impositus, Specie *Potestatis Iuridicæ*, in Bona Miserorum sævijt; & immania Tributa populo imperavit. *Calones* quoque & *Lixæ* Vim ac Injurias miscuerunt. Cujus rei deformitate atque indignitate permotus, *Mac-Guirus* latè Campos persultavit, ne Popularium Injurias inultas sineret. *Kernices*, inermes, cum Venabulis, & Cultris, immodicæ libertatis studio, Incendia, Cædes, Terrorem circumferrunt. aggregant se *Gladiatorij*, qui, nomine gentili, *Gallolaßi* vocantur; suasque Injurias, excidio Centurionis, & Cohortis, ulciuntur.

Haud

Haud fermè ullus *Regulus Vltoniæ*, nescio quo errore mentis ductus, contagione hujus tumultus intactus. Sicut nondum vi apertâ, ita privatis studijs & affectibus, *Mac-Guirus* Centurionem, tumultu subito territum, compulit in vicinum Templum; ferro & flammâ acerrimè minitans. Quod ubi cognitum *Tironio*, is (manente in speciem Obsequio) ostentandi Officij causâ ergà *Reginam*, Turmam Equitum, quæ stipendio *Anglico* alebatur, & aliquot Cohortes contrahit, per speciem Auxiliandi, ac comprimendi Tumultus: *Mac-Guirum* admonet, Fidem ergà *Reginam* conservare; libertatem modicè tueri; & non ita ferociter Popularium Injurias vindicare. Simulque cuncta prosperè, sinè sanguine componit, Dimissâ Cohorte, ac Centurione incolumi. 1593.

Paucis diebus in constituendâ *Pharmanachâ* consumptis, *Mac-Guirus* prædabundus in vicinos Agros irruit; hostili modo *Conaciam* ingreditur, comitante *Gaurano Sacrificulo*; qui à *Gregorio Pontifice*, *Primas totius Hiberniæ* designatus est; ut per eam Regionem, majore cum dignitate, iter faceret; quod ei neque Legibus, neque Moribus concessum esse, cæteri *Ecclesiastici* contendebant. *Sacerdos*, inito Consilio dimicandi, victoriam *Regulo* liberaliter pollicitus est, sivè *Pontificiâ* Auctoritate, sive Religione inductus. Sed acri Prælio facto, Numinis benignitate, ac fortitudine *Præfecti Bingami*, pulsus *Mac-Guirus*, armis projectis *Vltoniam* repetit; & *Primas* cum multis Agrestibus interfectus est. *Regulus* strenuus in Perfidiâ, in apertam Rebellionem erumpit; quem *Tironius* (manente adhuc Offici simulatione) armis persequitur, vulnusque adversum, cum magnâ virtutis & Fidei famâ, excipit. Inter quæ *Dudallus* Centurio, expertæ fortitudinis in bello, præmissus, robur Cohortium *Anglicarum*, adversus *Mac-Guirum* Rebellionis Auctorem, quantâ poterat celeritate, ducit; & Irruptione subitâ in *Pharmanacham*, inconditam Multitudinem turbat, disijcitque: Ipsum *Mac-Guirum* ad Insulam *Kittensem*, in *Lacu Erno*, profugere compellit, cum Clientelis & servitijs: ac *Inskillennum*, fortissimum ejus Munimentum, redigere in potestatem animo intendit. Sed *Scapha* deerant, & instans *Hyems* honestum Conatum aliquandiu tardabat; quod posteà, cæsis Præsidiarijs, expugnavit.

Deindè postquàm resedit terror, *Mac-Guirus* oravit, atque obsecravit *Vicinos Regulos*, ut suarum fortunarum misererentur, & Injurias sociorum respicerent. Mox major Belli moles ingruit. *O-Donellus* Regulus, *Tironio* Potentiâ, Nobilitate, & Opibus proximus, Arma rapit, Accolasque cupidos Mutationis, in Bellum trahit; haud spernendam Manum, si multitudinem Spectaret, subsidium *Mac-Guiro* mittit. Miscuêre sese *Tironij*, ex Pellice filius, & *Cormacbus* frater, famâ clarus, exciti Nuntijs *Scoti Insulani*, ad Prædam. Hi resumere *Libertatem*, occultis Conjurationibus, incipiunt; acerrimo in *Anglos* Odio, captatâ temporis Opportunitate, cum Regina externis bellis distineretur. Vulgato tumultu, *Henricus Bagnalius*, Tribunus Militaris, vir acer, & infensus *Tironio*, privatis de causis, illum ut turbidum, & *Mac-Guiri* Consilijs immixtum, Auctorem defectionis, *Insigne Regis* & *O-Neali* Nomen usurpare, apud *Proregem* detulit; & ad dicendam *Majestatis Causam*, evocavit. *Prorex*, placido Ingenio, maluit Pacem moderatione firmare, quàm sub discessum suum, Bellum gerere. Igitur his auditis, diligit Nuntium idoneum, qui *Tironio* nuntiaret, ut publicâ fide interpositâ, *Dublinum* veniret, & objecta Accusantis seu Crimina, seu Convitia dilueret; neu per tot Annos strenuè quæsitam Militiæ gloriam, in Castris *Anglorum*, fide, Industriâ, & Obsequio, *Perfidiæ* Crimine fædaret; Neve Armis disceptaret; cum desideria, si in Officio persisteret, à Principe, eximiâ Misericordiâ atque Mansuetudine, precibus impetrari possent. Admonitus *Bagnalius*, cui pars *Vltoniæ* obtigerat, ne Æmulatione & pravo certamine *Tironium* irritaret, aut semina discordiæ præberet. *Tironius*, Epistolâ ad *Proregem* scriptâ, profitetur nihil sibi Charius Fide & Officio futurum; ostendit plura benè atque strenuè gessisse se; sed Laborum ac Periculorum fructum *Mariscallum* percepisse; proindè animum suum Injuriam *Bagnalij* æmuli, dolis vitæ insidiantis, minus tolerare; Pollicetur Fidem, Obsequium, & in urbem Adventum, si publica fides inviolata foret. Deindè Odium, & Metum Tribuni, Accusatoris, objicit. Alias & deindè alias Moræ causas comminiscitur; Veniendi diem postulat longiorem; & *Proregem* frustratur. Etenim animo penitùs infixum erat, à *Reginâ* deficere. *Prorex*, postquàm perstare in Perfidiâ *Regulos* videt, missis ad *Reginam* literis, motum *Vltoniam* tumultu *Mac-Guiri* docuit; Nunc, ingruente *O-Donello*, in acriore discrimine esse; nec *Mac-Guirum*, nec *O-Donellum* duces hujus belli, sed *Tironium* esse: erumpentibus indies Manifestis Indicijs, quanquam occultentur. Scripsitque, suam vergere ætatem, diligendum *Proregem* Bello egregium, Corpore validum ad Militiæ labores; qui *Vltoniam* defenderet, ac Tumultum comprimeret. Ad hæc, vires ad Coërcendum deesse, frumentum & Commeatus. At *Londini* percrebuit, non *Mac-Guirum* modo, & *O-Donellum* descivisse, sed omnes *Vltonienses* ad rebellionem spectare; externa Auxilia *Scotorum*, & *Hispanorum* expectare; *Anglos* dolere pro gloriâ Imperij. Reginâ, auditâ Seditione, inter spem Metumque, vultu in securitatem composito, Senatum consuluit, & peritos rei Militaris, quomodò coërceri Rebellio posset. Prudentiores, instante Hyeme, optimum è præsentibus rati, in *Tironium*, Fidem adhuc simulantem, mutuâ Dissimulatione grassari; Moderatione ad Obsequium reducere; ne ad Vim & Arma descenderet, ac Auxilia à *Philippo* accerseret. *Mac-Guirum* & *O-Donellum*, hostilem animum palàm induentes, incompositos, & improvisos, armis aggredi. Inter hæc, recitatæ *Tironij* in Senatu literæ, Nuntiantes vicinos *Vltoniæ Regulos* Infidos, & Turbidos; Tributa, Novas leges, Novos Magistratus impositos, Indignas Contumelias, causas Irarum & seditionis: se falsò

Mariscallus regni Hiberniæ.

1593. se falsò *Majestatis Crimine* petitum; Otij & quietis cupidum, si per Tribunum ac *Proregem* liceret; hos Motus velle sedatos; manere Observantiam in *Reginam*, pro quâ toties bellasset; mansuramque usque ad supremum spiritum. *Regina* etsi fictam Modestiam intelligebat, tamen quàm mitissimè respondit; Nihil se, propter ortum inter eum & Tribunum dissidium, gravius de ipso judicare; neque de suo in eum Amore & Benevolentiâ deminuere, si in Fide & Obsequio tenderet; & superbos *Regulos*, legitimum Imperium falsò Miseram servitutem vocantes, ac *Provinciales* tanquàm Mancipia habentes, variâ prædandi arte, ad reverentiam sui, Magistratuum, & legum retraheret. *Proregem* secretis literis monuit, ut *Tironij* occultos Conatus dissimularet; Veniam Fratri, & Filio Naturali, pro vitâ rogantibus offerret; Turbis pro tempore consuleret; Contentiones *Tironij*, *Tribunique* conniveret; Militum injurias cohiberet; *Regulos* obsequium abnuentes, & publicè de dominatione dimicantes, vi coërceret; domestico Certamine, *O-Donelli* æmulos excitaret, & discordias intenderet. Quâ re cognitâ, *Prorex* cum plurima commemorasset Beneficia, quæ *Regina Tironio*, Diplomatibus publicis, tribuisset; Cumque *O-Neli* Nominis usurpationem, *lege Majestatis* damnatam, & *Shane O-Nels* filios fraude interceptos coarguisset; jussit ut *Odioso Nomine* abstineret; & *Shani* filios in Libertatem restitueret. Ille prolixè pollicetur, facturum se omnia, quæ imperata essent. Et Promissa, per varias fallendi artes, eludit. Ita *Prorex* æger & invalidus, Impunitatem promittendo veniam petentibus, ac levioribus Remedijs nihil profecit. Et *Tironius* acrius poposcit, quæ *Reginæ* dignitate salvâ, concedi non poterant. Denique *Prorex* nascentem Conjurationem dissimulatione aluit.

Vis externa. *Vulgò contributiones.* Hoc Anno quoque Bellum in *Belgio* acrius renovatum, à *Mansfeldia Comite*, cui pro *Archiduce Ernesto, Rodolphi Imp: fratre*, extraordinarium Imperium datum. Is in Apparatum Belli intentus, Exercitum contrahit; atroci Edicto, & Capitis periculo prohibet, ne quis Pretium pro Remittendis, & Redimendis Captivis, aut Collationes, pro securitate quotannis exigi solitas, hostibus solueret. *Fæderati*, pari Edicto proposito, Igni, ferro, *Copijs Mansfeldeanis* Bellum indicunt, atque inferunt. Trucidati Milites, incensæ urbes, direpta Civium bona, nullum Belli commercium; Sed Cædes, Patibula, Cruces; pro salute utrinque certatum. *Philippus Nassovius*, quatuor *Millibus* Peditum, magnoque numero Equitum, Agrum *Luxenburgensem* incursavit; Castella, Vicosque latè pervastavit. *Barlemontius* cum Copijs missus est, à *Mansfeldio*, ad socios tuendos. Ad eum concurrerunt *Hispani*, & *Iberi* orantes ne Possessiones *Luxenburgensium* ferro, Flammâque consumerentur. *Nassoviani*, cognito hostili adventu, prædâ onusti, domum rediêre.

Sub idem tempus, *Mauritius*, *Gertrudis fanum*, Naturâ & præsidio munitum, operibus longè maximis oppugnat. Obsessi Machinamenta, perstringendis Operibus, & obruendis hostibus, expediunt. *Mansfeldius*, penès quem summa Imperij; *Fontanus Comes*, penès quem Vis ac Potestas; Præfecti, Tribuni, Centurionesque *Philippi Regis*, metuentes, ne urbs longius Obsidium, & Impetum *Mauritiani Exercitus* parùm sustentaret, Copias in Auxilium duxêre. *Mansfeldius*, frustrà & sæpius, damno ac dedecore, tentatis *Mauritij* Munimentis, extemplò in Castra *Hohenloi* Comitis, & *Anglorum* Auxiliarium, haud meliore fortunâ, pugnæ impetum facit. Iisdem diebus, à Duce *Edmundo*, humili loco nato, Auxiliarium *Scotorum* Equitum Præfecto clarissimo, prosperè pugnatum. Turbatæ *quinque Hispanorum Turmæ*; Cæteris in Arcem *Turnhautanam* fugientibus, Cæsi, aut vivi capti, qui remanserunt. Ita irrito incæpto, *Mansfeldius* sese recepit. Præsidiarij Milites, cum arctius Obsiderentur, & res in Oculis gererentur, pacti, ut sine fraude, aut Injuriâ liceret abire. *Septingenti* Præsidio excesserunt. Urbe deditâ, *Mansfeldius Silvam Ducis*, ex æquo agentem, contendit, ad tentandos animos, si *Hispanos*, Præsidij causâ, reciperent. Oppidani timentes *libertati*, negant se *aut servire ulli*; *aut Præsidio cujusquam egere*; Jubentque abstinere urbe, & sinere Cives in Concordiâ, & libertate esse; Nec, per Præsidij speciem, in servitutem asserere; si Amicis quàm hostibus uti mallet. Postquàm irritos omnes Conatus vidit, *Bruxellas* repetit; & *Mauritius* urbem *Brugensem* validissimam, *Belgij* in Potestatem redigere nequicquam tentat.

Inter hæc *Ernestus*, *Archidux Austriæ* in *Belgium* venit. adventu ejus cognito, *Mansfeldius*, plerique Militares, Multique Proceres, in *Agrum Luxenburgensem* obviam processerunt. *Namurci*, pro Opibus loci, spectaculis cultus; *Bruxellis* Festo, Ornatu, Convivijs, & Epulis exceptus est. In agmine, atque Itinere Equitum turmas, & fulgentes Cohortes avidè spectavit. Tribuni, Centuriones, Magistratus, Populus, Decus *Austriacæ familiæ*, egregiam sobolem, *Caroli quinti* Memoriam, ad Cælum laudibus extulerunt.

Per hos dies, *Mauritius Guilielmum Nassovium*, Amicum & Necessarium suum, *Frisiæ* tuendæ ac defendendæ misit. Eique Negotium dedit, ut *Covardam* obsidione eximeret; Omnes *Groningæ* aditus Præsidijs occuparet, & Commeatu Opidanos prohiberet. Hic in rebus gerendis industrius, cum *XX Cohortibus Peditum, & XI turmis* Equitum, *Frisiam* ingreditur: *Covardam & Oet-Marsum* liberat; *Veddanam Arcem* primo ferè impetu, *Vinshotam* pari celeritate capit. Indè *Slogteram & Auwerdezielam* occupat. Præsidijsque per recepta Munimenta dispositis, tandem *Bourtanga validum Propugnaculum* expugnat, permunitque duplici vallo, & fossâ; satis fidens *Beticum* Exercitum nunquam eæ vim facturum. *Verdugo*, Rector Provinciæ, congredi non ausus, Munitionibus inclusit sese. Cujus rei in-

rei indignitate exterriti *Groningenses*, haud dubij, *Mauritium* urbem oppugnaturum, Apocletos ad *Mansfeldium* mittunt; qui eum adeunt, & de miserijs Civium flebili voce conqueruntur; deprecanturque ut subsidium Urbi, Provinciæque submitteret, & Malis præsentibus remedium tempestivè adhiberet. Ille precibus & lachrymis commotus, misit extemplò in Auxilium *Fredericum* & *Hermannum*, Bergenses Comites, cum expeditâ Manu Peditum, Equitumque. *Verdugo Præfes Frisiæ*, auctis Copijs, ingruenti per Provinciam Bello se opposuit; misitque *Fredericum Bergensem*, ad ea recipienda Munimenta, quæ *Nassoviani* occupaverunt; & ad confirmandos *Groningensium* animos. Is *Oetmarsum* Opidum, per deditionem recepit; Centuriones, Legatos, & Vexillarios captivos detinuit; gregarios Milites inermes dimisit: *Auvardezielam*, trucidatis Præsidiarijs omnibus, expugnavit; *Slogtera*, *Vinsbota*, quæque in eis erant Præsidia, deduntur; seu ob Metum virium, seu ad spem Clementiæ. Arx *Veddana* capitur, diripiturque; non sine sevitiæ infamiâ. Ita Munitiones omnes bello captæ, in Jus ditionemque *Philippi* redierunt. Solum *Bourtanga Propugnaculum*, opere ac præsidio Militum firmum, restabat. *Nassovius*, versâ fortunâ, suis se tenuit Munimentis; nec potestatem pugnæ hosti fecit. Unde diu dubitavit *Verdugo*, quid sibi faciendum esset; cum cerneret *Nassovium* Castra tantummodo tueri; ac perseverare in Incepto, celeri Itinere *Bourtangam* petere contendit; ibique Fortissimum *Nassovij* Munimentum, continuatis operibus claudere. postquam apparavit, vi agendum *Nassovius*, & qui in Præsidio erant, parati instructique stetêre. Ipse occultus accedit ad *Nassovij* Munitiones opprimendas: pugnatur utrinque acriter, complurésque defensores interfecti; & in his *Balfourius*, Scotorum Tribunus, Sclopetti ictu vulneratur. Inde ad exeundum *Nassovium* nequicquam invitat. *Mauritius*, per literas, Nuntiosque, ne pugnetur interdicit; & se ad opem ferendam venturum promisit. Unde Obsessi, vigentes animis corporibusque pertinaciores in repugnando fuêre; Obsidentes, telis indies obruti, languidiores extitêre. Tandem *Verdugo*, fame, frigore, Paludum illuvie, fessus, à Munitionibus hostium recessit; & Confessionem detrectantium Certamen, pro Victoriâ habuit. Inde *Groningam* repetijt, ad confirmandos Civium animos, Obsidionem metuentium. *Nassovius* Munitionibus intentus, usque ad *Mauritij* adventum restitit. 1593.

Is in *Belgio* rerum status fuit. in Galliâ *Navarrus*, turbatus Nuntijs, de Comitijs *Novo Regi* creando, *Lutetiam* indictis, rem compertam ad Proceres suarum partium refert. quæ postquam est audita, *Principes Regij sanguinis*, & *Primores* Regiarum Partium, cum dies Comitiorum appropinquaret, Nuntijs literisque *Fæderatos* monuerunt, *Philippum* non dubia Regni Consilia agitare; & XVI *viros* Duces Multitudinis, pretio emptos ad prodendam Libertatem. Nihil ad securitatem *Religionis*, & *Reip*: tranquillitatem consultius esse, quam ut *lenissimo Regi* se reconciliarent, ac in gratiam redirent; & hoc libentius, quod suâ sponte constituerat in Catholicâ fide institui, quæ eos alienarat. hortantur, ut malint legitimo *Regi* esse Amici, quàm extraneis; qui & *Ei*, & Regno *Galliæ* semper fuerunt inimicissimi. *Rex* novitate rei permotus, ubi perfidiâ hostium distractos Conjuratos ad debitum Obsequium reducere non potuit; promulgavit, *Comitia Parisiensia*, absente se habita, Conventicula esse, quæ *Deum Vindicem* desiderarent, cum Regem Authorem non haberent; qui Jure potest Comitia vel instituta dimittere, vel habita sine More rescindere. Precatusque est Deum Immortalem, ne res damno, dedecorive Regni esset; neu dissensiones, internecione Procerum, dijudicarentur; sed *Reconciliatione* Concordiæ finirentur. Postremò declaravit animum revertendi in Cætum Ecclesiæ, si devium suum Iter ostenderent Adversarij, & in rectam semitam reducerent.

Fœderati Proceres, vehementer inflati, Postulata *Regis*, & Preces Principum Regij generis, aspernati, Conventum publicum, in *Majum proximum* indictum, prosecuti sunt. *Meduanius Vicarius Regni*, advocat Concionem, habet Orationem tempori congruentem. Affuit Congressui Colloquioque, *Philippi* nomine, *Feria Dux*, vir amplissimus. huic additi *Didacus Ibara*, *Ioannes Baptista Taxius*, & *Mendoza*, insignis Jurisconsultus, instructique ut *legem Salicam* fidenter convellerent, exauctorato *Navarro*, *Isabellam* filiam haud dubiam *Gallici Regni* hæredem ostenderent. Missus quoque à *Philippo* in *Galliam*, *Mansfeldius*, Juvenis, cum Copijs *Belgicis*; ut Regiarum partium homines, omni belli Clade persequeretur. Is ferro, flammâque per *Picardiam* grassatus; *Noviodunum in Veromanduis* cæpit, & communivit. Nec minus *Pontifex Clemens Octavus*, in *Gregorij* mortui locum substitutus, Conjuratorum factioni adversus *Regem* favebat; sovebatque per *Placentiæ Cardinalem*, *Legatum à latere*, & *Apinus* Comitem, Auxiliariorum Præfectum. In Conventu deliberatur, *quisnam deligeretur maximè idoneus, & Par tanti potestati, ut domesticis dissentionibus Regnum liberaret; Externorum bestium metum averteret; & Consilijs atque Opibus sublevaret?* Apocleti *Batici* de Potentiâ, Misericordiâ, & Liberalitate *Philippi* præfari, *Ernestum Archiducem*, stirpem Nobilem, *Austriacæ* familiæ Principem, Prudentissimum, electissimumque nominant. Virtutes ejus, Industriam, Temperantiam, Viresque *Austriacæ* familiæ, laudibus extollunt; Nuptiasque *Isabellæ Philippi filiæ*, Regio Valesiorum genere ortæ, Electo destinatas ostendunt; atque omnia de *Henrico Rege* in deterius referunt. *Primores Procerum*, spretam *legem Salicam*, & *Isabellam* haud dubiam *Gallici Regni* hæredem, iniquo animo ferunt; *Guisiæ Ducem*, Patris Nobilitate, & dignitate familiæ clarum, Regij sanguinis expartem, Regem sibi temerè destinant; *Meduanio Patruo* præcipuè adversante, per Invidiam, &

1593. æmulationem; cui Regni titulus magis optandus, quàm sperandus fuerat. *Guisio* Pontifex *Maximus* fautor aderat; *Isabella* filiæ Pater *Philippus*; at plures, *Batica gentis* odio, *Guisio* suam operam obtulerunt; si *Præfectura*, quas administrarent, in perpetuam hæreditatem, ac dominium concederentur. Ille abnuit *precariò regnare*. *Meduanius* cernens in ordinem seipsum cogi, si spem Regni conciperet, viam ad continuandum *Vicariatum Coronæ* quærit: unde Universi Proceres rogarunt, ne *Regij* sanguinis Principibus præjudicium fieret, temerariâ Electione.

Hoc turbido tempore, *Henricus*, & *Pontificiorum* Studijs destitutus, & *Baticis* armis peritus, quid sibi agendum esset consultat. Cum se infirmiorem cerneret, quàm ut suis viribus sese tueri posset, adversus *Papa*, *Hispani*, *&* *Conjuratorum* vim, atque Injuriam, in *Causâ Religionis* ambiguè agere cæpit; videns quanto periculo suo, in *Comitijs* de Jure *Regio* disceptaretur; timensque ne à *Pontificijs* desereretur, nisi *Religionem* mutaret; *Guisij* Electionem præverteret; & Populi rebellantis Benevolentiam conciliaret. Igitur rebus suis desperans, occultâ lege *fati*, aut Ambitu, & Regni cupidine, in pretium superstitionis cessuri, venerationem *Romani Pontificis* propalam induit; ejus Authoritatem, Confessione errati sui, comprobavit; & publicam *Romanæ Religionis professionem*, ad *fanum Dionisij* fecit; haud recordatus *fœderum* sanctitatem cum *Protestantibus*; quorum animos, hâc Religionis Commutatione, vehementer turbavit. Oravit *Regni Præsules*, ut subitam Conversionem suam, neque disceptatione, nec ullo publico Consilio factam, justè pièque approbarent. Illi tamen in *sinum Ecclesiæ* admittere, *Pontifice Romano* inconsulto, abnuerunt. Quamobrem Reconciliationem *Clementis Octavi*, per clarissimum Oratorem, Ducem Nivernensem, dimissè postulat; Piaculum, & Illustrem satisfactionem, promittens, si palàm expiaretur. Quo facto, sicut securitati Imperij satis cavit, ita apud *Instaurata Religionis Professores*, plurimum contraxit Invidiæ. *Clemens Pontifex*, pertinaciotis ingenij vir, Consilio & fraude *Philippi*, spe animoque complectentis *Franciæ Regnum*, adductus; & *Legati* ejus, *Ducis Sessani*, Minis magis quàm Precibus, Absolutionem Pænitenti obstinatissimè negavit; *Simulationem*, & *Imaginem Religionis* esse dictitans, ad discipiendos *Catholicos*: dubitavitque diu, an tanquam Legatus admitteretur. Undè vituperatione publicâ non caruit, ob Malevolum & Contumacem animum; cum satis magnis documentis, Pænitentiam *Regis* fictam non esse, constaret. *Legatus*, antequam ex Italiâ discederet, *Pontifici* deliberandi spacium dedit; ut à Pertinaciâ, sibi & Ecclesiæ exitiosâ, desisteret; Præferocem animum ad æquitatis respectum inflecteret; otavitque, ut expansis ulnis, *filium Primogenitum* in sinum Paternum reciperet; restitueretque in gratiam, ad sacrosanctæ Clementiæ æternum exemplum. Non ideò *Purpurati* mutavêre animum; aut *Pontifex* decessit sententiâ. In digressu *Nivernensis* indoluit, *plus valuisse apud* Pontificem, *Animorum Parentem*, Philippi Regis *Authoritatem*; *quàm* Regni Gallici *salutem*, *aut Securitatem*.

Re intellectâ, *Papam* Pænitentiâ *Regis* non moveri, neque exorari, Neque placari; *Primores Senatus*, summi *Præsules*, plerique *Procerum*, & Magistratuum, confusarum rerum pertæsi, & impotentem superbiam *Hispanorum* perosi, ac *Pontificis* Pertinaciam; *Navarrum Regem Francorum Salutant*; & de *summi Pontificis* vi, ac Potestate disceptant. Populus adit Templa, & Hymnis lætitiam testatur. Sententiam Procerum secutæ aliquot *Primaria* urbes; *Melda* primùm; deindè *Lugdunum*, earumque Præfecti *Vitrius*, & *Castreus*; Mox *Aurelia*, & *Avaricum Biturigum*, quæ, factione ejuratâ, ad Obsequium redeunt. Ignobiliora oppida, quæ vicinarum urbium exemplo insaniverant, resipiscunt. Nec ubique pari consensu consalutatur, durante apud quosdam *Philippi* Amore, & rabie *Nefarij Fœderis*. Sed armis Civilibus quæsitus Color; & de Principatu Contentio, Mysticâ Inauguratione *Henrici* concidit. Ipse magno animo capessit Imperium; Instauratæ Religionis Cultoribus securitatem promittit, & fidem præstat; nec *Auctor* post hac cujusquam Necis, nec *Exactor* Religionis ergò. Et quo facilius Novum Regnum tueretur, fœdus cum *Angliæ Reginâ*, & *Batavis*, renovari postulat; & precibus orat, ut mutuo ac antiquo ergà se animo vellent esse; & suis Consilijs, atque Opibus, ut consueverant, in omnibus rebus adjuvarent. Sed subita *Mutatio Religionis*, Anglam vehementius concussit; quæ permota hominum famâ, Scribendum ad *Regem* existimavit; & pro suâ benevolentiâ petendum, ne res humana Dei timorem ipsi excuteret; Neu Malum faceret, ut indè Bonum eveniret; quod ne faceat, pro Jure Amicitiæ petit, quam tantis Impensis, & tantâ sollicitudine promeruerat. Postremò oravit, ut Numen Errantem in rectam sanioris sententiæ semitam reduceret, & ei magis commodè consuleret. Ubi hæc *Gallo* significavit literis, misit ad eum statim *Vilkesium*, de Pace ac Fœdere; qui ostendit, nullam esse in *Romanâ Religione* tutam ad salutem viam. Adjecitque rationes, quibus conatus est à semitâ erroris revocare. *Rex* causam Religionem mutandi, multis verbis exposuit; subjecitque Neminem, per multa sæcula, *Francorum Regem* inauguratum fuisse, qui non antè Religionem Romanam professus sit. Quare *Legatus Anglicus*, cum desperaret se id quod conaretur, consequi posse, proposuit, in *Armoricâ Britannia* Promissis non esse satisfactum; *Aumontij Mariscalli* Cunctationem, Reginæ publicè exitiosam, Militum jacturâ, & Pecuniæ impensâ; Regi ex æquo inutilem; nec *Reginam* Legiones in *Britanniâ* diutius retinere velle, si *Aumontius* Tribunus, ultrà cunctaretur; nec tutus receptui locus daretur, ne Milites per Pagos dispersi, & Cæli injurijs expositi, ulterius paterentur, quæ passi erant. Quibus rebus cognitis, *Rex* omnem Culpam in *Aumontium* transtulit; & de Loco receptui idoneo, rationem cum Senatu inire promisit.

Mox

1593.

Mox per *Monium* à Cubiculo, nobilem gratiam *Reginæ* retulit; cui se salutem, ac Regiam dignitatem debere, professus est. Illa respondit, Amicitiam ejus magnâ se impensâ promeruisse; nec pœnitere, modo sententiam in Religione non mutaret; neque *Protestantes*, quorum res agitur, deseret. Nec destitit *Legatum* admonere, quantum *Regis* interesset, *oram Armoricam* tueri; neque vagari latius *Iberos* pati; ne plures Portus Maritimi ea paterentur, quæ *Blavetenses* passi sunt. *Monius*, cum dui dubitasset, quid sibi respondendum esset; orat, ne *Angli* ex *Britanniâ* revocarentur; pollicetur *Regem* cum Exercitu in *Armoricam* profecturum, adversus *Iberos*, compositâ seditione Procerum; quorum Artificijs effectum erit, ut *Regnum Galliæ* in hunc turbidum statum perveniret. De Pace, fœdere, ac summâ Reip: occulta Mandata exponit. *Regina* pacata, Milites in *Armoricâ* miserè hybernare permisit. De *Fœdere*, quæ visa sunt, respondit.

Inter hæc, in *Comitijs Parisiensibus* omnia temerè administrantur, crescente indies superbiâ, & Ambitione *Hispanorum*, & unanimi Consensu *Fœderatorum*, externum Jugum aspernantium. Itaque *Henricus* Conjuratos desertos ab *Iberis* animadvertens, datis paucorum Mensium Inducijs, quibus voluit Conditionibus, posteà ad petendam Pacem subegit. Cæterum non, pro spe *Iberorum*, facta Consiliaque æstimantur. *Pontificis legatus*, abjectâ spe perficiendi Negotij, ad quod domo missus erat, *Lutetiâ* discessit. Demum res in apertam suspicionem erupit, paucis post diebus, propter commune adversus *Philippum* Bellum, inter *Gallum*, & *Reginam*, *Meloduni*, fœdus factum, adversus Hispanos, Terrâ Marique, quod *Offensivum, & Defensivum* vulgus vocat: fidemque suam in fœdere *Vilkesius* interponit, *Regina Chirographo*, Sigilloque sancitum fore. Insuper, cum *Regina*, *Norritij* literis acceptis, certior fieret, tes in *Armorica* malè administrari, *Robertum Sydneum*, florentem stirpis suæ gloriâ, ac acumine Ingenij, ad *Gallum* misit, ut peteret *Brestum*, opportunum receptum *Anglis*, in *Britanniâ* militantibus; & Idoneam Cautionem pro Pecuniâ debitâ exigeret, Petitione Maritimi *Portus veteris*. funesti belli renovata memoria, quo toties fusi, fugatique *Franci*. Quare *Rex* anxius, fortuito Consensu Procerum qui aderant, non publico Consilio, Oppidum denegavit. Alterum postulatum levi auditu transmisit, vel superioris Munificentiæ ergâ se memor, vel rei Pecuniariæ Inopiâ coactus; & gratiam duntaxat pro Pecuniâ retulit.

Inter quæ *Regina*, ut subditos à Maritimis Prædonibus, ac externis hostibus securiores in posterum redderet, *Sillinas Insulas* fortissimo Propugnaculo, Præsidioque munivit, atque firmavit. Item *Garnseiam* & *Ierseiam*, Insulas, *Neustriæ* oppositas, operibus communivit, ne Maritimis latrocinijs, aut externâ vi præmerentur. Quædam Privilegia, honoris & beneficij causâ, Incolis concessit, pro fide, & Obsequio Imperij Britannici. Ita clariorem apud posteros, tàm diligenti Ministerio rerum domi, forisque, gestarum, gloriam reddidit; & haud immeritam laudem ac gloriam tulit, pro gloriosis laboribus.

Cæterum Annus hic Pestifer, ac funestus fuit. suprà *septemdecem Civium Millia*, *Londini periêre*, præter Præfectum Mercatorum, & tres Seniores Civitatis. Cum *Iulio Mense*, lues latius serpere inciperet, *D. Bartolomei Nundina* celebrari prohibentur, ad vitandum Populi concursum, & Contagionis periculum. Sævitia Morbi, Cogitationes Civium à Foro, & Commercio publico, ad curam Corporum avertit. Jacente ægrâ Civitate inter tabem servorum Ancillarumque, ac penè ad solitudinem redactâ, *Tribunalia Iudicum*, à foro *Vestmonasteriensi*, *ad Fanum Albani*, una cum *Archivis* translata sunt; donec Urbi salus rediret.

Hoc Anno quoque migravêre duo clarissimi *Angliæ* Proceres, *Henricus Stanlæus*, Darbiæ, & *Henricus Ratcliffus*, Sussexiæ Comites, pleni dignitatis, pleni honoris; quorum omnis vita consumpta est in laboriosis pro *Reip:* Occupationibus, aut Legationibus in *Belgium*, *Galliam*, *& Germaniam*, ad res constituendas. Hi, splendore generis & vitæ pares, dignum exitum habuerunt. Nam in Patrio solo piè mortui, & sepulti sunt. Quos in alteram vitam comitati sunt Tres illustres Barones *Arthurus Graius*, Virtute Militari insignis; qui *Prorex Hiberniam* rexit, signa contulit, & manum cum hoste conseruit; *Henricus Cromvellus*, & *Henricus Ventuorthus*, ejusdem dignitatis.

In exitu Anni hujus *Rex Francus* Meduntam ingressus, ut apud Conterminos populos, Comitate & Mansuetudine claresceret; ubi recipiendis propinquarum Regionum Proceribus intentus, inopinatum periculum evasit. *Petrus Barterus*, *Aurelianensis fraterculi Lugdunensis instinctu* concitus, ut Cædem *Regis* perpetraret; nihil cunctatus, exequi meditatum facinus pergit. haud, procul Cubiculo Regis, cum Cultro deprehensus Percussor; seq, quæstione habitâ, exitium Principis molitum confessus; cognitâ causâ, pœnas pependit, summis Cruciatibus. Indicium tali modo emanavit. *Sicarius* queritur, *adimi veterem Ecclesiæ libertatem*, *hæreticorum potentiam* insurgere; se Cædem Regis, pro Ecclesiæ salute, suscepisse; *Sacerdoti Florentino*, in *Confessione Auriculari*, aperuisse. At is, intellectâ magnitudine sceleris, Noluit Conscienriam Cæde qualiscunque Principis illigare. Igitur posito metu Pœnæ revelantibus Confessionum Areana, Canonibus constitutæ, quæ audierat ad Regem detulit; nec Nomen reticuit. Undè prævisum Periculum, & Providentiâ Numinis, conatus irritus.

1594.

IN *Scotiâ* assidua seditio; & Regi infesta *Ministrorum in Concionibus libertas*; quam *Rex* aliquandò dissimulavit; aliquandò apertis Oculis transilivit. Ut comperit *Bothuelium* præferocem, multiplici comparatâ Clientelâ, vi armatâ certare paratum; ad securitatem futuri temporis, *Carum*

1594. *Cesfordiensem Humio* reconciliavit; & utrumque obligavit, suam salutem, & Incolumitatem Regni defendere, Bothuelium exturbare. Illi *Regis* Regnique Præsidio magnas Copias publico & privato sumptu, *Kelsoa*, aluerunt. Nec minore studio *Bac-Elenchius*, Scoticæ Juventutis subsidium, eò adduxit. Alijs Proceribus interdictum, citrà *Regis*, *Senatusque* auctoritatem, Armatos convocare. Nihil intentatum ad *Regis* salutem, & publico Consilio, & Privato *Metellani* ingenio. Interim *Bothuelius* in *Northumbriæ* finibus substitit, in Occasionem intentus; & confisus (ut putavit) per Intercessores *Ministros*, & *Oratores Anglicos*, Auxilium *Reginæ* impetrare. Inde *Zouchius* suspectus Regi, Nomine favoris in *Bothuelium*, superioribus postulatis hanc petitionem adjecit, ut Publicæ tranquillitatis causâ, *Pontificios Proceres Scotiâ emigrare juberet, aut Armis expelleret*; & Bæticam factionem labefactaret. Hanc postulationem si recusaret, se pro certo Indicio accepturum, eum *Reginæ*, in re æquissimâ, gratificare nolle. Commotus *Rex* respondit, si *Regina* oppitularetur, quatenus suppeteret facultas, & *Bothuelium* transfugam, crebrò in *Angliâ* finibus delitescentem, ex fœdere redderet, postulatis satisfacturum se; Nec non *Instauratam Religionem* enixè defensurum; & cœptam cum *Reginâ* Amicitiam sanctissimè culturum; *Legato* verbis, *Regina* literis pollicetur, & hanc *Reip*: Pestem, ac imminentem *Ecclesiæ* ruinam aversurum. Fuêre, qui censerent, non esse consulti Principis, bellum, trium Perditorum Procerum causâ, cum salutis atque dignitatis discrimine, moliri. His rebus ita actis, constitutoque die, quo proficisceretur *Zouchius*, in Itinere, cum *Bothuelio*, multa de salute suâ obtestante, clàm colloquitur. Reversus in *Angliam*, Reginam percunctantem pauca de statu *Scotiæ* turbido, cuncta edocet; *Regem* benè animatum in Religionem, *Anglicæ* gentis publicum emolumentum; Proceres turbidos propediem extrà *Scotiam* futuros, nisi Molitionibus abstinerent.

Intereà dum Apparatus lustricus, cum omni Magnificentiâ, & Principali ornatu instruitur, *Bothuelius*, dimissis adversariorum Copijs, rursus turbare omnia, ac permiscere cœpit. Et cum jam Perfidiâ, & scelere, omnem spem Veniæ sibi præcidisset, rebus ubique malè cedentibus, non jam metu, sed discrimine, ad ultimam desperationem redactus, Vim apertam, & Vindictam est meditatus. Contractis maximis Copijs Latronum cujusque generis, quorum in Limitaneis Regionibus magna copia erat, *Kelsoam* primùm, deindè *Dulkethum*, postremò ad *Lethum*, urbem processit. Ibi aliquandiu moratus, in satis frequenti, apud *Barodunum*, Ecclesiasticorum Conventu, Ecclesiæ statum, excidium Regni, Interitum Legum ac Libertatis, & Calamitates Populi, literis deploravit; ostendit conspirandum Universis, ne singuli Ultioni & Ludibrio *Pontificijs* essent. Hortatur ut Fortes & Animosos in communi salute, in Religionis causâ se præberent: Petit, ut delectos Viros ad se mitterent, qui dicta, factaque specularentur, referrentque. Postremò profitetur *Antesignanum* adversus *Pontificios* se futurum. Vanâ Ostentatione Religionis, & Boni publici specie, nihil profecit. Deinde, promulgato *Lethæ* scripto, Deum, hominesque perfidiosè testatur, non se Arma contrà Regem, Patriam, & Inimicorum iniquitatem; sed publicam *Instauratæ Religionis* Causam suscepisse, contrà notam sævitiam, & Perfidiam *Pontificiorum Procerum*; Cum Religio Numinis, Principis salus, Justitia in suo cuique tribuendo, Leges, Libertas, Publica utilitas, & salutaris inter Regna *Scotiæ*, & *Angliæ* Concordia, in summum discrimen adducantur, per perniciosos *Consultores*, qui in Rempub: clàm irrepserunt; desperatos domi *Sacrificulos*, & *Hispanos* foris omnis nefariè molientes, ad opprimendam Remp: & benevolentiam cum *Anglis* penitus extinguendam. Cæterum, cum *Proceribus*, *Baronibus*, & *Civibus*, consociatis Laboribus, statuisse, Improbos istos *Consiliarios* Administratione Reip: Decreto Procerum, summovere, si Judicio se sisterent; vel Obstinatis resistendum vi, & Armis Regno exturbare. Quamobrem *Regem* magnopere orat, *Nobiles* hortatur, *Plebi* imperat, ut operam sibi, in asserendâ Religione, navarent: Judices, Magistratusque rogat, ut quibus rebus possent, vires factionis confirmarent; in tàm piâ, justâ, & necessariâ causâ, Arma conjungerent. Ita nomine Boni Publici, ad velandam perfidiam, specie sanctissimæ Causæ, Popularitate verborum, Nobilitatem, ac Plebem frustrà accendit; prævalente Obsequio adversus Perfidiæ illecebras.

Civitas Regia sollicita suspicione, suspensa Metu, perturbata Concionibus, torpebat. *Rex*, ne prætextus Pietatis, & Boni Publici simulatio, à se Populares abalienarent, in Urbem profectus est, ad confirmandos dubiorum animos, Multitudinemque armandam. Templum *Ægidij* ingressus, à Concione fidem Civium imploravit; & alloquendo, exhortando, promittendoque *Pontificios Proceres Scotiâ* exturbare, Communique Saluti, Amplitudinique prospicere, omnes arma capere permovit: &, Multitudine spontè confluente, *Letham* iter convertit. Interim *Bothuelius*, ubi speciosum Edictum irritum fuit; & notæ Proditorum Artes, solertiâ Regis, evanuêre; ad Consilia Belli reversus, Equestres Copias in Campis, qui *Letham*, *Edinburgumque* interiacent, instructâ Acie exposuit; & ad Meridiem usque diei substitit; ut etiam sub Signis conspici à Rege posset. Ex adverso vidit *Bothuelius*, Edenburgenses armis fulgentes, plenosque Civium Campos, & Nobiles turmatim sese in Armis ostentantes; ut omnes Motus Conatusque obstinatius prohiberent. Utraque Acies instructa diu stetit; & à Neutrâ pugna cœpta est. Tandem adversus Proditorem *Alex: Humius*, familiæ Princeps; *Iacobus Colvillus*, Gallicâ Militiâ clarus, *Glamij* tutor; & *Ioannes Carmichelius*, cum Equitum Turmis, & levi Armaturâ ivêre. *Humio* permissum, ut pro tempore, & discrimine ageret. Ipsum *Regem* comitabantur præcipui domesticorum, Primores Equitum, & Urbanorum Civium ingens numerus.

Bothuelius,

Bothuelius, cum *Humium* differre Prælium videret, suis convocatis, quid Consilij sit aperit; & quo facilius *Humiani* Timoris daret Suspicionem citatiore gradu *Saltum S: Crucis* circumvectus, *Fugæ speciem* dedit; ut aut ad gradum intendendum incitaret, quò disjunctos opprimeret; aut longius à robore Peditum eliceret, ac in Iniquiorem locum deduceret. Nec Consilio defuit eventus. Etenim *Humius* in fugientes effusius invectus, in locum Iniquiorem temerè transgressus, incautè se hostibus obtulit. *Bothueliani* apud *Edmestonum Vicum*, Spacium & Locum, post tumulum abditi, se colligendi adepti; Clamore sublato, retrò in eum verso impetu feruntur; &, trepidatione injectâ, primò Concursu turbant, fugantque. *Humiorum* Caterva, suâ perturbatione impedita, ac hostium impetu impulsa, confusis Ordinibus, ad *Vicum Figulinum* retrò acta est. *Bothuelius*, Mille plus Passuum, fugientium tergo inhæsit; nec Equitatu ultrà insequi ausus est, propter Oppidanorum ibi confertam Multitudinem, fulgentem Armis, ac in Prælium ruere paratam. In fugâ ex *Humianis* cæsi pauci; complures vulnerati, aut capti. 1594.

Tantus Conatus ipsi Auctori exitiosus; quippè hæc Expeditio inconsultè suscepta, ac inutiliter obita, *Bothuelij* Temeritatem intolerabilem retudit; adeò ut Amici & Clientes, post hunc diem, Aleam certaminis recusarent; Tumultuum haud prosperos exitus cernentes. Multi è fidissimis Cultoribus, & præcipuè *Ioannes Colvillus*, mutatis animis adversæ fortunæ tædio, Regi reconciliatur. Ipse *Bothuelius* ad consuetas in Finibus latebras se recepit. *Regina* autem edixit, Nequis hospitio exciperet, aut ullâ ope juvaret. Ita *Angliâ* exclusus, mutatis sæpe latebris, miseram vitam egit.

Finito Tumultu, *Rex* ad Curas Pompæ conversus, *Iacobum Colvillum Vernium*, ad *Francum*; Eduardum *Brucium Kinlossensem*, Cœnobiarcham, ad *Elizabetham*, Legatos decernit, ut ad solennia *Lustrica* invitarent. Alios Homines idoneos in *Belgium*, *Germaniam*, & *Daniam* mittit, *Gulielmum Keithum*, Equitem illustrem; ac *Gulielmum Moravium*, virum optimum, qui in Belgio olim Ordinum Ductor, plerisque Magistratibus Civitatum notus erat; & *Petrum Iunium*, qui sæpè antè in *Daniâ* Legatus; cum Literis ac Mandatis eodem spectantibus. *Brucio* negotium dat, ut quibus modis posset, *Reginæ* animum conciliet; ac nunc etiam polliceatur facturum se, quod *Zouchio* Verbis, *Ipsi* per literas pollicitus sit.

Inter quæ consecuta sunt tempora turbida; & Nova quædam Immunitas exorta est *Ministrorum* amentium, *Regem* in Sacrâ Causâ prævaricari calumniantium; quod *Pontificiorum* Maleficia non persequeretur. *Andreas Hunterus* ad *Bothuelium* defecit. Incredibilis fuit, ac singularis furor *Ioannis Rossij*, Ministri *Berthensis* extraordinarij. Is multâ Acerbitate habuit *Concionem in Principem*, refertam Contumelijs, Criminibus, Maledictis. eâdem verborum Asperitate, Contumaciter inurbanèque memoriam *Matris*, fato functæ; ac *Guisianam* familiam infamavit. & sæpè in Concione minatus est, non procul *Regis* latus ab Acinace abesse. Tædio Turbarum, universi *Cleri Conventus* habitus, *Mense Majo*. Ministri in urbe *Regiâ* consident; huc omnes undique conveniunt; & de Rebus Divinis constituunt. Ad hoc *Apocleti Regij*, querelæ causâ, concurrunt, & graviter queruntur de furore *Rossij*, ejus Convitijs in Principem; Considiàque *Hunteri*. Suffragijs Conventus, *Sacerdotij Ius Hunteco* abrogatum. In posteriore Querelâ Conventus ita se gessit, ut probare aut improbare rabidam Concionem distulerit. *Apocleti* valdè graviter tulerunt ambiguum responsum, & quid *Synodus* sentiret, se intelligere dixerunt. Neque tum res confecta est; sed Voluntas Conventus perspecta. *Rossij Conciones*, & falsa in Principem probra, apud Senatores, velut apud Judices, presente *Rege*, agitata sunt. Ille, frequentissimo Senatu, Contumelias adversus Principem voce contitetur, & vehementer defendit: invidiosa res visa, & turpis Confessio Temeritatis; magnâ acclamatione Senatus, in perpetuum Regno pulsus est; extendique in omnia futura Sæcula ignominia ejus debet. Iidem eandem pœnam constituunt immodestis sermonibus, & insequentium temporum Convitijs. Hoc *Senatusconsultum* Ecclesiasticus Ordo tulit molestè, *tanquam frenum*, quod inhiberet *Licentiam Concionum*. Nec idcircò immoderata Libertas extincta est. Mox delegati *Synodi* suorum expostulationes proferunt. Ostendunt in *Pontificios Proceres*, talium scelerum noxios, nullam vim injustam; postulantque ut Comitia haberentur; Publici hostes judicarentur; ædes diruerentur; Bona in fiscum redigerentur. *Rex* assensit *Clero*; & multa fecit verba de toto furore, Insaniâque *Rossij*: Atque Religionis Causam suscepit, antiquissimamque se habiturum dixit.

Mox Ordinum Conventum, *Octavo Iunij*, *Edinburgum* indicit, de rebus quæ ad Pietatem in Deum, omnium communiter salutem, & publicam Utilitatem spectarent. Infensè atrociterque insectatus *Pontificios Proceres*, Ecclesiæ inimicos, & Publicæ quietis perturbatores; rem ad disquisitionem Ordinum vocavit; Nec verò postulata, quæ ad Remp: pertinere visa sunt, à summo totius gentis Consilio neglecta fuêre. *Proceres* Regni pauci aderant, & ad frequentiorem Conventum Causam reijci flagitabant; & suffragia ferre abnuebant; dictitantes, ex *Præsumptionibus* non ferendam sententiam. Nam etsi de *Chartâ purâ*, *Chirographis*, *&* Sigillis subsignatâ satis constabat; tamen de eorum Consilio, nisi ex *Præsumptionibus* constare non posse; verum impares & *Cleri*, & Civium consensui, quos frequentes obstinatosque ad condemnandum concurrisse cernebant, impedire rem destitêre: Tandem ne frustrà contrà niti viderentur, in eorum Sententiam concesserunt. Igitur his Comitijs, *Proceres* malè animati in *Religionem* Numinis, & *Scoticæ* gentis publicum Emolumentum, *Angusius*, *Huntileus*, *Errelleus*, *Æbudam Reguli Mac-lenius*, *Mac-Inclius*, & *Donaldus Goramus*, publico *Decreto Ordinum*, proscribuntur;

1594. buntur; Bona omnia publicantur; Arma gentilitia in Conventu lacerantur; Præliorum anniversarij fructus in Fiscum rediguntur. Approbata valde sententia Acclamatione Ordinum; & promulgata *Per Faciales* in Foro, multis & secundis admurmurationibus Vulgi.

Vulgo temporalia dicuntur.

Neque solum hujus generis publicæ & privatæ querimoniæ ab *Ecclesiasticis* habentur, Comitia edocent, fædum & indignum, *Laicos* eximios fructus, Ecclesijs relictos, possidere; Prædia, Reditus, Resque Immobiles repetunt. *Proceres* Coronæ Privilegia adversus *Ecclesiasticorum* expostulationes meritò tuentur, & defendunt; decernunt, nè Prædia, in recenti memoriâ, ac noviter *Patrimonio Principis*, Publico Decreto contributa, sibi vendicarent: reliqui Ecclesiæ Reditus in futurum non contribuerentur. Convicia, & Calumniosas *Prædicatorum* Voces, Legibus retundunt. His Comitijs ea jura in *Pontificios* sancita, quæ nec Vis temporum, nec Potentia *Pontificis Ro:* nec denique Posteri rescindere possent. *Papani* Decretorum Iniquitatem perosi, suas Miserias graviter deplorant, sævire Proceres, Bonis everti *Catholicos*; Id non modo fieri, sed ita fieri, quasi liceat, concessumque sit. Nullum subter fugere Vitæ discrimen statuunt, in promovendâ Ambitiosi *Pontificis* Auctoritate.

Iisdem diebus *Iacobus Gordonius Ignatianus*, Huntilei Patruus, (suprà memoratus) cum *Socijs Religiosis* clàm *Aberdoniam* appulit, ut *Boreales Scotos* sollicitaret ad studium *Romanæ Religionis*. Urbani Cives, intenti ne quis occultus Nuntius ad Proceres Conjuratos penetraret, ex eo numero duos in vincula conjecerunt. *Gordonius* cum Scrinijs, literis, & Cæteris, ad Populares Conjurationis evasit, docuitque Casum. *Angusius, Errolius, Boningtonus Comarchus*, magno Clientum agmine *Aberdoniam* advolant, dedi sibi Captivos postulant; Ni præstaretur, Cædes, Incendia, aliaque belli facinora minantur. Cives temeritate inani haud facilè impelluntur. *Gordoniorum* quoque lectæ Equitum turmæ, cum *Huntileo* superveniunt; tunc Cædis ac Incendij terrore, & Minis perculsi, & Munitionibus urbis, superante Hostium multitudine, diffidentes, Captivos Proceribus dedunt. Hic Casus *Pontificijs* addidit animos; Instauratoribus plurimum pavoris indidit. Hujus facinoris Fama celeriter ad *Regem*, *Edinburgi* perfertur. redit in *Pontificios Proceres* vulgi Invidia. Perterriti *Ministri Regem* circumsistunt, & obsecrant, ut *Ecclesiæ* securitati, Paci ac Tranquillitati Regni consuleret; daret *ultionis exemplum*: quorum ille Precibus permotus, & Promissorum memor, *Senatum* ob hanc Causam festinanter cogit. & ex ejus sententiâ mandat, ut *Argathelius*, *Atholius*, *Forbosius*, ob proprias Simultates *Huntileo* infesti, Clientum, Amicorum & Affinium Dilectum habeant; Conjuratos Proceres ferro, & flammâ persequantur; sese, post *Pompam Natalium* cum magno Exercitu in *Septentrionem* secuturum.

Inter quæ *Dies Lustricus*, Legatorum adventu è *Franciâ*, *Angliâ*, & *Belgio*, frequentiâ maximâ Procerum, ac omnis generis hominum, ingenti paratu, & antè illum diem insolito, celebratus est. Omnia Solennia ac Justa Natalium, summa cum Ceremoniâ, sunt servata; nec Ludorum, nec Epularum modus. *Sterlini* in Regiâ, incredibili Regum voluptate, Externorum Principum gratulatione, omnia perstrepebant; eâ Magnificentiâ, quam verbis ornare magis, quàm augere possum. *Suffexiæ Comes*, genere Illustri, qui *Elizabethæ* vices obibat, Infantem, Paludamento opertum, sinu gestabat. Prestò fuère cæteri Legati, & Nobilissimi Proceres, Ministeria circumdantes; & cuncta Principalis fortunæ Ornamenta. Mox à *Davide Cuningamio*, *Aberdoniano Episcopo*, Sacra operante singulari Sanctitate, Plebe admodum lætâ, *Sacro Fonte oblutus est*, & *Henrici Frederici* Nomen impositum. Simplice Augustioreque Nomine posteà *Henricus* nuncupatus. Die proximo solenni Pompæ, *Legati* Donis, Muneribusque contendebant. *Batavi* tantum donis datis effecerant, ut *Licentiam, libertatemque Piscandi, pro Arbitrio, in Oceano Scotico*, Diplomate publico impetrarent. quod Initium futuræ Potentiæ; quippe datâ Potestate, singulis Annis in nostra Maria navigarunt; ibique quos capiunt Pisces partim Sale condiunt, partim Vento siccant; ex ijs divenditis immensam pecuniam conficiunt; unde stipendia Militibus soluunt, Naves fabricant, quæstuosam Mercaturam per universam *Europam* exercent, ac magnam Victus partem comparant. Non piget revocare in Memoriam *beneficia oblivíscentibus*; summumque Maris Imperium, Navium fiduciâ, sibi superbè vendicantibus. *Legatis* manentibus ædes liberæ, & honorata Mensa, publicâ Magnificientiâ, decreta. Digredientibus gratiæ actæ, & Munera data. Cura omnis alendi, custodiendique Principis, *Marrio* publicè mandatur. daturque Rector Pueritiæ *David Moranius Abrecarnius*, Virtute animi, fideque insignis. Nutrimentorum locus *Sterlinum*. Dehine, horum consilijs, Pueritiam, Adolescentiamque per omnem honestarum Artium cultum, tum Belli tum Pacis, ad spem futuri Principatus, transegit; & summum Virtutis, Ingenij, ac humanitatis specimen præbuit.

Natalitijs peractis, *Rex* Pervicaciâ, ac Vesaniâ *Huntilei* & *Errolij* graviter offensus, nec Fastum superbientium ultrà ferens, Expeditionem in *Septentrionem* destinat; *Argathelia Comitem*, admodum Juvenem, cum Vicariâ Potestate præmittit; Ipse mox majoribus Copijs subsecuturus, ut res *Septentrionis* spectaret, componeretque. *Argathelius* discors *Huntileo*, ob cædem *Moranij*, comparato exercitu *Octo millium* è Propinquis, & Clientibus suis, per *Locbabriæ*, & *Badenachiæ* solitudines, & Montes propè Niveos, summo Clientum labore, ad fines *Gordoniorum* pervenit. *Rothmajam*, *Huntilei* Arcem obsidione cinxit; quam Obsessi Saxis, Sudibus, Missilibusque tuebantur. Ille, ubi relictos Præsidij causâ obstinatos ad resistendum cernebat, re infecta discessit: & depopulatus Agrestium Vicos,

Inconditam

Inconditam Multitudinem disjecit, ac in Solitudines confugere coegit. Contemptus hostium, & indè 1594.
Negligentia apud *Argathelianos* oritur; qui Prædæ cupidine, latius vagabantur. *Huntileus*, tanto Apparatu, & adventu *Argathelij* audito, ipse *Elgina*, in Moraviâ permanens, Copias contrahit: *Errelium* ex *Angusiâ*, in Auxilium evocat; Montanis opem implorantibus provisum Præsidinm ostentat. Interim *Errelius* non solum excelsi animi, pectorisque dotibus, sed etiam Corporis viribus præstans, cum *Quadringentis* delectis Equitibus occurrit, conjunctis Copijs Equestribus, Peditum Cohortibus, & Montanorum Auxilijs, de summâ rerum in communi consulunt: ad visendas hostium stationes, expeditos Equites excurrere jubent; repentè qui exploratum exierant, referunt *Argathelianos* in Campis *Archinduuensibus*, ad radices *Glenlevitani* Collis, consedisse securos, somno stratos, aut vescentes sub umbrâ; & Belli munia negligentius agentes. His relatis, *Errelius*, penes quem summa belli erat, suos nnmero longè impares, Arma capere & præstò esse jubet; silentique profectus Agmine, ad *Glenlevitum* pervenit. Conspecto hoste, *Huntileum* adit, & sibi esse in animo edocet Euentum Pugnæ tentare. Ille hostium multitudinem contemplatus, differendum in præsentiâ Prælium, atque exspectanda Sociorum Auxilia suasit. Verum *Errelius* contrà disseruit, Moram ipsis penitiosam, hosti salutarem fore, si *Forbosij* se conjungerent: & in Proposito pertinacissimè perseveravit, ægrè consentiente *Huntileo*, quippè qui *Mille quingentis Equitibus, cum Octo millibus Peditum* pugnaturum se cerneret; ac Victoriam *fortunæ*, Exitium Audaciæ tribuendum censeret. *Errelius* instruendæ Aciei intentus, armatos præsidij causâ circumstantes bono animo esse jussit, ac de Victoriâ benè sperare: Ipsa verba subijciam; Nam, *quantum nos hostes Numero*, inquit, *tantum Nos Illos animorum robore, ac Causæ Aequitate superamus. Illi tumultuarijs Populationibus, & Latrocinijs assueti, rapiunt, spoliant, Prædasque abigunt; nec ullâ Militari disciplinâ imbuti, in stationibus solutè ac negligenter agunt. Nos Naturâ, Disciplinâque nostrâ instructi, multis laboribus, periculisque functi, experiendo didicimus; aut vincendum fortiter, aut gloriosè moriendum esse. Quare Pollutis sacris, eversisque Aris, quid aliud superest, quàm ut Catholica Religio penitùs extinguatur; nisi Christi inprimis, Cælitumque favor periculum avertat; ac Fortitudo vestra protegat.* Hæc ubi locutus est, Mox in hostes ducit: duo Tormenta Aenea in adversam Aciem displodi jussit; & stragem horribilem, Cædemque in confertâ Multitudine edidit; tum Ipse Princeps inter *quinquentos* Equites equo insigni, primum hostium Agmen invasit. Nec mora prælio, spatso toto Campo. *Argatheliani*, fragore Tormentorum ad Arma, & Ordines trepidantes concurrunt. *Mac-Lenius*, *Æbudanus*, *Regulus*, ferox, & Armis exercitus, omnibus in fronte Copijs Dux præpositus, obviam ei progreditur, qui occupato Colle, incautè subeuntes Equitum Turmas excipit. *Trecenti equi* cæsi; ipse *Errelius*, pugnam impigrè ciens, Sagittâ vulneratur. dein major vis ingruit. Cæteri *Gordonij*, *Huntileo* duce, integri succedunt, ac in hostem magno impetu feruntur. Atrox ibi cædes; *Mac-lenius* impar ardori hostium, inclinatam *Argathelianorum* Aciem diu fortiter sustinuit; sed primi homines inconditi, ac Militiæ nescij, terrore perculsi fugam capessunt; & suo pavore reliquam Aciem turbant. Postremi priorum Clade perterriti, retrò cesserunt: Fortiores, turbâ, & tumultu suorum abrepti. *Argathelius*, postquam, neque monendo, neque castigando Metum, inconditos homines continere potuit, Ipse fugam capessere est coactus. In hâc Pugnâ ex *Argathelianis* desiderati *Quingenti*; & nemo Illustrior nisi *Lochinzelius*, cum fratre. Cæsi ex *Huntilianis circiter* XX, omnes Viri claritudine Natalium insignes; & in ijs *Patricius Gordonius*, *Archindunensis*, Huntilei Patruus; proindè luctuosa Victoria. Campo, belli majore ignominiâ, quàm Clade icti, per proximos Montes retrò in *Argatheliam* revertêre. Princeps eorum *Argathelius*, post infelicem pugnam, Regem in Itinere, versus *Septentrionem*, magnâ Popularium manu, & Mercenario Milite, in *Huntilei* fines accelerantem, *Taoduni* assequitur. Sed *Glenlevitanam Cladem* priùs hominum rumor, Fama denique ipsa Regi nunciavit, quam quisquam ab Exercitu Nuntius venit. Nihilominus tristes Nuntij non retardarunt, quin summâ celeritate ad id bellum proficisceretur. Decrevêre Ministri Supplicationes, pto Successu ejus, & Reditu. Cognito Regis adventu, Proceres hostes publici judicati, in Montes asperos, & incultos, cum fidissimis metn secessête; & incertis Latebris, sylvis, aut saltibus insequentes frustrati sunt. Interim Rex insistit destinatis. Post fugam Procerum, Clientes legibus aggtedi statuit. Omnes qui *Glenlevitano* Prælio interfuerunt, Perduellionis rei facti sunt. Convictis his & Confiscatis, Mercenario Militi stipendia, ex eorum Bonis persoluit: Metu magis quàm Voluntate delinquentibus, & excusare se conantibus, quod in *Gordoniorum* Clientelâ esset, gratiam fecit. ab omnibus ijs Obsides exegit, ne posteà cum hostibus publicis conjurarent. Castellorum excidijs, *Strabogei*, *Slanesia*, *& Neutoni* vacavit; quæ quia Præsidio imposito defendi nequibant, prostrata, & diruta sunt. *Rex* quanquàm impensissimis Senatus precibus revocaretur, tamen perseveravit, omnes *Boreales* in ordinem redigere.

Cum res *Septentrionis* composuisset, & Obsides accepisset, instante hyeme, post bimestre spacium, *Dimotriam*, Comitis Martialis Arcem petit, & inde *Edinburgum* Ovans regreditur; relicto, cum Vicariâ potestate *Aberdoniæ*, Ludovico Leviniæ Duce; cum *Roberto Melvino*, & *Ioanne Carmichelio*, Illustribus Equitibus, stipendiarijs Cohortibus, & magnâ Nobilium manu. *Levinius* Conventus Juridicos egit; Jus æquissimè dixit; in facinorosos quosdam animadvertit; & alios pecuniâ, aut Pecorum numero mulctavit; Præsidia in locis, hostibus finitimis, constituit; atque indè profectus *Elginam*, *Moraviæ primarium Oppidum*; ibi concurrentes Nobiles cohortatus est, ut in fide

1594. maneant, atque Perduelles magno animo persequantur. Similiter *Pontificios Proceres* literis monuit, ut inimicum in Remp: animum deponerent; Pacis & quietis causâ, Scotiâ decederent; Uxores, & libros suos, Regis Misericordiæ permitterent. Plerique concussam eorum mentem à *Levino* credidêre. His constitutis rebus à *Moraniâ* discedit, & modicis itineribus in viâ, plerunque divertens ad Nobilissimos Hospites, *Boinum*, *Baylanum*, *Finlatorem*; nec liberalius nec honorificentius tractari potuit. Posstemò *Aberdoniam* redijt, ut reliqua cum Primoribus administraret.

Cum jam *Septentriones* res commodiorem in statum summâ æquitate & Moderatione redegisset, regressus est ad Regem, properantius, quàm publica postulavit utilitas. Nam depulsi Proceres è latebris prodierunt, spe prioris fortunæ recuperandæ. Inter quæ *Bothuelius*, *Angliâ Exclusus*, mirâ inquieti animi varietate, in *Scotiam* reversus, atque aliquid movendum ratus, ad *Pontificios Proceres* se contulit; quibus se invisum sentiebat, ob diversum Religionis cultum. Et ut Amicitia, inter pretibus Amicis, jam inchoata, firmius coalesceret, in *Angusiâ*, *Huntilem*, *Angusium*, *Errelium*, *Bothuelium*, *& Catanaeum*, assumptis compluribus socijs, datâ, acceptâque fide, coeunt Societatem Periculi, Salutis, Laboris. Et quò inter se magis fidi forent, *fœdus Arcanum* faciunt, ac Jurejurando, & Syngraphâ confirmant, Nihil nisi communi Consilio acturos; eosdem omnes fortunæ Eventus, æquo animo laturos. à Primo Capite Nefarij Fœderis, usque ad extremum, reperio nihil aliud cogitatum, quàm scelerum Impunitatem, *Moraviana* Cædis oblivionem, Conscientiæ Libertatem, Pacem, & Concessionem Prædiorum. Sed homines dispari cultu Religionis, scelerum Fœdere, ac nefariâ Societate conjuncti, non diu in Fide manserunt; secessionem fecêre. *Huntileus* & *Errelius*, rerum præsentium tædio fessi, cum *Factioni Ecclesiasticorum* resistere nequirent, tempori cedunt: & *Belgium* ac *Galliam* in exilium proficiscuntur. *Angusius*, mutatis sæpè locis, se in occultum abdit. *Metellanus* Capitalis inimicus, acerbo *Epigrammate*, Ignaviam Exulum exprobravit.

Quaris cur trepidi Parmam petiêre Rebelles?
Hi opus est Parmâ, qui minùs Ense valent.

Interim *Bothuelius*, nec secundis rebus quietus, nec adversarum patiens, & metuens ne proderetur, per *Catanesiæ* solitudines, cum paucis comitibus vagatur. Ejus Fautores, & Adjutores passim conquisiti, & multi deprehensi, sceleris pœnas dederunt. Pauci in pristinum dignitatis, & Amicitiæ gradum restituti sunt. Igitur jam adversantibus Conatibus suis Proceribus, quos præcipuos fautores speraverat, suis rebus planè diffidens, execransque inquietam vitam, cum paucis Comitibus Servisque in *Angliam* concessit: ibique non pro Opinione cultus, timens *Legatos*, qui transfugam, ex lege Novissimi fœderis, continuò sibi tradi postularent, paucis post diebus, fortunâ ubique conatibus ejus adversante, clàm in *Galliam*, tutiorem Exilio locum ratus, se subduxit. ibi in *Hispaniâ*, & *Italiâ*, miseram, inopemque vitam, *Philippi Regis* pensione Annuâ diu sustinuit: In Venerem ac Libidinem projectus, multa nefanda stupra fecit, cum *Sacratis Virginibus*; ac alia audacia Facinora. Ita tandem perpetuo Exilio inhibita *Bothuelij* licentia, spes effrenata, & Resp: quieta fuit. *Relegatorum Procerum* Bona Fisco non vendicata; sed Uxoribus, ad cultum, victumque concessa. Datum id honori *Levinij*, cujus sororem *Huntileus* in Matrimonio habuit; & Precibus amicorum *Errelij*, *Angusij*, qui frequentes concurrerant, ad deprecandum. Meritò *Bothuelius*, à Puero seditiosus, haud pari Comitate tractatus; omnia ejus Rura preciosa, & opulenta Cœnobia, Inimicis usui & fructui data; *Coldingamia Humio*; *Kelsoa Roberto Caro Sesfordiensi*; *Liddalia*, *Valtero Scoto Bacleuclio*, suæ familiæ Principi. Liberis ejus pubescentibus, ad Victum, & alios Usus vitæ necessarios, vix relicta Alimenta.

Propinqua Affinitas *Valtero Scoto* cum *Bothuelio* fuit. Is *Valteri* Matrem uxorem habuit, & ex eo Matrimonio liberos. sed omnium rerum immodica Cupido inter homines, Agri, Pecuniæ, Bonotum: indè Aviditate plura amplectendi, *Bucluchius*, non subeunte animum *Germanitatis* memoriâ, fraterna Prædia, infausta dona, concupivit, & accepit. Arcta quoque Affinitas ei cum *Roberto Caro Sesfordiensi*, sororis suæ Marito intercessit, ad retinendam Amicitiam, Concordiamque. hi Amplissimâ familiâ nati Adolescentes, æquales Potentiâ, Opibus, & gloriæ studijs. *Carus* Prudentiâ, Moderationeque superior, honorem industriæ appetivit, & consecutus est, magis merito suo, quàm fortunæ beneficio. At neque *Valterus Scotus* gloriâ parum illustris; qui Præfecturam Militum, in *Belgio*, posteà obtinuit, & *Comitis dignitate* familiam suam auxit. In pari fortunâ, & spe potentiæ, Concordes de *minuendâ Marrianâ potentiâ*, & Custodiâ Principis, ac Administratione Reip: summovendo, *Metellano suadente*, præcipitia Consilia cæpêre. Neque *Comiti Marria*, prudenti, & sagaci, ad cavendum Astutiæ deerant, & ad eorum Potentiam infringendam. Sed vehementes spiritus, nascente Odio ex Aemulatione, Invidiâque, Concordes diu esse non potuerunt. Hi feroces Juvenes, ex socijs fidelibus, infesti hostes fiunt; ac multiplici comparatâ undique familiâ, ac Manu Clientum subitò collectâ, ad Gladios & Arma discurrunt. deflagrari Iræ, purgari suspiciones, & Simultates, Amicorum precibus non potuerunt. Memoriam Affinitatis aboleverant; & suas fortunas, mutuis odijs, propè in discrimen adduxerant. Sed hunc Motum sedavit *Rex*, ac Contentiones coercuit; Plurima sua commemorando beneficia, quæ eis, Decretis publicis, tribuisset.

Hic

Hic rerum Scoticarum status fuit. in Angliâ mutua inter Reginam & Iacobum Regem benevolentia, 1594. indies aucta est; qui tàm cupidè Papanos Proceres, Comitiali Authoritate condemnavit, & Exilio Res Anglica. mulctavit; quorum Culpâ, minus tranquillæ domi res fuêre. Confirmata Amicitia, Pax firma, & Inviolata, inter Reges mansit; quippe Regina Materno planè animo in Regem Scotorum fuit. quæ res omnem spem, Pontificiam Religionem in Britanniâ restituendi excussit. Quamobrem Profugi, Iniqui, atque Infideles Regno, planè deterriti, tàm tranquillo tempore aliquid apertè attentare, promovere Romanum superstitionis Cultum, aliâ viâ aggressi sunt; & de Pontificio Anglo, in Anglia Regno substituendo, clàm Consilia inire cœperunt. ut si Regina absque Prole moreretur, is velut hæres, ei Succederet. Sed Nemine (inquit Gulielmus Camdenus) Idoneo, ex eorum numero obvio, in Essexium, florentem Aetate, Gratiâ, & animi Magnitudine, oculos conjecerunt; qui à Thomâ VVordstochio, Ed: Tertij filio originem traxerat. Miror virum Doctum, & bonum, absoletum Titulum proferre, vetustate obrutum, & Papanorum fraude excogitatum; quem libens Posteris non tradiderim. Interim Liber editus, & Essexio dicatus, sub ementito Dolemani nomine, in quo Jus, Fas, æquum in discrimen vocantur. Authores, omnis Divini, humanique Juris immemores, Personius Iesuita, Alanus Cardinalis, & Franciscus Inglefillius, Exul, Jus omne Regni Anglici in Isabellam Hispani filiam transferebant; haud dubium Regis Scotorum Titulum, iniquissimè convellebant; & satis superque habebant, si Scotorum Regem, & Essexium committerent, ac Aemulationem seditiosè accenderent. Sed hunc Commentitium Titulum, & Genealogiæ deliria, diligentius pertractat Camdenus; ac confutat Audaciam Proditorum, in Sæcularibus negotijs tractandis. Essexius Dedicatione libri, & fraude Inimicorum, non incidit in suspicionem Regni appetendi, nec in Zelotypiam Iacobi Regis; quippe Sanctus, Inturbidus, Comis, & Magnificus, nihil omisit quod ad hominum Benevolentiam conciliandam, facere possit. Regnum nunquàm concupivit; Nec Inimici, & Obtrectatores, crudelitate efferati, cum criminosius accusarent, stirpem Regiam, aut Regni Cupidinem objectarunt. Non commorabor diutius in hâc Narratione, cum Librum nuper editum omnes unâ voce detestarentur; ac pro Nefario, & sceleratо habendum censerent; Authoresque impudentes, famæ, Opinionisque hominum nullam prorsus rationem habentes, improbarunt; qui, ut apud Hispanum gratiam inirent, perpetuam sibi Infamiam pepererunt.

Ut eruditi isti Profugi, Isabellam Hispanicam ad Angliæ Solium promovere enixè studuerunt; ita Alij pari crudelitate, Ferro, aut Veneno, in Elizabetham grassari statuerunt. Nondum Lopezij Venefici effugerat Insidias, cum Edmondus Gorkus, & Richardus Villiamus, Bellatores Philippo Mercede militantes, in eam Mucrones acuerunt; & in Angliam venitent, ad perpetrandum Parricidium. Qui detectâ Conjuratione, Judicio convicti, supplicio Proditorum, ad Tiburnas furcas, affecti sunt. Cum nefarij Proditores de Regina Parricidio confiterentur, Holtam Iesuitam, & Hugonem Ovenum, Authores proderent; datumque Holto Chyrographum Ibaca Hispani x L. Mille Aureorum, solvendorum statim, atque Cædes peracta esset; Circumstantes propè omnes attoniti, nefariæ Confessionis atrocitate obstupuerunt. Regina crebris Insidijs, ac Nefarijs molitionibus Profugorum irrita, Southuellium, Ignatianum, in Arcem Londinensem Misericordiâ sepositum, interfici jussit. Is moriens, adversus vim doloris induratus, apud Vulgus imperitum Constantis fiduciæ laudem tulit; magnam Pietatis, Eloquentiæque famam, apud suos, adeptus est. Cæleste Numen tot tantisque Parricidarum Molitionibus innoxium Regina caput subduxit, ac funestos Conatus Insidiatorum prævenit. Vulgus lætum gaudio, Clamoribusque cuncta miscebat. Scribebant, dictitabantque quidam Pontificij, falsa & Conficta Majestatis Crimina; ac Insontes Catholicos gravissimas pœnas immeritò luisse. Ego non dubito Scribentes primùm Erroris condemnare, deindè etiam Impudentiæ.

Boetius Bulmarus, stirpe generosâ, homo expediti ingenij, fecit Nova Opera varij generis, & Machinamentum, quo Civibus Londinensibus, per singulas domos, Aquam ex Tamesi, tubis largè suppeditavit; Venam Argenti invenit; unde tenuis fructus, nec diuturnus fuit. Nova in Remp: Merita, Posteritatis memoriâ celebranda; quæ non aliâ Mercede compensata sunt, præter hanc, Laudis & Gloriæ.

Sub idem tempus, flagranti Populi desiderio, decessit Ferdinandus Staneleus, Derbiæ Comes, stirpis Regiæ, Claritudini Majorum indole par. Vulgatum est, Veneficijs, & Devotionibus Magicis extinctum. Neque id temerè Rumore vulgi, sed assistentium Medicorum supremo Judicio, & Insoliti Cruciatus genere per omnem Valitudinem, confirmatum. Imagunculam quoque Ceream, in Cubiculo ejus repertam, haud ambiguum est. Non pauci Veneno interceptum per Circulos locuti sunt. Eo tempore fœminæ, ad quæstionem Veneficij, abreptæ; quasi per Carmina, & Fascinationes Primarium virum, domi suæ, interfecissent. Sed nihil Quæstione exprimi potuit. Igitur rem integris animis dijudicandam relinquo. Contumaciâ, & Injurijs offensum ab intimis Essexiæ Comitis amicis, & Clientibus, exituque ejus Lætatum Essexium, perstrinxit rumor. Nam ut Ambitionem Juvenilem, inter Viros propè pares Potentiâ, Opibus, Vulgi studijs, inficiari nemo poterat; ita Venenum, aut Veneficium arguere, aut objectare, sine Infamiâ nullus audebat, concusso Essexio, & domo ejus. Præsul Cestriensis, & Leam à Sacris, desperatâ Valitudine, pro dubiâ ac incertâ vitâ, Constantiam Mortis suasere: Respondit, se de futurâ, jam non hâc exiguâ vitâ cogitare, & libenter Mortem appetere. Crebris

1594. Orationibus supremum diem, sinè sollicitudine exegit: Uxorem filiasque à Complexu suo brevi Osculo dimisit, hortans ut Lachrymas abstergerent. Dedit certè Mærori solatia, Vocesque flebiles, quas penitùs animo infigerent. Ferunt qui interfuerunt supremis ejus Sermonibus, multa de Salute Animæ, & æternâ Gloriâ disseruisse: & inter Cætera, unum ejus dictum egregium referunt, non frangi se animo, propter Vitæ cupiditatem, *qua manens quotidiè Angoribus conficeret; dimissa, Molestijs omnibus, & ærumnis liberaret. Igitur nihil humanum appetere, nisi Aquila, Insignis familia sua, Alas, ut in Salvatoris sinum celeriùs avolaret, ad Contemplationem rerum Cælestium.* Corpus nudatum, & Imperiti Vulgi manibus contrectatum, tanquam *Veneno* interceptum. Extiterat quidam speculator *Philippi*, *Heiketus*, qui in familiaritatem irrepens, remotis Arbitris, crebris sermonibus instigavit *Ferdinandum* ad spes Novas; cohortatusque est, ut Ducem se *Pontificijs* partibus præberet; ostentavit, reperturum Amicos; Consociaturum *Philippum*, & Exteros; tali Consilio salutem firmaturum; terruitque periculo suo, & suspicionibus, *Regina* ob propinquitatem sanguinis. Ille intrà Officij terminos se continens, & aliquot Nobiles in Societatem Consilij assumens, in Domum, & Cubiculum trahit; ut post Aulæa abditi Testes adessent. Ac jam secretum nactus, ultrò hortatur, ut superiorem Narrationem inciperet, & Mandata deferret. Eadem ille recenset, audentius, in plurium auditu; & malignis sermonibus in *Principem* via abstinet. Inde *Ferdinandus* Proditorem vinctum ad *Reginam* misit; & Ordinem fraudis, suamque Innocentiam exposuit. Illa animadverti in eum jussit, quo facto Justum Judicium omnibus explevisse videbatur; quod Nobilissimum Virum ad exitium trahere, per Speciem arctæ Amicitiæ, cogitasset. *Regina* integram ac Placabilem se *Ferdinando* semper posteà præstitit; simul Nobilitatem *Derbiensis* domus, & ipsius gravem Casum indoluit; quia *Gulielmus* frater successor, impar gravioribus Curis, haud pari famâ, & Virtute, dignitatem Potentis Familiæ sustentaturus credebatur. Ita Amplæ & Immensæ Opes, ad improvidum Dominum pervenerunt, ac profusissimâ largitione dissipatæ sunt.

Hoc itidem Anno *Gulielmus Alanus, Cardinalis*, in Agro *Lancastrensi* natus, acri vir, ac vehementi ingenio, ac inter *Papanos* magni nominis *Theologus*, Romæ moritur; qui præpostero *Romanæ Religionis* studio, Charitatem in Patriam, & Obsequium in Principem exuit; summâ Ingratitudine ac perfidiâ, conculcatâ Numinis reverentiâ, Reginæ auctoritate spretâ, *Hispanum*, & *Pontificem* ad evertendum *Angliæ* Regnum concitavit; diris Excommunicationis in *Reginam*, Anglicè editis, motum in Patriâ, quæ illum genuerat, excitare conatus est. Nec cessavit *Papanos*, Admonitione typis editâ, ut *Hispanis* se conjungerent, ac Veterea Ceremonias restituerent. Scripsitque *Apologiam pro Seminarijs*, & eorum Alumnis; pro *Pontificijs Anglis*, pro *Gulielmo Stanelio*, qui *Daventriam Iberis* prodidit, à *Reginâ* descivit, Fidem violavit, ac Patriam perniciosis Consilijs oppugnavit; eumque omni honoris genere prosecutus est; Perfidiam suam, ac Alienam, publicis Scriptis testatus est, violati *Iuris divini, & humani*, immemor: repugnat enim apertè Dei voluntati, per Scripturas revelatæ.

Eodem hoc Anno, *Ioannes Piersius Eboracensis Archiepiscopus*, quem excellens Eruditio, & Vitæ integritas commendabant, in eâdem quâ vixerat pietate, placidè ad Deum migravit. *Regina*, *Matthæum Huttonum, Dunelmensem Episcopum* in ejus locum transtulit. Cæterum quædam tristia, ac ambigua hoc Anno acciderunt; maximi Imbres, turbidæ Procellæ, & Tempestates, tamque Continentes Pluviæ fuerunt, & Fluvij præter Consuetudinem excreverunt; ædificijsque dirutis, ac Pontibus lapideis abreptis, ingentem stragem ediderunt. *Cantabrigiæ* firmissimum Pontem, medio in Oppido, fluvius dejecit ruinæ; Naufragia, strages Arborum, ædificiorum, Turbarum futurarum Præsagia erant; omnes penè homines interpretabantur, & Prodigij loco ducebant.

Res Hibernicæ. Neque erravit hominum Conjectura. Quippe in *Vltoniâ*, *Tironius* novare res acrius cæpit, feris *Regulis* ultro concitis. *Prorex* Prætorem, & *Garnecum* Judicum Principem misit, ut explorarent statum *Vltoniæ*; *Tironium* & *O-Donellum* ad obsequium pellicerent; Vim & Arma prohiberent. Hi *Dundalkiam* profecti, & congressi, *Tironio* Pacem, *O-Donello* veniam paratam ostentant, si Turbis abstinerent. Orant ne sua, & egregia Majorum in *Reginam* merita, teterrimâ Rebellione fædarent; neu pervocarent ultrò Gentis ruinam, & Justam ultionem. Auditâ Oratione, Reguli intumuêre statim Arrogantiâ, ferociâque; & questi sunt de Consuetudinibus, & Privilegijs *Vltoniæ* paulatim abolitis; de Novis Legibus, & Magistratibus impositis; de Militum injurija; Nobilium supplicijs; de continuatione Tributorum; Avaritiâ, & superbiâ Præsidentium, & Præfectorum juris, Nobilitati Plebique juxtà intolerandâ; & cæteris servitutis malis. Responderunt mansisse se in fide, & Obsequio, donec *Proregis*, & Tribuni Militaris insidijs peterentur; mansurosque, & Imperata facturos, si retentâ Avitâ Religione, nullo novo Onere Populares premerentur. Ita utrique digrediuntur. Apocleti cum postulatis, & querelis *Vltoniensium*, *Dublinum* revertêre. *Tironius* & *O-Donellus* interiorem *Vltoniam* petivêre, ut Consilia cum Regulis sociarent, & prædicarent, quanta in perpetuum sui liberandi facultas daretur, si egregium resumendæ Libertati tempus non omitterent, cum ipsi florentes viribus, nihil validum in Exercitu *Anglorum*. Perculsus *Prorex*, improvisâ Proditione, & fraude eorum, missis literis, Postulata, & querimonias, *Reginæ* Senatuique exposuit. Ipse suppleri Legiones, augeri Equitum numerum poposcit; consultavitque, num Obsequium occultè abnuentes, & Dolum parantes vi armatâ coërceret? Ex literis patuit socordia Proregis; & Irâ Tribuni foveri bellum, *Hispanis*

non

non ingratum. Igitur adversùs Motus *Hibernici* ingruentis Minas, *Gulielmus Russelius* ex Nobilissimâ 1594. *Bedfordiensis* Comitis familiâ, *Prorex* diligitur, quod *Fitz-Villiamus*, senectute gravis, segnius Provinciam odministraret. Inter Traditionem Imperij, & Adventum successoris, *Mac-Guirus*, *Tironij* viribus clàm adjutus, & auctua Insulanorum auxilijs, Castellum *Inchkillense*, tutum Præsidio Anglorum, obsidione cingit: quia *vi* expugnore non potuit, *Fame* aggreditur; haud Ignarus paucorum dierum inesse Alimenta, Commeatum intercludit. *Prorex* cognito Obsidio, & Inopiâ frumenri, stipendijque, *Henrico Dubo*, & *Eduardo Hecberto*, Equestrio Ordinis, *Sexcentos Pedites*, ac turmam Equitum tradit, ut quàm maximis Itineribus accelerarent, ad liberandum Castellum: sed fusi, disjectique sunt; & Commeatus intercepti. Quo Successu elati *Rebelles*, bellum in *Monacham* transferunt, Præsidio *Anglorum* insessam; & proximos Pagos eorum, qui fidem ergà *Reginam* retinuerant. *Angli* impareo multitudini *Rebellium*, Castellis sese tutati sunt. Proinde plureo Reguli, *O-Dochetrus*, & *Mac-Mahons* defecêre. *Tironius* ne in sociorum periculo desidere videretur, contractio *Anglorum* Copijo, *Mac-Guiro* vagis Incursibus constanter bellum intulit. Ita *Prorogem*, fraudis ignarum, Perfidia decepit, ingenri cum Clade *Hibernia*; & infamiâ suâ. Intereà quali desperatis rebus *Anglicis*, Præsidiarias *Kilulti* & *Kilnarin* Cohortes, Centurionesque Minis pellexit; *Kernices* disciplinâ Cultuque *Anglico* Instituit; *Vltoniâque* fermè omni potitus est. auditâ mutatione *Proregis*, inter Metum & perfidiam cunctatuo est. Interim *Russelius* novas Equitum & Peditum Copias maturat in *Hiberniam* portare, Digredienti à se *Regina* dedit præcepta ordinandæ Provinciæ; Justitiam, Clementiamque, ac quietem *Hibernia* commendavit. Is properè transgressus, accepit Imperium, Exercitumque; Milites sub Signio, & Auxiliares *Hibernos*, in unum conductos lustravit, ut Corpora, & animoo labore atueret. Simul anxius, & intentus, discit à peritis, *Hibernia* statum; Rebellionem ferè torius *Vltonia*; hostea Occasionem spectare; In dies eorum numerum augeri; esse inter *O-Donelli* Auxilia *Scotos Æbudenses*; statum Regni, salutem *Vltonia* in discrimine verti, *Reginam* edocet, nisi majoribus Copijs propere subveniret. Recitotis in Senatu literis, ocissimè subveniendum censuerunt Legione *Armoricâ*, & aliâ publico sumptu conscriptâ. Monueruntque, tentare *Tironium*, si Pacta, & Permissa Delegatis servaret, illicereque Spe Impunitaris, Præmiorumque. Dein *Russelius* literis efflagitat, ut adempto jam metu infensi *Proregis*, & Tribuni *Bagnalij*, *Tironius* verbis fidem faceret, ac *Dublinum* accederet; ut de omnibus rebus præsens ageret. Ille anxius inter spem & metum, ne morando *Proregem*, hominem clarum, spectatæ fidei, offenderet, & callida Consilia præcipitaret; ac in spem adductus, sese Dolo aut Gratiâ aliquid effecturum, publicâ fide interpositâ, cum Paucis Comitibus in urbem venit. Ibi mirâ Constantiâ, pauca præsenti Consilio locutus, de Invidiâ, & Conspiratione Inimicorum, genibuo provolutus deprecatur, ne Invidiæ, Odio, aut Inimicitijs locus foret; Deum testatur venisse se cum Fide, Obsequioque ergà *Reginam*; ac pro ejus Salute, Dignitate, securitate, fidem, & Arma, usque ad vitæ terminum retenturum; *Regulos* rebellantes, vanâ spe libertatis à se flexos ad deditionem, paucis post diebus insecuturam; *Vltoniensium* primos impetus acres, tractu remporis languescere. Cur igitur conciret Regulos injurijs, & miserijs insanientes? aut in Perfidiam mutaret, ac Pacem *Hibernia* turbaret? Denique supplex oravit, ur in fidem acciperetur. *Bagnalius* Tribunus, Irâ accensus, Proditionem, perfidiam, Conscientiam Defectionis, Bellum Patriæ illatum, objectabat; Congressum, Colloquiumque occultum cum *O-Donello*, & *Mac-Guire*; Sociata Belli Consilia; & partem Prædæ, Consuetudinem victus cum *Cormacho*, fratre, *Cono*, filio ex Pellice, *Henrico Oge*, genero, & Alumnis; Post trucidatos Milites *Anglicos*, direpta Bona; abacta Pecora ex Pagis eorum, qui Obsequium *Regina* non exuerunt; Illum Auctorem defectionis; Hos Ministroa scelerum, in Oppugnatione Castelli *Inchkillensis*, ferro, fameque; Missos in subsidium Clientes; provisos Commeatus, Arma, & cætera quibus indigebant Rebelles; tentatam fidem *Regulorum*, ac Præsidiariorum Militum, Centurionumque de *Kilulto*, & Exitium corrumpi abnuentibuo paratum; Auxilia *Philippi* & *Pontificis Romani* accercita; quibusque Administris, hæc & alia destinata, quæ mox in ingens publicum malum eruptum. Variè accepta Oratio Tribuni; multi qui aderant, in Ultionem facinorum exarsêre, supplicium poscentes. *Prorex*, dignitati magis, quàm Iracundiæ consulens, ut integrum Judicium ab Odio ac Irâ ostentaret, hinc Inimicorum Minas; Illinc Amicorum preces audit: & *Tironium* objectio respondere jubet. Ille Causæ Cognitionem non abnuit; & quasi Innocentiâ fretus, profitetur *Se literis Publica fidei* renuntiaturum, si objecta probarentur *Indicibus*, *Testibus*, *aut Chirographo*. Tribuno Odium, & Calumnias exprobrat; verbo objecta, verbo inficiatur. Jubet promere apud *Proregem*, & *Senatum Indicia* communis exitij; *Literas*, aut *Mandata* ad Rebelles, *Internuntios*, *Testes*, *Administros*, quibus *Regulos* ad res novas sollicitasset. Addit dehortatum se sæpè *Rebelles* à furore, oc Vecordiâ; seposuisse à domo suâ, ac Comitatu *Fratrem*, *Filium*, *Generum*, *Alumnos*, & *Clientes* turbidos; Excubias, & labores suscepisse, pro *Regina* incolumitate, ac *Regni* salute, adversus Rebellantes. Egregium verò Pretium laborum, & effusi toties sanguinis, Carcerem, Vincula. Ita Tribunum, nullio probationibus innixum, confutavit. *Prorex* haud ignorans molem Cognitionis, integrsm Causam Senatui dijudicandam reliquit: Pauci Custodiâ attineri tali tempore, donec objecta crimina probari possint, ne quid interim moliretur; plures *fidem publicam*, quâ *Dublinum* venerat, inviolatam esse debere, censuêre. *Tironius* fidem suam interponit, & Jusjurandum, pro Observantiâ in *Reginam*; duos ex intimis Propinquis, Obsides promittit; atque Conditionibus in Dedi-

1594. tionem accipitur, quas cum *Prorege* transegit; pollicitur que iturum se in *Vltoniam*; ac potiorem *Regulorum* partem ad Reverentiam, & Obsequium retracturum; aut in perfidiâ perseverantem, puniturum. Digredientem *Prorex* monuit, ut Memoriam Sacramenti teneret; prohiberet potius ne quid moliri possent, quàm puniret Molientes; Belloque & Armis Remp: juvaret. Incredile, quantum hoc factum *Anglis* pavoris; *Rebellibus* Alacritatis attulit. Nam si in Custodiâ habitus fuisset, donec ea, quæ instaret Tempestas, præteriret, hoc terrore obstupuissent *Regulorum* animi, ab omni Novo Conatu; ac infirmum fuisset corpus sinè Capite.

Posteà deditio *Tironij*, quoque modo acta esset, Epistolis *Proregis* palàm facta est. Apud Plebem *Londini* gravis facti Invidia orta; *Regina* Iræ, & doloris signa miscuit; rescripsitque dolere se *Tironium* vicinos Regulos impunè corrupisse; Plebem ad seditionem concivisse. Graves Conjurationes, & occulta *Majestatis Crimina*, quia statim probari non possent, idcò continuo falsa non esse: Suspectum in Custodiâ habendum fuisse, donec Socij Conjurationis, diversi interrogarentur: Si Congruentia in Circumstantijs responderent, sic extingui repentem Perfidiam potuisse. Addidit, simulatam Fidem, & Obsequlum, tantummodo ut belli Moram redimeret; Rebellionem mox acrius erupturam. Nec fefellit *Tironij* inclinatio; qui omissâ dissimulatione, & abjectâ Sacramenti Memoriâ, ad Vim transgressus, hostilem animum palàm induit, nec ullâ Belli Occasione abstinet; Regulos, quos idoneos rebatur, conscientiâ Scelerum obstringit; universam propè *Vltoniam* in arma rapit, excitatque ad Prædam & flammam: Sine Morâ consultandi, *Monacham, Anglorum in Vltoniâ Coloniam*, ut Jugum Servitutis, invadit, detrudendi *Bagnalij* causâ. Nec præviderant impetum hostium Milites dispersi; nec Prædantes effusius adorti sunt, debilitatis, ac propè fractis *Anglorum* in hoc Comitatu viribus. Prædatoriâ manu *Brenniam* Provinciam incursat, ac latè vastat; *Cavan* Oppidum capit, & diripit; Agros eorum, qui obsequium in *Reginam* non exuerant, ferro & flammâ depopulatur: adversantibus Regulis bellum infert, ut terrorem hostibus, suisque Spem ex Victoriâ faceret; Munimentum *Anglorum*, conatibus opportunum, ad Ripam *Nigri fluminis* intercipit, non sinè Infamiâ Præsidiariorum. Cuncta quæ *Anglis* adversa acciderunt, non tam hostium Virtute, quam fraude & Astu evenêre. Ubi metus abscessit, apparuit, non Benevolentiâ intrà Officij terminos contineri *Hibernos*. quippe *Vltonienses* resumunt arma, Instituta, Cultumque Patrium; mirâ diversitate; Plebs, spe libertatis; *Reguli*, cupidine Imperij, ac dominationis, ut Avaritiam spolijs Agrestium, ac variâ prædandi Arte, explerent. Vi coerceri poterant Rebelles, si hinc *Prorex*, inde *Mariscallus*, ex improviso Medios clausisset.

Nec cæteræ Provinciæ quiescebant. *Feachus Mac-Hugh*, Naturâ, & moribus barbarus, adscitis Clientibus, subitam per *Lageniam* Rebellionem moverat, pervastatis passim Agris. *Prorex* turbatus seditione Regulorum, primum in *Vltoniam, Mac-Guirumque* bellum parat; contractisque Legionibus expeditis, non opinantibus hostibus, ad *Inchkyllinum* obsidione liberandum, citato Agmine contendit; *Rebelles* Consilio & viribus impares, in fugam vertit; Commeatum Obsessis intulit; additisque Cohortibus Præsidium firmavit. Deinde Expeditionem in *Lageniam*, adversus *Feachum Mac-Hugh* suscepit; ac vagum hostem, fusum, fugatumque, in præruptas Valles exturbavit; Inde latitantem, trepidantemque expeditæ Cohortes insecutæ, per latebras, & Solitudines indagarunt; multos Comites, Clientesque interfecerunt. Præcisa eorum Capita, gentili more, ad *Proregem* indies miserunt, ut gratiam apud eum inirent. Conjugem quoque ejus, virilis animi fæminam ceperunt; quam Igni adjudicatam, *Regina* justo metu liberavit, ac inviolatam dimisit; miserta Sexus, & dignitatis. Maritus latebris, aut Sylvis se præsenti periculo eripuit; & perfidiam usquè ad perniciem suam continuavit.

Interim in *Vltoniâ* Castellum *Monacha*, *Mac-Guirus* & *Mac-Mahonus* arctâ Obsidione cinxerant, Præsidiumque ad ultimum Inopiæ adduxerant. Quod ubi *Prorex* comperit, *Bagnalium* eò celerius misit; qui fugatis Rebellibus, Obsessos periculo eximit, novoque Præsidio, ac Commeatu Castellum firmavit; & crebris excursibus, Latrocinandi cupidine, hostes ingenio feroces, passim per Agros palantes exagitavit. dum *Angli* parant bellum, consultantque, *Prorex Tironio* denuntiat, ut Certamen juris cum *Bagnalio Mariscallo*, non vim quæreret; & de Controversijs eorum se ex æquo cogniturum dixit. Jussit etiam, ut ab injurijs abstineret; fidem & Obsequium coleret; Regulorum querimonias deferret; ad se veniret; & fidem suam, certissimum Salutis pignus, acciperet. Ille in tanto discrimine lentius agere cæpit, & tergiversari, quasi sibi à *Bagnalio* metueret. Mox Obsequij oblitus, de Inducijs, ac Pace, pactiones interponere, in summa frustrari perstitit. *Prorex* cognitâ callíditate hominis, totum in *Vltoniam*, *Tironiumque* vertere bellum intendit. Literas igitur, Nuntiosque in *Angliam* præmisit, ut ille, cæterique *Reguli*, molientes contrà *Reginam* bellum, hostes publici denuntiarentur; cum Vim quæri, non disceptationem Juris appareret.

Res externa. Hoc Anno *Mauritius* in *Belgio*, liberatâ *Coverdâ*, *Groningam* urbem multitudine Civium, & omni bellico apparatu instructam, sitam in Planicie limosâ, stagnantibus aquis, obsidet; trabes incutit; validosque Asseres promovet, ut Milites tabulatis superstantes præliarentur; Fossas, & Aggeres jacit; Turres extruit, aliaque quæ Obsidioni usui forent cuncta parat. *Gulielmus Nassovius*, *Aunardzellam*, proximam hostium Munitionem, admotis scalis expugnavit. Præsidiarij, abjectis armis, vitam

& incolu-

& incolumitatem suppliciter petivêre. permotus pervicaciâ eorum, & Contumeliâ in respondendo, 1594.
Feciali dixit *Nassovius*, extremum supplicium meritos. neque Misericordiâ adversus Supplices usus est, sed omnes Armatos promiscuè interfecit. Hujus facti metu perculsi plerique Centuriones *Iberorum*, Munitiones, quas ubi defenderent, acceperant, *Mauritio* dedidêre. Captis Munimentis, & perfectis operibus, Oppugnatores Mænia pluribus simul locis aggrediuntur; & terribili Machinarum sonitu, majori metu quam damno, Muros quatiunt; Faces ardentes, Globos, & Missilem ignem in urbem jaculantur; ædificia incendunt. Obsessi, collectis animis, pari Tormentorum stridore fulminant; ignitos Globos, stupam Picem, reliquasque res, quibus Ignis alitur, de Muris in opera *Mauritiana* eminùs jaciunt. eruptione subitâ, & prosperâ, in stationes *Anglorum*, & *Scotorum*, cum per alias summâ vi penetrassent, primo impetu multos oppresserunt. Ibi atrox fit pugna; duo *Anglici* Duces, *Brockius* & *Vrauus*, Peritiâ, & Arte militari præstantes, sustentato diu hostium ardore, cecidêre. Postremò, irrito incæpto, fugere in urbem compelluntur. Segniores deindè eruptiones. Itaque cum apertâ vi parum procederet *Mauritius*, Cuniculos occultos agere instituit, ut intùs Muros, & Propugnacula subrueret. Jam Tormentis murus quatiebatur, & magna pars prostrata. Igitur Oppidani, præferoces initio, & insolentes, ab *Ernesto*, & *Fontano* destituti, postquam Machinamenta, & fortuita belli cernerent, & nullum propinquum Auxilium, æquas Deditionis Conditiones, aut saltem tolerandas, petierunt. Sed spes dedendæ urbis mox deindè turbata. Tumultu orto, intromissus *Verdugo* cum *quinque Cohortibus Hispanicis*; intentiusque ab illo urbs defendebatur, & difficilior facta expugnatio. Hæc res aliquandiu Obsessorum animos sustinuit. *Mauritius* irritus, Machinis, Operibus, Cuniculis, & cæteris belli instrumentis instat: Principuum urbis Propugnaculum Cuniculis suffossum, & Nitrato Pulvere repletum, veterani ducis artibus, simulato impetu aggreditur. Oppidani aperti, incautique protegendo Propugnaculo concurrunt, & tela obruendis hostibus expediunt. *Mauritiani*, quasi pulsi, trepidè se recipiunt. repentè, signo dato, Cuniculus ingenti pavore ac fragore accenditur. Multi obruti, plures exsangues, & laceri, turbine igneo, dissipati; passim Arma, Cadavera, & Trunci, aut ambusti artus. Tum verò Desperatio obstinatiores coegit Deditionis consilium capere. *Verdugo* abducit indè Milites, quos, Præsidij causâ, nuper adduxerat. quare Obsessi pavidi, ne jam subrutis Muris, patefacta in urbem via esset, desperato Subsidio, misso Caduceatore, Deditionem Pacto salutis, & Bonorum, *Mauritio* pollicentur, si rursùs interpellaret. Ille priorem fraudem, & dolum objectans, acerbum *Verdugonem*, respondet, non ultrà interpellaturum, nec de Deditione agentes nisi in Castris auditurum; in hoc ijs gratificari, quod, acceptâ fide, colloqui liceret. Perculsi Obsessi ferociâ Responsi, Machinis, & Mole operum, ac graviora metuentes, Delegatos miserunt, cum Mandatis, ut qualescunque Conditiones referrent: & Portas aperuerunt. Deditione factâ, Præsidiarij sine fraude dimissi, hâc lege, ne *Philippo* intrà tres Menses in *Frisiâ* militarent. Cives inviolati fuêre. Nihil præterea factum, violatumve. *Mauritius* ingressus urbem, recentes ruinas prespexit; magna admiratio Viri, & fama fuit; Vulgus omnia honorum vocabula accumulavit. Profectus *Groningâ*, tradidit Custodiam ubis, & vicinæ Regionis, *Gulielmo Nassovio*, Consanguineo suo. Ipse *Hagam* redijt.

Inter hæc, *Ernestus Archidux Austriæ*, rebus *Belgij* componendis intentus, dignum Majestate suâ ratus est, post tot atrocia Prælia, Exercituum clades, Captivitates urbium, aut Eversiones, *Fœderatos* ad Pacis studium, & *Philippi* Regis Obsequium retrahere. Recitatæ in Concilio Ordinum *Ernesti* molestæ Epistolæ, Gloriam, Vim, fortunamque *Austriacæ domus*, Bona Pacis, Intestini belli incommoda, ac dubia discrimina, dirempta opulenta Commercia *Hispaniæ*, *Lusitaniæ*, *Indiæ*, desferentes; *Belgij* Pacem, Salutem, Securitatemque sibi cordi esse; monentesque ut Pacem colerent; abruptam Contumaciam, in perniciem erupturam, exuerent; Reverentiam, cum Securitate resumerent. Auditis *Ernesti* literis; & Mandatis Jurisconsultorum *Othonis Hartij*, ac *Hieronymi Comansi*, Concordiam Pacemque partim Consilio, partim precibus suadentium, Delegati Ordinum Conditiones Pacis abnuentes; responderunt; *Belgas* Violentiâ, atque Crudelitate *Iberorum*, miseræ Servitutis Jugo pressos, dominantium Avaritiam, & sævitiam, per Observantiam, & Reverentiam effugere non potuisse, proindè Publico Gentis Consilio, permultos Annos Libertatem usurpasse; & benignitate Numinis, injustam Tyrannidem cervicibus depulisse; pro *Libertate, legibus, & Immunitatibus*, Novissimum spiritum, per Decus ac Virtutem, effundere paratos. Si *Philippus*, *Belgij* Imperium invaderet, & asseret rursus in Servitutem, non Ipsis, non Socijs, non denique Conjugibus, aut Liberis Securitatem fore, à Ruptoribus, cuncta vastantibus. Dimissi cum honore *invisæ Pacis Internuntij*. rescriptum *Ernesto*; haud facilè *Libertatem* degustantes, & Servitutis oblitos, Communes dominos recipere. Pulsum jampridem è *Bataviâ* Servitium; *Pacem* falsò vocari, *ludibria*, *Contumelias hostium*, *Occidendi licentiam Innocentium*, *Cædibus*, *Incendijs luctuosissimis*, *fœdissimisque*. Diremptum Concordiæ Colloquium cum *Iberis*, probrosâ perfidiâ toties decipientibus. *Austriacæ Domus* decus penes *Imperatorem*, fratresque; *Philippum*, summi *Imperatoris*, *Caroli Quinti*, Patris claritudinem, & egregiæ Familiæ honores, polluisse. Se spe *Libertatis* captâ, Arma usque ad supremum Spiritum retenturos; Proindè mentionem Pacis non ageret. Hæ literæ Materiam sermonibus præbuêre. Vulgus annotavit, Omnes Legitimum Imperium aspernantes, ista vocabula usurpare.

Interim

1594. Interim in *Franciâ*, Rex, languente paulatim seditione, atque discordiâ Civili, & traductis ad se multis Claris, ac potentibus viris, in Oppido *Carnutum* inauguratur. Omnes Provincias, Civitatesque facit de suâ *Inauguratione* certiores; Nutantes ac dubias magnis præmijs, pollicitationibusque propositis pellicit; Obstinatis ferrum flammamque atrociter minitatur; *Populo* Pacem; Conjuratis *Proceribus* Veniam; & beneficia à Superioribus concessa, *Principibus* offert, si Pervicaciam opportuno Obsequio mutarent: Si quid ultrà molirentur, paratam Ultionem ostentat. Inter Populum sermones orti de *Regiâ Mansuetudine*, *Conversione ad fidem Catholicam*, *summo Obsequio ergà sedem Apostolicam*; cohortantes se mutuo ne Inimicis ejus, adversarijsque dicto audientes essent. Populus non dubitavit sententiam de salute suâ dignam dicere; non provocandum Rebellione, & Contumaciâ ultrà Exitium; ac Ruinam, reverentiâ *Regij* Nominis prævenire statuit. Illustriores *Proceres*, & Obstinatiores, tædio malorum fessi, ac dolentes, se *Religionis* specie, & *Lotharingica* gentis rabie, in feralia arma trusos, resipiscere; Fas, & Fidem respicere incipiunt; & honestius legitimo *Principi*, quam externæ *Hispanorum* dominationi parere ducunt. Nam quo Fervore incæpit, eodem defecit *Fœderatorum factio*. Et ex *Rebellibus urbibus* aliæ deditæ, aliæ ex improviso interceptæ. *Balognius*, *dynasta Cameracensis*, ad Obsequium redit; & deditione *Cameraci* Pœnitentiam testatur: Similiter *Villarius*, *Rotomagi*, & Circumjectarum Urbium; *Esbonius*, *Mainij* frater, Matre genitus eâdem, *Angustoriti* in *Pictonibus* Traditione, coactos se insanire fatentur. pro quibus Meritis largè gratia relata, & Militaris dignitas aucta. *Villarius* non plus boni jam meritus, quàm malè antè, cum adversus *Regem*, *Rotomagum* egregiè defenderet. Paucis post diebus, *Morini*, *Veromandni*, *Ambiani*, *Bellonacenses*, *Pictones*, *Vascones*, eorumque *Rebelles Civitates*, in Deditionem acceptæ. Minores, Cæterarum exemplum festinanter secutæ, se spontè *Regi* prodiderunt. Quantus furor, & impetus seditiosæ factionis ad Insaniam impulit, tanta Moderatio ad Sanitatem reduxit. Ipsa *Lutetia Regia Urbs*, spem deditionis habere cæpit; sed Custodijs *Hispanorum* impediebatur, quo minus id fine periculo faceret. Atque hujus deditionis ipse *Brissacus*, Præfectus urbis, Author fuit; qui datâ facultate, *Regem* monuit ut ad Urbem, cum Copijs, accederet, quo tutius, & fine periculo, dedere posset. *Rex* celerius Itinere nocte confecto, ad *Fanum Dionysij*, cum expeditis Turmis, & Cohortibus pervenit; & primâ luce, ingenti cum Civium plausu, *Lutetiam* ingreditur; & à *Brissaco* honorificè excipitur; qui collaudatur à *Rege*, Muneribusque donatur. Quod ubi *legiones Batica* animadverterunt, Metu ac terrore perculsæ sunt. *Feria Dux*, qui Urbi præerat, cum Præsidiarijs *Hispanis*, & impedimentis demittitur. Intorquentur in discedentes gravissimæ Contumeliæ. Excusso *Batica* servitutis Jugo, *Senatusconsulto* abrogantur *Decreta omnia*, & crudelissima Edicta, à *fœderatis* insanis, & *Sedecim Tyrannis* sancita, in *Henrici tertij* Ignominiam, aut *Henrici quarti* Contumeliam; & ex Publicis *Tabulis* eradi jubentur. *Ducis Meduanij* Præfectum, Seu *Vicaria Potestas*, perpetuo Edicto aboletur; pronuntiaturque Capitale fore, si quis ut *Vicario Regni*, posteà obtemperaret. Rex per Præconem rerum prætentarum Veniam Civibus pronuntiavit; *Brissacum* summâ Præfecturâ *Mariscalli Franciæ* ornavit; Mandata dedit *Decurioni Mercatorum*, & *Aedilibus*, ut Civitatis, & Civium incolumitati, ac Publicæ *Regni* quieti prospicerent. *Meduanium*, & Propinquos Proceres *Lotharingici* Stemmatis, monuit, ut absisterent Armis, impetrabili adhuc Veniâ, si *Rebellionis* pæniteret. Is nimium pertinaciter *Regi* infensus, solutâ fœderis Compage, & revertentibus indies ad Obsequium *Fœderatis*, Contumaciâ suâ aluit bellum triste, & turbulentum; & ratus est, se posse *Henricum*, domestici belli extinctorem, hostiumque externorum Domitorem, affligere. Verum inexpiabilem sibi Invidiam hinc maximè conflavit. Auxilium sibi, Reique publicæ, efflagitatum *Bruxellas* petit. Sed *Belgæ* incursu *Batavorum* vexati, juvare non poterant. Indè in *Burgundiam* concessit, fidens Provinciæ, quam diuturno Imperio tenuerat; & cujus Civitates societatem *fœderis* non exuerant. Cæteræ ferè *Galliarum* à Contumaciâ ad Obsequium traductæ; Reip: amore, Reverentiam, fidemque resumpsêre. nisi paucæ in *Picardiâ*, fretæ *Philippi* Regis auxilio. Intereà *Lotharingiæ Dux*, domui *Meduanij* per Cognationem innexus; *Guisius* potentissimus Competitor, ut infamiam *Affectati Regij Nominis* discuteret; & fratres, ne ultimi posuisse Arma viderentur, in partes *Regis* transgressi sunt. honesto Propinquorum transfugio perculsus *Meduanius*, renovatâ belli curâ in *Burgundiâ*, & sui Exercitus Reliquijs collectis, refecit Milites, ac in Castella, Munitionesque distribuit. Sibi suisque rebus timens, rursus in *Belgiam* mittit, Auxilium oratum, in tot & tantisque Angustijs.

Rex *Hispaniæ* literis certior factus, tam atrox dissidium honestâ tranquillitate paulatim extingui, ad alendum Civile *Bellum* in *Franciâ*, animum rursus appulit; & per Emissarios suos, Turbines excitavit. *Carolus Mansfeildius*, *Belgij* Provincijs relictis in prædam hostium, & comparatis magnis Equitum, Peditumque Copijs, omnium spe celerius, in *Picardia* fines induxit *Belgarum* Exercitum: & Castris positis *Capellam* urbem Obsidere cæpit; Fossâ Valloque Castra cinxit, ut aditum intercluderet Auxilijs. Quâ re cognitâ, *Rex* animi Magnitudine, Industriâque præditus, suis finibus, Opidisque subsidio ire contendit; & propiùs Hostium Castra, Copias suas admovet, cupiens ferre Opem Obsessis. Sed egregias Munitiones Castrorum, & *Valli*, *Fossarumque* altitudinem contemplatus, se cruentam adepturum Victoriam existimat, si oppugnare, ac vi irrumpere conaretur. Itaque *Landunum*, Bætico Præsidio infessum obsedit; ut Hostem ab incæpto averteret. Obsidio interim à *Mansfeldio* acriter continuata, Opidanos, Præsidiumque ad deditionem adduxit.

Nec segnior

Nec segnior *Landuni* oppugnatio fuit, Rege impigrè rem gerente. *Mansfeildius* certior factus, Urbem Alimentorum inopiâ premi, & in ultimo discrimine esse, nisi celeriter subveniret; cum palàm Commeatum importare nequiret, ne clàm importandi spes esset, interceptis & fusis toties Auxilijs, festinat ad Opem ferendam per devios tramites, ac Avia Sylvarum. *Bironius Marescallus*, Consilio hostium cognito, haud procul *Landuno*, Insidias in Sylvâ *S: Lamberti* disponit, quâ accessuri essent ad urbem. *Iberi* in mediâ sylvâ fraudem hostilem, & Insidias detegunt, ac imperterriti congrediuntur, Glandes fundunt, turbantque Insidiatores. *Bironius* cum Auxilijs *Sclopetariorum*, Equitumque levis Armaturæ, accurrit; fit Prælium atrox, & Anceps, pari damno, & dubio exitu, utrinque fortissimè decertatur. *Bironius*, & *Gallici* Proceres in tam iniquo loco equis descendunt, cum nullum viderent eorum usum; magis, magisque instant. *Ginrius* laborantibus suis se adjungit; & impetu magno in transversos Hostes incurrit. Hoc tumultu *Helvetiorum* quoque *Manipuli* subeunt; *Hispani* pauci, Multitudine hostium defessi, paulatim cedere coacti sunt: tandem hostium Vi, ac Metu fugati, pulsi, perterriti terga vertere. Et jam ne Fugæ quidem patebat locus; nam stationes *Gallorum* undiquè insederant Itinere. Cæsi igitur *Hispani Mille Octingenti*, capti *Trecenti*, totidemque in Vepretis latuerunt. *Mansfeildius*, interfectâ Multitudine suorum, aut captâ, recipit se *Feram*; ubi refecto Milite, per *Atrebates*, *Belgium* repetit; atque Auxilia etiam à *Meduanio* abducit. *Rex* præreptâ omni spe Auxilij, & Commeatuum, Obsidionem acrius urget. *Ginrius* strenuus dux, & audax, ad pericula capessenda in Vallo obambulans, glande trajectus, læthaliter vulneratur. *Rex*, Nobilitas, Præfecti, Tribuni, Centuriones, Officiales, Militesque omnes illius Mortem luxerunt. Nec diu post de Conditionibus agi cæptum est: ut *Præsidiarij* opido excederent; Itaque traderent, cum Tormentis, Pulvere, Bellicisque Armamentis. Quo metu perculsæ cæteræ Finitimæ urbes, Præsidio imposito, Imperium accepêre; Item Municipia, Castella, & Propugnacula, *jugo Batico* se sponte subduaerunt; & ad Fidem, ac Obsequium redierunt.

Henricus, Procerum suorum, Civiumque in se firmatis animis, *Præsidis Brissoni* indignam Necem, publico Judicio Senatus *Parisiensis*, acerrimè vindicavit; & cætera XVI *Tyrannorum* inhumana Scelera, Incendia, Latrocinia, acerbo supplicio, aut Exilio ultus est. Rebus omnibus Provinciæ, & finitimarum Urbium constitutis, *Lutetiam* repetit, turbatus Nuncijs de *seditione Ignatianorum*; qui tacitâ Cupiditate corrupti, ubi cuncta *Regi* prospera evenêre, furentes, cunctaque rursus ferociâ Verborum in *Concionibus* miscentes, *fœderatos* in Turbas & Arma retrahere pertinacissimè conabantur; Contumelias, & Probra in *Regem* effundebant; neque alium finem Malorum rebantur, quàm si illum *Vi* aut *Fraude* tollerent. Mox apud *Morinos*, *Veromanduosque* compositis rebus, *Lutetiam* Ovans ingreditur; ubi recidit rursus in discrimen aliud.

Ex *Plebe Parisiensi* quidam *Ioannes Castellaus*, ferociâ ætatis, & pravis Consultoribus impulsus, Ferro intrà Vestem abdito, consertissimæ Turbæ salutantium immiscet se; & *Regis*, *inclinantis dum Supplicantes Proceres allevat*, *Ingulum Cultro petit*; & Fortunæ beneficio, incerto Ictu, pro Faucibus, *Os vulnerat*, *duosque dentes excutit*. *Sicarius* statim retrò sese in Turbam conijcit. *Rex* simul Irâ incensus, improvisoque Periculo conterritus, evadentem per trepidam Turbam comprehendi jubet. Compressâ paulatim Trepidatione, haud ambiguus. Percussor, *Cruentum Cultellum adhuc tenens deprehensus est*; retractus ad *Regem*, interrogatusque, suum Illud facinus profitetur. Cum velut alienato à sensu animo videretur nimiâ ferociâ, *Rex* liberum, Intactum, Inviolatumque dimitti jussit. Sed ubi intellexit *Iesuitarum Alumnum*, ad scelus & flagitium in Illorum *Scholâ*, Corruptelarum omnis generis Officinâ, imbutum, inter Pudorem & Iram contatus, inquiri imperat, *Si id suasissent*. Interim vulgato *Regis* discrimine, læta *Proceribus*, celebrata Vulgi plausu ejus salus; Rerum Capitalium Quæsitori non sine curâ fuit. Urgetur, Interrogaturque *Parricida*, quomodò nullâ Injuriâ provocatus, gravissimum in *Principem* scelus attentasset? quibus Consultoribus tàm atrox facinus suscepisset? properè fassus est, *Religionis* se causâ, scelus suscepisse; *hoc unum dolere*, *quod in tam præclaro Conatu Manus errasset*, *cum Ingulum appetere Mens destinasset*. Et Intestabilis *Sicarius* incusat ultrò Errorem suum; postulatusque unde esset? & ubi Literis ac Moribus institutus? Adolescentem *Parisiensem* se ait; Parrem *Petrum Castellaum*; & jam Triennio, apud *Ignatianos*, humanioribus Disciplinis imbutum; Paucis antè diebus, à Patre *Castellao*, ad *Gueretum Iesuitam* deductum, ut Conscientiæ labem Religione eximeret, exoneraretque; quia Scelerum suorum Magnitudine cruciatus, de salute Animæ, & Misericordiâ Numinis desperabat; Angore, & solicitudine Conscientiæ liberatum, *vovisse*, *se Egregio aliquo Facinore*, *scelera & Maleficia sua expiare*. Hinc Exitium *Principis* molitum. nec Consilium de *Rege necando* Patri aperire dubitavisse; Illum tanquam Auspicium malum detestatum, & sæpè dehortatum. Dein urgetur, interrogaturque, *Num oppressus Conscientiâ scelerum suorum*, *hoc Facinore admisso*, *Animæ salutem*, *& Peccatorum Abolitionem promerere confideret?* Respondet, *perpetrato scelere leviores subiturum pœnas*; *Infecto*, *acerbius cruciatum iri*. Rogatus, ut eâdem Fide exprimeret, ex quibus Fontibus *hæc Nova Religionis dogmata* hauserit? Et qui fuissent Impietatis duces? Respondet, *ex Placidis Philosophorum Præceptis*; *Institutisque* Gueretei, *jam Biennio*. Interrogatusque, *Num sæpius Sacrarium Meditationum intrasset*; *in quo omnia Nefanda discenda primum*, *deindè Facienda*; *ubi etiam Spectra*, *Nocturni Lemures*, *Tormenta Inferorum*, *Variaque Portenta*, *ad labefactandos Imperitorum Adolescentium animos*, *depicta ostenduntur*, *quos*, *Mente captâ*, *Conjurare*, *aut Sociare*

1594. *facinoribus cupiunt?* Reſpondit; *ſæpius eò deductum fuiſſe.* Rogatus, *quo Authore, & Suaſore, Regem tollendum decreviſſet?* Reſpondit; *In Conſilio Arcano Ieſuitarum, ſæpè audiviſſe; Cædem Regis licitam, & conceſſam; quique maturaſſet Tyrannum occidere, eum gratiam delictorum, benignitate Numinis, laturum.* Noviſſimè interrogatus, *Num apud Ignatianos increbuiſſet ſermo, fas eſſe Regem interficere?* Reſpondit; *percrebuiſſe, licere; quod Sacris, Pontificis Decreto, interdictus, Numero impiorum haberetur; & indignum Nomine Regis; aut Obſequio; donec Eccleſia reſtitueretur.* Peractâ *Quæſtione*, ſingulari curâ; *Quæſitor*, cum *Reus* Confeſſioni ſubſcripſiſſet, Magnitudinem delicti ad *Senatum Pariſienſem*, defert: Edocet, *Ieſuitarum delinimentis*, ac Venenis faſcinatos Adoleſcentes, nec Principis, nec Numinis reverentiam habere. Scelerum ultionem poſtulat. *Rex* dat *Senatui*, ut Vellet ſtatuendi licentiam; nec ſeveritatem decernentium impedit; ne *in communi Principum periculo*, famam Clementiæ affectaret; nec Moderationem prohibet. Sed Populi, antè Curiam, Voces audiebantur, non temperaturos ſe manibus, ſi Sententiam Senatus evaderent *Ignatiani*. Curia decrevit, ne *Regem* ſæpius periculis objicere videretur, *Ioannem Caſtellaum*, Læſæ Majeſtatis divinæ, & humanæ convictum, diu Tormentis excarnificari; Curru in *Graviam* traduci; ibi amputatâ dexterâ, quâ facinus peregerat, Candentibus ſtimulis ferreis brachia, Femora, Crura torqueri; poſtremò Quadrigis dilacerari; atque laceros Artus exuri. Mox hoc Pacto Supplicium publicè, ſinè Miſeratione Cuiſquam ſumptum: quippè Magnitudo delicti, ſpectantium animos à Miſericordiâ avocavit. Cenſuitque Senatus, *Ieſuitas, Publicæ Pacis perturbatores, Iuventutis Corruptores, ad ſcelus; Regum, Principumque Sicarios, publicatis bonis, in perpetuum relegandos.* Edixitque ut intrà Triduum *Lutetiâ*, cæteriſque Urbibus, in perpetuum excederent. At quidam ſcribere non erubuerunt, Injuriam Numinis ultum *Sicarium*; ſententiam in *Ignatianos* latam, non ſinè ſævitiâ, & infamiâ Judicantium; Paucorum malè meritorum Culpam, Authoribus exitioſam eſſe debuiſſe; Nihil idcircò propterea *Vniverſo Ordini* derogandum; plurimorum indubitatam Innocentiam crudeliter vindicatam. Non eſt operæ pretium, Argumenta conquirere in eo, quod à Prudentioribus conſtitutum eſt. Plures diſſerebant, ſuſpecta Judicibus *Ieſuitarum* ingenia; diverſos Ritus; externum Obſequium; *Philippo Hiſpaniarum* Regi locatam operam; Subditorum fidem labefactatam; Adoleſcentes ad *Parricidium* corruptos; *Reges*, omnium ſuffragijs, Jure cædi pronuntiatos; divites & orbos velut indagine *ejus Ordinis* captos; *Galliam*, & Provincias lato fænore exhauſtas; *Colluviem iſtam facinoroſorum*, Publicâ utilitate coërcitam, Juſtitiæ maximum Exemplum. His, atque talibus vulgatis, non ideò Judices mutavêre decretum. Omnes in *Italiam, Hiſpaniam, Germaniam*, & *Belgium* amoti. *Gueretem* ſummâ vi Tormentorum acerrimorum, & Eculeo torquetur; at Morti eximitur. *Petrus Caſtellaus* Pater, ad quem Conſcientiæ contagio pervenit, & Conſilium occuluit, publicatâ parte Bonorum, *Vrbe* in perpetuum, *Franciâ* in Novennium interdicitur. Reprehenſa *Sententia*, quod contrà Leges, ad tempus Relegato adimeret partem Bonorum. Præbuitque rurſus Materiam Obtrectatoribus, arguendi Decreti. Domus ejus, ex adverſo *Palatij*, ubi ſcelus conceptum, à fundamentis diruta. In ejus Areâ, *Monumentum* Infamiæ ſempiternæ flagitij conſecratur; & *Pyramis* erigitur, ut Senatuſconſultum ſupremæ Curiæ Marmori inſcriptum, ac Odium publicum in Univerſum *Ignatianorum* Ordinem, Poſteris teſtaretur.

Jam Tranquillioris ſtatus *Gallia* ſpem habere cæpit; tot Urbibus captis, aut traditis; tot tàm claris Victorijs partis; tot Conjuratis devictis. Ecce interim in *Armoricâ Britanniâ*, Nova quædam miſcentur, & concitantur Mala. cujus Provinciæ Civitates omnes *Mercolij* duci parebant. Is cunctis Copijs, Auxilijſque *Iberorum* contractis, Bellum gerere cum *Rege* inſtituit. Perſuadet Incolis, ne ſeſe *Regi* dederent. *Ioannes Avila*, *Blavetium Armoricæ* Maritimum Opidum, cum robore *Iberorum* tenuit. Idem in fluminis *Breſtæ* urbis Ripâ, Munimentum ad *Crodon* extruxit; diſpoſuitque per utramque Ripam ſtationes, ut *Gallos* Ponte arceret, ac Commeatus interciperet. Aegrè tulit *Angla*, valeſcere propè ſe Vires *Hiſpanorum*. Igitur *Noritium* in Aulam evocat, qui edocet *Armoricam* Provinciam funditùs everti ab *Hiſpanis*; Agros vaſtari; Opida, Caſtellaque dirui. His ſe Miſerijs, propter Copiarum paucitatem, Auxilio eſſe non poſſe. Claſſem inſtruit, traditque *Noritio* Cohortes, in ſupplementum Legionum. quæ à *Martino Forbeshero*, Nobili Equite, in *Armoricam* tranſvectæ ſunt. Ipſe *Noritius* in *Armoricam* redire jubetur, cum Mandatis, ut *Hiſpanorum* Munimentum propè *Breſtam* oppugnaret. Is properè tranſgreſſus ad *Pimpolam inſulam*, cum Novâ Militum manu, incolumis appulit; ubi Milites expoſitos, ex languore, Nauſeâque refecit. Mox Copias ſuas *Aumontio Mareſcallo*, & *Thomæ Baskervillo*, Legato ſuo conjunxit, qui conjunctis Copijs exhilarati, *Morlaium* opidum adorti, paucis poſt diebus, ſpe ſalutis datâ, cæperunt; & ſimiliter *Quinperquorientum*. Inde progreſſi *Angli*, & *Galli*, Munimentum ad Opidum *Breſtam*, in quo Præſidium *Baticum* fuit, oppugnant: Tela, Tormenta, frumentum, ex Navibus in Caſtra comportat *Forbeſherus*: Milites, Nautæque Aggerem, Materiemque congerunt; & Vallum ducunt. Præſidiarij, ſubitâ eruptione factâ, ad Milites ab opere depellendos, propiùs accedunt. *Angli* cum Veteranis *Legionibus*, ad opem ferendam properè accurrunt; pulſi, perterritique *Hiſpani* in Munitiones celeriter receſſerunt. *Antonius Vingfeildius*, Tribunus *Anglorum*, rebus geſtis, gloriâ, & animi Magnitudine inſignis, ænei Tormenti pila ictus, occubuit. Perſpectâ naturâ loci, ac Munitionum, Machinæ admoveri cæptæ; & crebris Tormentorum fulminibus, *Propugnaculum Antemurale* corruit; quod *Liſterus Anglus* cum ſuâ Cohorte

celeriter

celeriter occupat. *Angli* hoc successu elati; & fortitudine suâ freti, sperant se posse Munimento vi 1594.
potiri; Inconsultè impetum faciunt. *Hispano* fortiter resistente, multi occisi, ac vulnerati; multique Tormentario pulvere ambusti. *Tres Centuriones Bouderus, Iacksonus, Barkerus,* fortissimè pugnantes occubuerunt. Cujus rei Rumor cum in *Angliam* manasset, *Noritius* plus Criminis domi, quàm laudis Militiæ meruit. *Regina* acerrimè literis corripuit, quasi sanguinis humani prodigum; quod optimè meritos Milites periculis objiceret. Sed apud illum plus valuit Cupiditas Bellicam gloriam augendi, quàm Consilij salubritas, aut sanguinis Humani Parcimonia. Paucis diebus Militum quieti datis, *Aumontius Marescallus,* & *Noritius,* Auxiliarium *Anglorum* Præfectus; excidio *Munimenti* imminebant. *Angli* Occidentale propugnaculum; *Galli* Orientale, Clamore hostili, atque impetu invadunt. Cæteri, appositis scalis, Vallum scandunt, variâ fortunâ. Multi præferoces, *Sarissis, Telisque* præcipitati, extremum discrimen subiêre. Cum ab omni parte Cædes fierent, *Lachamus Smithus,* & alij Centuriones *Anglici,* Occidentali propugnaculo, vi expugnando, potiti sunt. Qui asperati Prælio, ultrà humanitatis modum, sæviunt; & *Quadringentos Præsidiarios,* cum Præfecto, crudeliter interficiunt. *Hispani* non inulti cecidêre. Nam in expugnatione Munimenti, multi *Angli,* Viri Militares, desiderati sunt. Inter quos maximè insignis *Martinus Forbisherus,* Præfectus Classis. In quo multæ egregiæ Artes Animi, & Corporis erant; & inter omnes Nautas, constitit, post *Dracum,* Palmam gloriæ Navalis, penes eum fuisse. Nec multò post, *Franci* altero propugnaculo potiti, Munimentum ingressi sunt. Qui non parem sævitiam exercent, Cædibus in pugnâ satiati. Auditâ oppugnatione Munimenti, *Mercolij Dux,* pertinacius in *Fœdere* Hærens, & *Iberi* Præsidiarij, *Blavettenses,* cum *Avilâ Duce,* quàm maximis Itineribus accederant, ad Opem ferendam; Ubi captum, & dirutum Munimentum, Interfectos Socios, famâ, & auditione accipiunt. Ac serum Auxilium cum jam corruisset, circumferebantur enim Signa, Vexillaque *Hispanorum,* inde intelligebatur Clades sociorum. Proinde *Blavetium* retrò rediêre. Undè fœderatæ *Britanniæ* urbes perterritæ, ad Obsequium rediêre. *S: Maclovij* oppidum, Emporium *Armoricæ* celeberrimum, *Hispano* Terrâ, Marique superato, & extrà *Franciam* exacto; cum hujusmodi Mandatis Magistratus ad *Regem* misit, oratum, ut parceret Urbi, & misereretur Populi insanientis; nec nunc immodicè Meritam Pœnam exigeret, *Fontinei* Præfecti sui fervore, ac Rabie Civilis æstus interrempti. Prævaluit Misericordia, supplicibus Veniam dedit; ac Vetera *Privilegia* confirmavit.



RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER SEPTIMVS.

1595. APUD nos *Hercules Stuartus*, *Bothuelij* ex Pellice Frater, fugæ locum subindè mutans, cum *Catanesiam* occultè peteret, ab *Ioanne Colvillo*, Prævaricatore improbissimo, nunc harum, nunc illarum Partium, comprehenditur; & *Edinburgi* laqueo gula frangitur. ut Conspectus fieret supplicium, omnes Aspectatores, Odio *Colvilli*, & *Herculis* Misericordiâ commoventur; quippè in Conjuratione fuit, Charitate magis Fratris, quàm Improbitate Naturæ. Cæteri *Bothuelianarum* Partium Adjutores, passim conquisiti, & deprehensi, Sceleris pænas dederunt: recepti, datâ Veniâ, plerique. *Spottensis Comarchus*, & alij, acti in exilium, publicatis Bonis, latitarunt.

Sub idem tempus, *Rex Iacobus*, ut comperit *Hispanum* Classem in universæ *Britanniæ* excidium parare, atque instruere; Edicto promulgato jubet, ut *Delectus* totâ *Scotiâ* haberentur; & profitetur, se nullum Periculum, Publicæ salutis causâ, recusare. Suosque cohortatur ad Præliandum fortiter, pro *Religione Numinis*, pro Securitate *Britanniæ*, in quâ nati essent. Cum *Angli* conquererentur, suos fines *Latrocinio Scotorum* vexari, licentiam, Temeritatem, Cupiditatemque Limitaneorum reprehendit; Imperat, ne quid hostile in *Angliam* incursionibus molirentur. Sed de More, per Limitum Præfectos, Bona direpta restituerentur; & Pax invicem coleretur, quæ *ejusdem Religionis* cultu, & *Lingua*, *Morumque similitudine* confirmata est.

Perturbatione rerum in *Scotiâ* paulatim sedatâ, finibus paratis, & compositâ seditione, *Ecclesiæ* Rex pacatus, & quietus, in Memoriam revocat, datum *Diadema*, datum *Sceptrum*, datum *Ius gladij*, & *Regiæ Majestatis Insignia*, ut cognosceret Supplices; & Calamitosos misceraretur; Afflictos excitaret; liberaret Periculis Innoxios; in Facinorosos animadverteret; ad publicas Curas, quod *Regij Muneris* proprium est, omnes suos labores, studia, Conatus convertit. Pro Meritis Titulos, & honores mandat; in Canditatis, Nobilitatem Majorum, & Claritudinem Familiæ spectans. Judicibus pro Tribunali cognoscentibus, plerumque interveniebat; assidebatque mistim in intimo Justitiæ Sacrario, ut unus è Collegio Judicum. Cui, quotidiè audienti, notæ Leges; nota judicia; notæ Consuetudines decernendi; nota exempla Majorum; nota Imperij arcana; Jura Civium, fœdera, Pactiones. Si quid nuntiaretur, gratiâ, aut Ambitu Judicantium fieri, subitus aderat; Judicesque Legum, Religionis, & Causæ, de quâ cognoscerent, admonebat. hortans identidem, ut Castè, Integrèque Jus dicerent; neque Tenuiores, per Calumniam, opprimerent; Neque in Potentiorum gratiam, perperàm judicarent. Et aliquando cum Privatis de *Iure Prædiorum* in foro disceptabat; circà *Aerarium*, Vectigalia, Tributa, & Rem Pecuniariam, acrem curam, diligentiamque adhibuit; quid valeret Aerario; quæ Largitiones; & Necessitates Reip: forent. Neque *Armorum Provisum*, & Apparatum Militarem abjecit; aut *Disciplinam* neglexit; *Senatum* recognovit; & *Senatorum* affluentem Numerum ad Minorem redegit. Vetus Consuetudo *Fori*, & pristinus Judiciorum mos, in suffragijs ferendis, *eo Præsidente*, immutatus non est. *Advocatorum Ordinem*, Seminarium Judicum instituit; Graviter & molestè ferens, ex *Prædijs Rusticis*, homines imperitos Forensis Facundiæ, traduci in Forum; *ab Aratro*, *ad Subsellia*; ab usu rerum Domesticarum; ad Litem atque Judicium. Denique quicquid superioris temporis furor concussit, in suum locum reposuit; *Continentiam* auxit; *Luxuriam* coërcuit; *Frugalitatem* coluit.

Officium Regis.

Inter hæc, *Metalanus*, Præfectus Juris (incertum studijs humanioribus, & Juris Civilis Scientiâ; an rebus quærendis clarior) hoc tempore, vi Morbi Sontici, interceptus est; haud æquabili gratiâ apud *Principem*; & Vitæ cursu modò aspero, modo tranquillo; tum demum, intellectâ inani, & operosâ Sedulitate in supervacuis laboribus, cogitare cæpit, quot fluctus subjecit, quot Tempestates privatas, & publicas sustinuerit, in tranquilliorem Portum navigare concupijt; & *Lauderi* interijt. Is Meritus, Aequitate in rebus judicandis, Solertiâ ingenij, Peritiâ, usuque rerum, ut ad Posteritatis Memoriam fama celebris esset. In primâ Juventâ multis discriminibus obnoxius; post Calamitatem *Ledingtoni* Fratris, aliquandiu latuit; Provectâ ætate gradatim honores, & publica Reip. Munera adeptus; non sinè magnâ Invidiâ Procerum administravit, quam *immodicis jocis* provocavit.

vocavit. Supervacaneum est Singula *Maledicta* referre, per quæ in *Proceres*, Inimicosque suos contumeliosus fuit. At specimen excelsi animi semper edidit: Inter Adversas Factiones, magnam laudem Prudentiæ, Industriæque tulit; reliquit Clarissima *Monumenta Doctrinæ suæ*, *Epigrammata Latino sermone conscripta*. Senescente Invidiâ, quam dies mitigavit, fama ejus vario sermone Vulgi celebrata; quibusdam Naturâ *Dicacior* visus; & ne inter tempora Curarum *Verbis facetijs* satis temperans; Alijs ubi Officio satisfecit, *Lenis*, *Remissus*, *Urbanus*, procul à Tristitiâ, aut severitate, Jocos temperatos Serijs permiscens. Die funeris, quam amplissimè pio, Conjugalique Amore elatus. Meditata ad Memoriam Virtutum *Carmina*; multi lugubri Camænâ, ejus suprema deflebant. Cunctis haud læta Memoria; Alij, ut memoravi, discordiarum inter proceres, & *Moraniana* Cædis Auctorem arguebant. 1595.

Jam defuncto *Metellano*, Regni *Cancellario*, ex Amicorum Consilio, *Rex* Octoviris *Alex: Setonio* Fori Præsidi; *Ioanni Lindesio*, ab Epistolis; *Valtero Stuarto*; *Iacobo Elphingstono*; *Davidi Garnegio*; *Thomæ Hamiltonio*, Advocato; *Ioanni Skeneo*, ab Archivis; *Petro Innio*, ab Elemosynis; res suas, Magistratus, publicorum Munerum procurationes, & omnium rerum propè potestatem permisit. *Deo coràm* obtestatus, ut curam Publicorum Munerum susciperent. Illi Commodis suis, & Emolumentis prætermissis, quasi *Reip: Villici*, de publicâ utilitate multùm soliciti, *Patrimonium Principis*, Pecunias Vectigales, Bona caduca, Leges, & Judicia, sinè ullâ morâ, quàm commodissimè tractant; ac ad Remp: moderandum, Usum, Scientiam, & Studium suum conferunt. Sed Major pàrs *Nobilitatis*, & *Ecclesiastici Ordinis*, mutatione status publici Offensior; & præcipui Aulæ Ministri, ad *Octovirorum Potentiam*, & gloriam infringendam, totâ mente incubuerunt. Illi nihilominùs Offensionum pro publicâ utilitate non pavidi, omni Animi impetu in Rempublicam incumbunt; ad Consilium in dies coeunt; deliberantque, quibus rebus Utilitas Reip: pararetur, augereturque. Tribunitios *Ministrorum* furores nunquam comprimunt; Pacem externam, Otium domesticum procurant. *David Setonius Perbrothiensis*, Regiæ domus Censor; *Robertus Duglasius*, Præfectus *Lencludensis*, *Ecclesiasticorum* Proventuum Coactor; *Robertus Meluinus*, Pro-quæstor, *Glamij* Tutor, Aerarij Custos; Curatione, & Administratione rerum summoventur. Qui non modo Tempori, metu, cessêre; sed etiam Curiâ abstinuerunt, ob imminutam potentiam infensi; & iniquis, infestisque animis *Octoviros* intuentur. Ereptis hijs gubernaculis, & positâ in *Octovirorum* potestate rerum summâ, Illi *Reip: Rectores*, & publici Consilij Authores, cunctis suffragijs decernuntur. *Valterus Stuartus*, *Blentyreus*, Primariam *Quæsturam* ad expediendas pecunias adeptus, Frugalitatem, Laborem, Vigilantiam adhibuit. In *Fraudem Fisci*, non solum per Donationem, sed quocunque modo, *Res Coronæ* alienatas, revocavit: Omnes Vias pecuniæ conficiendæ, ex Prædijs, Vectigalibus, & bonis caducis excogitavit, ut inopiam *Aerarij* sublevaret. Alienam pecuniam non invasit; nec tamen Odium, & Invidiam *Nobilitatis* evitavit; quippè *Fato* Potentiæ mortales, quantamcunque fælicitatem sentiunt, Invidiam semper majorem consequuntur.

Mors quoque *Metellani* auxit *Georgij Humij*, sæpius memorati, Potentiam; & in altiorem Ordinem, Amor *Principis* extulit. qui amoto *Bothuelio*, æmulo, validior indies in Amicitiâ *Regis*, quam quisquam cæterorum Servorum; *Equestrem* fastigium adeptus, insurgit paulatim; Instituta prioris Vitæ commutat; circumdat Ministerio, ac fulgorem honorum, cautis consilijs appetit; *Octovirorum* potentiam deminuere, callidis Artibus, aggreditur; ut Publicorum Munerum procurationes, in se, & *Aulæ Ministros* traheret. Tutior pervertendi ratio visa est, *Prædicatores* ad ulciscendas *Ecclesiæ* Injurias accendere, quàm eos apertè oppugnare. Interim *Octoviri* in Consilijs capiendis de Rep:, & Incolumitate *Regis* diligentes; in periculis propulsandis constantes; in *Regni* commodis augendis providi, persistunt; Rumores Vulgi ac injustissimam Invidiam, & erumpentes æmulationes *Aulicorum* aspernari. Has Cogitationes, & Consilia eorum varij Casus perturbarunt; quos omitto ad præsens referre, suoque tempore exponam. At *Humius*, Vulgi criminantis rumores, & ingruentem *Ecclesiasticorum* Invidiam intendit; ac intrà animum volutat, quibus modis deminueret *Octovirorum* Authoritatem. Servorum primos, & Amicorum *Principis* intimos, multis Officijs devincit; privato usui bonum publicum postponit; immittit *Speculatores*, qui, per speciem Amicitiæ, Ministros monerent, paratum eis exitium; vitandas *Octovirorum* Insidias. Hic *Iacobi Regis* Amicitiâ diu, improsperâ famâ, usus est; quippè Probris Secreto laceratus. Multi postulati, ob graves Contumelias in eum dictas; nec impunè evasêre. *Franciscus Tenantus*, quidam è Plebe, ob Maledicta, Mores, & Vitam convulnerantia, *Majestatis* pænis affectus est. Plures, ejus impotentiâ, Aulâ extrusi. *Georgium Elphingstonum*, Juvenem flagranti gratiâ, ob Socors ingenium aspernatus est, & depellere destinavit; licet ejus Amicitiâ aliquot antè Annos adjutus fuit, floruitque. Infectatus etiam est *Alex: Lindesium*, Illustrem Juvenem, Voluptates *Principis* intendere solitum; sed jam, studio *Bothuelij*, labefactum; Spe certâ primi loci in Amicitiâ *Principis*, si hos dimovisset; non modo abegit *Lindesium* ad privatam, & inhonoratam vitam, sed ut *Noxium Bothueliana Conjurationis*, metu Judicij terruit; Cupidinem Potentiæ, ac Gratiæ, callidè tegens. Propalàm *Elphingstonum* coluit, quia Rex adhuc propensior in eum erat: Sed, omni Occasione, segnitiem Juvenis exprobravit, Voluntatemque *Regis* abalienavit. Subdidit Clientes, Servosque, ut maximè infectarentur; Illi secretum nacti, *Regem* extimulant, ut Prudentiæ, Constantiæque. *Humij*, erecti Animi, & exerciti magis, fideret; quàm imperiti

1595. imperiti Juvenis, qui Alienis Consilijs regeretur. Congruens credidi, referre Originem, & finem *Humiana* Potentiæ, subitæ, & magnæ; Principium favoris in *Scotiâ*, Incrementum in *Angliâ*, juxtà temporis seriem.

Cæterum, Initio Cædis orto inter duas Fortissimas familias *Iohnstoniorum*, *& Maxvalliorum*, (ut suprà retuli) difficile fuit, ab Odio ad Gratiam deflectere homines feroces, infestosque; *Rege* indies orante; ut ponerent Odia, in perniciem itura, mansêre infensi *Maxvallij*; ac minitantes, non nisi *Iohnstonio caeso*, requiem belli fore. Indè *Maxvallius Baro Heresianus*, & *Glotiani Comarchi*, ejusdem Cognominis, dolore atrocis Injuriæ, exciti ad nimiam cupiditatem persequendi Inimicos, cum *Trecentis armatis*, de improviso *Anandiam* ingrediuntur; ut *Iohnstonium*, inopinantem, securumque opprimerent; & damnum datum, pari Inimicorum calamitate, solarentur. Is ubi intelligit, quantum periculum immineret, subito casu territus, *Clientes* convocat, eorum invocat fidem, atque Auxilium; hortatur ne inulti morerentur. *Iohnstonij*, recenti Cæde elati, iterum avidi Certaminis, non dubitant resistere; & infestis hostis cum hostibus concurrunt. In illo Congressu, *Maxvallij* inferiores, quam plurimi cæsi; in quibus & *Bokus Comarchus*, cujus singularis Industria in Prælio emicuit; Cæteri præcipites ruunt. Quod ubi accidit, *Iohnstonius* suos insequi, & instare perculsis jubet. qui fugientes consectati; partim in fugâ cæcidêre; partim mucronibus ora fœdavêre. Semper, ex eo die, multorum Cicatricibus horridi vultus, truculentæ vulneribus facies fuêre. Sed tristis Prælij eventus deterrere à ferali Vecordiâ non potuit; quin sæpius, dispositis insidijs, ferro decernerent ut *Maxvallio Iohnstonius Piaculum caderet*. At Ille Præsidio Amicorum, atque Tribulium, pericula, & paratas Insidias diu evitavit: nihilominùs ingentem sibi materiam perturbationis, & inexplicabilem fecit. Novissimè cum pertinacius contenderetur, Perfidiâ interpositâ, mactatur, ut suo tempôre referam. *Dumfrisiani, Maxvalliani* nominis acerrimi defensores, omnes Opidi sui Cives, quos studiosiores *Iohnstony* senserunt, urbe prohibuerunt. *Iohnstonij* eâdem usi crudelitate, sæpius Civibus quieti animi insidiati sunt, propter Pecuniæ cupiditatem; ac reddidêre *Nithiam Provinciam*, infestam Latrocinijs, & Excursionibus.

Inter hæc dum *Papani Comites*, metu Judicij exulerent, *Errelius*, non foris, quàm domi ab hostibus tutior, incidit in discrimen aliud. Tempestate in Trajectu conflictatus, in *Zelandiam* delatus est; ubi paucos dies commoratus, ut se, Comitesque à Nauseâ marinâ reficeret, servili habitu in *Brabantiam* navigare cogitat. Nihil Rusticum præ se ferens, præter Agrestem Cultum; eximiâ Corporis specie, & decore Oris agnitus; & à *Confirensibus* comprehensus, ex Itinere retractus est. *Angliæ Regina* certior facta; Captivum, ex *lege fæderis*, repetit; quâ cautum erat, *ne Alter, Alterius hostem ad se receptaret*; impetratque. Ita Captivus *Anglis Vlissinga Præsidiarijs* traditus est; & pristinum vultus candorem induit. Pridiè quàm in *Britanniam* navigandum esset, *Centurionem*, Custodesque appositos ad Cænam invitat. Postquàm verò invitati ad Mensam consederunt, non mediocrem Cænæ partem *liberiore Pocillatione* consumpserunt. *Comes* ubi Custodes Ebrios factos vidit, ipse quoque *simulatâ Ebrietate*, se in Lectum projecit, quasi Capitis gravedinem somno levaturus: Interim Famuli ipsius, omnia familiæ Ministeria pari Temulentia exhilerarunt; ne dolum deprehenderent. Tum *Errelius*, ubi *Centurionem, satellitesque*, tam sui, quàm *Captivi* oblitos, stertere animadvertit; ac personare omnia Vocibus Ebriorum; *solus Sobrius* per Posticam evasit; Navem *Scoticam*, in Portu fortè paratam, instructamque conscendit; & paulo post domum ignotus redijt; lætus quod tanto discrimine liberatus esset.

Nec ab impijs conatibus Ministri rerum turbandarum *Principes* destitêre, quorum Authoritatem, Potentiamque *Rex*, quibus poterat modis, deminuerat. Hi *Octoviros* graviter incusant, quod non Publicæ utilitati, sed privatæ Cupiditati studerent; *Patrimonium Principis*, Arbitrio suo, nundinarentur; tenuiores opprimerent; *Procerum* quosdam, suæ libidini adversantes, apertè calumniarentur, & Muneribus publicis exuerent. Quo facto indicabant Malitiam suam; resque vulgo improbatur, non sinè ignominiâ Calumniæ: quod *Octoviri*, rumore cognito, se satiș purgarent; ac *Patrimonium Publicum* benè ac utiliter administrarent. quâ maximè Injuriâ provocati, *Præsulum Ordinem* restitui è Repub: censuerunt.

Dum hæc in Scotiâ geruntur, *Anglorum Regina* Bæticum sanguinem Terrâ Marique fundit; per *Belgium*, *Armoricam Britanniam*, & omnes propè oras maritimas, Mare infestum reddit. quippè Potentia *Philippi Regis* formidabilis facta est finitimis omnibus; hostis illi Triplex, præter *Barbarum*, & Communem *Christiani* Nominis hostem, *Anglus*, *Francus*, *Batavus*: *Gallus*, tot Injurijs lacessitus, decrevit bellum crudele & exitiosum *Hispano* denunciare. Itaque hoc, per Literas Nuntiosque, *Reginæ* significandum arbitratus est; ut de Belli gerendi ratione, adversus *Philippum*, consultarent. Simul queritur deductos, & revocatos *Anglos* de *Provinciâ Armoricâ*. Revocationem illam sibi perniciosam, hosti utilem fore. Illa respondit, sibi Consilium Belli indicendi placere; ut contrà omnes hostium Insidias tutus & incolumis esset. Seque apertè bellum adversus *Iberum* Terrâ Marique gessisse, *Belgio*, *Hispaniâ*, *Lusitaniâ*, & *Americâ*, Juventute exhaustas Provincias; & Sanctius *Aerarium*, ope Amicorum, spoliatum; *Anglos* necessariò *Gallicâ Britannicâ* evocatos, cum in *Hiberniâ* atrox Rebellio exorta sit. Nec multo post, *Louceuius*, è Galliâ Legatus advolat; rogat ut Auxiliares Copiæ in *Picar-*

Res An-gina.

in Picardiam transmitterentur. Regina sollicitâ mente revoluens, tot fortissimos Milites, & Immensam vim Pecuniæ in Galliâ perijsse, ad Auxilium ferendum tardior fuit; ne post tot damna, & Cædes, Populi salutem negligere videretur. Legatus suas querelas inserit; Regem, non adjutum in tempore Terrestribus Copijs, Cameracum amisisse; Illam Regis Amici calamitate lætari; Obtrectatione, atque Invidiâ, gloriam fortissimi Regis labefactari. Itaque, urgente discrimine Reip:, cum hostibus Iberis fœdus sanciendum esse. Illa respondit, se ægrè ferre Cameracum amissum esse; ægrius etiam hoc sibi immerenti à Legato imputari. Nihil prætermissum esse in ope ferendâ, quod non habeat Excusationem legitimam Necessitatis; nec aliter facere potuisse, furente bello in Hiberniâ, multisque periculis & fortunæ procellis impendentibus. Procul abesse, ut Illa Amici Regis adversâ fortunâ lætaretur; vel Socium Regem, ad Pacem faciendam cum Communi hoste, cogeret; Nec Regem, nec quenquam alium Ministrum id meritò suspicari posse, si in Memoriam revocarent Merita sua, ac Amicitiæ Officia, ergà ipsum; præter mutuò datam Pecuniam, & immensas Belli impensas. Postremò addidit, si à Conjuratis Papanis deduceretur, ut & Amicitiæ injuriam faceret, ac sibi minùs commodè infidâ Pace consuleret; se tamen sperare, Divini Numinis Opem Angliæ non defuturam. quod ne faceret, pro Jure Amicitiæ, per Legatos suos Vmptonum & Edmundum, enixè petivit. qui Pacem cum Philippo dissuaserunt; cum quo facta Pax, non esset Pax; sed Pactio Servitutis. 1595.

Inter quæ, Rumores nequaquam adespoti, ex universis Oræ Maritimæ partibus, perferuntur; Hispanos, numerosiore quàm anteà Classe, ad Angliam expugnandam, paratos instructosque venire. Regina, vera quæ afferebantur esse, rata, cuncta ad hostium perniciem machinatur. Unde per Maritimas Angliæ Oras Delectus habiti; Tormenta undique conquisita; Classes duæ parari instruique jussæ; altera in Freto Britannico, adversus hostem, si ingrueret; altera ad Americanam expeditionem. Cui Dracus, & Hankinsius, Noti Equites, præficiuntur; & Thomas Baskavillus, Ejusdem Ordinis, terrestribus Copijs præesse jubetur. hæc publicè destinata.

Quidam interim Angli, privatim in Americam Expeditionem susceperunt; Valterus Ralejus, Prætorianæ Cohortis Præfectus, vergente gratiâ, ob Stuprum honorariæ virgini illatum, tribus expeditis Navigijs, in Guianam navigavit; ut Aurum, quod ibi gigneretur, interciperet; & Hispanos in interioribus Americæ regionibus infestaret. qui Mense Februario, sese ad Naves contulit; & soluit Plimouthâ, sexto die ejusdem; ac Trinidadam Insulam, 2 Martij tenuit. ubi Opidulum S: Iosephi in suam potestatem facilè redegit, & Antonium Bereum, qui Urbi præerat. Aurum autem haud reperit; non enim confusum Metallis illic gignitur; nec Arenæ immixtum reperitur. Deindè, relictâ Insulâ, fluvium Oronoquum, cum Lembis, intravit; & omnem fermè Oram Guianæ Regionis, cupidine Auri, at spe inani, lustravit. Tandem Verticalis Solis radijs perustus, tempestatibus, magnisque difficultatibus conflictatus, Angliam repetit. reversus Commentarium de Expeditione suâ scripsit; & multa de Regionis situ ac Opulentiâ; & Mythica quædam de Amazonibus, ac Monstruosis hominibus, oculos in pectore gerentibus; quæ admirati magis sunt Prudentiores, quàm crediderunt.

Superiore Anno, ex Angliâ, in Brasiliæ Oram, cum tribus Navibus expeditis, & Phaselo, transmisêre Lancastrius & Fennarus, viri strenui, & periti rei Nauticæ. Qui Arcem Regiam, cui Fernabuccam nomen erat, expugnarunt, ac diripuêre. Consociantibus se illis Gallis, & Batavis prædonibus, Navem magnam Lusitanicam, Indicis Mercibus onustam, ceperunt; & x x x x ix Onerarias. quibus perpetratis, onusti Sacchxaro, ligno Brasilio, Aromatibus, Gemmis, & Margaretis, hâc æstate domum rediêre.

Per eosdem dies, Amias Prestonus, & Sumerius, celebres Classiarij, Baticas Naves ultrò citròque commeantes, intercipere statuerunt: & Occidentalem Oceanum infestum reddidêre. Ita expeditis Navigijs, Insulam Portus S: propè Maderam, diripiunt; ac aliquot ignobilia Opidula; at Cumana Insula, acceptâ pecuniâ ab Incolis, parcunt.

Antè aliquot Menses, Tres Naves Comitis Cumberlandiæ, locis idoneis in Statione dispositæ, Indicis Navibus insidiabantur; & magnam Caraquam, à quinque Christi vulneribus cognominatam, adoriuntur; quæ inter pugnandum, fortuito Incendio, cum omnibus Mercibus conflagravit. Lusitani, cum metu se in Mare præcipitarent, fluctibus absorpti sunt. Ita Anglorum metu, multæ Baticæ Naves ad Littus ejectæ, & conflictatæ perierunt: hæc & alia egregia facinora à Privatis gesta.

Intereà Dracus & Hackinsius, Equestres Nobiles, & peritissimi Rei Nauticæ, Classem quadraginta Navium instruunt, Tormentis ornant, ut Aurum Peruvianum interciperent; ac Portum Ricum, in Insulâ S: Ioannis, vulgo ab famam divitiarum Divitem vocatum, Classe expugnarent. Classis Pridie Kalend: Septembris Plimouthâ soluit; prosperisque ventis utens, brevi ad Canarias Insulas pervenit. Habito ibi Consilio, Dracus & Baskavillus Canariam Magnam expugnandam censuerunt; ad Classem Commeatu copiosius instruendum. Haukinsius contrà, rebus Necessatijs satis instructam contendit; nec temporis jacturam faciendam, donec quod in Mandatis habebant, perficeretur. Baskavillus illum orat, & obsecrat; Classiarij circumsistunt, parùm provisos Commeatus conquerentes: tandem importunis precibus victus, consensit. Mox Baskavillus, cum terrestribus Copijs in terram descendit. Hostes superiora loca occuparant; Tormenta frequentia disposuerant; omnique Missilium genere infestare parati fuerant. Ille, perspectâ difficultate, oppugnationis incæpto destitit. Indè verò

Americam

1595. *Americam* versùs Navigationem instituunt; & ad *Insulam Dominicam* perveniunt; ubi jactis anchoris constitère; & aliquot dies Actuaria Minuta ædificantes, consumpserunt. Eo tempore, *Hispanorum* Naves Speculatoriæ, in Naviculam *Anglicam* inciderunt: Navarchus, & Nautæ, repente comprehensi, ac Eculeo impositi, metu gravioris quæstionis, detegunt, *Anglos Portum Ricum cogitare*. Quâ re compertâ, Velis Remisque eò cursum dirigunt; *Anglos* ad eum Portum accedere denuntiant; Missisque *Liburnicis*, omnes Oræ Maritimæ, Classisque Regiæ Præfectos edocent. *Hispani* Aurum, atque Argentum occultant; *Divitis Portus* Ostium, ingenti Nave submersâ, obstruunt; & Palos in Portu figunt, ut *Anglos* aditu prohiberent; quinque Naves minores saburrâ oppletas, *Sclopetarijs* complent; & Tormenta undique disponunt. *Angli*, fabricatis lembis, seriùs appulerunt; & jactis Anchoris, in statione constitère. Visâ Classe, *Iberi* Tormentorum fulminibus detonant; *Nicholaum Chffordum*, Equestris Ordinis; & *Brutum Brunum*, graviter globo convulnerant: nec multò post ex vulneribus moriuntur. Eodem fere tempore *Ioannes Haukinsius*, Eques Nobilis, & magno animo præditus, ultimum spiritum, ægritudine animi, efflavit; Classis Præfecturam, *Draco*; ac triste sui desiderium socijs Navalibus reliquit. Is in Maritimis Pugnis non mediocre virtutis & Industriæ documentum dederat. *Franciscus Dracus*, nihil suæ virtuti invium existimans, *Viginti quinque Liburnicas*, & Classiarios Nautis permixtos, penetrare in Portum jubet; qui cum *Iberis*, sua defensantibus, Prælio congressi, ancipiti Morte decertant. *Hispani* periculum acri animo propulsant, Naves horrendo Tormentorum Strepitu pertutbant; omnique Missilium, & Pilarum gencre impediunt, ne *Portum* ingredi audeteent. Nihilominùs, *Baskervillus*, Militibus in *Lembos* festinanter impositis, propiùs accessit; & in Naves, in aditu *Portus* collocatas, impetum fecit. *Angli*, Navem magnitudine præstantem, ac *Magdalena* Nomine insignem, incendunt; Palos, Convexas Trabes, & Molium objectus revellunt. Sed obstructis *Portus* faucibus, ac ingruente glandium Procellâ, cum multi caderent, vulnerarenturque, re infectâ discesserunt. *Dracus* animo anxius, à priore pugnâ quæ adversa fuerat, duces in *Prætoriam* arcessivit, ut de Ratione belli gerendi consultarent. Tandem Communi Consilio decretum, urbem expugnari non posse, sinè maximo *Classis* periculo. Indè Oram *Americæ* prætervectus, quam plurimas Naves exussit, aut depressit; Urbesque aliquot, quæ erant *Divorum* Memoriæ consecratæ, spoliavit, ac incendit. *Nombrea Deos*, Incolis & Opibus vacuum, cum omnibus Navigijs incensum est; cujus Incolæ, audito Classis adventu, cum omnibus fortunis, & bonis, quæ indè asportare poterant, præcipiti fugâ se in Montes proximos proripuerunt. Dehinc cum *Septingentis & Quinquaginta* armatis militibus, *Panamam* Pedestri Itinere profectus est; ut Auro intercepto, *Philippo* hosti Nervos belli præcideret. Sed Angustijs Itinerum, & creberrimis glandium è sylvis Procellis, & in ipsis Angustijs Munimento objecto, ad Naves, Curâ Inediâque confectus, redijt. Ita Fortuna, Domina rerum humanarum, quæ eum plurimis beneficijs cumulavit, & ad præstantissimam gloriam erexit, superiorum temporum dissimilis, paululum variavit. Tandem, terribilis ille *Draco*, confectis fæliciter tot Navigationibus, & Dimicationibus maritimis, diutino *Dysenteria Morbo* viribus admodum attenuatis expiravit. Qui moriens Classis Præfecturam *Baskervillo* Equiti demandavit. Talem vitæ exitum habuit tantus Imperator in Navalibus pugnis, totiusque Belli Maritimi Instrumentis, & Apparatu. Fama de Interitu ejus, fines Orbis terrarum peragravit. Obstupuerunt *Iberi, Indi, ac ultima Turcici Imperij ora*, ad magnitudinem Fortunæ ejus, Virtutisque. Multitudo *Anglica*, memor maximorum in *Regnum* Meritorum, cunctis humanis honoribus prosecuta est; omnia Fortia ejus facta laudibus celebrans. Fama rerum gestarum manet in animis hominum, mansuraque in æternum, non in Opinione tacitâ Amicorum, sed Admiratione magnâ Populariuin. Liberalibus disciplinis innutriti, ad perpetuam famæ Memoriam, Carmina meditati sunt. Pauca huc ascribere non piguit.

Drace, *pererrati quem novit terminus Orbis,*
Quemque simul Mundi vidit uterque Polus.
Si taceant homines, facient te Sydera *notum.*
Sol nescit Comitis non memor esse sui.

Ingens Mortis ejus gaudium *Iberis* & *Indis* fuit; sed non diuturnum; quia Mox Mare infestum *Classibus Anglorum* erat. *Baskervillus* curam Classis suscepit, eamque in Patriam reducere instituit. Revertenti haud procul *Pinorum Insulâ*, occurrit *Classis Batica*, instructa; atrox pugna utrinque accensa est. *Baskervillus* in Prætoriâ, & *Throngtonus sub-præfectus*, in Proprætoriâ, prælium commiserunt; reliquis haud segniter insequentibus. In quo multi utrinque cecidère, vulneratique. *Angli* multis Congressibus debilitati, ubi Incolumes evasère, impetum redintigrare noluerunt; & domum redierunt, Ducibus amissis. Etsi hæc Expeditio parum fæliciter confecta esset, tamen *Philippum* à Cogitatione rerum externarum avertit. Nuntiatâ Morte *Draci*, Regina non mediocri Animi perturbatione commota est, pro virtute & fælicitate ejus.

Per hos dies, clandestinâ transvectione Frumenti, in externas Regiones, continuis Imbribus, seu Fato, & Irâ Dei, *Plebs Londinensis*, acri Annonâ, & Commeatus penuriâ fatigabatur. Quod cum cerneret *Regina*, quantum Providentia, diligentiaque poterat, obviam ibat tanto discrimini Civitatis. *Rei frumentaria* curam Mercatoribus demandabat; qui celerrimâ Navigatione, Commeatus à *Sarmatiâ*

Sarmatia subvexêre. *Hanseatici* itidem, Vectigali liberati, magnam vim frumenti inportarunt; quâ 1595.
Regni Inopiam sublevarunt. Sed Vulgus, Alimenta in dies mercari solitum, & immodesta Servitia Plebis Rusticæ, quæ in Foro, Negotiandi causâ, constiterat, Bona paruo pretio diripiunt, contrà Majestatem *Regij* Nominis, & Disciplinam optimè institutæ Civitatis. Immodestia Servorum, Carcere, Verberibus, & servilibus pænis, coërcita; ne Urbana Turba, per lasciviam, & ferociam ad rapinas, aut seditiones difflueret, ægra adhuc, affectaque Civitas. Præferoces Juvenes, Opifices, Artificesque, tumultuari cæpêre, & cuncta terribili specie formidineque inplere; Custodes Pacis, reprimentes Furorem, & Impetum, lapidibus appetiti, & percussi. Audito Clamore sediriosæ Multitudinis, Præfecti Juridici occurrunt; aliquot è seditiosis præhensos in Carcerem duci jubent. Cæteri paventes, ne pænas Temeritatis darent, clàm diffugiunt.

Tumultus, posthæc, in Colle *Arcis Londinensis* ortus est. *Ioannes Spenserius*, Prætor urbanus, qui operosâ Industriâ, longâque Parcimoniâ, ad Pecuniosam Senectam pervenit, eò proficiscitur; & Multitudinem tumultuosius confluentem compescuit. Disjectâ in præsentiâ Turbâ, Controversia orta inter eum, & Præfecti Turris Ministros, de Prætoris, Præfectique Jurisdictione. Plus æquo sibi assumere Præfecti Servis videbatur, quod gladium, in Areâ Turris, ambitiosius præferri fineret. Hujusmodi vocibus inter se altercantes, à Jurgijs ad vulnera progressi sunt, Manus intentantes *Ensifero*. Cives *Londinensis* Auxilio mox aderant. Ministri autem Præfecti, partim amissis gladijs, partim ereptis, aufugiunt. At *Prætor* Prudentiâ, ac Auctoritate, infensos Civium animos mitigavit; querentium præreptam Civitatis libertatem; & Arbitrium rei *Reginæ* permisit. Atque *Illa* Controversiam composuit; prætulitque *Prætorem*, Plebis autem Temeritatem Edicto castigavit; & Curam Pacis multo ac accurato sermone, Magistratibus urbicis commendavit; Authores Tumultus duci ad supplicium jussit; Culpam Seditionis in palantes Milites turbidos, & infidos vertit; quos, Jure Militari, interficiendos censuit. Curam conquirendi, coërcendique, in *Thomam Vilfordium* confert, Equestris Ordinis virum; attributá ei Militari potestate, ac Nomine *Præfecti Martialis*. Is validâ manu circumdatus, & certatim omnes Magistratus, præhensos vagos Milites, & Seditiosos in vincula ducunt. Ita quies Urbi clarissimæ reddita.

Hoc Anno, apud *Anglos*, viri Illustres Mortalitatem exuerunt. *Philippus Havartus*, *Arundeliæ Comes*, publicâ Sententiâ condemnatus, ut superius dictum est, in Arce *Londinensi* placide ad Deum migravit; qui Meditationibus assiduus, genibus Callum superinduxit. Diutini Carceris squalorem, Constantiâ & Moderatione superavit; ac austero vitæ genere consenuit. *Thomam*, Unicum Filium, superstitem hæredem reliquit; & Ipsum posteà eâdem dignitate ornatum, singulari Prudentiâ rebus maximis gerendis Parem; qui Familiam Opibus *Salopiensis Comitis*, Affinitate *Levinij Ducis*, ac Numerosâ Prole fæliciter auxit: Cujus honorificam mentionem, suo loco, fecimus. Eum mox secutus est *Guilielmus Vauxius*, priscæ Nobilitatis *Baro*, Romanæ Religioni addictus, ideoque *Reginæ* meritò suspectus; & in liberâ Custodiâ habitus, decescit. Cui *Eduardus*, ex Filio Nepos, in dignitate Familiæ successit. Hos mox secutus est, meliore fortunâ, quàm famâ, *Thomas Hinnagius*, Regij Cubiculi Thesaurarius; deinde *vice-Camerarius*, posttemò *Ducatus Lancastriæ Cancellarius*; qui Morum eligantiâ, festivi sermonis facetijs, ad Aulicam vitam natus videbatur: sed Adulationi, quam veritati propior habebatur: Ob idque Censurâ Aulicorum notatus est, quasi ad immodicam Adulationem, blanditias, & Assentationem proclivis. Nihilominùs in summâ gratiâ, usque ad Mortem, apud *Reginam* fuit. Is moriens, unicam filiam superstitem reliquit; quæ *Fincborum* Familiæ enupta, amplissimis Proventibus ac Prole auxit.

Nec silentio præteriri debet, *Rogerus Villiamus*, Equestris Ordinis; qui apud *Cambros* natus, in *Agro Monumetensi*, loco nobili, sed re tenui. Tirocinium Armorum cum *Albano*, in *Belgio*, fecerat; ac per omnes Militiæ gradus, ad Equestrem dignitatem, Tribunatum Militum, & Præfecturam in *Neustriâ*, exiguis admodum Opibus parris, pervenerat. Cujus virtus, *Bello Belgico*, ac *Gallico*, enituerat; Hoc Anno, correptus Morbo, vitâ excescit. Vir magni, sed pugnacis animi; ob idque *Regina* ei Provinciam ullam administrandam, aut Munus aliquod publicum non permisit; Pensionem Annuam, quâ aleretur, concessit. Funus ejus honorificis admodum Exequijs celebratum fuit; cui Primores Aulæ, ipse *Essexius*, & Præcipui viri Militares, atrati interfuerunt. Is nullis licet literis Latinis tinctus, linguâ Patriâ, *Præliorum Belgicorum*, quibus interfuerat, *Historiam* scripsit, Summâ fide, ac veritate: Et Artem Militarem, novissimè receptam, contrà superioris sæculi Disciplinam, non sinè Veteranorum Invidiâ, singulari Libro asseruit.

Eum paulò post secutus est *Thomas Morganus*, Consanguineus ejusdem Ordinis, & loci; Ob Prudentiam & Moderationem magnoperè commendatus: adeò, ut *Morgani Prudentia*, & *Villiami pugnacitas*, in *Cambria*, Vulgo celebrarentur. Is à Primâ Adolescentiâ, Militaribus Munijs enutritus, haud mediocrem gloriam, ex fortitudine & Industriâ, adeptus est; at Majorem, apud *Elizabetham*, pro Incorruptâ fide, meritus est; quod *Philippi* Chyrographum ei detexerat: quo magnam Annuam Pecuniam pollicebatur, si in suas Partes transiret. Ille, Spretâ Proditionis Mercede, exiguâ Pecuniæ summâ, ex Annuâ *Reginæ* Munificentiâ contentus, *Proditoris*, & *Transfugæ* Nomen exhorruit.

Hoc eodem Anno, *Guilielmus VVhitakerus*, insignis Theologus, Ingenio ac doctrinâ præstans,

 Cantabrigiæ

1595. *Cantabrigia* decessit. Ubi in *Aede B: Mariæ*, honorificè sepultus est. Is solâ politioris Literaturæ Commendatione, *Regius in Academiâ Professor*, & *Collegij S: Ioannis Præfectus* delectus, assiduâ Lectione acerrimum Judicium excoluit; *Academiæ* Ornamentum extitit; ac doctissimis, & politissimis scriptis, *Theologiam* illustravit; undè, à studiosis, non Mediocrem inivit gratiam; & Magnum sui desiderium Academicis reliquit; quibus *Doctrinâ*, *vita Sanctimoniâ*, ac Morum Probitate, *Lanternam* prætulit, si ejus vestigijs insistere conarentur.

Res Hibernica. Domesticis rebus constitutis, *Regina* Burleo *Quæstori*, Aulicorum intimo, mandat, ut *Rei Nummaria* prospiceret; Copias conscriberet; & in *Hiberniam* transmitteret. Inde *Ioannes Norritius*, dux bello exercitus, ex *Gallicâ Britanniâ* cum Veteranis Cohortibus nuper revocatus, *Momoniæ* Rector præpositus est; additusque *Russelio Proregi*, in partem Curarum, ac societatem belli, ut Consilio, Armisque juvaret. Is eum veteranis *Cohortibus Tredecem*, & Mille delectis Tyronibus, *Momoniam* ingressus, contrà *Tironium* acriter bellum gerere cæpit; ad *Baticum* Auxilium prævertendum. Haud multo antè Adventum ejus, leves *Vltoniensium* Copiæ, *Anglorum* vallum erupêre ferro & igni perpopulantes. *Teathus Mac-hucbus*, & *Obrins*, in Lageniâ; *Osoneri*, in Ophaliâ, tumultuari quoque cæperunt; & contractis Prædatorijs turmis, usque *Dublinum*, atrociter grassati, reddidêre proximas Provincias infestas, excursionibus, & latrocinijs. *Tironius*, cognito *Norritij* adventu, cum veteranis Cohortibus, & novo Militum supplemento, scientiâque in bello, sibi timere cæpit; ac *Proregem*, *Noritiumque* suppliciter, per literas, orare, ut in *Regina* fidem obsequiumque se reciperent; nec Invitum, & coactum in Bellum calamitosum præcipitarent. Sed has literas *Bagnalius*, Tribunus, Belli magis quàm Pacis cupidus, intercepit; & in magnum *Reip:* detrimentum suppressit. De Bello indè Consilium *Prorex* habuit: Authore Senatu, decretum, ut confestim *Tironium* persequeretur; ne *Hispani*, per occultos Nuntios, acciti, cum eo jungerent Auxiliares Copias; iret in *Vltoniam*, ubi belli caput, & rerum Summa esset. *Russelius*, ubi Aestas advenit, contracto expedito Exercitu, ac protinùs conjunctis *Norritij* Copijs, *Tironium* capere, aut exturbare intendit; & in *Vltoniam* pergit. In Itinere promulgat *Edictum* vehemens, & grave in *Tironium*, fidei ac Obsequij penitùs oblitum; & socios *Regulos*, omnes Proditores, & hostes publicos iterum denuntiat. In Edicto primùm, summâ cum Acerbitate, exagitatur ejus in *Principem* Ingratitudo; quæ illum Inopem, & egenum, Annuâ pensione sublevaverat; Indignum ad *Comitis dignitatem* provexerat; ac magnis beneficijs cumulaverat; cui referri gratia non posset, quanta deberetur. Deindè exprobratur Barbara & inhumana Crudelitas ejus, in *Shani-O-Neali* liberos, nefariè jugulatos, aut Carcere miserrimè afflictos, perfidiâ, quâ *Vltoniæ Regulos* ad defectionem sollicitaret, concitaritque hostiliter, ad *Latrocinia*, ac deprædationes; Seque in pernitiosi belli Necessitatem præcipitaret. Postremò admonentur *Reguli*, qui in ejus erant Castris, suopte Consilio, aut fraude circumventi, paratam Pænitentibus veniam, ac Clementiam; si ad fidem Obsequiumque redirent. Ubi Edicto satis terruit, *Armacham* processit, cujus subitum Adventum adeò pertimuit *Tironius*, ut Propugnaculo ad *Nigrum fluvium* derelicto, Pontem abrumperet, Eversionem, depopulationem, vastitatem, suis omnibus Vicis, ac Agris inferret; *Dunganorum* Opidum incenderet; & ædes suas dirueret; Pabulatione & Commeatu hostes prohiberet. Præterea, Cæteri *Reguli*, in quorum finibus bellum gereretur, salutis causâ, rei familiaris commoda negligunt, Vicos atque ædificia incendunt, Pecora in Avia sylvarum abigunt; ne hostes Tectis, prædave Pecorum sublevantur. Finitimas Provincias sollicitant, ut se in *Libertatem*, quam à Majoribus acceperant, vendicarent: quæ operam in asserendâ Communi libertate, clàm pollicentur. *Tironius*, cum cæpto Itinere venire *Proregem* comperisset, Equitatum omnem, ac Levis Armaturæ Pedites, ad flumen præmisit, ut transitu hostes prohiberent. Ipse cum *sex Legionibus*, disciplinâ Anglicâ constitutis, subsequitur. *Prorex* interim, Tripartito Agmine, ad flumen properavit, ut incautiorem *Tironium* opprimeret. At lasso Milite, apud *Nigrum fluvium* locum Castris cæpit; cujus alteram Ripam, inconditâ Popularium manu, *Tironius* insedit; fidens loco: quia flumen intercedebat, altis Ripis, & locum Castris deligit, fluvio ac Paludibus circumdatum, propinquisque sylvis munitum. Pabulatores, longiùs à Castris progressos, adortus est; & circumjecto Campo velitans, Contumelias ac Probra in *Anglos*, Militari Jactantiâ, effudit; atque eminùs ex Ripis lacessivit; cominùs congredi non ausus. Quæ res incendit dolore veteres *Anglorum* Cohortes; quod Conspectum suum Rebelles ferre auderent. Itaque Equites circummissi, ut vada fluminis quærerent, & transirent; quorum Impetum *Hiberni* adeò pertimuerunt, ut in Paludibus, ac proximis sylvis, spem salutis collocarent, nisi transitu prohiberent. Proindè *Tyronius* Equitatum omnem, expeditosque Pedites in Ripâ disposuit. *Prorex*, rupto Ponte fluminis, confertâque armatorum multitudine collocatâ in Ripâ, Arboribus excisis, Aggereque superjecto, Exercitum & Tormenta transmittere noluit. Mox ab Exploratoribus comperit, incensum ac dirutum *Dungamionum*, & Castella *Regulorum*, vastatos Agros, abacta in Sylvas pecora, ne *Angli* illis potirentur. Ex Ripis prælium impar, iniquum cum dispersis & vagis Hostibus certamen; & non nisi ex illorum Arbitrio. Accedente Cibariorum egestate, ac Pabuli Inopiâ, veritus ne pecora conficerentur, in Solum herbidum, & frondosum, juxtà *Armacham* retrò concessit. Perduelles, ex receptu, formidinis Conjecturam capientes, quo *Proregis* Itineri officerent, & fessos labore Milites tentarent,

Black-water.

tentarent, flumen transgressi, impeditis & iniquis locis Missilibus Telis remorantur. ubicunque 1595 *Angli* insequi cæperant, sese in Colles, & Sylvas per Tramites notos recipiebant. *Russelius*, ubi *Rebelles* utique abhorrentes à Certamine, neque Paludibus digredi animadvertit, Præsidium *Armacha* imposuit; frumentum & Commeatum ad *Monacha* Præsidiarios jussit quàm primùm comportare. Et *Mac-Mahonum*, Præfectum Comitatus Juridicum, pro singulari fide, & operâ, in præcipuo honore habuit; ac Equestri Turmæ præfecit. Digressu *Proregis* cognito, *Tironius* summâ celeritate in *Neuriam*, Anglorum Præsidijs infessam, impetum vertit; pecora & bona diripit, Molendina Aquatica Tribuni *Bagualij* diruit, inceditque; & Præsidium Insidijs tentat. Re intellectâ, *Prorex* quoque movet Castra; laborantibus *Neuria* Præsidiarijs subvenire properat; ac imminentibus periculis eripit. Extractâ totâ Aestate per ludificationem hostis, assueti Sylvis & Paludibus, cum agilitate Corporum, tum levitate Armorum, *Russelius* tunc relictâ *Neuriâ*, ac abjectâ cogitatione invadendæ *Vltonia*, deficiente rei frumentoriæ Provisu, *Dundalkiam* repetit. *Tironius* sciens non aliâ, quàm per Angustias Paludum, vulgò *Moiri*, redituros *Anglos*, haud longè instructâ Acie, in Colle alto, ac munito consedit, donec transirent; ut in Angustijs *Moiri* aggrederetur. Deindè, ut apparuit fraus, *Prorex*, ne præter iniquitatem loci, & difficultatem angusti Itineris, transituri, impedimentum hostiles Turmæ afferrent, cum expeditis Cohortibus, & dilectâ Equitum levioris armaturæ manu, hostes, ad transitu insidendos locatos, invadit; qui vitantes, locorum Cognitione, & celeritate suâ, *Anglica* Arma, nunquam prosperè lacessita, in propinquas Sylvas, & Paludes, cum multo maximoque strepitu se contulerunt. & quia minùs acriter *Angli* institerant, propter obsessa Itinera, & Naturâ loci munita, pauci interiêre. Posterâ die, *Prorex* superatis Angustijs, totoque agmine traducto, *Dundalkiam*, pervenit, sinè hoste, sinè Acie, consumpto Commeatu. Ubi videt, ab hoste vago, pugnandi Copiam non fieri, in duas partes diviso exercitu, ipse cum unâ summam Imperij, Molemque belli *Meridionalis* sustinere intendit. Ubicunque locus postulabat, Præsidium imponit, ut excursiones *Rebellium* in *Anglica* ditionis fines, inhiberet. Alteram *Noritio*, Nobili Duci tradit; adjectis *Hibernorum* auxilijs, ad concursandum inter Sylvas, Paludesque aptis: Mandatque Authoritate *Regina* magis, quàm Imperio, curam recuperandæ *Vltonia*. His decretis, ad exequenda quæ statuerant, Duces digressi. *Prorex* cum Militibus, labore & æstu lassis, *Dublinum* redijt; Turbisque *Conaltia*, *Lagenia*, & *Momonia* prospexit. *Noritius* cum veteranis Cohortibus, & parte Equitum, tuendæ *Vltonia* remansit; & in *Vltoniensi Agro* Castra communijt. Partitis Officijs, Aemulatio orta, Mox dissidere inter se Duces cæpêre; neque in Communi consulere; nec Bono publico prospicere. *Tironius*, callidus temporum explorator, qui *Anglorum* studia, Fædera, factiones, vulgi Naturam, ducum Ingenia, diuturnâ Armorum Societate in Castris perceperat, *Russelij* Ingenium Mite, & Moderatum; *Noritij* avidum Militaris gloriæ, & impatiens Societatis; utrumque diversis Artibus; alterum *Vi*, alterum *Fraude* aggressus est; & cum alio, quàm cum *Noritio* armis certare cupivit: Namque ab Illo supplex postulat, ut, omisso bello, eundem in locum coiretur; ac de Controversijs Colloquio transigeretur. *Noritius* quoque, cum *Vltoniensium* incompositâ manu, rem sibi futuram prospiciens, nec se dignam Expeditionem ducens, adversus *Rebellium* tumultuariam turbam; Satis etiam comperiens, *Philippum* defectioni *Hibernia* intentum, suadet *Tironio*, *Reginam* precibus aggredi, impetrabili adhuc veniâ, si *Rebellionis* pæniteret, & Illustri satisfactione Contumaciam expiaret. Exin *Reginam* literis certiorem fecit, posse Motum *Hibernicum*, sinè Cæde & sanguine pacari; suscipi bellum atrox, & anceps, *Hispanis* non ingratum, contrà Populos Vagos, & feroces, Latronum more, Agros incursantes; ac summâ celeritate se in *Solicitudines*, & Sylvas recipientes; nec unquàm hosti opportunos; Tædium ex Morâ; Periculum, ac discrimen ex properantiâ: Modicum Victoribus laudum, multum Infamiæ, & dedecoris; si tot Annos gloriam amitterent. Scripsit contrà *Russelius*, Nequaquam decorum *Regina* dignitati, recipere denuntiatum Perduellem, nihil nisi Moras, ac dilationes, quærentem, Pacto salutis. Sed repetere Castris, & Armis, *Vltoniensem Provinciam* rectius magnificentiusque. Convocato Consilio, *Regina* quid agendum esset consulit, re diu deliberatâ, prævaluit *Noritij* sententia. Itaque *Regina* rescribit, *Proregi*, *Noritio*, *Senatuique*, ut in tali casu, quod è dignitate, securitateque suâ esse censerent, agerent; Consilia ex usu sociarent; Aemulationem, publicè & privatim exitiosam, deponerent; *Tironium*, & *Regulos supplices*, cum Modo & Curâ Majestatis Imperij, in gratiam reciperent; sinè ignominiâ, aut Infamiâ *Principis* transigerent. Cognitâ *Regina* voluntate, dilata statim Arma, & Deditionis spe, *Inducia* agitatæ. *Henricus Varrenus*, Equestris Ordinis, à *Præfecto Noritio* missus, ad mutantem adhuc Perduellem, & infidum, ob veterem cum eo benevolentiam, ut ad sanitatem revocaret, redire ad Obsequium, & solitam Reverentiam, datis Nobilissimis *Obsidibus*, ac Clementiam *Regina* experiri, moneret. Ille anxius; timebat Iram *Præfecti*, ni paruisset promissis; Sed animus sceleribus paratus, & Auxilia sperata ab *Iberis*, ad perseverandum in pertinaciâ defectionis trahebant. *Varrenus*, multâ Oratione consumptâ, & crebrâ exhortatione, ut fidem *Noritio* præstaret, cum ipse tantum ei crederet; tandem aliud cogitantem, aliud simulantem reliquit. *Regina*, Moræ impatiens, & lentæ Summissionis, præcipit Bellum, aut præcipitem Deditionem. Interim *Tironius* in humilitatem *Deditiorum* se submisit; *Supplicem Libellum*, suo Chirographo signatum, flens exhibuit; & in genua provolutus, coràm *Noritio*, & *Fentono*, ab epistolis, veniam oravit. pollicitusque est facere id, quod *Regina* imperasset; mansurosque

 in obse-

1595. in obſequio *Regulos*; ſi in fidem reciperentur. *O-Donellus* itidem, *Rebellionis Crimen* ſupplex deprecatur. Undè *Induciæ* ad *Calendas uſque Ianuarij*, Duobus Obſidibus datis, pactæ. Nec multo poſt, *Feachus Mac-Hugh* genibus *Proregis* advolutus, veniam lamentabili vociferatione, deprecatur; & in Tutelam receptus eſt. *Norisius* credidit fallacibus *Regulorum* promiſſis; & petentibus dare veniam, utile eſſe ſtatuit; monuitque, ſe fore æquiſſimum, ſi quæ pollicerentur præſtarent, & eſſent *Reginæ* obſequentes.

Intermiſſio fuit Armorum, & omnia apud *Anglos*, Induciarum fiduciâ, minus intenta, ac neglecta; apud hoſtes ambigna, & infida. qui ſpacium, quo ab Armis ceſſabatur, totum in *Apparatu* belli, & Nuncijs in *Hiſpaniam* miſſitandis, conſumunt. Priuſquàm *Induciæ* exirent, perſidus *Tironius* ad ſuum Ingenium revertens, tumultuariam *Vltonienſium* Manum, in *Monacham* emittit. Præſidium ibi *Anglorum*, & Coloniam expugnat, depopulaturque. Nec mirum, fœdera Sancta non eſſe apud imperitos, & Barbaros; apud quos, juxtà Divinam Religionem, fides humana non colitur. Cognito *Monachæ Provinciæ* ſubito Motu, *Præfectus Noritius*, cupidine Vindictæ exardeſcens, infenſo Agmine incedit, Armis caſtigaturus eorum Audaciam, qui *Inducias* ruperant. In tumultuariâ pugnâ, Ipſe, & frater *Thomas Norttius* vulnerantur; & Sanandis vulneribus, in Caſtra cum Copijs concedunt. *Tironius*, ne annuiſſe facinori videretur, in petendâ veniâ perſeverat; Inſtatque, modicis remedijs componi Motus poſſe; expugnati *Præſidij*, & vaſtatæ Provinciæ culpam, à ſe, in alios transfert. *Prorex* expoſtulat vim *Coloniæ* illatam; Cohortes *Anglicas* obſeſſas, cum pactæ *Induciæ* eſſent. poſtulatque, ſi Crimen à Conſcientiâ removere vellet, ut *Monachæ* Præſidijs *Hibernorum* vacua fieret; Caſtellum, cui *Sligonomen* eſt, per fraudem interceptum, à Clientelis, & ſervitijs *O-Donelij* traderetur; & Cuncta per Seditionem verſa, reponerentur. Miſſi ad *Reginam* Nuntij, an Paci annueret, magis ex uſu, quàm gloriâ? *Prorex* facere juſſus, prout rebus conduceret, miſit *Henricum Valopium*, Equeſtris Ordinis virum, Quæſtorem Exercitus; & *Robertum Gernerium*, ſupremum in Cauſis Capitalibus Judicem, rerum *Hibernicarum* peritos, ad res inſpiciendas, componendaſque, ſpe Impunitatis. *Dundalkiam*, locum Congreſſui deſtinatum, x v *Ianuarij*, convenitur; & Literis, ac propè precibus petitum Colloquium; quia vires ad coërcendum deerant. *Tironius* opperiendos ſibi *Regulos* reſcripſit, ut ſimul conſulerent Paci, ac Securitati. Crebræ ultrò citroque miſſæ literæ. Poſt paucos dies obvij fuêre *Tironius*, *O-Donelius*, *Mac-Guirus*, *Mac-Brianus*, *& Mac-Mahoni*, Tribules; & Cæteri *Vltonienſes Reguli*; non tàm ſupplices, quàm ferociter querentes ſeperatim, de Injurijs, Miſerijs, ac ærumnis. *Delegati Reginæ* graviter incuſant *Tironium*, & *Regulos*, quod, contrà fidem & Officium, *Inducias* violaſſent, ac *Majeſtatem* non modo *Reginæ*, ſed *Sacroſancti Numinis*. Cunctis veniam, & præteritorum Oblivionem oſtentant, ſi abſiſterent turbis, & datis Obſidibus, pænitentiam, opportuno ergà *Reginam* Obſequio, teſtarentur. Si perſeverarent, paratam Juſtam ultionem. Monentque, ne ultro ruinam, vulnera, luctus, & *Vltoniæ* exitium procurarent, *Reginam* Armis provocando, reſpicerent *Tributa*, & Onera Sociorum; *Vltonienſibus* non tàm acerba indicta. *Regulorum* longus ſermo ſecutus eſt, ruptas *Inducias* excuſantium; & conquerentium ſe ſpoliatos, boniſque exutos, omnia paſſos à *Præfectis Iuridicis*, *Centurionibus*, *& Procuratoribus*, quæ hoſtes ab hoſtibus pati poſſent; & illa quæ anteà ſæpè queſti ſunt, crudeliter interfectum *Mac-Mahonum*, ſinè More, ſinè Judicio: *Bagnalij Tribuni* injuſtum Imperium; miſeram *Plebis* ſervitutem, & nova Onera. Deditionem pollicentur, his legibus, ut ſanciretur *Abolitio Criminum*; *& Præteritorum Oblivio*; *Caveretur-que, non penſuros majores Reditus ex Poſſeſſionibus, quàm Majoribus Reginæ diſſoluiſſent: Non Subituros Nova & Inſolita Tributa, Magiſtratus, Procuratores, Præfectos Iuridicos; & Milites Anglos in Vltoniam non ituros, permanſuroſve in Caſtellis, & Præſidijs: Præſidiarios Hibernici generis ſe accepturos; nihil in Avitâ Religione, quam à Majoribus acceperant, novatum iri.* Accipiuntur, & remittuntur poſtulata *Vltonienſium* ad *Proregem*, per literas, perque Interpretes ſæpè miſſos. Reſponſum redditum eſt à *delegatis*, non ea *Reginam* habere Mandata; ac Iniqua eſſe pleraque eorum Poſtulata. Poſt Piaculum, & Illuſtrem ſatisfactionem, paratam veniam; duriores Conditiones interpoſitæ; nullam Pacis, aut Impunitatis ſpem eſſe, niſi Munimenta, *Vltoniæ* impoſita, retinerentur; Tributa, Leges, & Magiſtratus Anglici reciperentur. Has Conditiones reſpuunt inſolenter *Reguli*; *Armacham* quoque Præſidijs vacuam fieri; *Vltonienſes* ſuo Arbitrio relinqui, flagitant: & *Inducias* prorogari, donec referantur literæ *Reginæ*, ſi deſiderijs *Regulorum* ſatisfaceret.

Digreſſi *Reguli* pepigêre, non deeſſe Communi libertati, ſi *Philippus* Armis Opibuſque juvaret. Miſcuere ſeſe, Conſcientiâ ſcelerum, *Mac-Villiamus*, *O-Rocus*, *& O-Conorus*, in *Conactiâ* dynaſtæ; & in *Bremiâ*, *O-Ralij*: miſſique in *Momoniam* Concitores belli, quæ à talibus adhuc Conſilijs abhorrebat. *Garnerius*, Poſtulata ab *Vltonienſibus* interpoſita, ad *Reginam* detulit; Cui iniqua, ac intolerabilia pleraque viſa ſunt. has Conditiones de *libero Romanæ Religionis Cultu*, *& Poſſeſſione rerum Eccleſiaſticarum*, abnuente *Elizabethâ*; nec Arbitrio ejus audentibus ſalutem ſuam permittere Regulis, ſpes *Voluntariæ Deditionis*, Paciſque, prorogata ad *Kalendas Aprilis*; ne ſublatâ ſpe veniæ, deſperatione accenderentur. Ex quâ Morâ, ad *Tironium*, & Socios Nocentiſſimos, Impunitas ſcelerum; ad *Anglos*, continua damna pervenerant. Interim *Præfectus Noritius*, ne nihil agere videretur, *Vltoniæ* Caſtella firmioribus Præſidijs & Commeatu communivit. *Tironius* veterem in *Reginam* Obſervantiam verbis ſimulavit; & Arma non adverſus *Principem* ſumpta, ſed pro Vitæ, in extremum, *Tribuni*

Calumnijs,

Calumnijs, adductæ securitate. Neque ignoravit *Regina* dissimulatos ejus Conatus, & simulatum Obsequium; acciri in societatem belli *Iberos*; Insulanorum Auxilia sperari; *Hibernos*, externum Jugum, quàm Legitimum suum Imperium, malle. Proindè indignans, Aerarium, & Sanguinem Civium, irritæ Militiæ laboribus, effundi, *Noritium* Vi, Deditione, aut quovis modo, bellum conficere jussit. 1595.

Hoc Anno, in *Belgio* crebra Prælia, Expugnationes urbium, Eluviones Aquarum, & cætera Belli mala. *Heraugerius*, *Bredæ Præfectus*, contractis *Batavorum* Equitum Peditumque Copijs, componit Insidias; & eruptione subitâ *Castellum Hujum*, & mox Opidum, in Finibus *Eburonum ad Mosam*, intercipit. Missi à *Leodiensi* Præsule, ad *Batavos* Nuntij, ut discederent finibus *Eburonum*; præfectumque abstraherent; ne initium belli adversus *Leodienses* existeret. Respondent *Batavi*, nihil *Eburonum* Juri derogatum, quod Ipsi saluti & Securitati consulerent. Caussam invadendæ urbis, *Lapideum Pontem*, ad transgressum *Mosæ* opportunum: *Bonnam*, & *Berkam*, *Leodiensis ditionis urbes*, ab *Iberis* possessas; nullâ aliâ caussâ, quàm ut Ponte *Mosam* transmitterent. Hinc Ira, & questus. Postquam annuissent facinori *Batavi*, remedium ex bello petitum. Et *Episcopus*, missis *Bruxellam* Nuntijs, Auxilium *Hispanorum* implorabat. Qui cognoscentes urbem à *Batavis* obtineri, properè recuperare consultant. Igitur *Comes Fontanus*, *Barlemontius*, *Mottew*, multi Tribuni, Præfectique, & insignes Centuriones *Batici*, in fines *Eburonum* transgressi; acri pugnâ hoste pulso, cæsoque, urbem recipiunt. *Heraugerius* territus amisso Opido, in Castellum profugit. Mox, urgente necessitate, Pacto salutis, Castellum & Commeatus tradit; & decedit, cum Præsidiarijs, finibus *Eburonum*. Res externa.

Mauritius, contracto Exercitu, nihil apud *Belgas* quietum patitur. *Grollam* obsidet. *Mondragonius*, audiro urbem obsideri, *Peditum quatuor Millia*, *& Mille Equites*, trajectâ *Mosâ*, eo duxit. Obsessores, ad famam Adventus ejus, dilapsi sunt; ne Ciborum penuriâ, in Oppugnatione perseverantes, affligerentur.

Per hos dies, *Batavi* circà omnes Terras, circà omnia Maria, spe Lucri navigarunt, Draci exemplo, per *Mauritaniæ*, *Getuliæque Pelagus*, convehendis ex *Arabiâ Indiâque*, Mercibus, avia Oceani tentarunt. Demum explorato, compertoque Itinere in *Indiam* & *Chinam*, per flexum *Promontorij bonæ spei*, Naves aliquot, velis habiles eò missæ, *Pipere*, *& Cinnamomo* onustæ, in *Hollandiam* reverterunt; & Clades belli, secundâ Navigatione, solati sunt.

Cùm res *Belgica* in hoc statu essent, *Henricus quartus* Francorum Rex, *Philippo Hispanorum Regi* bellum per *Feciales* denuntiat; *Philippus*, Regi. Extant *Regum* Edicta, plena Convitijs mutuis, contumeliosaque. *Hispani* in *Belgio* Militantes, & *Franci* extorres, Occasionem invadendæ *Franciæ* obvenisse rati, Auxilijs *Belgarum* contractis, *Ambianos*, *Bellovacos* propalàm prædantur; & ad *Lutetiæ* Mænia excurrunt, vastantes Regionem. Missus in Agrum *Luxenburgicum*, cum parte Copiarum, *Henricus Turrius*, Turreniæ vice-Comes, *Francorum* Militum Tribunus, ad arcendos finitimos *Belgas*, à vexandâ Franciâ; *Franciscus Verus*, Anglorum Turmis apud *Batavos* stipendijs Merentium Præfectus, cum *duabus* Legionibus Peditum, & *quinque* Turmis Equitum eodem mittitur: qui cum *Francorum Tribuno* conjunctus, satis validi adversus Turmas *Baticas*, Legionesque, immittunt Militum globos, cum Equite, & Armaturâ levi in *Atrebates* & *Nervios*, spoliaque & Prædas ex Vicis referunt. At obsessâ à *Mansfeldia Comita* itinera, hinc Pedite, indè Equite, ut eruptiones hostium promptiùs sustentaret. Nec *Hispani*, ad tria diversa bella occursantes, despondenrunt animos; sed magis acriter restiterunt. Gliscentibus periculis, arcto Commeatu, & durissimâ Hyeme, *Turrenius* cum suis Copijs in *Franciam* redijt. *Verus*, multis difficultatibus in longinquo Itinere conflictatus, in *Geldriam* reduxit Exercitum. *Atrebates*, *Hannonij*, & finitimi *Belgæ*, crebris excursionibus *Gallorum* territi, subsidium ab *Ernesto Archiduce* petunt; & proprium Ducem tuendis finibus; aut Pacem cum *Gallo* deprecantur. Defensio *Atrebatum* demandata est *Comiti Fontano*; qui illatas Injurias Cædibus & Incendijs ultus est. Ipse *Ernestus* concilians Pacem, ex æquo utilem inter *Iberos* & *Francos*, infirmâ valitudine fato concessit. Minus Biennium in Procuratione *Belgij*, piè justèque versatus; componendis, quàm gerendis rebus magis idoneus; mirâ Comitate Provincias rexit; Nobilitati, Plebique juxtà charus, & nulli invisus, nisi *Batico militi*, expeditionibus assueto, ob Pacis studium. Successor à *Philippo* electus, frater *Albertus*, *Cardinalis*, *Romanæ Ecclesiæ*; qui relicto *Sacerdotio*, statim *Belgio* præpositus est.

Per eosdem dies revocatus est *Carolus*, *Comes Mansfeldius*, dux egregius, Occasione *Belli Vngarici*; ut cum *Barbaris*, Christiani nominis hostibus, certaret; electusque *Vicarius Mathei Archiducis*, Turcas crebris simul ac prosperis prælijs terruit.

Sub idem tempus, *Castulonensis Conestabilis*, *Madiolani Præses*, magnæ Nobilitatis domi, transmissis *Alpibus*, cum *quindecem Peditum Millibus*, *& tribus* Equitum, *Burgundiæ Ducatum* ingressus, ferro, flammâque grassatus est. *Rex Francus*, cum exercitu *Burgundiæ* Comitatum ingressus, *Sequanos Hispano fidos* depopulatur; & *Franco fontano* prælio *Iberos*, in subsidium missos, obterit; Ferociam, & saltum hostium compescit; multa Opida *Batica* ditionis recuperat. *Hispani*, nullâ re memorabili gestâ, remeavêre.

Interim absente *Alberto* Archiduce, *Fontanus* Molem belli *Belgici* sustinuit; qui Oppugnatione, ac

1595. direptione *Hannij* opidi, ac Cæde ibi *Iberorum* irritatus, *Belgis* finitima *Francorum* Opida invadit. *Castelletum*, medium inter *Samorobrinam*, sivè *Cameracum*, & *Quintini fanum*, in potestatem redigit. Pari fiduciâ elatus, *Durlanum* Opidum Munitissimum oppugnat. In eâ Oppugnatione, *Valentinus Motteus*, *Gallus* ortu, ad *Hispanos* transfuga, & apud eos *Tormentorum Præfectus*, glandis ictu in Capite percussus, interijt. *Francici* Proceres, qui *Morinis*, & *Veromanduis* præsidebant, *Comes Fani Pauli*; *Turrenius*, *Tribunus Bullonij Ducis*, honore auctus, *Villarius* Præfectus Maris, cum ingenti Catervâ Procerum *Neustricorum*, cognitâ Obsidione, properè Subveniunt; statuuntque liberare Obsidio urbem. *Fontanus* ad occasionem intentus, Copias ita dividit; Curam Peditum *Rosneus*, Gallus exsul; Equitum, ipse Dux *Aumalius*, & Marchio *Varrebonius* sumpsêre. Levis armaturæ Equites, visendis hostium Copijs, præmissi. *Bullonius* Tribunus, Nobilium globo comitatus, adjunctâ *Comitis Fani Pauli* Turmâ, levem hostium Equitatum repentè fundit, obteritque. Sed variante Fortunâ, à Peditatu *Hispanorum*, & *Cataphractis* Equitibus juxtà præmitur. Cedente trepidè Tribuno, *Villarius* periculo ejus commotus, cum Neustricâ Juventute accurrit, & *Hispanos* acrius instantes repellit, recipitque se. At *Hispani*, jussu ducis, propiùs incedunt; undè rursùs *Villarius*, vanâ fiduciâ, aut decoris Cupidine, in medium hostium Agmen imprudens se injecit. Tum *Hispani* Pedites erupêre, & protritâ *Francorum* Acie, *Villarium* Catervis cinxerunt. Quâ desperatione coactus, mandat *Bullonio*, ut veniret properè, ac laboranti subsidium ferret. At is Militari prudentiâ, *Villarij* temerè cum hoste confligentis Aciem inclinantem cernens; ac nullum retrò subsidium fore, si alienæ inconsultæ Temeritatis Comes foret, subsidium non tulit. Ingenijs Militaribus, *Tribuni* ratio, ut salutaris probata: Vulgo Excusatio probabilis magis, quàm honesta visa est: quod Conservatori, qui salutem nuper attulisset, imploranti Opem non tulerit. *Villarius* & *Sansevileus* in hostes irruentes, circumventi, captique sunt. *Hispani* non Probris, non ludibrijs abstinent. *Villarium* desertorem, *Proditoremque Fœderatorum* clamitant. Is retinens pristinam animi ferociam, insultantibus nihil aliud respondit, nisi Jure imputare Perfidiam non posse. *Sansivileus* Proditionis objectum Crimen diluit; differitque *Fœderatis* integram fidem servasse; cum *Lotharingiæ* Duce, *Guisijs* fratribus, Primoribusque *Galliæ*, ad Obsequium legitimi *Regis* redijsse. Demùm, duo præstantissimi *Francorum Præfecti*, per Iram, statim, multis ictibus, contrà Jus, fasque, & Morem Militarem, confossi interierunt. *Bætica* rabies Captivorum Ducum sanguine se polluit. Auxit Invidiam dignatio *Villarij*, Scientiaque in bello. *Durlanæ Cladis* famâ celeriter percrebrescente, exacerbati *Franci*, Facti atrocitate; & ad Vindictam incitatiores facti, ob *Villarij*, *Sansevilleique* interitum, arserunt cupidine ultionis. Redemptum *Villarij* corpus, & Aromatibus conditum, *Rotomagi*, in *Æde primariâ*, publico funere sepultum est: & *Rotomagenses* eâdem Charitate prosecuti sunt Mortuum, quâ foverant Vivum. Successu recentis pugnæ elatus *Fontanus*, magnum & incertum terrorem *Ambianis*, ac vicinis *Gallis* intulit; *Durlanum* vi expugnavit, cæsis *Mille* Præsidiarijs. Indè *Cameracum*, amplam Civitatem, XVII *Armatorum Millibus*, & IX *Tormentis Muralibus*, Bæticæ ditionis facere animo intendit. *Dux Nevernensis*, Picardiæ Vicarius, virtute, fide, & genere inclitus, ob recentem Cladem, & formidinem, obviam ire hostibus non ausus; finitimas urbes, Castellaque Præsidijs, & Commeatu firmavit. *Atrebates* crebris excursibus infestavit. Interim *Fontanus*, Tormentis positis, Obsidionem accelerat. Nec Obsessis animus deerat; sed inerat in *Balaguio Præfecto* incredibilis torpor, & Cordis gelidus tremor. *Vicius*, veteranus ductor, silentio Noctis, cum *quadragintis* Equitibus in urbem penetravit; & opportuno adventu, atque Auxilio, Civium animos confirmavit. *Balagnij* Præfecti uxor, Fæmina ultrà sexum ferox, periculis se objecit, quo *Præsidiarijs* par animus esset. Sed longa dies, nec intermissus labor, Obsessos confecit; & Opidum Pactione, ac occultâ Corruptione Civium, deditum. Castellum mox Conditionibus traditum, *Balagnij uxor*, Morte ex ægritudine animi, Contumelijs Captivitatis exempta est.

Manente adhuc Bello Civili in *Franciâ*, nova Legatio missa *Romam*. Ut *Regem* immeritis devotionibus liberaret, ivit *Pirronius Episcopus Ebroicensis*, Theologus doctissimus, sapientissimusque. Retulitque à *Clemente Octavo* gratiam *Apostolicam*; & diri *Anathematis* Absolutionem. *Pontificij* gaudent datum honestum in sinum Ecclesiæ regressum; & frequentes ad obsequium ultrò redeunt in *Fœdere* obstinatiores, qui malè abierunt. Reliquiæ *Nefarij Fœderis* penitùs convulsæ. Ipse *Meduanius*, ut Perfidiæ & privatæ Dominationis Infamiam effugeret, literas ad *Regem* supplices composuit, & impetrato *Diplomate*, ac *fide Regiâ* interpositâ, ad Observantiam redijt. *Aumalij Dux*, & pauci, in pertinaciâ Rebellionis, ob Magnitudinem scelerum, perseverantes, ex *Franciâ* in *Belgium* secessêre. *Francus*, postquàm transgresso in partes *Meduanio*, nihil hostile à suis metuebat; ingruenti per *Picardiam* bello, fortissimos duces opponit.

Iberi longè reliquis præstantiores Præfectos Militum amiserunt. *Carolus Mansfeildius*, clarus ac magnus dux, de *Turcis* partâ insigni victoriâ, in *Vngariâ*; post ardorem pugnæ, neglecto pulvere, & æstu, febri obriguit: magno dolore *Batavorum*, ob Memoriam virtutis. *Philippus Nassovius*, Equestrium Turmarum Præfectus, vulneratus ferro, cum fratre *Ernesto Nassovio*, ab *Iberis* captus; & suo ex vulnere, paucis post diebus, est mortuus.

INeunte Anno, *Gulielmus Armstrangus*, *Kiumouthius*, intestinis, Externisque præterea multis Latrocinijs infamis, & Prædonum dux, sæpè ab *Anglis* ob Maleficia ad supplicium quæsitus, in reditu à Conventu limitaneórum, de rebus repetendis, interceptus est. Mox hâc atque illac raptus ad spectaculum vulgi; indê in *Arcem Carleoli* conjectus est, ut ibi tutò custodiretur. *Valterus Scotus*, *Bacluchius*, Tribulium Princeps, *Liddalia* Custos, indignans *Armstrangum* fraude circumventum, apud *Scrupum* hominem Nobilem, Occidui Limitis Præfectum, questus est, quod *Inducia* turbarentur, cum res, de More per Limitum Præfectos *repeterentur*. Ad hæc *Scrupus* pauca, purgandi sui causâ, respondet; *Kiumouthum*, finitimis in locis apertissimè prædatum, & cum pletisque *Anglorum*, sua Bona defensantium, prælio congressum, pro *Prædone* habitum, & Captivum abductum, sinè cujusquam boni viri Injuriâ. Id cum *Baclenchius* graviter ferret, ac in suam Contumeliam raperet, magnum & memorabile facinus ausus est. Concubiâ Nocte, cum *Sexaginta Comitibus* fortissimis, & longo vsu exploratis, *Carleolum* pervenit. Sinè tumultu, inter Somnum & trepidationem, in Arcem irrupit; vigilibus, *Scrupij Baronis* Clienribus, & servitijs, Mortem minatus est, si quisquam mutiret. Illis metu, vel Ignaviâ se conrinentibus, Tubis clangentibus Captivum extrà Arcem eduxit, & sinè noxâ digressus est. Audax facinus, cum modicâ Manu, in urbe Mœnibus & Multitudine Opidanorum munitâ. & Callidæ Audaciæ vix ullo obsisti modo potuit. *Angla* indignabunda, ne Arce *Carleoli* quidem abstineri, Noxæ dedi *Baclouchium*, per *Bonesium legatum* suum vehementer deposcit. Senatus censuit dedi non oportere, nisi Causâ cognitâ. Sed quia sua Cupiditas, non Communis utilitas, temerè extulerat animum, in *Arcem fani Andrea*, ob inconsultam gloriæ cupidinem, traditus est; ad satisfaciendum *Regina*.

Fortè his diebus, Proceres *Huntileus*, & *Errelius*, brevi nec diuturno Exilio mulctati, (ut dixi) in Patriam velut è voluntariâ peregrinatione revertêre; & remotis in Agris substitêre. Exilij Veniam, & pristinum gratiæ locum, uxores & Amici frustrà deprecati sunt: fremente *Clero*, renitente *plebe*, & magnâ parte *Nobilium* adversante; quia *Senatus-consulto*, & legibus pulsi erant.

In tanto Motu, ac Mutatione rerum, magno omnium Ordinum gaudio, alterum lucidissimum *Britannia Sidus* illuxit. Nata ex *Annâ*, *Fermelinoduni*, filia pulcherrimi suavissimique Oris; in quâ Materna Indoles enituit: & *Elizabetha* nomen Impositum est. Domesticâ festivitate nulli externi Proceres affuêre.

Vulgato Exulum reditu, magna ilicò fama surrexit; & de eo ferventer loqui cæptum est. Impulit turbidos *Concionatores* Temeritas (quæ Illi hominum Generi est insita) in *Regem*, velut Purioris Cultus pertæsum, debachari; Convitijs & Probris insectari; quasi *Papismo* jam palàm faveret, *Huntileum* & *Errelium* callidè foverer, dissolueretque legum Nexus. è quorum Numero *David Blaquius*, Minister *fani Andrea*, turbidus, & infimis gratus vecordi facundiâ, plenus inconsideratissimæ ac dementissimæ Temeritatis, in *Concione* acerbissimè queritur de *Actionibus Regis*; clamitat Patriæ Proditores, & hostes *Ecclesia*, ab Exilio revocatos esse; magnam apud Imperitos Invidiam concitat; Reditus causam immerenti *Regi* imponit; & indecorâ Contumaciâ *Majestatem* Imperitanris imminuit. Dein *Fori* Tabem, *Iudicum* Ordinem, flagitia cujusque, Vitamque omnium criminosè perstringit; singula increpat, Avaritiam, Superbiam, Opes, Potentiam legibus æquam: omnia damnat. Ut secundis auribus accipi Orationem animadvertit, & Plebi gratam esse; inconsultè, ac velut per Dementiam, de *serenissimâ Elizabethâ Reginâ*, & Religione Angliæ, multa audacter & impudenter, in *Concione*, effutit. Res scelesta, atrox, Invidiosa, in Ore, atque sermone omnium cæpit esse. *Blaquius*, quantam effrenatâ libertate apud Plebem inierat gratiam, tantum Bonorum omnium offendebat Animos.

Octoviri, eâ tempestate, Civiliter dominabantur; Res *Fisci* & Vectigalia publica in illorum potestate erant. hi infensi, & Irati, vocabant in Jus *Blaquium*, ad causam dicendam. Nec Accusatores apud Infensos Judices deerant. Initium Accusationis fecit *Bonesius*, *Anglorum legatus*; questusque est apud Senatum, quod Temeritate *Blaquij*, Obtrectatoris, *Regina* serenissimæ suæ *Majestas*, exquisitis acerbitatibus violata esset. Nec multò, parum ex dignitate suâ ducens Accusationi subscribere; & Factionibus *Scotorum* inferre *Regina* Authoritatem, Affectum & Animum ulciscendi deposuit, ac ab Accusatione intentâ destitit. Quod multis Permirum videbatur; *Legatum*, Principis sui Obtrectatorem, evadere impunè sivisse; paratis ad ultionem Judicibus. Exin *Rex*, ad eam diem Naturâ Clementior in *Ecclesiasticorum Ordinem*, jussit, ut cum *Blaquio* Audace, Turbido, Malefico, *Aula Secreta* rimante, legibus ageretur. Tum Senatus, recenti *Concione* irritatus, de Sermone habito adversus Regem, & Ordinem Judicum; ac de Conventu, *Catuque Fifano*, quo unà cum *Andreâ Melrino* sollicitavit, concitavitque Viros Nobiles, adversùs remp: postulavit. *Reus*, Naturâ ferox, & vecors, *Majestatis postulatis*, respondit, Sacrarum Concionum Verba, pravè detorta, in Crimen trahi; contrà Instituta, & Consuetudines Ecclesiæ. *Regis* Imperium, & Senatus Judicium, in re Sacrâ, Doctrinâ, & Disciplinâ, detrectavit; nec ullius præterquàm Dei Immortalis, Imperio subesse se jactitavit. Judices monuerunt, *Regem* summam plenamque in Subditos, Cujuscunque Ordinis, & Conditionis, *Decreto Comitiorum*, Potestatem habere. Ille Chirographo, suâ, & *Ecclesia Consulum* Manu obsignato, qui in omnes Occasiones intenti, *Edinburgi* substiterant, *ad Synodum provocavit*; Cui soli *Consulum Ecclesiæ creatio.* Jus esset, quæ in *Concione* dicerentur, examinare. Senatus, vanissimi Hominis Insaniam detestans,

1596. *Doctrinæ* prætextu *Majestatis Crimen* tegentis; & Appellationem interpositam pro nihilo habens; citatis XXVI integerrimis Testibus, *sani Regulis* Civibus, interrogatisque, Perduellionis, Seditionis, ac Tumultus hostilis, extemplò damnavit; summumque supplicium decrevit, si *Regi* videretur. *Rex* inter cætera Clementiæ suæ Exempla, hoc quoque remisit supplicium; at jecit in Exilium, circumscripsitque habitandi locum, ultrà *Fluvium Borealem*. Andreæ *Melvino*, ejusdem furoris participi, Impunitatem concessit, tumultum veritus. Tum inter Intimos consultavit, sperneretne *Contumaciam Ministrorum*; & subtraheret Aures Contumelijs, ac Probris; an Remedium adhiberet? Diversa Consilia afferebantur, Multi, Temporum potiùs in quibus vivebant, quàm *Regiæ Majestatis* memores, precibus magis, quàm Auctoritate, à Pervicaciâ deducere suadebant; ne statum *Regni* turbarent. Eam *Regis* Moderationem, pronumque ad Misericordiam animum, summoperè laudabant. *Octoviri*, cum, propter inveterata mala, tranquillam Ecclesiæ Emendationem in *Regis* potestate non esse cernerent; quâcunque ratione obviam eundum *Ecclesiasticorum Arrogantiæ, & Temeritati* censebant. *Rex* dimisso *Octovirûm* Concilio, vocari *Ministrorum Apocletos* jussit, præparatos jam antè, & instructos à suis, Argumentis undique quæsitis, tum in disputationibus, Congressibusque. Percunctando & interrogando elicuit, multorum Opinionem, à *Blaqnij* furiosâ Temeritate non abhorrere. *Rex* indignabundus Contumaciâ Responsi, quod, veteri Ecclesiæ Privilegio, negarent, *se posse in Crimine Seditionis, aut Proditionis, ad causam disceptandam, in primâ Instantiâ, extrà Synodum evocari*; vocari rursus Senatum jussit; & infensè invectus, *Ministrorum Contumaciam* incusavit. Missus à Senatu *Ioannes Lindesius*, ab Epistolis, vir magni animi & Consilij, cum Mandatis, ut sciret *quali animo, qualique fide Ministri ergà Regem essent*. Is cum *Presbiterij* Primoribus, cum verecundâ gravitate disseruit, *Iure Regni, non licere Ministris, Conventus Nobilium agere, quo seditio, Tumultusve fiat. aut Synodum convocare, inconsulto Principe; aut sine Apocletis ejus. Neque decreta Synodi in Acta publica referre, nisi Regiâ Auctoritate interpositâ*. Magisque ex utilitate & dignitate Ecclesiæ fore, si revocatâ Veteri disciplinâ, *Episcopi iterum crearentur*, præficerenturque Populo Dei, communi Ecclesiæ Juditio. & deprecari instituit, ne *Contumaciâ, & Clericatus Privilegio*, cogerent *Regem*, atroci Edicto Contumaces animos coercere. Multosque perspicuis & evidentibus rationibus in suam sententiam perduxit. *Rex*, eorum superbiam, & omnis generis Injurias in se, atque Proceres ægrè ferens, *Cætus, & Conventus omnes, legibus non Sancitos, Præconio prohibuit*; *Ecclesiæ Consules, Edinburgi residentes, paulò antè creatos, ut Synodos indicerent, & Ministros, urgente discrimine, evocarent, urbe excedere monuit*. qui tergiversantes, & Moram quærentes, Faces Plebis animis, Irâ tumescentibus, subjecerunt. Inde *Ministri* turbidi, velut frenis exoluti proruperunt, procacius Libidinem Ingeniorum exercentes; Criminantesque, fraude quorundam Senatorum, Patriæ Proditores ab Exilio revocatos esse. Undè *Regi* Ira violentior: & Occasio Criminandi, *Spretam Majestatem Principis*; ab Obsequio desciviſſe *Ecclesiam*; audiri turbidas *Conciones*, Plebem incitatam accendentes, ut *Ecclesiasticæ libertatis* Causâ, caperent ferrum, *Ministri*, ingentes Iras in pectore voluentes, indignantur quicquam sibi ex veteri potentiâ, aut Ecclesiæ libertati detrahi. In Publicis Cætibus *Edinburgena* Civitatis, magnis quærimonijs rem prosecuti sunt, ingenti Populi pavore, ac Silentio. postremò, *Conciones seditiosæ* habitæ, modò ingenti Clamore, Irâ, & Indignatione; modò gemitu, lachrymis, Plangore, ac lamentatione Plebis miserabili. Nominatim compellant Primores Senatus, *Alex: Setonum*, Judicum Præsidem; *Ioannem Lindesium*, ab epistolis; *Iacobum Elphingstonum*, scientiâ Juris clarum; & *Thomam Hamiltonum*, Procuratorem Regium, verborum exquisitâ aspiritate insectantur, ut Novissimi Edicti Authores, Turbatores *status Ecclesiæ*, & Auctores restituendæ *Episcopalis potestatis*.

Paucis post *Solstitium Hibernum* diebus, *Balcanquonius*, *Concionator vehemens*, & ferox, urbanam Multitudinem coactam nactus, turbulentorum hominum accensos animos penitùs inflammavit; & ad *Christi Vindictam*, nimis acriter incitavit; fremuitque apertè, statum *Regni* convelli; *vitam bonorum omnium*, in extremum discrimen adductam esse; Ecclesiam denique totam, ad exitium & vastitatem designari, nisi Vindices *Purioris Cultus*, & Pietatis, impendentibus Malis tempestivè occurrerent. Commonuit *Purioris Religionis Professores*, ut darent operam, ne quid Ecclesia detrimenti caperet; & quotquot Religionem saluam esse vellent, à Concione, in *Novum templum* convenirent.

Decimus Septimus Decembris dies Catharorū tumultu insignis.

Celeriter *Lindesius*, *Forbosius*, Secundi Ordinis Proceres, multi Equestris dignitatis viri, quorum Principes *Bargenius*, *Blaquanius*, *Dunthreius*, *Haltonus*, *Fandousydius*, Armati prodeunt; & alij *Primores* Civium, quò studium suum in *Ecclesiam* clarius esset, Coitiones facere incipiunt; & se vel *Principes conservandæ Religionis* fore profitentur. *Robertus Brucius*, Ordinis sui facilè Princeps, qui cohortari ad Virtutem ardentius, à vitijs acrius revocare Auditores consueverat, præparandos Popularium animos ratus, Multitudini exposuit, si locus consistendi *Proscriptis Proceribus*, Charitatem Patriæ exuentibus, in *Scotiâ* foret, ruinam Ecclesiæ, Exitium Clero, & Vitæ omnium Civium parari; Nihil reliquum, nisi, communis Salutis causâ, *Arma caperent*; strenuè *periclitanti Ecclesiæ* subvenirent; & Duces ad ultionem deligerent. Nimia Pietas acrius, quàm consultius, Tumultum excitavit; ad quem Plebs universa tumultuosius confluxit, satis suâ sponte furens; & *Brucij* Oratione vehementius efferata, Delegatos mitti ad *Regem* placuit, renuntiantes, *Quatuor hominum Amentium, ac perditorum panâ, Tumultum componi posse; in Plurium perniciem mox erupturum*. Rex rem mali exempli esse cernens, temerariæ Multitudinis Arbitrio depelli Senatores, requirit Objecta Crimina, & expurgaturos

1596.

expurgaturos asseverat, si Copiam diluendi darent. At post paucas horas, tumultus undiquè exortus est; rapta Arma, stricti gladij, dispersique armati per Fora, & Vicos, Cives temulentos, maximis vocibus, propalàm ad Cædem concitarunt. Plebs Irâ & indignatione æstuans, concursu ad *Pratorium* facto, in quo *Rex* & Judices ad Jus dicendum considebant, aditus globo Armatorum obsidet. undique perstrepentia exaudiebantur Arma; Minæ seditiosæ Multitudinis, modò in *universum Senatum*, modò in *Octoviros*; & confusæ Voces, *Gladium Gedeonis*, pro Deo ac Ecclesiâ postulantium: Maximèque ab *Octoviris* trepidabatur; quippè circumfusa Multitudo, nullo certo duce, (nisi *Alex: Vasio*, Nudum Ensem rotante, ac *brachium Gedeonis* invocante) dedi sibi *quatuor suprà memoratos*, ad Pœnam & supplicium clamoribus apertis flagitabat; ni præstaretur, Cædes & Incendia minabatur; Nec videbatut nisi pravi Voti compos, Maleficio & Injuriâ temperatura. Civium vesanus impetus, foribus *Pratorij*, & servorum frequentiâ ægrè coërcitus est, quominùs irrumperent. *Rex* haud secùs discrimine Senatus, quàm periculo suo anxius, *Marrium, & Canobiarcham Sancta Crucis*, ad mitigandas Civium Iras statim misit. qui Plebem lymphatam cæco furore, ad sanitatem flectere non potuerunt, Plebis concitatione, & seditione crebrescentibus. Judices rogati Sententiam de *salute Regis*, alij manendum intrà *Pratorium*, firmandos Clienribus Aditus censebant; alijs placebat, Comitum & Servorum Catervâ in publicum prodire, ne majore Multitudine circumsisterentur. Ipse *Rex* intuta, quæ indecora ratus; Patientiam suam, non defectionis Remedium, sed Irritamentum fore animadvertens; Peticulum Audaciâ discussit; dictitans æquius esse Mortem subire, si *Principis*, ac Senatorij Ordinis Sanguine Manus imbuerent temulenti, ac perditi homines; quàm *Majestatem Imperij* fædare; per Medium forum, & tumultuantium Agmen, inter strepitus telorum, & Minas seditiosorum, ad *Palatium Sancta Crucis* intrepidè procedit; atque illum *Octoviri, Proceresque* circumsistunt; seditiosorum furori, *Octoviros* Proditores, & hostes *Ecclesia* proclamantium, verecundia & Reverentia *Regis* obstabant. *Primores* Civium, qui nihil ipsi moverant, circumire Plebem, admonere, ut viderent in quod discrimen Civitatem adducerent; *Opificum Decuriones* hortari servitia incitata, ut in asserendâ salute *Regis* adessent. Tandem Seditio vesanæ Turbæ, sinè vulnere, sinè sanguine resedit, suâ sponte; & compositi ad Obsequium Cives, Scelere & Audaciâ furentes.

Posteà magna succensus Irâ *Rex*, & *Proceres* de urbano Motu Consilia inire incipiunt. Quidam liberius atque audacius disseruerunt, Arma adversùs *Regem* sumpta; Ipsum cum *Senatu*, in Curiâ obsessum; apertam in *Principem* Rebellionem; proindè *Incendio Urbis scelus expiandum*; *& Monumentum ad sempiternam sceleris Memoriam, erigendum censuerunt.* verum *Regis* lenitas prævaluit; qui *Commercio caterarum urbem Edinburgenam prohibuit*; *& Senatum, Judiciaque Letham transtulit: suos deinceps habere Magistratus, Pratoremque urbanum creare, vetuit.* De seditiosis sceleratisque Civibus, qui Armati Prætorium circumsederant, quæri jussit. Imperita Multitudo, cujus fortunæ omnes, & vitæ Præsidia, in Manu quotidianoque quæstu versabantur, Temeritatis gravissimas pænas sustinuit; ubi sensit Infamiam fædissimæ seditionis, inopiâ quæstus, cogitavit de Petendâ seu furoris, seu Erroris, Veniâ. Tum verò Magistratus urbani, qui Consilia cum sceleratis non consociarunt, abjectis Insignibus, *habitu Reorum* ad Regis pedes strati, ut supplicibus ignosceret, flagitantes. Nihil publico factum Consilio demonstrant; deprecantur, ut veniam Concivibus suis, vel Errore lapsis, vel furore vesaniâque fatali impulsis, daret; Nequè propter Temeritatem, Levitatemque Vulgi, Mutationis cupidi, gravius de Civitate judicaret. Ad hæc *Rex* respondet; se magis Consuetudine suâ, quàm Merito eorum, Civitati Impunitatem, Abolitionemque concedere. Vicit sceleris Attocitatem quotidiana *Regis* lenitas, & Mansuetudo ergà omnes suos: Nihilque gravius statutum, quàm ut perniciosi Cives, qui *Authores* seditionis, & *hortatores* Cædis extiterant, urbe eijcerentur. Exilium remissum, Modica tamen pecunia exacta. *Regia urbi* quies reddita, non sinè *Catharorum Infamiâ*. Privilegia, & *Iura* redintegrata. *Forbosius, Lindesius*, & complures illustres Equites, contaminati facinore, in Custodias traditi. *Brucius, Balcanquolius, Vatsonus, Balfourius, Ministri Edinburgeni*, qui seditionem aluerunt, *sacerdotij dignitate*; *solenni ritu, privati*: & in Jus raptati. cum non adessent, *hostes publici judicati sunt*. Reliqui Urbani Mystæ, *Ecclesiastico Muneri servire noluerunt*. fuit urbs Regia *sine Concionibus*; undè incredibilis, ac singularis dolor exortus est. *Clausa Templa Dei Immortalis*: Tecta Civium, & Fora, nulla domus doloris expers, & vix secreta domuum sinè querimoniâ, mæsta Plebs; dejecti in terram Magistratuum vultus, rigidi, & tristes; Matronæ, virginesque, squalore & Mætore confectæ; voluentes in animis *Brucij venerabilem Speciem*, & Voces in Suggestu suprà humanas: graviter queruntur, Pastores à gregibus abesse tâm diu. *Rex* respondet, se Nimium Mitem, ad eum diem, ergà *Ecclesiasticum Ordinem* fuisse; quod *Obtrectatores Principum, turbidis Concionibus Populum cientes, impunè tulerit*. Plebi in Memoriam revocat, Consternatione proximâ, seditiosas adversùs *ipsum & Senatum*, Voces; ad sanguinem, & Cædem deposcentes *Octoviros*; quorum vigilibus, & laboribus, Publica salus *Principis & populi* procurata esset. abolere Memoriam Novissimi Tumultus jubet; nec protegere *Obtrectatores Principis*, exitium Reip: querentes; aut Requirere rursùs duces & Auctores, *Libertatem Ecclesia* præferentes, ut *Imperium Regium* evertant, Reges Regno exuant, nisi tempestivè obviam eatur: Cujus voti si compotes nunc fierent, nullam Moram Seditioni fore. Ad hæc, sibi Curæ esse dixit, nequid detrimenti caperet *Navis Ecclesia Sacra*. Videri infensus adhuc *Ministris* voluit, quo submissiores fierent. tanta illi ergà omnes suos Mansuetudo,

1596. tantaque in Ecclesiam Indulgentia fuit, & Illius Ministros, nisi Authores Rebellionis forent.

Intereà nihil non à *Catharis* tentatum, cupidine retinendæ Potentiæ. Nam *Brucius*, tumultus *Edinburgeni* conscius, Complices ad Consilium convocat, adbibet agendi cogitandique Solertiam; literis, Nuntijsque *Proceres* ad opem ferendam in *Ecclesiâ Causâ*, sollicitat. *Ioanni Hamiltonio*, Regiæ stirpis Principi, summam rerum offert; ut *Ecclesiæ Incolumitatem* armis tueretur. qui *Catharorum* Tumultus aversatus, sibi cautius in posterum cum ijs agendum arbitratus est. Ac ubi intellexit *Ministros turbidos* non Ecclesiæ tranquillitatem, sed turbulentissimas seditiones spectare, confestim Consilia eorum ultrò detexit; & *Epistolam Brucij Nomine subscriptam, Regi porrexit*. qui nactus Chirographum ejus, id nullo modo tolerandum existimavit. Itaque Consultatione inter suos habitâ, sententias expromere jussit. Consiliarij, salutis *Regiæ* studiosi, censuerunt, Subditorum fidem labefactatam; summos Proceres in Reip: perniciem incitatos; Exemplum reliquis ad imitandum propositum; Reginæ Incolumitatis interesse, ne tanti Criminis gratia fieret; quod ad labefactationem status publici pertineret; ac Perniciem Reip: secùm traheret. Verum *Rex* Reip: & Ecclesiæ misertus, insitâ Naturæ indole, mitiora Consilia probavit; Et ad *Catharorum* potentiam infringendam, cautioribus Remedijs usus est. Mox ad *Ecclesiæ Emendationem* conversus, veterem Disciplinam, quæ in ordienti fuerat, reducere instituit, non Confestim, sed paulatim; non Minis, sed Precibus; non Imperio, & Auctoritate, sed suadendo, admonendoque; ne vim Conscientiæ inferre videretur; aut hostilis tumultus privatæ ultioni indulgere. Itaque Edicto, per *Pracones* evulgato, *Ecclesiasticos* omnes, qui rerum turbandarum Auctores non extitissent, *Perthum* convenire jussit. *Conventu Ecclesiæ* ibi habito, tractatum præcipuè de *Regimine Ecclesiæ*: ubi variæ quæstiones *de Politiâ Ecclesiasticâ* exagitatæ. Nec deerant *Cathari*, qui dicerent, *Disciplinam Ecclesiæ*, extrà omnem Controversiam positam, in quæstionem disceptationemque vocari non oportere; ad quam tenendam, si Numinis monitis non ducerentur, tamen gentis domestico, nativoque sensu traherentur, ad synceram Religionem, sinè Cæremoniarum Vanitate. Alij doctrinâ & Prudentiâ præstantes, contrà disseruerunt, *Disciplinam Cujuscunque Ecclesiæ non esse Immutabilem; sed Temporum mutationibus obnoxiam; Corrigi & Coërceri posse, arbitrio Cleri*. Atque huic sententiæ rationes subjecerunt acutas, crebrasque; quæ in hanc aut Illam sententiam Audientium animos inclinarunt. Tandem plurium suffragijs convenit, ut *quæstiones de Externo Ecclesiæ Regimine, in Synodo proponerentur; & Synodi decreto decernerentur*. Cathari in suâ pristinâ sententiâ perstitêre; ne parta potentia novis decretis aboleretur: pro quâ adeò pertinaciter, per *Quinquennium* pugnarunt. In hâc *Synodo* cautum est etiam, ne *Concionatores quenquam in Concione nominatim compellarent; neu Contumelijs acerbius insectarentur; Neminem nisi post debitam admonitionem, Coetu fidelium summoverent*. Additum fuit, ut Pastores, ad gregis sibi commissi curam sedulò attenderent; & dubios suorum animos Vitâ, Moribus, Exemplo, ac Verbi divini prædicatione confirmarent. *Cathari*, furore & Ambitione præcipites, subodorati clàm agi *de Iure Suffragij, in Comitijs Ecclesiasticis restituendo*; & de *Præsulum Ordine* rursùs stabiliendo; impedire rem non destiterunt, priusquam pluribus suffragijs decerneretur. Et delegatis *Presbyteriorum* persuaserunt, ne ullam partem *disciplinæ Ecclesiasticæ* innovari, aut in disceptationem vocari, paterentur: quos *Synodus*, Protestationibus eorum rejectis, qui suffragia ferrent, indignos judicavit. Ita *Synodus* dimissa est. hâc spe dejecti rerum Turbandarum Auctores, præsidia omnia in Conventum proximum, qui *Taodunum in Kalend: Majas* indictus erat, præparant: ubi Occasio esset dicendi, ac suadendi, quod quisque aut velit, aut optimum putet, *de Regimine Ecclesiæ*.

Res Anglicæ. Dum hæc in *Scotiâ* gerebantur, *Anglorum Regina* Caletum captum, in Franciâ prosperum *Iberorum* Successum, & *Batica* insuper arma ingruere, cernens; bello domestico *Philippum* implicare, ac ipsam *Hispaniam* infestam reddere Terrâ Marique statuit; ne *Hiberniam*, *Vltoniensesque* respicere posset; Classem instruit, Commeatu, Tormentis, Machinisque omnis generis. Edicto profitetur, instructam paratamque Classem, ut coërceret *Philippi*, minitantis perniciosum bellum, Ambitum; & omittere bellum, quod in Manibus erat, cogeret. Censet primo tempore in *Hispaniam* traijciendum. *Essexio* permittit, ut Ipse eligeret Milites, quos secùm in *Hispaniam* traijceret. *Carolum Havartum, Baronem Effingamium* Classi *Centum & quinquaginta* Navium præfecit. Omnia deindè Arbitrio eorum acta; divisaque belli Munia pari auctoritate; huic Classis cura, Illi Copiarum terrestrium, obtigerat. Indè *Essexius* Dilectum agit; Tyrones armat; instruit Militiæ Muneribus; per vexilla & Cohortes componit; disciplinæ & Imperio assuescit; edocet in Victoriâ decus esse, in Fugâ flagitium. *Havartus* Classem lustrat; Commeatum providet; Socijs Navalibus complet. Classiarij armati, instructique Naves conscendunt. *Batavi* in ornandâ Classe, adjuvant; *Duvenvordium* Præfectum, cum *quatuor & viginti Navibus* bellicis, & Auxilijs mittunt. *Carolus Havartus*, Præfectus Classis, cum *Octodecim* Navibus Regijs, & Multis alijs, magnitudine satis justâ ad præliandum, *Dorovernia* profectus, ad Ostium *Plini Fluminis* navigat; quo cæteras convenire jusserat; ac in urbis Portum Navibus est invectus; ibique adjunctis *Batavis*, ad lustrandam Classem substitit. Nunquam intentius res Navalis administrata. Sub-præfectus Classis, *Thomas Havartus*, cui Nobilitas, per Patrem, ex *Norfolcianâ* Familiâ. *Valterus Ralleius*, Prætorianorum Præfectus, in extrema curare jussus. Nec Segnius

disciplinæ

disciplinæ Muneribus fatigati Milites, *Octo Millia* fuere, præter *Batavorum* Auxilia, Nobiles volones, & Classiarios, stationes, vigiliæ, diurna Nocturnaque Munia in armis agitata. Miles, quia gladium adversus Centurionem strinxerat; atque alius, quia Signa deseruerat, laqueo puniti; quorum Morte exterriti cæteri. *Essexius*, *Franciscum Verum*, *Belgicâ* Militiâ clarum, Tribunum Militum, sive *Mariscallum*; *Ioannem Vingfeildum*, Equestris Ordinis, sibi per quàm familiarem, Præfectum Castrorum; *Georgium Careum*, ejusdem ordinis, Tormentorum; & *Conierum Cliffordum*, Tribunum Maximum constituit. Itidem *Sussexia Comitem*, Magnæ Nobilitatis domi; *Christoferum Blantum*, vitricum; *Ricardum Vingfeildium*; *Thomam Gerardum*; *Mathaum Morganum*; *Gulielmum Vaileboßum*, Equestris dignitatis, legionibus Tribunos dilegit; & *Eduardum Vingfeildum*, Volonum ducem instituit. Inter duces convenit, ut unoanimo res gererent; in *Hispaniam* traijcerent; Metum inferrent hosti; averterent eò bellum; occuparent *Gaditanam insulam*, Hispaniæ imminentem, *Anglis* opportunissimam, Portu egregio. Causas belli inferendi *Hispanis*, Programmate testantur, non Cupidinem dominandi, sed ut *Britanniam* lacessitam summâ vi tuerentur. Exteros benignè monent, ut ab *Iberis*, *Lusitanis*, ijsque qui sub ditione *Philippi* essent, abstinerent; neu Ferro, frumento, Navali Materiâ, aut bellico Apparatu juvarent. Qui secùs facerent, se pro hostibus habituros. Igitur cum diu Copias Militari disciplinâ exercuissent, & Tyronem Militem opere assiduo corroborassent, ut brevi Veteranorum æquarent virtutem; florem, robur, ac dignitatem totius *Angliæ* secum ducentes, Militibus impositis, ac sublatis Anchoris, *ineunte Iunio*, Altum petunt, & prosperâ Navigatione usi, ac *Lusitaniæ* litora prætervecti, *Gades* in extremo *Batica Provincia*, ita maturè perveniunt, ut Classem *viginti quatuor Triremium*, *quinquaginta magnarum Navium*, & aliquot Onerariarum, instructam paratamque in Portu, nihil minus, quàm hostem, aut Prælium expectantem, invenerint. Consilio indè habito, *Essexius* conspectô hoste, impatiens Moræ, ait, non exspectare belli tempora, inutilem Cunctationem, aut dilationes. Ipse invadendam Classem, occupandam Insulam censet. Denuntiatque, ut Milites armati paratique essent ad pugnandum. *Ralleius*, & Præfectus Maris, ancipitia Consilia non probarunt. Postero die, communi Consilio decretum, *Civitatem Gaditanam* expugnari non posse, antequàm Naves in Portu aut captæ, aut depressæ essent. Hoc Consilio probato, *Angli* parant instruuntque se alacriter ad Navale Certamen. Classe divisâ, ex utrâque parte fauces sinus tenent; & egressum *Hispanis* in Mare apertum intercludunt. Magnus pavor, ac tumultus, in re inopinatâ fuit. *Didacus Soto*, Prætorianæ præfectus, cæterique *Triremium* Præfecti, conspectis *Anglorum* Navibus, Munimentis ac Littoribus melius arceri, quàm Mari hostes posse rati, ad proxima Propugnacula, & Turres confugiunt; & *Anglos* adire propius, Castella, atque Turres editæ prohibent. Hinc *Ioannes Vingfeildus*, vir summæ audaciæ, cum levioribus Navigijs insequi jussus, ut erat illi imperatum, superat Alvei Angustias; in sinum penetrat, fortiter se ad Triremes convertit, & ab utroque latere Remos detergit; Machinarum fragore, saxis & telis ancipitibus è Propugnaculis, & speculis, summoveri non potuit. *Verus* quoque *Mareschallus*, in Triremes impetum fecit, quæ undiquè vehementer oppugnatæ, sibi Fugâ consuluerunt. quarum aliæ se littori applicant; aliæ superato *Ponte Suaco*, diffractis Malis, Arte atque Solertiâ se explicant, & *Rotam* Maritimam urbem appellunt. Interim adlabente Aestu, Majores Naves *Anglica*, summique duces, & bello clari *Thomas Havartus*, *Valterus Rallejus*, *Franciscus Verus*, *Robertus Southvellius*, *Georgius Careus*, *Alexander Cliffordius*, *Robertus Crossus*, ac reliqui Præfecti Navium, undique concurrunt, & Majores hostium Naves in Angustijs sinus, sub *Puntella* Arce tutas, magno impetu, & ardore Animi adoriuntur. *Essexius*, cui cupiditas Naturâ insita, bellicam gloriam augendi, Propr ætoriâ Nave in hostes tendit. primum impetum *Anglorum* constantius sustinuerunt *Hispanorum* Navales Copiæ, quàm quis facturas crederet. & venientibus in Angustijs Freti, adversæ occurrerunt; & magnum in Angusto sinu prælium inierunt. Deindè, cum Milites Nautæque virtute *Anglorum* caderent, aut vulnerarentur, labare cæpêre. Postremò, cum se Terrâ Marique cernerent circumventos, neque per fauces erumpere in Mare apertum posse; audaci facinore Prætoriam Navem *Philippicam*, *à Philippo Apostolo* denominatam, incendunt, ne *Angli* potirentur; Navis tantum jactura facta; Milites Nautæque nando incolumes evaserunt in propinquam terram. hinc cæteris terror injectus; quæ ut Prætoriam Navem incensam videre, & duas alias Regias ex Incendio concepto igne ardere, trepidantes passim diffugiunt. *Tres* Incendio absumptæ; *Tres* in terram velis abreptæ; Multæ globis perforatæ, fluctibus absorptæ sunt. & *Oneraria Indica quadraginta*, & Mercatorum aliquot, cum suis Oneribus, frumento, Armis, Tormentis, Armamentis, ac Mercibus captæ. Item *dua Regia*, magnitudine cæteris præstantes, Apostolorum *Mathai & Andrea nominibus* insignitæ, in *Anglorum* potestatem venêre. Cæteræ dissipatæ, aut depressæ: *Anglicis* incolumibus omnibus. In repentino hoc discrimine, multi Nautæ Militesque, desperatione salutis coacti, se in Mare præcipitaverunt: pauci nando in littus evaserunt, plures capti, aut crudeliter in fluctibus interfecti, Alij natantes, flebili vociferatione Misericordiam implorarunt. *Præfectus Maris*, partâ victoria, Calamitate Miserorum permotus, in Scapham festinanter desiluit; Natantium Cædem inhibuit; & Ignem extingui quàm celerimè jussit; ne Incendium latiùs serperet. Ita Clementia non minorem admirationem hostibus, quàm victoria attulit. Prælium à diluculo usquè ad Meridiem continuatum fuit. Dimicatione Maritimâ fæliciter confectâ, omni diligentiâ *Essexius* contendendum existimavit, ut reliquam fortunam periclitaretur, *Insulam Vrbemque* in suam

1596. potestatem redigeret. Quo capto Consilio, Copijs è Navibus expositis, Aciem instruit, Milites in stationibus, locis idoneis disponit. *Covierus Cliffordus*, Tribunus Maximus, *Christoferus Bluntus*, & *Thomas Gerardus*, Nobiles Equites, cum aliquot expeditis Cohortibus *Pontem Gaditanum*, qui Insulam Continenti conjungit, occupavêre; ne Oppidani, si superarentur, se ex urbe subducerent, & fugæ se dedarent; neu Auxilia ex Proximâ Continente accercerent. Ipse *Essexius*, cum *Sussexia Comite*, & Magno Nobilium Globo, ad urbem quàm maximâ celeritate contendit. *Hispani*, qui in Præsidio erant, *Equites quingenti*, & *Pedites septingenti*, gloriam ingentem rati, si armis potius & Virtute, quàm Mœnibus urbem tuerentur, *Anglis* in medio Itinere, inani neque impunitâ Temeritate obviam eunt. Comes *Ludovicus Nassovius*, cum Auxiliaribus *Batavis* fortiter occurrit; sed *Præsidiarij* dum alij trepidè cedunt, alij segniter subeunt, multis vulneratis interfectisque, recipiunt sese. Strenui Ignavique *Angli* quidam, permixti fugientibus, in urbem irruptionem frustrà tentant. *Marescallus Verus* subsecutus Portam aggreditur, convellitque repagula, & irrumpit unà cum *Essexio*. Eodem tempore alij *scalis appositis* Muros transcendunt. Primi desiliunt *Evanus Sussexij legatus*; *Arthurus Savagius*, Cohortis Essexianæ ductor; *Polus* ejus vexillifer; *Samuel Bagnalius*; atque hos multi subsecuti sunt. Indè in totam urbem discursum; *Anglos* cum tumultu discurrentes, Acie in *Foro* instructâ, justo Prælio aliquamdiu *Gaditani* sustinuerunt; & ex Tectis ædificiorum, lapidibus tegulisque propulsarunt. Nec multo post, *Havartus*, cui Classis cura obtigerat, Maritimæque rei Imperium, à *Reginâ* mandatum, expertem se belli gloriæque ratus, nisi *Essexium* Classicorum viribus juvaret, cum Navalibus socijs, & multis Nobilibus comitantibus, supervenit. Cujus adventu territi Oppidani, *Relicto foro*, abjectis galeis, scutisque in *Arcem* aut *Basilicam* confugêre. Ita urbe vacuâ potitur *Essexius*, sinè magnâ Cæde, aut Sanguine suorum: Amisso tantum *Ioanne Vingfeildio*, Castrorum Præfecto, Illustri Equite. Postero die *Præsidiarij*, Mari obsesso, *Ponte* rescisso, ac spe omni Auxilij à Continente sublatâ, non magnâ vi adacti, Arcem dedidêre; pactique Vitam, & libertatem, *Centum ac Viginti Millium Aureorum* pretio; datis Nobilissimis *Obsidibus*, ac summâ redempti, sinè fraude inermes dimissi. *Essexius*, sicut in Prælio Magnanimus extitit, ita partâ victoriâ Clementiæ ac humanitatis laude, cunctis ad studium Nominis sui excitavit. *Anglos*, ad Remum damnatos, in libertatem restituit: *Hispanos* Captivos sinè pretio dimisit; *Feminis* neque Vestem, neque Mundum Muliebrem adimi jussit, emigrareque permisit, rerum suarum Jure concesso, quantum quæque humeris posset, efferendarum, multùm indignante Milite, aviditate Prædæ. Tum *Essexius* benignè allocutus est Milites, testatusque, quæ præstitisset fœminis; direptionem prohibuit; ac avidum eorum animum Voce, vultuque temperavit. Posteà *Sancti Philippi Munimentum*, & circumjecta Castella, metu perpulit ad deditionem; quæ mox dirui jussit: & *Vniversam Insulam* in potestatem redegit. *Vingfeldij* funus in Castris celebratum. Ipsi summi duces Exequias funeris prosecuti sunt, cum laudibus, & lachrymis tulêre Corpus: viri Militares, duces, Tribuni, Præfecti, Centurionesque, ad exequias cohonestandas convenerunt, atque omnibus laudibus prosecuti sunt. Funeratus est Amplissimè in *Aede Sancta Crucis*. *Essexius*, cum plurimis lachrymis, Amico funerato, Milites prout Cujusque virtus in Prælio enituit, Præmijs, aut Equestri dignitate decoravit. Aliquantò indulgentius non solum *Anglis*, sed etiam *Exteris*, qui in bello usui fuêre, & Labores, & discrimina & gloriam communicavit. *Bagnalium* & *Savagium*, viros fortes, Sanguine, ac Sudore perfusos, eximijs ornavit laudibus, & addidit verbis honorem Equestrem. *Sussexia* Comitem; *Ludovicum Nassovium*; *Christophorum Lusitanum*, Antonij Regis filium, dominum *Habereum*, Vorcestriæ Comitis Primogenitum; Dominum *Burkum*, Hibernicæ gentis; *Guilielmum Havartum*, Præfecti Maris filium; ac *Quinquaginta Septem alios*, qui in prælio strenuè se gesserant, in eundem Ordinem allegit.

Navalis prælij eventu, utrinque duces, diversis animi motibus, erecti. *Bætica Ora* curam agebat *Metimnensis Sidoniæ Dux*, Philippicæ Classis Præfectus. Is metu perculsus, quid *Angli* agerent circumspiciebat. Concitâ gente, arcere Continentis finibus *Anglos* animo agitabat, & vastitatem *Hispaniæ*, ac direptiones urbium prohibere. Nec satis virium ad arcendum erat. Classi quoque *Triginta duarum Onerariarum* Navium, in *Portu Regio* faces intulit, ne ab *Essexio* missæ *Liburnicæ* opprimerent; Port Real. atrox Consilium, & asperum remedium. *Essexius* successus suos urget, instatque fortunæ; quippè proximi Maris Oram fama victricis *Classis* peragravit; hinc latè Terror magnus, & incertus. Maritimi Populi obstupefacti, bona, Conjuges, ac liberos, in loca tuta transferunt; & fumantia deserunt recta, antequàm pellerentur. Deditâ Insulâ, ac vastatâ, vocatis Præfectis, Tribunisque, deliberatum, *Vrbs retinenda*, nec ne? apud Peritos rei Militaris diversis sententijs certabatur. Quidam Vallo, fossâ, Præsidio, firmandam censebant; ut *Philippi*, generosi & potentis *Regis*, vires indies obterentur. Alij affirmabant, in discrimine transvehi à Britanniâ Copias, & Commeatum non posse; Diremit Consiliorum diversitatem *Essexius*, approbata posteriore sententiâ. Quod si tantum Militum *Anglorum* fuisset, ut urbs tenen Præsidio potuisset, ac Commeatu sublevari; *Gaditana* Insula, Mercatorum fræquentiâ celebris, Opibus abundans, & *Bætica* Regionibus imminens, *Philippo* adempta foret. *Templum Numinis*, magnis sumptibus extructum, sartum tectum servatum est. *Vrbs deleta* & solo æquata est; quia sinè valido Præsidio, in terrâ hostili, defendi nequiebat. Et postremò Ignis immissus. *Vrbe direptâ*, incensaque, Præda omnis ex hostium Spolijs, primò antè urbem exposita est: deinde in Naves imposita, Posteà cum Captivis in *Angliam* missa. Ferox victoriâ Exer-

citus,

1596. citus, in Continentem trangressus, non *Agros modo* ejus Oræ vastavit, sed *Vrbes etiam Maritimas*, satis opulenras, *Rotam*, *Pharum*, *Algarbia opidum*, cujus Incolæ cum omnibus bonis profugerunt. *Portum Sanctæ Maria*, *Sancti Lucarij*, cæpit; & *Hispaniam*, qua Oceano ambitur, crebris damnis afflictavit. Quamplurimas alias Naves exussit; *Tormenta ænea* majora *Centum* asportavit. Et *duas Galeonas* maximas, ad Classem adaugendam, Arma, Armamenta; & omnem Apparatum ad rem Nauticam congestum, flammis absumpsit. Tandem Classis, pluribus locis prædata, prosperâ Navigatione, ingenti Prædâ, gloriâque majore, *Portum Plimouthensem* tenuit.

Essexius è Navi egressus, hujus Expeditionis & gratiam, & gloriam tulit, favore Vulgi, atque benevolentiâ. Itaque faustis Acclamationibus, Illo viso, universa Plebs Plausu, Vocibusque ingens lætitiæ signum dedit. Id ægrè tulêre *Havartus*, Præfectus Maris; & *Ralleius* cui plurima rerum Maritimarum experientia. Undè discordia, & Initium Aemulationis; querentibus *Havarto* & *Ralleio* præreptam sibi gloriam, ac fructum laborum. Multi quidem certè crediderunt, nimijs vulgi studijs succensuisse ipsam *Elizabetham*: conjectaruntque, famam virtute bellicâ partam, *Comiti* exitialem fore. Atque hoc rei exitus indicavit. incendit & Ipse *Comes* studia Civium, omni genere Popularitatis. Milite dimisso, cum Tribunis, Præfectisque ad Aulam festinavit, adijtque *Reginam* venerabundus, debitâ fide, ac Pietate: quæ Illum, & *Præfectum Maris* magni amoris significatione excepit, atque omnibus laudibus prosecuta est. Singulis Tribunis, Præfectis, Centurionibusque, pro strenuè navatâ operâ, maximas gratias & egit, & habuit; Militumque fortitudinem collaudavit; sed parcè remuneravit. *Franciscus Verus*, pro tot laboribus susceptis, periculisque aditis, *Briela Præfecturam*, Baronis *Shefeildij* Cessione vacuam, quasi Mercedem rerum gestarum petijt. Neque statim obtinuit, adversante *Procerum* factione; & querente *Essexio*, egenam Nobilium turbam, nullâ *Principis* Munificentiâ juvari; annitenteque per partem *Procerum*, ut Præfectura alicui Nobilium daretur, ad Cæterorum solatium. *Regina*, quæ Candidati vetustam Nobiliratem ex *Oxoniensi* familiâ, Fidem, fortitudinem, ac diligentiam penitùs perspectam habuit, cæteris potentissimis Competitoribus prætulit; & *Briela* urbi, ab *Ordinibus oppignorata*, præposuit, quamvis *Ordinum* stipendio militaret. *Vero nihil Verius dictitans*, Essexius immemor quo præcipuo Adjutore in *Gaditanâ expeditione* usus esset, ne *Vero* daretur Præfectura, frustrà operam dedit. Quâ Injuriâ accensus, *Cecilios* officiosè posteà coluit. Hinc animorum dissensio inter *Essexium* & *Cecilium*, acrius erupit. Quâ de Causâ Contentio orta sit videamus.

Essexius nimium Procerum Ordini deditus.

Essexius, digrediens in *Hispaniam*, *Thomam Bodelium*, Equitem Summæ prudentiæ, diligentiæ, fidei, in Petirione *Secreti Muneris*, enixissimè commendavit; *Robertum Cecilium*, Competitorem, acerbissimè insectatus est, ob deformitatem Corporis, ac Aleæ studium: At Animi deformitatem, ob Solertiam Ingenij, Prudentiamque, exprobrare non potuit. Mox *Robertus Cecilius*, absente *Essexio*, in *Gaditanâ* Expeditione, in *Secretarij Munus* allectus est. Neque *Bodelius*, Competitor, secundum locum obtinuit; prævalente *Burlai* Quæstoris Authorirare; qui eo tempore Munia Reip: obivit; etiam invalidus senectâ, ad subsidium Reip: *Robertum Filium* adscivit; atque *Praturâ* etiam Ducatus *Lancastrensis* auxit. Hi anxij Odijs, non Consilijs solum & studijs, sed animo & voluntate diffident; comparanrque, ad securitatem futuri temporis, Amicos, Clientes, & Propugnatores. *Comes*, Observantiâ, *Reginam*; Munificentiâ, *Regios* Ministros; Benignitate, Clementiâ, Mansuetudine, *cunctos*, in studium sui pellexit. *Burleius quæstor*, & filius *ab Epistolis*, omnium rerum Administrationem in se traxerunt, obligaruntque semper Magistratus, & Primores Senatus; *Reginam*, Fide, Observantiâ, & Modestiâ devinxerunt: neque quenquam ad ullam Publici Muneris partem pervenire passi sunt, nisi suæ Factionis Proceres. *Essexius*, ex Consilio Amicorum, Inimicorum potentiam pacatè, & moderatè tulit, in omnia rerum gerendarum momenta intentus, si Occasio daretur: quæ non diu defuit. Nam recens Victoria, magnum metum *Iberis* hostibus injecit. Itaque *Philippus*, reparandæ *Classis* curam non omittit, ut damnum acceptum ulcisceretur; aboleret labem prioris ignominiæ, & recuperaret gloriam. *Olisippone* Classem reficit, & propugnatoribus instruit; Exterorum Naves, in Maritimis *Hispania* Portubus Mercaturam facientes, armat. Præfecti Navarchique, omni studio, ad ornandam *Classem* incumbunr, & *Hibernicis* Militibus impositis, *Fariolam* plenissimis velis navigant. Indè in *Britanniam* traijcere contendunt, ut hostes inopinantes opprimerent. Verùm in medio Cursu, Imbres, Nimbi, Procellæ, Turbines, *Classem* vexarunt, ac dissiparunt. magnâ parte Navium depressâ, Exteri Mercatores, qui Superfuerunt; & Regionis Maritimæ Nautici homines, ad domesticum Commodum revertêre. Meminit hujus turbidæ Tempestatis *Camdenus*, in historiâ, & *Dissipata Classis*. Sed ego neque legendo, neque Audiendo, ab Alio quoquam traditam comperi. Pervulgato rumore, seu vero, seu ficto, Aulici *Reginam* laudibus extollunt; fortunam illius admirantur; recensentque hos *Vergilij* versus

O nimium dilecta Deo, cui militat æther;
Et conjurati veniunt ad Classica Venti.

Illa læta prospero rumore, & rebus suis secundis, omnia *Castella* urbium, & Regionum Maritimarum, properantius refecit; Idoneos Milites imposuit; & omnibus Ostijs fluminum Naves disposuit, ad Custodiam Oræ Maritimæ. Cunctis Officijs *Francum* coluit; ac arctiorem *Societatem Offensivam*,

1596. *& defensivam*, adversùs *Philippum*, cum eo inijt; Duce *Bullioneo*, Magistro Militum, & *Sanchio*, Auctoribus, qui pepigêre, ut Amicitiam, societatemque renovarent; *Philippum* continuâ bellorum seriè Terrâ Marique frangerent; ad Consortium belli Cæteros *Europæ* Reges, missis legatis illicerent; *Francus* Pacem cum *Philippo* non faceret, inconsultâ *Reginâ*: aut Inducias, nisi caveret, ne *Reginæ* Socijsvè bellum inferret. Idem *Angli*, Socijque, *Franco*, & ijs qui sub Imperio ejus essent, præstarent. Fervente jam in *Picardiâ* bello, *Regina* quatuor *Millia Anglorum* Peditum conscriberet, armaret, transmitteretque; qui *Franco* stipendio militarent. Et in quem locum *Picardiæ Rex* jussisset, convenirent: modo non distaret à *Bononiâ* Maritimâ *Quinquaginta* Millia. Passim Numerum Illum Militum, de die in diem, *Regina* suppleret, & stipendium in Sex Menses persolueret, urgente *Aerarii Gallici* inopiâ. Adijcerunt etiam, ut *Angli* qui *Regi* militarent, Officiarijs Regijs subijcerentur, plecterenturque, si delinquerent. Hâc lege tamen, ut Tribuni, Præfectique *Anglici* adhibiti in Judicijs assisterent; causas eorum cognoscerent; dimitterentque eos, quibus aut Senectus, aut Morbus justæ Excusationis causæ essent. Si *Anglia* Bætico bello turbata esset, *Francus* idem Auxilium præstaret; & stipendia *Regina* persolueret. Denique, alter alteri omnem Apparatum bellicum suppeditaret, ex Partis utriusque Commodo. *Mercatores* utriusque Principis, ex Conventione mutuo se defenderent. Hæc scripta pariter, probataque Auctoritate *Reginæ*; quæ mox *Vico viridi*, circumfusa *Procerum* turbâ, in hæc Juramentum præstitit. Miscuêre se Fæderi *Batavi*, adversus vim & Injurias *Iberorum*, pro Patriâ pugnantes. *Bullonius* Tribunus *Francorum*, & *Sanchius*, Auctores *Socialis fæderis Defensivi & Offensivi*, Pacta à *Gallis* inviolata fore, Jurejurando Sanxêre. Missus in *Galliam* Gilbertus *Talbotus*, Salopiæ Comes, ut Jusjurandum ab *Henrico Rege* exigeret; & *Periscelidis* Militari Ordine ornaret. *Londini* ab *Elizabethâ*; *Rotomagi* à *Franco*, leges & Conditiones Pacis, Solenni Sacramenti formâ firmatæ. Itaque ingenti Consensu adversùs *Philippum* bellum decretum, & Summâ vi gestum. Nec multo post *Thomas Baskervillus*, cum Auxilijs *Anglicis* in *Picardiam* missus est.

Hoc tempore *Thomas Arundelius*, Equestri loco ortus, in *Angliam* redijt; qui erat apud *Rodolphum Cæsarem* in magno honore, ob singularem fortitudinem, & strenuè navatam Operam, in *Bello Turcico*. Hunc *Cæsar Germanicus* amplissimo *Comitis honore, & Nomine ornavit*. Liberos quoque ejus, qui vel jam nati essent, vel postea quoquam tempore nascerentur; posteros itidem, & Descendentes legitimos, utriusque Sexus, procreatos, & procreandos, *Sacri Imperij Comites, & Comitissas creavit*. Rei Novitas, in Congressibus, Colloquijsque sermonibus Vulgi variè celebrata est. Mox in Cætu *Procerum* quæstio agitata, *an Honorarius Titulus à Principe extero, inconsultâ reginâ, subdito concessus, è Dignitate, vel utilitate Regni Angliæ* esset? Quidam in re præsenti disceptarunt, Præmia virtutibus proposita esse; & à quocunque *Principe* fuerint indulta, benè merentibus Jure deberi: pronuntiaruntque, Nolle se damnatione hujus Tituli, de *Cæsaris* Potestate Præjudicium fieri; nec revocare in dubium, quod *Senatus* censuit, & *Princeps* jussit. Nam *Henricus tertius, Anglorum Rex*, Reginaldum *Mohunum, Comitem Somersetti, Papali Auctoritate creatum*, festinavit agnoscere, Pacis & Concordiæ causâ; ne contrà dicendo Orbem Terrarum turbaret. *Maximilianus* primus, Imperator, *Robertum Cursonum*, Anglicæ gentis virum Militarem, & magno animo præditum, *Sacri Imperij Baronem* creavit. *Henricus* VIII, fortibus factis præmia deberi judicavit, in Numerum *Baronum Angliæ* adscivit, & Annuam pensionem, ad sustentandam dignitatem, præbuit. Alij contrà disseruerunt, honores Judicio Studioque *Principis* deferendos, subditis bene merentibus; Cæteros dispoliandos gradu honoris, quem consecuti sunt *Externi Principis* gratiâ, Ambitione Militiæ, vel qualibet fraude; nè Peregrinos honores expetere assuescerent. *Regum* omnium *Majestatem* minui, & subditorum Obsequio detrahi, si *Peregrinos honores* ambire permittantur. Itaque usurpare non licere *honorarios Titulos, à Cæsare indultos*, extrà Metas *Romani* Imperij: & ejusmodi Titulos Illecebras esse, ad subditos à debiti Obsequij amore deducendos, ad externum servitium. Periculosum esse, dignitate & Opibus externis florere ambitiosos homines, cum Indignatione domesticorum *Procerum*, & discrimine *Principis*. tacitum enim Pactum, inter Honorantem & Honoratum, intercedere. *Regina*, auditâ inspectâque re, Novum Comitem in nullo honore habuit. Vulgus, intempestivè blandiens, ei *Comitis Nomen* tribuit. Illa nullum honorem, nisi Verborum, ei tribui passa est; quia noluit Oves suas alieno stigmate inuri; vel Alieni Pastoris sibilum sequi. Posteà *Rex Iacobus*, Authoritate suâ finivit disceptationem; & mandavit ei dignitatem *Baronis Angliæ*, monuitque ut *Cæsarei Comitis* vanâ usurpatione abstineret.

Hoc Anno concessêre vitâ viri Clari; *Ioannes Puckerinus*, Custos Sigilli, Appoplexiâ extinctus est. In locum defuncti, *Thomas Egertonius*, modicæ Originis, orandi validus, annitente *Essexio*, suffectus est: qui in *Collegio Lincolniensi* Jus Municipale didicit. In hoc Juris studio multum vigilavit, laboravit, & præcipuam Curam duxit, sensum animi quàm apertissimè exprimere. Mox in Pulvere forensi, successu eloquens, descendit in Arenam litigantium; & gradatim omnes honores percurrens, ad Præturam, & Pecuniosam senectam pervenit. *Henricus Careus*, Baro Hunsdonius, Cubiculo *Reginæ* Præpositus; *Bervici*, & Limitis Orientis Præfectus, & *Periscelidis Eques*, Senex Mortem obijt. Præfectura *Bervici*, & Limitis Orientis Præfectus, *Villonbeo*, Baroni, summo duci, vitam quiete & Otio transigenti, rumore vulgi destinatur. Mox multo verborum honore cumulatus, electus à *Reginâ* Successor. Præpositusque Limiti Regni, intigrè ac strenuè se gessit.

Anglos

Anglos Scotosque finitimos, pari Justitiâ, & rarissimâ Moderatione continuit. Nec multo post *Richardus Fletcherus*, Præsul *Londinensis* splendidus & magnificus; infaustum Matrimonium contraxit, cum Viduâ; quam, ut fertur, à Meretrico quæstu abduxit, & in Conjugio stabili collocavit. Hæ Nuptiæ non diuturnæ fuerunt. Nam ejus viri exitum, dignum vitâ fuisse, tradit *Camdenus*, in historiâ. qui dum se à Curâ & Angore Animi, ex infaustis Nuptijs, poeti haustu recreat, & perductum Spiritu fumum diutius faucibus premit, animam efflavit; ac Famulorum animos stupore defixit. 1596.

Hoc itidem Anno, *Henricus Hastingus*, Huntingdoniæ Comes, Eboracensis Præses, vivis exemptus: Vir æquâ Mente, Syncerâque Religione præditus; qui unicam Veritatem, Orienti Ecclesiæ à Christo proditam, & Apostolorum Ministerio per universum Orbem diffusam, amplexus est. & Innocentiam in familiâ suâ reviviscere videt; quam, Ministros zelo flagrantes immodicè fovendo, penè ad Inopiam redegit, & Posteros suos Comites. Nam Moriens ex *Leicestrij* Comitis Sorore nullos liberos reliquit. Hanc ego immodicam Patrimonij profusionem mirari magis, quàm laudare, possum. *Præfectura* deindè Regionis *Eboracensis*, *Huttono Archiepiscopo* permissa est; qui sine *Præsidis* Titulo Provinciam integrè administravit.

Hoc etiam Anno *Tonitrua*, *fulmina*, *Prodigia*, *& Cælestes Minæ*, ultrà solitum homines terruerunt. In Agro *Sommersettensi*, Urbeculæ Episcopalis, cui à fontibus *Velles* nomen, Templum pulcherrimum, Statuis Priscæ Artis, antiquo & exquisito opere è saxo cælatum, *Die Dominico*, magnâ Plebis frequentiâ, fulmine concussum, & ardere visum; ingenti Populi consternatione, Planctu, & lamentatione: *Flamma* undique circumvolitans, omnem Multitudinem circumplexa est, majore formidine, quàm damno. quippe Vestes & Capilli ambusti, intactis Corporibus. *Terræ Motus* horribilis, eodem Tempore, in Agro *Cantiano*, factus est. diductâ Terrâ descenderunt sepimenta, & Arbores; multis locis labes facta; Visa in excelso, quæ plana fuerant. Fædis Tempestatibus aucta Alimentorum pretia. Hæc tàm perspicua Cælestis Iræ Exempla, omittere visum non est; cum ab alijs sint Posteritati prodita; & constanti vulgi rumore pervulgata.

Res Hibernica.

Cæterùm Motus *Hibernicus* ingravescens, curæ erat. Adhuc vexabat *Vltoniam Tironius*, adjutus *Regulorum* Auxilijs. Sententia *Proregis* una & eadem semper erat, ut bellum gereretur; sibi Equites *Trecentos*, & *sex Millia* Peditum deposcebat. Contrà disserebat *Norritius*, Certamen fore adversus hominem ferocem; summâ vi contendebat, ut esset ei Præteritorum Impunitas; ne *Iberis* se conjungeret; & magnum Belli Incendium excitaret. Anxia, & multiplici Metu suspensa *Regina*, litteris *Norritij* fit certior, in Officio fore *Tironium*, & Illustri Pænitentiâ satisfacturum, si è Rep: videretur. *Tironius*, quoque, per suas literas supplices, à *Reginâ* petijt, ne Temeritatis suæ pœnam Capite lueret. hinc publica expectatio deditionis; & imminuti sumptus Castrenses. Consultatum indè in *Senatu*, an Deditio publicè utilis? An honorifica Reginæ foret? Habitâ ratione Incolumitatis, & Commoditatis, haud spernenda visa est, securitati magis quàm dignitati consulentibus. Undè *Regina* Veniam ipsi, & Socijs *Regulis*, Misericordiam suppliciter implorantibus, tribui jussit; & Agros, belli fortunâ ademptos, restitui, si *O-Nealij Nomine* abstineret, & imperata faceret. deditque Mandata *Norritio præfecto*, & *Fentono* Equiti, à Secretis, viro acri. Cæterum uterque *Tironium*, Varreno, & *Santligero* Centurionibus Nuntijs, monebat, ut ad *Dundalkiam*, x x *Aprilis*, occurreret; & Clementiam potiùs *Reginæ*, quàm vim, in Perniciem casuram, experiretur. Ille virium infirmitatis conscientiâ sibi metuens, adversùs potentis *Regni* Opes, *Regij* Nominis amplitudinem, & ingentem famam Novorum Auxiliarium, ad diem dictum *Dundalkiam* venit. ubi *delegatos* obvios habuit. Mox, fide acceptâ, jussis subsistere Clientibus, genibus provolutus, *delegatos* veneratus est; vultu demisso, & Verbis supplicibus Misericordiam imploravit sibi, ac socijs *Regulis*: & *Reginam* absentem laudibus, gratibusque immortalibus extulit. Ea ficta Modestia Veniam ei impetrabiliorem fecit; multusque sermo de Pactionis Articulis, ultrò citròque habitus est. Tandem spes Impunitatis facta, & pristinæ gratiæ; si datis Propinquis *Obsidibus*, debitam in *Reginam* Fidem, & *Reverentiam* continuaret; si *O-Nelij nomine*, Plebis vexatione, & Turbis abstineret; si *Præfectos* Juridicos acciperet; Tributa, Vectigaliaque penderet; si Propugnaculum dirutum, & Pontem *Nigri fluminis* rescissum, repararet; si Consilia, cum Exteris inita, adversùs *Anglicam* nudaret. Pactionis Conditiones in Consilio *Rebellium* diu agitatæ; quas Jurejurando Sancto, & religioso confirmarunt. *Tironius O-Donellus*, *Mac-Guirus*, & cæteri *Vltonienses Reguli*, qui apertè Arma adversùs *Reginam* gesserant, æstivæ Expeditionis terrore, decrevêre *Necessitati* succumbere; & in præsentiâ omnia liberaliter polliceri; ut rebus suis interim per Otium consulerent; ac *Philippi* animum explorarent. Imperata facere non modò libentissimè, sed etiam hilariter promiserunt; fidemque suam, in re omni, interposuerunt, se in posterum *Reginæ* absquè fraude parituros. Fide acceptâ datâque, ac Loco & Tempore constituto, ad Obsides tradendos, *Veniale diploma* impetrarunt. Hâc Arte disjecto præsenti belli Apparatu, in interiorem *Vltoniam* redierunt. Delegatis, propositis Edictis, quæ cum Regulis in gratiam receptis pacta conventaque erant, denuntiant; suos Injuriæ, Maleficioque temperare jubent. Inde *Tironius*, & Reguli, exactâ jam æstate, & instanti Hyeme, contrà priorem alacritatem Promissa, varijs Postulationibus Avitæ Religionis; & Immunitatum à Tributis & Vectigalibus, quæ in immensum

excreverant,

1596. excreverant, eludunt: Postulata superba, & iniqua miscent; veteres querelas, & duriores Pactiones interponunt; alias atque alias dandi Obsides moras nectunt; & diem postulant longiorem. Dum hæc in *Vltoniâ* geruntur, literæ à *Philippo Rege* ad *Tironium* afferuntur; (nam ne in *Hispaniâ* ignotum ejus Nomen erat) quibus per Occultos Nuntios *Alphonsum de Cono*, & *Santiagum*, Rebellibus Auxilia, ac Stipendia offert: tuendis finibus societatem *Hibernorum*, adversùs *Anglos*, pollicitationibus, Donisque affectat: simul admonet Malorum, quæ tot Annis perpessi sunt; seque moveri Calamitate eorum, hostilia Indignaque patienrium, Disseritque violasse *Anglos* Sacrosanctæ *Sedis* Potestatem, in cujus fide *Hibernia* esset; *Pontificis* beneficiarium Regnum, datum ad propagandum Religionem, per Vim & Injuriam occupasse. Cæterum, quia, sine Interprete, non poterat conferi sermo, conventis Hispanis, secreto eorum Conventui, *Liffordi*, affuit *Hugo Boëtius*, Natione *Hibernus*, ut mandata interpretaretur; & *Georgius Camillus*, fidissimus Comarchi *Tironij* fratris Cliens, adhibitus est. Qui rem compertam, ad *Franciscum Stafordium*, Neuriensis Præsidij Præfectum, detulit; isque, rem tantam, ad *Senatum Anglicum*. Ut verò hac illac volitare fama Improbitatis & Perfidiæ cæpit, passim metus, & præcipua *Hibernici* Militis formido.

Pari audaciâ fortunâque, *Hibernicum Mare* ingressi duo Centuriones *Batisi*, cum Epistolis ad *Tironium*, *O-Donellum*, & cæteros *Regulos*. Ex *Hispaniâ* Arma, Nitrum, globos, advexêre. Quibus literis *Philippus* hortabatur *Regulos*, ut quàm latissimè bellum spargerent; ne se Insidis Pacis Conditionibus circumveniri finerent. Id si facerent, spondebat se propediem, magnas Copias missurum, & ipsis in tempore non defuturum. Magnificum lætumque Rebellibus, tanti Regis Auxilijs ambiri. At *Tironius* ingenio Solers, vim *Anglicam* propinquam reputans, longè Hispaniam; viresque *Philippi* attritas nuper *Classe Anglicâ*; Consilij ambiguus, quomodò *Hispanus* sustinere tantam Molem belli, aut propulsare Jugum servitutis, posset; ambiguè agere perseveravit. *Iberi*, More gentis, *Philippi* vires attollunt; si redintegraretur bellum, multa Armatorum Millia pollicentur. Id quidem pronis *Regulorum* animis ad credendum, facilè acceptum; verum *Ororcus*, *Mac-Villiamus*, & alij *Conactiæ*, & *Lagenia Reguli*, cum *Petro*, & *Iacobo Butleris*, *Ormundiæ Comitis Nepotibus*, ad Consilia belli revoluti, fidem ac societatem Armorum Chirographo & Jurejurando pepigerunt. *Tironius* autem, homo callidus, seorsim rebus suis consuluit, & inclinante in *Philippum* animo, ac Arte disiecto præsenti belli Conatu, Deditionem distulit; Consilium ex Eventu capturus: *Reginæ* Obsequium, studiumque Pacis simulavit, ne subito Dilectu circumveniretur. Denique *literas Philippi*, seu Fidei Pignora, *Proregi* protinùs tradidit; cum nihil aliud quàm Secretam seditionem meditaretur, ignominiosus & Intestabilis *Proditor*. Prorex *Rebellium* licentiæ occurrit, atque obsistit: adversùs *O-Madenum*, qui novam Rebellionis flammam accenderat, ad bellum gerendum proficiscitur; fortissimumque ejus *Castellum* operibus cingit: Paucis diebus in Obsidione consumptis, expugnavit; *Præsidiarios* omnes, ob Ostentationem fiduciæ, obtruncari jussit; & ipsum *O-Madenum* in ordinem redegit. Ingruente Hyeme, *Tironij* perfidia & Improbitas, ex occultis insidijs, in apertum Latrocinium erupêre: publicè enim, contrà Pactiones firmatas, & obsignatas, egressos Milites Munimentis, cædendis Materijs, ex Insidijs obtruncat; Commeatum *Armachæ Præsidiarijs* supportari prohibet; *Castello Carlingfordiæ* tendit Insidias. Erant autem non *Vltonienses* modò in seditionibus; sed *Lageniam* etiam & *Conactiam* incolentes populi ad Manus & Arma conversi; seu Mutationis rerum cupidi, ob *restrictum & perseverum Imperium Bingami præfecti*; seu, quia se subjectos *Anglorum* Imperio dolerent: Eos vehementer instigante *Tironio*.

Vulgato *Vltoniensium* tumultu, *Conactiæ* & *Lageniæ* rebelles complures, *Anglorum* Pagos repentè aggressi sunt, in Regione quæ *Vexfordia* appellatur; atque procursando recipiendoque sese acriter pugnaverunt; Agrestem Prædam abegerunt; interfectis, aut fugatis incolis, omni vastitate Regionem illam fædaverunt. Incolæ igitur spoliati, & bonis exuti, *Proregem* adeunt, de damnis atque Incendijs flebili ejulatu conqueruntur. precibus obsecrant, ut vel Pace, vel quâcunque aliâ ratione, tantis Miserijs Aratorum remedium adhibeat. *Russelius*, ne quid in se Opis esse videretur, resistit *Teachum Mac-Hugh*, infinito labore suscepto. quacunque se venerit, persequitur; neque vagari latius patitur. At ille latebris se eripuit, socijs *Rebellibus* cæsis, aut dissipatis. Tandem à *Milburno* Centurione, latibulo extrahitur, & ferro obtruncatur; Caput abscissum, & *Dublinium* delatum, ingenti Plebis lætitiâ; Centurionem, qui id attulerat celebrantis.

Iisdem quoque diebus, Caput *Iacobi Butleri*, Ormundiæ Comitis stirpe oriundi, à *Thomâ Leo* amputatum, & ad *Proregem* missum. ac *Petrus*, frater ejus, à Patruo *Ormunda* Comite captus, nequicquàm Misericordiam implorans, ut proximus familiæ Agnatus, ejus jussu protinùs suspensus est. Id inexplebilis feritatis Indicium interpretati sunt *Rebelles*. Comes Crudelitatis Invidiam, fide ergà *Reginam* levavit. *Prorex* damna atque Incendia, quæ *Rebelles* intulerant, non ex æquo vindicavit; nam Cædibus Miserorum satiatus, supplices, abjectis armis, Pacto salutis in fidem recepit. Nec opportunum Remedium fuit. Quippè primâ Occasione belli renovandi, Arma acrius resumpsêre. Nihil erat in illis simplex; nihil non Mendacio, dissimulatione, & Calliditate subnixum.

In *Conactiâ* interim concitatæ Multitudinis rabies, adversùs *Bingamium*, Rectorem Provinciæ, exarsit; *Præfectumque* suum, virum fortissimum, omni Contumeliæ genere vexavit. *Bingamus*, ne Causam

1596. Causam Rebellionis nimiâ sæveritate foveret, jussu *Reginæ*, beneficio & gratiâ *Rebelles* devincientis, quos Metu continere non potuit, Præfecturâ dimovetur. *Conierus Cliffordus*, ex Equestri Ordine diligitur; Criminum cognitio, quorum flagrabat Invidia magis, quàm Infamia, Senatui Anglico permittitur. *Provinciales* incusant sævitiæ, & prædarum. Reus Crimen in ferociam Multitudinis, indies magis, magisque rebellantis, avertit. Causâ diu in Consilio agitatâ, *Bingamus* absolutus Judicio; & Absolutione ejus Plebs gavisa est.

Inter hæc *Norritius*, cognitâ fraude *Tironij*, bellum haud dubiè molientis, ad coërcendam gliscentem Conjurationem, Militiæ Munia sedulò obijt: Veteres *legiones* deminutos in Aciem educit, paratus confligere, quocunque loco Hostis occurrisset. Neque tamen confligitur, propter locorum difficultates, in quæ *Tironius* se recepit, dolo magis, quàm Virtuti Militum confidens. *Bagnalius*, Tribunus, agrestes & feroces *Kirnicum* Catervas disijcit; hostili animo *Vltoniensium* Agros vastat; Tecta incendit; Pecora diripit in conspectu Regulorum; qui confligere miserrimum putant, cum *Veterano duce*, multisque Prælijs experto. Perstrepente undique in *Vltoniâ* & *Conactiâ*, belli tumultu; *Norritius*, in subsidium Provinciæ, Equites Peditesque à *Prorege* postulavit, exagitandis insectandisque Rebellibus. Is subitam Expeditionem prætendens, postulatis ejus adversatus est; & Auxilium petenti denegavit. Ita discordiâ ducum, & fraude hostium, in *Hiberniâ* tractum bellum. *Norritius*, frustrà implorato subsidio, *Reginæ* jussu, ad Consilia Pacis jungendæ revolutus, cum *Georgio Burchero*, Tormentorum Præfecto, & *Fentono*, ab Epistolis, *Dundalkiam* progressus est. haud procul indè, apud *Amnem* in adversâ Ripâ, *Tironium* obvium habuit, ergà *Reginam* veterem Observantiam simulantem. Ibi Sanctè, & salubriter admonuit *Tironium*, & Socios Facinorum, ut revocarent in Memoriam *Reginæ* ergà ipsos Indulgentiam; & Præteritorum veniam, nuper *Diplomate* concessam; ne scelere, & detestabili Perfidiâ exitium provocare pergerent; si ultrà Proditionem moliantur, adversus legitimam dominationem, Perjurij, & rupti fœderis, Deum ultorem fore. Perstringit, post Pacis actionem *Dundalkiæ* cæptam, & datam ipsi socijsque Veniam, nefariè peccavisse; *Reginæ* multa pollicitum, nihil eorum præstitisse; Occultos Nuntios *Philippi* recepisse; Pacis Concordiæque Pacta violasse; *delegatos* Perfidiâ decepisse: *Tironius*, vir solerti magis, quàm fideli ingenio, pauca, purgandi sui causâ, respondet, post Pacis Actionem ventum rursus, delicto paucorum, ad bonorum direptionem, Cædem, sanguinem, funera, & luctus; Pænitentiam Contumaciæ præ se fert; Spondet resipiscere; & Culpam opportuno ergà *Reginam* merito compensare; ei parere; honore eam, & omni Obsequio observare, si Conditiones præstarentur; si fallat, aut mutet fidem, Deum Testem, & vindicem Improbitatis & Perfidiæ deprecatur; *Philippi* arcana Mandata enuntiat, ut facilius deciperet. Simulatio prorsus Pacis, & Concordiæ; ne sanguine *Obsidum*, Culpa defectionis lueretur. Hoc Congressu res exitum non invenit; Sed in *Mensem Martium*, integra dilata est; dum *Reginæ* animus exploraretur, si Transactionem approbaret; nec *Delegati*, nisi ex ejus voluntate, pacisci quicquam voluerunt.

Tironius interim *Dungamonum* se confert. Missi *Londinum* Nuntij, qui Postulata *Regulorum* ad *Reginam*, & Senatum deferrent. Ibi paucos post dies, quæ cum *Tironio* acta erant, in Consilio renuntiata, & *Senatusconsulto* comprobata. Ex in *Regina* facilis, veniæ dandæ, in Conditiones, Pacis causâ, consensit, ut sinè vi *Hibernica* turbæ sedarentur. Cognitâ *Reginæ* voluntate, *Varrenus* Centurio, à *delegatis* ad *Tironium* missus, ut abditos ejus sensus specularetur; qui cum eo à primis Militiæ rudimentis, familiari Consuetudine junctus erat. Preces suas, & postulata eorum exposuit. *Tironius*, Iberorum armis fretus, dissimulanter respondit, reliquos *Regulos* expectari, ut uno Fœdere, omnium Consensu, transigeretur; affirmavitque, seorsum suis rebus se nolle consulere. Inde satis apparuit, *fœdus cum Philippo* conjunxisse, ut *Hiberniam* in Libertatem vindicarent. Ita detectâ palàm ludificatione, & extracto propè Anno per simulationem Colloquij, Pacisque jungendæ, *Regina* insidiosam Concordiæ Actionem omittendam decrevit, & belli Consilium capescendum. Id tutius & honestius esse rata. recenti Delectu auget Copias, instruit Classem, ut in Hispaniâ bellum gereretur, ne simul *Bæticum* ingrueret, si nihil ibi moveatur. Post quam *Tironium* perstare in Perfidiâ videt, *Norritium* gravissimè increpuit, quod, contrà decus *Anglici* Nominis, cum *Perduellibus armatis ad Colloquium congressus esset*. Prohibuitque Pacis mentionem in posterum fieri, nisi Obsequium ultrò offerrent; acciperentque Conditiones ad Arbitrium; & postulata iniqua Libertatis, ac Immunitatum abijcerent. *Norritius*, Pudore irriti Colloquij, omisit Pacis actionem; & in *Momoniam* retrò cessit. *Tironius*, ubi detectam fraudem esse cognovit, ad Consilia belli reversus, Copias contrahit. Mox, ingenti Consensu, ad defectionem omnes *Reguli* spectant, bellumque parant, viribus, & Copijs *Philippi* magnoperè confidentes. Hæc *Londini* in Majus vulgata; discivisse *Conactiam*; turbatam intestinis armis *Lageniam*; accita ab *Hispaniâ* auxilia; *Tironium* ambiguâ fide agere; per simulationem Colloquij Pacisque ludificare; ubi destinata provenissent, acrius rebellaturum. Populus vago rumore questus est, duces inimico animo Belli præpositos; obstare Victoriæ pravum inter ipsos Aemulationis Certamen: *Resselium* quamvis antiquæ Nobilitatis, per Ambitum *Amitæ Verniensis*, Reginæ perquàm familiaris, *Norritio* egregio duci prælatum. *Prorex*, litteris ad *Reginam* datis, expostulavit, privati hominis Nomen suprà suum attolli. *Regina* prospiciens ortum inter *Proregem*, & *Mamoniæ Præfectum* Aemulationis Certamen, in publicam perniciem erupturum, Arbitrium

1596. rei *Senatui Hibernico* permisit. qui altos Spiritus, diremptâ æmulatione, flectere non potuit. Cæterum utrumque literis increpuit, monuitque, ut Odio exitiosa coërcerent; & privatas simultates usui publico post ponerent; Moderatione Prudentiâque lenire nequivit. Gliscente indies Ducum discordiâ, uterque infructuosæ Militiæ laboribus fessus, quietem, Otium, & Missionem flagitabat. *Regina* preces Amicorum audijt; & sublatâ spe Concordiæ, postulatis *Russelij* annuit.

Igitur revocato *Prorege*, dubitatum, quisnam *Hiberniæ* præficeretur? Mox operam suam offert *Baro Borronesius*, homo ferox, exhaustus, egens, ingenio violento, & scurrilibus facetijs mordace; sed Acer, vehemens, & Industrius. Suberat etiam vigor animi, bellicis Negotijs par. haud adversante Senatu, commendante insuper *Essexio*, Norritij egregiæ famæ Militari infenso, à *Reginâ* electus ad ordinandam *Hiberniam*, *Vltonia*, *Conactia*, *& Lagenia* tumultu inquietam; vel ad vexandum *Norritium* æmulatione, Invidiâque. Id ægrè tulit *Norritius*, destinatum administrationi *Hiberniæ* hominem inquieti animi, ad se coërcendum. Multi quidem certè crediderunt, data ab *Essexio* Boronesio occulta Mandata, Altercatione & Aemulatione insectari, exagitareque æmulum. & testatum reliquit *Morisonus*, *rerum Hibernicarum diligens scriptor*, Atroces & vehementes Inimicitias, ex privatâ Injuriâ, inter *Boronesium*, ac Præfectum *Norritium* intercessisse. quæ quidem in hoc aspero, ac difficili temporum cursu, plurimum salutis *Tironio*, & *Regulis* attulerunt. Tandem *Norritius*, cum *Proregem* delegisse *Reginam* cerneret, qui bellum Fortunæ magis, quam Consilio gereret, se intrà *Momoniam* continuit, ut intentus esset ad Provinciam, si qua vis fieret, tutandam.

Res externa. Hæc in *Hiberniâ*, æstate, & Hyeme gesta. Cum in *Belgio* à continuis Cladibus respirare, Mors *Ernesti* fecisset; *Cardinalis Albertus*, Imperatoriæ stirpis, *Archidux Austriæ*, Procurator *Belgij* electus, sicut anteà dictum est, *Bruxellam* pervenit. Cives armati pariter, togatique, Ingressum *Principis*, solenni ritu celebrarunt. & fuit apud *Belgas* in magno honore. Ejus adventu erectæ spes *Provincialium*. Is lustrato Exercitu *Batico*; & expensis belli Consilijs in secretiore Consistorio, quando *Fera* urbs adempta *Franco*, & valido *Iberorum* Præsidio infessa, *Gallorum* Copijs claudebatur; Oppugnationem Castrorum arduam ratus, nisi summæ rei periculum faceret; *Georgio Bastæ*, Veterano Duci, curam subvehendi Commeatum *Feræ Præsidiarijs* permisit. qui cum Dilectâ Equitum manu, Nocte atrâ, opportunè subvenit. Animadversum id *Francis*, qui circâ *fanum Quintini* regredienti Insidias composuêre. *Basta* in Regressu, pari fælicitate usus, periculum Captivitatis, inviolatus ab hoste evasit, vitavitque Insidias, mutato Itinere. *Albertus*, gnarus, primis Belli initijs famam vel Infamiam gigni; simulque doctus per *fratris Ernesti* experimentum, parum proficî *Ostentatione Pacis*, Concordiæque, contractis Equitum Peditumque Copijs, & dissimulans, quidnam animo moliretur, Expeditionem paravit, quasi Obsidionem *Feræ* solvere cogitaret; & dissimulatione dubij Consilij Curas hostium auxit. *Batavi*, metuentes urbibus *Hulsto*, & *Bredæ*, eas Commeatu & Copijs, ob formidinem instruxêre. *Francus*, vulgato rumore, *Albertum* magno Exercitu *Feræ* subsidio venire, sua Castra fossâ, Vallo, & Firmis Præsidijs munivit, ne qua subita irruptio fieret, ab hostium Peditatu; & maturavit Itinerum difficultates Cohortibus claudere. At *Archidux*, præter omnium Opinionem, *Caletum in Morinis*, *ad Fajum Portum* aggredi statuit; eo modo ratus ad Obsidione *Feræ* Regem abduci posse. Cuncta quæ astu Ducis provideri poterant, providit; & quasi speculabundus circâ *Mostrolium* substitit; ut de Obsidione liberandâ cogitare se, hostibus persuaderet. Interim irritum Oppugnationis Consilium fore cernens, nisi loca opportuna præ occuparentur; *Rhosneum*, Exulem, Oblitum Patriæ, sacramenti *Batici* memorem, Antesignanum ad asperrima quæque belli paratum, cum *Trecentis Equitibus, quinque Millibus Peditum*, & aliquot Machinis, præmisit. Is locorum gnarus, vitatis Campis Madentibus, ac Noxijs Paludibus, eò improvisus advolat, & *Nonambriga Pontem*, qui Aggeres connectit, propero Agmine occupat. *Risbanum*, Turrim Munitissimam, in Portus faucibus, intercipit: in eâ expeditos Milites, & Octo Machinas imponit, ut *Anglos*, *Batavosque* Portu arceret. Nihil jam à Mari periculi cernens, Terrestres urbis aditus, positis opportune Castris, claudit. Ipse interim *Albertus*, omnem victoriæ spem in Celeritate ponens, cum omnibus Copijs occurrit; urbem undique cingit; & Tormentis admotis, summâ vi oppugnat. Intrà *suburbia* trepidatum, & duæ Auxiliares *Batavorum* Cohortes, ex tàm ancipiti Peste, in urbem profugerunt. *Badosensius*, Præfectus urbis, haud pro Magnitudine discriminis, instruendo bello intentus, incuriâ suis terrorem, hostibus animos addit. In tantâ trepidatione, *Francus* magnâ parte Copiarum Equestrium, & levis armaturæ, ab Obsidione *Heræ* abductâ, ad *Bononiam* pervenit, pugnaturus, si Occasio benè gerendæ rei daretur; Equo circumvectus contemplatusque ex omni parte formam Castrorum, ac firmitatem, Obsessis nullam opem ferre potuit. Crebris interim Nuntijs *Anglos Batavosque* monuit, ut pro socio *Rege* bellum capessesrent. Dilectus per *Angliam*, ipso *Die Dominico*, habiti, & Milites *Essexio* Duce in subsidium missi; à *Risbani* Præsidiarijs Portu prohibiti sunt. Cum neque Mari, neque Terrâ succurri posset, perculsi Obsessi crebris Tormentorum fulminibus, paucorum dierum moram *Iberis* facere. Attoniti etiam Victores, tàm subitâ deditione hostium, longius Obsidium expectantes. Sed duæ res, simul inopinatæ, perculerunt Obsessos; una, præoccupatum *Risbanum*, antequàm sentirent; Altera, in urbibus capiendis Iberorum solertia & usus. Ita expugnatum *Caletum*, in oculis *Regis*, sine scelere, sed non sine infamiâ *Præsidiariorum*; à *Francisco Gusio* in *Francorum*

in *Francorum* potestatem, antè *Triginta & Octo* Annos redactum. Captâ urbe, *Bidocensius* magnâ Militum Manu *Castellum* insedit; & pervicacissimus quisque Civium illuc perfugit. *Albertus* Tubicines pergere ad Obsessos jubet, & minitari Mortem, ac Excidium, in *Castello* excederent. Illi freti loco, & decoris curâ, spretis Minis, reddunt responsum, se *Castellum* usque ad supremum Spiritum defensuros. Quod ubi relatum *Cardinali*, accensus Irâ Obsidionem accelerat. Paulum Moræ in Oppugnatione. Stratâ Muri parte, per ruinam, magno Animi ardore irrumpunt *Iberi*, Clamore atque impetu; Præfectum *Bidocensium*, Primores Centurionum, & Nobilissimos *Francorum* crudeliter interficiunt; bonaque eorum diripiunt, Immensæ opulentiæ. *Albertus*, subversa, longâ Pacis incuriâ, Opera reficit; valido Præsidio urbem firmat; & *Classe* Portum instruit. Quippe prævidit crebra Navalia prælia, cum *Anglis* & *Batavis*. 1596.

Francus ubi *Ardea, Monstrolij, Bononia* tutelæ prospexit, ad *Fera* obsidionem reversus, eam accelerat. Gloriæ Cupidine tolerant *Iberi* Inopiam, Obsidiumque. *Albertus* prospero elatus successu, *Ardeam* loco munitam, & Præsidio duorum Millium *Francorum*, oppugnat. Crebra antè Portas Prælia; donec *Franci*, interfecto Præfecto *Moulucio*, paucisque Militibus, compulsi intrà Mænia. Eâ Clade perculsi Obsessi, & cæsorum Popularium apud *Caletum* exemplo, præferoces initio, nunc trepidi, ac properantes, urbem dedidêre: Interim lacessentibus *Francis*, Iberi *Fera* Præsidiarij, fame, ferroque usque ad exitium fatigati, absumptis Jumentis, Equisque, & cæteris Animalibus, miserandis Alimentis Egestatem propulsavêre; & urgente Extremâ Necessitate, nec supervenientibus Auxilijs, mox cessêre.

Albertus, firmatis opidis *Caleto & Ardeâ*, vastatâ *Bononiensi* Regione, & raptis ex proximis Pagis quæ ferri poterant, in *Belgium* concessit, fiduciâ Similia patrandi; Simulavitque huc & illuc volitans, se *Bredanam urbem*, aut *Bergam ad Zomam* suæ ditionis facere velle; ut hostium vires dispertiret. *Mauritius* propero agmine accurrit *Breda*, ac *Berga*, tutelæ prospecturus. *Albertus* circumacto raptim exercitu, *Mauritium* eludit, & in Agrum *Hulstensem* eruptionem facit. Præmisso *Barlotto* cum expeditis Cohortibus, secutus est eodem *Rhosneus*, cum *Sex legionibus* Peditum. Nulli Equites missi, quia Palustres circum loci, Equestri Prælio haud idonei. *Barlottus*, & *Tisselingius*, Tribuni, Nocte transgressi Canalem, Hulstium circumveniunt, urbem *Flandriæ* Mænibus ac fossis munitam: Munimenta *Batavorum* prætentant; & unum, cui *parva Rapa* Nomen, vi expugnant. *Mauritius* propero agmine subvenit. Opidum & Munimenta, adversus Obsidionem, Commeatu, & veteranis Copijs firmat. Curam Præsidij *Comiti Solmensi* mandat. Crebræ indè Eruptiones, Prælia ambigua pro Portis, & non incruenta. Præfectus *Tisselingius*, Germanicæ Legionis Tribunus, & XII Centuriones *Batici*, ac pugnacissimi Militum, capientes pro Portis stationes, cecidêre. Nec Clade exterriti *Iberi*, qui subsidium ferre debuerant: cum Militum robore succedunt. Hinc Opidani, multis vulneratis, interfectisque, recipiunt se in urbem, aut Munimenta; & intrà Mænia suos continent. Oppugnatores, ut ad sua defendenda Obsessos cogerent, maturant Obsidium, exscindere parant Propugnacula; & in Muris Turribusque Præsidia. *Barlottus* Tribunus, dilectâ manu validissimum Munimentum, cui à Paludibus Cognomen, expugnandum sumpsit; ac tentavit sæpè cum damno; multis ex suis cæsis, aut præaltis *Paludibus*, haustis. Tandem per Deditionem recepit egregium Propugnaculum. Proindè *Albertus*, instat fortunæ; & Castris antè Mænia positis, urbem quatere præcepit. *Rhosneus*, Gallus, Patriâ profugus, cum *Ludovico Valasco*, Castrorum Magistro, & Tormentorum Præfecto, Tormentis aptissimè dispositis Mænia disturbari jussit. Ipse interim hostili Tormento trucidatus est; qui erat apud *Albertum* in magno honore; quoniam voluntati Consilia de *Gallico Bello*, nemo in consulendo prudentior; aut in exequendo Manu promptior; quod in *Caleti & Ardea* expugnatione apparuit; quem *Carolus Columo* in Cælum laudibus extollit, ob singularem fortitudinem, & Belli Peritiam; Merita indè & Officia in *Hispanos* commemorat. Sed quis dignè laudare potest Transfugam, Externo hosti servientem, Popularibus invisum, socijs suspectum, oblitum Fidei, Pietatis, Religionis in Numen, Amoris in Patriam, Obsequij in *Regem*? Comes *Varasius* in ejus locum suffectus est; Haud meliori fato; quamvis Vir fortis, & multum in bellicis rebus exercitatus. Obsessi interim, Aviditate Certaminis, provecti extrà Munitiones, perrumpunt; *Tria vexilla* eripiunt; & per aliquot dies, summâ vi urbem tuentur. Sed expugnatis *Propugnaculis*, dispositis ab omni parte Copijs, conatis sub Terrâ *Cuniculis*, Comite *Solmensi* Præfecto, & *Iano Pironio*, fortissimo Tribuno, vulneribus confectis, & Primoribus Centurionum cæsis, trepidatio orta; & urbs sinè Rectore, Pactione salutis, ac securitatis, in deditionem venit.

Dedito Opido, *Cardinalis* ingenti Agmine Procerum, *Antverpiam* petit, obvij ex urbe Senatores; Cives undique effusi, studio visendi Ducem, famâ celebrem. Sacerdotes cum Cruce angustoque ornatu exceperunt, & magnos plausus excitarunt. Dies ejus Adventu festi, ac læti celebrati sunt. *Albertus*, ne Somno, luxu, urbium Villarumque Amœnitate, Ostentatione, & Officiorum Ambitu, Industriam, Temperantiamque suam pollueret; Militiæ intentus, contrahit Exercitum ex Colluvione multarum gentium; cui Comitem *Varasium* præfecit. Isque propè *Turnholtum* consedit; & movere indè statuit in loca vicina, *Batavicæ* ditionis. *Mauritius*, cognito hostium Consilio, præparatis jam antè omnibus ad bellum necessarijs, cum *Francisco Vero*, Anglorum Præfecto, & paucis militaribus viris Comitibus, clàm discedit, & postero die *Gertrudebergam*, pervenit. Cum ibi Milites,

1596. ut jussi erant, prestò essent; & Naves paratæ instructæque, primis Tenebris adversùs hostem ducit. *Comes Varasius*, de *Mauritij* subito Adventu certior factus, relictis Castris profectus est Nocte, quo longius ab hoste abesset. *Mauritius* ejus insequendi Consilium cæpit; & vestigijs insecutus cum Equitatu, repentè circumfundit; Iter remoratur, donec Peditatus supervenires; is ubi assequitur, tergis hostium assultant, egregij duces *Franciscus Verus*, & *Robertus Sidnejus, Vlissinga præfectus*. Ita ancipiti Malo à latere, à tergo circumfusi *Iberi*, Equitatus, relicto Peditatu, fœdâ fugâ dispersus est. *Duo Millia* Peditum cæsa; & in his dux *Comes Varasius*: ducenti capti; & multi *Tribuni*, *Præfecti*, *Centurionesque*. Signa Militaria *Viginti Octo* amissa. In hoc Prælio Anglorum virtus, præcipuè ducum *Veri & Sidnei*, enituit. *Mauritius*, fusarum Cohortium signis circumdatus, *Turnholti* Arcem oppugnat; & maturior ipsius spe Deditio facta est. Paucos dies ibi moratus, *Hagam* revertitur; ibi summis honoribus excipitur. Hæc in Belgio gesta.

Bironius, *Francorum Tribunus* pugnacissimus, Expeditionem subitam in *Atrebatum* & *Hannoniorum* fines fecit. Castellum *Imbercurium* intercepit; Oppida, Municipia, Vicos, ferro, & igni perpopulatus est; direptis fugatisque Cultoribus. Cujus rei indignitate, atque deformitate commotus *Albertus*, Marchionem *Varambonium*, instructum Mandatis ad persequendum Equitatum hostium mittit. *Bironius*, cognito ejus Adventu, dispositis Insidijs, Speculandi causâ, progressus est. *Varambonius* spem nactus idonei loci, ad Equestrem pugnam *Bironio* occurrit. Quo libentius id faceret, quod imperabatur, Comes *Montis-Cuculi*, præfectus *Italorum* Equitum, in turmam Gallicam incurrit. Orto inter *Italos*, & *Gallos* Certamine, *Bironius*, quasi vehementius urgeretur, cum suis tergum vertit: ac *Monti-Cuculus*, intercipiendi *Bironij* cupiditate, cum pertinatius insecutus est. Ille celeri fugâ hostes longius produxit ad locum Insidiarum. Tum undeque *Galli* exorti, Clamore sublato impetum fecère. Non tamen omisère pugnam *Itali*; & à *Comite Iacobo* impetus in *Bironium* est factus; qui, suffosso equo, in terram prolapsus est. Mox adjutus à suis, atque alteri equo impositus, vitæ periculum evitavit, & pugnam acrius accendit: ac ex duobus Præfectis *Italorum, Monti-Cuculus* captus est; & *Comes Iacobus*, duobus globis ictus, effugit. Ipse *Varambonius* omnium suorum invocat fidem, atque Auxilium. Ipse hortando atque acriter pugnando, prælium diu sustinuit. Sed cum Impar Certamen esset, caderentque, impetu hostium, circà eum complures, & vulnerarentur, cæteri Cataphracti in fugam, suomet metu, verterentur; vivus captus est; & *Rotomagum*, ad *Francum* missus; ubi inconsultæ, atque impavidæ pugnæ pænam Captivitate luit. *Bironius*, magnum timorem hostibus inopinato casu injectum ratus, circumvolitat, ne cui Occasioni deesset. *Atrebatis* & *Hannonij* hâc Clade territi, Opidis, Munimentis se includunt, Custodias, Vigiliasque intentius instruunt. *Franci*, recenti gloriâ prosperæ pugnæ erecti, ultrò progressi *Divi Pauli fanum*, vicinamque Regionem vastarunt; contenti victoriâ, & prædâ abscellerunt. Hæc raptim, intrà paucos dies, in *Artesiâ* gesta. Mox *Bironius*, Albertum satis implicitum *bello Belgico* ratus, Exercitum in *Atrebetas* reduxit; excivitque Nuntijs per *Galliam* promptissimos Militum, ad Prædam, famamque. *Sancti Pauli Comes*, *Sanlucius*, *Chazeronius*, *Chamoisius*, viri Militares, *Artesiam* petierunt, ut *Bironio* jungerentur; *Vici*, *Vrbes*, *Tecta*, passim arsère. *Atrebates*, continuis Cladibus perculsi, ad *Albertum* nuntiatum mittunt, *Gallos* in *Artesiam* affusos, & subsidium oratum sibi, Provinciæque. Is Copias Equitatus Peditatusque, sub ductu *Ducis Arsbotani*, auxilia misit; additi etiam *Franci* sedibus suis extorres; quorum Princeps *dux Aumalius*. Adversus hos *Bironij*, hominis summæ Audaciæ Minas, *Asbotanus* urbes finitimas fossâ, Valloque firmat; & statuit continere intrà Castra Militem; muniendo vallandoque exercere; ac Damna æstatis Hibernis eventibus pensare; nisi Casus Consilium discussisset. Haud procul Castris Tres *Francorum* Cohortes, re trepidâ, in Templum Pagi finitimi se recepère. *Batiem* Miles arctâ custodiâ clausos cinxit; *Bironius* per Nuntios edoctus circumsidere suos, & nisi subsidio veniret, paratum exitium; quamvis inermis sine Loricâ, sine Galeâ, statim sine subsidio, cum Equitatu: mandavitque, ut Pedites alacriter subsequerentur. Ibi aggregantibus se Paulatim *Iberis*, acie certatum, & Prælium prosperum *Francis* fuit. Utque Prædâ sui ad virtutem accenderentur, in proximos *Atrebatum* Pagos, circà *Bapalmum* ducit Exercitum, vastatque Agros. *Bethuniensem* indè, & *Ternanensem* Agrum aggressus, similem effecit vastitatem. Ubi satis Excursibus terruit, in *Franciam* se recepit. *Albertus* strage irritatus, Præsidiarios *Cameracenses*, *Durlanosque* ad *Ambianorum* Agrum depopulandum ire jussit. Illi imperata non impigrè solum, sed etiam avidè executi sunt, abreptis Pecoribus, Incensis ædificijs, fugatisque Cultoribus. Ita *Belgæ Francique*, mutuis Cladibus nobilitati.

Francorum Rex, publicæ saluti, & Regni quieti invigilans, Comitijs *Rotomagum* indictis, labantem Remp: fulcit; dissidentium *Opinionum in Religione* horribiles Procellas sedat; *Edicta publicata adversus Protestantes revocat*; Eos Bonis, Laribus, famæ, ac fortunis restituit; Aestus Contentionum Odia restinguit; Populo *Religionis Libertatem* permittit.

Annus multiplici Clade insignis, Prælijs, seditionibus, *Bello Turcico* in Pannoniâ, temeritate Militum amissus Exercitus. Prælio commisso juxtà *Agriam*; primo impetu *Ottomanici* fœdâ fugâ dispersi, & Castris exuti, totis Campis palantur. *Christiani* securi, velut partâ Victoriâ, hoste omisso, cupidine Prædæ Spolia consectantur; pecuniam, Jumenta, sarcinas diripiunt. Quâ Occasione *Turcæ* rursus conglobati, improvisi Castris assiluère; nostros accumulantes Aurum ex prædâ, ex manubijs, incompositos

incompositos fundere: unde repentè, mutatis animis, *Christiani* victores, nulla dedecoris curâ, terga vertere, relictis impedimentis, & omni Belli Apparatu. Ita Victoria nuper parta, seu fatali ignaviâ, seu Cœlesti Irâ extorta est, de manibus. Si *Angli*, *Belgæ*, *Franci*, *Iberi*, tot Exercitus, tot Militares viros, cum Cohortibus contrà *Communem Christiani Nominis hostem* misissent, jam pridem eos Pannoniâ exegissent; nec jam de Limite Imperij, *Bohemiâ*, *& Transilvaniâ* certaremus. Sed funestum *Religionis dissidium*, perniciocissimis Turbis Occasionem dedit, dabitque, nisi tempestivâ Remedia adhibeantur. 1596.

Jacobus Rex, pij ac religiosi animi, Supplicibus suorum Votis exoratus, Civium *Edinburgenorum* desiderijs satisfacere cupit: & ad *Ministrorum Synodum*, *Taiodunum in Cal: Majas* indictam, rem integram refert. Constitutâ die, *Cathari* magnâ frequentiâ concurrerunt, ut terrore & Minis Adversarios suam sententiam sequi cogerent; aut suffragiorum Numero prævalerent; si res in differendi Controversiam, aut disceptationem vocaretur. Venerunt enim *Nominati à singulis ferè Presbiterijs, duodecem*; contrà Morem, Consuetudinemque Ecclesiasticum; cum à Contrariâ Parte multo pauciores, *duo aut Tres*, ut plurimum venissent. Dolo reperto, res ad suffragia revocatur; liberè Potestas decernendi datur. Inde in Synodo cautum est *de Numero Trium delegatorum*; quo ne Majorem cuiquam *Presbiterio* nominare liceret. *Acta etiam superioris Synodi*, paucis ferè mutatis verbis, confirmantur; ut hominibus dubijs ac scrupulosis satisfieret. Itidem, ad *Pacem Ecclesiæ* constituendam, & *Regis* animum mulcendum, quem intempestiva *Catharorum* libertas sæpè incenderat; cunctis suffragijs, Viri doctrinâ & prudentiâ præstantes delecti, qui *Prædicatores, de statu publico malè & inutiliter administrato, De Majestate Regiâ, & Imperio ejus, inofficiosè locutos, suspensione à Beneficio & Officio, aut Exauctoratione coërcerent, reprimerentque. Ministros Edinburgenæ Ecclesiæ, Teodunanæ & Andripolitanæ præficerent. Stipendiorum solidam rationem inirent; & Negotia Ecclesiastica in proximis Regni Comitijs procurarent.* Rex cum Novis *Apolectis* Ecclesiæ sermonem instituit; Pietatem præcipuè colere; excubere pro salute, & dignitate Instauratæ Religionis; Impietatem, Injustitiam, & Arrogantiam aversari, hortatur; ad rectum, spe Præmiorum, invitat; monetque, *Catharorum* Procacitatem retundi, publicè interesse; ne Perniciosæ seditiones nefariè orirentur, quæ Ipsi *Regi* & Reip: Molestiam, & Turbas nuper concitarunt. Mox cum *Apolectis*, & magnâ parte Senatus, *Fanum Reguli* profectus est, ut domesticis dissentionibus Civitatem liberaret. ubi *Davidem Blaquium*, sæpè memoratum, ingenio violentum; & *Robertum Vallacium*, *Civitatis Ministros*, *Opinione pravâ superbientes*, *infimaque Plebis animos turbulentis Concionibus stimulantes*, *& sæpius Convitiantes*, *Decreto delegatorum exauctoravit*; *ac Georgium Gladstonum*, *qui benè meritus de Ecclesiâ erat*, *cum Consensu Apolectorum in eorum locum suffecit.* Andream & *Iacobum Melvinos*, eruditissimos Viros, *Præsulum perpetuos hostes*, & Cæteros Collegiorum Magistros, eadem ferè quæ duo *Melvini*, aut certè non dissimilia molientes, immiscere se *Ecclesiasticis Negotijs* prohibuit: ne Regni turbatâ quiete, Religionem ipsam, Ambitione atque Arrogantiâ in discrimen adducerent. Quatuor Ministros Edinburgenos, qui proprio furore incitati, sivè præpostero Religionis ardore, sivè Ambitione, seditioni exitiosæ *ad* XVI *Calend: Ianuarij* Occasionem dedêre, in pristinum locum restituit, revocatis, quæ contrà eos publicata fuerunt, Edictis. Quo facto Populum *Edinburgenum* maximâ lætitiâ affecit; & Religioni suum tenorem, suumque decus servavit. Et Regendi Ecclesiam Potestatem paucorum Arbitrio permisit; ut *Amarthia*, *Novatorum democratia*, paulatim obsolesceret. 1597.

Furialium Ministrorum licentiâ coërcitâ, Curæ & Cogitationes omnes ad Communem Civium utilitatem, ac Reip: salutem versæ. Primum Aureos Argenteosque Numeros, aucto pretio, eligantiore formâ excudit. Ingens indè pecunia corrasa, & ex Vectigalibus publicis. Inter quæ, *Proceres exules*, qui, concesso Reditu, petitione Veniæ abstinuerunt, nunc ut in Integrum restituerentur, suppliciter deprecantur; Misericordiam *Regis* implorant. *Rex*, supplices Calamitosos que respicere, miseratique solitus, censuit, *Angusium*, *Huntleum*, *Errelium*, homines Nobilissimos, intrà certum diem *diris Ecclesiasticis absoluendos.* Adversante *Synodo*, tanquam *Acta Synodorum* subverterentur, contrà Morem, Consuetudinemque disciplinæ; quod sui Arbitrij erat statim concessit, Impunitatem, & Abolitionem scelerum. Petitionem *Procerum*, Synodo commendavit. Clerus, qui *Imperij sceptrum* sibi subijcere, aut lacerare voluit, *Absolutione Procerum Ministrorum Auctoritatem concidisse putavit*; & magnoperè restitit. Sed *Rex* recreavit animos bonorum, unumquemque honorificè appellans, & excitans Oratione plenissimâ humanitatis: tum acriter contrà factionem & potentiam *Catharorum* contendit; qui *Procerum Absolutionem* impedire cupiebant. Turbidis *Concionandi licentiam*; & in Ordinem *Procerum*, aut Judicium debachandi *Seditiosis Concionibus*, eripuit; ac facilè in Pace continuit. Denique, non sine magnâ disceptatione decernitur, ut *Angusius*, *Huntileus*, *& Errelius*, à Diris Ecclesiasticis, in *proprijs Presbiterijs* absoluerentur; ac *Synodo* gratias egit, quod Gratiam, atque Officium suum *Proceribus* præstitissent.

His Reip: temporibus, *summa Octovirorum potestas*, summa fuit Auctoritas. Utraque inclinare tum primum cæpit. Nam *Georgius Humius*, gratiâ provectus, privatam Conditionem despexit, altiusque ascendere destinavit; *Octovirorum* potentiam fregit, ac debilitavit, callidis Consilijs; *Plebem* in eum Magistratum occultè incitare nunquam destitit. Sed longè improbior, ac nequior,

1597. *David Moranius*, hipparchus; ſpe Privati Commodi, *Octoviralem Adminiſtrationem* apertè oppugnavit; Senatum ad priſtinam dignitatem ſuam revocavit.

Eodem ferè tempore, *Rex*, etſi propè exactus jam Autumnus erat, tamen, quod reliquâ Scotiâ pacatâ, *Anandiani*, *&* *Nitbiani* tumultuarentur, *Dumfriſam* proficiſcitur; ampliſſimum pulcherrimumque Munus ducens, à bonis Civibus Injurias propulſare, eorumque fortunas defendere, à nefarijs Prædonibus; quorum magna Copia, in ijs Provincijs erat. In Clientelâ *Maxvalliorum*, aut *Iohnſtoniorum*, multi Latrones, eliſo gutture, perierunt. reliqui metu ſupplicij perculſi, datis, è Propinquis, *Obſidibus*, imperata fecêre. Tribulium Duces, aut eorum Affines, *Triginta Septem* Obſides abducit; per Cuſtodias alij aliò diviſi, propter ſuorum Maleficia, Injurias, Cædes, direptionesque bonorum. Tandem *Rex* Copias reduxit, magnâ Plebis per totum Iter gratulatione. & *Andream Stuartum Okiltrium*, Occidentali Limiti legatum præfecit, ut ſummâ æquitate, fide, diligentiâque, Jus redderet; Inopum querimonias audiret; & ſceleratos plecteret. Decretum ei à Rege Extraordinarium Imperium, Prædones terruit, ac omnia brevi pacatiora reddidit.

Finitimorum Turbis pacatis, *Rex* Comitia *Edinburgi* habere cæpit, quorum Auctoritati, fidei, Prudentiæ, Majores noſtri res privatas publicaſque commendarunt. Ibi Conſenſu *Scoticæ Nobilitatis*, *Anguſius*, *Huntileius*, *Errelius*, damnati hoſtilis Tumultus, & Majeſtatis, (ut ſæpè memoratum) communis Concordiæ causâ, in priſtinam dignitatem reſtituti; ne perditi homines, & egentes, omnium ſcelerum labe fædati, ad viros Nobiles concurrerent, ad vim, & ad Cædes accenderent, ac Remp: diſtraherent. Quo quidem tempore, *Anguſius* Coronam, *Huntileus* Sceptrum, Inſignia Regia tulêre. Non minus probanda Medicina, quæ ſanat vitioſas partes Reip:, quàm quæ convellit, urit, & exſecat. *Rex* peritus gubernator, Clementiæ famam, omni Occaſione, quæſivit; Remp: commodè adminiſtravit; in Jure dicendo, nihil præter æquabilitatem, & Juſtitiam ſpectavit; gnarus Regnum nullum diuturnum, niſi Præſidio Juris firmatum. Legum, Magiſtratuumque Moderatione omnia rexit; ſi quid erat in Legibus vitioſum, pro ſuâ ſapientiâ correxit; ſi quid ambiguum, in meliorem Partem interpretatus eſt. His *Comitijs* Auctoritatem *Procerum* ornavit; & Invidiam concitavit in *Miniſtros turbidos*; quorum contrà Potentiam vehementer diſſeruit: magiſque ex utilitate, ſalute, & dignitate, Eccleſiæ fore oſtendit, ſi revocatâ laudabili Conſuetudine Majorum, Antiſtites Sacrorum crearentur, præficirenturque gregi Dominico. Communi *Procerum* Judicio, *delegati Synodi*, liberâ poteſtate paulò antè inſtructi, in *Conventu Ordinum*, inter reliqua Petitionum Capita, poſtularunt, ut *Ius ſuffragij Eccleſiaſticis*, *in Comitijs*, *velut Tertio Ordini redderetur*. Miſcueruntque querelas, quod homines *ſæculares*, Prælatorum Titulos in publicis Regni Comitijs uſurparent; ac ſuffragia *contrà Eccleſiam* ferrent. Petieruntque, ut Poteſtate ſuffragandi privarentur. Publico *Ordinum* decreto Sancitum, *ut pij Miniſtri*, *Morum integritate*, *ac vita Sanctimoniâ illuſtres*, *Præſulum Titulis*, *&* *Beneficijs ornati*, *Arbitrio Principis eligerentur*; *&* *Liberis in Comitijs ſuffragijs*, *More Præceſſorum*, *per tot ætates*, *uterentur*: *Salvo Iure Synodorum*, *Presbiteriorum*, *&* *diſciplina Eccleſiaſtica*, *per tot ſtatuta confirmata*. Hoc remedio Sanatæ *turba Eccleſiaſticæ*; & via unica diſſoluendæ *Miniſtrorum* turbulentæ poteſtatis, per *Antiſtitum* Interceſſionem, inventa; quæ in ſe magnâ ſeveritate ſupplicij, & Civili ſanguine, ſiſti non potuit. Ita demum *Iura Præſulum* ſanctiſſimâ lege Sancita. Nullum enim Jus, nullam Poteſtatem ab *Epiſcopis*, Miniſtrorum Temeritas non abſtulit.

Hactenus de ſacris, reliquum eſt, ut Profana perſequamur. Proceres, non minus diligenter proprium *Principis* Patrimonium, & Vectigalia publica; quàm privatas res curant. Donationes omnes, & Venditiones *Patrimonio Principis*, Irritas publico decreto *Comitiorum* decernunt; & revocandæ Donationes Jus dant. Multaque ad Communem utilitatem ſalubriter conſtituunt; Ut tenerent antiqua Munia præſules; tanti honoris Nomen fortiter ſuſtinerent; excuberent pro gloriâ ac dignitate Eccleſiæ; ita dominarentur, ut non Iterum *Factione Miniſtrorum* ejicerentur; *Miniſtri* Regijs Tribunalibus, in quâcunque causâ, ſacrâ profanâque, ſe ſiſterent; *hæreditas Principis* Cupiditati, aut Ambitioni *Aulicorum* perviâ non eſſet; ne quis emeret, aut Mercede conduceret, niſi aucto pretio ad ſubſidium Reip: Actum etiam in *Comitijs* de Cædibus coërcendis; & Sclopettis non geſtandis, pænâ graviſſimâ irrogatâ; de fraudibus fiſci; Publicanis, & Procuratoribus ærarij; ac Remedium proviſum, de *Decimis*, & Emphyteoſi Agri vectigalis: Conſtitutumque, ne quis Colonus frumentum de Agris tolleret, antequam pro *Decimis* pactus eſſet; ne *Decumani* inutili morâ Cultoribus impedimento eſſent; ac ne in locatione Agrorum, & vectigalium, Publicani & Procuratores *Principem* Mercedis parte fraudarent. Cæterum *Rex*, frequenti globo *Procerum* oravit, ut ſubvenirent, ſi quis gratiâ ſubnixus, per Ambitum, Aemulationem, & Injuriam, *Regnum Angliæ* attentaret. Profeſſuſque eſt, Conſilium ſibi, Legatos per Proximas Provincias mittendi, & Auxilium tempore opportuno requirendi; proindè ſubſidio rei Nummariæ indigere. Univerſi Conſilium probavêre; Equos, Viros, Arma, Opes, certatim obtulêre; precati ut benè atque fæliciter eveniret. Collationem benignè polliciti ſunt, & præſtitêre. Precibus obtinuêre *Proceres*, ne Collata pecunia ob Impenſas Regni, in alios uſus abſumeretur. His omnibus Legibus inprimendis, ſi publicæ; aut ſcribendis, ſi privatæ; fidem, diligentiam, Ingenium adhibuit *Ioannes Skineus*, ab Archivis; homo perliteratus, ne cui liceret expertem ſe dicere.

Hâc

1597

Hàc Tempestate, totus *Ordo Iudicum*, paucorum Improbitate, & Audaciâ, infamatus. Inveteravit tum Opinio, & omnium sermone percrebuit, *pecuniosum hominem Neminem, potuisse Causâ cadere.* Alex: *Regius*, Advocatus acer, ut vehemens, illam Labem & Ignominiam Ordinis callidè observans, *à Clientibus suis pecuniam accepit; quam Corruptis Iudicibus, pro suffragijs, divideret.* Hæc & similia in causâ fuêre, ut *Totus Ordo* gravi diuturnâque infamiâ laboraret. Neque enim aliam ob Caussam, Plebs *Ministrorum Tribunitiam potestatem* tanto studio prosecuta est, nisi ut in *Concionibus* audiret, Judicum Officium malè ac flagitiosè exerceri; Juditia turpia, ac flagitiosa fieri.

Inter hæc, *Scoti*, limitum Accolæ, cum multâ hominum vexatione, prædâque omnis generis, vicina *Northumbria & Cumbria* loca pervagati; Fortunas Miserorum agentes ferentesque, magnam vastitatem edidêre; quosdam etiam interfecerunt. Ad vim & ad Cædes prolapsa res est per fortuitas, inter prædas agendum, Congressus. De *Scotorum* Injurijs, & Maleficijs *Angli* graviter queruntur. *Regina* querimoniâ, Calamitateque suorum permota, ad *Regem* Oratores, deprecatoresque misit, ut de Continuis Limitaneorum Excursibus, contrà fidem publicam, quererentur; publicè res repeterent; & sontes ad supplicia, ex fædere, exposcerent. *Rex* placidè respondit; non deesse suas *Scotis* de *Anglis* querelas; & cupere se res amicè componere, ne excitetur Offensio. Cum deprecandi finem *Angla* non faceret; & ab Eâ impetrari ægrè posset, ut Incursiones nuper factas dissimularet. *Rex* Limitum Præfectos evocavit; jussitque ut Pacis Perturbatores, aut ad res reddendas cogerent; aut sontes dederent, si se purgatos vellent. *Robertus Carus Cesfordiensis*, Nobilis Eques, medij Limitis Præfectus; & *Valterus Scotus*, familiæ suæ Princeps, *Liddaliæ* Custos, Tribules suos, *Anglis* de Rapinis & Latrocinijs satisfacere, cogere non potuerunt. At *Regina* de Maleficijs satisfieri indies efflagitavit. *Rex* ut Crimina *Præfectorum* à Conscientiâ publicâ removeret, perfecit, ut uterque Obses *Anglis* traderetur; Jussique ire non recusarunt. quod ubi *Regina* cognitum est, Quæstorem Præsidij *Bernicensis*, *Guilielmum Bonesium*, ex Equestri Ordine, recipere Nobilissimos Obsides jussit. Is ad accipiendos *Scotiam* intravit. quo cum perventum esset, *Valterus Scotus* die constituto prior Deditionem fecit. Accipit eum *Centurio Carnelius*, duxitque *Bervicum*. Astitit *Robertus Carus*, Equitum Turmis, & Juventute *Teniotianâ* circumdatus, ut Reverentiam in *Reginam* simili deditione testaretur. Interim, fraude cujusdam, strepitu Sclopetti *Proditionem proclamantis*, subitus Tumultus exortus, *Bonesium* Jure non Armis fretum, conturbavit: *Anglis* pavore dejectis, qui Disceptationem Juris, non Virium contentionem expectaverant. *Humius* illuc progressus, cum numero *Clientum*, ad res visendas, Injuriam prohibuit; & sedato Tumultu, *Bonesium* trepidum, *Bervicum* dimisit. Hinc Aemulatio aucta inter duos Nobiles Equites; querente *Valtero Scoto*, hoc Casu conflatum sibi periculum; nec *Carum* hujus Consilij ignarum fuisse; & Vitam in summum discrimen adductam; nisi Centuriones, qui eum ducebant, magis ex æquo & bono, quàm Jure gentium, consuluissent. Testante contrà *Roberto Caro* suam Innocentiam: & quo clarior esset, nullâ aliâ Necessitate adactus, Potestati *Reginæ Angliæ* salutem permisit: locum tempusque deditioni quærens. Quibus acceptis, alter *Bervici*; alter *Eboraci*, multâ honorificentiâ servatus est; ac posteà, Pacto futuræ Tranquillitatis, *Reginæ* ignoscentis beneficio, dimissi. Quippè pepigit *Rex*, cum dederentur, ne Cujus Maleficij in præteritum interrogarentur; neu Venia fassis, supplicibusque denegaretur. Ad hæc Montes, & Campi inter Confinia Regnorum jacentes vacui, ut solitudines, publici fiunt. in quos adjacentium Accolarum Pecora & Armenta promiscuè transmittuntur. Indè Indulgentiâ Numinis, paritate Cultus, & *Villoubei Bervicensis præfecti* Inditio, & Moderatione, *finitimi* vitam tranquilliorem sine Certamine, & Contentione traduxêre: & *Præfecti Limitanei* majus decus speravêre, si tranquillitatem, & quietem continuarent.

Cætera per *Regni Provincias* perindè egregia. Sed *Fæneratores* oberatos suos *acerbis usuris*, & Contractibus Annonarijs, indies cruciantes, coërceri non poterant; quin Novam *Sectam Vnciarij Fænoris* excogitarent. Non solum *Laici*, sed *Clerici* quidam, in hoc genere satis exercitati, fænus agitabant, Usuras extendebant. Eâ tempestata, tanta Divitiarum Cupido Mortalium animos invasit, ut nihil pensi habentes, divina humanaque Jura negligerent; Opes cum Infamiâ quærerent. *Rex*, miseris Civibus, ære alieno obstrictis, consuluit; *Vsuris, legibus modum fecit; & Fæneratores coërcuit.*

Hoc interim tempore *Holsatiæ Dux*, cupiditate visendi *Reginam* Sororem, Militari habitu, per *Angliam* ignoratus, in *Scotiam* venit. Ad eum excipiendum honorifice Illustrissimus quisque properat. Is magno Comitatu *Procerum*, & Aulæ primorum, *Regiam Sancte Crucis* ingressus, vultu & verbis humanissimis à *Regibus* salutatus, Convivijs, Epulis, Venationibus oblectatus, circumductusque per Urbium amænitates, *Principati apparatu*. Ubi Officio fraternæ Pietatis functus est, in *Daniam* redijt. Discedenti Munera satis largè data.

Rebus pro tempore pacatis, *Insulani Occidentales*, homines Agrestes, sinè legibus, sinè Moribus, sinè urbium cultu, ac propè omnis humanitatis, & Religionis expertes, Fiscales *Tributorum* pensitationes *Regi* domino Solvere noluerunt. In eo turbulento *Insulanorum* Statu, *Rex* saluberrimo Consilio hortatus est, privatim & publicè, ut Urbes exstruerent; Pomaria consererent; Prata sepirent; Arva colerent. Incolis Camporum Spatia assignat; undè & ipsi Commodè vivant, & *Vectigalia* ex Annuo proventu solvant. Sed *Iacobus Maconelius*, homo seditiosus, truculentus, & barbarus, defuncto *Agno Patre*. Vectigalia *Regia* pendere negligit; & Occasionem augendæ dominationis sibi obvenisse ratus,

1597. nisseratus, struit *Maclenio*, virtute, & potentiâ claro, & sibi per arctam Affinitatem connexo, Insidias. Plus apud ferum animum, alienæ hæreditatis cupidum, valuit Occasionis blandimentum, quàm Memoria Affinitatis; Sorore ei in Matrimonio collocatâ. *Maclenius*, suo periculo territus, temerarium Consilium capit; Insidiatorem prævenire Statuit, ac inopinantem interimere. Indè *Insulanorum* suæ ditionis Copijs undique coactis, *Ilam* aggredi parat. Ubi Maconelius, Indirio Exploratoris, cognoscit convenisse *Macleuij* Clientes, frequentes, & armatos, ausurosque Insulæ Oppugnationem, & Arcis Obsidionem. Igitur propinquo discrimine, contractis suis Clientibus, accitisque *Raudolphi Macouelij* Hibernicis Auxilijs, cum satis magnâ Amicorum Manu, occurrit. Nec *Macleuius* pugnæ Moram fecit. Utrinque atrociter concursum. *Hiberni*, qui tulere auxilium, primo Statim Congressu, Pilis plumbeis maximè vulnera ingerunt. Hostes qui ex adverso steterunt, eminùs proturbant. *Maclenius* desperans tam crudi Consilij eventum, hortatur suos, ut cominùs congrederentur; fortitudinis specimen præberent; & Mucronibus rem gererent; atque ipse in densissimos acriter fortiterque irrumpens, quosdam occurrentium disijcit. Diu sustentatâ inhumanâ Inimicorum Crudelitate, obtruncatur; ac multi Amicorum circà. Reliqui, quibus Lemborum copia fuit, in proximas Insulas transmiserunt. Ita *Maclenius*, Corporis & Civilis Animi dotibus omnium *Insulanorum* præstantissimus, ab *Agno Macouelio* Insidiante, ad Convivium evocatus, & Fato servatus, ad Fortunæ ludibrium, ab *Iacobo*, per Summum scelus interfectus est. Auditâ Cæde *Argathelica* Comes, magno dolore affectus est; quia pugnantem in *Hnntileum* omni ope juvit; ibique præclaræ Indolis, & virtutis specimen exhibuit. proindè *Vivo* propugnatorem se acerrimum præstitit, & *Mortuo* vindicem, pro Occasione ultionis. *Maconelius* impar contrà *Argathelij* potentiam, incertis latebris, & incultis solitudinibus, ejus Iram frustatus est. *Rex* non minus infensus fædo flagitio, & sævitiæ hominum barbarorum; quos ad Tributum pendendum, Legesque accipiendas cogere ægrè potuit. Semper, ex eo die cogitavit Agros *Insulanis* adimere, & proximis Continentis Accolis colendos tradere; plerisque facinorosis tantum metum injecit, ut ad genua deprecatum ultrò accederent. Summa Pietas & Justitia *Regis*, Regiones omnes obeundo; in facinorosos animadvertendo; cæteros suo exemplo à luxu revocando; non modo *Scoticorum Procerum*, Civiumque animos oculosque in se convertit; Sed tacitam quandam in *Anglorum* animis impressit Divinationem, de futurâ magnitudine, potentiâque; quàm omni Popularitate ita Indies auxit, ut cuncti, mortuâ Reginâ, *Regem Angliæ* destinarent.

Res Anglica. Intereà *Elizabetha Anglorum Regina*, ubi quæ in Hiberniâ gererentur, ex Nuntijs ultrò citròque commeantibus accepit, desperatâ Concordia, in loca *Hispania* opulentissima traijciendum iterum censuit, Castella, Villas, Opida diripienda; ne quid laxamenti esset *Iberis*, ad subsidia in *Hiberniam* mittenda. *Essexius*, de quo sæpè memoravi, à *Reginâ* electus, *Classem* L X X *Navium* instruit: *Azoras Insulas* in potestatem redigere; & *Classes Indicas* Mercibus ingentis pretij onustas, Oceano adventantes intercipere, intendit. Igitur *primores Procerum*, *Comites Ruttlandia*, & *Southhamptonia*, homines Nobilissimi; *Barones* priscæ dignitatis, *Graius*, Cromvellus, & *Ricus*, atque Amici frequentes concurrerunt; multi Equestris Ordinis Centuriones, præfectique Aureis, Argenteisque sagulis fulgentes, domum ejus complevêre. Ingenti Consensu bellum susceptum; Tempus, & ratio administrando ejus, libero *Essexio* permissa. Is *Carolum Bluntum*, *Baronem Montioiium*, Terrestribus Copijs præfecit; quod initium futuræ mox fortunæ fuit. Huic additi, in Partem curarum, *Franciscus Verus*, accitus è *Belgio*, cum *Decem* Veteranis Cohortibus; *Georgius Careus*, Tormentorum Præfectus; constitutus & *Christoferus Bluntus*, primarius Tribunus; Rei Maritimæ, *Thomas Havartus*, Norfolcianâ familiâ ortus; & *Valterus Raleius*, Prætorianorum Cohortium præfectus, præpositi. Milites, Classicique, simulachris pugnæ exerciti. *Batavi*, ne parum diligentes in Sociorum causâ viderentur, X *Naves Bellicas*, & X V *Onerarias*, ex fædere, ad *Anglos* miserunt. Præfectus Auxiliorum fuit *Ioannes Duveuvordius*, haud rudis in re Navali. Cui occurrerunt à *Doroveruia* Anglorum Naves; omnesque simul Litus legentes, *Pleimouthensem Portum* tenuerunt. Atque cunctis jam satis comparatis, indè, *Nono die Iulij*, plenissimis velis navigarunt; Cursum ad *Feroliam* & *Corunnam Gallica Portus* dirigentes. Sed vehementiore Tempestate in Alto conflictatæ, & adversis fluctibus occurrentibus, undè digressæ redierunt. *Pratoria Naves*, in quâ *Essexius Prefectus Classis* vehebatur, soluta compage, diffracto Malo, & Antennis, paucis comitantibus *Falmouthensem Portum* primum tenuit, atque inde *Pleimouthensem*. *Essexius*, refectâ *Classe*, exauctoravit Milites, nauseâ laborantes; Veteranos è *Belgio* accitos retinuit; duces in *Pratoriam* navem arcessivit, ut de Belli gerendi ratione consultarent. Communi Consilio decretum, nec *Faroliam*, aut *Corunnam* oppugnari posse, *re Annonariâ* ita imminutâ, ut jam Inopia timeretur. Proxima deliberatio fuit, *Azoras occuparent, an non?* Omnes ita censuerunt, præter *Verum*, Tribunum Martialem; qui rem arduam ac difficilem disseruit; propter Copiarum paucitatem; Insulanamque Expeditionem nec in utilitatem, nec in dignitatem *Regina* futuram, si *Philippus*, contractâ Classe, Copijsque coactis, interim *Angliam* adoriretur, fortissimis ducibus, Præfectisque, & parte *Classis Regia* procul absentibus. Ita distrahuntur in deliberando *Angli*, sibi rebusque suis timentes. Postero die, *Essexius* Navarchis dat negotium, ut Commeatus, Navesque præpararentur, ne quæ res, cum redijsset, moraretur. Indè *Ipse* & *Ralleius* per dispositos Equos ad *Reginam* quàm celerrimè advolant,

advolant, ut in Communi consulerant, quas res ejus jussu gerere deberent. *Illa* præpropera ac præcipitia non probavit; proindè temperandum acte *Essexij* ingenium censuit, Moderato, & prudenti Vito adjuncto *Collegâ*; & rem integram eorum Arbitrio permisit, ut Naves in *Ferolia Portu* incenderent; vel *Classem Indicam, ad Azoras*, interciperent; aut ad Novos Casus nova Consilia accommodarent. Veniâ acceptâ, reditus eorum fuit omnium Opinione celerior, qui *Plimouthum* reversi, Naves conscendunt cum Nobilium turbâ, *Præfectis, & Centurionibus*, ac XVII *Augusti*, solutis Anchoris, vela faciunt, cum *Septemdecem Navibus Regys, bellicis Sexaginta Onerarijs Quadraginta*. Classis in trajectu adversâ tempestate iterum jactata, parte Magnarum Navium dissipatâ, demissis velis Ventis obsequi cogebatur; quâ *S: Mathei Galeona*, Malo & Antennis diffractis, *Rupellam* ejecta est: & altera *S: Andrea* Nomine insignis, à Reliquis abrepta. Tandem Tempestas commutata est. Classis ita verò navigavit in Conspectu *Asturia, & Gallecia*, ut nunquam à Terrâ procul discederent; Maritimasque Civitates, vanâ ostentatione, perterrerent; cum nulla suspicio hostis esset. Proindè *Iberi* præmoniti, Portus præmuniunt, & sustinere Impetum hostium separant. Intereà, circà *Nereum Promontorium*, Antenna Navis, quâ vehebatur *Raleius*, vi Turbinis diffracta; quam dum reficeret, à reliquis Nocte derelictus est. Interim verò Malevolorum hominum operâ factum est, ut Odij incendium inter *illum & Essexium* ortum, acrius accenderetur. Nam nonnulli quasi *Desertorem* calumniantur; & Jocis immodicis, ac Maledictis, Absentem vexant; Exitium ambitiosi hominis optant, & sperant. Dum *Raleius* expectatur, Consilium *incendendi Naves Baticas, in Portu Ferolensi*, sursus agitur; communi omnium Sententiâ, fieri non posse, decernitur. Abjecto hoc Consilio, Cursum in *Azoras Insulas* concerunt, ac magnâ festinatione eò contendunt. *Raleius*, naturâ gloriæ cupidus, refecto Navigio, insequi maturavit, & compensare Moram fortuitam, labore ac vigilantiâ. *Classis Mense Septemb: ad Azoras appulit*; quàm *Raleius* errabundus ad *Floridam Insulam* tandem reperit. cujus Adventu *Essexius* ingenti lætitiâ affectus, amicè excipit: quo in Loco, ille Insulæ Præfectus, cum fructibus, & Muneribus, quæ Tellus illa fundit, obviam prodijt; & humanissimè exceptus est. Ibi per Biduum recreatus, cum plurima Amici animi Inditia Incolis ostendisset, & *Chirographum suum Patrociny* dedisset; disparsis latè Navibus, *Classem Indicam* toto illo Pelago indagavit. Intereà *Raleius*, cum delectis *Voloniibus* fortissimis, Ordinum ductoribus & Classiarijs, *Faialam Insulam* adoriri statuit. *Gallius* verò *Mericus*, *Essexij fidissimus Cliens*, cæpit familiariter suadere, ne quid *Essexio absente* moliretur. Ille Aquæ Inopiâ laborans; vel rei gerendæ Opportunitate, & gloriæ Cupiditate incensus, in Terram descendit, immemor dignitatis *Essexiana* ac sui pariter Officij. Cum Aquationem faceret, Incolæ cum omnibus Bonis, quæ indè asportare potuerunt, in solitudines profugerunt. *Hispani Præsidiarij* impetum in Nostros fecerunt; sed in Fugam versi, è Conspectu abierunt. Ita Opidum vacuum occupavit; Tormenta ænea avexit; & per quatriduum se, suosque Terræ Muneribus recreavit. *Batavi*, pari sævitiâ, Insulam cui *Pico* nomen, devastarunt, diripuerunt que quæ ferri potuerunt. Post paucos dies, *Essexius Faialam* accedit. *Mericus* ingratum ac Malevolum *Raleij* animum exagitat, quod contrà Morem & disciplinam Militarem, injussu Imperatoris, *Insulam* occupasset, non alio Consilio, quàm ut summo *Præfecto* gloriam præriperet. *Essexius*, vir Nobilitate & virtute insignis, qui probè noverat ambitiosum, & Malevolum Aemuli animum, vera esse credidit quæ efferebantur; noluit tamen, ob levissimas suspiciones, suâ unius sententiâ, coërcere; Nonnullique *Comitem* liberius ad monuerunt, quod tantam Contumeliam inultam pateretur; hortatique sunt, ut Judicio Militari experiretur; & acerbissimum, ex æmulatione Aulicâ, inimicum exauctoraret; aut *Securi* percuteret; quod, neglecto Imperio summi Præfecti, in Terram cum Copijs descenderit. Adjicientes identidem, Occasionem tollendi Aemulum jam oblatam; quam amissam posteà non recuperaret. His dictis *Essexius* incensus est. Hinc *Sidneius, Brettus, Berrius, & alij Raleij Clientes* arrepti, & in Custodiam traditi. Ipse accitus, insimulatusque ab *Essexio*, quod, spreto Imperio, disciplinam Militarem violasset; Cohortes injussu Imperatoris in Terram exposuisset; Scelus supplicio dignum commisisset; Respondet reus, Præfectos, Centuriones, Navarchos, non *Tres Primarios* gubernatores eâ lege teneri; seque diu Adventum ejus expectasse; Aquæ inopiâ laborasse; & nisi *Insulani* Aquam prohibuissent, ac Impetum fecissent, diutius præstolari proposuisse. *Thomas Havartus*, sub præfectus Classis, operam dedit, ut inter *Essexium & Raleium* Pacem conciliaret; quod non Illi admodum difficile fuit. Remotis utriusque Partis pravis Consultoribus, non gravatè Alter cum Altero in gratiam redijt; & Centuriones exauctorati, in suum Ordinem restituti. *Essexius* privatas Injurias suas publicæ utilitati remisit; omnes Curas & Cogitationes contulit ad publicum emolumentum. *Raleius* promisit se nunquam hominis gratissimi Officio defuturum, & præteritorum Offensionum Memoriam depositurum; quæ, meâ quidem sententiâ, utrimque erant potiùs delatæ, in ultionis Occasionem, quàm sublatæ.

1597

Deinde ad *Gratiosam Insulam* Naves appellare jussit; quam lustrare instituit. Ubi cognito *Classis Indica* adventu, onustæ Auro, Argento, & Margaretis, cupidine Prædæ, & gloriæ, expectare statuit. Sed *Gravius Navarchus*, homo Inconsultus, & Temerarius, inauspicato suadere cæpit, Illam incommodam Navibus Stationem; & *Comitem* in eam Mentem impulit, ut utile Consilium omitteret. Itaque memor Officij, *Francisc: Vrrum*, & *Nicolaum Perkerum*, cum suis Navibus, propè *Gratiosam* disposuit, ut *Indicam Classem* venientem interciperent; Comitem verò *Southamptonium* & *Gulielmum*

1597. *Monsonum*, rei Maritimæ perirum, ad Occiduam Insulæ partem constituit, ut Tormentis perturbarent. Rebus ita constitutis, & perculsis *Azorum Incolis*, Ipse protinus ad depopulandam *S: Michaelis Insulam*, à Cæteris disjunctam, navigavit. *Martinus* verò *Padilia*, qui Onerarias *Indiæ Occidentis*, Bellicarum præsidio ruebatur, re intellectâ, in *Tertiæ Portum* Cursum direxit; & Mediá fermè Nocte, in *Monsonum* incidit; qui Tubis, Tympanis, & Tormentorum fragore, *Baticæ Classis* adventum significavit. Unusquisque ad Prælium se accinxit. *Southamptonius*, *Verus*, *Perkerus*, ferociter insecuti sunt; sed priusquàm *Angli* assequi possent, *Iberi*, Noctis beneficio, subduxerunt raptim Naves, sub *Angrâ*, primario Opido, & *Brasiliâ* Castello, exoneraruntque. *Essexius*, ut visam *Indicam Classem* pernicibus Nuntijs accepit; eò properantius *Tertiam* petit. Contractis in Itinere Navibus obvijs, Portum Classe explorat, contemplans ab omni parte. Situm munitissimum, Naves tutas Oppidi & Castelli Præsidio deprehendit; nec satis virium, ad penetrandum. Proindè abruptâ omni spe prædæ, *Sancti Michaëlis Insulam* repetit; ubi *Liburnica* temere appulsa, oppressa est; *Oneraria* immanis Magnitudinis, conspectâ Classe Anglicâ, repentè atrox Consilium inijt, & Faces pretiosissimis Mercibus intulit. Se in Mare præcipites projecerunt, Milites, Nautæque, & plerique fluctibus hausti fuerunt. *Essexius Ralleio* imperavit, ut cum Regijs Navibus *Portum* custodiret; & sinè intermissione urbem Tormentis verberaret; ne præsentirent Cives, cum Milites propius urbem, secundum *Litus* accederent. Ipse cum cæteris ducibus, & Copijs terrestribus, *Promontorium* circumvectus, *Villam Francam* appulit. Ibi in Terram, Noctis Silentio, Copias exposuit; Aciem diligenter instruxit; & Urbem, fructibus, ac Commeatu abundantem, cæpit. Domus interim diripiebantur; *Angli* Aurum, Argentum, & Preciosas Merces coacervabant; Prædamque Onerarijs Navibus imponebant; eoque prædandi Studio, & Amænitate loci fracti Milites, segnius Militiæ Munera obibant. Dum hæc administrantur, Naves leviores misit, & ducibus imperavit, ut proximi Maris Oram peragrarent. Omnes imperata faciunt, & aliquot Naves capiunt, onustas *Bresilio ligno, Sacchàro*, Cocci speciè, (quam *Coximiliam* vocant, maximi Proventus Mercem) *Musco, Zibetho, Succino, Gemmis, & Margaritis.* *Raleus* interim, sicut mandatum erat, *Sancti Michaëlis urbem*, Tormentis è Navibus, quatit; donec Copiæ Terrestres supervenirent. Coortâ verò Tempestate, cum *Classis* procelloso Mari, & adverso vento jactaretur; *Essexius*, ne Prædæ Cupidine, Regiarum Navium jacturam faceret, propinquâ jam hyeme, *Classem* incolumem, cum modicâ prædâ reduxit.

Otiosi homines, Invidiâ & æmulatione Militaribus viris infensi, *Reginæ* aures sinistris sermonibus impleverunt; commemorantes effusum Aerarium; laceram Classem reductam; modicum fructum infelicis Expeditionis; & Errorem Imprudentiamque ducis arguentes. Neque huic rumori *Ralejus*, odio in tempus dissimulato, defuit. *Essexius*, animo anxius, Odij securus, sinè verborum Jactantiâ, purgat se *Reginæ*; disseritque, Consilia ex voluntate cujusque, non ex Eventu ponderanda. Se Vigilias, Labores, Pericula, Turbines, Procellas, & Casus, miserabiles audientibus, perpessum. Parvum quidem Emolumentum Insulanæ Expeditionis; Sed Crebra hostium damna, & Victoriam superiore Anno partam, Meminisse debere. Nulla Ingenia tàm prava ad Malignitatem, & livorem, quàm eorum, qui in turpi Inertiâ capientes voluptatem, virtutem, & Industriam alienam oderunt. *Regina*, ut omnem alienatæ Mentis suspicionem aboleret, audijt preces excusantis; egitque gratias pro multis, & magnis suis, Majorumque suorum in rem Anglicam Meritis, atque beneficijs; Simul laudibus extulit plurimam belli, & rerum Maritimarum experientiam. Monuit autem humanissimis verbis, ne cum Aemulis discordiâ, publicè Regno, privatim sibi, afferat perniciem. Hæc res vulgata, in *Ralejo* creavit Invidiam, & *Essexio* favorem. Mirâ Enim diversitate *Principis* gratia, quâ uterque floruit, huic Populi benevolentiam conciliavit; quam Comitas Affabilitasque sermonis, cum Liberalitate conjuncta, indies auxit; Illi acerbissimum odium peperit, Plebs enim incitata, ob Impietatis *Ralejanæ* suspitionem, rebus ejus secundis invidit, Adversis mirum in modum delectata est. Certè in Neutro Præsentiam animi; in periculis fortitudinem; in Prælijs laborem; aut Industriam in rebus gerendis; solertiam in Consilijs; quoties expediret, desiderares. Sed Neuter satis dignum vitæ exitum habuit: Nam uterque perijt: *Comes* ocyus exitium provocavit; *Ralejus* serius securi percussus est, ut suo tempore memorabo. Hæc Animorum dissentio in dies acriùs exarsit; & *Cecilius*, potentissimus *Essexij* Adversarius, *Raleij* conatus non incallidè fovit. Igitur *Essexius*, Adversariorum Insolentiam compescere, & sui Contemptum demere decrevit. iniquissimè enim tulit, *Præfectum Maris*, se Reip: Causâ absente, ad dignitatem *Comitis Notingamiæ* provectum esse; omnem rerum gestarum gloriam in *Hispaniâ*, superiore Anno, Diplomate Creationis, in se trahere; jam *Comitem* creatum Ipsum, & alios Nobilitate insignes, honoris Prærogativâ antecedere. Igitur hæc cum æquo animo ferre non posset, ubi primum Occasio data est, supplex ad *Reginam* venit, quærelas exponit, & *Novi Comitis* honorem in suam Contumeliam rapit. Illa secum reputans, *Essexium* enim virum esse, quem placere, quàm suspicionibus irritari, magis è Rep: esset, gratiam suam in asserendâ dignitate ejus pollicetur, & Titulo *Comitis Martialis Angliæ*, exornat. Itaque illo viso vulgus prædicat, unum Ducem; unum Imperatorem; damnat Inertiam, & Formidinem Inimicorum; salutat immodico plausu. Favor Vulgi, anxium *Reginæ* animum altius penetravit; quæ optimum in præsentiâ rata est, Odium dissimulare, donec Favor Populi languesceret.

Insecuta sunt turbida tempora. *Martinus Padilia*, Naves, quæ subductæ *Tertiæ* erant, deduxit,

& fabricavit

1597 & fabricavit Novas, quas *Galeonas* vocant. *Centum & Octoginta Navibus*, cum omnis generis Commeatu, bellicoque Apparatu, *Ferolensi Portu* soluit, tempore ad navigandum immaturo; & *Angliam* petere intendit; ne *Angli* in Oceano contemptius vagarentur, aut Naves ex *Indiâ* redeuntes intercíperent. Haud procul *Canale Anglico*, Nimbi, Procellæ, Turbines, *Classem* disiecerunt. *Galeonum* Maxima, *Nova*, & firma Navis, exasperato fluctibus Mari, absorpta est; Altera aberrans circumvecta *Cambriam*, increbescente Vento, *Dartmontham* delata, in *Anglorum* potestatem venit, & Inditium tantæ Cladis fecit. Prætoriâ Nave amissâ, & multis depressis; Classis cætera, diu in Alto jactata, in eundem Portum, undè venerat, decurrit. Vix *Quarta pars* de totâ Classe evasit.

Sub idem tempus, *Legati* à duobus Regibus, *Sigismundo, Sarmatiæ*, & *Christiano quarto Daniæ*, Londinum veneruot. *Sigismundi* Legatus, *Paulus Ialinus* ad *Elizabetham* intromissus, libero animo quæstus est, *Sarmatarum*, & *Plutenicorum* in *Angliâ* vetusta Privilegia, Auctoritate multorum *Principum*, & Publicis literis consignata, adimi; contrà *Ius gentium*, Societatem, Communitatemque generis humani. Commertia cum *Iberis*, superbo Imperio, prohiberi, *Polones*, honestè rem querentes Mercaturis faciendis, alios à Maritimis Prædonibus capi, & tanquam Mancipia haberi; Alios, quasi licitâ prædandi Arte, per speciem Edicti injuriosi, spoliari Fortunis. Nomine Regis sui flagitat, Spolijs, Rapinis, & varijs Prædandi Artibus finem imponi, ablata *Sarmatis*, quæ cujusque fuisseot, restitui; in *Hispaniam* navigantibus liberum Commeatum concedi: Ni præstarentur postulata, ferrum, Ignem, aliaque belli facinora minitatur. Denique renuntiat, *esse suo Regi hæreditarium Suetiæ* Regnum, pro multis Meritis datum; *Poloniæ* Sceptrum florere; Prætereà robore Peditum, Equitumque flotere; ætate, & Opibus accessisse ad vires; nuper *Affinitatem Austriacam*, & Amicitiam Philippi; hâc fultum Affinitate, atque Amiciriâ, Subditis Auxilium adversus injurias justè deprecantibus, non denegaturum; & primam quamque Occasionem recuperandi ea, quæ per vim ablata essent, arrepturum; & forti animo Cives defensurum. Hæc Oratio movit *Reginam*, & exasperavit animum ejus Ferocia *Legati*: cui ex temporali facultate, ex re natâ, in magnâ hominum frequentiâ, properè & expeditè respondit. *O quàm decepta fui: Legatum expectavi, Haraldum verò accepi, posuit* pro Feciale Haraldum, *& Latinitate, lege Regiâ, donavit. Ex literis*, inquit, *Regis tui* Legatum *te esse intelligo; tua tamen Oratio* fecialem *te arguit. Per totam vitam meam ejusmodi Orationem nunquam audivi; non possum satis mirari tantam istam Audatiam, & Temeritatem. Regem tuum, presens si esset, non credo ejusmodi verbis usurum. quod si tamen tale aliquid tibi Rex mandavit, de quo valdè dubito, indè Factum existimo, quod adhuc Iuvenis, neque ordinariâ Sanguinis Successione, sed Electione ad Regnum provectus, non adeò Accuratè intelligit Conditionem, & Naturam ejusmodi Negotiorum, quæ nobis cum* Prædecessoribus *ejus antehac intercesserunt, ac fortassè cum* successotibus *intercedent. Ad te quod attinet, multos quidem Libros legisse nobis videris; verum Eos in quibus, res Politicæ tractantur, ne attigisse quidem. Quod enim* Jus gentium *toties, in sermonibus tuis usurpas, scire debes, exorto inter Reges bello aperto, licere vim Parti ad alteram missa Auxilia vel subsidia intercipere; & providere, ne damni quicquam indè sibi existat. Hoc nos dicimus* Naturæ, & Gentium Juri *consentaneum. Quod novam Regis tui cum* Austriacâ familiâ Affinitatem, & Agnationem *jactas, & tanti faciendam putas; Meminisse debes*, ex eâdem domo quosdam Poloniæ Regnum affectasse, *atque Regi tuo è manibus eripere, voluisse. De Cæteris, quæ Responsionem flagitant, cum nec hujus Loci, nec Temporis sint, Consiliarij, quos ad rem deputabimus, tecum colloquentur, vale interim, & acquiesce.* Ita dimissus Legatus, cum quatuor dilectis Consiliarijs, *Burleo*, quæstore; *Carolo Havarto*, Maris Præfecto; *Ioanne Fortescuto*, & *Roberto Cecilio*, ab Epistolis; in Colloquium venit. Prescriptos sibi fines, Terminosque, Legationis ostendit; extrà quos egredi noo poterat, maximè si voluisset. Mandata sua, Auctoritate publicâ consignata, exhibuit. Et iodè quod liberius adversus *Reginam* locutus fuisset, se excusavit. Accipiunt Excusationem Apocleti; & *Regina* Merita in *Polonorum gentem*, privatim & publicè extolluot: quod *Amurathem Bizantinum Imperatorem*, in *Sarmatiam* armis virisque transeuntem, Auctoritate avertisset; ac pari fecilitate *Inducias* primum, deindè *Pacem tutam* tranquillamque fecisset; *Polonicæ gentis* publico Emolumeoto semper studuisset. Reliquum Orationis, Respoosio ad querelas fuit. Liberum Commercium adhuc cum *Polonis* æquo Jure intercedere; Ferrum, frumentum, aut Apparatum bellicum, hostibus subvehere non licere; subsidia, ad hostes missa, intercipere, noo esse *extrà jus gentium*. Ardente bello inter duo Nobilissima Regna, *Sarmaticum & Rußicum*, Anglorum Naves in *Rußiam* Cursum tenentes, ut Mercaturam facerent, hostiliter interceptas, & in Fiscum redactas. Jam *Anglos* idem perpetrare, sinè cujusquam Injuriâ; cum Nemini prohibeatur, *jure Naturæ*, Moderata sui tutela, cernenti *Philippum* oon continere se *Hispania*, & *utriusque India* Amplissimo Imperio, sed vicina Regna Armis occupare; & *Franciam*, cum vi subigi non posset, fraude & Dolo tentare. Tandem multis ultrò citròque sermonibus habitis, *Legatus* benignè dimissus, Angliâ decessit.

Cæterum, ardente inter *Anglos & Iberos* bello, multæ *Naves Teutonicæ Societatis*, Ferrum frumentum, rudentes hostibus subveheotes, interceptæ ac spoliatæ sunt. Maritiniæ *Germaniæ* Civitates, vulgò *Anseaticæ*, in *Ratisbona* Comitijs, de Injurijs in Cives, in *liberas Civitates*, & de Maritimis *Anglorum* Latrocinijs, gravissimè queruntur. Neque sólum hujus generis publicæ, sed & privatæ quærimoniæ apud *Cæsaream Majestatem* habentur. Has ob Causas missæ ad *Reginam* literæ, de *jure Maritimarum Civitatem* differentes. petebant, ut pro injurijs, & damnis satisficeret. Illa non verita *Maje-*

1597. *statem Imperij*, respondit; *Anseaticorum querelas* delatas, esse injustas. Boni Principis esse, ferre Opem Patriæ; succurrere saluti, fortunisque Communibus; procurare publicam utilitatem. Boni quoque Pastoris esse, cui quàm Alieni gregis potiorem curam ducere. Civitates, si boni consulerent, æquo cum *Regni Civibus* Jure uti frui posse; Monopolijs, & Illicitis Collegijs non posse, apud Principem justè imperantem, & nulli parentem. Satis apparebat, quod ejusmodi Literæ, in Comitijs moturæ essent. *Rodulphus Cæsar* Responso irritatus, *toto Imperio Commercium Anglis interdixit; præscripto die, intrà quem Imperij Finibus excederent.* Interdictum ut erat acerbum, & indignum, sic videbatur omnibus. Quâ re cognitâ, *Regina*, ut consuleret suis, qui honestè rem quærerent Mercaturis faciendis, *Iohannem Vrothum*, in *Germaniam* ad *Imperatorem*, & *Stephanum Lesurinm*, ad Principes Imperij misit, ut *Injuriosi Edicti* iniquitatem testarentur. Qui *Cæsarem*, & *Proceres Imperij* adeunt, edocent, ab *Hen: tertio Anglorum Rege*, Societatem, peculiari Diplomate, initam cum *Maritimis Baltici Maris Civitatibus*: Sedem, ac domicilium Civitatis Societatis, *Londini* constitutam; ad Commercij Libertatem tuendam, Privilegia publicè indulta; quam posteà *Angliæ Reges Ed: tertius; Ri: secundus; Henr: quartus, quintus, sextus; Ri: tertius; Henr: septimus, & Octavus*, religiosè servarunt. Atque deprecantur, ut Inditium factum tolleretur, Edictum revocaretur, resque ad Concordiam deduceretur. Literis fidei *Cæsarij Principibusque* Imperij redditis, nihil æque ab ijs impetratum est. *Regina* certior facta, cum diu dubitasset quid sibi Faciendum esset, hunc Exitum Consilij reperit; Interpositâ Sænatus Auctoritate, & promulgata *Londini* Programinate, eodem die, quo *Angli* in *Germaniâ* emendi aut vendendi quæstu lucroque prohibent, *omnibus Vandalicis Civitatibus Mercaturâ in Regno suo interdixit.* jussitque, approbante Senatu, ut *Anseatici* possessione Sedes, quam in Civitate diu habuerunt, *Decreto Prætoris urbani*, summoverent; Immunitates, ac Privilegia, antiquitùs indulta, adimerentur. Itaque his & alijs de Causis, *Civitates* Conventum *Lubecam* indixerunt, *de instaurandâ Teutonicâ societate*; ac renovando cum vicinis *Principibus* fædere; de recenti *Angla* injuriâ: & interdicto in Angliâ Commercio, per tot Regum ætates, per tot sæcula, continuato.

Vulgo Stilliard vocatur.

Intereà *Georgius Careus Cancellaria* Assessor, Legatus in *Prussiam & Poloniam*, ad Commercij libertatem procurandam decernitur. Jussus idem, in *Consilio Lubecensi* Mercatorum res aspicere. Is interposuit querelas de *Inquitate Cæsarei Programmatis*, & injurijs *Vandalicæ Societatis* in Mercatores *Anglos*; quæ paulatim potentiâ & Opibus ita crevit, ut deinceps *Regibus ipsis*, quorum beneficijs precipuè creverat, invidiosa esset. Exposuit *Prucenicis Civitatibus*, integra *Regina* omnia cum *Radulpho Cæsare*, & *Sigismundo Poloniæ Rege* esse. Ardente inter *Anglos & Hispanos* bello, *Naves Teutonicæ societatis* ab *Anglis* jure belli captas, & spoliatas quod Civitatibus quærimoniarum Causam præbuit; seque aut ad spem Levandæ injuriæ, aut ad delenda solatium, venisse. *Reginam* interim, ex gratiâ suâ, permittere frumentum, & omne genus Mercium in *Hispaniam* supportare, præter bellicum apparatum; cum, *Iure gentium*, & *Civili titulo de Publicanis & vectigalibus*, subsidia ad hostem missa, intercipere liceat. *Anseaticis* quoque, Antiquis Privilegijs in *Angliâ* deinceps uti frui, modò illa ex merâ gratiâ specialiter indulta, non ex juris rigore exigerent. Cæterum *Anseaticos*, in exercendâ Mercaturâ, neque More, neque Jure, apud *Danos & Suecos* coërcitos: Apud *Anglos* etiam, *Edw: sexto, Phi: & Mariâ regnantibus*, Privilegia pro Reipub: bono legitimè ab judicata fuisse. Regum enim interesse, magis Regni saluti, quàm exteeorum Avaritiæ consulere. Multæ non parvæ disceptationes ultrò citròque jactabantur, *utrum Privilegia restituerentur necne Iniquè, an jure, Indicium Cæsaris adversus Anglos, factum sit?* *Careus* apud *Gedanenses, & cæteras Borussiæ Civitates*, prævaluit, ut Apolectos ad *Comitia Lubecensia* non mitterent. His rebus actis, relictâ *Borussiâ*, in *Suetiam* trajecit. ubi *Sigismnudum, Poloniæ Regem*, in summas Angustias à *Carolo patruo* adactum, convenit; & Mandata exposuit, de libertate Commercij tuendâ in *Prussiâ*; ubi Angli, *Elbingæ*, societatis sedem collocarunt; in quâ propriam jurisdictionem *Senatus Mercatorum* haberet. Cui Rex satia benignè respondit, *Sarmaticis legibus* cautum esse, ne *Rex* solus, eum exteris de *Commercio*, *aut fædere* transigat. Proindè Legatus *Elbingam*, sedem *Imperij Anglici*, revertitur: in quâ *Civium & Anglorum* Controversias ditimit. quæ *Societas* multitudine *Negotiatorum*, & Opibus indies aucta crevit. *Angli*, in *Germaniâ* negotiantes, diem *Dicti* obeunt; *Imperij* finibus, & *Stadâ urbe*, sede Commercij, emigrant: Domicilium omnium Mercium, & fortunarum suarum, *Medemblica*, apud *Mattiacos* collocant; multâque ibi Comitate culti, & Opibus aucti sunt.

Nec multò post *Sarmaticam* Legationem *Christiani quarti Daniæ Regis* juvenis, *Arnaldo Vbitfeldio*, Cancellario Regni, & *Christiano Beruicovio*, Senatori, dicendi quæ vellens potestas facta. *Cancellarius* multo honore acceptus, introductusque ad *Reginam*, de *fædere* renovando; de *Commercio* cum *Anglis* continuando; de *Piscatu Norvagico*, & *Islandico*, & de *Hellesponti Danici Tributis*, & *Vectigalibus*, sermonem instituit; amicè monere cæpit, ut se, Regnumque respiceret, & Miserijs infructuosi belli Finem imponeret; ac Concordiæ viam tentaret; Si modicas *Inducias* interijceret, inter duas Nobilissimas Regias, *Baticam & Anglicam*, facilè cætera conventura sinè Motu, aut pernicie Orbis Christiani. Ad hæc *Regina* respondit; *Renovationem fæderis cum Danis* sibi placere; studiumque Pacis, & Concordiæ in Juvenili animo, boni consulere. Deum, & omnes Mortales testes esse, penes *Philippum* belli initium fuisse: se justæ, ac propè Necessaria sumpsisse arma; penes eundem, pænitudinis reum, finem fore, si Pacem vellet; nec ullam magis Cladem hujus

belli

belli senſiſſe, quam qui moverat; Fidem ſibi cum *infidis Iberijs*, ſi Speret Pacem fore, eum vehemen- 1597.
ter decipi; Eos multa, in *Belgio*, documenta Perfidiæ dediſſe; & nihil ſanctius fæderæ cum *Anglis* culturos eſſe, quàm cum *Batavis* antè coluiſſent. Initio belli orto, inter duos præpotentes Reges, difficilis fuit pauſæ modus. Hæc in primo Congreſſu acta. Paucis poſt diebus, *Cancellarius*, Mentione omni Pacis prætermiſsâ, *Reginam* rogavit, Commercia cum *Iberis* quatenùs permitteret; quatenùs vetaret? Tanta illo tempore *Elizabetha* exiſtimatio, apud Vicinos; Metus apud potentiſſimos hoſtes. Illa, *Navalem materiam, Rudentes, Malos, Picem, Arma, Tormentum, Nitrum, aut frumentum, Iberis* ſubvehere prohibuit. Aliarum rerum ſubvectionem, *Aſſerum, Trabium, Tignorum*, pro Superioris Regis *Officijs, Danis & Norvegis* permiſit. De *Piſcatu* quæ ambigerentur, ut diſceptarent, *Apocletos* conſtituit. Ita *Legati*, reſtitutis defuncti Regis *Periſcelidis Inſignibus*, cum honore dimiſſi. In *Zelandiam*, ad fædus denuo cum *Batavis* confirmandum, trajecerunt.

Poſt dimiſſos *Danos*, Conſilium publicum univerſæ gentis *Veſtmonaſterij* habitum; tanto Concurſu, ſtudioque Plebeiorum, ad viſendam *Reginam*, gemmis maximi pretij, & cunctis *Principalis* fortunæ Inſignibus micantem; ut nonnulli invalidi ſenectâ, in Anguſtijs *Vici Regij* obtriti ſint. *Thomas Gerardus*, Eques Martialis, Militari poteſtate ægrè ſubmovere confertam Turbam potuit. Obſtupuerunt ad Magnitudinem *Majeſtatis* humiliores, incredibili honore, atque Amore: Opulentiores, Magnificentiâ Triumphi ſpeciem exhibuerunt. Nunquam major in Propinquo Reverentia ergà *Principem*; nec paratior *Principis* Miſericordia in *Plebem*. Hoc Caſu turbata, Comitialem Curiam intravit, de Motu Hyberniæ conſultare cæpit; indoluitque, ſuâ, & gentis *Anglica* Contumeliâ, quod flagitioſus Proditor, hoſtis More ageret; tàm latè popularetur, ut nemo in *Vltoniâ* vitam fortunaſque tueri poſſet, qui non ejus Conjurationi ſe addiceret; Veniamque Nefariorum ſcelerum, ſibi, atque Socijs Regulis poſtularet; aut bellum formidabile minitaretur. Decrevêre *Proceres, & Procuratores plebis*, contrà vim Armatam alendum Exercitum; domandam exultantis Prædonis Audaciam; ex Cenſu ſubſidia conferenda, ad ſtipendium Militum, ac Regni ſalutem & Tutelam. Nec minore ſtudio, ob Religionem reſtauratam; Rempub: benè & utiliter adminiſtratam; *Angliam* & *Hiſpanorum* furore conſervatam; *Hiberniam* defenſam; *Francos* & *Belgas* Armis & Opibus ſublevatos, gratias egêre. Multaque his *Comitijs* ſalubriter conſtituta, de Prædis Ruſticis, depopulatis, in Integrum reſtituendis; de Populatoribus ſeveritate legum coërcendis; de Agris frugiferis, in Paſcua non redigendis; de Bonis in Pauperum uſum collatis, in alios non transferendis; de Nautis, & Militibus ſublevandis; de *Ergaſtulis, ad Vagos coërcendos*, per Provincias ædificandis; & cohibita arctius Improborum Maleficia; Rationalium Fraudes; Virginum Rapinæ; Fœneratorum Avaritia. His legibus conſtitutis, *Eccleſiaſtici* tria ſubſidia; Laici, totidem & Sex quindenas conceſſerunt. Collationes, Charitate *Principis*, equaliter tolleratæ, ſine querelâ cujuſquam, aut gravamine. Obſecrant ſolum, ne tanta extrà ordinem Collatio, in exemplum poſteà traheretur, niſi pari urgente Neceſſitate, & Regni ſecuritate. *Burlaus*, *Aerarij Queſtor*, exactæ diligentiæ ſenex, cui *Elizabetha* Rationes Reipubl:, & fortunas ſuas commiſit, ac præcipuâ operâ uſa eſt; Podagrâ, Curâ, & ingraveſcente ætate, laboribus impar, cum ſegnius Reipub:, invalidâ ſenectâ, conſuleret; & diutius Cupiditas illi laboris, quâm Facultas eſſet; *Regina* Baronem *Buckhurſtium*, experientiâ Induſtriæ & Vigoris ſæpè probatum, Coadjutorem, etiam cupiente ſene, diligit; *Quaſturam* ei, poſt Mortem *Burlei*, deſtinavit; & extrà Ordinem Poteſtatem permiſit. Manebat nihilominùs ſua *Burleo* dignitas; & perpetua juvandæ Reipub: Voluntas. Prohibitus *Buchurſtius*, Jus Quæſtorum cæcâ Cupidine præripere; quandò Mortem ſenis expectare, longum non eſſet.

In his Aſperitatibus, & Anguſtijs, duæ res anxium *Reginæ* animum propè afflixerunt. *Philippus*, vergentibus Annis, deſpondere *Iſabellam Filiam Alberto Auſtrio*, decrevit, digno tanto Matrimonio, ob Communem Familiam; & Virtutes verè Militares; Ac propter Anguſtias Aerarij, Pacem cum *Francis* facere, ſtudio *Clementis octavi Pontificis Romani*, ſtatuit. *Regina* vocat Conſilia, docet deſtinata. *Burlaus* ſummâ ſenectute, & perditâ Valitudine, cum Imbecillitate Corporis pugnat; quotidiè in Curiam venit; omnia Momenta obſervat, Temporum atque rerum; ſententiam expromit; *Pacem* cum *Francis* ſibi maximè formidaloſam; *Matrimonium*, ſuo tempore, Conſilia hoſtium patefacturum.

Per idem tempus, è Secretioribus *Franci* Miniſterija, *Reauxius* miſſus in *Angliam*: qui accitus in Curiam, *Gallia* domeſticis Miſerijs graviter & copioſè deploratis, edocuit *Reginam*, Vi inſuperabilem *Hiſpanorum* potentiam; Gallis, quotidianis Cladibus ſatis cognitam; Pacem *Regi*, ex dignitate atque utilitate *Regni Gallici*, à Pontifice *Clemente Octavo*, oblatam eſſe; ac omnium captarum urbium poſſeſſionem, Armis partam, præterquàm *Caletis* & *Ardia*, ſi à *Sociali fædere cum Anglis & Batavis abſtineret*. Quare ſubveniendum ſocijs properè diſſeruit, *Regina* Fidem, & Opem imploravit, vel ad bellum gerendum, vel Pacem conciliandam. *Elizabetha*, in preſentiâ bellum domeſticum in *Hiberniâ* prævertendum ſibi eſſe reſpondit. Proximam Curam Salutis Sociorum fore. admovitque recentium in *Franciam* Meritorum; cum ab importuniſſimo hoſte, & crudeliſſimâ *Iberorum* dominatione liberaret. Et *Francum*, jamjam inclinatum, à *Philippi fædere* revocare tentavit. *Legatus*, non veritus *Majeſtatem Reginæ*, gentili libertate uteris, pronunciavit, *Elizabetham*, cum *Philippo*, *Laniſtis Francis Batavisque dimicare.* Eoque dicto ſtudium Pacis nudavit; & in *Franciam* redijt. Quanquam propè

1597. facta *Pax* erat, tamen non ab re *Elisabethæ* visum est, suos *Legatos* interesse eo Concilio; ut admonerent *Francos* societatis *Anglicæ*; fraudis *Batica*; ac inclinarent ad respectum pristinæ Societatis, & Amicitiæ. *Robertus Cæcilius*, ab Epistolis; *Gulielmus Harbertus*, supplicum Libellorum Magister; *Thomas Vilkesius*, sanctioris Consilij Amanuensis; maximè in eam Legationem idonæi visi sunt. Jussique ire in *Galliam*, profectionem in sequentem Annum adornant. Intereà, *Antonius Mildmaius*, Reginæ in *Galliâ Legatus Ordinarius*, homo magnæ prudentiæ, ac diligentiæ, à Precibus in Iram versus, cum *Rege* vehementius expostulavit; Fædus cum *Anglis & Batavis*, sanctissimo Jure-jurando sancitum, negligi, violari, rumpi. Amicissimum *Regem*, tot *Reginæ* beneficijs cumulatum, & amplissimis ejus verbis collaudatum, *contrà fædus* Facere. Nec Comitiæ, nec Conventum Ordinum, nec Concilium ullum publicum, pacto jam fæderi derogasse; *Pontificem Maximum*, violentiâ, & licentiâ *Papanæ Potestatis*, turbasse, cui Salva tranquillaque omnia in *Orbe Christiano* magis esse expediebat. Denique ad Fidem, & Officium cohortatus est. *Rex* vocari Senatum, & referri de *Fædere* ac *Pace* jussit. Multitudo ingens Pacem poscentium, Clamore perstrepuit. Postquam apparuit labore Plebis animos, & labantes confirmari non posse, *Rex* Legato respondit, *Populum Gallicum* Pacem omnibus Votis exposcere; seque Consensui Plebis imparem; beneficiorum *Reginæ* nunquam Immemorem futurum. Sed *Philippi timor*, maximum Concordiæ Vinculum fuit; quem invalidâ jam Senectâ ad Pacis studium excitavit: ut mox referam.

Hoc quoque Anno, in *Angliâ*, Inopiâ rei frumentariæ, aucta sunt ad Alimentorum pretia; repentè Vilitas Annonæ consecuta est: *Carolus Havartus*, Præfectus Maris, *Norfolciana* stirpis, suum verticem attollere altius cæpit; & *Nottingamiæ Comes*, studio *Reginæ* creatus, gravissimorum Motuum causa fuit. Nam ex eo die, haud occulti *Essexij* questus; *Novum Comitem*, nullâ Militari famâ, laudem Alienam, utpotè *Gaditanæ Expeditionis*, in se trahere, & præcerpere fructum Servitij alterius. Injusta & Violenta fortuna nullis æqua virtutibus, citò Indulgentiæ suæ oblita, Potentiam liberius ostendit, & sinè ullâ causâ furens, excogitat, quomodo Illi maximè posset nocere, quem Immunem ab injuriâ præstare debuit.

Avocant me nunc *res Hibernicæ*, immistæ *Britanicis*. *Tironius*, inter belli Moras & dilationes, ac Certamina ducum, *Iberorum* Auxilia indies expectavit. Sed *Philippus* implicitus bello *Gallico*, & *Belgico*, Hibernos respicere non potuit. *Boronesem Prorex*, destinatus, ut retuli, amplissimâ cum potestate Præpositus, & *Hiberniam* ingressus, vim Provinciæ *Anglicæ* illatam, effusâ prædandi licentiâ, invenit, ab *Vltoniæ rebellibus*: & haud fermè ullam Præfecturam intactam seminibus Tumultus. Quippè non modo *Vltonienses*, sed *Lageniæ*, & *Conaciæ* fermè omnes *Reguli*, apertâ Consensione, desciverunt; & *Ormundiæ* Comitis Tribules, in *Momoniâ*. Ibi obvius *Russelius*, ita ut mandatum erat, tradidit *Successori* suo Provinciam, & Insignia Imperij, Obsequiumque ac Modestiam testatus est. *Noritij* verò, *Momoniæ Præsidis*, Natura præceps ad Iracundiam, haud pari Moderatione obtemperavit; manente eâdem Contumaciâ adversus novum *Proregem*, ac memoriâ acceptæ injuriæ. Et *Regina*, intempestiva remedijs in Certamine ducum, supplicantem Præsidem, ut abeunte *Russelio*, Hiberniâ discedere liceret ad Otium & quietem, Petitionem ejus aspernata, revocare noluit; ac Invitum detinuit. *Prorex*, Inducijs in Mensem factis; exeunte die, vocat Consilium, & de totâ ratione belli consultat. Consiliarij, metuentes *Proregem* omnia temerè & præproperè facturum, suadent, Præsidem *Momoniæ* expectandum; ut Communi animo Consilioque bellum gererent. *Prorex*, gloriâ & animi Magnitudine elatus, ne Alieno Consilio indigere videretur, properè contrahit Peditum Copias, quæ *Octo Millia* erant; *Octingentos* Equites; *Kernices sexcentos*; fossores *quingentos* Signum simul Itineris proponit. Et his Copijs *Vltoniam*, penè oppressam funditus, propero Agmine intrat; nullam moram Prælio facturus, ubi primum dimicare licuisset; sivè insitâ naturâ Audaciâ; sivè impatiens diuturnæ moræ; speransque hostem vagum facilè profligari posse, si præveniretur. At *Tironius*, *Nigri fluminis* Ripam Præsidijs insedit; Aggeribus & Munimentis Castra firmavit; incussit Vado Trabes, Obicesque saxorum; Fretus Loco, quia *Pontem fluminis* abrupit, (ut suprà dixi) statuit Armis certare. Dein singulas Turmas & Cohortes circumiens, monet atque obtestatur, ut memores pristinæ virtutis, sese cum Conjugibus & Liberis, Patriamque suam, ab *Anglorum* Crudilitate, & Superbiâ defenderent; ac parati intentique essent, signo dato, *Anglos* invadere: Illum diem aut Omnium Malorum finem; aut maximarum ærumnarum Initium fore; si Fortuna in præsentia, Virtusque deserat. *Prorex* ferox, præmisso Equitatu, Ipse expedito Exercitu, cui fortissimos, & longo usu exploratos *Hibernos* addiderat, ad *fluvium* pervenit; quem jam Perduelles inconditi insederant, *Victoriam*, *aut Servitutem* expectantes. Instructâ Acie, *Baro Boronesius*, Claritudinem *Anglorum*, Decora Majorum recensuit; contràque Sordidos, & Ignobiles hostes, Militiæ nescios, tot Expeditionibus, tot Prælijs lusos, disseruit. Velocissimos Equitum Peditumque *Fluminis Vadum* ingredi jussit: statimque audentissimi Milvère. Ipse firmis Ordinibus subsequitur. Pugnatum in Transgressu fluminis aliquandiu ambiguè; obsesso Vado hinc indè ab hostibus, qui in Ripis se ostendebant. Sed præproperâ Ducis desperatione; & Perrumpentium Militum vi, ac ardore obstupefacti *Rebelles*, & in fugam versi, Sylvas & Saltus devios petiêre. Mox *Prorex* ad Reliquias Veteris Propugnaculi, in Ripâ, *Nigri fluminis* ab *Anglis* positi, ab *Hibernis* diruti, oppugnandas, se comparat, & omnem rei benegerendæ rationem in celeritate ponit. captum autem Propugnaculum, ac refectum, propter

opportunitatem

opportunitatem loci, & Præsidium *Anglorum* impositum, *duce Thomâ Villiamo.* Milites pro modico 1597. successu Supplicationes Precesque Numini fundunt. Inter Vota & gratulationes, haud procul *Tironius*, Socijsque *Reguli*, potentibus Campis apparuerunt. Ut primò Signa *Rebellium* viderunt, *Angli* ad Arma conclamant. Medio Ferè in Itinere, *Hibernis* adventantibus occurrunt, & acriter pugnam ineunt. *Henricus Kildariæ Comes*, cum *Hibernorum* Auxiliaribus Equitibus, in medios hostes impetum fecit, interfectis duobus Nutricis filijs; quibus idem honor apud *Hibernia Regulos*, qui Fratribus; in *Rebelles* eò furentius irruit, & magnum ad debellandum momentum in eo prælio *Anglis* attulit. Pedites *Anglici* præparati, confertique, latera invasêre. Undè *Tironius*, socijque in fugam effusi; nec aliâ, re, quàm velocitate tutantes se, in Sylvas propinquas refugerunt. Multi *Kernites*, cum Telis & Cultris cominùs congressi, interfecti; Multi fugientes trucidati, Nonnulli Centuriones, Præfectique *Anglici* in pugnâ cecidêre; & in his *Franciscus Vaghannus*, cujus sororem *Prorex* in Matrimonio habuit; Juvenili ardore gloriæ longius evectus; & *Robertus Turnerius*, Tribunus peritissimus rei Militaris. Plures ibi vulnerati; in quibus *Thomas Vallerus*, fortitudine clarus. *Kildariæ Comes* victus amore fraterno, cum spirantes atque jacentes cerneret, paulò post dolore fato concessit. Ita fortuna, quæ in Prælijs plurimum dominatur, insitam ingenio *Proregis* ferociam prospero successu aluit. Nec Ipse Fortunæ defuit. Pavido *Tironio*, & *Anglica* Arma vitante, per longinqua, & Avia relictâ Parte Copiarum, apud *Nigrum fluvium*, ut Propugnaculum rursùs exstruerent, expeditas Cohortes, Sylvas & Saltus Indaginis modo percursare, *Rebelles*, Vagos & dispersos consectari, & Ultoniâ exturbare jussit. Summotis hostibus in ulteriorem Insulæ partem, Consilia, Itineraque, & situm Regionis exploravit; Munimenta *Vltoniæ* imposita, rei frumentariæ provisu & Copijs instruxit; Pabuli & Annonæ Copiam, summâ cum curâ, providit, per Commeatibus egenam Regionem vagum hostem insecuturus. Incedere inde per Avia *Vltoniæ* Agmen cæpit. vastati Agri Regulorum contermini; non nihil Prædæ gloriæque partum; Indomita pecora abrepta; Sed in summam belli nihil profectum. Tandem *Prorex* consumpto Commeatu, & attrito pabulo, longinquis Itineribus fessus, reduxit Exercitum: lætis Rebellibus, eoque sperantibus Damna æstatis, hyeme compensare. Plures hæc properantius quàm consultius acta interpretabantur. Et indè *Tironio* Consilium, & Insidijs ferocem hostem captandis, si Occasio daretur. Hunc rerum Successum *Norritius* Aemulus graviter excepit; speciem tamen lætitiæ fronte vultuque prætulit; ne Invidiâ & Aemulatione publicam Fortunam remorari videretur. Paucis post diebus, Tædio curarum, & ægritudine animi, vitam finivit; apud Posteros non in gloriam. Is Militari gloriâ, & Imperatoriâ virtute, apud *Belgas* & *Francos* floruit. *Momoniæ* impositus, haud pari Fortunâ egit; omisso bello, Invidiâ in *Russelium*; irâ Offensæ in *Boronesium* flagravit; gratiam patrati belli ratus penès se fore, si incompositum & Vagum hostem ad Obsequium & Modestiam, Consilio magis, quàm Vi flexisset. Sed irritus Conatus; & Contumaciâ in *Proregem*, Reginæ Offensam provocavit; Manente in speciem Amicitiâ, & Memoriâ meritæ per tot Annos gloriæ.

Per eosdem dies, *Vltonienses*, discedentibus Anglis, Munimentum ad *Nigrum flumen*, à *Prorege* nuper captum, ac refectum, acriter aggressi, magnum Timorem *Præsidiarijs Anglis* incutiunt. Hâc Oppugnatione cognitâ, *Prorex*, citato profectus Agmine, in *Vltoniam* Exercitum reducit, ad hostes deijciendos, *Propugnaculi* capiendi spe; parvoque negotio, repulsis *Rebellibus*, protinùs Aviditate Victoriæ. Eodem impetu *Dunganonum*, sedem ac domicilium *Tironij*, ducit, Itinereque obsidet. *Proregis* adventu tàm inopinato perculsi Socij *Reguli*, universi in Interiorem *Vltoniam*, ad sua defendenda, abierunt; atque Auxilia à *Tironio* etiam abduxerunt. *Tironius* solus relictus, cum suis Copijs levis Armaturæ, petitusque domi, Armis diu incolumis evadere non potuit, exhausto circà omni Agro. Sed *Prorex*, adversante magnis Conaribus fortunâ, in Itinere morbo correptus, & lecticæ impositus, *Armacham* primùm, indè *Neurium* delatus, dysenteriâ extinctus est; lætis Rebellibus, plangentibus *Anglis*; vario Vulgi rumore. Prout cuique ingenium redditum Testimonium inæquale. Fuerunt, qui accusarent multa ambitiosè concupijsse; *Norritium*, summum ducem, superbè ac impotenter contempsisse; Patrimonium prodigè effudisse. quidam, si longior Vita contigisset, Temeritate, & nimiâ fiduciâ, hosti, semper fraudibus subnixo, opportunum futurum credidêre. Alij, Injuriâ & Negligentiâ priorum ducum accepta damna, majoribus Cladibus pensaturum; & ab effusâ prædandi Licentiâ, Vagum hostem, in suis sedibus, minutis & quotidianis Expeditionibus, cohibiturum.

Regina, auditâ Morte *Norritij* & *Proregis*, *Thomam Norritium*, *Momoniæ* Præsidem electum, Rectorem Regni, defuncto *Boronesio*, suffecit; cum *Iustitiarij* Titulo. Is Morte fratris anxius, Literas ad *Reginam* dedit, se ægritudine animæ, ex Casu fraterno, ad belli Munera obeunda minùs idoneum; Itaque cupere Missionem honestam; si per Eam liceret. quam quidem ejus Petitionem *Regina* Comiter accepit; honorificoque Responso missum eum fecit. *Adamum Loftum*, *Dublini Archiepiscopum*, & Regni, Prætorem; *Robertum Garnerium*, Supremum rerum Capitalium Judicem, rebus Civilibus administrandis; *Ormondiæ* Comitem, unum ex *Regulis Hiberniæ*, gentis Ornatum, multo verborum honore, pro Fide & Operâ, Bellicis præfecit, cum Titulo *Locum tenentis generalis. Tironius* Interitu ducum elatus, & Caput rursus exerere ausus, Collectâ ad se Popularium manu, accitisque *Iberorum* Auxilijs, universam *Vltoniam* in Potestatem, Vi, aut Pactione, redegit; præter Novum Munimentum, ad Ripam

1597. ad Ripam *Nigri fluminis*; *Dundalkiam Neurium*, *Armacham*, *Carlingfordiam*, *Fergusij Scopulum*, & cæteras Urbes, Præsidijs *Anglorum* infessas. Repentè magnis Copijs Munimentum *Nigri fluminis* circumdedit. Præsidiarijs *Anglis* fortitur propugnantibus. Quos cum frequentes, obstinatosque ad resistendum cerneret, Oppugnationem deposuit: ad Moras, Consilia, Curasque vertit; & ex Inopiâ Alimentorum, Deditionem hoc Anno frustrà speravit.

Ormundia Comes, Vicarius *Reginæ*, & Copiarum Imperator, Concordiæ conciliandæ cupidus, *Reginâ* permittente, de Pace, ponendisque per *Inducias* armis, agitavit; Et *Tironium* ad Colloquium evocavit: hortatusque est, uti Bello finem imponeret; ne damna ultima perpeti cogeretur; aut *Iberis* in duriorem & longè fœdiorem servitutem sese tradere. *Dundalkiæ* congressi, de Conditionibus egere: In his multum temporis spacium absumptum est. *Mediæ* Episcopus, & *Fentonus*, ab Epistolis, se in istam Pacificationem interposuerunt, consulentes Reipub: & dignitati *Reginæ*, in Pacis legibus. *Tironius*, robore Exercitus impar, ad Veteres Artes revolutus, vultu dimisso, & *supplice Libello* Errorem confessus; *Deum hominesque* testatus est, se Violentiâ, & Superbiâ Præpositorum, ac Miserijs Plebis, coactum ad Consilia Belli; reversum nunc ad Tributum pendendum, *Præfectosque Iuridicos* accipiendos paratum, suppliciter delictorum veniam orare; & Onerum Immunitatem; Præter suam suorumque vitam, omnia *Reginæ* dedere; Mortem servituti ante ponere; Castellis, & Munimentis *Vltoniæ* Commeatum offerre; Eum sibi apud *Reginam* gratiæ locum petere, quem habebat antè defectionem. Proinde, sese brevi Exteros *Hiberniâ* ejecturum. Re multum diuque deliberatâ, *Duorum Mensium Inducias* Apocleti pepigêre.

Angli inclinatas *Hiberniæ* res restitueri in Pristinam dignitatem voluerunt, Reguli Auxilia *Iberorum* interim speravêre. quibus perpetratis, *Tironius* discedens, subdolâ Modestiâ, *Ormundio*, *Vicario Reginæ*, Venerationem, tanquàm Principi, *Mediæ* Præsuli, & *Fentono* ab Epistolis, Cultum ac Reverentiam, tanquam superioribus prestitit; & Famam Moderationis; Vanâ Simulatione affectavit. *Delegati* eam *Tironij* Moderationem, pronumque ad Obsequium animum, Rescriptis ad *Reginam* literis, declararunt; ac Postulata adjecerunt. *Delegatorum* literæ, ijs de rebus, ad *Reginam* perlatæ, magnam in spem Concordiæ erexerunt. *Regina*, per literas, *Ormundiæ Comiti* rem integram commendavit; jussitque ut suam fidem *Tironio*, & ceteris *Regulis* interponeret; si Pœnitentiam publicè profiterentur; leges acciperent; & Pacta conventa sanctè servarent. Illam quoque omnibus numeris servaturam. Mox *Tironius*, socijque Reguli Veniâ donantur. Neque *Reginæ* Consilium reprehendendum fuit; quod fama erat, *Hispanos* ingentibus Copijs in *Hiberniam* mox venturos. *Tironius* interim, Militum inscitiâ sæpius pulsus, inconditos *Kernices*, qui, Sclopettos jaculantes, neque Occulis, neque Auribus satis competebant, multifariàm Exercitationum Rudimentis imbuit; in Cohortes distribuit; præponitque Centuriones expertæ fortitudinis.

Res externa. Hoc Anno erat *Durlani*, in limine Regni, nuper Gallis erepti, Præfectus *Ferdinandus Harnantellus*, Cantaber, Vir magni Animi, sed perpusilli Corporis. Erat haud procul ab eâ Urbe; Oppidum *Francorum*, cui *Ambianum* Nomen; Forum rerum venalium Celeberrimum; frumenti, & Apparatus bellici Officina: nec aliud Præsidium, quàm frequentia Civium, & Munimenta imperfecta. Rex *Francorum*, suspectâ *Iberorum*. Proditione, tentavit, si paterentur *Ambiani* Præsidium *Helvetiorum*. Respondent, satis in suis Civibus esse Præsidij, externo non egere. *Ferdinandus*, per aliquot dies intentus Occasioni, desperatâ Expugnatione urbis Operibus Munitionibusque, vertit Consilium ad dolum; ut improvisò opprimeret. Interim Rumorem dissipat, *Præsidiarios* Milites *Fani Pauli*, ob non soluta stipendia defecisse; eamque Injuriam Excidio ipsorum ultum ire. Simul magnas Copias contrahit. Credula Civitas, incuriosius Vigilias, & Munia Militiæ agit. Nec diutius cunctatus *Ferdinandus*. Nocte Concubiâ, in Ruderibus, Macerijsque *Templi diruti*, propè Mœnia *Ambianorum*, 400. homines, summæ Audaciæ, Insidijs collocat. Ipse cum *bis Mille* Peditibus, & *Quingentis* Equitibus, occultat se propinquâ silvâ. Convenit etiam, ut 40. *Milites*, Loricis armati, & Rusticorum lacernis vestiti, Luce primâ, reseratis foribus Portæ, appropinquarent; occursantes Vigiles interficerent. Hi uti edocti erant, Mandata conficiunt, velut anhelantes sub Sarcinis Agrestes, in Portâ subsistunt; donec Plaustrum, ad hoc ipsum præparatum, Axe pensile, & *quatuor Personatis Militibus* agitatum, in Ponte Sublicio adversum hæsisset. Antequàm Cataracta demitti possit advolavêre Insidiatores; occupatâque Portâ Vigiles obtruncant; refringunt Portam maximam; Signo ex composito dato, Agmen in ruderibus abditum, sub Signis confestum irrumpit; strepitu & Tumultu Omnia miscet. Tum Dux *Ferdinandus* duo *Millia* Armatorum inducit, urbe potitur; Fora, Mœnia, Turres, Præsidijs firmat; nec divertere quenquam, aut excedere ordinem Agminis monet. Jam Tumultus erat, Clamorque totâ in urbe. Oppidani, ubi Captam Urbem senserunt, fulgentibus hinc indè *Hispanorum* Vexillis, pavore exanimes, nullâ decoris curâ, recepêre se in domos suas. *Comes S: Pauli*, qui Urbi & Provinciæ præerat, excitatus Tumultu, & Lamentatione, *Corbanâ Portâ* effugit. *Iberi*, jam Vitæ Necisque Domini, sævitiâ ingenti, ac Cupidine Prædæ, discurrunt; Cives dispersos in domibus trucidant; Bona eorum diripiunt; Arma & Tela adimunt; moxque Vulgus, servilem in modum habent; Probra ac Vulnera intentant; Libidine, & Sanguine cuncta polluunt. Vulgatâ captæ Civitatis famâ, *Rex Francorum*, incensus Irâ, Culpam Cladis in *Ambianorum* Pervicaciam, & Incuriam vertit; negantium se

Præsidio

Præsidio cujusquam egere; Mittit per universam *Galliam* Nuncios, qui Auxilia concirent: antequam hostes, auctis Viribus, ad tollerandum longius obsidium, accingerentur. Interim *Frdenandus Hernantellus*; longè Majoris Animi quàm Corporis, Vallum, Turresque *Ambianensis* Civitatis Labore & Opere firmat, tanquàm Obsidio immineret. *Rex* de Improviso, Multitudine *Francorum*, & auxiliarium *Anglorum* affluente, Urbem circumvexit; Fossas ducit; Aggeres jacet; aliaque quæ Oppugnationi usui forent parat. *Francij* Cupidine Oppidi potiundi, ad oppugnandum Versi, instructum Exercitum ostentant; premunt Obsessos; propiùs Machinas admovent; Interim variæ Eruptiones, ac sæpè prosperæ. Perrupta *Castra Francorum*; *sexcenti* ferè Oppugnatores cæsi; in quibus duo Tribuni Legionum cecidêre. At Adventu *Bironij*, Clarissimi Ducis, cessêre Obsessi; & quies Eruptionum fuit. *Francus* Obsidium urgebat, Variâ utrinque fortunâ. *Ferdinandus* Præsidij Præfectus, reparandis Munitionibus intentus, ænei Tormenti ictu prostratus, consossusque interijt. Is Casus Obsessis metum, *Francis* fiduciam indidit. In ejus locum suffectus *Marchio Montinigrius*, haud pari virtute egit; obruit Famam Successoris gloria Ferdinandi. Nuntius Interim ad *Albertum* pervadit; qui edocet quo in statu *Ambianenses* Præsidiarij essent. Is solvere Obsidium decrevit, aut Prælio certare, ubi primum congredi licuisset. Igitur cum Exercitu extemplo in *Galliam* profectus, cum Castra Castris collata essent, Spreto hoste, & Munimentis, Pedites perrumpere, jussit, ac in Urbem penetrare. Fit Impetus, inque Munitionibus pugnatur. Perculsi *Franci*, *Alberti ferociâ*, & Temeritate, ortaque in Castris trepidatio; nec animi satis ad resistendum. *Rex* turbidis rebus, intrepidus laborantibus fert opem; Increpat Pavorem Tumultuantium; & Castra Vallis, ac Saxorum Obicibus firmat. Presentiâ *Regis* recreati *Franci*, primò resistunt, deindè expellunt extrà Munitiones. Ita tàm præclarus Conatus *Alberti* irritus fuit; non omninò Vanus; Ultrà non ausus, cum opportunè dispositis, à *Francis*, stationibus, in Urbem penetrare non posset, in *Belgium*, infectis rebus, regressus est; lacessentibus *Francis* in Regressu, & Vestigijs inhærentibus.

Absente *Alberto*, Mauritius, contracto *Batavorum* Exercitu, apud *Rhenbercam* ad *Rhenum* consedit. Occupavit in transitu *Alpenum*, fugâ desertum. & Mænibus Urbis, compositus instructusque successit; Operibus, Tormentisque oppugnate adortus est. *Angli* Insulam in medio *Rheni*, opportunam Conatibus, expugnarunt. *Batavi*, fluminibus sueti, Navali Acie assultarunt. *Præsidiarij*, subductis Tormentis, Naves suas, ne hostes illos potirentur, depresserunt. *Mauritius* Pontem flumini imponit; quo Oppidianis formidinem adderet; Turres diruit; Terrestri & Navali Acie premit; Oppugnationem quoque accelerat; ibi quoquo in Periculo fuit. Haud multum abfuit, quin jacens in Lecto, Tormenti globo traijceretur. Ancipiti malo territi *Præsidiarij*, incruentas Deditionis Conditiones flagitant. *Mauritius* ardens cupidine Oppidi potiundi, priusquàm *Albertus* rediret è *Franciâ*; deditione factâ, *Præsidiarios* inviolatos forè, cum Castrensi Peculio, & omnibus Impedimentis, paciscitur. Longus Deditorum Ordo, Sepris Armatis, Urbe egreditur.

Atque inde transmisso *Rheno*, Mursâ deditâ, *Grollam* obsidet, Machinamentis, & Astu. Postquàm ea parum procedebant, Vi atque Impetu adortus est. Urbi præerat *Fredericus*, *Berga Comes*, Nassovicâ familiâ ortus. Is Vi, atque Impetu coactus Deditionem fecit. Dein *Frisia* non Agri tantum vastati, sed & Castella, aut Vi expugnata, aut Pactione dedita. Tanta Provincia, tot opportunæ Urbes & Munitiones, idoneis locis impositæ, brevi spacio in Ditionem *Mauritij* venerunt. qui, exactâ æstate, reducit Copias, & hibernaculis composuit. *Batavi*, Ducem, & Victorem exercitum, gaudio & multo honore concelebrarunt. Ita *Albertus*, Imperator Clarissimus, aliena Dominia appetendo, Propria amisit; & Infelix Audaciâ fuit.

Jam *Francus*, deducto hostium Exercitu, ab Oppugnatione *Ambiani* non destitit; æstate atquè Hyeme juxtà premens. eoque Desperantes Obsessi suis Viribus, & *Alberti* Auxilijs, deditionem fecêre: & pacti, ut sinè fraude, liceret abire, cum omnibus rebus suis, quæ agi, ferrive poterant, urbe excesserunt. In hâc arduâ, ac difficili Obsidione, *Thomas Baskervillus* diem obijt. qui ob Scientiam Rei Militaris, atque animi Magnitudinem, delectus est à *Reginâ*, ut Auxiliaribus in *Picardiâ* Copijs præesset; Cui, & *Arthuro Savagio*, ob Perseverantiam, Constantiamque oppugnandi, *Francus* se plurimum debere, suis literis testatus est.

Cum jam *Hispania*, *Belgium*, *Hibernia*, & *Francia*, maximâ Belli Contentione arderent, tentata Concordia est, per *Clementem Octavum*, *Pontificem*, & aliquot *Principes Christianos*. Data Uberiora Mandata *Gusemanno, fratri Franciscano*. Pontifex *Francos*, & *Iberos*, Nefariè inter se diffidentes, & mutuis Cladibus obtritos, Authoritate suâ Sacrosanctâ, à dissensionibus ad Concordiam revocare est conatus. hortatusque est *Reges*, ut Fraterno inter se animo agerent; *Mahumetis* diram & Nefariam Superstitionem opprimerent; Vindicarent *Religionem Christianam* ab impiâ sceleratâque Servitute; Bellum *pro Religione* Susciperent, gerentque, adversùs *Turcum*, *Asia*, *Africaque*, Eversorem; nunc *Europa* molientem Excidium; Piorum, Christique hostem; Non virtute suâ, sed *Christianorum Principum discordijs ferocem*, retunderent; averterentque Procellam imminentis Belli, antequàm tonaret; *Christi Sacrum Solum* à furiali Rabie defenderent. *Philippus Rex*, grandis Natu, qui ad *septuagesimum Annum* pervenerat, tum demùm, intellecto Inani Conatu Belli, sinè fructu, sinè Voluptate, sinè profectu ullo; cum tot *Iberorum* Catervas in *Belgio* amitteret; cum tantum *Christiani sanguinis* quotidiè funderet, Mox plus fusurus, nisi Bello abstineret; dignum rebus præclarè à se gestis,

1597. dignum Religione, & Prudentiâ suâ *Responsum dedit*. Amplitudini, ac Sanctitati *Pontificis*, & gravissimo *Cardinalium* Senatui, se submisit. Ne inter Conatus magnos, & improbos, Ultima Senectus deficeret; & Regnum turbidum Liberis, nec Aetáte nec rerum usu confirmatis, relinqueret. *Francus*, Viribus domi attritis, & tantis Bellorum Procellis imminentibus, à Pace non abhorruit, Si Oppida, Arcesque captæ ab *Iberis*, restituerentur. *Pontifex* rebus *Baticis* & *Gallicis* componendis intentus, *Inducias* paciscitur; ut *Induciarum* tempore *Pax* tractari commodè, conficique inter *Reges* posset.

RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER OCTAVUS.

1598. SUPERIORA Anno memoravi, *Legatos*, Procerum *Scotorum* decreto, circà vicinos Reges mittendos, ut conjungerent se cum *Iacobo*, si quid *Elizabetha* humanitùs contingeret; aut si quis Ambitiosus, *Ius in Regnum Angliæ* oppugnaret. Ineunte Vere, *Eduardus Brucius Kinlossensis*, in *Anglicam* Legationem delectus; Missusque ad eliciendam *Successionis Declarationem*. *Regem*, in Comitijs de Jure Sanguinis, ac *Spe Regni* liberius locutum, excusavit; studiumque Pacis & Concordiæ demonstravit, si *Regina* Jus Successionis legitimum, Jure divino ac humano confirmatum, non læderet, aut imminueret; ac *Regem*, genere maximè propinquum, Belli & Pacis studijs clarum, in proximo sibi fastigio, Publico Ordinum decreto, collocaret. Si secus faceret, aut in *Regni Successione* quenquam, contrà Jus fasque, anteferret, nec domi Vires, nec Fòris Socios belli defuturos. Respondit *Regina*, nihil à se tentatum, quod *Regis Ius* haud dubium imminueret; aut *Angliam Scotiamque* ad domesticum armaret bellum; ad *Spem Regni* propiùs admonere non posse; aut *Hæredem*, Decreto Ordinum Pronuntiare, sinè discrimine Salutis suæ, & Tranquillitatis Publicæ: Proindè rectè Facturum *Regem*, si præsenti *Petitione Iuris sui* abstineret; & Cuncta Beneficia expectaret, Si quid sibi humanitùs acciderit, quæ concedi Salvâ Securitate, & dignitate possent: Eaque, si videretur, Authoritate suâ Comitia confirmarent. Postremò monuit, ut Numinis gloriam Promoveret; & Ipse sibi non deesset; seque in tempore non defuturam.

De Controversiâ Finium, bonis direptis, Pecoribusque abactis, disceptatum apud *Cecilium Quæstorem*. Ubi *Legatus* Mandata Ferociter edidit. Haud dissimili Oratione exagitavit. *Quæstor*, plures res ademptas, & non restitutas; *Anglicæ* societatis, Meritorumque in Universam *Scotiam* Reginæ, admonuit; ne temerè Benevolentiam *Regum*, impetu animi, dissueret.

Hâc Tempestate, graves Rumores in *Angliâ* sparsi sunt, adversùs *Iacobum Regem*, arguentes illum in *Papanorum Factionem* propendere; atque animo esse in *Reginam* infenso. Ad cujus rei Fidem faciendam, *Graius* adhuc in *Angliâ* exulans, Exemplar literarum ad *Pontificem Romanum* detulit; quæ ab *Elphingstono*, *Regio Secretario* fictæ, & Subreptitiâ fide subsignatæ; ut in Contextu Operis posteà patebit. *Valentinus*, etiam quidam *Thomas*, inter Latrones Delatus ab Indice, in exercendâ de Sicarijs questione, Metu Judicij postulavit, ut de re maximi Momenti audiretur. Datâ seorsim dicendi potestate, *de inferendâ Reginæ Nece à quibusdam Sollicitatum* profitetur; & Authorem *Iacobum Regem* nominat: Non sinè Suspitione Fraudis, quam *Regina* nullo modo tolerandam existimavit; Et Improbum Calumniatorem, vel ab Alijs subornatum, vel id scelératè comminiscentem, ut Vitæ suæ consuleret, in Perpetuum Carcerem conjecit, usquè in Adventum Regis: *Brucius* misit, qui Rumores *Anglicanos* exciperent, & celeriter ad se referrent; quæstusque est, Calumnijs improbissimis *Regem suum* acerbissimè vexari. *Regina* fictum & Commentitium *Valentini* Crimen detestatur; Commenta *Papanorum*, Futilesque ad *Pontificem Romanum Literas*, pari fastidio sprevit. *Legatus* indè, ad hujusmodi Rumorum Commenta dissipanda, Idoneos homines per totam *Angliam* dimisit: qui *Regis* in Religione perseverantiam, Constantiamque; in rebus gerendis *Prudentiam*; Justitiam cum Liberalitate conjunctam, commemorarent; ac Multitudinis Benevolentiam ei conciliarent; quæ spontè & ultrò Operam in asserendâ dignitate obtulit.

Cæterum,

1598. Cæterum, Sparsi *Libri de Iure Successionis*; demonstrantes, *Iacobum Regem*, Jure Materno, Cognationisque, in *Anglicum Solum*, per Leges Patrias, Institutaque succedere; cum *Henrici* VII, *Regis Angliæ, ex Margaritâ Filiâ Primigeniâ Pronepos sit*; Illoque nullus existat Vir Cognatione propior Spei Regni; Nullaque *Fæmina* sanguine junctior. Nec Patris Origine à Stipite remotiorem; Margaritæ Duglasiæ, Aviæ, Gentilitio Jure; quæ *Hen: Regis* VII. Proavi Neptis fuit. Ut Controversia jam nulla de Origine utrâque, Maternâ ac Paternâ posset exoriri. Præterea legitimam *ejus Successionem*, magis ex dignitate atque ntilitate *Populi Britannici* futuram, quàm alterius cujuscunque injustam usurpationem; quæ Fædum Atrocemque Exitum, domesticis Experimentis ex Annalium Monumentis, semper habuit. Regnum *Angliæ*, accessione *Scotiæ*, toties affectatâ appetitâque augeri; Incendium *Hibernicum* restingui; *Baticum* hostem contundi, si se Ille Imperij Finibus non contineat; Commerciorum libertatem in *Daniâ*, & Maritimis Civitatibus restirui; *Regem* Vires satis Firmas, ad se suosque tuendos habere; ac Veteres Potentissimorum Principum Necessitudines, & Amicitias novas indies, Sociali fœdere, complecti, si quis adversùs *Ipsum Ius* in *Angliâ* aliquid attentaret. Sed *his Commentariolis* longè præcelluit Liber, quem ad Filium de optimâ Principis Institutione scripsit, & *Basilicon Doron*, Græco nomine appellavit. Certè *Rex* ab inani laude, & Vulgi Sermone remotus, Plebis animos indè sibi conciliavit, & Opem Potentium. His Opusculis, per Otium ac quietem pellectis, in *Angliâ* multi homines nobiles incitati; & Optimus quisque *Scoticæ Societatis* esse cæpit, ac rebus ejus favit; qui Novo Obsequio acres, per varias Fallendi artes *Cecilij*, Custodias elapsi ad *Legatum* penetrarunt; fidem & Reverentiam in *Regem* memorantes, nec se defuturos tempore opportuno, *si quis Regni Successione* anteferretur. *Henricus Havartus*, *Norfolcianus*, studijs clarus, ex eo die non cessavit, Popularem gratiam in Regem accendere. Ipse *Essexius*, Princeps Amicorum *Reginæ*, ob egregias Corporis & Animi dotes in flagrantissimâ Populi gratiâ, studijs Vulgi, & Populari favore superatus, seu propria Voluntate; & Causæ æquitate; seu instigante *Antonio Bacono*, Illustri homine studijs, Usu rerum, secreta Consilia cum *Legato* agitavit; Sermonem de *Successore* injecit; & salvâ in *Reginam* fide, ac Pietate, Amicum se *Regi Iacobo* professus est; simul Obsequium post *Mortem Reginæ* destinavit. Disseruitque Aetatem Senilem maximè anxiam; at incertam hæsitare *Reginam*, quem *Hæredem Regni* relinqueret: *Cecilios* Jus Regni, haud dubium, in desceptationem callidè vocare exoletum *Philippi* Titulum fovere acrius indies, Juris specie; *Iacobi* nullam apud eos gratiam; Suspectum invisumque Semper Dominantibus Successorem. Undè Certamen cum Cæcilijs auctum, & mox *Essexio* exitium paratum. *Legatus* Spe Novæ dissensionis elatus, *Cecilij* Societate abstinuit, Ingenio ejus diffidens; & in *Scotiam* properè redijt. Ibi cum retulisset, *Essexium* Aulicorum splendidissimum in Partes transgressum, adeòque omnes *Proceres* in ejus favorem ire præcipites, si æquis Conditionibus invitarentur, *Rex* hoc velut Populari Omine lætus, & æquitate Causæ, magnam Spem *Successionis* cæpit habere, ex studio *Procerum*, & Aulæ *Anglicæ* dissidijs, magis indies erumpentibus.

In hoc Motn *Orbis Britannici*, Rex, Conventum Ordinum *Edinburgum* indixit, ad expediendas pecunias adhibitis Supremi Ordinis Proceribus, *Levinio, Hamiltonio, Angusio, Errelio, Casilissa, Glencarina, Marriæ Comitibus*; & Secundi, *Levistono, Neobottelso, Fyneo*; *Spyneo*. De se Ipso modestius, de Sumptibus gravius disseruit, non Tributa, & Vectigalia, Oneribus Reip: sufficere; de *Novo Senatus* legendo; de Pacificatione Procerum; de Corruptelis Præfectorum Juridicorum; de Provisu Armorum, multum & accuratum sermonem habuit. Prima Pecuniæ cura; Nova & insolita Portoria imposita Mercibns, quæ in *Scotiam* subveherentur, transmitterenturve. Res exportatæ, sinè Portorio in *Fiscum* redactæ. Multa sancita amplificandis Vectigalibus; Summaque dilligentia adhibita, in regendis finibus. Monet ne quæ Fraus in Pondere, vel Metallo fiat. Nummi Aurei, pluris solito æstimari, ac permutari cæperunt. Argentei quoque pluris haberi jussi; ut aliquid indè corraderetur. At Rapacissimo cuique non *Agri Regij*, non Prædia, quæ erant Locis Religiosis destinata, adempta; Unicum his tot Incommodis salutare Remedium, & Inopiæ publicæ justissimum Allevamentum. Provisui Armorum *Balfourius Burleus Comarchus* Præpositus; Novum Officium, in Avaritiâ magis, quàm utilitate publicâ excogitatum. Is privatum Emolumentum agens, sinè publicâ curâ, Loricas, galeasque ferreas in *Belgio* comparavit, ad tegendum Corpora contrà Tela, infirma Munimenta, si hostis ingrueret; eaque Civibus, & *Comarchus* magno pretio distribnit: Urbes, Villas; Vices, Exactionibus vexavit. Inseruit sæpius Plebs querelas, & atroces de *Balfourio* sermones, Probris omnibus Maledictisque laceravit. Cæterum hoc tempore, Cuncta apud *Pontificios* Sacra, apud nos prophana execrabilia habebantur. Nulli dies, *Apostolis*, aut *Martiribus* Sacri; aut religiosi ab Opere cessavêre, omnes Negotiosi; ob hæc, *dies Lunæ, per Singulas Hebdomadas, Festus decernitur*: haud sinè Indignatione Ministrorum Interpretum Numinis. Proximos ferè dies, in Moribus publicis emendandis; & pacandâ Offensarum Acerbitate, inter *Marrium*, *Levingstonum*, *& Elphingstonum*, homines Amplissimâ Authoritate, & Fortunâ, vehementi Odio dissidentes, *Rex* consumpsit. Nequis ex Iracundiâ, & Contentione Motus excitaret, Mala commemoravit, quæ ex Intestinâ Discordiâ; Bonave, quæ ex Concordiâ redundarent. Monuitqne, ne illa discordia publicè *Regno*, privatim *Familijs* afferret pernitiem. Non impedierunt ultrà privatæ Offensiones, quò minùs Reipub: salute consentirent; & Privatas Injurias, publicæ salutis causâ, libenter deponerent. Igitur ad Consilium de Repub:,

1598. de Omni denique Negotio dandum, *lecti* x x x, *Conſiliarij* plerique, in Cognitione, Curâque Reipub:, & Acribus Miniſterijs. In his *Proceres ſedecim*; Reliqui *Primores Aulæ*, & præcipui *Regni* Miniſtri. Nam etſi, *Iure Regni*, apud *Scotos*, Proceres Supremi Ordinis in *Senatum* veniant, interrogarique poſſent, Arbitrio *Principis*; tamen *Senatores* non ſunt, niſi à *Rege* in Senatum legantur. Hi Jurati, *Ordinumque Conventu* ad rerum gubernacula admoti, ut Conſilium ſuum Fidemque *Regi* præſtarent, in *Litibus, Furtis, & Latrocinijs* coërcendis, totâ mente, omnique Animi impetu, in Remp: incubuêre; & ad eam moderandam, Uſum, ſcientiam, ſtudium contulêre. *Rex*, Otioſos homines, qui in Cultu, aut cætero Ritu licentius ſibi indulſerant, ad Modeſtiorem Vitæ rationem, primum ſuo Exemplo, deindè Caſtigando monendoque revocare eſt aggreſſus. *Iohannem Gramium, Montis Roſarum Comitem*, Senatus Principem, & publici Conſilij Præſidem habendum duxit; & *Georgij Humij* gratiâ provexit. *Novi Senatores*, Magiſtratuſque, ad ſananda Reip: vulnera adhibiti, in *Cœnobio Sanctæ Crucis, die Martis, & die Iovis*, per ſingulas ſeptimanas convenerunt; ut deliberarent quid eſſet è Repub:; quid contrà Salutem publicam, Concordiamque Civium: Vim publicam, Turbas, Seditiones, Cœtus illicitos, Concurſus, Latrocinia, Cædes, Incendia Funeſta, Regni noſtri Mala coërcerent. Audaces, Improbos, Perditos, Nonnunquam etiam Potentes reprimunt, ne in Tenues, & Imbecilles graſſarentur; neu acerbius dominarentur. Nec relinquendus *Iudicum Ordo* ſinè *Prætore*, à quo Jus æquitatemque peterent, quoties ambigerent. Mox *Gramius*, tantâ domeſticâ gloriâ celebratus, occultis *Humij* ſtudijs, ad *Præturam* evectus. Huic homini Nobili, ſuper Claritudinem Familiæ, Peritia Uſuſque rerum in Cauſis Amicorum, & privatis Arbitrijs, in Judicijs publicis, *Iuris Civilis* & æquitatis ſcientia neceſſaria defuit, ut *Ius* dicere non audiret. Conjectura jam, & Rumor rerum futurarum, poſteà ex Eventu, & Conſuetudine decernendi, in foro, Fides. Annotavit Vulgus, & Propinqui animadverterunt, diſciplinam aliam domeſticam, aliam forenſem. Commutata tota ratio eſſet Judiciorum, niſi *Alex: Setonus Fyueus*, Præſes Ordinis; & *Iohannes Preſtonus*, celebre in Foro Nomen, ob *Iuris Civilis* ſcientiam, conſecuti, Judicum Leges, Mores, Jura, Conſuetudines decernendi, & Exempla Majorum, perpetuâ in Repub: adjuvandâ Voluntate, in ſtatu & Gradu ſuſtinuiſſent. *Iohannes Lindeſius*, ab Epiſtolis, quem ſtudia eò deduxerunt, jam Senex debilis, & defatigatus magnis Occupationibus, cum venire non poſſet in Forum, aut Curiam, Officium ſuum *Iacobo Elphingſtono* deligavit; qui ſuis Utilitatibus magis, quàm publicis ſervivit, & nocuit Reip: *Thomas Hamiltonius*, Procurator Regius, in Foro ſummum Auctoritatis atque Eloquentiæ gradum obtinuit; & multa fructuoſa Prædia, ſinè injuriâ cujuſquam poſſedit. Populus hâc Tempeſtate veriſſimè judicavit, *Nullis Regis temporibus, Senatorum Ordinem firmiorem, aut Fortiorem fuiſſe*; *Caput debilius, aut infirmius*. Martius memor dignitatis *Regiæ*, ac ſui pariter Officij, rationem habuit *Regiæ Majeſtatis*, ſuæ dignitatis, Publicæ Utilitatis; & Salutem *Regni*, ſuis omnibus commodis, ac rationibus prætulit. Ac ita ſe geſſit, ut ſua Conſilia Regi, & Optimo cuique probaret. *Georgius Humius*, invidioſus, ac multis offenſus, in *Ordinem Senatorium* lectus, Taciturnitatem optimam, & tutiſſimum rerum Adminiſtrandarum vinculum docuit: Et *Regiâ* humanitate in altiorem Ordinem provectus, gradatim omnes honores percurrit. Nemo ex interiore Familiaritate, Regiæ Liberalitatis expers fuit. *Levinius* Cubiculo præpoſitus, vim in Amicitiâ *Principis* obtinuit; & æquabilem gratiam Plebis poſſedit. *Georgius Elphingſtonus*, fraude *Hummij*, pulſus gratiâ, ne ſinè Solatio in dolore ageret, ſublevatus eſt. Hæc domi. Foris aſſumitur *Betonus, Glaſcovenſis Epiſcopus*, exulans in *Franciâ*, Religionis causâ, ut Conſuleret, decreta honorifico *Senatuſconſulto* priſtina ei dignitas; & *Legatio*, quam habuit à Reginâ Matre. Nihil honorificentius potuit facere Rex, quàm Judicium Optimæ *Matris* comprobare; Sub quâ eâ Curâ egregiè functus eſt. Eaque res *Senatui* Proceribuſque grata; *Miniſtris turbidis* acerba; qui evomere Virus Acerbitatis ſuæ ultrà non auſi, Iracundiam metu cohibuêre. *Epiſcopus* gratias per literas egit Regi; quod *Legatum* eum ordinaſſet; atque petijt, ut *Epiſcopatum*, cæteraque Beneficia, & Munera, publico Decreto confirmaret. Multæ *Regiæ* Virtutes in *Iacobo* fuerunt; tum illa maximè, quod *Equeſtrem Ordinem* tribuit ijs, qui magno uſui Reip: fuerunt; aut qui pro Salute & gloriâ gentis Vitam periculis objecerunt. Nemo pecuniâ *Equeſtri* dignitate Donatus.

Actum in Senatu, de Furtis, & Rapinis Occidui Limitis coërcendis. Decreverunt, ut *Ioannes Carmichelius*, Eques fortiſſimus, Finibus Occidentis præſidio eſſet; & Incolumitatem ultimarum Regni Partium defenderet; Facinoroſos ſupplicio afficeret; exultantes Prædones reprimeret; *Iohnſtoniorum Maxvalliorumque* diſcordias componeret, quæ Cædibus, Incendijs, direptionibus, velut per Arma atque Acies exercebantur. Ille quæcunque imperaſſent facturum ſe ſpoſpondit: Fines pacatos tenuit; & Pacem cum *Anglis* finitimis coluit.

Sub Idem tempus, *Rex*, Pace domi partâ, Inſulanos homines rudes, in gurgite Turpitudinis ſuæ pertinacius hærentes, ad humaniorem Vitæ Cultum traducere eſt conatus. Aſſignatis *Novis Colonis*, multi Viri Nobiles, *Sexcentis* ſtipendiarijs Militibus comitati, *Skiam*, omnium Inſularum circà *Scotiam* maximam, Pecori, Frugibus, Aucupio, Piſcatui, Venationi commodam, in Ditionem ſuam redigere, & ad Temperatiorem Vitæ rationem traducere aggreſſi ſunt. Mox in Inſulam trajciunt; & Copijs expoſitis occupant; quippè Incolæ, Latrocinijs infames, vel Terrore ceſsêre, vel Conſilij capiendi causâ, ſeceſsêre. Ira percuſſis *Incolis*, ibique *Præſidijs* diſpoſitis, Bellum confectum rati *Coloni*, ſuâ Socordiâ hoſtium aluerunt Audaciam. Intereà *Incolæ*, qui in Saltibus, Paludibus, & impeditis

locis

locis se abdiderunt, Latebris erumpentes, Viribus freti *Macinzei*, & *Regulorum* Vicinorum Auxilijs privatim adjuti, Insulam direptionibus, & Incendijs infestarunt. Ex *Barbaris* multi, fraude suorum circumventi, Capti, & occisi; Plures per Fortuitos, inter Prædas agendum, Congressus, interfecti; Capita *Edenburgum* delata. Tandem cum plerique Militum, Aeris intemperie, insolitis Alimentis, & *Dysenteriâ* absumpti essent; aut inutiles prorsùs ad bellum facti; & *Novi Coloni* etiam his miserijs fuissent afflicti; *Insulam* in veterem libertatem vendicarunt Incolæ. *Baconrius Comarchus*, circumvectus Insulam, fraude *Barbarorum* circumventus, multis ex suis vulneratis, aut interfectis, in Potestatem eorum venit. Mox dimissus, post longam vexationem, apud *Orcadas* decessit. Hic hujus Expeditionis status. 1598.

Circà hæc Tempora, *Mortonij Proregis*, ex Fratre, Nepos, *Iacobus Duglasius*, *Torthorrellianus*, homo Ingenio violentus, & Contumeliæ impatiens, *Patrui* injuriam tàm insignem ulcisci in animum induxit suum. Itaque domo discendens, cum *Decem*, aut *Duodecim* ex suis familiaribus, *Iacobo Stuarto*, *Aranij nuper Comiti*, Metu indies loca per devia mutanti, ob Simultates, Insidias struxit, atque Ipsum, mediâ in viâ, majore Comitatu septum, conspicatus; à Viæ latere, ad illum, pugnaturus si resisteret, declinavit. Non tulêre Dimicationem Servitia & Clientes *Aranij*, terga dantes. Ipse *Moderatam sui Tutelam*, pari formidine, deseruit. *Duglasius*, educto dexterâ gladio, primus Manum sustulit, Cervicem mediam uno Ictu decidit; & summam consecutus est inter suos gloriam; quod publicas simul, & privatas injurias ultus esset. Comites deindè, hoc factum cernentes, ex equis desilientes, eductis gladijs idem fecerunt; & pluribus confossum Vulneribus jacentem reliquerunt. *Iacobus*, recondito Ense, pacatè ad *Suos Lares* reversus est. Ita egit animam turpis & flagitiosæ vitæ Vir; qui fecit *Mortonium* Carnifici præbere Cervicem; Ipse Nepoti ejus præbuit Jugulum. Neminem unquam Fortuna *hominem Novum* in Summo gradu collocavit, quin Casum acerbum ei minitaretur. Sigillatim Scelerata & Impia facta ejus referre, immensum est; & quibus Artibus, Latebrisque Inimicorum Insidias, per duodecim Annos, effugerit, indies *Latibula* commutans. Exemplaria Sævitiæ, & libinis, in Contextu operis, proposui; Strages Nobilium, Exilia, fugas, Adulteria, & Phrenetica dicta, per quæ in *Proceres*, & in universos *Ordines* fuit contumeliosus.

Per hos dies, *Catharorum* Vires in *Scotiâ*, Comitiali Auctoritate, fractæ & debilitatæ, Metu considerunt. Sed in tantâ *Ecclesiasticarum rerum* Colluvione, ac Confusione, *Præsulum Auctoritas* confirmari non potuit; donec *Iacobus* ad Jus Regni Aviti, *Sceptrumque Angliæ* vocaretur; ac potentissimæ Gentis accessione, roboraretur. Tunc *Munia Episcoporum*, Jurisdictionemque *Ecclesiasticam* paulatim confirmavit, nullo Adversante; cum Ferocissimi Exilio, aut Carcere coërciti essent. *Iurisdictio Spiritualis*, superiore Anno, in *Synodo Taodunanâ*, Regis, & *Nationalis Synodi* Arbitrio permissa est; quæ ob idipsum hoc Anno etiam *Taoduni* habita est. Ubi magnâ Animorum Contentione disceptatum est, *Num Ius & Fas esset Ecclesiasticis, in publicis Regni Comitijs, Suffragiorum Iure uti; & Causas profanas, in Foro Civili cognoscere, dijudicareque?* Multi in Artium studijs liberalissimis, *Theologiaque Doctrinâ* versati, *Ecclesiasticam Iurisdictionem* tutati sunt, ex Formulâ Juris Antiqui, in publico *Ordinum* Conventu pervulgati, & ex *Ecclesiæ Instituto*; quod per tot *Regum* ætates servatum cultumque fuit; ac nunc demum labefactatum. *Cathari*, prævisâ *Disciplinæ ruinâ*, quam tot Laboribus, ac periculis ædificarent; contenderunt, *Forenses disceptationes* Judiciorum, inter Prophanos, ad *Sacram jurisdictionem* non pertinere. & Exemplo *Christi*, dicentis, *quis constituit me Iudicem inter vos?* Sententiam suam confirmarunt: neque Disceptatione vinci se, nec ullo publico *decreto Synodi*, passi sunt: *libertatem Suffragij* in Comitijs, non æquè adversantes. In tantâ dissentione Animorum, hâc Actione, nihil constitutum est: Resque in *Synodum proximam*, quæ *Montem Rosarum* indicta est, Annumque salutis M D C. rejecta. cunctis admonitis, ut non nisi post longam & seriam deliberationem, ad ejus rei disceptationem accederent. Inde *Cathari*, suos greges, & *Disciplinam Ecclesiasticam* valdè desperaverunt.

Inter has, *Scoticanæ Ecclesiæ* in aliquàm tolerabilem formam redigendæ Curas, *Anglia Regina* in *Galliam* misit *Robertum Cecilium*, Primarium Secretarium; *Iohannem Harbertum*, Supplicum Libellorum Magistrum; & *Thomam Vilkesium*, Sanctioris Consilij Amanuensem: Admonuitque, ut tam Pio & Necessario Officio studiosè, diligenterque fungerentur; cum *Philippo hoste* nihil statuerent, nisi *Batavi Socij sui* Assensum adhiberent. *Vilkesius* in Legatione obijt. Reliqui duo à *Reginâ* missi, ita contenderunt, atque elaborarunt, ut nihil ab ipsis prætermissum videretur. Interim *Galliæ Rex Armoricam Brittanniam* petere contendit, ad Provinciam recuperandam; & ut maturaretur res, *Andes* ad delectum proficiscitur. Quæ res *Legatos*, paucis diebus, multum Itineris conficere coëgit; ut eò celeriter pervenirent. Ubi *Regem* Assecuti, officiosè salutarunt. *Rex* cum plurima commemorasset Beneficia, quæ *Regina* ei præstitisset; seque eorum nunquàm immemorem futurum, pauca in hanc sententiam verba subjecit; *Reginam* bellum contrà *Philippum* acerbum, diuturnumque suscepisse, & fæliciter Terrâ Marique superatum, intrà *Montes Pyrenæos* regnare coëgisse: Sed Incertos esse Exitus Belli: & Martem ancipitem: Seque, quamvis Armis innutritum, hostiumque sæpè Victorem, belli tamen tristis, in *Galliam* detrusi, pertæsum; Pacis jam cupidum; ne videretur nimium pertinaciter *Philippo* offensus, Perniciosum bellum, pravâ Ambitione alere; atque magnas & graves Miserias *Res Anglicæ.*

Civium,

1598. Civium, Pacem omnibus Votis efflagitantium, negligere; quibus eripere posset, Pace constitutâ. *Cecilius* respondit, *Reginam* à Pacis studio non abhorrere; quæ provocata, ulta suas Injurias est; Nihilque aliud jam Meditari, quàm ut Suæ, & Suorum saluti, & dignitati consuleret. Tum *Cecilius* postulavit, quas Pacis Conditiones *Hispanus* proposuit; & quid de *Confœderatis Belgij Provincijs* agere- tur, si Pacem aspernerentur? Benignè responsum est à Rege, *Hispanum* Pacem ex animo expetere; *Galliâ* decedere paratum; Oppidaque omnia Bello capta restituere: Seque ut tutam tranquillitatem & Pacem haberent *Angli Batavique*, suâ Vigilantiâ effecturum; Palàmque testatus est, fieri non posse, si Pacem oblatam ex Utriusque Partis Commodo respueret, quin *Francia* rursùs domestico Incendio conflagraret.

Nec diu post, *Berneveltius*, *Princeps Batavicæ Legationis*, exposuit, propitiante Numine, & *Reginâ* auxiliante, res *Batavorum*, violentiâ & Licentiâ *Regiâ* turbatas, ex Confusione in Meliorem statum redactas, ut & Nostræ Incolumitati consulamus, & *Afflictæ Galliæ* opem feramus. Proindè *Hispani* omnes, ut Successibus nostris dolent, & res Secundas calumniantur; ita adversas libenter accipiunt; & Ruinam nostram sperant, ac optant; in quâ crescendi Copiam sibi proponunt; cum *Galliæ*, & *Sociorum* Periculo. Rogat, ut *Batavis* Jus sit, *Regum* Amicitias tueri, quas habeant; ac Novas complecti. Postremò Rationes adjecit, cur *Pacis* Conditiones cum *Hispano* amplecti non possent: Regique nuntiavit. *Unam esse Amicitiam cum Iberis* jungendæ *rationem, si omni Belgio confestim decedant*. *Cecilius* quoque fœdere, quamvis æquis Conditionibus invitaretur, abstinuit; & *Apolectis Gallicis* demonstravit, Pacis Conditionibus salutem *Sociorum* prodi; quibus Adjutoribus parta sæpè Victoria sit: *Regem*, Dignitatem imminui; Auctoritatem sperni; *Batavos* in Medio, Prædæ relictos. Monuitque, ut Fidei, datæ in *Fœderis Rati habitione* recordarentur; *Conscientiæ* apud Deum, *Famæ*, Existimationique apud homines consulerent. *Cancellarius Franciæ*, Excusatione Necessitatis usus est, adversùs *Legatos*: arguitque Seditiosorum animos, in Spem Novarum rerum erectos; Nec *Regem*, oblatâ Pace, Votis publicis obstare potuisse. Necessitas non probatur, quia *Universa Gallia*, præter *Armoricam Provinciam*, in *Regis* ditionem jam redacta fuit. *Anglici Legati*, humanissimis verbis salutati, demissique, *Londinum* properè rediêre. Et retulerunt, *Francum*, oblitum *Fœderis Anglici*, Pacis spem haud ambiguam agitare cum *Iberis*. Varij animorum motus *Londini* fuêre. Plerique Occasione Prædarum, belli cupidi, validâ *Classe* invadendam *Hispaniam* censuêre. Proceres, studijs Votisque certantes, parricipes, aut Ministros Belli se obtulêre. Summa *Expeditionis* Navalis *Georgio*, *Cumbriæ Comiti* data est, ut Milites conscriberet, armaretque, & duceret se in *Americam*. Qui ingentibus Impensis *Classem* paravit. Cura Regni *Burleo* Quæstori, ætate invalido, & longâ *Podagrâ* ægro, permissa: qui tàm periculoso tempore, turbatâ *Hiberniâ*; effuso Aerario; attritâ Plebe, Collationibus; & Externo bello exhaustâ Juventute, per delectus; Quietis, & Reip: curâ, Belli Mala, & Pacis Bona, disseruit. Adjecitque, bellum in *Belgio Offensivum* difficillimum; in *Hispania*, & *Lusitania* Orâ Maritimâ, infructuosum; in circumjectis Insulis, anceps & incertum; in *Americâ* impendiosum. *Essexius*, belli cupidine incensus, Pacis cum *Philippo* Mentionem admittendam auribus non fuisse, censuit; Contenditque multis rationibus excogitatis, Nullam Pacem nisi *Turpem*, *& Infidam*, cum *Hispano* confici posse. Igitur continuis *Maritimis* Expeditionibus debilitandum *Patrem*, Senectâ in validum; *Filij* ætatem teneram, infirmum Animum Assentationibus *Ducis Alermæ* corruptum, facilè opprimi posse. Hæc Animorum inter eos dissentio variè extollitur, arguiturve. Plerique *Quæstoris* sententiam gravem, severam, & Senili Prudentiâ dignam censuerunt. Alij *Essexium*, hominem strenuum, Patriæ dignitati, & securitati deditum, prædicarunt. Alij, tanquam suæ Ambitioni, & suorum Utilitati servientem, increpuerunt. Quâ Injuriâ incensus, *Apologiam* scripsit; in quâ Consilia *Philippi*, *& Conjuratorum* Exulum, *Rolstoni*, *& Cresvelli Iesuitæ* adversùs *Angliam*, *& Reginam* detexit.

Elizabetha, expensis Pacis Bellique Consilijs, Pacem haud minùs quàm Bellum metuebat. Nec ultrà dubitabat, quin auditâ *Mortis Philippi Regis Famâ*, & rumore; agendum & audendum aliquid, nondùm Regno confirmato; antequàm Juvenilis Principis Auctoritas coalesceret. Interim per *Franciscum Verum*, notissimum Equitem, tentavit *Batavos*, aspernantes *omnem Mentionem Pacis*, ut exitiosam. Ostentavitque divulsas Gallias; *Francum*, *neglecto Fœdere Sociorum*, ad Regni sui salutem, & Utilitatem, Consilia accomodasse: *Germaniam*, ad gratiam *Austriacorum* inclinatam; unam Salutis Spem in Pace, & Tranquillitate, si quid æqui impetrare possent. *Batavi*, Honorificè præfati de *Reginæ* Sumptu, Laboribus, Liberalitate, & Subsidio in Libertate asserendâ à Jugo *Servitutis Baticæ*, Respondent; Implacabili animo *Iberos* esse. *Bellum Pace infidâ tutius*. Majestatem Numinis, & Consensum Populi pro se esse. Modò *Verum præsentem*, modò *absentem Reginam* obtestantur, ut suum beneficium tueatur; ne Patrocinium semel susceptum desereret; neu *Fidissimos Socios* in Servitutem, & Cruciatus, crudelissimis *Tyrannis* traderet. *Verus* obviam it formidini; adjungitque, *Salutem Batavorum*, Reginæ, Senatuique Curæ esse, si Opem deprecarentur. Mox Legati à *Batavis* bellum Paci præferentes, *Londinum* venerunt; *Ioannes Duvenvordius*, Præfectus Maris, & *Berneveltius*, *Principes legationis*, multis prosequentibus, ad Commemorandum, renovandamque Amicitiam Societatis Fœdus Sanciendum, differendumque de toto genere Belli. Qui acciti in *Curiam*, orsi ab initâ primùm Amicitiâ cum *Anglorum gente*, disseruerunt; *Reginam* nihil aliud, in *Sociali Fœdere* spectasse, quàm *Batavorum Libertatem*,

Libertatem, *& Angliæ Securitatem*. Proindè orarunt, ut partam ac recuperatam Armis Libertatem, 1598. suâ Curâ custodiret; *Philippum*, non solum *Belgij Civitatibus*, sed omnibus circà Principibus insidiantem, summâ cum laude deprimeret; qui per Fas Nefasque *Principum* Patrimonia invaderet. Omnia cum Approbatione Audientium audita sunt. Cum simpliciter ad Amicitiam continuandam, jungendamque Societatem venissent, quia longior disceptatio futura erat, Octo Apocletis, *Egertono* Magni Sigilli Custodi; *Essexio*; *Havarto*, Præfecto Maris; *Hunsdonio*; *Buckhurstio*; *Gulielmo Knolesio*, Regiæ Domus Censori; *Roberto Cecilio*, ab Epistolis; & *Ioanni Fortescuto*, demandata est. Qui in has Pactiones convenerunt; ut *Fadus initum* M. D. L x x x v, *& palàm approbatum ratum haberetur*. Adjectis his Conditionibus; Si *Iberi* in *Britaniam* traijcerent, *Batavi* Equitum Peditumque Copias præberent *Elizabetha* ad bellum; Item Naves, Navalesque Socios; Portusque Maritimos; Sumptus factos in rem Militarem, *Octingentis Mille libras Anglicas*, statis Temporibus, summâ Fide persolverent. De Solvendis ampliùs caverent. Adjecerunt etiam, ut *Præsidiarijs Anglis* in *Vlissingâ*, *Brielâ*, & circumjectis Munimentis, in Cautionem datis, Stipendia numerarent. Oratores benevolè Dimissi, cum honore in *Belgium* redierunt; & promptam ac exquisitam *Reginæ* humanitatem renuntiarunt. Quâ auditâ, maximo & inopinato gaudio percussi *Batavi*, Classem in *Eoas Occiduasque Indias* adornant. *Dux Altrma*, cujus Consilio domi, Militiæque, *Philippus Iuvenis* utebatur, Præsides Præfectosque proposito Edicto monuit, ut Curam Custodiæ intenderent; Antè omnia *Portum divitem* Firmò tenerent Præsidio; *Porto Ricco* ejus occupandi præcipuam curam hostibus ratus. Intereà *Angli Batavique*, per Maritima *Hispania* loca Vagi, populantur; Mare infestum *Classibus* eorum; intuta Littora; expugnatæ Maritimæ urbes, & direptæ; cum Ventis; & fluctibus sæpius, quàm hominibus congressi, propinquâ Hyeme, redierunt. Per omnem Oram, qui in speculis erant, conspexerunt Luctus, Incendia, Clades. *Cumbriæ Comes*, Alumnus Martis, *Portum divitem*, & quidquid ibi Industriâ partum, congestumque, ob Iram & Memoriam *Neptuni Maritimi*, circà eum ipsum locum extincti, ac Aviditatem prædæ, diripuit. Cives spoliatos, expilatosque dimisit. Nihil ultrà sævitum est. Hanc tàm Opimam Mercedem Laborum, Periculorumque, Deo juvante, *Londinum* advexit. Cives magnâ Cælum Clamoris Alacritate compleverunt.

Hujus lentæ velut Tabis Contagione, Victa Superbissima Gens, *Pacem aut Inducias*, quâvis Conditione, petit; deprecatore *Franco*; ut aliqua ab Armis quies esset, & *Christiano Sanguini* parceretur. *Rex Francorum*, Reginam aspernantem omnem Pacis Mentionem, præcibus, Auctoritate, & Constantiâ permovit, obtinuitque, ut *Bononia Maritima* congrederentur, loqui de statu, & Conditione rerum. Congressi *Legati*, at Nihil eâ Legatione perfectum est; ortâ de *Sedendi & Præeundi Ordine Altercatione*, non inutili pro dignitate Utriusque gentis. *Ibero* primum Accubitum omni vi amplectente; & de Gloriâ concedere nolente *Anglo*, ab hominum Memoriâ, in Consessu *Pontificum*, *& Imperij Comitijs*, sibi debitum primum locum contendente. Hanc *Controversiam* Nemine dijudicante, retinendi Ordinis & honoris Causâ, Pacis jacturam fecerunt *Angli*; & Fastum *Iberorum*, alieno tempore, aversati sunt, Ignorantiam Fortunam suam, & Morem Majorum. Ita diremptum Pacis Concordiæque Colloquium. De Jure Nemini Dubium, *Anglorum Reges Hispaniarum Regibus Christianitate priores*; Auctoritate, Potentiâ, Vetustæ Gentis Famâ; antè Novam *Vtriusque India* Accessionem, superiores. Nec Ambiguum, *Magis & Minus non mutare Leges Immortales*, quæ perpetuæ Utilitatis Causâ in æternum latæ sunt; aut abrogare *Ordinis Prærogativam* perpetuam, & æternam.

De hoc *Pacis* Negotio; & homine Idoneo, ad res *Hiberniæ* inspiciendas, surrogando, *Regina* & *Essexius* inter se graviter dissident. Fortè tum aderant *Havartus*, Præfectus maris; *Cecilius*, ab Epistolis; & *Vindebancus*, Scriba, Vir bonus, & Publicæ Salutis amans. Contentio in disceptatione rei hinc orta est. *Regina Gulielmum Knolesium*, Avunculum, Virum prudentem maximè Idoneum judicavit. Ille, *Georgium Careum*, hominem alieno ergà se animo, potiorem, Nimium pertinaciter contendit; ut per speciem honoris, Aulâ ablegaret. *Regina* vehementer perstitit in Sententiâ. Progressâ pertinacius Contentione, Ille præpostero & perverso More, tergum vertit, & *illudit Authoritati Principis*. Illæ impatiens Contumeliæ, & Regiæ Stirpis magis, quàm Sexus, memor, Colaphum impinxit; & ut in malam rem abiret, jussit. Ille Invenili Impetu, & Facti Atrocitate accensus, dextram Ensi admovit. *Præfecto Maris* sinum opponente, magnâ Voce *per Iovem* juravit, non posse se tantam perferre Indignitatem; Nec ab *Henrico Octavo* ferre voluisse; Indignansque Curiâ se proripuit; & abstinere statuit. Ea res audita, Adversarijs ejus ob Potentiam, creavit Invidiam; & Ipsi, ex Solitudine, Favorem addidit. *Egertonius Sigilli Custos*, hæc uti Acta erant ubi comperit, quid Optimum factu sit expendit, & monuit *Comitem* literis, ut Tempori ac Fortunæ cæderet; salubri modo temperaret; Supplex ad *Reginæ* Clementiam, Benignitatemque confugeret; antequàm Adversarij, Regiâ Authoritate subnixi, Viam præcluderent. Addidit non esse è dignitate, in Secessu versari; unicum præsenti Malo remedium esse, si justam *Principis* Iram Arrogantiâ suâ provocaret, Ejus placandæ Vix ullam spem, nisi in Misericordiâ superesse. Sin offensus fuerit, Religionem, Pietatem, Officium, Prudentiam exigere, ut in Humilitatem Veniam poscentium se admitteret. Quia *Principes* & subditi non sunt inter se æquales, & Pares. Nam Par in Parem non habet Jurisdictionem, & Imperium; sicut *Princeps* in subditos. Ad ea *Comes*, Ingentis animi Vir, pervicaciter respondit, provocavit

1598. vocavit à *Reginâ* ad Deum Immortalem; & in effrenem erupit Licentiam, dicens se Reconciliationem expetere; sed quæ impetrata, Decori sibi, non Pudori sit. Se Officium suum scire, quod ut Subditus, ut Comes, & Martialis *Angliæ*, præstare teneatur: sed ut Mancipium servire nescire Muliebri Impotentiæ, furenter debachanti. Cæterum, cum Auxilium unicum in Precibus restare animadverteret, injuriæ adhuc oblivisci non potuit, Pudore & Irâ inter se certantibus. Verum interveniente *Egertono*, & mitigatâ Irâ, Comes *Reginæ* reconciliatus se submisit, ut Inimicorum Conatus præveniret. Prudentiores Amici mætuere cæperunt, quò tàm subita Mutatio evaderet. Ipse Adversariorum Insolentiam coercere, & sui Contemptum demere decrevit; at, Velut *Fato trahente*, in eorum Insidias sese præcipitavit.

Secundùm hanc Concordiam, *Franciscus Bodelejus*, Reginæ in *Belgio Procurator*, qui in Pactionibus cum *Batavis* faciendis, singularem Curam adhibuit; Procuratione Muneris publici depositâ, & *Georgio Gilpino* in suum locum suffecto in *Angliam* redijt. Is Muneris Onere levatus, omnia sua Consilia, & Cogitationes, ad publicam Utilitatem in Posterum convertit. Ac *Reip: Literariæ* augendæ totus incubuit; *Bibliothecam* Mirificam Novorum ac Veterum Librorum, *Oxoniæ* instaurare cæpit; ab *Humfredo, Duce Glocestrensi* inchoatam; Regnante *Ed. VI.* spoliatam; & suis privatis Opibus auctam, Amplissimâ rerum divinarum, & humanarum Supellectile. Cujus Magnitudo tantum crevit *Libris MS.* Autographis, Vetustis Numismatibus, & Tabulis Antiquis; ut *Escuriali*, *Vaticanæ*, & Cæteris Longè omnibus anteferre non dubitem. Nec tacebit Posteritas, cui jucundam Memoriam reliquit, tàm Munificus Literarum, ac Literatorum fautor.

Sub idem tempus, *Zouchius Baro*, in *Daniam*, ad gratulandum *Christiano quarto* missus, Pactum & celebratum inter *Eum* & *Marchionis Brandeburgensis Filiam*, Matrimonium. Huic additus *Christopherus Parkinus*, Jurisconsultus. *Danus Legato* benignè respondit, gratiasque egit. Tum *Parkinus* conquestus Injurias *Civium Londinensium*, ornatissimis & gravissimis verbis; ut ijs satisfieret efflagitavit. *Rex* dilectos *Consiliarios* constituit, ut de quærelis cognoscerent, statuerentque. Hi cum *Delectis à Rege* congressi, disseruêre; adempta & publicata Bona, ob callidam Avaritiam Mercatorum, Vectigalia, & Onera Commerciorum improbissimè fraudantium; idque factum sinè ullâ Culpâ Violatæ, per *Danorum* Injurias, *Anglicanæ Amicitiæ*. Contrà *Legati* in Sententiâ permanentes, nullâ in re fraudasse Cives; sed Mercaturam, recepto More, exercuisse: postularuntque, ut restituerentur in *Fiscum*, sinè More, sinè Jure, *relata*. Tandem multis Sermonibus hinc indè habitis, *Legatis* restitutionem petentibus, quod petebant ex parte datum est. *Legati* ad *Reginam* reversi, cum summâ gratulatione cuncta retulêre.

Hoc Anno, *Gulielmus Cecilius*, Baro *Burlejus*, ortu *Coritanus*, Fide, Solertiâ, Prudentiâ clarus, *Londini* in suis ædibus, Mortalitatem explevit, cum *Septuagesimum Septimum* ætatis Annum exegisset. Vir profundâ Prudentiâ, rerum agendarum Peritiâ, & singulari ergà Patriam Pietate, cum Paucis comparandus. Is ab *Ed: VI Secretarius* factus est, & *Equestri* dignitate ornatus. Post ejus Mortem, *Mariâ* regnante, *ob Instaurata Religionis studium*, Aulâ abstinuit, & ad *Elizabetham* se contulit; quæ privatim Ejus Industriâ ac Operâ, in Negotijs privatis procurandis usa, Solertiam in Majoribus experta est. Mox *Regnum* adepta, Res suas præcipuas, primùm *Pupillorum Custodiam*, deindè *Aerarij quæsturam* ei commisit. Postremò Summæ rerum proposuit. Qui in Publicâ Regni Administratione, in quâ XXXV *ampliùs Annos*, summâ cum laude versatus est; *Reginæ* Obsequium, Incolumitatem, Populi Salutem, & publicam *Regni* utilitatem semper spectavit. Hanc *Hominis Novi*, in Summo gradu collocati potentiam, secuta est *Procerum Invidia*; quam Patientiâ, & Moderatione vicit, & Pervicaciâ non aluit. Ob id maximo in honore, etiam ab Aemulis, habitus est: de Cujus Moderatione, Sapientiâ, Integritate, graviter dictis & factis, Virtute Animi, Constantiâque, plura cum Admiratione tradit *Gulielmus Camdenus*. Certè Modicam Originem, Magnitudine Ingenij & Solertiâ velavit; omnes suæ Aetatis *Proceres* Claritudine Famæ, aut tacitâ Aemulatione obumbravit. Magnæ ei Opes contigerunt, Foris Industriâ, domi Parcimoniâ; quæ duobus Filijs superstitibus relictæ; *Thomæ* ex priore Uxore *Mariâ Checâ*; & *Roberto, ex Milredâ, Antonij Coci* Pueritiæ *Regis Ed: VI.* Moderatoris Filiæ, Græcè & Latinè eruditæ. Hi nequè Fortunâ, nequè Indole pares, multis Affinitatibus & Amicitijs Invidiam Familiæ auxerunt. Perhibuit Vulgus, Quæstorem *Thomæ Filio*, ætate priori, Pecuniam, Pulcherrimas ædes, ac fructuosa Prædia legasse: *Roberto* Minori, Auctoritatem, Interiorem Potentiam in Animo *Principis*, ac crescendi Copiam. Utinam Filij à Moderatione Paternâ nec degenerassent; tranquiliores deinceps res secutæ essent.

Nec minus hominibus Literarum doctrinâ claris, hic Annus funestus fuit. *Thomas Stapletonus*, in *Sussexiâ* natus, humanioribus literis, in *novo Collegio Oxoniæ*, operam dedit. Deindè cum *Sacræ Theologiæ* studijs diu incubuisset, Literarum sacrarum, & Controversiarum, in *Academiâ Duacensi*, *Professor Ordinarius* lectus est. Ubi publicè legendo, Librosque complures scribendo, magni inter suos Nominis *Theologus* extitit: & *Duaci*, ubi diu locus erat, decessit. In *Belgium*, omni studio *Papanæ Religionis*, primis *Elizabethæ* Annis secessit, ut Clarissimis ibi Magistris, operam daret. Et post eum *Ricardus Cosinus*, Cantabrigiensis, Juris Civilis Doctor Acutissimus, qui *Ecclesiasticæ Iurisdictionis* acerrimum Propugnatorem se præstitit, ac propugnando Doctrinæ & Prudentiæ eximiam laudem consecutus est; & fructum Amplissimum, & Vivus, & Mortuus, præcepit.

Annus

1598.

Annus & hic abstulit, apud *Anglos*, Maximum hujus ætatis Ornamentum, *Edmundum Spenserum*. Londini in tenui re natum; qui omnes superioris Seculi *Poëtas Anglicos* longè superavit; & ad declinandam Paupertatem, in *Hiberniam*, cum *Graio Prorege* secessit; ut per Otium ac Requiem, *Apollini & Musis* operam daret: ubi à Prædonibus *Laribus* ejectus, & Bonis spoliatus, Inops in *Angliam* redijt; & Mestitiâ rebus humanis exemptus, in *Vestmonasterij Cœnobio* sepultus est, apud *Chancerum*, impensis *Essexiæ Comitis*; quia, ut Creditur, in *Cecilium Quæstorem* acriter invehitur, in *Fabulâ Hubarta Vetula*.

Mother Huberts tale.

Res Hiberniæ.

Hi quidem in *Angliâ* animorum habitus fuêre. *Hibernia* interim in lubrico statu fuit: quippè *Tironius*, per domesticas dissentiones, Occasionem nactus, Nihil reveritus Novissimi fœderis Sanctitatem, cum *Ormundio* locum tenente; & Jurisjurandi Religionem, ruptis *Inducijs*, tanquàm recuperaturus *Vltoniam*, Præsidiarios *Anglos*, in Finibus agentes, suis Copijs omnibus vexavit. Propugnaculum, fossâ, & Aggere communitum, & à Borovesis refectum, in *Nigri fluminis* ripâ; Præsidiumque, Spolijs Popularium, & Cædibus Rebellium invisum, acris invasit, ac summâ vi oppugnavit; sperans si expugnaret, facilè bellum confici posse. Contrà *Angli*, subeuntes *Hibernos* truci clamore, ex Aggere vulnerant; Scandentes Vallum, laceros & exangues præcipites deturbant; & *Vltoniensium* Feritatem retundunt. Nequè quisquam acrius, quàm *Villiamus* Præfectus pugnat. *Tironius*, desperatâ Vi, cum pudore & damno omittit Incæptum. Castris positis, & stationibus Munitis assidet; clausos Fame premit; ostentat spem Salutis, si se dederent; aliter Alimentorum Egestatem passuros. Obsessi Celebrantes vetustam Gentis gloriam, segnes & desides *Hibernos* increpantes, tolerant Fortiter Ferrum, Famemque; Nec Promissis, aut Minis Rebellium commoventur. Consumptis Comeatibus, Jumentis, Equis, & Radicibus, ac herbis, in Fossis & Aggeribus nascentibus, Alimentum habuerunt, his Fædius. Devulgatâ Obsidione, Alimentorumque Egestate, *Ormundius*, lectos Pedites, Equitesque, *Bagnalio Tribuno* Militum, ad solvendum Obsidium tradit. Ipse Triplici instructâ Acie incessit, & ad locum venit, haud procul *Armachâ*: quem *Tironius* magnâ Armatorum Manu, Loricis Galeisque; & *Kernicum*, More gentico, cum Telis & Cultris, insedit. Ac addidit Fossas, Aggeresque Agrestes. Angustus is Trames, inter densas silvas, ac Uligines Paludum; quas similiter Militum Agmine complevit. Nec deterrent ea Munimenta Tribunum, primam Aciem ducentem. Sed instructis Copijs, spreto hoste temerè collecto, perrumpere aggreditur. Extemplò, dato signo, perrumpunt Aggerem Angli; Frementes non ita Loco juvari *Rebelles*, ut Victoriam remorarentur. *Hiberni*, Amore *Libertatis*, Odio servitutis, Ducis gloriâ, alijsque Belli incitamentis instigati, ruunt, ac se Morti offerunt; non Telis, non Vulneribus cedunt. Cuncta *Anglis* adversa, insuetis ad Prælia apud Sylvas Paludesque; *Hibernis*, ad Excursiones, & subditos Impetus suetis, prospera. *Tyronius*, Irâ in Tribunum furens, validâ impressione factâ; Ipsum, insignem Armis, fortissimè dimicantem, obtruncat. Is Casus *Anglorum* animos turbavit; ac turbatos in fugam avertit. Quâ pugnâ ad *Nigrum Fluvium*, præter Tribunum *Bagnalium*, *quindecim Centuriones*, & promptissimi Veteranorum *Armoricorum* periêre. Cæsi Milites *Mille quingenti*; Cæteri ad *Armacham, urbem* propinquam, aut Castella vicina profugêre. *Hiberni* pauci, & ferè omnes ignobiles *Kernices*. Victores, cum Velocitate Corporum, tum Loricarum Galearumque teguminibus leviores, hostem Gravem Armis, statariumque consectati, Sævitiam Ultione & Sanguine expleverunt. *Tironius*, Armis & Corporibus cæsorum aggregatis, Cladem *Anglicam* testatus est: Simul Arma suis propè Seminudis Armorum genere, inposterum usui, distribuit: secutusque fortunam, *Anglorum* Præsidia, in *Vltoniâ* terruit; fortitudinem suorum laudavit; atquè egit gratias, ob Specimen Virtutis exhibitum. Hanc Victoriam secuta est *Munimenti* deditio. Nam *Præsidiarij* Commeatuum egentes, & omnes Miserias perpessi, Vitam pacti, deditionem fecerunt. Clarus hâc victoriâ, per universam *Hiberniam*, velut *Libertatis dux & Auctor*, ingenti Famâ celebratus est. *Decem Millia* Popularium, cum *Kernicibus* Agrestibus, in Armis habuit. Præmissâ prædatoriâ Manu, vastavit *Anglorum Pagos*, *Dublino conterminos*, crebris Excursionibus: Misitque per Hiberniam *Mac-Rorium*, *ô Morum*, *& Tirelium*, Anglicæ Originis Centurionem, Flagitiosum *Proditorem*, Concitores belli acerrimos. Regulos hortatus est, ut parem animum gererent, ubi Specimen suæ Virtutis ostendere possent; Authorem & Ducem se *Libertatis* sequerentur, nevè in tali Causâ desererent benè meritos Socios. *Hiberni* ferè omnes animos sustulêre; Pauci prudentes, ex Eventu judicaturi, intenti paratique stetêre: *Angli* Metu obstupefacti, se intrà Munitiones continuerunt. Etsi Tumultus hostilis undiquè circum streperet, & Vires ad coërcendum deessent; Tamen *Ormundia Comes* non omisit bellum; nutantes quosdam turbidos, & Infidos, reverentiâ, fideque; Alios Metu discriminis continuit; contraxit Exercitum; & delectos Juventutis *Hibernicæ* excivit; Arma ijs dispertivit; præmissas à *Tyronio* Cohortes, ad consectandos Vagos Anglos, refugientes in stationes, in Fugam vertit.

Deditio propugnaculi ad Nigrum fluvium.

Momonia quoque, diu Fida, Victoris Exercitus Famâ, Instinctu *Tirelij* transfugæ, & suoptè Ingenio, ad Rebellionem inclinavit. Ibi *Iacobus Fitz, Thomas Giraldinus, Desmoniæ Stirpis*, gloriâ incensus, & Memoriâ Cladis domesticæ, magnam & inconditam *Popularium Turbam*, ad Arma rapuit. Miscuêre sese *Vicecomes Montgaretus, Cahiri Baro, Ormundii propinqui*, privatis de Causis infensi; & *Tironij* Consilijs permixti; certatim omnes *Anglicæ Originis Colonos*, qui in *Momoniâ* sedes fixerant, Interficiunt;

1598. ficiunt; Bona eorum diripiunt; ædes diruunt; incultam *ab Anglis Momoniam* urunt; in Bellum atrox coalescunt. *Vltonienses* alij turbant *Momoniam*; Alij in *Lageniam & Conaciam* transgrediuntur, ut Populum conscirent. *Bardi* Superstitioni obnoxij, cecinêre omnia *Hibernis* Prospera; *Anglis* Adversa. Ea *Londini* cuncta in deterius relata; deletas Cohortes; expugnata Præsidia Interfectum *Marescallum*; *Momoniam* bello ardere; In tanto rerum Motu, Potentiæ atquè dominationis, inter *Proceres* in Aulâ, Certamen esse. Reginam, Criminantium sermonibus, insumere tempus; Licentiâ atque Lasciviâ Militum magis, quàm fraude hostium, *Anglorum* Vires contusas; poscitur, uno Ore Vulgi, Dux *Essexius*, & Dies ad conveniendum, Copijs indicitur; vastante Regiones *Tironio*, ne in discrimine Sociorum desidere viderentur *Angli*. In *Marescalli* interfecti locum suffectus *Ricardus Bingamus*, qui *Conaciæ* diu cum Laude præerat; quærelis *Provincialium*, & Decreto Senatus, Administratione Provinciæ summotus, & in Custodiam traditus; nunc remittitur cum dignitate & Potestate *Marescalli Hiberniæ, & Lageniæ Generalis*. Qui Mox transijt in *Hiberniam*, & statim atquè appulit *Dubliniæ*, morbo oppressus decessit. Vir genere Clarus, sed Militiæ gloriâ Clarior, in *Galliâ*, *Belgio*, *Scotiâ*, *Hiberniâ*, *Æbudanis Insulis*, *& Cretâ Insulâ, contrà Turcas*. Bingami Morte compertâ, *Samuel Bagnalius*, Equestris Ordinis, illicò missus, Turmam Equitum, & xx. *Cohortes Peditum*, in *Conaciam* duxit, adversùs eos qui prædabundi Vagabantur; Itineraque, quibus recursuri Populatores videbantur, obsedit.

Res externa. Res in *Franciâ* haud minùs turbidæ. *Francorum Rex*, receptâ *Ambianensi* Civitate, Occasioni intentus, Adversantibus bellum inferre statuit; & *Armoricam Britanniam*, Sedem Servitutis *Baticæ*, invadere decrevit; cui præerat *Dux Mercolius*, cum Auxiliarijs *Iberis*; qui maturavit Itinera ardua Præsidijs claudere. Atque *Rex*, contracto expedito Exercitu, eò proficiscitur. Mox ubi propinquabat, venientis Exercitus Famâ perculsi fidissimi *Mercolij* Cultores, honesto Transfugio, & Pacto Salutis, se dedidêre: Multæque *Armoricæ* urbes, ad *Regem*, Metu defecerunt. *Mercolius* quoque, concussâ suorum fide, de Conditionibus tradendæ *Britanniæ* egit; Novo sanè & insolito More. Ejus Conjunx, *Lucenburgica* stirpis, Nobilitate, Opibus inclita, ad expetendam Pacem & Veniam, à *Mercolio* missa, *Andegavi* Regi occurrit; & excusavit Maritum, quod seriùs ad Obsequium reverteretur; Id non factum animi Pervicaciâ, sed ut Opportuno ergà *Regem* Officio verám Pænitentiam testaretur; ac incautiores *Baticas Legiones* opprimeret. Plerique, qui aderant, censuerunt, *Mercolium* turbidum, Infidum repetere armis *Britanniam*, gloriosius Fore. *Rex* Nihilominùs Veniam Ipsi, & Conjugi tribuit; gravissimas Injurias, communis Concordiæ causâ, perpetuâ Oblivione obruit. Mox *Deditio* insecuta est; & *Quies Franciæ*. Hispaniæ Auxiliares, Periculi magis, quàm Gloriæ memores, Angulum Maritimum occupaverunt; suspicantes, Regem ad Oppugnationem extemplò venturum. *Regi* satius visum est *fame*, quàm *ferro* expugnare; ne nimiâ sævitiâ imbueret Militem.

Intereà, ad ordinandam *Armoricam* intentus, nutantes ac dubias Civitates retinuit in fide; & in *Vrbe Navetensi* habuit super *Pace* deliberationem. Ibi acerrimi Instinctores Belli gratulati sunt, *Franciam*, Benignitate Numinis, & Regis Industriâ, in unum Corpus redijsse; *Iberos* Spolijs Civium, & Cædibus Militum Ovantes, *Armoricâ Britanniâ* expulsos; Omnia prospera *Francis*, *Iberis* Adversa esse; à *Batavo* Milite attritos *Belgas*; Classibus *Anglicis*, Naves *Baticas* incensas, aut depressas; adhortatique, ut Eos suis sedibus pelleret; *Navarram*, Parentibus ereptam, repeteret; *Siciliam*, & Florentissimum *Italiæ* latus recuperaret; simul secretis Sermonibus admonuerunt, satis cognitam *Iberorum perfidiam*; Pacem infidam Bello calamitosiorem esse. Apud *Francos* diversis sententijs certatum. Quidam memores *Anglici* & *Belgici fæderis*, manendum in eâ Societate; Bellum gerendum; *Hispanos Francisci Nominis* perpetuos hostes, *Anglorum* & *Batavorum* Auxilijs obterendos, affirmabant. Alij censebant, Funesto *Galliam* bello consumptam; sufficere Cædes, Incendia Villarum ruinas, Urbium Excidia, & Direptiones; *Anglorum* & *Batavorum* longinqua Auxilia; stare super Caput *Baticas* legiones; adventare ex *Italiâ* multos Veteranos expertosque Milites; Proindè Paci consulendum, & *Christiano Sanguini* parcendum. *Francus*, rebus prosperis moderandum fortunæ ratus, *Respondet*, tot Expeditionibus, tot Prælijs, tot Urbium Expugnationibus, trucidatos fortissimos Milites, vastatam *Franciam*; *Anglos*, *Batavosque*, *Oceano divisos*, sinè pernicie dimicasse; Jam pridem sibi decretum esse, ex tot Procellis & fluctibus, in Portum Tranquillum Pacis navigare. Idem Socijs Perfugium patere, si abstinerent Armis, & ex Aequo desceptarent. Ea *Regis* Oratio ingrata fuit à Pace abhorrentibus. Constat obstitisse *Anglis Batavisque* apud *Gallos*, quod manente *Bello Civili* segnius subvenissent.

Rex haud perindè instruendo bello intentus, quàm Paci, ut Regnum, mutuis Cladibus attritum, veteri Splendori restitueret; ivit in *Hispaniam* occultus Pacis Interpres, *Franciscus Bonaventura*, *Ordinis Franciscani Censor*, ut Pacta sancirentur. Ad *Philippum* intromissus, cæptavit differere recuperatam *Franciam*, validam & Pugnacem Gentem, Victoriâ, aut Deditione; strenuos Duces, egregios Exercitus, Novam Sobolem Juventutis bellicosæ; Nequè alium fructum gravis Militiæ, quàm Vulnera, Luctus, Cædes, strenuissimi Cujusque. Ad hæc, Fortunam belli adversam *Iberis*; ereptam *Armoricam*; *Belgium* nutare; Infestum Mare Classibus; turbidas *Occidentis*, & *Orientis India* res. Si bellum

bellum ultrà moliatur, paratam hinc Ultionem hostium, Indè Numinis, ad pacem inclinantis. Deniquè postulavit, ut Amicitia, Societasque inter duos Potentissimos Reges, in æternum rata esset; & Conditiones apud *Summum Pontificem*, Arbitrum non Odio, aut privatis Affectibus obnoxium, sancirentur. *Philippus*, Voce *Franciscani*, Authoritateque *Pontificis Maximi* permotus, sumpto ad deliberandum spatio, Consilium vocat; Consultat, *Bellum, an Pax cum hoste placeret?* Philippus, *Hispaniæ princeps*, Spe, Juventâ, Ferociâ ætatis elatus, Cogitatione animoque complectens *Orbem Terrarum*, si *Franciam* vicisset; *Iberos* ad bellum accendit; disseruitque ferocius, *Francos* cum Spoliati exutique essent Oppidis, Munimentis, Præsidijs, Amicos fore; & spoliatam suam Fortunam, cum florente Fortunâ *Iberorum* miscere velle. Pravi Consultores, Paci Belloque malè consulentes, aut per Errorem, aut Assentando, Juvenis Principis Spem inflabant. *Christopherus de Morâ*, magnæ, ob Prudentiam, Auctoritatis, Libertate Senatoriâ, Juveniliter exultantem *Philippum* continuit; Moderatione, Sapientiâque ad Pacis studium, publicè utile, nec minùs *Ei* gloriosum, & *Belgio* propè Necessarium, flectere non potuit, quia Auram inspirari Modestiæ, & bonæ mentis, passus non est. *Philippus Rex*, invalidus Senectâ, prosperæ Adversæque Fortunæ tot Casibus jactatus, gnarus, Vicinis Gentibus & Longinquis formidabilem Magnitudinem *Fortunæ Bæticæ*, Opulentiam, & Propagationem Imperij, in hoc concussi *Christiani Orbis* Motu, ad Pacem inclinavit, ut Metum Vicinis adimeret; ac non minùs securas, quàm amplas res Liberis relinqueret. Tunc *Franciscanus*, Consilium, quod fæliciter inchoavit, constanter perducit ad Exitum; In *Italiam* proficiscitur, & cum *Pontifice* disceptat, *Tempus esse de Pace agendi*; dum inclinati Ambo *Reges* viderentur; gratiam Concordiæ penes eum fore; Nec defuturas Sanctitati Causæ Bonorum preces. *Pontifex Clemens*, Naturâ & Nomine abhorrens à Sanguine & Cædibus, Crebris Sermonibus, *Philippum*, *Francum*, *Albertum*, ad Pacem, *Orbi Christiano* salutarem, incitavit; impendente magno Metu à *Barbaro*, *& Communi hoste*. Ubi à *Pace* non abhorrere eos deprehendit, statim *Pacis Interpretes* missi, *Cardinalis Medicæus*, *Episcopus Mantuanus*, *& Bonaventura Franciscanus*; qui acribus Consilijs, ijsque fidis, apud *Fanum divi Quintini*, in finibus *Atrebatum*, rem administrant. *Præses Selerius* à *Franco* missus, ferociter Mandata edidit, nunquàm requiem belli fore, Nisi *Iberi* Urbes bello captas *Caletum*, *Ardeam*, *Durlanum*, redderent; si Bonam Pacem facerent, firmam, & sempiternam; si Malam, haud diuturnam fore. Respondit *Franciscanus*, tùm objectas Compositionis Conditiones desperatissimas esse: Addidit *Selerius*, omnes alias Vias Pacis interclusas esse; Eamque Unicam patere; & *Regem Hispaniarum* aliena, non sua largiri. *Franciscanus*, Inops Consilij, quanquàm propè abscissa *Pax* erat, in *Hispaniam* redijt, & Postulata *Francorum* retulit, aspernante *Senatu Hispaniarum*, Captis Jure belli Urbibus cedere; & Infamiam ac dedecus ostante. *Philippus*, de Supremis cogitans, *Alberto* rescripsit, cedere se, Pacis & Concordiæ causâ. *Vervini*, in Confinio *Atrebatum*, congressi Apocleti *Regum*, Primores utriusque gentis: Verba, Voces, & Pacta conventa Testes habuerunt *Cardinalem Medicæum*, *Episcopum Mantuanum & Bonaventuram Franciscanum*. Multæ in Consessu Cæremoniæ, plures in Conditionibus & Pactis Tricæ. Tandem æquioribus animis transegerunt, quod utrique Pacti salutare. Et fædus, post *Cameracense*, celeberrimum *Vervineum* publicatum, & ex Conventu observatum. Populus Commercij, & Otij cupidus, *Medicæum* ut Pacis Authorem, cum ingenti favore prosecutus est. Inter hæc, *Philippus* anxius, ne *Isabella filia*, haud dubie inflatior Procerum studijs, Invidiâ, & Aemulatione fortunam *Fratris* remoraretur, *Alberto Familiæ Austriæ* despondit, ut procul per honorem Matrimonij ablegaret; *Dotis* loco *Belgium & Burgundiæ* Comitatum largitur; Adhibitis multis Juris Formulis, Restrictionibus, & Cautionibus. *Albertus* Matrimonij certus, repentè *Galerum Conchiliatum*, *ac Purpuram* commutat. & locupletissimum *Sacerdotium Toletanum*, in *Graciam de Liolâ* collatum est.

Per hos dies *Philippus*, ætate Fessus, & Satietate rerum humanarum, Ptheiriasi correptus, magnum Documentum Instabilis Fortunæ, & flebilis humanæ Sortis, Posteris reliquit. De cujus Pietate, Moderatione, Meritis, atque incredibili Patientiâ, supervacuum est dicere. Adhibitoque *Philippo filio*, & *Isabella Clarâ Eugeniâ*, præfatus de suis Miserijs, & ærumnis; Mox conjectis in eum Liberorum oculis, Vitæ Supplicium miserandum, Corporis habitum exposuit; & in hunc Modum locutus est. Spectate abjectissimum hoc Cadaver, exulceratum, & Pediculis commesum; Intuemini Fastum Mundi, & Ambitum, Opes, Regna, Potentiam aliaque lubrica, & incerta; Sceptrorum Spem caducam; *Hispaniarum Regem* paulò antè potentissimum, nunc omni Ope humanâ destitutum. Indè Funebrem Pompam, Pheretrum, Aeneam Crucem, Osseum Caput, & cætera Mortis meditamenta, afferri jussit; & juxtà *Diadema* Regium collocari; ad quod Generis humani cæca Cupiditas obstupescit. Plura de Extremis locutus, *Isabella Filiæ* Annulum Matrimonialem; *Philippo Filio* Tabulas dedit; quibus futuri *Principatus* Formam præscripsit, & plurima salutaria præcepta. Mox Vitam reliquit, Aetatis Anno L x x i, Superstitibus duobus Liberis, *Filio*, atque *Filiâ*. Hic Exitus *Philippi*, digni Majoribus, & Austriacâ familiâ. Bella multa per *Legatos*, variâ Fortunâ gessit; Ipse Consultor omnibus affuit: *Granatense*, adversùs Mauros. *Melitense*, adversùs Turcas: *Belgicum*, adversùs Rebelles potiùs quàm hostes; *Lusitanicum*, Adversùs Antonium; *Anglicum* adversùs *Reginam* Elizabetham; *Francicum*, adversùs *Henricum* Quartum; & Civile Taraconense. Prælia multa, & non incruenta; Pietatem Justitiamque ejus, disertissimi Scriptores satis dignis laudibus, sinè Adulatione,

 prosecuti

1598. prosecuti sunt; Ambitum, Alieni dominij Cupidinem, & Sævitiam, honesta Inhonestaque Dominanrium juxtà laudantes, excusare non potuerunt. Adeò districtæ, & inexorabilis Vindictæ fuit; nt Ultio adversùs *Carolum Filium suum, & Hæredem gloriæ,* eruperit; Cujus hæc Verior Narratio fuit: *Philippus* adversam de *Filio* Famam accepit, tanquam Terminos Obsequij, & Officium Filij egrederetur. Erat certè Juvenis Elatione animi insignis; Cuncta ex Libidine suâ agebat; & Censuram Patris ferre non poterat. *Philippus* Ipse offendebatur interdum Concursu Procerum ad eum; & prægravem Successorem rebstur. Incautus Juvenis *Ioannem Austriacum*, Caroli Cæsaris ex Pellice Filium, perplexis Sermonibus tentavit, *An sibi, in Discrimine, adversùs quemcunque oppitulaturus foret: Adversùs omnes Mortales*, Excepto Patre, respondit. *Neminem*, inquit Carolus, *excipies in Propensione Voluntatis tuæ ergà me.* Quo Sermone bellum adversùs Patrem cogitavisse, detulit *Austriacus*. Occultâ Suspicione incensus *Pater*, cui obstinara Severitas, & Invictus adversùs Gratiam animus, *Filium* asservari jubet; & apud *Proceres*, cum cæterâ Insectatione Vitæ, invidiosissimè incusat, Occidendi sui Consilium inijsse: Hostes Regni, *Angliæ*, & *Daniæ* Reges, *Aurasionensem, & Colliniuum*, ab eo occultis Nuntijs cultos; atque eorum Fiduciâ, adversùs Patrem, in Nefariam Spem Regni venisse. Mox Invidis Criminis, & Externæ gratiæ, oneratum, interficere constituit, ut Proditorem *Patris & Regni*; poscitque Supplicium; restitêre *Proceres*, ut humaniore Cogitatione imbueretur. Proindè anxius, Consilum Acerbissimæ Inquisitionis, in Tali Casu Conscientiæ unicum Remedium, accersiri jubet: *Parricidium Caroli*, & Scelus Concupitæ Dominstionis Iterum accusat. Judices Inquisitionis respondent, Populi Sslutem cunctis Affectibus flagrantiorem. Quia Statum Regni conatus est convellere, Reum rerum Capitalium, & Extrema meritum. Lætus tali Occasione *Philippus*, Inquisitionis Judicibus à se digredienribus *Mandata dedit dè Filio occidendo*; qui non gravatè exsecuti sunt. Intromissi *Quatuor* Talium Facinorum Ministri, *Fauces, & Spiritum Caroli Principis intercluserunt*; conquerentis Crudelitatem Patris, & Iniquitstem acerbissimæ Inquisitionis. *Philippus*, stupidâ Vanitate sibi Innocentior videbatur, quia subtraxit Oculos; & jussit Nefarium Scelus, non Spectavit. Attocitas horridæ ac Tristis hujus Severitatis, totam *Europam* pervasit. Et quamvis Deus diuturniorem Impunitatem concessit, tamen, in Exitu Vitæ, novam & Insolitam pænam inflixit; Ne sævirent posteà Principes in suum Sanguinem.

Digrediente in Hispaniam *Alberto*, summa rerum *Andrea Cardinali Austrio*; Cura rei Militaris *Francisco Mendoza, Tarraconensis Classis Præfecto* mandsts est. Is in *Rheni* Confinia magnum Exercitum deducit; x x v. *Millia* Peditum fuêre, & duo Equitum. Militaris Disciplinæ Modestia Licentiâ corrupta, Militibus, mixtis Scortis, Calonibus, Scurris, & Flagitiosâ Plebe. Nec coërcere potuit Confusum Ordinem Militiæ *Mendoza*. In Agris passim trepidatum: Loca, Sedesque Imperij, ut hostile Solum, aggressi; Paganorum domos, Hortos, Opesque invasêre; *Vestphaliam*, & *Cliviam*, Securitate Pacis incuriosius agentes, vastarunt; Inopes Agrestes, per omnes Cruciatus torserunt; Interrogaruntque ubi Pecuniam occulerent. Inficiantes alij alio letho, Auribus abscissis, aut effossis Oculis absumpti. Nequè Calamiratibus Insontium expleta Immanis Avaritia. Flebilis & egens Turba, de Injurijs Superbissimæ & Crudelissimæ gentis questa, nullâ Misericordiâ Ducis sublevata: quippè tàm procelloso tempore, plùs Militi, quàm Duci licuit.

Horum Atrocitas facinorum magnam flammam Populari Invidiæ *Iberorum* adjecit. Quam auxit *Virici, Dunij, Comitis Falcostinij* tristissima Cædes. Is concitâ Gente, arcere Finibus *Hispanos* intendit. Sed primo Impetu disjectus, in *Arcem Brocensem* compulsus, Pacto Salutis Voluntariam deditionem fecit. Posteà haud ambiguâ *Mendoza* Voluntate; sinè dilatione, interfectus est; & Corpus humi projectum, insepultum jacuit. *Tarraconensis*, lassatâ, non sstiatâ Militum superbâ Crudelitate, in Hosticum duxit: ibi expugnatâ *Rhenberca*, alijsque *Rheni* Præsidijs, *Dotocomum* oppugnat, & Pactione, intrà tres dies capit. Indè *Shulenburgum Castellum*, situ & Militum Præsidio munitum. Præsidiarij constantius, quàm quis crederet, locum defenderunt. Sed cum Vires, & Tela deficerent, inermes excessêre. Intereà *Mauritius* ire obviam discrimini statuit; Contractisque *Sex Legionibus*, & modicâ Equitum Manu, in æquum digredi intutum ratus, adversùs discrimen Obsidionis, *Dusburgum*, proximasque hosti Urbes Copijs firmat; Commeatum intercludit; & Annonæ Inopiâ exultantem hostem affligit. Igitur *Tarraconensis*, propinquâ jam Hyeme, Frumentoque à tantâ Multitudine Jumentorum atquè hominum consumpto, cum rerum omnium Inopiâ pereundum videretur, apud *Vbios, Sicambros, Menapios*, Exercitum in Hybernis collocavit.

1599. HOc Anno, passim in *Britanniâ*, & *Belgio*, Fulmina, Fulgura, In Prodigia, & Præsagia imminentium Cladium, versa, hominum Mentes terruêre. *Iacobus Rex*, circà Administrationem Regni Diligens, & attentus excubat pro Salute Singulorum, atque universorum; Præmia pro Dignitate constituit; *Scotiam* deniquè universam, ab intestinis Seditionibus tutam, Industriâ & Vigilantiâ suâ præstat. Oppressi, & Afflicti, tanquàm ad Clarum & Beneficum Sidus, certatim advolant. Ille summam *Vbertatem Vini*, Frumenti verò Inopiam animadvertens, *Vini subvectionem* prohibere cogitavit, concesso Jure omnibus Negotianribus Commeatus subvehendi. Exequi Consilium non potuit, in Civitate gaudente pleno Oenophero; ubi Plures *Liberi*, quàm *Cereris* Cultores. *Iudicum Ordini* coërcendo tantum Curæ sdhibuit, ut Modestiores atque æquiores exstiterint. Ac ne

Religio

Religio Numinis Superstitione contaminaretur, aut *Seditione Ecclesiasticâ* turbaretur, inhibuit. *Puriogil-* 1599
vium Csmarchum, qui Contumeliosâ & Contumaci *Epistlâ* Majestatem offenderat, exilio punire; satis habuit. Arcana Imperij inter intimos Libertorum Consiliorumque communicavit. *Marrium, Eduardum Brucium, & Thomam Ereskinum*, Arcanis Consilijs de Rebus *Anglicis* adhibuit. *Elphingstonum*, ab Epistolis, adhibitus non est in Consilium, propter Literarum Commercia cum *Grajo exule*, suspectus. Is *Iacobs* quondam amicus, posteà relegatus, Offensione acerbâ, ut suprà retuli, *Regiam Elizabetha* secutus, *Cecilio* in rebus *Scoticis* acceptus & usui fuit; quippè latitans in extremis *Northumbria finibus*, apud *Radulphum Grajum Chilingamium*, præparavit *Cecilio* Popularium, præcipuè *Elphingstonorum*, animos. *Litera intercepta* palàm fecerunt Conata. Plerique concussam quoque *Geo: Humij* mentem, per Emissarios Cecilij, partim Donis, partim Spe Præmiorum, credidêre. *Marrius & Brucius*, ut quâ de Causâ in *Northumbriam* venisset, cognoverunt. In Senatu quæsti sunt, nihil actum *Exilio Graij*, si apertè moliendo Sollicitandoque Animos *Procerum*, convellat statum Regni. Certos homines quotidiè cum eo in *Occultis Colloqui*; aut *per literas* Arcana Consilia enuntiare. *Elphingstonus* nocituram sibi Suspirionem apud *Regem* prospiciens, purgat sese tempore apto; & nihil Literarum à *Grajs* accepisse affirmat; opportunos Conatibus *Pontificios* ostendit, Eorumque Vires, Arma; & in ijs conciliandis suam offert Operam. *Rex*, inquit, si apud me crescere libet, aliam materiam crescendi quæras; Nam Odi, Odioque sum *Pontificijs*; & nunquàm *Pontificis Maximi* in Ecclesiâ Principatum agnoscere decrevi. Non movit *Elphingstonum* fraudulentum & emendacem talis oratio; quin fraude Malâ surreperet, inscio Rege, literas ad *Pontificem Romanum Clementem Octavum*; persuaderetque ei, *Regem* nunc ab ipso Fonte petere *Romanam Amicitiam* voluisse, & *Summi Pontificis* Nomen debitâ Pietate venerari. Adeò Aminosus Fallarius fuit; & *Pana legis Cornelia*, post multos Annos, irrogata; ut suo loco tradam.

Per hos dies, frequentes ex *Angliâ* literæ erexerunt *Regis* animum, multorum Votis & Suffragijs eum ad *Regnum* accersiri, si quid Humanitùs *Elizabetha* accideret; concursum ad Fines futurum, *Occidentem Solem deseri, Orientem spectari*; Sænium *Elizabetha* Fastidio; Maturam *Iacobi* ætatem Solatio esse. Præcipui fautores *Successionis Regia Essexius, Villoubeus, Montiojus*: hi Consilia communicaverunt; non sinè Conscientiâ *Antonij Baconi*, Viri Clari; qui Flagrantibus *Procerum* studijs Spe *Successionis* & futuræ Potentiæ, velut Stimulos addidit; & pertentavit plurium animos Promissis; ac Præcibus. Ipse *Rex*, non Paucos, Ingenij Famâ, Donis, atque ingentibus Pollicitationibus, ad sui studium vehementer pellexit. Perspecta Indoles præclaris Eloquentiæ operibus; & *Institutio Filij*, multo Ingenij Labore celebrata, plures inclinarunt.

Hâc æstate, *Betunius*, Maximiliani *Betunij Rhosnei* Frater, Legatus à *Rege Francorum*, in *Scotiam* venit, ad renovandam Veterem Societatem, Amicitiamque, missus. *Falcolandia* Regem consecutus, prolixâ Oratione commemoravit *Francorum Regum* in *Scoticum Nomen* studium, & Benevolentiam; Nec *Henricum Regem*, ullo Populo, quàm *Scotico* amiciorem, nunc, confecto *Bello Civili*, petere Amicitiam, & *fœdus* renovari. *Legato* comiter excepto, & quod petebat datum est; & Munera ad *Regem* missa, *Canes & equi*. Indè *Legatus*, diebus aliquot per solennes Epulas consumptis, nullam Moram navigandi fecit. Tempestate & adverso Vento Navi actatâ, *Yarmouthum*, æger longâ Navigatione, delatus est. Quod ubi *Regina* cognovit, impensiore Curâ refovit, & Omnia quæ ad Valitudinem Necessaria erant, præbuit; ac Navem etiam, quâ se cum suis in *Galliam* traijceret.

Rex, magnâ Pecuniæ inopiâ coactus, *Conventum Procerum, Edinburgum* indixit, ad Juvandos Principis Reditus. Cuncta ponderantibus, Saluberrimum visum est, Fundorum Reditus augere; ex Venditorum diurnis quæstibus, Portorea Circumvectionis; *Dardanarijs, & Annona Flagellatoribus* aliquid exigêre, ad relevandos Sumptus Regis; & omni Auctioni Tributi aliquid imponere. Prudentissimi Viri, summâ Auctoritate præditi, qui nunquam Utilitatem à Dignitate sejunxêre, restitêre, *Vectigalibus Novis ac inauditis*; Malas Artes Pecuniam corradendi aversantes. Nec desijt *Alex: Setonus*, Præses Judiciorum, ac Præfectus Urbicus, Civitati sibi commissæ, & Civium Commodis prospicere; & in hoc feliciter Nervos intendit, *ut Princeps & Populus simul ditescerent*. De Consilij Sententiâ, ad vitandam Invidiam, ea res ad frequentiorem Ordinum Conventum, *Partbum* indictum, rejecta; & *Setonius* gravissimè objurgatus, quod omnem de Portorijs ac Vectigalibus Cognitionem ad *Comitia* revocaret. *Humius*, Vulgi rumore suggillatus, ut Tributi gravissimi indicendi Anthor, & Publicanorum Fautor, qui *Portoris* rigidè curarunt.

Hic Annus, apud Nos funeribus, & Cladibus nefandæ Atrocitatis insignis; quippè *Gramus, Montis Rosarum Comitis filius*, ingenti Corporis robore, Animique magnitudine, Nemini suorum temporum cedens, *Iacobo Sandelandio* iratus (qui *Ioannem Gramum*, rerum Capitalium Judicem trucidaverat) acerrimus Vindex extitit. Neqnè à tam præcipiti Consilio, Patris Prætoris Autoritate revocari potuit, quin *Iacobum Sandelandum*, in urbe Regiâ, & Viæ publicæ Celebritate, Comitatu armato circumcederet, cum in *Pratorium* iret; & fortiter resistentem multis Vulneribus confossum, pro Mortuo relinquerer. Ad Corpus stratum humi protegendum, *Locartus & Carcartus*, Clientes concurrerunt; & singulari Fortitudine, jacentem ab Atrocitate Mortis vendicarunt. Relato ad domum *Sandelandio*, Gramus, Satellites, qui ad Cædem faciendam subsequebantur, confusi sceleris

magnitudine,

1599. magnitudine, per Vicos dilapsi sunt. Simul indignitas Facinoris, simul Contemptus Majestatis, animum *Regis* offendit. Ipse *Gramus*, expletâ Ultione, ne alieno tempore obversaretur, in Domum Familiaris sui concessit. Dum certum cognosceret, confectus ne esset Inimicus. Interim nuntiatur vivere *Sandelandium*; quo Nuncio dolore magis commotus, quàm Animo perturbatus, domum proficiscitur.

Eodem ferè tempore *Ioannes Carmechelius*, qui non mediocrem fortitudinis & Prudentiæ suæ Famam, rerum gestarum gloriâ excitaverat; in *Anandiam*, ad Limitem Occidentalem tuendum missus: Acerrimus *Latronum* Vindex, & Aequitatis Cultor erat; suis nunquàm parcens Periculis, Laboribus, Vigilijs, in Prædonibus perdomandis; non majorem *Regis* gratiam, quàm Prædonum Odium sibi conciliavit. Igitur cum Latrones, quorum insignem Improbitatem, Judiciorum Severitate coërcebat, ejus in Animadvertendo sæveritatem perferendum non ducerent, Conspiratione adversùs eum factâ, si qua daretur Occasio, juxtà ejus Exitio imminerent; Tandem à Conventu, de rebus repetendis, redeuntem, *Armstrangi* Latrocinijs infames, Clamore sublato aggressi, unus aversum globo transfijcit; alter Vulneratum, ac Semivivum deturbat; & priusquàm à Suis succurreretur, expiravit. Comites Spectatores magis Mortis, quàm Ultores extitêre. Hunc Exitum habuit Vir egregius Militari gloriâ; nisi Famam *Traditione Orroci Hibernici Reguli* polluisset. *Rex* huic Nefario Facinori infensus, & totus in Ultionem intentus, *Iacobo Iohnstonio*, familiæ suæ Principi, spectatæ fortitudinis Viro, in ejus locum surrogato, Mandat, ut Facinoris Authores comprehenderet. Ille impigrè privatam Injuriam Amico illatam, & publicam Patriæ ultus est.

Hoc Tempore, *Rex* Joannem *Hamiltonium*, Veteris & Illustris Familiæ Principem, & *Georgium Gordonium*, *Huntilea Comitem*, Pontificis Authoritate ejuratâ, nuper in pristinam gratiam, Suffragijs Procerum, restitutum, *Marchiones* creavit; ut Judicium de dignitate Procerum in suâ potestate ostenderet. *Hic Titulus* tùm primùm apud *Scotos* celebris esse cæpit, Majore Invidiæ, quàm Gloriæ incremento; præterito *Duglasio*, *Angusiæ Comite*, Cujus Majores Vitam periculis ac discriminibus pro Patriâ toties objecerunt. Hoc in *Honore* sibi Eos prælatos *Gulielmus Duglasius* ægrè tulit, Charitate in Patriam, Nobilitate generis, & Florentissimæ familiæ Opibus par.

Res Anglica. Iis dein diebus, abductæ *sex* Cohortes *Anglorum*, in *Belgio*, Mercede militantium, ad bellum *Hibernicum*; & subito dilectu Tyronum expletæ Legiones. Peditum *Sedecim Millia*, Equitum *Mille Trecenti* fuêre. Rebus omnibus præparatis, instructisque, in *Angliâ* seriò consulitur, quisnam Copijs in *Hiberniâ*, adversùs *Tironium*, Veterem Proditorem, præficeretur? *Regina* favor in *Carolum Montioium* inclinavit, qui Ordinum Ductor meruit in *Belgio*, & *Armoricâ Britanniâ*. Sed brevi tempore *Essexius*, à *Reginâ* interrogatus sententiam, Respondit non sinè tacitâ Indignatione; se non videre, cur *Montiojum Baronem*, Mansuetudioe insignem, potissimum *Tironio* hosti Opponeret, paucis Castrorum Experimentis imbutum, disciplinæ atque exercitatione Armorum in re Minore expertum; *Rebellium Duci*, fidenti, & animo, & Viribus Imparem, nullis Clientelis subnixum. Non imponendum Cervicibus ejus Onus, sub quo corrueret. Deligendum igitur Ducem è Primariâ Nobilitate, Potentiâ, honore, Opibus, ac Militari; Famâ validum, Duci hostium parem. Illa animadvertit, *Comitem* indignari, aliquem in *Angliâ* meliorem bello haberi quàm Se; statuit Ipsum *Summum ducem Hiberniæ* Regno, & Exercitui præficere. Ille se, laboribus Periculisque fractum, excusavit; ac Specie recusantis, enixè abnuit. *Elisabetha*, quæ florente Juventâ, Se Regnumque Consilijs suis, Armis, Opibus, sustentaverat; Amorem inter Subditos, Metum apud Potentissimos hostes, rerum gestarum Famâ quæsiverat, ingravescente jam Aetate, cum Senectâ res quoque defloruêre; *Essexium*, Virum *Populi* gratiâ, ac *Procerum* studijs subnixum, seu Muliebri Formidine Potentiæ, seu Criminantium Inimicorum Artibus, metuere cæpit: Nec aliud, adversùs minimè ferendam Potentiam in Repub: concupiscentem, Remedium in Præsentiâ rata, ex Concilio *Cacilij*, *Notingamij*, *& Ralleij*, (quibus solis Consultoribus utebatur) quàm ut promptè Vi, aut Dolo, subverteretur. Erat certè *Essexius*, per omnes ætatis gradus, formâ egregiâ; ac Specie Corporis eximiâ; staturâ sublimi; Incessu Militari, non minore Authoritate, quàm gratiâ Oris. Præter Faciem decoram, Corporis Proceritatem, & Belli decora, conciliabant Animos hominum Mite Ingenium, Comitas, Affabilitasq; Sermonis, Fides in Principem, Pietas & Amor in Patriam; Liberalitatis, Magnificentiæ, Omniumque Virtutum Studium, quæ pertinent ad Mansuetudinem Morum, ac Facilitatem. Sed Animus elatus Juvenili Fervore, & Indulgentiâ Fortunæ, in exitium ejus imminentis; Varijs Cupiditatibus obnoxius, Iræ, Arrogantiæ, Temeritati, *Libidini*, quæ Illum Præcipitem exitio dederunt. At vehementior ejus Impetus in bonam partem; Pronum in *Libidines*, per omnem Adolescentiam fuisse; Illustrium fæminarum Cubicula corrupisse, Adulterium suum narrasse, & fastidium, ne Amici quidem negarunt; excusantes Adulteria, non Vitio Naturæ, sed Consilio commissa, quo Facilius callidas Artes Inimicorum, per Mulieres exquireret. Ambitum, & Regni haud occultam Cupidinem, alij constanti rumore incusarunt; sed Rumor temerè, sinè ullis Authoribus, ortus; quippè Facilius ei fuerat, *Legitimo Regi* tradere Regnum, quàm Malis Artibus acquirere, aut retinere.

Jam *Senescentem* Principem *Notingamius* Præfectus Maritimarum rerum; *Cecilius*, ab Epistolis, eâ tempestate Equestris Ordinis Vir, sed Authoritate, famâque inter *Primores* Præpotens; *Ralejus*, Prætorianorum

Prætorianorum Cohortium Præfectus, pari propè gratiâ, & Authoritate, sed dispari famâ, Opinioneque Vulgi, regebant. *Raleus*, aperto Odio Mortalium, quanto indies Potentior, tanto Invisior erat. *Cacilius*, Suo, non Senatus Arbitrio Reipub: habenas moderabatur. *Notingamius*, Nobilis honoratus, bellique haud inexpertus, Nihil nisi rectum & Laudabile ullâ Parte vitæ meditabatur. Ab his *Essexius* acerrimè dissenserat; ac ab Invidiâ, & Aemulatione Potentiæ orta Contenrio, ad acerbissimum Odium progressa est: quod Ipse apertè; Illi callidè nutriebant. Hi Tres Consiliorum omnium, & Periculorum Societate conjunctissimi, Certamen, unum omnibus, contrà *Comitis* Impetum, & effrænatam Ferociam, Sese, Famamque defendère. Ille incautus, in Occultis Inimicitijs, Apertum Odium ostendebat. Divisa jam, & discors Factionibus *Aula Anglica* erat, occultis in *Essexium*, aut *Cacilium* studijs, prout Amor, Odium, Spes, Metus, vel privatarum rerum Utilitas quemque impellebat. Utraque Pars suas Clientelas habebat; *Cacilius Cobhamum*, & *Grajum*, magnâ & Vetere Prosapiâ; *Essexius*, multos *Proceres*, priscæ Nobilitatis, cupidos sui, & gratiosos; Plebem Universam. Parum aberat, quin Aulicam æmulationem Bello Intestino mutarent. *Regina*, etsi secretò *Essexio* infensa, sivè quod gravi ac intolerabili Arrogantiâ Modum Obsequij egressus, apud Exteros, apud Populum, apud Proceres, Varijs Illecebris potens, Fastidium sui moverat; sivè quod semper formidolosa *Principibus*, nimia Fautorum Potentia; quia tamen sinè Motu, ac Tumultu, in Ordinem cogi nequibat, Amplissimos in eum honores congessit; Militaribus Curis per Universum Regnum præfecit; amoliri in *Hiberniam*, per Speciem honoris, & belli gerendi, decrevit, ut procul ab Aulâ, quasi per beneficium, ablegaret; aut Casibus Fortuitis, Periculisque objiceret. Hæc quæ augendæ Amplitudinis causâ, inditio studiòque Vulgi, fieri putabantur, extemplò in Pauperiem; Mox etiam in Pernitiem ejus versa. Inimici, qui Nimiam ejus *Popularitatem* assiduè criminabantur, & Suspitiones indies Calumnijs accendebant, non molestè ferebant, Specie honoris, *Regnique Hibernici* Administrandi, procul ablegari. Posteà *Elisabetha* Aemulationis intolerans, & Dolorem mirâ Arte dissimulans (Invidia in Occulto, Adulatio in Aperto) apud Senatum, multo cum honore Verborum, res ab *Essexio* gestas illustravit; disseruitque, suam vergere Aetatem; *Essexium* Firmissimum Reipub: Præsidium; Non posse *Motum Hibernicum*, nisi Fortitudine, Prudentiâque ejus componi; domitis Perduellibus, æternam Nominis gloriam, & Virtutis Præmia ostentat. Simul Amicis, Clientibusque ejus Tribunatus, Præfecturasque pollicetur. *Southamptonia Comitem*, spe, & juventâ Clarum, ac Familiæ *Essexij* per Affinitatem innexum, salutat benignè, & Comiter appellat. Tunc ex Consilio decreto, permissa *Essexio* Hibernia; Majusquè in eâ Imperium, quàm hia, qui Jussu Principis, *Proreges* obtinerent; ut res Militaris melius administrari posset, ac omnia gereret administraretque, pro ut Pacis aut Belli tempora postularent. Dein Supplementum Exercitui, ut in *Hiberniam* portaretur, decernitur. Assumuntur è Civitatibus robustissimi Juvenes; Alij per Ambitionem proficiscuntur; stipendium, aliaque omnia quæ Bello Usui forent, decernuntur. Consultatum indè inter Amicos, Clientesque Comitis, Dolum vel Vim metuentes, orant per Amorem Reipub:, per Communem Amicitiam, ut Memor *Regia* dignitatis, ac Officij, exueret Ferociam, intenderet Principi Obsequium; illam aut reconciliaret, aut mitigaret; Sævientis Fortunæ Impetum sisteret; neu Aemulatione Potentiæ Validiores gratiâ irritaret. Hæc propalàm dicebant; Secretò admonebant, Dolum, si in *Hiberniam* proficisceretur, subesse; Vim, si recusaret. Ille insitâ Ingenio Violentiâ Suspectum se *Regina*, & Opportunum Criminibus faciebat; nec Criminosis Sermonibus temperabat; Jactantiâ suâ, Probris in Inimicos, Jurgijs in *Reginam*, Cæcilium Naturæ Portentum; *Cobhamum*, Archadiæ Pecudem; Vecordem *Ralejum*, & Militiæ Nescium dicere solitus. Qui Multia vexati Contumelijs, Jactatione Verborum, ac denuntiatione, Periculo non terruntur; Sed Dignitate, atquè Auctoritate se tuentur. His atque talibus Infensum *Principis* animum acrius accenderat.

Regina interim, simulatâ Securitate, & dissimulatis Offensionibus, in *Hiberniam*, cum firmâ Popularium Manu, properare jubet. Secùm reputans, Virum Popularem, Aulæ luxu, & Magnitudine Potentiæ lascivientem, melius ac tutius procùl in Castris haberi: additque insuper Custodiam Pupillorum Ei, pro Meritis, destinari, vacuam tum Morte *Cacilij* Equestris; ut in eo Munere Commodè posset rei familiari prospicere, in Armis absumptæ. Edictum quoque in *Hiberniam* præmittit, quod per Præconem *Dublina* promulgatur; denuntiatque, Multitudinem Incerta pro Certis, Falsa pro Veris habere; *Hibernos* penitùs extinguendos, temerè vulgatum esse: Turbæ tàm Miserabilis Facie, omnibus Fortunis ab Improbissimis Latronibus spoliatæ, se vehementer commoveri; quorum essent tàm Nefaria scelera, ut tolerari ultrà nequirent; tàm latè Fusa Factio, ut nemo in Fide ac Obsequio permanens, Vitam Fortunasque tueri posset. Cæterum, nequid in se Opis esse videretur, adversùs *Rebelles* Benignitate, ac Potentiâ tàm diu abutentes, paratum instructumque Exercitum; Infirmioribus, adversùs Vim, Præsidium. Igitur Rebellibus, qui ad Fidem & Obsequium reverterentur, Veniam, Cæteris, Supplicia pro Maleficijs suis, in publico proposuit. Ideòque *Essexium*, pro Clementiâ, & Benignitate in Supplices; pro Eximiâ Fortitudine, & rerum gestarum Magnitudine, adversùs *Rebelles, & Caput Mali*, Ministrum Idoneum delegisse, ostendit. *Essexius Prorex* appellatur; proficisci in *Hiberniam* maturat; Sed antequàm digrederetur, multo apud *Reginam* sermone orasse ferebatur, ne Inimicorum Calumnijs temerè accenderetur. Post Varios Sermones, *Illa* bono animo esse jubet;

Belloque

1599. Belloque & Armis Remp. juvare, & minimè Calumnias timere. Si Modestiæ & Obsequio asuesceret; si pro *Dominâ* haberet, & agnosceret; Nihil ab Inimicis metuendum. Vergente jam gratiâ, ounquàm Voces Vulgi blandæ, & Intempestivæ deficere. Et *Cæcilius*, cum Indies magis ceroeret Favorem dignitatemque *Essexij* crescere, quibuscunquè poterat Artibus, Invidiam conflavit, Potentiamque infregit, Speculatores apposuit, qui Dicta & Facta specularentur; eaque ad se, cum reliquis Actis, perferrent; & Materiam Criminationibus *Proregis* præberent. At Ille Incautus, Turbam Salutantium, Coocursum Procerum, ac Amicorum Officia oon vitavit.

Res Hibernica. Igitur, ut Mos erat, Magnâ Nobilitatis Frequentiâ stipatus, Officij curâ, aut Spectaculi studio, omnique promiscuâ Multitudine, *ad Sextum ab Vrbe lapidem*, Populariter effusâ, cum magnâ dignitatè, & Majestate, ab Urbe in *Hiberniam* digreditur. Convertit Oculos animosque omnium Intuentium Corporis Amplitudo, ac Eximia ipsius Species; sed suberat occulta Formido; Amicis reputantibus, haud prosperam, in parte ejus, *Expeditionem Hibernicam*. Brevem, ac Infaustum semper, apud *Anglos*, Vulgi Favorem; & Magnitudinem Famæ sæpè exitiosam. Mutationem Fortuoæ portendi, intonso Capillo, lugubri Amictu, horrendo Tooitru, & Cælestibus ultrà solitum Imbribus, cognitum est. At Invictæ Leges Necessitatis, dira omina adversa Agmini ejus, Sereno Cælo Fulmina, justâ æstimatione perpendere, passæ non sunt. *Primo Vere* transgressus, & in Trajectu, Tempestate conflictatus, turbidum *Rerum Hibernicarum* statum invenit; *Iugum Anglicum* ferè excussum; Octodecim Millia Peditum in Armis; duo Millia Equitum, ducibus *Regulis*; dubiam, & Nutantem *Momoniam*; Fessam *Lageniam*; turbatam *Conactiam*; & Populares *Anglis* Fidos, crebris Cladibus afflictos; rerum turbandarum Principes *Tironium*, & *O-Donellum*, Aliosque non obscuros Regulos.

Cum animadvetteret, *Nigri Fluminis Cladem*, magis *Temeritate* Tribuni, quàm Virtute hostium, accidisse; eum Pluribus rei Militaris Peritis, de ratiooe Uoiversi belli communicavit Consilia, & quid agendum esset consultavit. Plerique Periti rerum *Hibernicarum* censueruot, ut Radicem Defectionis exscinderet; Seditiones io *Vltoniâ* ortas opprimetet; reliquas Turbas in tempore componeret. Ad id Consilium, *Essexius* suopte Ingenio, & *Reginæ* accedente Voluntate, erat pronus. Cootrà disputabatur, Optimam in præsentiâ rerum pacandarum rationem, si Ipse eum Copijs ad *Meridionalem* Regni Plagam proficisceretur. Et à *Conactia* finibus, in *Vltoniensem Agrum*, suas Copias introduceret. Huic Senteotiæ plures Consiliarij astipulabantur, qui Fructuosa Prædia io *Momoniâ* possidebant; & summâ Vi contendebant, id tutius, id Melius. Consilium in hanc Partem inclinavit; & *Prorex* quoque, cum Paucos suæ sententiæ fautores inveniret. Dum Copias Armis exornat, dum comparat sese ad Expeditionem, mittit Literas ad *Reginam*; quibus edocet Vires hostium; & quas *Provincias* tuerentur. *Sex Millia* Militum in *Vltoniâ*, Duce *Tironio*, præcipuum robur, & Commune Subsidium, adversùs *Anglos*; Quatuor in *Conactiâ*, *O-Donelio* ductore; Parique Numero *Momoniam* Vastari, ducibus transfugis, *Butleris & Geraldinis*; Totidem in *Lageniâ*, diversis ducibus, grassari; Bellum Funestum, & Cruentum instare; Victoriæ Spem ambiguam, nisi Præsidia à tergo *Vltoniensium*, apud *Lacum Foylum* & *Balishanonem* locaret; Proximum Littus Bellicis Navibus insideret; Auxiliaque *Insulanorum*, haud procul degentium, arceret; Subsidia Popularium, qui Fidem non mutaverant, Infirma, & Infida: Primum Impetum, ex Consilij Sententiâ, in *Momoniam* Faciendum, Contusis *Meridionalibus* gentibus; invadendam acrius *Vltoniem, Sedem Rebellium*. Hæc ubi *Londini* comperta, *Regina* rescribit, ut pro Tempore, & Periculo ageret; sed Ipsam *Vltoniam* invadere, rectius fore.

Essexii militaria facinora. *Essexius*, contracto in unum locum Exercitu, & *Hibernorum* Auxilijs, in *Momoniam* pergit; Cædes, Incendiaque circumfert, Vastat, Urit, abducit Armenta, ut Alimentum, Pabulumque eriperet. *Perfuga*, & *Proditores*, repentino Incursu territi, ad Montes, & Solitudines confugerunt. Per Expeditos, & Latebrarum gnaros, persequi maturat, & exscindere parat Castella. Translata mox Castra, ad Vicioum Castellum *Eduardi Butleri*, *Caheri Baronis*, Rebellium *Receptaculum*; quod extemplò expugnavit. Indè in *Lageniâ*, adversùs *Rebelles*, haud dissimili Modo, raptu Frugum & Pecorum, bellum gessit; Plures per globos incursavit Provinciam. *Sexcenti Angli* apud idonea loca relicti, ut coercerent *Rebelles*, si subitò ingruerent, ab *Hibernis* circumventi, fœdâ fugâ consternati sunt. *Prorex* infensus ignaviæ Militum, & Inertiæ Centurionum, qui Signa reliquerunt, exauctoratis Ducibus, & Primoribus Ordinum ob Culpam, *Militum Decimum* quemque, Veteri Disciplinâ, interfici jussit. Fraudem Ductoris *Hibernica* Originis, Militari Supplicio, in exemplum, viodicavit. Pæna ad paucos, Formido omnes pervasit. Deindè plures dies insumpsit, magnâ curâ ordinandis *Provincijs*, novissimè perdomitis. *Lageniam*, in Oriente; *Conactiam* in Occidente; *Momoniam*, in Australi Plagâ, internis Seditionibus laborantes, aut *Præsidiariorum* Injurijs, & Maleficijs fessas refovit. *Cahiri*, & *Rochi Barones*, turbidos, & *Tironij* Coosilijs permixtos, acceptis Obsidibus, prosperè composuit; at Semina *Rebellionis* non radicitùs revulsit; relictis multis, per quos resurgeret bellum. Ubi Metus abscessit, *Perduelles Australes*, pro ingenio quisque Alij preces obtulêre, Jusjurandumque interposueruot, se inposterum *Reginæ*, absquè fraude parituros; & facturos omnia quæ imperata esseot; qui datis Obsidibus, io gratiam recepti sunt. Alij se suaque omnia, cum Conjugibus, & liberis, *Potestati Comitis* permisêre. Et ne Obsequium exuerent, aut bellum redintigrarent, *Præsidia* idoneis locis posuit.

posuit. Misericordiâ adversùs Supplices, & Severitate adversùs Improbos & Contumaces usus, *Tumultuantium* Ferociam infregit. Ea res magni Momenti fuit, ad conciliandos *Hibernorum* animos. His compositis, & omnia *Hibernia* (nisi *Vltonia* quæ Paludibus & Sylvis invia) pacata, sed non perdomita. Fine *Iulij* reducit Copias, labore & ægritudine fessas; & quasi confecto bello *Dublinum* regressus, certiorem *Reginam* facit, de totâ ratione belli; attritos *Momonia*, & *Lagenia* Rebelles, aut ad Obsequium redactos; Fessas longâ & irritâ Militiâ Legiones; Milites non paucos, nullâ abeundi Facultate sibi permissâ, ab exercitu discessisse; Numero, Robore, Fiduciâ gliscere *Vltonienses Rebelles*; Majore Auxilio subveniri opportere, suppleto per Dilectum Exercitu; Sese propediem in *Vltoniam* profecturum, ut *Rebelles* sedibus suis exueret. Adijcit prætereà, se falsis Criminationibus *Cobhami* circumventum, & Alterius Injurijs Contumelijsque vexatum, qui præcipuum in Repub: locum obtineret. *Regina* rescripsit, *Tironij* potentiam, Causam defectionis, primo non impetu labefactare debuisse; interfecto Traditore, & deleto promptissimo quoque *Regulorum*, cæteros Vi aut Veniâ quieturos. *Essexius* respondit; ea quæ acciderant, nullâ suâ Culpâ accidisse. Decreto Senatus, se in *Momoniam* profectum. Nihil privato Consilio gestum. Dum hæc geruntur, repentinus Tumultus in *Leisâ* & *Ophaliâ* exortus, ab instituito. Itinere avertit. Ipse *Mille Quingentos*, in *Ophaliam* adversùs Tumultuantes eduxit. *Christopherum Bluntum*, Equestris Ordinis, qui Matrem ejus in Matrimonio habuit, cum Mille expeditis Peditibus, ad lacessendos *Rebelles Oconoros*, & *Omoros* misit; quos facilè disjectos coërcuit. 1599.

Rebus in *Australi Plagâ*, tantâ ratione Curâque compositis, & omni ferè *Hiberniâ*, nisi Ultoniâ, pacatâ, *Conero Cliffordo*, Præsidioque, quod in *Conactiâ* erat, imperavit, ut Iter in *Vltoniam* alio Latere patefaceret, divertendi *Tironij* causâ; seque cum expeditis Copijs, quoquò inclinarent *Rebelles*, confestim subsecuturum, & brevi affuturum, & Medios clauderent. *Cliffordus*, Mille quadringentis Peditibus, Turmâ *Southamptonianâ*, cum Duce *Iephsono*, & Auxilijs *Hibernorum*, in *Vltoniam* perrexit. Ubi *Carlenensibus Montibus* propinquavit, relictis Impedimentis, cum *Equestribus Turmis*, Ipse Pedestres Copias duxit, Angustias Itineris, Paludes & Silvas pertentavit; Ubi obvios habuit hostes. Eodemque temporis Puncto, *O-Rorcus*, & Multitudo *Hibernorum* illuc congregata, ad intercludendum aditum, loco Fidentes, pugnam ineunt; & *Anglos* protinùs Telis lacessunt: repellereque Illos aggressus acri impetu *Cliffordus*, in medium eorum Agmen imprudens se injecit; ubi Confossus perijt. *Alex: quoque Ratilifus*, Equestris Ordinis, Præfectus Militum Longè reliquis præstantior, Cominùs congressus interfectus est; Multique vulnerati, aut Circumventi. Ob *Cliffordi Ratcliffique* Interitum, Milites *Anglici* ad Vindictam proniores facti, *Rebelles* in angustias Saltuum, aut Paludes repulerunt; quorum Impetum *Hiberni*, Fugâ & Latebris, vitantes, ubi deficere *Pulverem Tormentarium* censerunt, Prælium audentius redintegrarunt. Cum diu atquè acriter utrique pugnavissent, *Anglici Milites*, interfectis circiter *Centum & Viginti* ex suis, cum Trepidatione magnâ, ad Impedimentum refugerunt. *Rebelles*, aviditate Cædis, perculsos intemperantius insecuti sunt; Equites Impedimentorum Præsidio relicti, Saluti fuêre, & Laborantibus Opem tulêre. *Baro Dunkellinus*, Natione *Hibernus*, dum *Iephsonus*, & Cæteri *Anglici* Equites se expedirent, cum *Popularium* Auxiliaribus, in effusos *Rebelles*, sinè Morâ, invectus, Impetum cohibet. Id dum fit, reliqui cum *Iephsono* superveniunt, & Facilè in Propinqua Suffugia summovent, donec victi Pedites, metuque perculsi, per Vadum propinqui Torrentis transirent, & in Cœnobium, cui *Boglum* Nomen est, sese reciperent. Equitatus cedendo sensim ad eundem locum subsecutus est, paucis equis amissis; & stationes, eâ Nocte, antè Vadum disposuit Die insequenti. Duces quid sit faciendum deliberant. *Baro Dunkelinus*, penès quem Equestris Victoriæ præcipua laus; *Arthurus Savagius* Equestris Ordinis; & *Iephsonus*, cum ex *Vltoniâ O-donelius* appropinquare diceretur, censent parùm tutam moram eo in loco fore: Itaquè ne undiquè circumvenirentur, præmissis Impedimentis, ad Castellum *Athlonum* Copias reducunt. Penè mirum est, Vagos & propè inermes *Barbaros*, Numero pauciores, *Mille Trecentos* Veteranos, Armatos, in fugam vertisse. Cunctaque adversa *Anglis* acciderant, non Negligentiâ ducum; non Socordiâ Militum; non Audaciâ Perduellium; non Fortunâ belli; sed Cœlestis Numinis Irâ in rem *Anglicam* evenêre.

At *Essexius*, ubi interfectum *Cliffordum* magni animi Virum, perculsos *Conactia* Præsidiarios, Cuncta *Perduellibus* prospera, *Anglis* adversa accepit; suppletis Legionibus per dilectum *Mille Tyronum*, in *Angliâ* habitum, Diem ad conveniendum Exercitui *Navan* indixit. Eodem Tribuni, Præfecti, Centurionesque cum Copijs Peditum, Equitumque confestim venêre. Exactâ æstate, Aleam universi Certaminis timens, *Mille Trecentos* Pedites dilegit, additis ijs *Trecentis equitibus*, Iter in *Vltoniam* maturavit; relictis cæteris Cohortibus, ne *Anglorum* Pagi impunè vastarentur. tum *Southamptonium Comitem*, magni animi Adolescentem Equitatui præposuit, Peditum Aciem ipse in hostem duxit; Cætera *Chyliarchis* & Centurionibus permisit. *Annona Præfectis* imperavit, ut Commeatum à *Dredachâ*, in remota & Avia *Vltonia* deferrent. Interim *Tyronius*, apud *Fernij*, in citeriore Parte *Vltonia* consedit; Ibi conjunxerunt se ei *Reguli*, & *O-Donelius*; ut quandò *Essexius*, *Vltoniam* penetraret, subitis Excursibus *Anglorum Provinciam* popularentur. Tunc *Prorex*, ex Consilij Militaris sententiâ, obviam procedit *Tyronio*, ad *Fernij* Castra habenti; qui fugâ & latebris Congressum vitavit, & in æquum digredi non ausus, Silvis ac Paludibus se continuit. *Essexius* pacato Agmine incedit, omnia

Kk latè

1599. latè explorat, Sylvas pertentat, & Saltus transitu difficiles. *Southamptonius*, cum expeditis Cohortibus, & parte Equitum, quocunquè accessit, Equitatum hostium propulsavit. *Rebelles* diffidenres Viribus, & Locorum difficultatibus, non Iter Eruptionibus remorari, non extremum *Essexij* Agmen, per occultos Tramites carpere ausi sunt. Igitur Exercitus *Anglorum*, apud Vetus Castellum *Ardolphum*, incensum & dirutum, paulisper constitit. Non procul à Castris eorum *Tironius*, & Reguli in Tumulo propinquo consederunt. In Mediâ Planicie Flumen Arboribus consitum; & in Castris *Anglorum* Lignorum Inopia; Quare *Essexius Quingentos* Pedites, & *Ducentos* Equites levioris Armaturæ, ad Flumen *Lignandi gratiâ* præmisit. *Rebelles* majore tumultu quàm Pugnâ prohiberi conati, repentè summoti sunt: nequè *Tironius* Colle digredi ausus. Postero die, *Essexius* ad *Molendinum Louthense* progressus, Castra in hostili Solo posuit; & Insidijs hostem loco opportuno, inter bina Castra, tentavit; quæ Irritæ fuêre. *Tironius* tutus à fraude Insidiarum, per occultos Tramites, & breviores, antevertit; & opportuniores Colles aut Sylvas insedit. Intereà ubi Consilium, rationem, & Constantiam *Proregis* vidit, *Henricum Hagaunm*, fidissimum Servum, nuntiatum mittit, *velle se de Pace agère*: daturumque honori *Essexij*, ut Colloquio locum & Tempus diligeret. Sed *Essexio* jam antè Experimentis cognitum Ingenium ejus Turbidum, Infidum, Mutabile, Aptumque ad dissimulanda omnia. Itaquè dixit, Responsum postero die, in proximo Colle, & Primo Agmine, se Armatum daturum. Ita Nuntius redijt. Die Crastino Cohortes eduxit, & *Trecentos* Equites; ac obviam hosti processit; & in proximo Colle Aciem instruxit; *Tironium* expectans. Cum Equites *Rebellium* apparuissent, repentè Parem Numerum Equitum, cum *Comite Southamptonio*, ad lacessendos hostium Equites misit; qui Equitatum eorum, primo Impetu, sinè aliquâ Jacturâ, fugavit ampliùs *Passus Mille Quingentos*. *Tironius*, gnarus Suos *Anglorum Peditum* Aciem ferre non posse, in Angustijs Paludum & Sylvarum, Pedestres Copias continebat; tantum Equitatum, & Levem Armaturam ostendebat. *Essexius* ubi videt hostes in planum digredi non ausos, horâ Quartâ Promeridianâ in Castra sua se recepit. Eodem die *Quingentos* Pedites, & *Quinquaginta* Equites, duce *Christophero Sancto Laurentio*, Niselerathum in Præsidium misit; & omnia Itinera obsedit; locorumque opportuna munivit; & Crebris Incursionibus consectari Vagum hostem intendit. Interim *Tyronius*, viribus diffidens, Nuntium ad *Proregem*, Henricum *Hagaunm* cum Supplicibus Mandatis iterum mittit. Cum renuntiata Postulata essent, *Essexius*, Convocato Consilio, adhibitis Tribunis & Centurionibus, *Tironium* cupidissimè *Misericordiam Reginæ*, & delictorum suorum Veniam expetere, ostendit. Illi non temerè repudiandum judicant, nisi cognitis Postulatis, atquè eorum Iniquitate perspectâ. Exin ad Vadum *Bataclinchi* fluminis *Tironium* equo insidentem, in adversâ Ripâ obvium habuit, demisso Vultu, & Voce Supplici Veniam petentem; & haud procul, Equitum Præsidium, ac inconditum Agmen. Tum progressus *Tironius*, ut audiri posset, salutat, & salutatur. Conventum dehine, quot Colloquio Ipsorum assisterent. Lecti ab *Essexio Southamptonia Comes*, *Bourcherus*, *Varhamus*, *Santlegerius*, *Daversius*, *Vingfeildius Constabelius*, Primores Equestris Ordinis. à *Tironio* evocati *Cormachus* frater, *Mac-Genisius*, *Mac-Gnirius*, *Mac-Culeus*, *Oringtonius*, & *O-Quinus*, Præpotentes *Reguli*. Et postquàm digressi cæteri, *Essexius*, cum suis in Ripâ astitit. *Tironius*, ut Humilitatem suam magis probare posset, ad Colloquium in Fluvium prosiluit; & diversè orsi sunt. *Essexius* Potentiam *Reginæ*, Opes Regni, Regij Nominis Amplitudinem, Fortunam belli, Subactos *Momoniæ* & *Lageniæ Rebelles*, ne *Vltoniæ* Subsidio venire possent; Direptos & vastatos Classe *Iberos*; longinquam Auxiliorum externorum Spem; Meritum extremum Supplicium ruptorem tot fæderum; oblitum beneficiorum *Reginæ*; Verum Deditionem Facienti, paratam *Clementiam*, *Benignitatemque*; Ipsi liberum, Vim vel Gratiam experiri. Ad ea *Tironius* placidè ac benignè, pauca, pro More suo, verba fecit, Se id Bellum suscepisse, non Inditio aut Voluntate suâ, sed *Regulorum* coactu, recuperandæ Communis libertatis Causâ; Communi Consilio resistere non potuisse; Nihil Medium inter Imperium ac gloriam, aut si recusaret Mortem. *Regulis* verò Belli Causas esse, Fas Patriæ, Religionem Avitam, Immunitates ademptas; Gravia Onera imposita; sinè fraude parere *Reginæ*, honestis Conditionibus, suum in animum induxisse; aspernantibus Pacem Regulis Auxilium negare decrevisse. Nequè se adeò imperitum rerum *Anglicarum*, ut suis minutis Copijs *Angliæ* Vires se vincere posse confidat. Denique orat, ut omisso utrinque Bello, per *Apocletos de Pace*, *vel Inducijs* disceptarent. Dubitanti *Essexio*, an Violatorem Fidei, Pactione Salutis reciperet; vel Armis prosequeretur? multa simul animo observabantur, *Pax* ignominiosa; *Bellum* anceps; *Formido* ex Reginâ; *Ludibrium* apud Inimicos; *Perfidia* ex Regulis. In tam ancipiti deliberatione properè Consilium habet; in quo Nemini dubium videbatur labare *Perduelles*, petendæq; Pacis vera Consilia agitare. ex Consilij Decreto, Deditionis Conditiones dijudicandas *Principi*, & *Senatui* remittit. *Sex hebdomadum Inducias* paciscitur; dum *Ver* adolesceret redintegrandas, ut proximâ Aestate, si rursùs bellandum foret, Bellum patraret; apud Plures prosperâ, apud Alios sinistrâ famâ. Quibus rebus perpetratis, disperso Exercitu, *Dredacham* retrò concessit. *Tironius* Interiorem *Vltoniam* repetit.

Intereà per literas, ab Amicis ejûs, *Londino*, fit certior *Essexius*, datum *Cæcilio Orphonophilacium*, sibi antè à *Reginâ* destinatum, ut in eo Munere commodè posset Rei Familiari prospicere; Calumniam sibi à *Cæcilio* apud *Reginam* conflatam; sequè per Invidiam Inimicorum partæ jam gloriæ abstrahendum; Obliquè ab Inimicis perstrictum, quod contrà decus *Anglici* Nominis, *Hibernos* Comitate ac huma-

ac humanitate nimiâ coleret; quod Veterrimis Ductoribus Ordinum exauctoratis, loca eorum Clientibus attribueret; quod minùs acriter *Tironio* instaret; quod nec Armis, nec Deditione, pro gloriâ Regni, aut dignitate *Reginæ* Bellum conficeret; quibus Injurijs, Contumelijsque suprà modum concitatus, & quasi furore percitus, Affectus cohibere non poterat, Vir magni & præstantis Animi in alijs Artibus: quam rem Alij in Superbiam, & Contumaciam vertebant; Alij bonum Ingenium Contumeliâ accensum, differebant. Mihi satis exploratum, Illum magis recenti honore *Cecilij*, quàm injuriâ suâ excruciatum; Neque tàm anxiè Laturum fuisse, si *Custodia Pupillorum* Cuivis potiùs, quàm *Cecilio* traderetur. Missisque ad *Reginam* epistolis, non sine apertâ Adversariorum insectatione, Maledictisque, Queritur se Inimicorum Dolis in *Hiberniam* ablegatum, ut rebus Novis locus patefieret; Fructu laborum, Expeditionumque Præmijs privatum; & Falsis Suspitionibus oneratum. Concludit, omnes suas Spes, in Innocentiâ sitas; Cecidisse in Irritum labores, Discrimina, atque Majorum plurima, & maximè Illustria in rem *Anglicam* Merita, si Præmia Virorum Fortium assequantur Indigni homines, evertendæ reipub: Authores. Succensuit Altercationibus insolentissimis *Regina*; rescripsit, Pulcherrimam Occasionem rei gerendæ adversùs *Rebelles* amisisse; damnosas in *Momoniam* & *Ofaliam* Expeditiones suscepisse; *Southamptonium* Equestribus Turmis, Ipsâ inconsultâ præfecisse; Consensisse *Inducias*, inutiles Reipub:, & sibi indecoras; Id quod primum promiserat, se celeriter in *Vltoniam* iturum, non ambiguè distulisse; Factum Infinitum Sumptum in rem Militarem nulli omninò usui Reipub: fuisse. Semper posteà plenior solito Curarum & magnarum Cogitationum *Elizabetha* fuit. Deio paucis in Consilium adhibitis, *Essexij Inimicis*, & æmulis, sermo cæptus à *Reginâ*, qualem Suspicio & Timor Muliebris gignunt. Queritur trepidam sibi Vitam, suspectas Inimicorum in suou Insidias; Id sibi maximè Formidolosum; Privati hominis Nomen suprà *Principis* attolli, Nullo Nominatim compellato, neque tamen dubitabatur *Essexium* designari. Talibus Curis exercita, multa sevæ Cogitationis Inditia detexit. *Cecilius*, premendi Inimici Occasionem nactus, quâ nullam se unquam aptiorem & commodiorem habiturum confidebat, Criminationibus subdolè confictis, & quibuscunquè poterat Artibus, Odium *Reginæ*, & Metum intendit; Crimina *Majestatis*, & haud occultam *Regni Cupidinem* Prioribus Suspicionibus adijcit; Jactationem Virtutis, atque navatæ operæ, in Memoriam revocat; Mores, Instituta, Nimiam ejus Popularitatem, Vagam Libidinem, Potentiæ immensam Cupiditatem, atque Ordinem totius Vitæ infamat. Muliebre Consilium ex intimâ *Elisabethæ* Amicitiâ assumit, quo facilius perverteret; & vigilem Propugnatorem Reip: se præfert. Quibus Calumnijs asperatam *Reginam* mox patuit. Igitur *pavore* examinis, & *Suspitione* anxia, *Nottingamium* & *Cecilium* statim accire jubet; quibus solis Consultoribus in rebus gravioribus utebatur: tum ijs certissimum sibi, & Reip: ab *Essexio* imminere excidium ostendit; sive Imperitam Plebem armaret; vel Militem in *Hibernia* accenderet; sive in *Cambriam* pervaderet, quod contrà Subsidium sibi, nisi quod Ipsi compararent. Tum *Cecilius* majoris & Prudentiæ, & Solertiæ hujusmodi verba locutus est. Maximè vellem *Serenissima Princeps*, Remp: quietam esse, & Majestatem vestram salvam; sed eo jam ventum est, ut Salus Vestra, & Publica periclitentur; nisi homo Naturâ turbulentus, *Procerum* studijs, validis Clientelis subnixus, quandò nullis beneficijs placari, nullis honoribus satiari, nullâ Veniâ mutari posset, tollatur; ejusque Morte Otium domesticum stabiliatur. Equidem ad eum concurrere video homines Audaces, Improbos, Prodigos, flagrantes Inopiâ, & Cupidinibus, Scelerum Conscientiâ exagitatos; quibus Quies in Seditionibus, in Pace turbæ sunt. Hi Comites, Clientes, & Satellites, ad subvertendum Imperium. Video etiam Magnitudinem Periculi, si infenso Exercitu Ferro & flammâ *Angliam* invadat, & cum fortibus Amicis *Regiam* obsideat: Neque mihi satis Consilij intenta Mala prohibere: majoribus *Præsidijs* & Copijs oppugnatur Resp: quàm defenditur; Nunc Pax & Quies Reip: disturbantur palàm; nos Metu periculi, Cunctatione & Segnitie tempus terimus; & Verbis per Nuncios ac Literas Arma tentamus. Quanto, me hercule! avidius Pacem petierimus, tanto bellum acrius erit; cum intelliget se Metu magis quàm Amore sollicitatum. Proindè festinandum censeo, Quoniam *Essexius* Exercitum, privato Consilio, citrà *Reginæ* & Senatus Auctoritatem, ad Urbem ducturus videtur. Uti *Nottingamius* Maris Præfectus, rei Militaris per universam *Angliam Vicarius* constituatur, *Regina & Regno* præsidio sit; Dilectusque Militum toto Regno habeatur, *prætento Metu Classis Hispanicæ*, contrà eos, qui, Conjuratione palàm factâ, legitimum Imperium aspernarentur. Cum hæc, aut hujusmodi, per speciem Consulendi Saluti Communi, *Regina* auribus inculcasset, Illa, ut *Cecilij* sententia quàm citissimè Executioni mandaretur, imperavit; egitque gratias Ambobus, quod Officio in se & Rempub: certarent; quod pro Communibus Commodis adirent Inimicitias, & subirent, pro Repub: Tempestates, in periculosis & asperis temporibus. Itaquè quod in Tumultu fieri solet, Dilectus extrà Ordinem, non in Urbe tantum, sed totâ Angliâ habiti. Terrâ Marique trepidatum; Navium, Militum, Armorum paratu strepere Provinciæ; affluebant *Peditum Quadraginta, Equitum Quatuor Ferè Millia*, partim Levis Armaturæ, partim Cataphracti Equites. *Nottingamius*, Infensus *Essexio*, recenti Irâ & æmulatione pravâ, comparatis ijs quæ ad bellum necessaria erant, omnes Copias *Londinum* convenire jubet; Concurrentes per Vexilla, & Turmas componit, More & Ordine Militiæ; *Reginam* Militibus, & *Reginæ* Milites commendat. Lustrato Armatorum Agmine, *Dilectus* omissus est, exauctorati Pedites, & domum dimissi; retenti adversùs subita pericula Equites, & Urbana Juventus; attonitis jam

1599. jam omnibus, & quorsùm ista tenderent pondetantibus. Subidem tempus, *Essexius* Reginæ literis incensus, & ambiguus Consilij, *Num imperfecto adhuc bello, Hiberuiâ decederet, &* Angliam *invaderet*; *An Gratiam Reginæ, ac studium Plebis repeteret?* Per Amicorum literas, Nuntiosque fit certior, Consilia adversùs suum Caput in *Aulâ* agitari; Militum *Dilectum*, per totam *Angliam* haberi; armari Plebem, & disciplinâ institui per homines peritos rei Militaris. Advocat Amicorum Consilium, frequentesque convenêre, propter Famam ac Expectationem Literarum. Recitatis Literis, quid sit agendum consultat. In ancipiti Curâ duæ Sententiæ distinebant; *Southamptonius*, Præfectus Equitatus, longè tum accerrimus juvenis, properandum in urbem censebat; tentandam *Reginæ* gratiam; sinè Vi, Cæde, & Sanguine sananda Civilia Vulnera; id enim tutius, & ad famam honestius; Nihil adhuc inexpiabile admissum; Nequè Suspiciones imbecilles, Calumnias Inimicorum, aut falsos Rumores ab exauctoratis Militibus in Urbe temerè dispersos, pertimescendos. Quod si regrederetur resistentibus Inimicis, *Civile bellum* injustum & periculosum incipi, infirmis Viribus, adversùs Florentis Regni *Opes*, & *Regij Nominis* Amplitudinem; Nec duraturos in Officio Centuriones, Militesque Mercenarios, apud quos Amor & Obsequium in *Reginam*, privatis Affectibus flagrantius. Contrà deterrimus quisque Clientum, & *Christopherus Bluntus*, Equestris dignitatis, ob Matris Conjugium ex intimâ Comitis familiaritate, & omnium Arcanorum Arbiter, differebat; Non eundum ad *Iratam Principem*; utendum Occasione; occurrendum Armis discrimini; Nobilitate, Plebeque suffragantibus, prompta illi Militum studia; dum Inimici cunctantur, invadendam *Angliam*, occupandam *Regiam*; rebus perturbatis faciliorem aditum ad opprimendos Adversarios, Nihil in discordijs Civilibus Festinatione tutius, Morâ deterius; Proindè festinandum intrepidè, ut studium *Procerum & Plebis* coràm experiretur. Si Privatus rediret, Causam apud Inimicos Accusatores, & Judices dicendam. Hanc Sententiam fovebant multi, qui Turbida ac periculosa, quàm Secura & præsentia malebant. Nec Diu cunctatus *Essexius*, *Southamptonij* Comitis Sententiæ accessit; Omnia tolleranda esse statuit, quoad sibi Spes aliqua conservandæ Dignitatis relinqueretur; & Jure potiùs disceptandi, quàm belli gerendi. Itaquè præmissis Literis ad Amicos, datisque occultis Mandatis, per quæ *Principem* mollirent; *Dublinensi Archiepiscopo*, & *Georgio Cario*, Equestris Ordinis, Quæstore Aerarij, summæ rei admotis, ac adscitis paucis Amicis & Clientibus, Viris fortibus, clàm *Provinciâ* decessit. & in *Angliam*, Vigiliâ *Sancti Michaëlis*, trajecit; lætitiam & Gratulationem vultu præferens, Animo anxius. Et petitum se Criminationibus ab Inimicis & Invidis gnarus, propè incredibili Celeritate, à *Chestriâ* occultus *Non-Such*, id loco Nomen, æstivum Palatium, ignaris omnibus Adversarijs pervenit, ubi æstivare quotannis *Elisabetha* solebat; *Cubiculum Reginæ* reserat; placandi gratiâ, & purgandi sui causâ genibus accidens, protendens Manus, Veniam supplex deprecatur. *Regina* inopinato Adventu inhorrescens, in deprecantem verba contumeliosa Muliebriter effudit; *Proditorem, ac Regni Interceptorem* ferociter clamitans; atquè à Conspectu suo secedere properè jussit. Ad ea *Essexius* submissè respondit, & obtestatus est per Misericordiam, per Sua atquè *Majorum*, anteà fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sese haberet; Nequè *Calumnijs* Inimicorum temerè crederet. Sed plus apud insensum animum valuit Offensarum, quàm Meritorum memoria; nec Defensioni locus, quanquam Supplices Manus tenderet, humi stratus, ac *Matronæ Nobiles* quæ aderant, pleræque, precibus intercederent, ut Supplici Ignosceret. Ubi ita asperatam *Reginam* vidit, & obstinatam, ut nequè Vultu, nequè Voce precibus gratiam elicere potuerit; Nequè occultas Inimicorum Calumnias, quibus criminabatur, purgare; Ipse Reditum suum tàm suspectum haberi indignanter ferens, infenso Animo Cubiculo discedit; rogans, cum Gratiæ locus non esset, ne *Beneficium Subditi* adimeretur. Non deerant, qui crederent, gratiam quam petebat impetrare potuisse, nisi obstinatius, contrà fas disciplinæ Aulicæ, & Morem Obsequij, *Reginæ* nondùm amictæ Thalamum Ocreatus temerè intrasset. Sed meâ quidem sententiâ, jamptidem invisus, Turbine Fortunæ in Exitum ejus imminentis tapiebatur; ut satis patuit ijs, qui *Principis* Offensas altius & acrius speculabantur. Tum, *Reginæ* jussu, in *secretâ Palatij parte* asservari jussus, & Aulâ exire sinè Licentiâ prohibitus. Summissi *Exploratores*, qui Facta, Dicta, Nutus, & Congressus ejus notarent. Hic omnibus Insidijs tentatus Elicientium Cogentiumque ad quærelas, nullam unquàm Occasionem dedit: Custodes adhibiti nihil triste in Verbis ejus aut Vultu deprehenderunt. Postremò interdictâ Aulâ, *Thomæ Egertonio*, Equiti, Magni Sigilli Procuratori, in Custodiam traditur; adempto proprio stipatu. Is magno & acri Ingenio Vir, *Essexium* per Amicitiam monuit mitibus Verbis, ut se *Reginæ* submitteret; neu animum super fortunam gereret; Plerumquè *Regum Voluntates*, ut Vehementes, sic Mutabiles. Atque ut Nubium interjectu Solis Lumen nunquàm ita obscuratum, quin aliquâ ex parte appareat; Ita paratam ptivatis Offensionibus *Reginæ* Clementiam, si Obsequium & Pænitentiam profiteri velit. Respondet, *Illam*, Fraude Inimicorum, ita abalienato animo esse, ut nullâ Observantiâ, nullis Officijs mutari possit. Quod si *Regina* fide ac Obsequio sibi satisfieri patiatur, se operam daturum, ut Observantiâ & studio ergà Eam à Nemine vincatur. Accesscêre Aulici, Cogitationum *Principis* periti, & multi Equites, ac Senatores, qui Operam suam in peragendâ Excusatione *Negligentiæ*, aut *Erroris*, offerebant; suadentes, ne Contumaciâ, & nimiâ jactatione Virtutis, atquè Operæ, exitium provocaret. Ingerebant identidem, Ferenda *Regum* Ingenia, quibus Deus Immortalis summum Imperij fastigium dedit; & Subditis solam Obsequij, & Modestiæ gloriam reliquit. Sed *Essexius*, in

maximis

maximis Tempestatibus & Procellis, Iræ jam quàm Timori proprior, animum adversùs suprema obfirmavit. 1599. Undè magna Animorum Mutatio *Londini* secuta est: cum pleriquè *Essexij* Vicem dolerent, ac palàm multi laudarent Fidem, Vigilantiam, Probitatem, Invictum animum, res gestas, Regnum illius humeris sustentatum: Alij adversarios ejus Probris omnibus, Maledictisque vexarent, ac Famosis Libellis contumeliosè lacerarent. Lætè Inimici & Aemuli acceperunt, Comitem intempestivis Amicorum blanditijs, ac sua Sponte præcipitem ruere; & de *Famosis libellis* in celeberrimis Locis propositis queri cæperunt. Nec difficiles ad audiendas querelas *Regina* aures erant: Itaquè, ejus jussu, *Egertonus*, in *Camerâ stellatâ*, magnâ Nobilitatis frequentiâ concurrente, Rumorum Temeritatem, Mendacijs conflatam Calumniatorum Maledicentiam, Libellorum Perfidiam & Malitiam, graviter redarguit. Exposuit *Regina* in tuendâ *Hiberniâ* Curam, ac Industriam. Hoc Anno, *Essexia* Comitem, ex Authoritate Senatus, *Tironio* hosti oppositum, Negligentiâ aut Errore in bello *Trifariàm* peccasse. Primùm, quod, neglectis Mandatis, Expeditinnem in *Vltoniam* distulisset; Deindè, quod *Inducias*, nequè sibi honestas, & publicè Ignominiosas, pactus esset; Postremò, quod rebus in *Hiberniá* non cnnstitutis, injussu *Regina*, cum Satellitibus redijsset. *Baro Buchurstus*, ærarij Quæstnr, in *Burlei* locum substitutus; *Notingamius* Maris Præfectus, haud dissimilia dissetuêre. *Cæcilij* in Sententiâ suâ dicendâ Acerbitas, profuit magis *Comiti*, quàm obfuit. Hæc relata non vehementer ejus animum commoverunt, eoquè magnam Pietatis & Patientiæ Famam, etiam apud æmulos, consecutus. Ubi cnmperit, quosdam studiosos sui cnnjurasse, ut Vi, & Armis è Custodiâ eriperent, Conatum prohibuit. Multitudinem quoque tumultuosius, velut in Domestico Communique Mærore, confluentem, miserantemque, ad Pedes *Regina* jacentem, Supplicum voce prohibirum, Nuntijs monuit, ut desinerent isto morbo Procacitatis uti, ad dedecus Imperij, & sui discrimen. Ita importunos Turbæ clamores sedavit. Crebrò, per eos dies, alij Amore, & fide; Alij rursus livore & Odio, principem extimularunt. *Regina* hinc Calumnias Criminantium; & indè Preces Amicorum, Errorem excusantium, audijt. Haud fallebat *Elizabetham* Moles Cognitionis *Essexiana*, quâque Ipse ancipiti famâ distraheretur. Igitur paucis Consiliarijs adhibitis, & Regni Judicibus, *Thoma Egertonio*, Sigilli custode; *Ioanne Pophamo*, Supremo rerum Capitalium Judice; *Eduardo Coke*, Procuratnre Regio; postulat, an Crimine Majestatis teneatur *Essexius*, quod de Provinciâ decesserit; non impetrato Commeatu, Exercitum deseruerit; Mandati Fines excesserit; & Licentiæ Militum indulserit? Agitque de Imperio ei abrogando. Ibi cum diu Contrarijs sententijs certatum esset; & magna pars Senatus, Principe ejus Sententiæ *Ioanne Pophamo*, censerent, Jure recepto apud *Anglos*, Contumaciæ, & *spreta quidem Majestatis teneri*; *læsa non item*. Sed ut intelligi pnsset, quàm incertæ sint res humanæ, non erit abs re cognoscere, quod fuerit Præmium Meritis fortissimi hominis persolutum. Belln tam fortiter & fæliciter administrato, ac *Tironio* in deditionem accepto, indictâ causâ, per seditiosæ factionis *Triumvios*, Hibernici exercitus Imperium *Essexio* abrogatur; & *Ormundio* rursùs permittitur, cum Titulo *Generalis Exercitus*. Amici ex Provinciâ, Præsidioque revocantur; magnâ Populi, & Plebis consternatione, *Cæcilio* haud alieni præponuntur.

Has dissensiones ubi vago & incerto rumnre cognovisset *Tironius*, nihil reveritus *Fœderis* Sanctitatem, & *Iurisjurandi* religinnem; pensitatis suis & hostium viribus, non aliam opprimendi *Anglos*, inter se discnrdes, Occasionem aptiorem futuram ratus; invalido eorum Exercitu, & Rectore destituto; ac amotis de Industriâ fortissimis *Tribunis*, Centurionibusque; *Anglorum Pagos*, nihil hostile metuentes, *fide violata Induciarum*, invadit; Prædis abigendis, & Villarum Incendijs vacat; ac latè fusâ populatione, nihil in eos sceleris prætermittit. Festinandum videbatur, antequàm Novus Copiarum Imperator ad exercitum veniret. *Rectores Hibernia* de Tumultu belli admoniti, consulto Senatu, *Gulielmum Varenum* Equitem, *Tironij* familiarem, contendere ad eum jusserunt, quærique de ruptis Inducijs; ingenti Villarum strage, vi magnâ Pecorum abactâ; & atrocibus Injurijs. Ille exsequitur ut jussum erat. *Tironius* Perfidiæ pietatis speciem præfert, abrogatum *Essexio*, Viro Amplissimo, *Hibernia* Imperium dictitans; cui fidem præstiterat suam, & honestas Conditiones pepigerat. Hoc responsum *Inimici Comitis* statim in Præjudicium, Opprobriumque arripuerunt, quasi Infestis & feris *Vltonensibus* occultè favisset. Cæterum, *Tironius*, rebus prosperè in *Vltoniâ* succedentibus, *O-Nelius* à suis appellatus, quod est summi fastigij Vocabulum. Pari fiduciâ *Momoniam* ingreditur, ut populum ibi conciret, corruptisque egentibus, & perditis, ad Societatem Armnrum, *Primores* Minis, precibus & Magnificis pollicitationibus, ad *Rebellionem* allicit. *Iacobum Fitz-Thomam*, ad dignitatem *Desmonia*; & *Florentium Mac-Carte*, ad Titulum *Mac-Carte-More* provehit; atquè hortatur, ut Religionis & Libertatis causâ, Arma capiant. Pauci *Proceres* corrupti; incondita Multitudo arma rapuit; Salutem, & omnium rerum suarum Custodiam ei commisit. Is Imperium libentissimè accepit, Arces *Procerum* sibi adversantium diruit, Agros ferro flammâque vastavit. Ea res *Dubliniam* nuntiata, *Anglorum* animos dejecit. Regina atrocibus undiquè Nuntijs exterrita, Consilio de *bello Hibernico* habito, *Carolum Bluntum*, Baronem, *Montioium*, acrem Virum antiquæ Nnbilitatis, qui per omnem honestarum Artium Cultum, Adolescentiam transegit, recuperandæ *Hibernia* delegit ducem. Is ad bellum quod gesturus erat, animum dies noctesque intendit; ex Civitatibus & Provincijs *Quinque Millia* peditum, cum Equitibus *quingentis*, Supplementum Exercitui

conscribit;

1599. conscribit; disciplinâ, cultuque *Anglico* ornat; Arma, Tela, Equos, & cætera Instrumenta Militiæ parat; ad hoc Commeatum affatim. Nam in Provinciâ exhaustâ inopes Agrestes; nihil prædæ in Agris; summa Pabuli egestas.

Inter hæc *Legati* in *Angliam*, *Carolus*, *Lanfrancus*, & *Hieronimus Cormanus*, de Pace inter *Reginam* & *Philippum* III *Hispaniarum Regem*, missi; qui Mandata exposuerunt, ut Contentiones *Reginæ Philippique* componerent. Illa se à Pacis Consilijs non alienam commemorat, *si Honori*, *Saluti*, & *Utilitati Regni*, *ac Sociorum* consulatur. *Batavos* verò Fœdere conjunctos deserere, aut aliquid facere, quod sibi dedecori, ipsis fraudi sit, piaculum esse respondit. Quâ re cognitâ, *Batavi* Reginam monuerunt, ne Cuiquam *Iberorum* fideret, in ipso Apparatu belli Conditiones Pacis subdolè tractantium. Quæ res *Consilia Pacis* discussit, & *Legati* redierunt. Tantum Illi in Virtute, ac fide *Batavorum* fiduciæ fuit. Nec Vana Fides extitit. Nam *Triremes* aliquot in Hispaniâ paratæ, instructæque, Consilio *Frederici Spinolæ*, *Genuensis Civis opulentissimi* (sub ejus ductu Auspicijsque, posteà *Sclusam Flandriæ Portum* tenuerunt,) *Anglos Batavosque*, in freto *Britannico* præstolantes, Fato, aut Fortunâ effugerunt; & Terrorem majorem hostibus, quàm damnum intulêre; ut suo loco memorabo.

Sub idem tempus, *Carolus Sueciæ Rex* in Angliam misit, qui Calumnias affectati Regni, contrà Nepotem *Sigismundum Regem Poloniæ*, apud *Reginam* dilueret; oravitque, ut fidem Calumniantibus non adhiberet; Ipsique, ad conservandum sincerum Dei Cultum, Ope & Consilio adesset. *Illa* oravit ut fidem *Nepoti* datam Sanctè integrèque servaret, ne quâ in re contrà Justitiam & *Ius sanguinis* peccetur; aut impia Cupiditas Naturæ gradum transcendat.

Hoc Anno in *Angliâ* Mortalitatem exuit *Ricardus Hookerus*, Devoniâ oriundus, *Oxoniæ* in *Collegio corporis Christi* educatus; Vir omni virtutum, omniumque literarum genere instructissimus, qui raræ Eruditionis Monumentum de *Ecclesiasticâ Politiâ*, patriâ linguâ edidit; quod æternitate dignum, multiplicem ejus doctrinam posteris testatur.

Res externa. Cum hæc in *Britanniâ* gererentur, *Francus* maximis laboribus fundato Imperio funditùs everso, Edicti *Nannitensi* stabilitâ *Pace Ecclesiæ*, Auctoritate legibus redditâ, & extincto factionum fomite, Religionis dissidio, *duas Religiones*, *res insociabiles anteà creditas*, *miscuit*. Edicta contumeliosa contrà *Protestantes* abolevit; eos Bonis, Laribus, famæ, & honoribus restituit, primarijs Regni dignitatibus locum patefecit, *Clero Pontificio* frustrà contradicente; cujus incensum & flagrantem animum Prudentiâ, & Auctoritate coërcuit. *Protestantes*, *Pontificijque*, remittentibus cum tempore Odijs, cuncti in gratiam redierunt; omnem Memoriam Injuriarum Oblivione sempiternâ deleverunt. *Francus* licet eâ ætate fuerat, quæ flagrantes cupiditates Adolescentiæ evaserit; tamen Principalis fortunæ fælicitate, & Orio nimio corruptus, ad *Fœdam Lasciviam*, *Virginum stupra*, *Matronarumque Adulteria descivit*; & in *Gabrielam Estream* Venerem & Libidinem flagrantius transtulit; quæ suæ ætatis *Francicas* fœminas Pulchritudine, gratiâ Oris, & formæ elegantiâ supergressa est; ac Affectui suo obnoxius, Injuriam Mariti, Iram Populi non pertimescens, ob Facunditatem in Matrimonium ducere destinavit, nisi *Mors Estreæ* in Medio vitæ cursu, Conatum improbum prævenisset. Huic Mulieri multæ Corporis & Animi egregiæ dotes contigêre; Claritudo generis, forma decora, Sermo comis, Modestum ingenium. Insitâ animi Moderatione, flagrantem *Principis* Amorem, ad Superbiam, Sævitiam, aut Avaritiam non vertit; nec licenter, More *Valentinæ Pellicis*, apud *Henricum secundum*, per blandimenta & Artes Valescentis, Opes Regni invasit, sed Famam Comitate Affabilitateque sermonis quæsivit; eò chariorque acceptiorque omnibus fuit. Magnus luctus, per aliquot dies, Regiam tenuit; & *Henricus* mærore recenti confusus, publico abstinuit: Venatu, epulis, & hujusmodi Occupationibus, acerbissimi funeris levavit dolorem.

Nec Insidiarum expers permansit. *Honorius*, Mediolanensis *Capucinus*, vetere & laudatâ disciplinâ imbutus, præparatas Insidias, Auctoremque doli detexit. Qui *Luteriæ* in ipso Conatu comprehensus, meritas pœnas dedit. *Rex* per *Legatos* Monacho gratias egit; quod ejus maximè, post Deum, operâ, discrimen improvisum, & *Nefarij Sicarij* detestandum *Parricidium* evasisset, & præmia obtulit; quæ ille aspernatus, non minùs Præmia sibi, quàm Scelera invisa dictitans. Vox honesta, & antiquâ Monasticâ famâ digna.

Iisdem diebus, auditæ *Blesis* Iberorum Legationes, qui ferociter edunt, Violatam pacem; ruptum *Vervineum fœdus*; non mansuram Concordiam, si *Franci Batavos Rebelles* bello Armisque juvarent. *Francus* sibi Pacem curæ esse respondet; repentè, per *Edictum*, suos in *Belgio* militantes revocat, cujus terrore pauci rediêre.

Morte *Estreæ* extinctâ æmulatione; *Margarita*, stirps Nobilis *Familiæ Valesiæ*, Francici Regis vetus Conjux, improbatâ Sterilitate, & longo dissidio, in novam spem venit, ut rursùs assumeretur. Sed intimi familiarium, vetus inter *Henricum & Margaretam* Matrimonium, *Incestum* differuêre; suaserêque ut fœcundam, florentem Juventâ, florentem Claritudine familiæ uxorem deligeret, ad subsidium Dominationis. Prævaluêre hæc, adjuta *Senatus Parisiensis* precibus, ac Votis publicis, apud *Principem*, assuetum luxui & continuis Voluptatibus, quoties vacaret. Nec *Henricus* ultrà expectat; *Pontificis* decretum postulat, quo *Matrimonium inter Eum*, & *Margaritam*, *nullum*, injustum, irritum decerneretur.

neretur. Mox insolubilem Copulam *Clemens Octavus Pontifex*, intuitu *Propinquitatis in tertio gradu*, 1599. *Canonibus prohibita*, diremit; quam *Gregorius* XIII ratam & legittimam sanxit. Nec diù dubitatum, quin *Maria Medicea*, Claritudine generis, spe fœcunditatis, & egregijs animi dotibus, anteiret. præbuit *Rex* aures, & pactum inter Eos posteà Matrimonium, *Principio latum*, Fine *Triste*, & ambiguum.

Per idem tempus, in *Hispaniâ* & *Belgio*, atrocibus Edictis, Commercia dirempta. Solennia Nuptiarum inter *Philippum tertium*, *& Margaridam Austria Valentia*, incredibili pompâ celebrata. In *Pannoniâ* bellum grande & Metuendum instabat, à *Christiani Nominis hoste*. At nullum inter *Christianos* commune Consilium; magnus Metus, ne *Pannonia* sub Nutum Ditionemque *Turcicam* veniret. Interim *Christicola* mutuis Cladibus nobilitari. *Batavi*, incensi memoriâ Crudelitatis, Libidinis, & Avaritiæ *Iberorum*, non solum in *Fortunatas Insulas Atlantici Oceani*, sed in ultimas Regiones *Occidentis* Orientisque, *Philippo* subjectas, plusquàm hostiliter irruerunt; Urbes, Vicos, Templa Dei Optimi Maximi diripuerunt, incenderuntque. Milites, Nautasque, contactos *Sacrilegio*, Lue tabificâ, & sævitiâ Pelagi Numen vindicavit; ab Ipsis autem Ducibus majora Piacula exiget. Nec minorem habuerunt curam Terrestrium Copiarum, quàm Navalium. Accersita Auxilia *Germanorum*, *Helvetiorum*, *& Francorum*, suppletæ Legiones & Cohortes, additæ prioribus *Novem Equitum Turmæ*. apertis Armamentarijs, armandarum Legionum cura *Tribunis* data, qui Tyrones armant, & instruunt. *Edmundus*, Tribunus Scoticæ Legionis, armis exercitus, *Limburgensem* & *Lucenburgensem* Agrum Ferro & flammâ depopulatus est. Prævideruut Impetum hostium *Iberi*, & robur Exercitus; Proindè ad grassandum rati, *Bredam* & *Neomagum* tentarunt, at in ipso Conatu oppressi sunt. Ubi Insidiæ parum processêre, ad Vim conversi. Utramque *Rheni ripam* Catervis Peditum complent; assultantibus per Campos Equitum Turmis, ut hostium vires distraherent. *Mauritius*, cum robore *Batavorum* se hosti objecit. Propugnaculo *Scenkiano*, indè *Neomago* Munimenta addidit; si premi obsiderique contingeret. *Andreas Cardinalis*, *Vicarius Belgij*, Tarraconensis Præfectus, Tribuni & Centuriones, depressis *Batavorum Lintribus*, aperti incautique *Scenkianum Propugnaculum* subiêre. *Mauritiani* Machinarum fragore fulminant, in Temerè subeuntes Faces & Missilem ignem jaculantur. Plerique Telis obruti, aut ambusti; tandem multo suorum Cruore, pulsi *Iberi*; *Bomalam* oppugnare intendunt. *Mauritius*, comperto Itinere hostium, & quid pararent, apud Urbem Castra posuit, Vallum Murosque firmavit, & *Lanovio* Custodiam commisit. Ibi Castra Castris collata sunt; & crebra prælia ab alijs memorata; in quibus *Moravius*, Tribunus Scoticæ Legionis cecidit, ictu Tormenti ænei interfectus. Cujus ductu res egregiæ gestæ; magnus luctus in Castris, magnumque ejus Viri desiderium; quia erecti & excelsi animi, ac Militaris Virtutis specimen dederat. Tandem *Iberi* inter se discordes, relictis Castris, *Bomela Obsidione* discesêre; & non procul ab hoste consederunt. *Andreas Cardinalis*, pudore inconsultæ Oppugnationis, ne irritus Castris assideret, inter *Mosam*, *Vabalimq;* *Munimentum*, loco opportuno, ad *Pagum Rossemum*, exstruit; ut Utriusque Fluminis Navigatione *Batavos* arceret. Suspectum id *Mauritio*; qui exploratis hostium Itineribus, eodem contendit; ibi quoque tumultuaria pugna fuit; Multi cæsi, plures vulnerati; & in his *Briauteus Francus*, *dux egregius*. Nocturnis diurnisque Machinarum fulminibus, *Iberos* eminùs lacessit *Mauritius*; sed cæptum Opus prohibere non potuit. Paucis post diebus, magno Militum ardore, perfectum Munimentum, cui Nomen *Sancta Andrea* impositum; & *Præsidium trium Millium* relictum. His perpetratis in hostium terrâ, *Cardinalis*, è *Bomelanâ* Insulâ, in *Brabantiam* redijt: *Batavique* in suos se receperunt fines.

Inter quæ *Albertus cum Isabellâ* Conjuge *Belgium* repetit; obvij *Belgarum* proceres, Tribuni, Præfectique, Comitatui se miscuerunt. Introitus in Urbes insignes, parata Pegmata, Spectacula, Convivia, & cætera Populi ac Plebis studia ostentantia, referre piget. Initio Novi Principatus, *Albertus & Isabella*, ob utilitatem publicam, ad Concordiam instaurandam viam quærunt. Literis ad *Reginam Anglorum* demonstrant, se, positis armis, Tumultus velle sedatos, & pristrinum *Fœdus Burgundicum* velle renovatum. Illa, *Franco* Authoritatem suam interponte, instaurandæ Concordiæ rationem si offerrent, Conditiones honestas non recusavit.

NEc omisit per hos dies *Cæcilius*, crebris Nuntijs, cum Literis & Mandatis eodem spectantibus, 1600. de *Pace* agere; gnarus premendi *Essexij* gravissimâ ruinâ Occasionem aptiorem Futuram, si bello absisteretur. *Iacobus*, animo gaudens, & Curis liber, cuncta Consilia ad decorem *Regni*, Pacis Artes, & Pietatis studium convertit; ut dignus *Successione Anglici Regni* crederetur; Clementiâ & Benignitate *Imperium* temperavit; *Proceres* Regio apparatu excepit, & prosecutus multâ Comitate, sinè Luxuriâ. Ea ipsa remissio animi, Nobilitati Plebique juxtà chara. Nunquàm res *Scotica* magis tranquillæ; Pax, Concordia, Securitas, Opes, valent Leges; sincerus privati ac publici Officij tenor servatur.

At repentè, præter spem omnium, incidit in hæc tempora *Tragici sceleris exemplum*, quod priorum Temporum cuncta scelera superavit. Initium & causa penes *Gaurium*, ut rerum Scriptores referunt. *Pater Comitis Gaurij*, in Adolescentiâ, Regis publico Majestatis judicio damnatus, Capite luit (ut suprà memoravi) *Rex* Principali Misericordiâ, liberis Jura, & Prædia paterna concessit; quod Nobilitati Plebique juxtà gratum. Filius paternæ Infamiæ memor magis, quàm Obsequij, & tot Beneficiorum

1600. ciorum *Principis*, infensus eâ re, Occasione oblatâ, Paternam Cædem *Innocui Regis Sanguine*, ulcisci decrevit. Sed id apertâ Vi sine discrimine fieri non poterat. Dolo erat grassandum. Itaque cuncta Insidijs opportuna disponit; cum *Alex: Fratre* clàm in Colloquium venit, fideque ab eo acceptâ, modum patrandi Facinoris edocet; Tempus Locumque circumspicit; ei in Societatem sceleris adjungit *Andream Henrisonum*, Clientem suum: Incertum, an gnarum Conjurationis. Facinore peracto, se utpotè Urbi Præfectum, in summâ potestate futurum; Saluti quoque ejus prospecturum spondet. *Alex: Ruvenus*, minor Natu, decorâ Juventâ, Formâque egregiâ, sed animo subdolo, Consilio ejus obtemperat. Ad *Regem*, *Falcolandia*, circà Venationes occupatum, Authore Suasoreque Fratre, incredibili Celeritate pergit. Impetrato aditu, ut de re magnâ, quæ erat de Rep: & ad *Regis* statum pertinebat, convenire liceret; insolitâ Humanitate, mente turbidâ, & demisso Vultu, expromit rem se miram detexisse, ad quam penitùs explorandam, Ipsius *Regis* operâ opus esse. Tum præparatâ Oratione infit, Inambulanti sibi *Perthi*, oblectamenti gratiâ, obvium factum Ignotum quendam, Palliolatum, Capite velato, Habitu Cultuque omni peregrino; Literas, & Ingentem vim Auri occultare sedulò conantem. Arreptis indè Suspicionibus, quæsisse se, quis esset? undè? quid petens venisset? quid ut ita Veste occulerit? Respondisse Illum, attonito vultu, & Voce confusâ, nec satis constanter: hunc quis esset abnuentem, suâ operâ à Conspectu hominum amotum, & in fraternis ædibus tutissimè abditum, constrictumque, procul à Conscientiâ fratris. Ibi paucis verbis, & sermone ipsius, rem non contemnendam cognosci posse, si properaret. Cæterum, Conjecturam esse, Illas Opes attulisse, ut Proceres ad *Superstitionem Romanam* dilapsos, Cupidine Auri ad bellum accenderet. Igitur *Rex*, Auctoris & ipsius Negotij fide diù perpensâ, Fraudem & sermoni & rei abesse ratus; ac similitudine Veri captus; quod superioribus Annis, ad concitandos in *Regno* Tumultus, ab *Ignatianis* Aurum invectum meminerat; missurum se homines idoneos respondit, per quos rei dubiæ fidem exploraret; Nesciretquè an Vera assereret. Id ejus Consilium valdè aversatus est *Alex:*; & Prece ac Obsecratione humili ab hâc sententiâ deducere conatur; frequenter cohortans, ne cui Mortalium secretum enuntiaret. Incredibilis Contentio Illecebræ; & Preces ejus, non Auri Cupido prævaluerunt, ut *à Venatione* certius responsum exspectare juberet. Ille impatiens longioris Moræ, conquestus est, dubitando, & diem prolatando, Opportunitatem amitti, Profectionem urget. Circumstantes Aulici, gravati longiores secretioresquè sermones, tempus elabi renuntiant; simulque omnes ad dispositos Equos dilabuntur, & Venationis voluptate, maximè purâ, animos delectant. Labor in Venatu, sudor, Cursus, *Principis* cogitationes à rei Novitate non avertunt; sed ab Insidijs nihil timet; remissio animi Suspicionem dempsit; eoque *Alex:* acciri jubet; & Mox peractâ Venatione *Perthum* profecturum edocet. Tum *Alex:*, *Andream Henrisonum*, alterum è Comitibus, quâ posset eximiâ Celeritate ad fratrem properare jubet, ut de *Regis Adventu* certiorem faceret. Ipse interim mæstus, & magnæ Cogitationis, manifestus in mediâ exsultatione multa secùm voluens, *Venationis* exitum opperitur. Tandem *Rex* cum *Levinio*, *Marrio*, & certo Nobilium virorum inermium numero, incredibili propè festinatione, se in Viam dedit, ac ne gladium secùm extulit. In toto Itinere levitate Prodentis antè oculos obversante, & vago sermone, cæpit res esse suspectas; interrogavitque *Levinia Ducem*, qui Sororem ejus in Matrimonium habuit, *an Alex: quandoque Mente fuisset permotus?* ac negotium otiosum, & amens propositum ei aperuit. Ille ipsius negotij Vanitatem admirans, respondet, Juvenem levem, futilemque semper habitum; furere aut Insanire nunquàm audivisse. Igitur *Rex* Auctoris & rei fide spectatâ, metuens ne nimiâ facilitate Credendi Vanæ Orationi notaretur, irridet Auctoris Credulitatem, quasi Nocturnæ quietis vanam Imaginem. Tandem, talem Simulationem Vanitati conjunctiorem, quàm Dolo, aut Malitiæ, secùm reputans; positâ formidine, Obsecratione ipsius *Alex:*, &, Conjecturâ suâ, irriti promissi Ludibrium penes Authorem fore, vanis concitatum somnijs, in Spem haud dubiam inducitur; Vultu lætus, animo anxius, Iter persequitur, in subdoli Juvenis insidis præcordijs *suam* pariter & *Patriæ* salutem depositurus. Cum Urbi appropinquare *Rex* nuntiaretur, in prandio *Gaurius* erat, ac multum processerat; extemplòque disjecto Mensæ Apparatu, quasi *Rex* inopinatus prandenti intervenisset, cum Octuaginta Comitibus, Clientibus, & Civibus, in *Isthmum* obviàm *Regi* progressus, primùm in Oppidum, mox in ædes ducit, introductum in domum considere jubet, donèc prandium pararetur; neque Comiter, neque Magnificè, neque liberaliter à *Gaurio* acceptus est; neque ei honos habitus, qui haberi debuerat. à Prandio *Rex* cum *Alex:* digressus, tanquàm domum visendi studio, quo magis vacuus, prandentibus famulis, Consilium exsequeretur, *Thomam Ereskinum* accersiri jubet, qui charus acceptusque ei semper fuerat, ob fidem Industriamque. Respondet *Alex:* ipsum accitum, statim venturum, ne Cunctetur interim progredi. Nihilominùs *Rex* improvidè ingressus, nec suum periculum prospexit, nec alienam Indolem justâ æstimatione pensavit, gradibus astrictis ad interiora ædificij loca pervenit. Insidiosus ductor, cui solus aditus in domum familiarior erat, Fores à tergo obseravit, ne qua pateret effugium. *Rex*, hoc Casu ultimæ spei, proditus, seque tunc primùm elusum cernens, & Servitijs aditum interclusum, omnibus foribus occlusis, Dolum, Pudorem quoquè, ac Metum egregiè dissimulans, Necessitati cessit. Ubi ad locum abditum, Insidijs destinatum ventum est, *pro Peregrino & Adrenâ vincto, cum stricto Pugione armatus repertus est*, eo animo Consilioque, ut *Regem* occideret. *Rex* ut Insidiatorem inspexit, horridum, hirsutum, Minacem, subijt animum horror, ex gravi aspectu, & Augurio

funesti

funesti diri. Huic tàm nefandum Apparatum, convenientes *Alex:* Mores sequebantur; Contemptus *Majestatis*, opertum Caput, Contumeliosa dicta, truci vultu *Vindictam se paternæ Cadis subindè dictitantis*, & faucibus ejus admoto Insidiatoris pugione, Mortem minitantis. Undiquè Arma, Minæ; sed *Armatus*, discrimine *Regis*, & proprio metu territus, Minis ac verbis temperavit; brachium illius arctè continuit, & impetum immanissimi *Sicarij* languidâ manu cohibuit. Hanc Fortunæ Commutationem, *Rex* notæ facundiæ conspicatus, *Innoxium se Gaurianæ Necis* argui, satis efficacibus verbis respondit, utpotè nondùm adultum, nec Conscium; Liberos honoribus auctos, & re familiari; *Sorores* intimas *Reginæ* Comites; *Fisco* bona addicta, ultrò reddita; *Alex:* intrà intimos Amicos habitum. aptâ Arte dicendi Formidinem occultat; admonetque, *ne hospitalem domum, Sanguine Regis, de se optimè meriti, Furore præcipiti efferatæ Barbariei, pollueret*: nevè scelus faceret, cujus Ultores non deessent tot liberi: liberaret exitio, & æternâ infamiâ florentem domum; & sibimet ipsi consuleret. Si infectum scelus sineret, Fide obstrinxit, se tam impias tàmquè probrosas Insidias nunquàm ulturum; & eodem Amicitiæ loco habiturum. Sed si nihil Sancti, non Fides, non Religio, non Pietas in Deum, non Observantia in Principem, aggrederetur facinus, perniciem sibi totiquè familiæ allaturum. *Insidiatorem Armatum* modò Minis, modò precibus, Promissis allicit, ut ultimo *Regem suum* discrimine liberaret. Oratio *Regis* Parricidam, dirum facinus animo reputantem, suoptè Ingenio mobilem, à Crudelitate ad Clementiam, ac salutarem Misericordiam flexit; & magis placabilem Numinis instinctu reddidit. Nunc tàm pronus ad Miserationem, quàm modò proclivis ad sævitiam, relicto in Cubiculo *Rege*, fide silentij ne hisceret, & reconciliationis acceptâ; datisquè *Insidiatori* Mandatis, ut custodiret, & si falleret, aut hiscere auderet, vitâ privaret; fores occludit, & ad Fratrem minùs placabilem pervenit; eumquè obsecrat, ut adhiberet in afflictâ *Regis* fortunâ Misericordiam; in Familiæ Salute sapientiam; Mentem ad lenitatem revocaret; Inpunitatem, salutemque concederet. Sed triste suffragium habuit, *semel captum Regem dimitti non oportere, inanem spem reconciliationis*. Indè aliquod fomentum procellosi turbinis frustrà petijt, undè totus impetus Tempestatis erupit. *Alex:* digresso, *Rex Armato collocutus*, interrogare cæpit de Insidijs, in perniciem suam comparatis. Adjuvit in imminenti periculo, res seu Casu contracta, seu Consilio Divino. Magnitudine sceleris intellectâ, subijt animum *Henrisoni Insidiatoris* horror, primùm ex *Vultu Ipsius Regis*, & Majestate Oris; deindè Miseratio Fortunæ; & ad pedes *Regis* se trepidum & tremebundum prostravit, ac cruentæ *Conjurationis* nescium proclamavit. *Rex* haud dubium exitium, ejus, secundum Numen, Auxilio, vitavit; & Ille imprimis Auctor ac Tutela *Regiæ* Incolumitatis. Namquè peridipsum tempus, *Sicarius*, compertâ voluntate Fratris, subitò mutabilis, regreditur ad *Regem* truculentior; protinusquè ad Irritamenta Insaniæ suæ revolutus, effugere pænam nullo modo posse denuntiat; & à fratre mandatum, ut jugularetur, ac Manus intentat. *Henrisonus*, scelus & Amentiam *Alex:* exprobrans, nunc Manu, nunc Voce deterruit; eoquè Facto languidiores *Sicarij* nefarios Conatus fecit. *Conspectus Optimi Regis* furiosi hominis Rabiem non continuit; Nihil *Majestas Oris*, nihil dignitas Vultus, nihil preces moverunt, quin ferocius instaret; & *Regem* vincire, servilem in modum, vinculo Fasciæ, *quàm Tibia detraxerat*, insertis etiam *in Os digitis*, conaretur; ne Vocis emittendæ haberet facultatem. *Rex* magis suæ Conditionis, in quâ natus est, quàm Præsentis Necessitatis memor; & magis de gloriâ, quàm de Vitâ sollicitus; postquàm omnia simul deplorata sunt, ultima reperitur, & *vinciri renititur, fures & Latrones feralibus Vinculis coërcendos, non Principes, dictitans; eos Liberos nasci, & haud Vinctos mori oportere*. Interim, pransi Clientes Regij, indignari & tumultuari cæperunt, & *ostendi sibi Regem incolumem* postularunt. *Gaurius*, per posticum dilapsum ementitur, & sequi properè omnes jubet. *Thomas Ereskinus*, suspicari cæpit, eum *Proditionis* arguit; initoque Certamine, Comitum & Servorum frequentiâ diremptí. Inter quæ, *Rex* nihil superesse ratus, nisi ut fortiter moreretur, pertinacius colluctatur; modò ferrum extorquere, modò fauces collidere conatus. Tandem excussis manibus, correpto deductoquè ad Fenestram *Sicario*, Capite Cubitoque exerto, Ministros invocat, Proditionem ingeminans; rapta arma, nudati gladij; Clientes *Regij* in Areâ obversantes, attoniti, Regem petunt; diversos aditus quærunt; clausos effringunt; quà quisque poterat pervadunt, certatim irrumpuntque. *Levinius & Marrius*, magnâ Comitum & servorum frequentiâ, fores ubi ingressus est, petivêre. *Ioannes Ramseus*, Juvenis impiger, & Manu promptus, ignarus loci, quasi præsenti Numine, Manuducente ad *Regem*, in maximo vitæ suæ discrimine fortissimè luctantem, deductus est; à quo *Parricida*, repititis ictibus, per utrumquè latus, Pugione confossus est, nam Pectus tegebatur; ac semianimis præceps per gradus provolutus est. *Ramseus* constanter impavidus mansit, ad protegendum *Regem*. Subit indè *Thomas Ereskinus*, Equestris Ordinis vir, celebri apud suos loco, qui Familiæ gloriam Majoribus acceptam, omni laude cumulavit. & paulò post *Hugo Herresius*, *Medicus* Regius; & *Vilsonus*, *Iacobi Ereskini famulus*, accurrunt, *Sicariumque*, sopitum vulneribus, per Iram conficiunt. Is moriens, edito gemitu, proclamavit *se in Culpâ non fuisse; quia non suâ sponte, sed Fraternis concitatus illecebris, facinori se implicuit*. Hi quatuor, cum confodissent *Alex:*, compotem jam sui *Regem*, penè invitum, in interiorem Thalamum pertrahunt, & foribus coërcent, ut imminenti exitio subtraherent, si subita vis ingrueret. *Gaurius*, cum rumore accepisset *Alex: occisum*, & per aversam ædium partem ejectum, Lymphato similis, furens & exsanguis Cæde fratris, Clamoribus maximis in *Curiales & in Regem* invehitur. Ipse, ac septem dementiæ comites,

1600. comites, galeis armati, in cubiculum Clientibus Regijs ignotum, strictis gladijs irruunt; urgent quatuor protegentes; initoque Certamine vulnerantur *Thomas Ereskinus, & Hugo Herrosius*, dum tuentibus obsistunt; in *Ramseo*, insigni Juvene, spes reliqua; qui nihil quod *pro saluce Principis*, ac patriæ excubare debuit, torpere sibi permisit. Jam *Gaurius* sivè fatigatione pugnæ resolutus, sivè fatali Motu impulsus, submiserat gladium; *Ramseus*, eodem ferè momento, infidum pectus ejus salutari dexterâ trajecit; Ille subindè collapsus, sinè Voce, aut Pænitentiæ Inditio, extinguitur; ut apud *Inferos*, quas meritus est, pænas Immanitatis pendat. Servi consternati Cæde, diffugiunt; magna pars saucij. *Rex*, cum illum interfectum cerneret, & pedibus obtritum, magno metu liberatus est. Inter hæc, *Levinia Dux, & Marrius*, cum turbâ Clientum servorumque, *Dolabris* perfregêre Fores, & qua moliti erant aditum irrupêre ad regem; inopinato jacentis Comitis spectaculo læti; præceptam sibi Ultionem queruntur, prehensantesque Manum, hilari vultu; & gratantes ingenti plausu, improvisum discrimen cruentæ Conjurationis, ac præparatas Insidias perditissimorum fratrum, fæliciſſimè evasisse. *Rex* Cruore, & pulvere luctæ perfusus, ut primùm vacuus à periculo animus, grates Numini exsoluit, profiteturque publicè, se extremo discrimine liberatum, ut Cives æquitate & humanitate debitâ gubernaret. Cæteri soluti Metu, pro salute *Principis* gratias agunt, sentiendo copiosius, quàm loquendo. Recentis Cædis hujus Fama repentè per Urbem primùm, indè quaquaversum pervolavit: repentè Populus universus, furore subito captus, debacchatur; *Rex* à Proceribus & Clientibus in superiorem ædium partem deductus, undè ab omnibus posset conspici, tumultuantem urbanam Multitudinem incertâ existimatione facti, plerisque quid patrassent *Gauriani fratres*, quovè Casu extincti essent, ignaris, repressit. Magistratus ad se vocari jussit; Ipse apud *Præfectum urbis*, & Primores Civium planius omnia quæ acta erant exposuit; *Ruvenos*, Cæterosque Amentiæ Comites, *Vim* parantes, *Vi* coërcitos; & Nefariæ *Proditionis*, pænas mæritas luisse. Quæ audita sunt cum ingenti assensu Magistratuum; Postremò etiam, Clamore universæ Multitudinis, gratulantis, Dei singulari beneficio, Curâ, & Misericordiâ, *Optimum Regem*, Insidijs nefariæ Conjurationis ereptum; & *Conjuratos fratres* publicâ fortunâ extinctos, qui *Principis excellentissima Merita*, Regnum, & Religionem, æterno exitio involuissent; nisi Insidiæ in ipsorum capita, divino Juditio recidissent. Indè *Rex* urbis statum constituit; Multitudinem dimittit; & à Civibus Fidem exigit, Illos perpetuò in potestate futuros. Mox *Gaurij* Sinus excuti jubet; si ulla ulteriora *tàm Cruenta Conspirationis* Inditia extarent. Ibi *Marsupium Magicis devotionibus, Præstigijs, Sortibus, Amuletis, Barbaricis Vocibus, scriptionibusque plenum*, repertum est; quod Continuò gestare solebat, inani spe Securitatis, adversùs fortuita. His actis, domum & *Cadavera interfectorum* Custodiæ urbicorum Magistratuum committit, & tradidit. Ipse *Falcolandiam* concessit, nocturno tempore, cum Clientibus, & non mediocri familiâ. Celebrata in viâ *Principis* salus, & justa Ultio sinè cujusquam quærelâ, hâc de re habitâ. Ubi rumor evagatus, *Henricus Brucius* equum conscendit, persecutusque est *Satellitem Gaurij*, Crudelis facinoris Ministrum, ambiguo Vulgi rumore habitum, Nomine *Toungerium*: & inter Segetes delitescentem interemit. Posteàque diligentius inspectâ Veritate, apparuit ejus Innocentia; damnataque *Brucij* Temeritas. Eâdem Nocte literas ad *Senatum Edinburgum* misit, nunciantes Atrocitatem sceleris, postulantesque *Supplicationes pro Incolumitate decerni*. Supplicationes ad omnia Templa decretæ sunt, sententiâ Senatus, Silentio Ministrorum exceptæ, qui quasi Incolumitati *Principis* infensi, totius Conjurationis Seriem exspectandam indicarunt, an satis Justa Ultio abstulerit. *David Lindesius, Episcopus Rossensis*, Falcolandiâ reversus, & totius rei gestæ gnarus, *Roberti Brucij* execrabilem Temeritatem liberè reprehendit, qui Audaciâ & Pervicaciâ alios superaverat; & Cæterorum diffidentiam incusavit; nec ultrà exspectans, Tubæ signo silentio facto, per *Preconem*, in foro *Edinburgeno*, cum gemitu, non sinè Vulgi consternatione, exposuit, Repertum cum ferro subornatum in *Regem* Percussorem; sceleris hujus *Gaurium* Fratris Ministerio usum; eorum Insidijs *Regem* penè nafariè interemptum; divinâ Ope & Providentiâ, *Parricidarum* sævitiæ sub tractum; ac servatum incolumem; Justam ultionem expletam. Intellectâ magnitudine discriminis, obortæ Audientibus lachrymæ interrupêre Orationem ejus. De hinc illam Ultionem consensu approbant; adeunt Templa; pulsant Campanas; gratiarum Actionem Congratulationemque ostendunt. Cæpto in Urbe Regiâ Exemplo, proximæ Provinciæ Civitates & Urbes, non in *Sacris ædibus modò, sed usquequaque, omni loco, & Tempore*, lætitiam testantur: reliquis *Ministris* salutarem Sententiam *Senatus* secutis, *solus Brucius*, ad vesaniam usquè temerarius, Silentio, vel dubio Assensu, Animi pridem alienati Inditium fecit; ac sibi Causam periculi conflavit; nisi *Mansuetus Rex* Temeritatem Levitatemque contempsisset. At Ille, bonorum omnium Consensu non victus, in Opinione pertinaciter permansit, & adverso rumore fuit. Tum verò *primores Procerum & Equitum* impleverunt *Regiam*, ac supplices ad genua *Regis* procubuerunt, prehensantes dexteram, exosculantesque; indignantes quoque, *non satis esse expiatum scelus sanguine Sicariorum*, clamant nisi Tecta Parietesque, intrà quæ tantùm Furoris & dementiæ conceptum esset, *funditùs everterentur*, Bonaque publicarentur; ad Recordationem Memoriamque *detestandi parricidij*. Sed *consultissimus Princeps* rem integram ad *Comitia Procerum* remisiti è servis posthàc *Thomas Cranstonus, & Georgius Cragengaltius*, Capitali supplicio periêre.

Exin *jussis Primoribus Edinburgum ad Comitia convenire*, Ibidem fraudes hospitum, & discrimen

suum

ſuum explanavit: quod *Henriſono procurante* vitavit; & Lachrymas Audientibus elicuit. *Cadavera* *Gauriorum*, ob inhumanum facinus, Judicio Ordinum totius Regni, omni Ignominiâ affecta, Mors Judicum ſententijs, & Procerum Cenſuræ, non exemit. Diviſa à Corpore Capita, *Edinburgi*, loco maximè celebri, ultrò citròque Commeantium Oculis expoſita, affiguntur. Ac ne qua in Succeſſione familiæ ſpes eſſet, *Nomina ex Albo Procerum traducuntur*; *& Inſignia gentilitia, cum æternâ Nominis Ruvenici* Ignominiâ lacerantur. *Ruveni* omni cum ſtirpe ſuâ Cognomentum mutare coacti; ne recuperandæ dignitatis, per *gentilitatem fratris*, Spem haberent. Qui Exilio etiam damnantur; graviore certè pænâ, quàm conſuetudine *Scoticâ* irrogari conſuevit, *Majeſtatis causâ* damnatis; & omni ſcelerum Contagione inquinatiſſimi, ſingulare merito ſupplicium, in Fratribus & hæredibus maſculis luerent: *Mater, & Sorores* prætermiſſæ. Illud quoquè in *Manifeſti Parricidij* Expiationem ſtatutum, ut *Quinto Augusti*, Anniverſaria Supplicatio à Viris fæminiſquè, in perpetuam Liberationis Memoriam, celebraretur. Qui Dies poſteà, *Regnante Iacobo*, Solennibus ferijs ſervatus eſt; eo defuncto deſijt feſtus haberi, exoleſcente facinoris Memoriâ. Quibus perpetratis, *Rex Henriſono* parcit, qui cruenti Miniſterij Causâ adhibitus, nihil hoſtile edidit. Fortiſſimis Viris, de ſe optimè meritis, refert gratiam. *Ioannes Ramſeus*, Balteo Militari cinctus eſt, multiſque Muneribus affectus, & Inſignibus familiæ adjectis, *Enſis validâ Manu vibratus*, cum hoc elogio, *Hac dextra eſt vindex principis & patriæ*. Hoc ejus meruit Virtus, quæ ſibi gloriam apud poſteros, *& Optimo Regi* ſalutem, in tempore peperit. *Hugo Hereſius* ſimiliter Equeſtris dignitatis Inſignibus ornatus. *Thomas Ereskinus*, ſummi generis, & magni animi vir, pro eximiâ ejus fide ergà *Regem*, Clientela & Operâ ſtrenuè navatâ, ad ultimum uſquè vitæ diem *Dirletonio Gauriano Prædio* donatur.

1600

Jam ne curſus Hiſtoriæ ſæpius nobis abrumpendus eſſet, in hunc locum attexam reliquias *Gaurianæ Conjurationis*, quæ magnâ hominum admiratione, *Octavo poſt interitum fratrum Anno* emanavêre. Deprehenſus quidam è Plebe homo, *Sproteus* Nomine, Scriba Mercenarius, cum literis *Roberti Logani*, *Reſtalrici Comarchi*, *ad Gaurium*, quibus nefarij Sceleris apertè arguebatur, & *Caſtellum ſuum Maritimum*, Vulgò *Fuſcaſtellum*, patrato facinore, tutiſſimum *Parricidis* receptum oſtentabat. Defunctis jam *Logano & Burio ſervo*, qui totius Internuntius, & Miniſter rei erat, ultrò citròque cum Epiſtolis commeare ſolitus, res explorari non poſſe videbatur: prætereà Scriba tàm fælix imitandis Chirographis, Signiſque effingendis, ut veranè an falſa internoſci vix poſſent. Prudentiores tamen Tormentis exprimendam Veritatem duxerunt. Itaquè de *Sproteo* anceps diù quæſtio fuit, diu inficiatus eſt Conſcientiam facinoris Voce, Vultu; propter falſas, & inanes ſuſpiciones crudeliter torqueri videbatur. Sed poſtquàm falſus eſt, *anno ſalutis M. D. C.* Burium neſcientem literas, per Imprudentiam, inter alia Inſtrumenta hæræditatis, *Logani ad Gaurium Epiſtolas* tradidiſſe: quibus perfectis, ordinem totius *Gauriani ſceleris*, Loganum & *Burium*, haud dubiè conſcios, & Miniſtros cognoviſſe, ſeque ſuam magis Conſcientiam, & animi Inquietudinem, dies noctéſquè factum nefarium objectantem, quàm Inditium hominum metuentem, ex eo die rem improbè ac pænè impiè cæla ſſe. Rei Novitas Audientium animos admiratione perculit. Extante jam Inditio, ad Juditium pertrahendum curant. Ibi de ſe cunctâ faſſus, nullam Moram ſupplicio fecit. Religatis poſt tergum manibus, injecto Cervicibus laqueo, circumfuſâ ingenti Multitudine, in *forum Edinburgenum* ad Supplicium tractus eſt. Ibi cum nulla ſpes humana ſupereſſet, neque locus Mendacio eſſet, apud frequentes *Proceres*, & cæteram promiſcuam Turbam profeſſus, ſe Divino Numine, varijs vitæ diſcriminibus ſupereſſe, ut Conſcientiam ſuam, in tanto hominum Cætu ac frequentiâ exonerare poſſet, dum à Tortore corripitur, dum obligantur oculi, dum veſtis exuitur, apparatuſque Supplicij promitur, ſuos Confeſſionis Articulos agnovit, multâ Affirmatione, animique pariter Conſtantiâ. Infirmæ jam valetudinis erat, vegetum Ingenium in vivido pectore vigebat, virebatque, integris Senſibus; & ab Orationis Conſtantiâ, ad ſupremum Spiritum, nunquàm deſcivit. Manare Circumſtantibus Lachrymæ cæperunt, audientibus execrabile facinus; & perniciem nunquam *Bono Regi* propriorem fuiſſe.

Poſt oppreſſam *Gaurianam Conjurationem*, ſalubri & moderato Cultu atquè victu; quieti ſe tradidit; *Georgium Humium*, & *Davidem Moravium* Cenſorem domus ſuæ, Amicorum potiſſimos, fortunæ beneficio, extulit; & gratiâ abuſi ſunt, ad Occaſionem privati Commodi; *publicum Patrimonium* in ſuam rem verterunt; & bona Damnatorum in Fiſcum redacta, invaſerunt. *Moravio*, ſuper alias Opes, *Sconarum Canobium*, vetus *Ruvenorum* Patrimonium, tribuit, non ſinè fremitu Invidiæ. Eorum ampla & Nova Munera, ac Vitia, cum pernicie Reip: conjuncta, ſuo tempore non prætermittam.

Inter quæ, alterum clarum & beneficum Sydus exortum eſt, paterno fraternoque Syderi par; Subſidium *regni Scotiæ* in præſens, & Spes unica hujus Inſulæ, & Imperij gloria in futurum, Opinione *Britannûs*. Faxit Deus, ut humano generi, & *Populo Britannico* diu luceat. *Anna*, æternam progeniem *Penatibus Iacobi* dedit; *duo ſimul maxima Sydera*, eximio fulgore micantia, *Henricum*, *& Carolum*; Duo Minora, *Elizabetham & Margaritam*. Carolus, natus eſt *hoc Anno*, *Fermelinoduni*, *XIX Novembris*; & Sacro Fonte ablutus, hoc Nomen obtinuit. Ipſius Cura *Alex: Setono Præſidi* demandata; Ducis *Rothaſiæ*, & Comitis *Roſſiæ* dignitatem aſſecutus. Per Infantiæ & Pueritiæ tempus, *diu Morbis conflictatus*, Spem Salutis commodiorem in poſterum facere cæpit; & quaſi fælix *Arbor regni* ſucceſſioni ſuccrevit,

1600. succrevit, ut *Principem Regni locum*, vacuum brevi futurum Morte Fratris intercepti, inter prima Incrementa præclaræ Indolis, duri Fati iniquitate, paruo momento maximæ rei expectationem subruentis, occuparet. Igitur te *Deum Opt: Max:* oro, obtestorque, ut fælicibus Auspicijs, ac publicis precibus, cæptum *Britannicum Imperium*, diuturnum, ac stabile *Iacobo rectori, & Carolo Principi*, simul & omni stirpi sit; cum sempiternâ gloriâ apud omnes Mortales, apud Subditos, apud Exteros, & publicæ totius *Britanniæ* salute.

Hoc tempore, cum principium Anni inciperet, x x v *Martij*, communi utriusque Regni supputatione, *Rex* veterem Morem *Kalendarum Iannarij* inchoando Anno revocavit. Cæterum *Conventus ab Ordine Ecclesiastico, Montem Rosarum indictus est*, ad creandos homines idoneos, qui *Ecclesiam* in regni Comitijs referrent, sententiamque publicè dicerent. Ubi *Ecclesiastici*, Certamine ac studijs, ad locum Tempusque condictum, cum Amanuensium Turbâ coeunt. *Synodo* coactâ, *Rex Præsedit*; Nemini Libertas aut sua dubia Modestè proponendi, aut ad ea quæ obijcerentur respondendi, denegata. Res in Controversiam, & disceptationem iterùm vocatur, *Num Ius & fas esset, Ecclesiasticis in publico Ordinum Conventu, Sententiam de Rep: dicere? aut de re profanâ, Civilique, in foro sæculari cognoscere?* Haud Mediocris res in Controversiam adducta est, quæ torquebat *imperitos Adolescentulos*, Contentionis cupidiores, quàm Veritatis. Causa inter Viros, Prudentiâ & ætate graves, diù exquisitis rationibus jactata atque agitata; omniaque quæ ad eam rem pertinerent Argumenta tractata, & inquisita; ut in hoc tandem Congressu confirmari posset. Ea *Cathari*, Exemplis magis, quàm Argumentis & Rationibus conabantur refellere. Deniquè res revocatur ad Suffragia: Argumentisque hinc indè deductis, & justo examine pensitatis; ritè & ordine declaratum est, *licere Ecclesiasticis, in publico Ordinum Conventu suffragia ferre, & de Causis Civilibus, in foro sæculari cognoscere.* Postquàm de *Iure Ecclesiasticæ Potestatis* constitit, actum est *de Numero eorum, qui Ecclesiam in Regni Comitijs referrent; & de Morum Integritate, ac vita sanctimonia, ut os Invidis, ac malevolis* obstruerent. *Clemens Octavus Pontifex Romanus*, duo Diplomata in *Britanniam* occultè misit, ad *Iacobum* hereditario regno Angliæ excludendum, *quibus Clerum Papanum Populumque Iure sacrosancta Potestatis monuit, ut Neminem, quantumcunque Sanguinis propinquitate niteretur, in* Regem *post* Reginæ *Mortem admitterent; nisi ejusmodi esset, qui Fidem Catholicam Romanam, non modò toleraret, sed omni ope & studio promoveret*, &, More Majorum, Jurejurando se id præstiturum susciperet.

Res Anglicæ. In *Angliâ* Auspicante Anno, *Regina* magnam partem Curæ & Cogitationis suæ in *Hiberniam* derivavit; maximisque onerata belli Impensis, in *Rem Nummariam* Industriâ diligentiâque incubuit; *Regia Prædia* Juris controversi, Possessoribus, acceptâ pecuniâ, confirmavit. *Concelatores*, exitiosum genus hominum, in Congressum Colloquiumque admisit; & in Mandatis dedit, ut *Patrimonium Coronæ* repeterent, ac persequerentur, Lite ac Juditio. Hinc Multitudo Litium, & varietas Causarum in *Scacario*; multi locupletes, suas Molestias pecuniâ redemerunt; Obstinatiores in Jus vocati, *ex libris patentibus superiorum Angliæ Regum*, aut reliquis Rationibus *Fisci*, Jacturas & detrimenta rei Familiaris passi sunt. Author horum omnium malorum fuit *Topperius quidam Leguleius*, qui non *Reginæ* utilitati, sed Avaritiæ privatæ studuit; Titulos Ambigui Juris, suo Arbitrio, nundinatus est; & magnas Odij accessiones, Rapacitate fecit. *Regina* excusatione Necessitatis uti Jure potuit, urgente inopiâ Aerarij, Sumptu Novi delectus, & *Hiberniæ* Colluvie.

Interim *Buchurstio Quæstori* dat negotium, ut Commeatus pecuniæque præpararentur, ne qua res expeditionem moraretur. *Montioio* imperat, ut in *Hiberniam* traijceret, & in *Vltoniæ* fines properaret. Ille rebus omnibus pacatis, Hibernâ Tempestate Naves conscendit; & in *Hiberniam*, nunquàm perfidiosius rebellantem, paucis Comitibus trajecit; magnâ spe *Anglorum*, & formidine *Rebellium*: cum propter Naturæ dotes, animi virtutes, Artes egregias; tum maximè, quod cum vigore ætatis, & Proceritate corporis, invictum animum gerebat. Ubi *Dublinum* venit, Adventus ejus fuit celerior omnium expectatione. Ibi recenso Exercitu, *duodecim Millium peditum, & Mille ducentorum equitum*, pro Concione Militibus exponit, quas res, *Reginæ* Jussu, gerere deberet. *Georgium Carewm*, ærarij Militaris Quæstorem, pro Virtute & vigilancia, *Momoniæ*, morte *Thomæ Norritij* vacuæ, præficit. Extemplò apparuit omnibus, non segnirer aut temerè bellum gesturum.

Clemens Pontifex Romanus, ubi eas *Hiberniæ* turbas accepit, *Diplomate suo*, velut Dei in terris Vicarius, apertis Misericordiæ horreis, Rebellibus publicè *Indulgentias* effundit; furentibus stimulos adijcit; Fidem, *Reginæ* & Patriæ debitam, Pietatis obtentu, abrogat; Bellum pro recuperandâ Libertate Justum & legitimum pronunciat; Perfidiam publicis literis confirmat; hortatur, ne ulciscendi *Anglos* Occasionem prætermittant; Ipsique *Tironio*, ejus Militibus universis & Singulis, Plensriam omnium Peccatorum Veniam & Remissionem concessit; ac eandem, quæ proficiscentibus ad bellum, contrà *Turcas, ac Saracenos, & ad recuperationem Terræ Sanctæ*, per *Romanos Pontifices* concedi solita est. *Philippo Hispaniarum Regi* Amicitiam Sacrosanctæ potestatis ita demum pollicetur, si Vi oppressos *Hibernos*, ab *Anglorum* dominarione immunes præstaret. Quod si cunctetur Opem, in ultimo discrimine fortunarum, Amicis ferre, apud omnes gentis Regesque Ignominiam sempiternam ostendit.

Bulla Pontificia.

1600. *Res Hibernicæ.*

Hoc Diplomate Pontificis maximi, Rebelles perciti, & Tubis personantes, in ipsis *Dubliniæ* Suburbijs, Classicum cecinerunt, ad Ostentationem fiduciæ. Quorum *Montioius Prorex*, Vir Naturâ ipsâ moderatus, irrisit inanem Jactationem; & *Tironium* è *Momoniâ* redeuntem, intercipere statuit. *Tironius*, simul ac *Anglicum exercitum*, & Novum Imperatorem in *Hiberniâ* vidit, divisis Copijs, & receptis Obsidibus, abire *Momoniâ* statuit; relicto ibi *Pseudo Desmonia Duce*, ut Defectionem augeret. Ipse cognito *Proregis* Consilio, citato agmine *Sexcentorum* velocissimorum Peditum, qui Equites cursu ferè æquare poterant, in *Vltoniam* regreditur. Haud multum abfuit, quin circumveniretur. quippè Ormundiæ, Toumontiæ, & Clanricardiæ Comites, diversis se Itineribus objecerunt, quibus in *Vltoniam* recursurus videbatur. Ipse *Montiojus* dilectu Viam obsedit, quâ per Provinciam *Anglorum* iter facturus credebatur. *Toumontius* Ripam *Shanoni fluminis* insedit, ut transitu prohiberet. *Clanricardius*, Iter per *Conactiam* clausit. *Ormundus*, cum Veteranis Cohortibus, tergo inhæsit. *Tironius* Ormundum celeritate antevertit, exusto circà omni Agro; incertis Itineribus Obsidentes Vias frustratus est. Interim *Hugo Mac-Guirius*, *Pharmanacha Regulus*, magni nominis, ad Agros omnium qui in *Reginæ* Fide permanserant, diripiendos discurrit; & in prægressas Cohortes, cum *Suntlegerio & Ponerio*, Equestris dignitatis ducibus, apud *Coream*, incidit; ibi magno atquè acri cominùs prælio facto, interfectus est. Eo prostrato Clientes passim fugerunt. Cecidit in eo Conflictu quoquè *Santlegerius*, à *Mac-Guiro* hastâ transfixus. Tandem *Tironius*, desperantibus suis Incolumem evasurum, cum undiquè claudi diceretur, per Avia Saltuum, ac Solitudines elapsus, ad *Ennium Amnem* magnâ celeritate contendit; transgressusque in *Vltoniam* pervenit. *Montiojus*, cognitâ *Tironij* fugâ, *Dubliniam* reversus, de Pace belloque consultavit. Primùm omnium, Itinerum Duces in *Vltoniam* præmisit, ut explorarent *Tironij* Copias; ubi Castra locaret; quæ loca Præsidijs occupanda; quandò, aut quâ parte intranda *Vltonia*; Lacum *Foylum*, *& Balyshanonam*, propè Ostium *Erni Lacus*, opportuna *Vlterioris Vltoniæ* loca distrahendis *Rebellium* Copijs, Præsidijs *Quatuor Millium* firmavit, *Henrico Docreo* Duce: & duobus Equitibus *Anglicanis*, *Mathæo Morgano*, *ac Ioanni Boultsio*, peritissimis belli, Equestres Turmas commisit; qui Fidam & diligentem operam in perdomandâ Provinciâ posteà præstiterunt; ac Iter in *Interiorem Vltoniam* patefecerunt. *Momoniæ* Castella Novis Copijs instruxit; Insolentissimos *Rebellium* spiritus, in *Ophaliâ*, contudit; Nec, ut Mos erat, exactâ æstate Copias reduxit, sed æstivo atquè Hyberno tempore juxtà pressit; & *Biennio* Finem *Hibernico bello* imposuit. Quod si priores Duces tantâ ratione, ac Constantiâ egissent, non expugnata Præsidia, non tot Clades fortissimorum Ducum, non vim illatam toties Provinciæ vidissemus. *Mense Majo*, Prorex Signa *Vltoniam* versùs promovit, ad persequendum *Tironium*, ne Munientibus à tergo, *Docreo & Morgano*, ad *Lacum Foylum*, & *Ballyshanonam*, impedi mento esset. *Moyrum*, locum Rebellium Insidijs naturâ opportunum, & transitu difficilem, prætergressus, *Neurium* pervenit. Ubi *Comitis Southamptonij*, & *Oliverij Lamberti*, Majoris Præfecti adventum opperiens, fit certior, *Tironium* Copias à *Lacu Foylo* avertisse; Vetus Munimentum ad *Nigrum Fluvium* diruisse; *Armacham* combussisse; Castra propiùs *Moyrum* novisse; Ibiquè collocatis Insidijs, & extructo agresti aggere, *Southamptonium & Lambertum* ex improviso aggressurum. Igitur *Eduardum Blanium*, Centurionem, cum *Quingentis* expeditis Peditibus, & *Quinquaginta* Equitibus, properè præmisit *Southamptonij* Auxilio; seque eodem confestim venturum confirmavit, ad hostes repellendos, si Pugnæ copiam facerent. *Blanius*, Paruo post se intervallo in Itinere relictis Peditibus, conscenso equo, cum paucis suorum, *Dundalkiam*, ad Comitem venit; edocetque hostium destinata, *Proregemque* cum Exercitu brevi affuturum. Itaquè distributis Cohortibus, *Moyrum* versùs omnes processerunt. Cum Major pars primi Agminis Vadum intrasset, *Blanio duce*, Rebelles ex utrâque parte subitò sese ostentarunt, atquè iniquissimo *Anglis loco*, septo agresti Aggere, ex Saxis & Cespitibus, prælium committere cæperunt; Novissimosque tentare, & primos egressu Vadi prohibere. *Angli* Munimenta animosè perrupêre, & pulsis hostibus, Iter patefecerunt. Interim *Montiojus*, qui illud antè providit in Itinere posse accidere, Auxilio supervenit. Ratus *Tironium* laborantibus suis subsidio venturum, ibiquè prælium futurum, primò Concursu *Rebellibus* spem minuit; suis ad præliandum Alacritatem addidit. Versus extemplò *Rebellium* impetus in extremum Agmen, (ubi *Southamptonius*, *Foliotus*, *& Lambertus*, egregiâ famâ Militari curabant) qui nullum spatium respirandi dedêre. Ibi *Lambertus*, cum magnâ Multitudine *Rebellium* premeretur, & Vexillifer propè circumveniretur, arrepto *Vexillo*, sustinuit ruentes; Mox confertissimam *Hibernorum* Aciem dissipavit. *Southamptonius* ferocior, & ætate & robore animi, *Sex* delectis equitibus comitatus, in Equestrem *Rebellium* Turmam, Juvenili fervore, impetum fecit; & velut Furore percitus, cedere coegit: quod non sine Summâ Temeritate & Desperatione factum videbatur; licet fæliciter, Divinâ Ope, acciderit. Tandem, amisso loco, fusi fugatique *Hiberni*. *Angli* Victores, *Rebelles* in sylvas, undè erant egressi, velocissimè fugientes insequuntur. Nullâ unquam pugnâ plus fugæ, minùs Cædis: pauci interiêre, quia propinquæ sylvæ, & Paludes, fugientes texerant. *Southamptonius*, *Lambertus*, *& Foliotus*, superatis Angustijs, & loci difficultatibus, se *Proregis* Copijs conjunxerunt; & omnes versùs *Neurium* processerunt. *Prorex*, quid ubiquè hostis ageret speculatum misit; *Tironium*, & *Regulos* Spem salutis in Solitudine, fugâ, & Latebris habere coëgit; Agros vastavit, Vicosque incendit. Id cum dies aliquot fecisset, postquàm non videt ab hoste copiam pugnandi fieri, firmatis Præsidijs, & Munimentis idoneis locis collocatis, *Mense Iunio*, *Dubliniam*

1600. regreditur, adversùs *Lagenia Rebelles*, Anglicæ Ditionis Pagos impunè populantes, urenteſque. Interim *Regina*, ſollicita de *belli Hibernici* Eventu, cognitis *Proregis* rebus geſtis, ut loco Auguſto Victor virtute Militum fuiſſet, Ignaviam Exercitus imminuiſſet, Induſtriam & diſciplinam intendiſſet, jam læta, cæpit majorem fiduciam Victoriæ habere; & Supplementum Peditum Equitumque parare, ad auxilium Provinciæ ferendum.

Per hos dies, mittuntur à *Philippo* confeſtim in *Vltoniam* duæ Naves Oneratiæ, Tormentatio Pulvere, Pilis, Loricis, galeiſque onuſtæ. Inter cæteros Vectores, eminebat *Legatus Pontificis*, qui fidei faciundæ causâ, Jurejurando confirmavit, magnam Manum *Iberorum*, Mercede conductam, mox affuturam: & à *Pontifice Maximo* conventura Subſidia: *Philippum Papamque* eo eſſe in *Tironium*, *Reguloſque Vltonienſes* animo, ut nihil recuſent diſcriminis. Maximèque hâc Oratione, & Spe externi Auxilij, permoti *Reguli*, *Philippo*, *Pontificiquè* pro eorum Meritis gratiam referre jubent; & ſuo Nomine Reverentiam polliceri. Indè ardet acrius Bello univerſa *Hibernia*, maximèque *Momonia*. Tum quidem *Careus* Præſes, à *Dubliniâ* In Provinciam ſuam recipit ſe *Tonmontio*, cum equitum Turmâ comitante. Qui circumiens *Momonia* oppida, *Hibernos* adhortatur, ut quâ fide juviſſent *Anglos*, *Deſmonij* bello; eâdem adversùs *Tironium* proditorem juvarent: Accenditquè Multitudinis ergà *Anglos* ſtudia. Ille, & *Tonmontius*, cum ad *Kilkeniam* oppidum perveniſſent, ibi obviam habuerunt *Ormundia Comitem*, domeſticâ turbâ ſtipante. Is cum *Careo Præſide* communicat, ſi videretur, ut exeant, & cum *Onio-Mac-Rorio* de ponendis, per Conditiones, Armis colloquantur; ſperare ſe, ferocem hoſtem ad Obſequium *Reginæ*, & Societatem Belli pellicere poſſe. *Præſes*, ob notas *Rebellium* artes, dubius atquè hæſitans, ægrè permittit, niſi Vades darent, nihil fraudis fore in Congreſſu, Colloquioquè. *Ormundius*, privati Promiſſi fiduciâ, præmiſſis qui *Mac-Rorio* nuntiarent venturum; Ibidem relictis *ducentis Peditibus*, Itineris properandi causâ, modico *Viginti Clientum* Comitatu, ſtatim proficiſci parat. *Præſes*, pro ejus fide in *Anglos*, Virtute & ſingulari operâ in omni bello, in diſcrimine deſerere noluit, & quos in præſentiâ circùm ſe habebat Equites, ad Salutis præſidium ſequi juſſit. Dein paucis horis, ad conſtitutum Locum perventum eſt. Ibi *Mac-Rorius* egreſſus ſylvis, cum *Quinque Cohortibus Peditum*, & Agreſti turbâ, in patentibus Campis ſeſe oſtendit. *Ormundius*, re animadversâ, poſtulat ut Pedites procul ſtarent, nec propiùs accederent; Numero pari, & quàm pauciſſimis præſentibus, congrederentur. Id poſtquàm conceſſum, *Ormundius* commemoravit, quæ deceptis Pollicitationibus ſceleratiſſimi *Tironij* adversùs *Reginam* commiſiſſet, ea corrigendi Occaſionem. Illi oblatam, ſi benè merendo Clementiam & gratiam experiretur. His atque talibus ad Deditionem fruſtrà impellit. Prolixiorque, & compoſito, à *Mac-Rorio* inſido inſtituitur Sermo. Igitur Præſes, cum adrepentes Pedites, qui proximi ſteterant, cerneret, *Ormundio* denunciat, ut dum facultas foret, in tutum ſe reciperet. Ille, *Spe Pacis*, moratus, *Ieſuitam Arceberium* Nomine, qui cum *Mac-Rorio* fuerat, evocavit. Is, compoſito dolo, ad Jurgia prolapſus, liberius loquebatur. Hinc *Ormundius* plenus iræ, Scelus & Perfidiam exprobravit. Hinc de improviſo circumventus fidiſſimus *Anglico* Nomini *Regulus*, capitur. Statim Signo dato, *Mac-Rorius* ipſe minitabundus, Præſidis fræno Manum injicit. *Tonmontius* accurrens, in ferociſſimum hoſtem impetum facit; *Præſidemque* imminenti periculo celeriter eximit; & uterque, Pernicitate equorum, diſcrimen evaſit. Is Caſus Judicio & Voluntate *Ormundij Comitis*, accidiſſe temerè credebatur; quia non ſuâ Ignaviâ, ſed alienâ fraude proditus, in hoſtium poteſtatem venit. Fama inſidijs circumventi viri Nobiliſſimi *Hiberniam* pervaſit; & ad *Proregem* delata eſt; qui vehementer indoluit, quod in omnibus bellis ejus Operâ uſurus erat. Vulgata quoquè in *Angliâ*, cum dolore accipitur: quia *Reginæ*, ob multa merita, charus acceptuſque. *Præſes Careus* licet Author profectionis non fuit, tamen hujus Fraudis acerrimus ultor extitit. *Ormundij* Arces præſidijs firmatæ, ad tuendam uxorem, & filiam unicam; quatuor Peditum Cohortes *Georgio Bureherio*, & *Chriſtophoro Sancto Laurentio*, Equeſtris Ordinis, datæ. Ipſe *Pſeudo-Deſmonium*, Caput *Momonienſis Motus*, hominem perfidum, & ſceleratum armis perſecutus eſt, majore felicitate, quàm animo conceperat. quippè *Thomas Geraldinus* ad ſanitatem flexit animum, cunctaque prona ei ad ſubigendum *Deſmonium* reddidit; & interclusum Iter inter *Vaterfordiam ac Togbaliam* aperuit. Intereà *Florentij Mac-Carteij*, in *Carberiâ* & *Deſmoniâ* Viri Summæ potentiæ defectio augetur. Quâ auditâ obviam it Tumultui *Florus*, peritiſſimus Centurio, cum *Mille Ducentis peditibus*, & *Centum equitibus*; Igne ac Cædibus perfidiam ultus, *Corcam* revertit. *Florentius* cum *duobus Millibus* Peditum, Anguſtias Itineris inter *Corcam* & *Kinſalam* occultus inſederat; & poſtquàm intraſſe *Anglos* vidit, cum Clamore ac tumultu in cautos invadit; urgetque *Florus*, ſuſtentato acriter *Rebellium* impetu; & duobus ſuffoſſis equis, Inſidiatores congredi auſos, proſpero prælio, cohibuit; & in latebras, quibus paulò antè texerant, fugere coëgit. Cæſi *Centum Rebellium*; cæteris propinquum effugium patuit. Hâc ultimâ Spe dejectus *Florentius*, Loco, non Armis fretus, Veniam à *Careo Præſide* deprecari cæpit, quod Fines ſuos adversùs armatos armis tutatus ſit; impetravitque, datis Obſidibus. Poſteà creditus *Hiſpanos* occultis Nuntijs ſollicitaſſe, in *Angliam*, purgandi ſui causâ, miſſus; ubi Crimen palàm fieri non poterat, nequè ipſe Suſpiciones purgare, Squalore *Londinenſis Carceris* diu conflictatus eſt. *Præſes*, quoniam Armis parum procedebat, Inſidias *Pſeudo-Deſmonio* ſtruit. Cum eo *Hibernus* quidam, *Dermotus O-Conorus* Nomine, *Mille Quadringintorum Rebellium dux*, familiariter agebat: cui per arctam Amicitiam maxima opportunitas fallendi erat. Hunc *Præſes* occultâ corruptione impellit; datâ fide, ſi *Deſmonium*

sibi

sibi traderet, fore, ut illi *Regina* Impunitatem, & Præmia concederet. Ille ingenio infido, & fluxâ 1600 fide, pactus Pecuniam, se facturum pollicetur. Mox in Occasionem fraudis intentus, ubi primùm opportunum fuit, *Desmonium* incustoditum & nihil hostile metuentem comprehendit; vinctum ad *Kilmalochum* trahit; *Præsidique* missis Nuntijs, confectum bellum, & Authorem Catenis oneratum adduci nuntiat. *Præses* cum Cohortibus expiditis ad Oppidum pergit; defertur ea res ad *Rebelles*; qui celeriter contractis *Quatuor Millibus* peditum, irruptione subitâ Iter intercludunt; Captivum Catenis exsoluunt; *Dermotum* territum in Castellum vicinum confugere cogunt, & Obsidione cingunt. His accensus *Præses*, omnium immemor difficultatum, adversùs *Rebelles* ducit, Obsidium solvit, Castella munita alia Vi, alia metu expugnat; latè Campos perfultat; Non ausis congredi *Rebellibus*, Incendia, Cædes, terrorem circumfert; compellitque *Conactia Auxiliares* domum redire. *Tirrelius* transfuga, metuens ne ad supplicium traderetur, in *Lageniam* digreditur.

Hâc æstate multi *Momonia* mortales cæsi; aut circumventi Cervice desectâ; divisâ à corpore Capita; recepti veniâ plerique Supplices; Profugorum, qui Sylvas aut latebras insederant, demessæ Segetes; frumenta, Multitudine Jumentorum atque hominum consumpta; Aedificia incensa; Agri vastati; quibus perpetratis, *Corcam* reversus est, relicto in Procuratione *Keria Carolo Vilmoto*, Equite strenuo. *Pseudo-Desmonius*, occasione arreptâ, de integro bellum sumit, & *Kilmalochi* fines incautus prætergreditur, cui *Georgius Thornestonus*, Equestris Ordinis, non remissâ curâ præerat. Missæ Præsidiariæ Cohortes, cum Equitatu, duce *Gramo*, acre equestre Prælium fecerunt, & *Centum Viginti* ferro interfecerunt. Victores *Angli*, ad oblatam ultrò ad hoste prædam Armorum Pecorumque discurrunt, Carros loricis galeisque onustos diripiunt. Adversa hæc pugna, *Momoniensium* hostilem Audaciam repressit, falsus *Desmonius* omnibus prælijs victus, tædio rerum adversarum, & fluxâ Popularium fide defessus, in *Tipperariam* profugit; ubi in Sylvis errans, ignotis locis sese occultavit; misso Fratre *Ioanne* in *Vltoniam*, ut *Tironij* auxilium oraret; ac de communibus rebus dissereret.

Intereâ, manente adhuc favore *Giraldini Nominis* in *Momoniâ*, apud imperitissimi cujusque aures, cæteris cædibus exhaustis, *Iacobus Giraldinus*, præpotentis Familiæ proximus hæres, servatus & educatus in *Arce Londinensi*, adversùs dominationem *Falsi Desmonij* in *Hiberniam* mittitur, ut Inanem Credulitatem coërceret, & ab eo *Popularium* animos averteret. Is insignis Fide, in omnibus prælijs singularem operam *Anglis* præstitit. *Præses* se hostium Numero habiturum promulgavit, qui aut *Pseudo-Desmonium*, aut ejus Anbactos finibus suis reciperent. Dum hæc à *Præside* in *Momoniâ* geruntur, *Prorex* indies quo famâ clarior, eò Moderatior & Intentior ad Victoriam *O-Moros*, & *O-Conoros* in *Leasiâ & Ophaliâ* aggressus, maximis affecit Cladibus, captis interfectisque non paucis; & Pecore è longinquioribus Vicis abacto, cujus cupidissimi sunt *Barbari*. circum missus præfectus *Lambertus* cum Equite & Armaturâ levi, Vastitatem longè latèque edidit, & reduxit ad Castra Milites. Adventu *Proregis* Vulgato, compulsi *Rebelles*, Pecora Frumentaque sua in arctiores Sylvas & Paludes abdere. *Tirrelius* transfuga, assumptâ *Rebellium* Multitudine, Paludem difficilem ex omnibus ferè partibus Sylvis cinctam insedit, & omnia Vada ejus Paludis Scloppetarijs firmavit; paratus, si *Angli* perrumpere aggrederentur, lubrico Paludum hæsitantes premere. *Prorex* Barbaris spretis, & contemptâ iniquitate loci, suos irrumpere jussit. Tum verò *Hiberni* in Sylvis abditi, ululatum sustulerunt, & impetu in *Anglos* facto, insolito tumultu perturbarunt. *Prorex*, dum primùm suorum Agmen sustentat, & Prælium ciet, suffosso equo, in discrimine versatur; sed accurrente celeriter Peditum globo, periculo exemptus est, & *Rebelles* Facilè repulsi sunt; interfectis circiter *Triginta*, & *Septuaginta* vulneratis; *duobus* cæsis *Anglis*, & paucis vulneribus affectis. Interfectorum ex Numero *Mac-Rorius* fuit, ferox Juvenis, *O-Mororum* princeps; qui Ormundum paulò antè fraude interceperat, & acceptis Obsidibus dimiserat; jam confossus Perfidiæ Scelerisque pœnas luit. *Tirrelius*, & reliqui, quorum Spes omnis in fugâ, Nocturnis & Avijs Itineribus delapsi sunt. *Prorex*, redactâ in potestatem *Lageniâ*, minutis & quotidianis prælijs, fugâ, Cæde, ac cruore, *Dublinium* redijt. Itaque *Reginâ*, ob res fæliciter gestas, gratias egit; decrevitque, *duobus Millibus* Peditum, & Centum Equitibus supplendum exercitum. Incertæ sunt res Mortalium; fælicitas ejus effugere non potuit Invidiam. Quæsti sunt *Anglica* ditionis Provinciales, de atrocibus Injurijs sibi à *Prorege*, & Militibus suis illatis; deplorantquè non siccis oculis ærumnas, & Miserias suas. Postquàm Clades *Provincialium*, Delegatorum adventu, in Angliâ vulgatæ sunt, quæsivit ab ijs Senatus, detulissentne eas priùs querelas ad *Proregem*? Responderunt, eum in *Lageniâ* belli apparatu occupatum, indulgere Licentiæ Militum, Patientiâ, & Pudore. *Regina* indignans bonis & fidelibus Subditis tàm atroces atque indignas Injurias fieri, ad *Proregem* scripserat, ut *Provincialium* desiderijs consuleret, & nefariè facta expiaret. Quorum querelis *Prorex* commotus, ad *Cecilium* rescripsit, Injurias quas sibi factas quererentur, nequè Mandato, nequè Voluntate suâ factas, sed Licentiâ Militum: Neminem Potentiam suam Injuriâ sensisse; excidisse de Memoriâ Merita sua; corruptam Militandi Disciplinam in integrum restitutam; Exercitum hebetem, infirmumquè, firmum, & validum factum, sublatis Ignaviæ & Luxuriæ Adjumentis. Adjecitque, si erit locus querendi apud Senatum, cum Invidiâ *Proregis* & Militum, invocandi *Reginam* intempestivis efflagitationibus, movendi Populi Offensiones, frustrà se electum ad imponendum *bello Hibernico* finem. Dein suppletis Legionibus, de *Vltoniensi Bello* sibi

cogitandum

1600. cogitandum putavit. Lustrato *Dundalkia* exercitu, confecto Antumno *Vltoniam* perrexit, & haud procul ab eâ urbe in *Faghardo Monte* edito positis Castris consedit, sævis conflictatus Tempestatibus. *Tironius*, peritus locorum, Copias contrahit, ac per Tramites notos *Anglorum Aciem* antevertit; Angustias, *Moyri* refectis operibus, cum omnibus Copijs suis occupavit; easdemque Latebras, quibus paulò antè se texerat, insedit; in Fiduciam Victoriæ adductus, ex Opportunitate Loci, difficilis atquè muniti Fossâ & Aggere. *Prorex* Monte digrediens, cum exercitu, hostes conspicatur, indignaturquè quod *Rebelles*, & inermes *Kernices* conspectum suum ferre possent; oppugnare instituit; repentè Signo dato invadit; & hic aliquot Secunda Prælia, per Biduum cum *Rebellibus* facit. Tertio die, *Anglorum* impetum *Hiberni*, vi perculsi, diutius sustinere non potuerunt; atquè in Fugam conjecti, multis amissis, sese in Avia receperunt. Quibus profligatis, *Prorex* Milites labore & frigore languidos reficit; Fossas complet; Munimenta *Rebellium* diruit; Sylvas exscindit, ne posteà usui forent; & ad *Oppidum Neurium* proficiscitur; huc imperat Commeatum, & alia quæ bello usui forent, ex longinquioribus Vicis comportari. Paucis post diebus, advecto Frumento, & Pecore, munito Agmine *Armacham* versùs incedit; *Octo Millia Passuum* ab eâ Castra locat. Sed nec *Tironius* intereà quietus erat: Equitatum omnem educit, ut Commeatu & Pabulatione *Anglos* prohiberet; gloriosum secùm reputans, si frumentari pabularique *Proregem* non pateretur. Unde *Prorex* Bagnalium Tribunum, cum expeditis Peditibus, & Parte Equitum adversùs eum misit; qui dimicare non ausus, turpiter se in Paludes, sylvasque recepit. *Montiojus*, ubi animadvertit *Rebelles* minùs instare, nequè Latebris digredi, locum opportunum ponendo Munimento legit, Collem leniter acclivem in loco Palustri, qui seipsum naturâ & levi Munimento facilè defenderet. Hunc *Norritius* Præfectus, ponendo insuper Castello, sapienter antè designavit. Itaquè in eo Colle Turris excitatur, incredibili celeritate. Ex vicinis Agris, Pecore atquè Cultoribus frequentatis, comportantur Ligna ædificiorum, saxa, & lapides, quæ deesse operi videbantur, noctu interdiu feruntur; & *Mons Norritij*, in fortissimi ducis Memoriam, appellatur. *Anglici* Milites, qui in propinqua rura lignationis Munitionisque causâ descenderant, cum repentino *Rebellium* incursu premerentur, ad suas pedestres Copias, in planicie opportun[illegible]positas, sicuti præceptum erat, se receperunt; Equitum operâ, in loco Palustri, inutili. Hoc idem deinceps reliquis fit diebus, & ad Munitiones acerrimè pugnatum, singulari Militum *Anglorum* virtute. Deniquè perfecto opere, & Quadringentorum Militum præsidio imposito, ei Loco, Præsidioque *Blanium Tribunum* præfecit; qui *Rebelles* in hâc partè fortiter coërcuit. *Prorex* iniquum sibi certamen cum *Rebellibus* cernens, Tubæ sono pronuntiari jussit, *præmium bis Mille Librarum*, ei qui *Tironium* vivum; & Mille, qui necatum sibi tradidisset. Cæterum sævissimâ hyeme interveniente, veritus ne Inopiâ frumenti, Pecorumquè conficeretur exercitus, statuit Copias reducere, & per *Carlinfordium* Dublinum redire; consumpto omni pabulo propè *Neurium ac Dundalkiam*, & summâ ibi rei frumentariæ difficultate, *Carlingfordium* paulatim procedit. *Tironius*, cognito *Proregis* consilio, cum Equitatu & Peditibus delectis, Insidiarum causâ eò profectus, in Angustijs arctioris Sylvæ propè *Carlingfordium* consedit, quà erat *Anglis* in reditu transeundum Flumen. *Prorex* existimans *Rebelles* in difficili transitu propinqui Fluminis Iter suum remoraturos, *Iosiam Bodleum*, cum parte Copiarum terrestrium, ad Flumen præmisit, ut locum Castris in adversâ ripâ antè caperet. Is pari Festinatione Fluvium transgressus, in adversâ ripâ, sicuti imperatum fuit, signa Constituit; instruit Aciem, paratus intentus, si *Rebelles* invaderent. Postquàm Prorex *Bodleum* consedisse accepit, Iter acceleravit; trajectoque non sinè difficultate angusto fluvio, in loco opportuno Castra locavit. Milites Inediâ, & Labore longinqui Itineris languidi, solâ Ducis Patientiâ, & Exemplo recreati, per biduum Pane bis cocto caruerunt. Insequentis diei Inedia, Nocte, diligentiâ *Proregis*, curâ provisuque Præfecti *Carlingfordinensis*, flumine in Castra advectus panis, Militibus pro copiâ distributus est. Summo Mane, instructo Agmine, propiùs *Carlingfordium* Castra movet. Ibi celeriter, per *Exploratores*, cognitis *Rebellium* Insidijs, coactus Necessitate, statuit Armis experiri. Igitur exploratâ Sylvâ, Collequè, priori Agmini *Beniaminum Berrium*, & *Christophorum Sanctum Laurentium*, duos longè præstantissimos Ductores præfecit; eosquè edocuit quæ agerent. Posterius *Ricardus Morisonus*, & *Samuel Bagualius*, Equites vigore animi insignes, instruxerunt. Ipse *Prorex* fortissimæ *Velounum* Turmæ immixtus, cum Equitibus subsequitur. *Berrius* antesignanus, bonâ cum Sclopetariorum manu, Angustias ingressus, naviter ad suum Munus obeundum se dedit. In medio Itinere Planicies erat, ex omnibus ferè partibus sylvâ & Mari cincta. Aditus angustus ejus planiciei Fossis & Aggeribus septus est; & ex Sylvâ Flumen oriebatur, quod ad Mare cursum deflexit, Vado difficili. Postquàm discensum in locum Æquum omnibus Copijs est, Antesignani *Anglorum* pugnam ineunt. Antè jam docti à *Tironio* Rebelles, Pedites in Munitiones, Equites in sylvas se recipiunt, ut *Anglos* citrà flumen elicerent. Intereà *Prorex* majorem suarum Copiarum partem Flumen trajecit. *Rebelles*, ubi primùm Agmen Flumen transgressum vident, in spem certam Victoriæ adducti, ex fiduciâ loci iniqui, & Munitionum à Sylvâ ad Mare porrectarum, Pilarum grandine obruunt, ex loco superiore. Irritati magis ad justum Certamen *Angli*, quàm præsenti discrimine exterriti, signum prælij exposcunt. *Prorex*, superato fluvio, cum omnibus Copijs, laborantibus suis subvenit; & triplicibus Equitum Subsidijs dextrum latus firmat; quia sinistrum, Pelagus claudebat. Signoquè dato, perrumpere Munimenta jubet. *Angli* Virgultis, & Sarmentis Arborum Fossas complent, Vallum

detrahunt.

detrahunt. Primo concursu ferociter resistunt *Rebelles*, subeuntes deturbant, & Eventus Martis in incerto erat. 1600 *Prorex* ubi videt suos Vulneribus, Labore, & lassitudine languidos minùs instare; collectis extempló omnibus Subsidijs, quæ ad id tempus reservaverat, & pedites concitavit ne deficerent, & signum ad invadendos *Rebelles* Equitibus dedit; qui omnibus in locis, firmioribus animis, Munitiones adoriuntur. Ubi periculum erat in Acie, Tribuni, Præfectiquè, sua Munia obeuntes, hortantes aderant, addebantquè animos. Tandem longiore Certamine paulatim residere *Rebellium* animi cæperunt. Perrupta quædam Munimenta, cæso promptissimo quoque, aut saucio. Demùm superantur, atquè relictis Munimentis in Fugam versi, in opportuniores Colles & Sylvas, effuso cursu evaserunt. Eâ in Pugnâ *Henrici Daversij*, Equestris Turmæ Præfecti, Virtus plurima extitit; qui in femore vulneratus est. Cæsi eo prælio *Rebellium ducenti*: ex *Proregis* Exercitu numero *Viginti* interfecti; inter quos *Latuarus*, à sacris; & *Cranmerus*, ab epistolis, cecidêre: vulnerati *Sexaginta*. *Angli*, licet prælio & labore fessi, tamen læti & alacres *Dublinum* redeunt, ac Cives, quos inopinatus *Montanorum Rebellium* timor incesserat, opportuno adventu atquè auxilio confirmant. Paucis diebus Militi ad requiem datis, *Prorex* de improviso in *Convalles Lageniæ*, mediâ hyeme, contendit; ne qua ejus Adventus significatio fieret: ubi multos *Rebelles* in Campis inopinantes deprehendit. *Tirrelium*, per Avia *Lageniæ*, Tironij Legatum capere, aut deturbare nititur, quò profectum eum audiebat; & in ipsum *Phelimum Mac-Feogh*, incautum atquè imparatum domi suæ incidit, captis Conjuge, & filio: Ipseque fugato in proximas sylvas, magno Pecoris ac Jumentorum numero, atquè omni Militari Instrumento potitur. Regionem illam omnem, quæ *Glinis* appellatur, fugâ terroreque implevit, ac in deditionem venire, atquè Obsides sibi dare coegit; damna atquè Incendia, quæ *Montani* vicinis *Dublini* Civibus intulerant, omni vastitate vindicavit; & tumultuosam *O-Toulorum* gentem in Ordinem, Obsidibus acceptis, redegit; suoque exemplo, alio modo bellum gerendum in *Vltoniâ* edocuit. Jussitque, sævâ hyeme, Lacus *Foyli*, *Scopuli Fergusij*, *Dundalkiæ*, *Armachiæ*, & *Neurij* Præsidiarios, omni vastitate Regiones finitimas fædare. Qui celeritate Itineris, atquè Opportunitate temporis usi, & Prædas abegerunt, Puberes interfecerunt, & ædificia incenderunt: quæ Clades multò magis, quàm adversum Prælium, *Tironium* terrebant; cujus spes omnis in subsidio *Iberorum* sita erat. Itaquè timore perterritus, Nuntium ad *Pontificem* mittit, qui hæc ei nuntiet, Nullum domi relictum Perfugium; *Hiberniam* perire, funditùsque everti; atquè rem in summo esse discrimine; in externâ ope positam esse salutem omnium; *Regulos* in summo periculo esse; & brevi Extorres, *Romam* venturos, petendi *Auxilij* causâ, cum pudore *Pontificis* & *Philippi*; nisi Exercitus quàm celerrimè transportaretur.

Motus Philippus Auctoritate *Pontificis*, & precibus *Regulorum*, decrevit, ut *Ioannes Aquilius*, egregiâ Virtute, & Armoricâ Militiâ clarus, *Tres Legiones* conscriberet, & in *Hiberniam* primo quoque tempore trajceret. Huic additus est *Alphonsus Ocampus*, in partem curarum, cum aliquot Cohortibus. Tarditatem *Batici Auxilij* perosus *Tironius*, per eosdem dies misit in *Scotiam* Concitores belli, ut allicerent *Regem* in societatem Armorum; & præmium Laborum *Regnum Hiberniæ* proponerent. *Iacobus*, cognitâ Calliditate hominis, respondit, si Reconciliatore se uti vellet, Operam & gratiam suam paratum; Arma denegavit. *Tironius*, & cæteri *Vltoniæ Reguli*, cum animadverterent Hiberno tempore Villas exuri; vastari Agros; Pecora diripi; trucidari dynastas, aut in Catenis teneri; *Anglorum* Præsidia Castellaque adoriuntur. Quæ cum expugnare non possent, *Dacrei* Tribuni Munitiones pertentant, antequàm perficerentur, haud meliore fortunâ. Ille enim se Fortiter, gravibus acceptis vulneribus, defendit, & irrumpere intentes repellit. Itaquè inter se cohortati *Reguli*, circumfunduntur, si quem aditum reperire possent; reliqui Aditus loci Munitionibus, & *Anglorum* virtute fortissimè servantur. *Reguli* desperatâ expugnatione Munitionum, sese recipiunt. *Dacreus*, summotis hostibus, ne Munitione magis, quàm Manu defendere locum videretur, Dynastas Provinciæ, *Arthurum O-Nealum Terlochi Filium*, & *Nealum Garvium*, è familiâ *O-Donellorum*, in fidem receptos, tuendæ Provinciæ misit. Hic, *O-Donello* fremente, *Lifferum Castrum* occupavit; Ille *O-Caboni* fines vastavit. Ipse Tribunus *Dunalongum*, spectante *Tironio*, expugnavit. Ubi *Boulasium* Nobilem Equitem Custodis loco reliquit. quibus rebus coactus *Tironius* in suam ditionem redijt. Multi *Vltoniæ Reguli*, omni spe perditâ, cum à fronte, à tergo, æstate atquè durissimo anni tempore, juxtà premerentur, datis Obsidibus, Deditionem fecerunt. Pari formidine, & desperatione subacti *Dynastæ*, promptum Obsequium memorarunt, si *Regina* in fidem acciperet. Posteà datâ Veniâ quievêre. Terra *O-Donelij* in *Nealum Garvium* translata, accendendæ spei aliorum, qui bellum inter & Pacem dubitabant; & *Pharmanachæ*, *Conoro Mac-Guiro*, pro acribus Ministerijs adversùs *Rebelles*, contributa; qui Clientes & Populares suos à *Tironio* avertit; ac *Cormachi* Fratris *Tironij* filium, magnanimum Adolescentem intercepit; quem ad *Proregem* misit. Pro quibus Meritis *Regina* Proregi, per Primores Viros, gratias egit; & amplissimis verbis, omni Occasione, collaudavit.

Classem quoque hoc Anno summâ curâ paravit, ut *Hiberniæ* oram tueretur; antè omnia, ne Exercitus cum stipendio Commeatuquè, ex *Hispaniâ* Tironio transportaretur. Pecuniæ, & Impensis Belli, *Londinenses Cives*, solantes Principem ætate fessam, non pepercerunt. Præsidijs in Ulteriora *Vltoniæ* promotis, Senatus Urbanus *Humfredum Covertum*, Centurionem, expertum belli, mittit ad Præsidiarios *Lacus Foilensis* visendos, & Ordinem militiæ: præterea, ut exploraret Copias *Rebellium*; &

Mm quantum

1600. quantum possent in unaquâque Provinciâ; qui fideles *Reguli*; qui hostes aperti; qui ambigui; quanti præparati Commeatus Terrestribus & Maritimis Copijs; & undè tettestri Itinere, undè Navibus in Præsidia subveherentur; quid in *Vltoniâ* gestum esset. Igitur ut exequeretur mandata, in *Hiberniam* transgressus, mox retulit, circà *Locum Feylum*, *Balashanonam*, *& Deriam* Urbeculam, Præsidia opportunè disposita; ctebras eruptiones, & continua hostium damna, tàm æstate quàm hyeme; paucos Milites vi trucidatos, multos hyeme asperâ, & Aeris iotemperie, & languore absumptos, aut ad militandum non idoneos; neque *Tironium* pugnandi potestatem facere; *Henricum Docreum* Tribunum ancipiti bello distinere *Rebelles*; Ultoniensium tumultuantium esse *Novem Millia pedıtum*, *& Nongintos Equites*; in *Momoniâ sex Millia Peditum*, *& 300-Equites*: acerrimos Instinctores belli *Fitz-Thomam*, *Pseudo-Desmonium*, *Laurentium Mac-Cartium*, *& Dermanum*: in *Conactiâ & Lageniâ*, Octo Millia Rebellium in universum, si contraherentur dici X X I V *Millia* armatorum: *Montioinus* singulari curâ & Providentiâ, subitis excursibus, Præsidijs, Castellisque, idoneis locis collocatis, hostes atterere, aut spe Impunitatis allicere, nullam *Hibernia* partem illacessitam; multos obstupefactos Constantiâ *Proregis*, datis Obsidibus, impetrata fecisse; *Ormundum* Legatum Proditione captum io Momoniâ, in libertatem vindicatum, *Mac-Roriam* Proditorem turbidum & infidum, Improbitatis & perfidiæ suæ pænas luisse; *Rebelles Regulos* pepigisse, non deesse Libertati, si *Pontifex Maximus*, & *Philippus* opem fetterit. Cives Ormundum liberatum gaudent, trucidatos *Rebelles* Sanguine *Anglorum* pollutos, vastatam *Vltoniam*, suis quamquè Provinciam Præsidijs distineri; probantquè acta *Proregis*, gratantes, laudantesque, & *Essexij* Casum fortunamquè miserantes. *Southamptonius*, ubi Præfectura Equitum ei adempta est, & *Arthuro Savagio* Conactia, Rectore vacua, obvenit, Militiam pertæsus, Missionem efflagitavit, impetravitquè, & in *Angliam* redijt, ad captandas rerum ptæsentium occasiones.

Intereà *Essexius*, quem *Egertonio* in Custodiâ traditum, sextum jam Meosem, memoravi, acerrimo dolore, ægritudine animi, & ætumnâ prostratus, salutari Amicorum Coosilio ad sanitatem revocatus, Vigorem animi recuperavit. *Mericum* à Rationibus, *Cuffum* ab Epistolis, fidos sed turbidos amandavit, ne Pertinaciâ accenderent; Impotentis Iræ impetum perdomuit, perturbatione furiosâ paulatim decrescente; & cum eâ parte animi deliberavit, in quâ inest Ratio & Prudentia; Levitatem ac Jactationem animi exuit; Pietatem, Probitatem, Obsequium, Modestiam, & Comitatem induit; *Regina* suppliciter & dimisè se submittit; ut Amicis Spem, Inimicis Metum faceret. Hâc Humilitate *Comitis*, Amicorumquè sceretâ Commendatione, *Regina* mutata in *Essexianas ædes* redire permittit; ubi liberali Custodiâ à *Ricardo Barclaio* servatus est. Sed omnia in eo præcipitia ad exitium fuerunt. Nam iniquissima, omnium Judltio, Fortuna sæviens, eum hominem Nobilem, inter prima incrementa intercepit, qui tot Tempestates pattim publicas, partim privatas pro Rep: sustinuit. Nihil ei ptofuit Innocentia; nihil in rebua agendis Solertia; in exequendis Industria; in Promissis fides & Constantia; nihil Facilitatis summæ Moderatio, ut quod rarò ulli contigit, Fælicitas ejus effugerit Invidiam. Rebus in *Angliâ* turbatis, animisque civili discordiâ fluctuaotibus, *Cæcilius* omnia ejus Consilia in suam perniciem spectare ratus, Aleâ, intempestivis Voluptatibus, & alienis Malis oblectavit animum; suprà humanum intumuit modum; in exitium perniciemquè *Comitis* incubuit; eversâ funditùs *Mitissima Principis* Clementiâ. Impulsum à fortunâ, & io præceps ruentem sustinuerunt *Villoubeus*, *& Montioius*, viri Militares, gratiâ & Consilio. *Essexius* non tantùm dejectus, quantùm *Cæcilius* Inimicus cupiebat, Obsequio *Reginam*, Comitate & Modestiâ cunctos sibi devinxit; & , velut Fato ducente, in Insidias Inimicorum sese præcipitavit, indies speculantium, quo tàm repentina Morum evaderet Mutatio. Vulgus hominum *Comitis* Innocentiam ubiquè per Circulos celebravit; quæstusque est, ob levissimas rerum novarum Suspiciones, Custodiâ coëtcitum. Intempestivæ blanditiæ imperitæ Multitudinis, præbuerunt causam Adversarijs criminandi Comitis, sibi gratiam ex *Principis Odio* quætentis. Itaquè *Regina* visum est, ad vitandam Severitatis acerbæ, & Injustitiæ Suspicionem, ut in ædibus *Custodis Sigilli*, (non in *Camerâ Stellatâ*) frequenti Senatu, Causam diceret, *non læsæ* sed *Spretæ Majestatis*: adjecitque, *Essexium* eum esse virum, quem mitigare, quàm Suspicionibus irritare, magis è Rep: esset; seque ejus Emendationem, non Fortunarum ruinam optare; *Posse & Velle misereri*; Misericordiam Throni esse firmissimum stabilimentum. Mox magis Iniquitate Ioimicorum, quàm Amote Reip:, ad Juditium Senatus, Procerum, & Judicum, in *Eboracensi Palatio* vocatus, ut Rationem suæ Administrationis in *Hiberniâ* redderet. Is, post tot res domi forisque gestas, vultu demisso in Conspectu Senatus constitit; Nemo Salutatione, aut Reverentiâ ullâ dignum duxit. antè alios *Egertonius* præfatus, se potiorem privatis Necessitudinibus salutem *Reginæ*, Regniquè habere. Delegatis à *Reginâ* demandatam *Essexianæ Causæ* cognitionem, sinè Severitate Juditij. Tum insimulavit *Eduardus Cokus*, *Cognitor Regius*, asperè vehementerquè, quod oequè Imperium Regium, nequè Majestatem Nominis veritus, de suâ sententiâ *Southamptonium*, licet fottem & strenuum, nullis atmorum experimentis insignem, *Præfectum Equitum* creasset. *Lagenia*, & *Momonia*, in Jure & Ditione *Anglicâ*, non ex *Regina* Authoritate, non Senatus jussu, temerè & imprudenter bellum intulisset; dato à *Reginâ* digredienti negotio, ut cum *Vltoniensibus* bellum gereret, & ipsius *Tironij* quovis modo potiretur. Multos Centuriones Præfectosquè, cum hostem omninò non vidissent, aut gladium in Acie non cruentassent, contrà Disciplinam Militarem, Militiæ Insignibus

ornasset;

1600.

ornasset; cum *Tironio* latrone, & ferocissimis *Regulis*, Pace ignominiosâ, Jacturâ instauratæ Religionis, & Concessione Agrorum transegisset; Provinciâ injussu *Principis*, rebus dubijs, quasi confecto bello, discessisset; adversùs Morem Militiæ, Institutaquè Majorum, adversùs summi Imperij Majestatem, *rem Hibernicam* fidei suæ commissam, eò destituisset tempore, tum Ope, Consilio, Virtutequè in bello indigeret; Optimè meritos Milites crudelissimis Prædonibus objecisset; Imperium partum Suffragio *Reginæ*, & Senatus; malè gessisset; malè deseruisset; malè ad homines privatos, Ormundiæ Comitem, & Quæstorem exercitus, privato Consilio detulisset. Hæc omnia augendo, amplificandoquè illustravit. Indè labi cæpit ad Superbiam; Insolentiamquè; & Neglectam Majestatem, ac Indignitate verborum insectatus est; Hujusmodi Summi Oratoris verbis utens, *hæc Regina intelligit, hæc Senatus videt, hic tamen vivit.* Conclusitquè, Ingressum in *Hiberniam* Superbum & ambitiosum; Progressum Contumeliosum; Regressum publicè exitiosum; & penè perditam Provinciam, nisi Numen protexisset; ac *Montiojus*, Nobilissimus fortissimusquè vir ei in Imperium successisset. Tum *Procurator Regius* exprompsit secundùm discessum Comitis, Improsperos Successus, multas Clades, & rerum Vicissitudines, ejus Temeritate insecutas; quæ sinè piaculis ingentibus expiari non possint: Cum *Regulis*, hostibus, *Reginæ* Consilia communicasse; Jactasse insolenter *Tironium*, se pari dignitate cum *Reginæ Vicario* congressum; *Catholicæ Religionis* Authoramentum pepigisse; magnum & terribile *Anglorum* nomen subegisse. Talis Oratio Cognitoris & Procuratoris fuit. Indè *Franciscus Baconus* additus Jurisconsultis Regijs, *Essexio* Muneribus devinctus, Testimonio mortalium, & suâ Confessione, Juvenili Impetu, & studio Accusationis, acerrimus extitit Insectator; prædicavitquè, se de *Essexio*, Principe Nobilitatis, belli, domiquè privatim, & præclarè sentire, & amicè loqui; sed publica Officia privatis derogare; & Obsequium in *Reginam*, ac Patriam, cunctis Affectibus flagrantius. Nunquam florentis Regni statum ampliorem magnificentioremque; nunquam augustiorem gloriam *gentis Anglicæ*, quàm *Elizabethâ* administrante, domi forisquè extitisse; nunquam Reum æquiores Judices nactum, aut *Clementiorem Principem* expertum; quæ privatâ actione, intrà privatos parietes, suam & Reip: Injuriam prosequi decrevit, aliô Loco, & ritu, in Foro, publico Juditio vindicandam. *Essexiumquè* Sermonis Contumeliosi incusavit adversum *Reginam* temerè habiti; in Epistolâ referta Contumelijs ad *Egertonium*; verba percensuit, *Nullam Turbinem, Tempestatemve Maris procellosi, Principis furori, & Indignationi parem*; castigavit, increpuitquè velut Amentiam, & Impetum effrænati animi, in tantâ Moderatione & Sapientiâ Principis, coarguerat. Similiter aggressus est hæc verba, *Induratum Cor ejus:* deterrimâ Comparatione *Pharaonis* Nominis abominandi Regis; saltem in Cordis duritie *Principis* gloriam elevare contumeliosè corripuit. Brevis *Comitis* percontatio in literis subjecta est, *potestnè Princeps ad turpem & in concessum Errorem delabi? Patiunturnè Subditi injuriam?* Quibus verbis concussas duas firmissimas *Regni* Columnas *Iustitiam & Iuditium* perstrinxit; adjecitquè *Principes* mortales esse; sed *Iure Municipali Anglorum*, facere Injuriam non posse; licet *Iure Civili* Principes Injuriam faciant, & Cives patiantur. Alterum Caput Accusationis, Libellus seditiosus in Vulgum editus, *de Primordio Pricipatus Henrici quarti, & exitu Ricardi secundi*, ab *Heyvardo*, Authore, *Essexio* Comiti dicatus. Licet Librum supprimendum censuerit, & Patrocinium ei accommodare negaret, Calumniam non vitavit; Scriptorque in *Ergastulo* per Triennium detentus, sibi Ingenij gloriam peperit. *Baconus*, Essexij Munificentiâ ac donis adjutus, ornatusquè, subijt Suspicionem Obtrectationis, & Invidiæ, adversùs gloriam fortissimi viri. Reus Mensæ genu advolutus, in semet excusando parcus, & civilis, placidè modestèque maximas gratias egit Numini, pro tot tantisquè beneficijs ei immerenti divinitùs concessis; & Mitissimæ *Reginæ*, quod Causam suam criminosè in *Camerâ Stellatâ* audiri noluerit; sed intrà privatos parietes censeri, severitate cum humanitate conjunctâ, jusserit. Profitetur igitur se in ejus potestate esse, cum Illâ Litem contestare nolle, nec Juvenilis impetus, nec suæ Imprudentiæ Excusatione uti. Protestatur, se Fidem & Obsequium semper coluisse, nequè alium unquàm suum animum fuisse, quàm ut *Reginæ* voluntati obsequeretur. Demùm, quandò nec Authoritate, nequè Consilio in publicum prodesset, privatim, quoad posset, profuturum, & Mundo jam valedicturum. Hæc cum dixisset, Lachrymæ omnibus obortæ, & mæstum diu Silentium fuit. Victo gemitu, Reus continere non potuit, quin excusare inciperet, se Equitibus *Southamptonium* præfecisse, sed cognitâ *Reginæ* voluntate exauctorasse; & Imperium Equestrium Turmarum ademisse. Dein continuâ Oratione exposuit, Exercitum in *Momoniam & Lageniam*, Senatus *Hibernici* decreto, inductum, ut Prædationes hostium Ferro atquè Armis coërceret, graviores multò propinquis *Anglorum* Pagis, quam *Tironij* Incursus; Arcibus imponeret Præsidia, Castella, & Munitiones idoneis locis disponeret; hanc Expeditionem pro utilitate sociorum susceptam, non solùm excusatam, sed etiam purgatam *jure belli*, literis, & Suffragijs Virorum Militantium: multaque à se contrà quàm *Reginæ* placuerit facta; creatos Equites, ut alios strenuiores *Volones* ad belli Munia in posterum faceret. In re Militari posse adversùs Mandata fieri, urgente discrimine; nihil scientem deliquisse; Nihil insanabile commisisse; & si quid fecerit imprudentiâ, Juvenili errore & Temeritate lapsum. Cum in Australi Plagâ *Rebellantium* Agros pervastasset, Tecta incendisset, multa Millia Pecorum abegisset, & quosdam *Regulos* dissentientes ad fidem & Obsequium reduxisset; pacatâ *Momoniâ*, absumptis labore, Morbis, & cæteris belli Cladibus, multis Militibus, aut ex Castris sinè Commeatu proficiscentibus, se in *Vltoniam* reliquâ

1600. belli sedem progressum, Terrorem, Fugam, Populationem circumtulisse; & vagum hostem insecutum; neque *Tironium* pugnandi potestatem fecisse; sed per *Deprecatores* defectionis gratiam, fœdus, & Amicitiam petijsse; sese Congressus ejus diu vitasse; ægrè omnium Centurionum, Præfectorumque precibus, diem Colloquio decrevisse; de Pace & communibus rebus disseruisse; & Ruptorem tot fœderum asperè castigasse; Illum, metu & Populatione conterritum, fide *Induciarum in sex Menses* interpositâ, Obsequium & Reverentiam promisisse; Nec id *Anglico Nomini* dedecori fuisse; Nec eam Conditionum Iniquitatem, aut Reip: Jacturam, quàm calumniarentur Adversarij, detorquendo cavillandoquè; Nec in *Religionis* præjuditium ullam Pactionem adjectam; Denique hyemem asperam rebus gerendis intervenisse; se Conspiratione Inimicorum, & Invidiâ oppressum, omisso bello, ex *Hiberniâ* in *Britanniam* trajecisse, ad Existimationem, dignitatemque à Contumelijs Inimicorum conservandam; & *Reginam* placandam. Postremò, Deum hominesque testatus est, quâ Mente, & quo animo semper in *Patriam & Reginam* fuerit; quæ tantum honorum atquè Opium in eum cumulaverat, ut nihil fælicitati deesset, nisi Moderatio animi. *Egertonius* dicentem interrupit, admonuitquè ut perfugium in *Reginæ* Misericordiâ habeat; ne tempus morando extrahat; nec Verbis Obsequium præ se ferat, quod factis minimè præstiterat; neu *Reginam* de gradu Mansuetudinis ac Clementiæ movere conetur; Sed non desperandæ ejus Misericordiæ sese committeret. Ille Auctoritate, & inveteratâ Prudentiæ famâ movit Reum, ut ingenuè fateatur, quamcunquè posthac habiturus esset fortunam, eam se *Reginæ* benignitati, non suæ Innocentiæ debiturum. Silente *Reo*, & Defensionem omittente, res disputatione ad Noctem perducitur; voce unâ Senatus, Judices, Proceresquè absoluunt Crimine Infidelitatis, perfidiæque; Contumaciæ adversùs *Reginam* damnant; quod de Provinciâ, cum ei concessum non esset, discessisset. Senatu, Honore, *Potestate Comitis Martialis, & Præfecti Machinarum* spoliatum, in ædes remittunt, quoad *Reginæ* visum fuerit, servandum non sinè universæ Veniæ, & Principalis Indulgentiæ spe. *Elizabetha* supplici non ignovit; Moderationem Clementiamque decernentium laudavit, & pro qualitate delicti pœnam statutam, ad castigationem Juvenilis ferociæ, non ad ruinam; vetuitquè ne Causa in Acta referetur. Quibus rebus accensus *Essexius*, sivè mærore rerum præsentium, sivè diuturnæ Custodiæ tædiò, gravi morbo correptus; abjectâ omnium rerum mortalium curâ, paucis Ministris adhibitis, de Animæ Salute seriò cogitavit. Ubi *Londini* adversa ejus Valetudo, nec adeò gravia, percrebuit, primò Silentia & Gemitus, deindè Dolor, Ira, & questus erumpebant. At postquàm lætiora de Valetudine ejus urbani accepêre, passim publica Vota & gaudia Civium, ne minimam quidem Occasionem quoquam omittente, in testificandâ Sollicitudine, & Curâ de Incolumitate ejus. Nihil altius *Regina* animum penetravit, quàm gratulantium Voces, atque undiquè concinentium, *Salvus est Essexius*. Cæterum recenti adhuc Vulgi lætitiâ, donec Tempore ac spatio rumores vanescerent, *Essexium* laxiore Custodiâ servari jussit. Ille ab ægritudine recreatus, Mansuetudinem animi; Humilitatem cum Verbis tùm literis testatus, profitetur *se Mundi inani gloria repudium misisse*; Ambitionis faces Lachrymis contriti Cordis extinxisse; Nihilquè magis in Votis habere, quàm ut *Regina* in Pace Servum suum dimitteret. Quibus verbis permota, *Barclaium* Custodem summovit, & ut Sui juris esset permisit. Sed interdicta Aula, & gravissimâ adhibitâ Interminatione, monuit in Conspectum suum veniret; atquè in vitæ privatæ Conditione conquiesceret. *Comes* jam sui Juris, *Regina*, per *Henricum Havartum Norfolcianum*, significavit, *se Regiam Manum, & Virgam qua correxerat, non everterat, demissè exosculari*; nec unquàm suetum gaudium percipere *posse, priusquàm salutares Oculos aspiceret*. Illa respondit, se fore æquissimam *Essexio*, si quæ polliceretur præstaret, & facta verbis congruerent. Adjecitquè, *Patientiam suam diu tentatam; nunc ejus Humilitatem aliquandiu explorandam, an vera & syncera esset*. Ille anxius domi tutior, vitans salutantium & occurrentium Officia, Noctu in urbem, noctu in Suburbana rura secessit; Tranquillitatem, atquè Otium penitùs dilexit; sinè desiderio Aulæ, & Cupidine ultionis; Cultu modicus; Sermone facilis; uno aut altero Amicorum comitatus; procul ab Aulâ, & Inimicorum oculis, Remp: privatis Simultatibus potiorem habuit; & oblatam quietem amplexurus videbatur, si per Amicos & Clientes licuisset. Sed illi accendendis Offensis, Inimicitijsque prompti, monuêre, fortunæ tergum dare. In Gloriæ & Dominatione contentione haud esse virile, nec turpius quicquam, quàm sinè Certamine cedere; nec præstantius quicquam, quàm pro Dignitate, & Incolumitate novissimum discrimen experiri; non posse Summam Fortunam in Otio esse, sinè periculo; Patientiâ ejus Insolentiam Adversarij ali ac foveri; facile esse, momento, quo quis velit, cedere possessione magnæ fortunæ, at parare eam difficile atquè arduum esse. Proindè dum integra res, apud animum suum statuere debere, *utrum Privatus in Contemptu atquè Inopiâ, antè ora Inimicorum consenescere malit; an armatus gratiam dignitatemque suam repetere*. Ille quid sit sui Consilij expromit; Consultius sibi videri, libera Legatione impetratâ, in exteras Regiones secedere; donec Serenitas, discussis Nebulis, affulserit, aut Vitæ privatæ & Contemplativæ se addicere; dandum esse locum fortunæ; cedendum ex *Angliâ*; migrandum in *Cambriam*, aut aliquo terrarum, potiùsquàm nunc aliquid moliendum in perniciem Reip: si fortuna juvaret, revertendum; si tonaret, in exilio vivendum, & novissimum tempus expectandum. Per hos Civiles Motus factionum, commeavit Nuntius inter *Comitem Cæciliumque*, Henricus *Havartus*, de Reconciliatione gratiæ; qui in pristinam Concordiam reducere fictè aut frustrà nititur; quia Contentiones non Reconciliatione Concordiæ, sed Internecione

Comitis

Comitis dijudicatæ sunt. Nec defuerunt, qui *Comiti* nuntiarent, *Cæcilium*, nisi prævideret, præcaveret; & iisdem, quibus petebatur, Artibus grassaretur. 1601 Quâ famâ cognitâ, majore Confidentiâ *Cuffus* Comiti exponit, eum gloriam Confessionis amplexum, Innocentiam suam prodidisse, honoris & Dignitatis jacturam fecisse; Inimicis & æmulis despectui esse; cum spoliatus exutusquè fuerit, amicos fore; famæ detrimenta majora, quàm rei familiaris; Existimationem amissam, vel vitâ redimendam: *Henricum Havartum*, ac cæteros ambiguos Amicos Insidias struxisse; atquè Inimicis in prædam exposuisse; sublatam spem Veniæ, & pristinæ dignitatis, nisi tempestivè remedium Desperatione quærat; & hortatur, ut suam existimationem recuperaret; Speculatores è sinu removeret; fidos Amicos gravi servitutis jugo, & *Regnum* ab impotenti Adversariorum dominatione liberaret. Hæc ferociter locutus est; *Comes* aures obturavit; ostendit ipsi nullam Spem nisi in *Reginæ* Clementiâ superesse; deflagrare quotidiè Iram ejus; purgari tempore Suspiciones posse; subituram aliquandò Meritorum memoriam. *Cuffus*, postquàm perstare in fide *Comitem* videt, perturbato vultu adjecit, *Regina* placandæ vix ullam spem; in placatâ parum Præsidij esse; Spem quoquè renovandi vectigal Vinorum dulcium incertam, & penè inanem; nec his Inimicorum Crudelitatem staturam. Ille nihilominùs Obsequij gloriam amplexus, *Redemptionem Vinorum Dulcium* penè exactam, literis & Nuntijs petijt. *Regina* gratiam liberaliter pollicita, precibus de Redemptione oblatis, per Moram & dilationes respondit, quanti ea res sit, priùs videndum; beneficia non opertis oculis conferenda. Adversarij acerrimi subjecerunt, equo ferocienti pabulum subtrahendum, ut facilius in gyrum reducatur; Aphorismumque Medicorum laudarunt, *Corpora impura quò magis pascas, lædis*. His responsis per se ægra Mens Comitis stimulatur; qui animo magis, quàm vultu anxius, quid optimum factu sit expendit; secretis Sermonibus animos Amicorum scrutatur; qui censent, deliberatum esse *Reginæ* & Adversarijs, eum spoliatum fortunis, exutumquè ad ultimam Inopiam redigere; ut Inops à *Reginâ* neglectus, ab omnibus negligeretur, ab Amicis desereretur, & Inimicis ludibrio despectuique esset. Cum in his Angustijs versaretur, ipse arcanò multum cum suis familiaribus, consultandi causâ, colloquitur; Consiliumquè fugæ capere instituit; quod Vultus cum Oratione non Consentiret; atquè omnia Arbitrio Inimicorum ageret; nequè jam haberet ad ejus gratiam, atquè Amicitiam receptum; qui ad fortiter capessendam Remp:, & perrumpendos Adversariorum Conatus, quotidianis Sermonibus, & oblatis suis Opibus incitant; sequè ei non defuturos pollicentur; rogitantes, cur novissimum tempus exspectet potiùs, quàm nunc aliquid, urgente discrimine, moliatur? hortanturquè ne animo deficiat; neu Occasionem, ultrò offerentem, è manibus labi sineret; sed ut se à Contumelijs Inimicorum defenderet; Proceres, paucorum factione oppressos, in libertatem vindicaret; Suamquè dignitatem, immeritò prostratam, recuperaret. Domestici quoquè familiares, qui apud eum Vitæ Consuetudine plurimum poterant, Iram jam fervescentem excitant: quorum princeps fuêre *Henricus Cuffus*, ab Epistolis, eximiâ doctrinâ, sed turbido ingenio, novandis quàm gerendis rebus aptiore; *Mericus* à Rationibus, seu Metu periculi, seu præpostero amore, & fide in dominum. Ambo Indignationis vim, atquè aciem intendunt, offeruntquè in discrimen vitam suam. In eandem sententiam loquitur *Christophorus Bluatus*, Vitricus; monet ut aditum sibi ad *Reginam* pararet; non defuturos *Proceres* pollicetur, qui Aditum, & receptum securum redderent. *Comes* respondit, sese in hoc casu Conscientiæ scrupulo torqueri; nec Remp: in summum discrimen adducturum esse, Consilio, aut Voluntate suâ. Sic *Essexius*, simul suopte Ingenio, simul impetu Amicorum, ad exitium præceps agitur, & in Civitatem revertitur; ubi Fores *Essexianæ* domus, omnibus Novarum rerum expectatione suspensis, patent. Ipse *Comes* Proceres illustri gratiâ complectitur. *Mericus Oeconomus* venientes Militares viros, Audaces, Temerarios, & Procaces, Mensâ excipit; qui Invitatione benignâ, & Vini potu tumidi, acerba dicta in Adversarios *Comitis* jactarunt; ita ut ne Amicis Principis abstineretur. Ad has excipiendas Voces Speculatores ex Aulâ missi, acerbè dicta ad *Cæcilium*, cum reliquis actis, detulerunt. Tanta fuit ejus diligentia, in explorandis *Comitis* Consilijs. Item ibi facundæ Conciones, indies habitæ à *Catharis*, Auditorum confluentium certatim animos accenderunt; nec Execrationes in Adversarios defuerunt. Cæterum *Penelope Richia*, Comitis Soror, cum indies cerneret discrimen, & periculum *Essexij Fratris*, eum quotidiè invisit; ad Salutem ejus omnes cogitationes intendit; Singulis Amicorum fratris suadet, Fraternæ Salutis rationem habere. Interim *Comes* suspectum se *Reginæ*, & opportunum Criminibus Inimicorum facit; & destinata in suum quæque tempus agenda differt.

Interim verò *Regina* domi ad Navigationes, & Vectigalium incrementum, Regni dignitatem, Mercatorum quæstum, Compendiumque, *Societatem Indiæ Orientalis*, cum amplissimis Privilegijs instituit; & domesticum Mercatum *rerum Indicarum*. qui *Iacobum Lancastrium*, suprà nominatum, cum tribus Navibus ad *Indiam* explorandum miserunt; qui, ut fuerat jussus, Littora illa, & Insulas perlustravit. Ubi deniquè Emporia, ac domicilia collocarunt, partim *Eois Mercibus* suppeditandis, partim ut negotiari liceat in remotis Regionibus, fructuosisque. & singulis indè Annis Classem eò miserunt; in quâ permulti Nautæ, ac fortunæ plurimorum Civium perierunt, majore *Societatis* emolumento, quàm Principis, & Populi. Nam immensâ vi Argenti quotannis exportatâ, & Multitudine Navium, Nautarumque amissâ, Resp: lentè contabuit. Dum Civium Opulentiæ *Regina* consulere studuit, Finitimarum quoquè Odia vitavit; nam non inter *Anglos* & *Gallos* modò, multæ & magnæ

1600. magnæ Contentiones fuerunt; sed inter eos quoque & *Danos*, de Bonis direptis, Mercatoribus retentis, vel injuriosius tractatis, de *Reprisalijs*, quæ Maritimis Pyratarum latrocinijs, Prædisquè increbuerunt. *Francorum* quærelæ auditæ de *Reprisalijs*, de Novis vectigalibus *Anglorum* Mercibus impositis, contrà *Blesensem Tractatum*; de *Pannis Anglicis* dolosè confectis, & improbis Mercibus. Ex æquo Jure disceptatæ Controversiæ. Et *Thamerius Boisissus*, Legatus Gallicus, in singulis persequendis aoimi adhibuit Contentionem, ac Verborum gravitatem acriorem. De *Reprisalijs* magna dissensio; sed sinè acerbitate fuit. Tandem convenit, *ut Subditi utriusquè Regni, Mercaturam ex fœdere facerent; Pyraticis deprædationibus Mare esset liberam, ac Negotiantibus tutum. Edicta publica per Præcones fierent, ne Pyratæ in Civitates, Portus, Stationes, aut Villas recipiantur, sed detineantur, & Iudicio sistantur; neu quis reciperet, celaret, aut ullâ Ope juvaret, sub pænis jure debitis. Deniquè Reprisaliæ non modo suspenderentur, sed penitùs utrinque revocarentur. At si Iustitia post tres Menses à Requisitione læsi Principis, vel Legati residentis, denegata fuerit, Reprisaliis hinc indè concedi possent, ut fortunæ Civium conserventur, & defendantur.* Regina se *Gallis* vicinis placabilem præstitit; *Pophamum*, Judicem rerum Capitalium & Criminallum, & *Prætorem* Urbanum monuit vehementer, interesse Reip:, nullam in Mercibus fraudem, atquè fallaciam esse: qui exagitarunt omnes Artificum fraudes atquè fallacias, io distrahendis Mercibus; ac oioni studio incubueruot, oe exteris fiant Injuriæ Negotiantibus. Pecuniam etiaiò *Franco* mutuò datam comiter exegit; cujus pars aliqua hoc tempore repræsentata est: reliqua promissa liberaliter, cum benigni animi significatione.

Cæterum in *Daniâ* quoque de Commercijs, Vectigalibus, & *Anglorum* juxtà *Islandiam* Insulam Piscatu Contentio, quæ Consenuisse credebatur, recruduit. *Danus* Piscatu, & Maritimis *Anglorum* Latrocioijs offensus, instructâ Classe, *Hullenses Eboracenses* juxtà *Islandiam* sinè licentiâ piscantes, ex improviso oppressit; Naves eorum atquè Bona io Fiscum redegit; & Nautas Tormentorum acerrimorum cruciatibus subjecit, quod cognito Interdicto, Piscationis licentiam non petijssent. Hoc durum, Agreste, & Injurium videbatur. *Regina* summâ benevolentiâ coluit Reges Officijs Fide, fœdere conjunctos; Ideò que Injuriam factam *Piscantibus*, oullâ vel Majestatis suæ, vel Subditorum, vel veterum fœderum habitâ ratione, ægrè tulit; per *Stephanum Leisurium*, Danum edocuit, multa Privilegia ab aotiquis *Norvegiæ Regibus*, Anglis ad Piscandum indulta; eademque à *Ioanne*, & *Christierno Daniæ regibus* confirmata. Cum objiceretur, ex Conventione *Ioannis*, Licentiaoi Piscandi *de Septennis in Septennium* petendum; Ideòque contrà fidem Cooventionis, & Interdicti, non Jure piscari. Respoodit *Leisurius*, Consuetudinem petendi Licentiam *Longi temporis præscriptione* omissam; Omissionis culpam à *Danis*, oon ab *Anglis* cæpisse; oec *Fredericum Regis Abavum*, nec *Christianum Avum*, oequè *Fredericum Patrem* exegisse; Iniquius igitur iodè cum *Anglis* agi; & contrà *Ius gentium* peccari; quandoquidem noo recusaruot Septennalem Licentiam deinceps petere; quamvis Mare, *Iure Gentium* liberum sit; nec ab ullo Principè Piscatus in Oceano ioterdici possit. Postremò *Regina* postulavit, Controversiam vel ad *Delegatos* utrinque, vel ad *Brandeburgensis* v i i *viri Megalopolitani, & Brunsuicensis* Arbitrium referri; ut omnes vicinos testes haberet, se Pacis, Illum belli causam quærere. Postulata *Danus* abnuit. *Leisurius* valdè Cootendit ut Reges redirent in gratiam; sed nihil profecit. Convenit tandeoi, ut *Apolecti* utrinquè *Embdam* congrederentur. Angla *Ricardum Bancroftum*, Præsulem *Londinensem, Perkinsium, & Sicalum Iurisconsultos* eò misit, ut cum *Danis* delegatis tractarent. Sed cum *Angli* ad constitutum diem noo venissent, adversis ventis occurrentibus, *Dani* prætexentes tempus delegatæ potestatis exijsse, re infectâ domum redierunt.

Sub idem tempus, graves exortæ quærelæ de *Caritate Annonæ*, ex verno frigore, & privatâ Mercatorum Avaritiâ, qui, Liceotiâ *Buchursti Quæstoris* impetratâ, magoam vim frumenti ex *Angliâ* transportaruot. Undè periculum ab impetu Plebis ipsi Quæstori fuit. nam vulgus *Buchurstium* probris Contumelijs, & Famosis libellis insectatus est. Ille Coovicijs vexatus, ac Minis perterritus, perfugium in *Reginæ* Misericordiâ, & Justitiâ habuit, quæ Innocentiam ejus, Edicto per Præconem, testata est; & oomem culpam egestatis in *Propolas*, ac *Dardanarios* avertit. Hoc Remedio Plebs noo placata, acriùs exarsit; donec frumentum *Gedani* coemptum, *Tamesi* adveheretur. Magna vis frumenti ex *Sarmatiâ & Prussiâ*, Onerarijs Navibus advecta. Agitatum in Senatu, quanti Plebi venderetur; ventumquè ad Famem esset, nisi *Regina* providisset; & Navibus frumento oonstis, sæviente Pelago, subveoisset.

Hoc Anoo *Rogerus Northus Baro*, Regiæ domus Thesaurarius, moritur; Vir acri ac vehementi ingenio; qui offendit animos Majoris partis *Academicorum Cantabrigiensium*, ut aut contemnerent, aut metuerent; quia Suspicio nata est, eum petijsse Supplici libello à *Reginâ*, omnia eorum Vasa Argentea: proindè Opinione Famæ permoti *Academici*, suppliciter petierunt, ut *vitrea* quotannis suppeditaret, & *Argentea* acciperet; sentientes *Diomedis & Glauci* fore permutationem; & cariora futura, diuturnitate teioporis *Vitrea*, quàm *Argentea*. Ideòque postulatum, seu verum, seu fictum, durum & Injurium videbatur. Sed fremeote *Vniversitate*, Baro *Northus*, omni vitâ, Principi & Plebi charus fuit.

Dum hæc in *Hiberniâ & Angliâ* administrantur, in *Belgio Briantæus, ex Nobilitate Neustricâ, apud Batavos Mercede militans, & Equestri Turmæ præfectus*, indoluit pro gloriâ nominis *Francici*, quod Vicarius Turmæ suæ, & aliquot Equites, à *Grobendoncana Turmæ Vicario* intercepti, indecorâ deditione potiùs, quâ Armis

salutem

salutem quæsivissent: exprobrare *Grobendoncanus* cæpit Ignaviam, & postulare, ut *Vicem utrinquè ferro* 1600.
decernerent, utri utris præstarent. Accepta conditio est; tempus & locus convenit. *Mauritius*, quia Temeritatem colibere non potuit, destinata exsequi passus est. Constitutâ die infestis armis concurrunt; initoque prælio, nec his nec illis cura Salutis, sed gloria gentis obversatur animo. Primo statim Concursu, Juditio Fortunæ, *Tres Belgæ* strati; & Vicarius Turmæ *Grobendoncanæ à Briautao*, glande trajectus est. *Francus* suopte ingenio, & cæso hoste ferocior, amisso equo alterum conscendit, & pugnam impigrè ciet. *Belgæ* cupidine Vindictæ acriores, redintegrato prælio, Gallos, qui Vires certamine primo effuderunt, fundunt, fugantque. *Briautaus*, cui major gloriæ, quam vitæ cura, cum Cognato remansit; universis solus nequaquam viribus par, vivus in hostium potestatem venit, & in fidem acceptus, flagitiosè jugulatur, non sine infamiâ *Grobendonci*; qui jussit Scelus, ut *Nepoti suo* interfecto Piaculum caderet, contrà Jus, Fasquè.

Per hos dies *Iberi Sanctandreani, & Crepicordiensis Propugnaculi præsidiarij* intumuêre superbiâ, & ferociâ, stipendia tumultuosè flagitantes. Auditâ seditione, *Burlotta, Tribunus inclytus famâ*, ad coërcendum accurrit; turbidum, & infensum ducibus Militem abducere statuit. Obliti *Sacramenti* Milites, & reverentiæ, stipendium exposcunt, *Burlotta* manus intentant; mox, spreto imperio, clausa effringunt; abolita scrutantur; injiciunt vincula præfectis; & protractis è latebris exitium minitantur; fremunt deseri se, abduci Socios, & eâ separatione ad Cædem destinari; nec Terrore, aut Promissis Præfectorum dimoventur.

Apud *Crepicordium* non minùs infensi Milites, Inopiâ stipendij Frumentiquè efferavit. *Mauritius* occasioni intentus, postquàm perstare in perfidiâ videt, Præsidiariorum ambiguos animos tentavit, Proditionem sperans; defectionis Authores, admotis machinis, se & Munimentum dedidêre. *Mauritius Crepicordio* potitus, Vallum Turresquè firmat Provisu Militari, tanquàm rursùs Obsidium metueret. Atquè indè *Santandreanum Munimentum* petit, antequàm Præfectis Auctoritas, Militi obsequium rediret: instruit Aggeres, & Machinas admovet. *Præsidiarij*, raptis temerè Armis, tela ingerunt; ac statim omissis, Munitionem, quam, uti defenderent, acceperant, flagitio & pecuniâ venditioni exponunt. *Mauritius*, ne diutius Castris assideret, emercatur.

Expugnatis Præsidijs, seditione hostium fretus, Terrâ Mariquè bellum molitur. Deprecantibus *Mattiacis*, ut eis Auxilio contrà *Albertum* esset, cum exercitu in *Flandriam* traijcit. Pars cum *Gulielmo Nassovio* in Frisiâ, & cum *Comite Hohenlo* in Brabantiæ finibus relicta, si qua externa vis ingrueret. Castra antè *Assenedam* ponit. Indè ad Vicum *Ecloum* movit; posita circà *Ostendam* Castella aut *Vi* expugnat, aut *Pactione*, & fugâ Præsidiariorum deserta recipit. His Victoriæ primitijs animosior factus, Propugnacula *Neoportus* obsidet; & *Albertinum*, Machinis concussum, deditione recipit. *Navales quoquè Batavorum Copiæ* pavorem faciunt; nec *Triremes Sclusenses* Occasioni desunt; tranquillo Mari, *Batavorum Naves* expugnant; aspero, *Sclusæ* Portum repetunt. Cum terrâ mariquè tantum belli circumstaret, Formidine, & *Mauritiani exercitus famâ, concussæ Flandriæ Civitates.* *Albertus* hostili impetu, & defectione Militum anxius, crebris Nuntijs Tumultuantes monet, ut ad Munia belli redirent, ac maturam pænitentiam profiterentur; ne Ducem in Acie, per dedecus & Scelus, desererent; aut hosti *Batavo*, in confinio Flandriæ, proderent. Tribuni, Præfectiquè eadem ingerunt, additis secretioribus Promissis, ac Adhortationibus. Milites turbidi metu Infamiæ, ne toto terrarum orbe vulgetur flagitium, pressêre Iras, & paruêre Præfectis Centurionibusquè. Hic Sceleris exitus. *Albertus*, literis circà præfectos dimissis, *Langerbrugam Flandriæ Pagum* Copias omnes contrahit, *Peditum undecim Millia, Equitum Mille Quadragenti fuere, sed Veterani plerique, etiam emerita Militia.* Eò cum omnes Copiæ convenissent, *Ipse cum Isabella Conjuge* in Castra venit. Illa Ferociâ verborum alloquendo, exhortandoquè Milites accendit; *Quoties causam belli, Catholicæ Religionis incrementum, & Virtutem vestram considero, Invicti Bellatores, magna victoriæ spes animo obversatur. Tot Expeditionibus, tot Prælijs, tot Triumphis, tot Spolijs hostium, fide atquè operâ vestrâ partam gloriam in mentem revocate: Reminiscimini* Regis Catholici Fratris, Archiducis Mariti, & Mei, *cujus Ditiones Dotales æquius à vobis hodiè propugnantur, quàm à Perduellibus Batavis oppugnantur. Persuadete vobis, Fortissimi Milites, hodierni beneficij Memoriam nunquam apud me intermorituram. Si Virtute & Auspicijs vestris hostes vicero, Pecuniâ, gratia, Promissu à Comite Sorano, singulos præmijs remunerabo. Ad Satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem defensura sum*, Mundum Muliebrem, Gemmam quoquè, æquo animo Auri detractam, Pignori tradam. *Deniquè, cum pugnandi ardorem in frontibus vestris intueor, defectionis hostilis tumultus, & priorum facinorum obliviscor. Ite in Aciem fausto Omine, & Numinis Auspicijs hostes intrepidè invadite, laboribus finem imponite.* Orationem *Isabellæ* Militum alacritas consecuta est, poscentium hostem, & Aciem. *Albertus* indè pugnæ avidus, *Gandavium* remissâ Conjuge, flagrantibus Militum animis faces addit; & postridiè *Brugas* venit; indè *Audenburgum* Castra movit; quod pactione recepit. Dedititij omnia Fæda, atquè indigna perfidiæ & Crudelitatis scelera passi sunt. Ubi *Archidux* appropinquabat, *Mauritius* instruendo bello intentus, maturavit ardua Itinera Præsidijs claudere. *Ernestus Nassovius Patruus*, cum quatuor Equitum Turmis, & duabus Peditum legionibus, *Scoticâ Edmundi Tribuni, & Zelandicâ Vandernotij*, Leffingam præmissus; ut Pontem, qui non longè aberat, inter *Audenburgum & Munimentum Albertinum* occuparet; sed Pontem *Iberi*, toto agmine traducto, & lectâ Manu firmaverant; præmissas a *Mauritio* Copias ex improviso aggressi, post acrem pugnam, fudêre Equites,

Pedites

1600. Pedites in fugam vertêre. Præcipua Clades in *Scotos* incubuit: cecidêre *Sexcenti Milites Scoticæ legionis, & Sex primorum ordinum Centuriones.* Nassovius in propinquum Propugnaculum evasit. Tristis Nuntius ad *Mauritium* pertulit, deletas Cohortes cum *Ernesto* præmissas; Equites in fugam versos; Pedites vel cæsos, vel captos; Pontem ab hostibus infessum; adesse hostilem exercitum. Ille turbidis rebus intrepidus, Nuntios Cladis occultat, Mortem interminatus, si quis enunciaret. Virtuti, simul fortitudiniquè Præfectorum & Centurionum confisus, haud procul à *Neoportu*, in tumulis Arenæ editissimis instruit Aciem, Machinas disponit. *Franciscus Verus*, spectatæ Militiæ dux, cum delectis *Anglorum* Cohortibus, in primâ Acie, admistis etiam *Frisijs Sclopetarijs*, versabatur. Latera Novem Equitum Turmis circundata, quibus *Ludovicus Nossovius* præerat. Mediam Aciem *Solmensis Comes* ducebat, ex mistis *Helvetiorum & Francorum* Auxilijs. Ipse *Mauritius*, cum magnâ popularium manu, & Nobilium globo, huic Aciei se miscuit, ut à fronte, & à tergo curaret. Extremo Agmini præerat *Olivarius Tempellus, Corbequij dominus.* Summa totius Exercitus XII. *Millia Peditum erant, & duo equitum. Mauritius*, paratis omnibus, dispositisquè opportunè Machinis, virorum fortium pectora acuit. Conversus ad Singulos admonet, *Supplicium ex se, non Victoriam peti. Si Fortuna Virtuti invideret, moriendum in pugnâ, & Acie potiùs, quàm inter Verbera, Vincula, & Contumelias crudelissimæ gentis.* Interim *Albertus* quidnam agendum sit deliberat, visum est hic Iberi subsistere; Fessos Itinere Milites reficere; captum *Alberti Propugnaculum* recuperare; & ducto Aggere *Batavos* Commeatu prohibere. At *Archidux*, inductus sive fiduciâ Veterani exercitus sui, sive contemptu hostilis, sive etiam fœlici Casu fortunâque prælij, Consilium dimicandi inijt; peritissimis Centurionibus dissentientibus. Non tulit Moras Consultandi Ardor Militum, prælium exposcentium. Igitur disposita Acies sine trepidatione. Primam, *Seditiosi Milites*, ex misto genere hominum, & duæ legiones expleverunt; quæ Præfectos habebant *Monroium & Bastocum*: Mediam, *Villarij, Alphonsi, Davali, & Burlotta*; Postremam Aciem, *Gasparis Sapena, Busquoy, & Belgarum legiones Varabonij, Barlemontij, & Brabansonij complevêre.* Equites in Cornibus stetêre. Instructâ Acie, *Archidux* excitat suos pollicendo, & obtestando, ut magno animo capesserent pugnam, *Injuriam Batavorum in Conjugem, seque commemoravit*; & pugnæ signum dedit: Equites prorupêre. *Ludovicus Nassovius*, cum promptissimis Prælium acriter sumpsit; & fugam simulans, in iniquiorem locum hostium Equites pertraxit; ubi Tormentorum ictibus dispersi, in *Tumulis Arenæ* se recepêre. Eodem tempore *Primæ Acies* congressæ sunt. Vix aliàs majore ardore Certamen initum, hinc Irâ stimulante adversùs Rebellantes; Illinc Libertatis Amore. *Angli* memores pristinæ virtutis, & victoriæ, pro salute, pro vetere gloriâ Gentis decertant. *Iberi*, ne pet tot Annos partam Militarem gloriam uno prælio amitterent; indomiti Milites ducibus nuper infensi, abolendæ Ignominiæ, & recuperandi Decoris cupidine, acriter instant. *Angli* impavidi resistunt, Ordines servant, retinent locum, feriunt hostem. Maximâ vi in Eventum totius prælij, trium horarum spatio pugnatur, Cominus eminùsque. Modò pellunt hostem, dein pelluntur, variâ prælij fortunâ; quæ nondum patefecit, quà datura vires esset. Ambo cæsi furore, in vulnera ac ferrum ruunt. *Albertus & Mauritius*, duo summi Imperatores, ea cuncta cernentes, suos laborantes subsidijs firmant; simul orant, & hortantur Milites, ne lassitudine deficerent. *Verus*, promptus inter tela, pugnam impensius ciens, sauciatur in Tibiâ ac femore; & Turbæ suorum miscetur inpavidus. In credibile penè memoratu, quantum is Casus suis pavoris, & hostibus animi addidit. *Mauritiani* suomet Metu, & Angustijs loci, relabente Maris æstu, conflictati, totâ Acie conturbantur. *Hispani*, simul accedente æstu Maritimo è Navibus Tormentis inpetiti, & in Iniquitate loci coarctati, densis Ordinibus Tumulos Arenæ anhelantes conscenderunt. Ibi Ascendentes arduos Colles instructis copijs, & per declives descendentes, requiem quærunt defatigati pugnâ, & Ardore Solis. In Turbâ & trepidatione *Mauritius* nullum egregij Ducis Officium prætermittit. perexiguo ad instruendum dato tempore, Ordines patentiore spatio restituit; ne defatigarentur, orat; prælium renovat. Redintegratâ Acie aliquandiu trepidatum circà Signa est; cum *Iberi* vecordi Audaciâ ruerent, nec *Batavi* adhuc firmioribus animis hostibus accurrerent. *Mauritius* ubi plurimus labor occursat, excitat paventes, Consilio, Manu, Voce; nutantem *mediam* Aciem, subsidio *Postremæ* fœliciter firmat. Sed non ut primâ specie, *Iberorum* Victoria, ita Eventu fuit. Traductâ utrâque Acie inter *Tumulos Arenæ*, ancipiti aleâ concursant. Inter quæ *Horatius Verus, Tribunus Angliæ legionis, Francisci Frater*, cum Cohortibus accelerans, hostes invadit, lapsas jam partes restituit, fugientes retinet, falsum Victoriæ gaudium in dolorem vertit, sternit obvios. *Iberi Tyrones*, omisso pugnæ Ardore, consternantur; *Veterani* adversùs hostes pervicaces, obstinati moriuntur, in Vestigijs quisquè suis. Peditatu relicto, Equites fugam meditantur. *Albertus* laborantibus succurrit; constantis Ducis, & strenui Militis Officia exsequitur; disjectos adhortans, instruensque, *in Maxilla vulneratur.* fusâ *Primâ* Iberorum Acie, *Mediâ* perruptâ, *Extremâ* laborante, *Horatius Verus*, latus hostium conglobantium invectus, Armis ac Telis in fugam vertit. Ita *Iberi*, virtute *Anglorum*, alienæ Libertati sanguinem commodantium, victi, atque prostrati. In hoc Conflictu, ex *Anglis Octingenti* cæsi, & vulnerati; Octo Ordinum ductores cæsi; plurima Signa Vexillaquè hostibus erepta. Cæsa *Iberorum quinque, Mauritianorum Tria Millia.* Capti *Franciscus Mendoza, Tarraconensis, præfectus Maris, Comes Feranus Sapena, & XXXV Tribuni*, Præfectiquè optimi Nominis. Nec *Mauritianis* incruenta Victoria fuit: Nam Nemo Præfectorum fermè hàc aut illâ ex Acie sine vulnere. Vetus Miles, non

Virtute

Virtute se, sed Ignaviâ Equitum, victum fremebat. Duæ res præcipuè, præter Arma & dexteras, 1600. Victoriam juvabant *Mauritianos*, *aequior à tergo ventus*; proindè *Iberi* afflatu arenæ volitantis suffocati, & Oculi adversis Solis radijs perstricti; dein *Batavorum Classis*, velut ex occulto jaculans, magno eos damno afficiebat.

Dum hæc in *Belgio* geruntur, in *Franciam Allobrogum Dux ad Regem profectus*, principali & hilari apparatu exceptus est; ac de *Salussiorum Marchionatu*, *Transalpinâ ditione*, communicatis inter se Consilijs domum redijt. Is fuit Controversiæ finis, *ut intrà sex Menses Marchionatum Regi restitueret*; *eâ Lege*, *ut sanciretur Magistratus*; *Præfectos*, *Milites Francos in ea Loca non ituros*: *Helvetios sinè detrectatione accipiendos*; *vel has Conditiones abnuente Duce*, *cederet Arce Segusianâ*, *quam vulgo*, *Burgum nominant*; *& circumjectâ regione*. Exacto spatio, *Allobrox* Lutetiam fœderis & Sacramenti immemor, fidem violat; & quæritur de durioribus Coacti fœderis pactis, Spe Deditionis Pacisque sublatâ; *Francus* bellum indixit, non de ultimis *Insubræ Oris*, sed de ipsius *Sabaudiæ* Possessione: ac per *Francorum Tribunos Bironium*, *& Digniorum*, Camberiacum Metropolim, *Burgum in Bressiâ*, *Momelianum*, *& Clirbonariam* Arces munitissimas expugnavit. Ipse nec expers gloriæ esset, accurrit Torrentis instar, obluctantia quæque disturbat, & *bellum Allobrogicum* propè incredibili celeritate conficit; templa à Sacrilegio; Urbes ab excidio; Tecta ab expilatione conseruat. Quibus perpetratis, in *Franciam* reversus, suas sedes *Musis* reddidit, undè *Martis rabies* eas perpulerat; *Parisiensem Accademiam* instauravit, ac Pacis artes excoluit. Pactum inter eum, & *Mariam Medicaam Florentiæ Matrimonium*, ut suprà memoravi. Illa regali Magnificentiâ *Marsilium* deducta est; mox *Lugduni* cælebrata Solemnia Nuptiarum.

Hoc Anno *Europæi Principes*, dum singuli domi pugnant, universi ferè in *Pannoniâ*, repentinâ vi Turcarum vincuntur. *Mercolij Dux* evocatus à *Rodolpho Imperatore* ad Turcicam Militiam, & Castrorum præfecturam, permotus misericordiâ Ungarorum hostilia, indignaque patientium, *Nobilitatem Franciam* excivit: Ingens vis Militum in *Pannoniam* transcendit. *Mercolius*, parte Copiarum *Papiæ*, ad tuendam urbem relictâ, ingruenti per *Inferiorem Pannoniam* bello se opposuit. *Papienses Præsidiarij*, Volones, & *Franci*, initio ad cuncta belli munia alacres, mox in Regione bello attritâ, Inopiâ stipendij, frumentique conflictati, mutavêre animos, & Militari Violentiâ hostilia agitare cæperunt. Centuriones Præfectique, suffragio Ducum proventi, loco moti, & turbidissimi quique Arbitrio Militum suffecti. *Michaël Marotus* urbi præerat, is inter spem Metumque, cum mæstâ circùm familiâ, in vincula conjectus est. *Lamotta* ducem se Defectoribus offert, Seditionem accendit, petitque à *Turcis* præsidia. Proditionis pretium pactus, ad hostes transit; Captivorum Catenas exsoluit; Barbara Mancipia, & *Vexillum Cæsaris prætorianum*, non sinè nominis *Francici* infamiâ, tradere paratum se ostendit. Tanta adversùs fas nefasque, & sacrosanctam Numinis potestatem irreverentia fuit. *Furca* Insidias occultas veriti, segnius incedunt. Auditâ defectione Cohortium Papiensium, *Schnatsenbergius Cæsareus Præfectus*, permulcendis Militum animis dilectus est. In Itinere fit certior, Præsidiarios *Francos* hostiles Spiritus induisse; veniâ non posse mutari Proditores Deo invisos, qui tantum facinus ausi sunt; ad moenia Urbis *Turcas*, *Getasque*, spe ditionis accedere, Inops Consilij *Iaverinum* redijt. Abruptâ omni spe reconciliationis, obsidere *Papiam* parat, ardens cupiditate Perfidiæ ulciscendæ. Seditiosi Milites, qui Misericordiam consumpserant, acriter propugnant, & nulla pericula detrectant; Aggeres & Fossas molientes subitâ Eruptione turbant *Germanos*; in ipsâ Contentione *Schnatsenbergius*, clarus bello, glande trajectus est. Suffectus exemplò *Kiderus*, Obsidionem accelerat, passim Cædes & vulnera, majore Obsidentium pernicie. *Christiani* utrinquè cadunt, prospectantibus rabiem *Turcis*. Plerique Obsessos ad Deditionem, famem ferrumque ostentantes, hortantur. Irritæ exhortationes, nam Obsessi ad omne facinus durati, tolerant Inopiam, Obsidiumque: ferociter demonstrant, absumptis Jumentis, equis, & cæteris fædioribus Alimentis, *se captivos Christianos*, *& Marotum Præfectum rabiosis dentibus comesuros*. Languere posteà Perfidorum animi, & cedere fortunæ cæpêre, de supremis cogitantes. Tandem, abjectâ omni spe, effosso & emisso Lacu fugam meditantur; ut fædissimam Mortem prævenirent. Quâ re cognitâ, insecuti Victores, nullum in Perfidos sævitiæ genus omisere; variâ pereuntium formâ, & omni genere Mortium. *Mercolius*, *Cæsaris Vicarius*, ut Ignominiam *Perfidiæ Socialis* aboleret, modicâ manu Turcicam Aciem *quinquaginta Millium* Armatorum, Obsidione *Canisa* depellere intendit; Castra hostium, multâ cum strage, subitus irrupit, turbatis ijs qui restiterunt. Auxiliares Copias, & Commeatum in urbem furtim immisit; Castris Vallum circumjecit; propinquus hostibus, Annonæ Inopiâ, & Hyemis sævitiâ, receptui canere coactus est, majore gloriâ, quàm fructu; *Canisa* mox dedita.

Cum *Turca* Francorum impetum ægrè sustinerent, si *Albertus* cum delectis *Iberis*, & *Mauritius* cum fortissimis Auxiliaribus eodem incubuissent, quanta parta esset *Christiano Nomini* gloria, Provincijs quies? Hæc hoc Anno domi forisque gesta.

RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER NONUS.

1601. *Res Scoticæ.*



UNC res *Scoticæ* me ad pensum revocant. *Iacobus Rex*, ubi nullum *Ecclesiasticarum perturbationum* finem videt, quæ Ipsi & Regimini Ecclesiæ turbas sæpè concitarunt, instituit per *Scotiam Episcopos*, qui Provincias susciperent, & suæ ditionis *Clericos* in Officio continerent. Authoritatem omnem, & regendi potestatem his permisit. Ii cum *Comitiali Authoritate* impedirentur, & de Causæ æquitate, velut re Controversi Juris, plures adhuc ambigerent, se demisse excusarunt; donec *Comitiorum Decreta* Præsulum Ordini suffragarentur, ac lege latâ in integrum restituerentur. Ita *Episcopi* paulatim emergere cæperunt, & de Injurijs pridem illatis graviter queri. *Georgius Humius* (de cujus Moribus suprà memoravi) elatur Fortunæ blanditijs; Consilium capit ostentandæ suæ potentiæ. Subverso *Georgio Elphingstono*, Astu ac Dolo Ærarium captat; *Guilielmum Elphingstonum*, Nobilitate ac Opibus insignem, inopinantem *Quæsturâ* depellere animo agitat; Cubiculum Principis, Curas publicas, omnem rerum administrationem ad se trahit: in Privatis sibi seperatim consulit. *Rex* Curâ & providentiâ Remp: juvat; nonnunquàm, interjectâ Venatione, sincerum Pietatis Cultum promovet; & multa documenta egregij Principis dat; quæ secùs fierent, Libertis ascribuntur, in quos Onus Imperij reclinaret. exuto *Elphingstono*, Pacto pecuniæ & gratiæ, *Georgio Humio* Ærarij Curam tradit. *Davidem Moravium Sconanum* vultu illiberali, & pari animo, *Censorem domus suæ* constituit, & Vectigalibus Agrorum præficit: qui Invisi ac detestabiles Arrogantiâ, Socordiâque, atquè etiam Contumelijs Plebis abnoxij vixêre; quod *Fisci* Commoda augere; *Populum* Inopiâ contabescere finerent. *Thomam Ereskinum*, meliori famâ, Cohorti ad custodiam corporis institutæ præponit; qui Industriâ atquè vigilantiâ viguit; Servos pro Officijs præstitis modò remunerat, & procurationibus amplissimis ornat. Piget sigillatim referre Liberalitatem, ac Munificentiam. nec Princeps tàm pius, tàm Munificus, expers Insidiarum permansit.

Franciscum Maubrajum, homo turbidus, ferox, & manu promptus, destinavisse occidere *Regem*, apud *Elizabetham*, ab *Italo* Magistro Armorum accusatur. Hinc *Regina* deducendum curavit in *Scotiam*, & Indicem, ad convincendum eum; idquè factum ejus passim laudatum. *Italus* Pugil notus, Perfidiæ Scelerisque in Senatu postulavit; sequè paratum, Armis, criminis fidem facere professus est. Nequè *Maubrajus*, ad vitandam Ignominiam, Virtute Judice, dextrâquè, decernere detrectavit. Incertum Crimen, quando Dilator nullis Testibus confirmaret. Certaminis aleæ Juditium committi, Proceres censuerunt. Cum uterque Armis strenuus Certamen exposceret, *indulgentissimus Princeps* destinata exequi passus non est; ac postero die, Donec fides Criminis civiliter fieret, reductus est in *Arcem Edenburgensem Maubrajus*: ex quâ tædio aut Impatientiâ cum evadere conaretur, Clatris ædifissimæ fenæstræ revulsis, ut exitus liber foret, per dimissum funem ad Tignum religatum, sed fortè breviorem, quàm ut radices Rupis attingeret, fractis gravi Casu totius corporis Ossibus, in subjectos Scopulos decidit. Ad strepitum excitati Custodes, semianimem palpitantemquè, & sævis Cruciatibus Mortis conflictatum excepêre. Cadaver publicæ Infamiæ servatum; & in medio Foro Urbis Regiæ, Furcæ datum. Decretum Accusatori præmium; & *Itali* Inditium *Quinquaginta Librarum Anglicarum* annuâ Pensione remuneratum.

Per eosdem dies, insidua inter Illustres familas Odia recruduerunt. *Moravius* Adolescens, eum suis Clientibus, Necem *Huntleo*, qui Patrem ejus interfecerat, afferre conatur. Multi *Proceres* se Execratione devinciunt in Cæde vindicandâ Mortem oppetere. Quâ re intellectâ, *Rex*, promptissimus Affinitatis cujusquè, atquè Amicitiæ Conciliator, missis Nuntijs accersit in Aulam *Huntlæum*, & *Moravium* jam Adolescentem; de Reconciliatione eorum in Sanctiori Consilio agit. Inter hos viros Nobiles ejusdem Amplitudinis, diutinæ ac vehementes Inimicitiæ erant, quas *Moravij* Cædes excitaverat, ut antè dictum est. Cum uterquè ingenti Clientum manu (*More Scotorum*) *Edinburgum* venisset, *Rex* apud eos ita verba facit: Nihil, inquit, in præsentiâ necesse arbitror, Statum rerum præsentium, & mutuas Nobilium Clades deplorare, quæ nimis notæ omnibus sunt; aut Mala commemorare, ex intestinis simultatibus orta. Inimicitias, per Annos multos, vobis ipsis graves, & perniciosas geritis;

geritis; quæ periculum est, ne ex hoc die nobis, & Regno nostro, quàm vobis graviores fiant. has, ut hodiè finiatis quæsumus, ne publicè *Regno*, privatim *Vobis* afferant exitium. Deindè omnium *Procerum* qui aderant Voces, idem petentium, confusæ, *Orationem Regis* interpellarunt; *Moravium*, per gloriam Majorum, hortantium, ut communi Regni utilitati Memoriam Paternæ Cædis condonaret; ne privatis Simultatibus publica Commoda remoraretur; Regiam Dignitatem imminueret; Remp: distraheret. Exin *Moravius* Adolescens, *Regis* Authoritate, & Amicorum, qui plurimum apud eum poterant, Consilijs permotus, atrocem Injuriam publicæ utilitati remisit; ac de utriusquè Consensu, dilecti ad componendas Controversias Arbitri. Quorum fide Industriâque, veterum Simultatum accisis radicibus, & novæ Affinitatis fundamentis, Amicitiâ & Affinitate, juncti *Socer & Gener* destinantur. *Moravio* à Proceribus gratiæ actæ, quod privatis Simultatibus publicam utilitatem potiorem habuisset. Evulgatâ Reconciliatione, Cura Principis super tali re, & Prudentia egregiè comprobata à Vulgo, ac celebrata. 1601.

Eodem tempore *Maxvallius*, Juvenis admodum ferox, instigantibus Amicis, aut Ingenij vitio pervicacior, nec Imperio, nec gratiâ Principis, nequè Minis, aut ullâ aliâ ratione adduci potuit, *Iacobo Iohnstonio*, Familiæ suæ Principi, Paternam Cædem remittere, aut animum ab Odio ad gratiam deflectere. Nequè Clientum repertus est quisquam, qui *Maxvalliana Cadis* statim oblitus est, aut Mori recusavit, si Ultio daretur. Adeò chara fuit salus Patroni; Alimentum huic Nobili Juveni Temeritatis & Ferociæ, mox exitij, ut suo loco referam.

Tum missus in *Scotiam* legatus, à *Franco*, Baro *Touresins*, preces & Mandata *Regis* sui exposuit; remansitque ut in communi cousuleret. Et Adventus ejus gratus fuit, receptusquè in Cohortem Amicorum.

Per hos dies, *Henricus Princeps*, virtutis in illis Annis suprà ætatem non mediocriter admirandæ, liberalibus disciplinis in spem Regni educatus est; Is non solum formâ corporis egregiâ, & pulchritudine sed Animi etiam præstanti Indole, Parentum & reliquorum mortalium ora, vultus, Animos, Oculosque in se convertit, & futuræ frugalitatis, Continentiæquè specimen exhibus. Erat in Comitatu Regis *Ricardus* quidam *Prestonus*, Equestris Dignitatis, qui ob multas Corporis & Animi dotes flagranti apud omnes gratiâ erat. Is adhibitus, ut Militarium exercitationum & Armorum usu Principem imbueret, Militiæ rudimentis instituit: cui ob merita *Desmonia Comitis dignitas* in Hiberniâ, *Iacobi Regis* Munificentiâ posteà data est. Cæterum interest Reip: ut diurna Acta quandoquè posteris prodantur. *Ladislandius Comarchus*, Romanis Sacris in exteris Nationibus imbutus, & Spe præmiorum illectus, in *Scotiam* redijt; ubi veteres *Ritus Romana Ecclesia, & Pontificis*, velut Dei in Terris Vicarij, labefactatam Authoritatem, restituere conatus est. Id cum famâ divulgatum esset, *Ministri* Regem adeunt, vociferantes *Papanorum Audaciam* crescere, & eorum impunitate novis rebus aditum patefieri. *Rex* qui nequè reijcere eorum quærimonias, nequè Reum inauditum damnare sustinuit, constitutâ die Reum Edicto adesse jussit, ut Criminibus objectis responderet. Is in Jus vocatus, cum non paruisset, missi *Satellites Regij* ut comprehenderent; ac ille Latebris, aut Sylvis se eripuit; & in *Æbudanis Insulis* occultè delitescens, aliquot Annis periculum evitavit; donec *Andreas Knoxius, Paslettensis Minister*, ad rem atrocem adjecit animum, & facinorosos Sicarios, Latrocinijs infames, spe Veniæ inductos, de inserendâ *Ladilandio* Nece sollicitavit; qui ex Insidijs, multis vulneribus confecerunt. Hujus Atrocitas sceleris magnam Invidiam Authori Culpæ concitavit. & *Pontificiorum* Indignationem non mediocriter auxit, quod idem *Carum I: Cautes*, eum Chirographis *Papanorum Comitum*, ad Hispanum comprehendisset. Hanc Cædem fædam per se *Georgius Conaus*, horrendâ verborum Atrocitate, fædiorem facit, in *Tractatu de Duplici statu Religionis apud Scotos*. Nam Mors istius, non tàm ipsa fortasè immerita, quàm pessimo in publicum exemplo, perpetrata. Item magnum Odium *Pontificiorum* excitavit *Silvij Boningtoni* Mors, quæ non tàm innocua, aut laudabilis, quàm immodicis laudibus *Conai* in Cælum fertur. Quippè Iste exhæredatus, expugnatâ Patris Arce, & ablatis Prædiorum Tabulis, supplicium veritus profugit. Mater ferox fæmina, de Injuria Conjugi illatâ queritur. extemplò missi è Ministerio Regio, qui comprehenderent, inopinantem oppresserunt, perductumque ad Tribunal filium ad Disquisitionem Judicum vocat. Qui Causâ cognitâ, & graviore Sententiâ pronuntiatâ, Securi percussus est. Hoc Judicium nullo *nequè Iure nequè More* factum contendit *Coneus*, execraos *Matris* inhumanam Crudelitatem, *Iudicum* Iniquitatem, & *Ministrorum* immanem feritatem. Nec solùm *Ministri*, sed Principes etiam Contumelijs perstricti; quod facit *Toto Libro*; sivè Consuetudine Naturæ depravatæ; sivè vehementi Odio, quod in *Religionem instauratam* susceperat; sivè Conscientiâ suâ; cum de se mutuò, malè sentire Patriam crederet; sivè ut *Pontificis Romani*, patroni sui, gratiam aucuparetur; & Adversantes Libidini ejus, verborum acerbitate ulcisceretur.

Hoc Tempore *Legati ab Hameto, Mauritania Rege; & Pheodorico, Imperatore Russia*, in Aulam venêre, ineunte *Ianuario*. Mandatorum præcipua Capita erant, ut omni studio *Regina* gratiam ambirent. Ibi per solenoes Epulas dies aliquot consumpti; lætitiâque ingenti celebrata Communia. Quibus adhibiti sunt, præter amplissimos Legatos, *Comes Palatinus Neoburgicus, Virginius Ursinus, Bracciani Dux*; & duo *Rohani Fratres*, à Scotorum Rege Cognato visendo reversi, in *Galliam* redituri. *Rei Anglica.*

1601. Solemni Celebritate *Ludorum & Conviviorum* peractâ, Legatos, ac Principes Nobilitate, & Opibus insignes dimisit; quia rumor *Batica Classis*, Auxiliariumque, à Ludis ac Epulis exivit, undè alijs Curis omissis, in Belli apparatum intenta fuit. Nam etsi languore ac Senectâ desarigata, tamen Conatus magnos & improbos *Hispanorum* haud formidavit. Milites opprimendis eorum Cæptis, & supplendis *Hibernia* Legionibus, conscripsit: Ordinum Regni Conventum *Vestmonasterij* habuit; in quo *Proceres & Procuratores Civium* deliberant, quomodò ab *Hiberniâ*, ad sua defendenda, *Iberos* averterent: & de ratione universi *belli Hibernici* consultant. Tributa, Collationesquè pæcuniæ non detractant; Idoneis hominibus dant negotium, ut Commeatus Navesque præpararentur, pæcuniæque pro modò facultatum imperarentur; ne Provincia, Annonæ fæcunda, hostibus pateret; timent Latus Provinciæ, quod *Hispaniam* spectat. Igitur *Classem* instruunt, & *Richardum Levesonum* præficiunt, ut Oram Maritimam *Hibernia*, quà vergit in *Hispaniam*, tueri posset; ac in *Momoniam* Supplementum traijceret. Quibus rebus constitutis, promissisquè, salutares Leges, *de pauperibus infirmis, debilitatisque agris, Militibus, & Nautis, facultatibus publicis, sublevandis; de Malitiosis, fraudulentis Testamentorum Curatoribus; fucosis Mercibus; Pannariorum fraudibus, atquè fallacijs; Latrocinijs in Finibus Regni coërcendis*, latæ sunt. His Comitijs plebejus Ordo, libertati insuetus, de *Monopolijs* regijs Diplomatibus concessis, per causam boni publici speciosam, sed magno Reip: detrimento, & singulorum jacturâ; Operibus insolitis, Novis Tributis, ac Vectigalibus, graviter conqueritur. Itaquè *Libellus Supplex Regina offerendus* perscriptus est; quo deplorat Temporis statum, ac Novorum Tributorum, imprimis *Monopoliorum* onera deprecatur. Quâ re compertâ, *Reginâ* ut preces præveniret, promulgato per Præconem Edicto, *Diplomata*, per fraudes ac Malitiam impetrata, irrita pronunciavit. Reliqua *Fiscalia Edicta* legibus vindicanda reliquit; & Onera Plebis, fervente bello, levavit. Pro quibus Meritis, *Apolectos* plebei sui Ordinis *Octuaginta* misit, ut Regiam humanitatem in Patriam, omne genus hominum agnoscerent; qui per *Oratorem* Ordinis, amplissimis verbis maximas ei gratias egerunt ac habuerunt; & suo, & *Plebis* nomine; quos humanissimis verbis exceptos, in hanc sententiam alloquitur; *Meritam verbis gratiam debitamquè refero, ob perspectißimam vestram in me Benevolentiam, non opinione tacitâ, sed unâ voce Universi Ordinis declaratam; quâ me Errantem à Semitâ Erroris revocastis. Caterum, ea vestra in me Merita sunt, ut nihil Civium Salute, & Amore charius habeam. Atquè hoc in maximi beneficij loco accipio, quod vestrâ Curâ ac diligentiâ* Vultures, harpyæ, & hirudines *innotescerent; qua quotidie* Monopolia, *& Nova Onera in perniciem plebis excogitarunt, obtentu boni publici. Polliceorquè, in publicis bonis augendis, gratam Animi benevolentiam nunquàm defuturam. Mente & Dextrâ mutilatam me malo, quàm hujusmodi* Monopolijs, *publico exitio repertis, nomen subscribere. Regia Majestas gloriâ maximè excellit, qua Iustitiâ plurimùm prastat. Regij Nominis fulgor Principes rerum imperitos decipere potest, perindè ac Pillula in aurata, febricitantes: Ego autem non sic. Novi enim in Imperio atquè in publicâ dignitate, Omnia ad Civium salutem referenda; non ad Principis privatam utilitatem; & pro Dei Tribunali Rationem rerum gestarum reddendam; Felicißimam me puto, quod, propitio Numine, fideles Subditos habeam; pro quorum Salute sanguinem profundere parata sum; & spero Deum Immortalem gratiam vobis relaturum esse. Deniquè obsecro, ut qua Monopola per fraudem ac Mlitiam deliquerunt, in me Innocentem non transferantur. Vos non ignoratis, Principum Ministros suis Commodis nimis consulere; apud Principes vera reticeri, falsa pro Veris dolosè suggeri; Nec posse per se omnia providere; pracavereque.* Fuit hæc Oratio Plebi valdè grata, & Ipsa gloriosa; quæ semper commemotabitur à Posteris.

Hoc Tempore, quo *Principis* animus erat Solatio confirmandus, ei gravem molestiam *Essexius* exhibet. Qui cum Indies cerneret *Cacilij* favorem & gratiam apud *Reginam* crescere; sibi Spem nullam Dignitaris aut Quæstus, ex *Repulsâ Vinorum dulcium* superesse, ad multò antè præcogitatum in *Hiberniâ* Facinus, de summovendis æmulis, revolutus est; & novam Facem *Regina* Iræ adjecit, *Vetulam animo magis quàm Corpore deformem dictitans*. Hanc Contumeliam *Puella Regia* suis querelis accenderunt, & ad spretionem Formæ, ex composito traxerunt, quâ Illa, maximè etiam vergente ætate, delectata est. Quæ à *Reginâ* audita, altius in Pectus descenderunt. His per se ægra mens *Comitis*, Casu acrius stimulatur. *Baro Grajus*, in *Southamptonium*, in publico equitantem, stricto gladio impetum facit; qui se à Furore ejus tutatus est. Ille Temeritatis pænas, jussu *Regina*, Carcere luit. quâ re cognitâ, *Essexius* Amicis Injurias Inimicorum in se commemorat: *Southamptonium*, Necessarium suum, Insidijs in Regiâ Urbe petitum; Insidiatorem *Graium* Manifestum, brevi Custodiâ coërcitum. Suspectum se *Regina* quotidiè, & opportunum Inimicorum Criminarionibus facit. Prudentiores Amici, prospicientes animo exitum Fortunæ, in Exitium ejus imminentis, demonstrant, debere Indignationem & Iracundiam suam Reip: remittere; ne se, Stirpemquè suam funditùs everteret; *Regina* gratiam, salutarem ipsi Patriæquè, suppliciter orare; ne Adversarijs triumphandi Occasionem præberet, Tempori ac Fortunæ cedere; atquè totam *Angliam* metu liberare. Sed surdis auribus cecinerunt. *Comes* enim respondit, se ad privatam ac inhonoratam vitam redactum; honoris sui Jacturam, Reip: causâ, æquo animo tulisse; dolere, *Regina* Beneficium publicè indultum, sibi per Contumeliam ab Inimicis ereptum; Jam pridem hanc Tempestatem imminentem prosperisse, quâ eversa Dignitas sua; & minùs liberali *Regina* Responso, in *Petitione Vinorum Dulcium*, perterritum fuisse: & plura dixit auribus Adversariorum ingrata; in quibus plùs Animi quàm Consilij inesse, etiam Amici pronuntiarunt. Crescente in dies *Essexij* Indignatione, & adversæ Factionis potenriâ;

ut suas

ut ſuas etiam ipſe Partes, acceſſione virium, firmaret, literas ad *Scotorum Regem* dat: quibus queritur 1601. de Iniquitate Inimicorum, & Miſerijs ſuis: eorum immenſam Potentiam & Opes, nominatim perſtringit *Ralleij*, Prætorianorum Præfecti; *Cobbami*, Quinque Portium Cuſtodis; *Cæcilij*, Secretarij; *Burlæi*, Eboracenſis Provinciæ Præfecti; *Carei*, Momoniæ Rectoris; *Havarti*, Præfecti Maris; *Buchurſti*, Quæſtoris. Eorum commemorat fraudem & Malitiam in *Regem*; favorem, ac perſpectiſſimam benevolentiam in *Eugeniam Infantem*; nimiâ ejus patientiâ Communes hoſtes inſoleſcere: Hortatur, ut ſuam Exiſtimationem Dignitatemquè ab Inimicorum Calumnijs defenderet; Se, & Proceres, paucorum potentiâ oppreſſos, in Libertatem vindicaret; Oratores in *Angliam* mitteret, qui Jus & æquitatem in *Succeſſione Regni* urgerent; ne ſuper Impunitatem, præmio ſceleſtæ fraudis Inimici fruerentur, qui externæ dominationi contrà Jus Faſque ſtuderent. *Cuffus* has literas *Ioanni Nortonio Bibliopolæ* perferendas tradidit; qui *Edinburgum* pervenit; ibiquè *Regi* reddidit. Ille re deliberatâ, proſpicit animo, quantâ cum Injuriâ ſuâ, *Hæreditas Regni Anglici* ventura eſſet ad *Infantam*, Scripta Mandata ad Comitem per *Nortonium* remittit, ac *Verſiculo Virgiliano* admonet, ut fugâ Saluti conſuleret, ſequè ab Incendio flagrantis Iræ ſubtraheret.

Heu! fuge crudeles Terras; fuge Littus avarum.

Eſſexius interim Suſpicionum novas cauſas, Temeritate ſuâ, *Reginæ* ſubijcit; clàm enim honoratos Amicos evocat; ac Viros Militares, ſtudioſos ſui; quos in Vicinia ædium ſuarum occultè Diſponit. Mox habito *Conventu Procerum ſuæ Factionis*, Ipſe arcanò cum paucis familiaribus ſuis colloquitur; quidnam agendum ſit conſultat; re deliberatâ, facilè inter omnes convenit, pro Dignitate & Securitate *Comitis* nullum periculum detrectandum; Conciliandos animos Plebis; ulciſcendas Inimicorum injurias, quorum princeps fuit *Cæcilius*; Ludibria, Supplicia, Cruciatus evitandos. Igitur cum *Cæcilij* partes, magnis auctas incrementis, omniaquè ſibi infeſta cerneret; Amicorum in Urbe affectus cognoſceret; ac *Proceres*, Opes, Arma expedire paratos videret, ſi Dignitati ſuæ, & Ipſorum Securitati conſuleret; conſultavit inter proximos, *quâ potiſſimum ratione, tantam* Cæcilij *Inſolentiam, & ſui Inſectationem reprimeret?* Alij tentandum Populi ſtudium; pleriquè Curiam occupandam, cenſuerunt. Tum *Eſſexius* à Theſi ad Hypotheſim deſcendit: juſſitquè, *Southamptonium* fidiſſimum ſui Cultorem, aſſumptis quatuor Equitibus, *Chriſtophero Blunto*, Vitrico; *Carolo Daverſio*, Southamptonij Neceſſario; *Ioanne Daviſio*, Machinarum ſubpræfecto; & *Ferdinando Borgio*, Plimouthenſis Præſidij Præfecto, in ædibus *Drurianis* conſultare, *tentaretne Vulgi favorem, an Palatium adoriretur?* Diverſa Conſilia afferebantur. Quibus *oppugnari Curiam* ſtatim placebat, dixerunt, Non aliud periculis inſtantibus Remedium, quàm ut *Reginam*, quovis modo, in ſuam redigerent poteſtatem: & facilè eſſe, Aditum Regiæ globo Armatorum obſidere; Cohortem excubantem ſtatione dimovere; Inimicos, repentino motu trepidos, circumdare; eorum Potentiâ labefactatâ, & trucidatis quos placitum eſſet, Conſtitutâque ad Arbitrium Rep: poſſe *Reginam* permoveri, & Moderatione Prudentiâquè in tempore leniri; ſi in Sententiâ perſiſteret, Voce & Minis Muliebrem Animum flecti poſſe. Nec Dux, Auctor, Actor, quamvis audaci facinori deerat. *Carolus Daverſius*, Flagrans Juvenis cupidine Laudis, operam ſuam pollicitus, ſe, ſi Cæteri adjuvarent, impetum in Palatium facturum. Convenit autem ut *Chriſtopherus Bluntus*, magnâ Nobilitatis turbâ *Portam* occuparet; *Daviſius* Atrium invaderet, *Daverſius* magnam Cameram, & Satellitium adoriretur; Ipſe *Eſſexius* Reginæ genibus Supplex accederet, oratum, ut ſibi ignoſceret, Inimicos adminiſtratione Reip: ſummoveret. Contrà diſſerebant, qui tentandum Vulgi favorem, & Civium ſtudia cenſebant, ut ad res Novas conſurgerent, ſecuros ſe eſſe de Conſtantiâ Plebis; omnes vel Beneficijs, Comitate, ac benignitate conciliatos; vel Metu nihil auſuros, cum aſpicerent Virum Nobiliſſimum Morti obvium; audirent preces & querelas, ut imminenti exitio liberarent; Certè laudabilius periturum, dùm amplectitur Civitatem, dùm Auxilia invocat, dùm pro Dignitate omnem Fortunam experitur, dùm ipſe Majoribus, dùm Poſteris, ſi Vita præciperetur, Mortem approbaret. Cohibuit ferociam Amicorum *Eſſexius*, ne Vana & exitioſa inciperent; tum paratos intentoſquè eſſe juſſit; Conſilium & exſequendi rationem ſibi reſervavit. Cæterum Ipſe, *utrum oppugnare Curiam, ac ſtudium Plebis tentare, expediret*, Meditationi ſuæ reliquit. Deſtitutum utrumquè Conſilium, Morâ & dilatione *Comitis*, Ultionem in Occaſionem differentis. Interim *Eſſexij* occulti Conatus noſcebantur. Adverſariorum Conſilia pleraque ignota; quod primum Secordiâ ipſius factiorum; omnia timidius trepidantiuſquè agentis; deinde *Vyſemani* flagitioſâ Perfidiâ. Servus hic *Eſſexij*, & unus corruptus Largitionibus, ad prodendum Herum; Is in patientiâ Laboris, Periculiſque, ferrei propè Corporis, Nocte Interdiu Pervigil, particeps ad omne Secretum erat: cæterùm Animo perfidioſus, & ſubdolus, Avaritiam ac Malitiam callidè occultans, & certa præmia Perfidiæ ſecùm reputans pro Incertâ ſpe, Cuncta quæ audirat conjectaveratve, *Marberio*, (cujus Servitio eâ in re *Cæcilius* utebatur) aperuit. Is rem omnem uti cognoverat, ad *Cæcilium* detulit. Hic corruptus in dominum, magnum dedit Poſteris Exemplum præcavendi Servos, ſpecie bonarum Artium falſos, improbos & inſidioſos. Sed is propè ſolus, qui fide & Officio florentem *Eſſexij* Fortunam coluerat, afflictam deſeruit, Perfidiæ Infamiæquè ſuæ ſuperfuit; Pudor Facinoris effugere Ora, Colloquia, & Cætus hominum coegit; ita ut pleriquè Mortem ſibi conſciviſſe crediderint. Hoc certum non fero ſolum, ſed Luce & publico caruiſſe. *Marberius*, Internuntius inter eum & *Cæcilium*, velut Numine plectente, *Tameſi* poſteà abſorptus eſt.

1601. Credidêre plerique, *Ralleij* Consiliis concussam *Ferdinandi Georgij* mentem, & quæ acta futuraque erant ei enuntiasse. *Cacilius*, pravo Consilio cognito, *Regina* nuntiavit, Arma in Domum *Essexij* portari; eumque Conciones turbulentas domi habere; ac, non dubia Consilia agitare, Nocturnis Cætibus, de occupandâ Regiâ. *Regina*, in tantâ Reip: Tempestate, multa secum animo volutans, in Aulam *Senatum* advocat, quidnam in tali discrimine faciendum esset deliberat. Pavorem mistum Admiratione audientibus injicit. Cuncti censent, Occasionem commodè oblatam, ut eo *Essexium* Seditionis ac Turbarum Authorem, cum sceleratâ Factione accerseret, ad sanitatem flecteret; & si venire recusaret, publicum hostem judicaret. Alij occultè comprehendendum consulunt, & Vinctum in Turrim rapiendum. Omnes festinandum, antequàm facinus inciperet. Divulgato facinore, Senatus *Essexium* ad se accersit. Is sibi Culpæ conscius, abnuit in Aulam venire, in quâ tot tàmque potentes Adversarios haberet; quosdam etiam, nuper Capiti suo insidiatos. Is cum vocatus non paruisset, exemplò censuit *Cacilius*, spreti Imperij pænas ab eo exigendas. Tutissima in præsentibus non omisit. Urbanos *Essexio* addictos, nihil adversus eum ausuros intellexit. Igitur fidissimos *Regina* Cultores, quosque *Essexio*, aut Amicis ejus adversos cognoverat, contraxit; validam manum, & prælio paratam, Duce *Graio*, Juvene Nobili, dispositis Satellitibus *Regys*, susque & Amicorum servitijs, clausis foribus, Curiâ arcere, si Armis ageretur, decreverat. Interim *Essexius*, somno confusus, à *Cobbamo*, & *Ralleio*, de Cimbâ cum Vigilijs, Custodijsque suis colloquentibus, in Curiam accitus, suspectam Inimicorum fidem & periculum caussatus, in Contumaciâ persistit. *Ralleius* instat, velle, si sibi fiat potestas, *Ferdinandum Georgium* convenire; qui factâ potestate domo egreditur. *Ralleius* cum eo de Salute suâ agit. Ille vicissim monet *Ralleium*, ut sibi prospiceret. Nec deerant, qui crederent, *Georgium* tunc Consilia sociorum detexisse. Utcumquè fuit, res diutius tegi dissimularive non potuit. Ubi *Comes* sentit proditum Consilium esse, literis circà Amicos & Clientes conscios missis, ad aliquid audendum concitat, pro salute omnium, ac dignitate; quem in locum convenire velit, certiores facit. Ubi re cum præcipuis eorum communicatâ, Consilium de Aulâ occupandâ, per Quatuor Menses concoctum, labare cæpit; & ad Novum revolutus, deliberavit, *An Regiam protinùs occuparet? An Civium studia periclitaretur? An fugam necessariam duceret?* Qui aderant, ab *Aula oppugnanda* Consilio abstinendum censent; quia nihil ad rem tantam suscipiendam paratum instructumque fuit; & in Aulâ perpetuis Vigilijs, Stationibusque ad defendendum cuncta provisa. Vulgi studia tentanda constituunt. Ipse Sententiam approbat, Civium Charitatem, Benevolentiamquè prædicat; prætereà compertum cognitumque sibi, alieno esse animo in Adversarios, ex Invidiâ atquè Obtrectatione; neque ijs persuaderi posse, ut eum in periculo deserant, cujus Honori atquè Dignitati semper faverant. Cum jam periculum in Morâ cerneret, die insequenti urbem ingredi constituit, ac Civium Opem contrà Adversarios implorare. Primâ Vesperâ secessionem facit; totâ Nocte feroces homines circummittit, qui Amicis significarent obsideri se; *Cobbamum*, & *Ralleium* Insidias Vitæ struere. Postero die, qui fuit *Dominicus*, primâ luce, Proceres qui arctiorem Amicitiam cum *Essexio* habebant, in ædes ejus concurrunt, *Southamptonius*, *Rutlandius*, *Bedfordius*, *Sandesius*, *Montaquilius*, *Cromuelius*, Supremi Ordinis, & Viri Militares equestres complures, familiari Amicitiâ Plerique illigati *Essexio*, Præfecti Centurionesquè; quibus commemorat Insidias Vitæ suæ structas, Civiumquè Ope Injurias Inimicorum ulturum. *Regina* jam certior facta, *Essexium* ad Rebellionem spectare: periculumque esse, ne Nocturni temporis licentiâ, Impetum in Aulam faceret; omnia quæ tunc ageret diceretquè eo tendere; Portas, Murosquè Civitatis asservari jubet, frequentesquè Vigilias, Custodiasquè in *Regiâ* disponi; atquè hortatur, ut non solum ab Insidijs caverent, sed etiam singularum occultos exitus observarent. Missi quoquè Quatuor Consiliarij, *Egertonius* Sigilli Custos; Vigorniæ Comes; *Pophamus*, Judex rerum Criminalium; & *Gulielmus Noulesius*, Illustris Eques, Avunculus; ut repentini Motus Caussam cognoscerent; eum à flagitioso proposito, & Armorum Certamine, Pænitentiâ vel Metu revocarent. Qui Famulis exclusis, difficiles ad *Comitem* aditus invenerunt; deductique ad Conspectum ejus. *Egertonius*, propositâ antè oculos *Fide* ergà *Reginam*; Charitate in Patriam; dignitate familiæ; detestandis exemplis Discordiarum; & horrendis eventibus; incipit familiariter monere, ut memor *Majestatis Regia*, & sui pariter Officij se non minùs Fide quàm factis Illustrem, non modò à fœdâ Proditionis maculâ, sed ab omni Suspicionis notâ liberaret; quoad sinè Reip: jacturâ fieri posset, sibi & Posteris consuleret; Neu se Stirpemquè suam, & florentem domum funditùs everteret; segregaret à se Turbidos, Infidos; ut si quid anteà offenderit, non Vitio naturæ, sed Improborum Consilio tribui posset. Cui *Essexius* clarâ voce respondet; Debere Unumquemq; suæ Salutis rationem habere; seque petitum Fraude & Insidijs Inimicorum; solicitatos Sicarios qui lecto confoderent; per fidè ac sceleratè secum agi; Literas exitiales, à Scribâ, imitante Chirographum, vitiatas suo Charactere, & Nomine, Signumquè Adulterinum appositum fuisse. comemorat convenisse, ut vitam dignitatemque ab Inimicis defenderent, quorum Malitia nec Patientiâ, nec Miseriâ suâ satiari posset, nisi simul exorbeatur sanguis. *Pophamus* in eandem sententiâ colloquitur, admonetq; nullam adhuc Secessionem factam; nihil inexpiabile admissum; posse Pænitentiam pro Innocentia accipi. Iterum *Custos Sigilli* instat, atq; urget, ut Offensiones privatum *Apolecto* exprimeret. Conclamant qui aderant Clientes, *eamus, patientiâ tuâ abutantur; te produnt, & perdunt*. Mox suspecti *Ministri Regina*, & in ædes interiores adducti, comprehensi in Custodiam dati sunt, *Ioanni Dariso*, & *Oveno Salisburio*. Ita *Apocleti Principis*, temerario

temerario ausû, in Cubiculum seorsùm sepositi, *Gulielmus Mericus*, equestris Ordinis, intentiorem Custodiam Domus habere jussus. Ipse *Comes* stipatus Catervâ Nobilium Juveuum, (erant circiter 800, Comites armati, omnes Viri fortes, ac Virtutis expertes) *Octavo Februarij, sub horam Nonam, diei Dominici*, urbem ingreditur, & Servitia adijcere Comitatui studet. quacunquè incedit concionabundus, pavorem ac tumultum facit. Modò semet ostentans Inimicorum Insidijs circumventum, Scelere *Cobhami, & Ralleij*, intempestâ Nocte penè interceptum; modò singulos orans, ut Opem sibi in ultimo Discrimine ferrent, nevè antè Oculos suos trucidare finerent. Foro medio, luce meridianâ, videntibus ipsis, Multitudinem adeò commovit, ut ex omnibus Oppidi partibus, in Forum ruerent. In timore Civitas fuit; conversa in eum Plebs, novitate rei, nihil movit; & quasi Spectaculo intenta, Spectatorum turba facta est. Inter hunc strepitum & tumultum, *Essexius* in Domum *Thomæ Smithi, Urbani Iuridici* secessit; sivè ut ejus operâ Servitia concitaret; sivè ut Tumultus, & concitatæ Plebis eventum spectaret. Iste vel gnarus Conjurationis, & Pænitentiâ mutatus; vel nescius, & proindè Metu percussus, per aversam domus Portam furtim digressus, ad *Prætorem Urbanum* se contulit. Dum hæc aguntur, rumor imminentis procellæ in Aulam perfertur; nec minorem ibi motum Animorum, res tam atrox facit; suspensis omnium animis, quorsùm Tumultus evaderet. *Regina* incerta rumore, & rei Miraculo perterrita, Edictum ad reprimendum motum proposuit; quo Venia ijs, qui Simplicitate potiùs, quàm Consilio ferrum sumpsissent, concessa est; si ab Armis discederent. Seditionis ac Turbarum Autbores, hostes judicati. *Diploma à Cæcilio conscriptum*, & recitatum pro Foribus Palatij: quod ubi *Londini* per Fecialium regem promulgatum, opportunum remedium fuit; & legitimæ Potentiæ præsidium, adversùs Tumultuantes adhiberi cæptum; Magistratus Jure suo passim utuntur; ad Arma toto Oppido conclamatum est. *Essexius*, audito Perduellionis nomine, furens, cunctaquè rursùs in Turbas & exitum conversurus, circumfusæ undiquè Multitudinis fidem implorat; de Superbiâ ac Crudelitate Inimicorum, & Miserijs Plebis quæritur; de Fide & Officio ergà *Reginam* protestatus, Fremit Arma contrà eos, qui ad opprimendam Remp: nefaria Consilia miscuerant: Non contrà eam sumpta, ut ipsam periculo, Patriam extremo metu, Populum assiduis Tributis vexatum liberaret. His, Atrocioribusquè alijs, quæ rerum indignitas haud quaquam referre finit, memoratis, incendere Multitudinem ergà suos Principes fidam, ferociâ verborum, finè effectu, est conatus; haud sanè movit quenquam. Crebris interim Nuntijs, ab Amicis monetur, ut sibi ocyus consuleret. Cum suis in Forum ire pergit, & ad celebrem urbis Vicum, gentili vocabulo *Gratiosum* dictum venit: quem Locum magnâ Clientum manu, *Burleus Baro, Cæcilij frater* insederat, ad coercendam ejus Audaciam. Nulla ibi inter obvios salutatio. Clientes utrinquè infensi, primò arma expedire, dein mutuâ formidine Prælio decertare baud ausi, non ultrà Jurgium processère. Pressit iras *Essexius*, neque Minantibus, neque Proditionis Crimen intentantibus vim intulit. Dilabentibus paulatim suis, sensit quàm fluxa Fides hominum in Adversis esset: & cum Vim intentam cerneret, recipit se in Catervam suorum; ac per *Luddi Portam* redire statuit, Spe gratiam apud *Reginam* consequendi, precibus *quatuor Senatorum*, quos domi concluserat. *Ferdinandus Gorgius*, cum Mandatis præmissus, ad *Ioannem Levesonum*, qui Cohorti excubanti ad *Luddi Portam* præerat, oratum, ut *Comiti* transeundi Licentiam daret; quam non impetravit. Is arreptâ hinc Occasione, *Comiti* suasit, ut ipse ad Consiliarios liberandos mitteretur; ac Illis Veniam suppliciter deprecaretur; nutante adhuc *Reginâ*, & de successu dubitante; nullo Cruore effuso; & Civium animis adhuc fluctuantibus. *Comes* jubet, ut unus *Pophamus* Libertati restituatur; qui oblatam Libertatem aspernatus est, nisi *Egertonus* simul liberaretur. *Gorgius* liberavit omnes; & cum illis, *Tamesi*, in *Regiam* subvectus est. Intereà *Essexius* progressus, ad *Luddi Portam* pervenit. Sed dispositis ibi præsidijs, & validâ Armatorum manu, à *Baucrofto Præsule Londinensi*, in parte superiore ædium, versisquè ad viam fenestris, & Cohorte Civium sub duce *Levesono*, ad Portam excubante, quominùs perrumpere posset, prohibitus est. Impetum fieri jubet; modicum ibi Prælium. Improviso tumultu *Christophorus Bluntus* in Custodes irruit; *Vaitum* proximum gladio transfigit. Simili confidentiâ Cives suos adjuvant. Scloppeti Ictu graviter vulneratus, *capitur ipse Comes*, galerâ globo trajectâ, in summo Vitæ discrimine versatur. *Tracius*, dilectus Adolescens, ad pedes prostratus interijt. Atquè hic *Essexianorum* Conatus frustrà fuit, sivè Fato, sivè justâ adversùs Tumultantes Numinis Vindictâ. Ubi *Plebem* quoquè & Servitiam pro *Reginâ* armari nuntiatum est, per Angusta & lubrica Viarum, ad *Tamesim* deflectit. Socij pavidi, ac properantes sequuntur; nec perindè Vitæ discrimen, aut Metus, quàm Pudor & Dedecus publicum obstupefecerant. *Essexius*, rebus trepidis, tutissimum è Præsentibus ratus, domum regredi; & *Quatuor Senatorum* beneficio, quos domi, appositis Custodibus, detinuerat, Salutem pacisci: Consilium ab omnibus approbatum. Itaquè transmisso Cymbulis *Tamesi*, cum Catervâ procerum, Equitumquè, quorum nomina repetere haud est operæ pretium, domum suam imminentem fluvio repetit. Comites in Itinere disjecti, & pro Proditoribus habiti, per varios Casus elapsi sunt. Quidam servili habitu, Alij fide Amicorum contecti, & per Tabernas abditi; interrepti deindè pauci infimæ Sortis, & in Carcerem conjecti. Ipse *Essexius*, ne prosperis quidem rebus firmus, adversis valdè debilitatus, cum *Consiliarios* quoquè, *Ferdinandi Gorgij* fraude dilapsos cognovisset; abscissis omnibus Præsidijs, ad tuendam domum, Curam intendit; literas arcanas incendit, ne cui fraudi essent. Intereà Proceres Aulici, & Primores Civitatis, raptis, quod cuiquè obvium, telis inermi 1601.

1601. inermi quoque sequente turbâ, Palatium complevêre. Agit grates omnibus *Elizabetha*, pro Fide ac Obsequio; & ad expugnandam *Essexij domum* prorumpere jubet. *Nottingamio* Maris Præfecto Obsidionis curam demandat. Is confusâ *Aulicorum, ac Procerum*, quorum Nomina tradere non est expeditum, & urbanorum Civium Multitudine stipatus, *Essexianas ædes*, dispositis Stationibus, undiquè cingit. Superstantes Tectis ædificiorum *Essexiani*, ad serum usquè diei Saxis Tegulisque aditu arcent; donec à *Sclopp etarijs*, per conjuncta ædificia scandentibus, pellerentur. Subierunt Obsidium etiam fæminæ; inter quas maximè insignes *Vxor, & Penelope Soror*, cui omnia alia Naturæ Ornamenta fuêre, præter Pudicitiam. Cum frustrà multi Conatus ad erumpendum capti essent; & clausâ domo, insesso etiam *Tamesi*, erumpere sinè certâ pernicie non possent, quod in perditis rebus accidere solet, consultatum; alijs Deditionem; alijs Mortem, & non inultum exitium suadentibus. Cæterum, ut quisquè fidus, & manu promptus, ita Deditionem penitùs abnuebant; discrimen ac dedecus ostentantes, & fluxam Inimicorum fidem, si in eorum potestatem, Mortis metu, venirent. Manifestum discrimen in Deditione, Spem reliquam in ultimâ desperatione, & propero fine; moriendum *victis*, moriendum *Deditis*: Id solùm referre, ne novissimum Spiritum, per Opprobria & Contumelias Inimicorum, torti Carnificis manu, effundant; neu capti, potiùs sicut pecora trucidentur, quàm Virorum more pugnantes, Cruentam atquè luctuosam Victoriam Inimicis relinquant. Mulieres intermixtæ viris, fortia Consilia fletu singultuque impediebant. obruebatur ipsius *Comitis* animus Irâ, Impetu, & Curâ, ne vecordi Pervicaciâ minùs placabilem *Reginam* redderet Conjugi, & filio. *Saruburiensis*, invicti planè animi Centurio, qui bello sæpè præclarus fuerat, Consilij sui exemplum dedit, objiciens se Scloppetarijs, opportunâ Morte ludibrium Inimicorum prævenit. Dum hæc intùs aguntur, *Robertus Sidnejus*, egregiæ famæ & spectatæ Militiæ eques, *Southamptonium* tectis superstantem conspicatus, hortatur ut se dederent properè, antequàm hostilia cæptarent, & damna ultima perpeti cogerentur; nevè obstinatè retenta Arma, non profutura, nocentriores facerent. Hæc dicentem interpellat *Southamptonius*, rogans cui se dederent? an Inimicis? hoc esse se in exitium præcipites dare. an *Reginæ*? hoc esse se Reos confiteri. Si fide publicâ interpositâ, & datis Obsidibus, *Reginam* convenire liceret, ab Armis discessuros; multa se publicè, & privatim utilia, & quæ Incolumitati *Principis* conducerent, allaturos, si Congressum Colloquiumque impetravissent; nec dubitare quin apud bonam Principem, si alienâ Irâ non impellatur, locum habituræ sint, tot Illustrium virorum preces & querelæ. Inimicorum impietatem & Crudelitatam perstringit; ob eamque causam *Proceres* convenisse dixit, ut de atrocibus Injurijs apud *Reginam* expostularent. Post varias hinc indè Voces jactatas, *Sidnejus* ad *Nottingamium* regressus, desideria *Essexianorum* exponit, & ad Deditionem, fide in hæc datâ, posse impelli, ostendit. *Nottingamius* respondet, si quid à *Reginâ* petere vellent, exirent Inermes, in Aulam, supplices proficiscerentur; eâ semper Misericordiâ fuisse *Reginam*, Indulgentiâque ergà omnes suos, ut nemo unquàm frustrà Clementiam ejus implorarit. At audito Obsidum nomine, excanduit; Exitium minitans, Machinas admovere jussit, & Imminentes domo ædes occupare. *Essexius*, cum Præfecti *Regij* vires, suasque pensaret, Vesperante die Deditionem facere decreverat, ne Cunctæ posteritati maculam sempiterni Dedecoris inureret. Sed *Baro Sandesius*, & ferociores Amici ac Clientes, fremuerunt fædam & Ignominiosam Deditionem; fortissima quæquè Consilio esse tutissima; ac monuerunt, ne optimè meritos Amicos, ne fidissimos Clientes desereret; qui Socios se cujuscunque Fortunæ, & si ita ferret, Comites exitij pollicerentur. Ille increpitis Obstinationis Authoribus, Deditionis deterius Consilium retinuit; ne tanto Noblilissimorum hominum discrimine Vitam sibi asserere perseveraret; aut tantum *Auglicanæ Pubis*, & tot egregios Viros manifestis periculis, pro Capite suo objiceret. Post quæ, advocato *Præfecto Maris*, abjectis Armis, futurum se in *Reginæ* potestate respondit: Primusquè cum *Southamptonio, Conjuge, & Sorore*, in illius venit potestatem. Extemplòque in *Lembum*, Nocte intempestâ, impositi, ad *Præsulis Cantuariensis* ædes deducti sunt. Quia Imbre effuso Nox erat fæda, & *Tamesis* sub Ponte haud parvius. Postero die producti in publicum, ad *Arcem Londinensem* Cymbo devehuntur, ne Motus aliquis ex Novitate rei oriretur. Secuti Proceres *Rutlandius, Bedfordius, Montaquilius*, Crumuelius *Sandesius*, & complures Equestris Ordinis, circumfusâ undiquè armatâ multitudine, eodem abducti, misirante obviâ Plebe. Tum ut quisquè Manu, aut Consilio promptus, ita Ignominiæ objectus, & in Carcerem trusus. Nec quisquam adeò rerum humanarum immemor, quem non commoveret ipsa res, Speciesquè miserabilis, & documentum insigne Fortunæ, nunquam diù eodem vestigio stantis; *Essexium* paulò antè Domi Militiæque clarum, exutum omnibus Officijs publicis, per Populum, per Urbem quâ sæpè triumphans incessit, perquè Inimicorum Oculos, in Carcerem abduci. Fortuna omnia Ornamenta, quæ ab Ineunte Adolescentiâ, ad Invidiam usquè in eum contulit, spatio unius diei pessum dedit. Sed magnæ parti hominum, Vir indignus eâ Calamitate, & Fortunæ ludibrio, visus est; ac magis Capax gloriæ, quàm avidus. *Quindecim medios*, usquè ad supplicium, *Dies*, sinè ullâ Sollicitudine, incredibili propè Animi Magnitudine, exegit. Reliqui *Proceres* non pari Constantiâ egêre. Eodem tempore, per *Præconem*, Urbanorum Civium fidem ac Benevolentiam laudibus extollit; monetquè ut publicæ Saluti prospicerent; dispositis Vigilijs, Stationibusquè, occultos hominum Introitus, exitusquè observarent; Si qui turbas, aut Tumultus moliantur, imperitæ multitudinis animos concitando; vel *Reginæ* fidis Ministris, Invidiâ atquè

Obtrectatione

Obtrectatione laudis, detrahendo. Conclamant qui aderant sese paratos esse *Reginæ* suæ Securitati 1601.
consulere, & Amicorum dignitatem defendere. Nihilominùs homines errantes, & vagi per Tabernas ac Popinas dispersi delituerunt; ac plures indies in Urbem confluxerunt; partim Novitatis avidi,

Regina conturbatur.

quid *Essexio*, quid *Southamptonio*, quid reliquis accideret: partim Spe Prædæ illecti. *Regina* verita ne Turbâ spontè & ultrò confluentium, & Nocturni temporis licentiâ, Civitas deriperetur; Urbe quàm primùm Speculatores excedere jubet. Hi ut compererunt paratos, qui Vi & Armis prohiberent, domos clàm refugerunt. Inter ipsam *Cognitionem* & supplicium, *Thomas Leaus*, Centurio magnanimus, & Militum in *Hiberniâ* ductor, venit in Suspicionem, conjurasse ut *Essexium*, *Southamptonium*, *& reliquos Proceres Custodiâ liberaret*; *ac Reginam renuentem vi cogeret*. Is (ut ferunt) Consilium *Roberto Crosso*, strenuo Classiario, detexit; dictitans gloriosum fore, si aliquot Viri Militares, *Proceres* Carcere eriperent: qui ultrò ad *Consiliarios* detulit, re, ut erat, ad eos relatâ. *Leaus*, juxtà Ostium *Cubiculi Regij*, primis Tenebris deprehensus, in Carcerem abductus est. Ubi Postero die, ut *Percussor Reginæ* insimularus, *Indicio Crossi*, & Confessione suâ damnatus, confestim ad *Tiburnam Crucem* tractus est. Ubi Moriens, magno animo nullam Supplicij Causam, *nisi Charitatem Essexij* testatus est: pro quo *Deprecatorem se, nimis ferociter, obtulerat: in præsenti autem Causâ, Innocentem; & nec Cogitationis in Principem* Conscium. Nemo ferè eorum qui aderant de Innocentiâ ejus dubitavit. Non defuêre, qui crederent, *Essexio*, Operam suam, *ad interficiendum Cæcilium*, obtulisse: eamquè Temeritatem, Causam exitio fuisse. Postulante turbidâ Temporum Condicine, salutaris Severitas visa est; ne Peccantium Impunitate, Conatibus novis aditus fieret.

Inter hæc, *Discrimen Essexij, Iacobo regi, per Cursores, nunciatum.* Talis Viri miserandus Casus, *Scotis* luctuosus & tristis; nequè ulli sanè *Scotica* Ditionis mortales fuerunt, qui non ejusmodi Nuntium multis Lachrymis exceperunt. Hunc animorum motum in *Angliâ* cum sciret Rex, ex Literis *Essexij*, & Amicorum; advocato Consilio, inter *Primores Procerum* consultat, *quomodò Essexij Calamitatem consolaretur? Potentiam stabiliret? & in Spe Successionis sibi prospiceret?* Primùm omnium, decernitur in *Angliam Illustris Legatio*; ut Animos Procerum & Plebis conciliaret. Legatus dilectus *Ioannes Marria Comes*, ex Primariâ Nobilitate. Huic additus *Eduardus Brucius Killossensis*, sæpius memoratus. *Rex* utriquè mandata dat, quæ Incolumitati *Comitis* conducerent. Vulgato Legatorum in *Angliâ* adventu, *festinatum Supplicium.*

Intereà *Captivi Proceres* Literis, Indicijs, Confessionibus patefactis, ad *Disquisitionem Procerum* vocati, ut de Criminibus objectis cognosceretur; & *Spretæ Majestatis* pæna ab eis expeteretur. Antè omnia *Regina* rogata, *quid de his fieri placeat*, qui in Custodiam traditi erant? *Lege agi jussit.* Igitur *Proceres* evocati, ut de Causâ cognoscerent; & *Buchurstius Baro*, ærarij Quæstor, *Proboulus* constitutus, Vulgò *Magnus Angliæ Senescallus.* Convocatis *Londinum* Proceribus, protracti è Turre, ad Causam dicendam, *Essexius & Southamptonius*; Ipsiquè XIX *Februarij Vestmonasterium deducti*; ut coràm à Judicibus interrogarentur. Judicium Patrio More constitutum; id enim Juris est apud *Anglos*, ut Regni Proceres, nisi coactis in unum ejusdem Ordinis Nobilibus, in *Capitis Iudicio* Causam dicere non possint. Aderant *Primæ Nobilitatis Comites* IX; *Barones* XV: quorum non est operæ prætium Nomina referre. erant certè omnes homines Clari, & cum Reis plerique propinquâ Cognitione juncti.

Clericus Corona.

Diploma Regium à rerum Criminalium *Scribâ* publicè, & altâ Voce recitatum. Servatâ Juris Solemnitate, *Essexius & Southamptonius* ab eodem interrogati, *permitterentne Proceribus Iudicium? staturiquè eo essent, quod censerent?* Respondere non detrectant; ne, recepto Gentis More, inauditi, indefensiquè, pro Convictis haberentur; ac *Perduellionis* pænâ tenerentur. Antè omnia, *Essexius* supplex deprecatur, in *Southamptonij*, Juvenis genere Nobilis gratiam; ut quod Jus cuilibet Subdito concedi soleat, id tantæ dignitatis viro concederetur; *suspectos Proceres eosdem Accusatores & Iudices declinare.* Justas subesse Suspicionis Causas ostendit, adversùs *Cobbamum & Grajum*; Capitales inter eos Inimicitias Judices. Sententiam, à *Senescallo*, de dubitatione interpositâ rogati, consultare cæperunt. Mox à *Pophamo*, rerum Criminalium; *Andersonio* Communium Litium; & reliquis fori Judicibus, responsum est; Eam esse *Procerum Regni* exploratam fidem, & Authoritatem, *ut nec in Iudicijs ad Iusjurandum cogantur*; *nec Reorum Exceptioni subjiciantur*; nec extarent Majorum exempla, qui provocaverint, aut declinaverint. Proindè *Declinatio frivola declaratur.* Atquè ita ad Causæ cognitionem proceditur. Mox *Tumultus hostilis, Turbatæ Reip:, & defectionis à Reginâ*; *conjunctim postulantur, quod de invadendâ Vrbe, Occupandâ Aulâ, expugnandâ Turre, Consilium inierint. Quod Iuvenes genere Nobiles, cum Telis & Scloppetis ad Seditionem convocaverint. Quod Quatuor Regni Senatores, à Reginâ delegatos, ut à flagitioso proposito revocarent, inexpiabili scelere domi detinuerint, occidiquè jusserint. Quod Londinensem urbanam Plebem, & Servitia, adversùs Reginam sollicitaverint. Quod promulgationem Diplomatis regij, manu Reginæ ipsius consignati, prohibuerint; & post Promulgationem, Essexianas ædes hostili animo tenuerint.* Rei objecta Crimina constanter inficiantur, *& Numinis, Pariumquè* Juditio se submittunt. Tum *Elvertonius*, serviens ad Legem (ut loguntur in *Iure Municipali*) orditur; perstringens perniciosa in Remp: Consilia; Patriam, pro quâ mori debuisset, in discrimen adductam; Semina periculosi belli Civilis jacta; manifestam Defectionem; Ordinem Scelerum, & Eventum. Postremò *Essexium* cum *Catilinâ*; hominem cum homine; factum cum facto; rem cum re, accerbissimè comparavit: & *Crocodili* exemplo usus est. Post quem, *Eduardus Cokus, Cognitor Regius*, & *Franciscus Baconus*, Essexij Munerum

1601. iniquus æstimator, consimili studio, sed majore eloquentiâ, & præparatâ Oratione, insectantur tanquàm Ingratum, & Perfidum in Patriam, & Reginam Patriæ Parentem; ac tot tantorumquè beneficiorum acceptorum Immemorem. Quod Senator, Reip: subditus Reginam; Civis Patriam, tantis Opibus auctus, tot honoribus cumulatus, Offensione Orphanophylacij eo tempore sibi denegati, nefariè spevisset; Ministri personam exuisset; & Principis induisset. Quod Magistratus, qui summum imperium potestatemquè exercebant, incarcerari, occidiquè jussisset. Quod Plebem ad Seditionem concitavisset. Quod Vrbem, Arcem Regiam expugnare constituisset: Christophoro Blunto, Ioanni Davisio, Carolo Daversio, Equitibus Romanæ Religionis, in expugnandâ Aulâ Vices demandasset; ut Reginam opprimeret: disponeret Regni munia ad Arbitrium, præficeretquè Rationibus, Epistolis, & Publicis muneribus, Amicos & Clientes suos. Concludunt Infidelitatis, Perfidiæ, & Majestatis Reum. Indicia, & Testimonia, adversùs eum proferenda, collaudant, quod spontè omnia emanarent, non Tormentorum Cruciatibus extorta essent. Ad ea Essexius, alacri Voce & Vultu respondit; Nemini prohiberi Moderatam sui Tutelam. se Dignitatis, & Salutis tuendæ causâ, non ut Quietem publicam turbaret, aut Remp: oppugnaret, Arma cepisse; sed Iusta, & propè necessaria, adversùs Cæcilium, Cobhamum, & Rallejum; quorum Criminationibus, subdolè confictis, coaluissent pericula sua. Nequè in Armis culpam esse, quæ impellente Necessitate sumantur. cum Inimici Nocte intempestâ, cum armatis Clientibus, Vestibulo insidiarentur. à Multitudine, tumultuosius confluente, coactum, Consiliarios custodiendos censui. Oravit Proceres; & Cunctos qui aderant, ne falsa confictaquè Crimina, ab Vdallo Presbitero, perditâ famæ; & Thomâ Blunto, exauctorato ob Insaniam Equite, pluris obessent, quàm antiqua merita pro Decore Patriæ, Imperioquè Anglorum, prodessent; quorum ipsi Iudices Testes locupletissimi essent: neu domò Inclementiores Populares experiretur, quàm foris hostes: Nevè priùs condemnarent, quàm cognoscerent Causam, Veritate, non Advocatorum Acerbitate. Cokus æstuans Irâ, ad Pares conversus, edocet Essexium hostili animo Arma cepisse, non pro suâ Salute, aut quorum simulat Injuriâ, aut Vitæ Metu; cum Iustæ formidinis causa nulla subesset: Sed ad subvertendum Imperium Anglicanum, Leges, Libertatem, ac Religionem: constituissequè, nisi Fortuna restitisset Consilio, si Aulâ per vim poteretur, Veteres Reginæ Ministros expellere; Novos surrogare; bellicis rebus Clientes præficere; omniaquè pro suâ Libidine gerere. Dein exequitur Ordinem Criminum. Baconus Crimina Majestatis, & fœdam Regni Cupidinem Essexio objectavit: disseruitquè, Inimicorum Injurias pro ipsius Patriæ salute tolerandas; & Regum, qui resp: parentes sunt, Offensiones ferendas; Injuriam, nec in Parentibus, nec in Patriâ, vindicandam; Nec Obsequij fidem, gravissimâ Contumeliâ, abrumpendam; Nec Principi bellum inferendum, sinè Proditionis Infamiâ. Proditoris Nomen Belli decora non ingrata solum, sed invisa etiam reddidisse. Reus respondet, Accusatores manifestè probare debere Objecta, pertinentia propriè ad Majestatis Crimen; non meditatâ Eloquentiâ: se parum in hoc genere Dicendi versatum, urgero. Cum perhibendi Testimonij causâ evocati Vitthoramus, & Ferdinandus Gorgius; Vitthoramus productus, ut expers Consilij, ab Essexio recusatur. Tum Equitis Gorgij Testimonium recitatum, in hanc ferè Sententiam. Se Essexij Literis à Militari curâ avocatum. Vbi Londinum venit, aperuisse ei, esse in animo Inimicorum Injurias vindicare; liberum ad Reginam Accessum Vi armatâ patefacere; & Conventum Ordinum, ad constituendam pro Arbitrio Remp: indicere. Essexius in hæc verba respondit, Alia est Auctoritas præsensium Testium; alia Testimoniorum, quæ recitari solent. Iam ipsum Gorgium, si adesset, interrogare vellem. Gorgius in Judicio sistitur, ab eoquè interrogatus, eadem fatetur. additquè monuisse se, ne tàm Prava inciperet, & ut Reginæ animum submitteret. Reus manus ad Cælum tendens, Testimonij fidem ex Pallore Vultus elevavit; Deum Testem Ingrati & Perfidi animi invocavit: renidensquè dixit, Incusare alios, ejus est, qui vivere velit; præcipuum destinationis suæ, hodiè Neminem accusare. Crebris posteà Interrogationibus Advocatus Regius exquirit, expugnatâ Reginâ, & captâ domo, ecquid facere instituerit? Non aliud instituisse, respondet, quàm se Reginæ suppliciter submittere.

Cokus Cæcus criminandi cupiditate, Crimen aliud alio confundit. Ipsum de hinc Southamptonium incusat, super ijsdem, quibus Essexium; ac Consultatione in Drurianis ædibus habitâ. Ille quædam de Innocentiâ suâ modestè præfatus, respondit; Nihil illic adversùs Reginam, vel Securitatem ejus agitatum. Nec si Regiâ potirentur, aliud animo agitasse; quàm ut depellerent ingruens periculum rebus communibus; ac Inimicorum potentiam infringerent, qui magno in honore apud Reginam erant. Exin Sententiam Judicum rogat, Num sola Cogitatio, Perduellionis Crimen sit? Aut dum aliud agitur, aliud agi intenditur? cum Cogitationis pœnam Nemo Iure patiatur; & facta, More Majorum, non Consilia, puniantur. Respondent Judices, Iure Municipali, Conatum, vel Nudam Cogitationem adversùs Principem, vel Patriam puniri. Quin ipsæ etiam Leges Civiles, Cogitationes & Consilia interdùm puniunt. Etenim Iure Civili, aut Facta puniuntur, ut Furta, Cædesquè; aut Dicta, ut Convitia; aut Scripta, ut Falsa, & Famosi Libelli; aut Consilia, ut Conjurationes. Subjungit, Southamptonius, Etsi in gravioribus Maleficijs, nuda & simplex Voluntas Legibus coerceatur; ac Cogitata Scelera, non perfecta adhuc, vindicentur: Tamen, quod Legibus omissum est, Religione Iudicantium supplendum. ad quorum Officium pertinet, diligenter perpendere, an Impetu, Casu, vel Proposito, reus deliquerit: ne quid durius constituatur, quàm Causa deposceret. Vestrum, inquit, Officium imploro; qui Adolescentiæ errore, & sincerâ Fidè in Essexium lapsus, ut Severitatem Legum aliquo Temperamento Benignitatis adjuvare velitis. Procurator Regius, tàm in Consultando, quàm exequendo, Crimine Perduellionis Southamptonium teneri urget: sivè quod Curiam oppugnare cogitaverit; sivè Plebem ad Seditionem concitaverit: cum Lex in Crimine Majestatis, non minùs Voluntatem Sceleris, quàm Eventum puniat.

Posteà

1601

Posteà Assessores à *Paribus* consulti, *An Consultatio in Drurianis ædibus, de occupandâ Regiâ, Crimen esset Majestatis, cum in Nervum non eruperit?* Responderunt uno Ore, *Rebellionem in Urbe incitatam, nihil aliud fuisse, quàm prosecutionem Consultationis illius.* Exin quæsitum, *An Essexio suasore, Consultatio habita fuerit?* Probatur Testimonijs, & Confessionibus Ministrorum facinoris, qui Consultationis Capita, proprio ejus Chirographo perscripta, exposuerunt. Cæterum, cum manifesta magis, quàm suspecta res esset, *Comes* inquit, *Spes Vitæ & Incolumitatis hac elicuit, quæ Illis optatissima est. Nihil mihi gratum, atquè optatius potest esse, quàm Vitâ Molestijs liberari.* Mox ad instruendam Causam, *Testimonia Caroli Daversij, Ioannis Davisij, Christophori Bluntt*, Equitum, ex intimâ Familiaritate recitantur. Quibus perfectis, *Essexius*, neque Arma Civilia, neque concitatam Plebem, nec Consilium de Curiâ oppugnandâ, inficiari poterat. Id solum Audientium animis persuadere conatus, *citrà Læsæ Majestatis Crimen licuisse, Salutis suæ tuendæ Causâ, Arma capere, cum paratam sibi Vim videret, à Cobbamo & Ralleio. Rectè ne, an Perperàm fecerit, Proceres ad Deum conversi, pro sapientiâ, ac Dignitate judicarent.* Respondit *Cobbamus*, nullas sibi cum *Essexio*, nisi publicas Inimicitias: Ambitionem autem ejus semper improbasse. Interfatus *Senescallus*, monuit, ne Publicum Juditium privatis Simultatibus turbarent. *Franciscus Baconus*, Colorem Rebellioni ex Inimicorum Insidijs quæsitum, abstergere conatur; ac eleganter disserit, *nullâ de Causâ Subditis, omnibus Injurijs Oneratis, injussu Principis, arma sumere licere; Nec uti Armis, ubi Legibus agi posset; Neque Patriam lædere; Neque fidem in Principem violare; Neque Officium prodere. Ad hoc, Procerum Desideria, & Preces, non per Seditionem & Turbas, ad Reginam perferenda fuisse. Eum quoquè, pro suâ Dignitate, debuisse & Dolorem & Iracundiam suam Reip: permittere: Neque adeò graviter succensere Inimicis, ne cum Illis nocere cupiat, Reip: noceat.* Postremò *Essexium* impiæ Dissimulationis arguit, quod Fidem exueret; Pietatis larvam indueret; ejus factum cum *Pisistrati* Facto comparat, qui Corpus suum vulneribus laniavit, & quasi ab Inimicis gravibus sauciatum Plagis, populo ostendit; repentè *Athenensium* invocat Fidem, atquè Auxilium, ne sua Vulnera, Perfidiâ interpositâ, paterentur inulta. Undè Præsidium Militum nactus, ad moderatam sui Tutelam, Remp: oppressit. *Essexius* intercepellat illam vanam Criminationem Spei, Voluntatis, Consiliorum suorum, ficto & composito exemplo *Pisistrati*. Comemorat, *quod non ita pridem Charonus Literas ad Reginam, Nomine ipsius, contrà nominatos Adversarios conscripserit, quos ita in præsentiâ collaudaret.* Tum *Essexius* ad vetera Odia revolutus, *Cæcilium* adortus est; atquè ut in externæ gratiæ Invidiam eum adduceret, *suspectam nimiam cum* Hispanis *Familiaritatem esse*; Isabellæ Hispanicæ *in Regni Successione favere insimulavit; idquè se ex Regni Consiliario, præsente Southamptonio, audivisse* affirmavit. *Cæcilius*, qui Juditio privatim adeeat, subitâ Perturbatione commotus, ultrà temperare non poterat; tanquàm è Caveâ prosiluit ad Tribunal Procerum; & in genuâ procumbens, *Senescallum* oravit, ut tàm fictæ, tàmque falsæ Calumniæ responderet. Voce, vultu, oculis ardescens, *Reum proditorem Regni palàm, & Parricidam proclamavit*: Verba in eum Contumeliæ plena temerè effudit. Convitijs postremò, ac Probris, Causam & Initium Jurgij quæsivit, in Civili Contentione. *Essexius* Contumeliæ insolens, & imperitus Conviciandi, velut renidens, ac Vultum habitumquè Triumphantis, contemnendi magis, quàm metuendi Corporis, specie indecorâ, breviquè staturâ, aspernans, intempestivam Arrogantiam neglexit, & Consiliarium nominare recusavit. *Cæcilius*, cum *Essexio* diù altercatus, inquit, *hæc Vana Accusatio Invidiam tuam adversùs me, magis quàm Crimen meum arguit; quæ non aliundè emanavit, quàm ex meo ergà Pacem propenso studio, in Patriæ bonum; & accenso tuo ad bellum Ardore, in Audacium sceleratorumquè hominum Commodum, qui Reip: perniciem spectarent. hæc Istum Inimicum, hæc Accusatorem faciunt.* Tum conversus ad *Southamptonium*, rogat per Communem Amicitiam, Pietatem in Patriam, Dignitatem familiæ, *ut Consiliarium publicè nominaret.* Respondet *Southamptonius*, *nequaquàm decorum Pudori suo, eum nominare; nequè salvâ Fide, & integrâ Dignitate, posse.* Instat *Cæcilius*, *pertinere ad utilitatem reip:; pertinere ad Reginæ honorem; interesse Existimationi suæ; & Saluti Patriæ, nominatim compellare.* Tandem, *Gulielmum Noulesium*, Equitem Senatorij Ordinis, *Avunculum Essexij*, Authorem indicat. Quo audito, *Cæcilius*, flectens genu, & Cœtum Procerum venerans, *Senescallum* obtestatur, eum advocare; ut tàm atrox Calumnia conficti Criminis, præsente Calumniatore, dijudicetur. Ergò accitus est; stetitquè antè Tribunal Procerum, & interrogatus, *Quisnam is Sermo Cæcilij fuisset de Regni Successione*: rem uti gesta erat aperit: *paucis antè diebus, de Libro Dolemani, de Successione Regni Sermonem habitum fuisse; dixisse Cæcilium, ex Argumento Libri, Isabellam propriorem & digniorem in Regni Angliæ Successione, scelerato Authori videri. Et ejusmodi famosorum Libellorum Authores, intestabiles & conscéleratos, Legibus severè vindicandos.* Ita falsò Crimen intentatum, ab omnibus creditum, & notabile Jurgium diremptum est. Reos omittere Ambages *Senescallus* jubet, & verum peragere Juditium, aut fateri Facinus. Ostenditquè Confessionem Culpæ magis profuturam. Nec enim in Causâ, sed in Clementiâ Reginæ Spem Salutis esse positam. Indè Ordo Processus Judicarij, Patrio More, peragitur. *Ioannes Levesonus*, Equestris Ordinis, tumultuariam pugnam ad *Luddi Portam*, secutum Agmen, Cædes, & Gladios micantes commemoravit. Ubi orta Dissensio inter Tumultuantes; alijs *Tamesi* redeundum, Alijs penetrandum in *Fleta Vicum* censentibus. *Essexius* respondit, in hoc Tumultu repentino, se nihil *nisi Vim Vi repellere* cogitasse. *Iudices Assessores* Sententiam iterùm rogati, *de iteratis Comitum Protestationibus, quod nihil in Reginæ Perniciem cogitarint*; respondent, *Consilia inita adversùs Securitatem Reginæ, ut quem vellent imponerent Regem, Læsæ Majestatis Crimina censeri*: exemplisquè ex Vetustate

1601. repetitis edocent, Ed: secundum, ac Ri: secundum, armatâ Vi in potestatem redactos, haud multò post Regno abdicatos.

Rutlandij Comitis, Sandesij & *Cromuelij*, Baronum, anteà semper integræ Dignitatis, & Fidei; Testimonia proferuntur: quæ intenta Crimina satis firmabant. Ubi infensas *Parium* Voces, & Vultus, adversa ac sæva Cuncta vidit, de Extremis cogitavit; nec pro se ultrà deprecatus, *Conjugem Optimam fœminam, & innoxium filium universis comendavit:* Oravitquè singulos, ut *Southamptonij* Adolescentiæ, & Errori veniam impetrarent; & insontes *Proceres*, constantis tantum fidei in Amicitiâ Reos, miserarentur; qui magno usui Reip:, & privatim, & in Magistratibus esse possint. Summotis reis, *Senescallus* paulisper cum Proceribus collocutus, Sententias interrogare cæpit. Primus Sententiam rogatus *Thomas Havartus*, Baro Valdensis, *Essexium Perduellionis reum censuit.* Proceres omnes censent, sicut ille censuerat. Idem Judicij Ordo in *Southamptonij* Processu servatur. Mox uterquè à *Senescallo* ad extremum Supplicium damnatur. *Actuarius* ex Formulâ Juris, hoc illis significat. Truci Sententiâ coràm *Essexio* recitatâ, nullum consternati animi signum dedit. Conversâ ad Proceres Oratione, sic fatus: *Si adversùs Vos, Patriamquè, & Reginam, toties Labores & Pericula suscepissem, quoties à primâ Adolescentiâ meâ pro Salute ac Dignitate Patriæ, omnes Spes & Opes privatas meas consumpsi, nihil durius in me statuissetis, quàm hodiè egistis. Quid Expeditiones Lusitanicam, Gallicam, Gaditanam, Insulanam Hiberniam, expugnata præsidia, excisa Oppida; Patrem in Cunis, Fratrem Charissimum in Obsidione Rotomagensi amissum enumerem? Satis clara vobis sunt. Egregium, inquit, pretium Laborum, & Neis fratris mei redditis, Carcerem, Supplicium. Plus tamen potuit Inimicorum implacabilis sævitia, quàm tot Belli decora.* Hæc Commemoratio rerum ab eo gestarum, magnifica quidem sed vera; dicebantur enim ab eodem Animo Ingenioquè, à quo gesta erant. & Audientium fastidium aberat, quia pro Periculo, non in Gloriam referebantur. *Southamptonius*, pari Animi Constantiâ, Sententiam Mortis excepit. Reginæ Misericordiam suppliciter imploravit; *Paresquè* oravit, ut Gratiam, & Authoritatem interponerent. Qui Suaviloquentiâ, ingenuâ Modestiâ, & verâ probitate, gloriam consecutus est; ac omnium Audientium animos ad Lenitatem Misericordiamquè revocavit. Interrupit Verba ejus *Essexius*, proclamavitquè *Se solum deliquisse; Southamptonium Criminibus non connexum; nec quicquam post hac à Reginâ rogaturum, rogare, ne Innoxij Proceres, sua pravitatis pœnas luerent.* Peracto Judicio, *Senescallus*, fracto baculo, se Dignitate abdicat. Mox Damnatos Satellites in Turrem reducunt. Pleriquè simul Nobilitatem Familiarum, & gravem Casum miserantur.

Postero die, in Judicium vocati aliquot Equestris Ordinis, & Militum Ductores, participes Tumultus. Quorum Tres, *Bainhamus, Littletonus, Orellus* Damnati; reliqui in Carceres remissi. *Regina*, hortantibus Amicis, prohiberi Supplicium imperat; ne cresceret Invidentia Crudelitatis. Inter quæ, Inimici *hâc Comitis Clade* non contenti, Vitam & Sanguinem sitiunt. Ne Nobilitatis precibus, & Plebis quæstibus Veniam impetraret, Supplicium properant. Intimi Amici, flentes, quiritantesque, suadent, ut *Reginæ* Animum pertentaret; ac Criminis Abolitionem rogaret. Contumacius quàm par erat respondit, *se nullius flagitij compertum; Conspiratione Inimicorum, & Invidiâ Falsi Criminis oppressum, gratiâ aut Abolitione non egere. Neque aliud magis pœnitendum, quàm quod inter Ludibria Inimicorum, & Pericula Calumniatorum, anxiam vitam tam diù toleraverit.* Accessêre Aulici, Consiliorum Principis gnari, in impetrandâ Abolitione Operam suam pollicentes; paratam Criminibus Veniam nuntiantes, si ad deprecandum veniret. Tum *Essexius* infit, *Festinata Mortis grande Solatium capio; quippè nec immatura Viro forti; nec misera Sapienti, cui Spes futuræ Fœlicitatis affulsit; nequè durare in hâc Seculi luce cupio; Nequè Reginæ gratiam, & Delicti veniam imploro; Ac ne id Animi Pervicaciâ, sed Mortis Opportunitate. Quia nolo Convitijs & Probris Inimicorum, turbulentissimis rerum mortalium Tempestatibus ulterà immisceri; Ubi Alia, ex Aliâ Cura fatigat; Prospera animos efferunt; Adversa premunt.* Cum rursus instarent Amici, & hortarentur ne perseveraret in Pertinaciâ suâ; monerentquè, *non turpiter Delicti Veniam rogaturum; non frustrà rogaturum; deindè non pro Vitâ illum, sed pro Rep: rogaturum; satis Illum vixisse Sibi, & Gloriæ; Reip: parum;* exorari non potuit, ut Vitam per honorem actam, & Fortitudinem adversùs hostes sæpè spectatam, novissimè Servitio fœdaret. Nocuit nimia Contumacia, & Famæ immensa Cupido. Proximis post Damnationem diebus, *Theologorum Colloquijs vacavit.* Quæ dixerit, Quæ fecerit, Quàm in tranquillo fuerit, referre singula nequeo. Sermones conseruit cum Quatuor delectis; maximè intentus *Thoma Monfordio, Doctori* probæ vitæ: Nec desijt, ab ipso de *Animæ Immortalitate* scrutari; & Quis esset Animarum status post exitum. *Comes*, vel Conscientiâ suâ, vel *instantibus, minitantibusquè Theologis* Animæ perniciem, si Conscios Facinoris celaret, profitetur Inditium; gloriosum ratus cuncta confiteri, Quatuor Primarios Consiliarios evocari curat, *Egertonium* Sigilli Custodem; *Buchurstium*, Regium Quæstorem; *Havartum*, Præfectum Maris; & *Cæcilium*, ab Epistolis: qui ad eum visendum proficiscuntur. Postquàm venerunt, graviter, & piè à *Sigilli Custodè* Culpæ Veniam deprecatus est; quod eum Innocentem in Custodiam tradiderit: Ac à *Cæcilio*, quod Falsum Crimen, in *Causâ Infanta*, objectaverit; non sinè Ignominiâ Calumniæ. Profitetur *Cæcilius*, se Privatas suas Injurias Patriæ remittere. Utrinquè Christianâ Pietate Reconciliatio initur. *Comes* paulisper collocutus cum Consiliarijs, *Maleficium suum confitetur; sequè Vivo nullam Tranquillitatis publicæ Spem fore; & ut Regina, in suam Securitatem, occidat, postulat. Bluntum Vitricum, & Cuffum ab Epistolis acerrimos extimulatores incusat. Item Montjoium, Hiberniæ Protegem, sibi familiarem; Henricum Nevillum,*

magna

magna dignitatis ac gratia Equitem; *& plures nominat hujusce Conspirationis participes*; *Conjuratorumquè Numerum auget, domi forisquè qui celari poterant*; *nisi urgente Discrimine Conscientia, consitere maluisset.* 1601. Regina licet Irâ accensa, quod tàm speciosam Clementiæ Occasionem præteriret, magni tamen æstimavit, Servare. *Cacilius* Metum Futurorum Malorum; & Odium intendit, si publico Judicio damnatum evadere impunè sineret: ac *substrèbere Sententia Mortis* persuadet, ad avertendum periculum suum, ac publicum exitium; quod confessus esset, *se Vivo nullam Spem Publica Tranquillitatis Fore.*

Igitur, impetrato *Diplomate* de eo occidendo, *Thomam Havartum*, Baronem Valdensem, ex intimis Amicis, *Præfectum Turris pro tempore* constitutum, quæ Supplicium postulabat, parare jubet, & Cædem maturare. *Regina* his anxia, Curis Noctem insomnem egit, obstrepente Conscientiâ *Essexium Contumacia magis, quàm Sceleris reum*: & Edmundum *Careum*, Equestris Ordinis, juxtà Cubiculum, ocreatum opperiri jussit, ut præstò esset, si Sententiam Pænitentiâ mutaret. Is multo Mane ad *Havartum* missus, ut prorogaret Supplicium, Jussa *Regina* ei aperit. *Cacilius*, accepto Moræ nuntio, trepidus, luce primâ, Cubiculum ingressus, assentando indignandoquè suadet, *Essexium* ad Mortis metum adductum Veniâ non posse mutari. Sed quia Jure *Regina* subvereri poterat, *Cacilium* privatæ Injuriæ ulciscendæ potiùs, quàm publicæ Salutis gratiâ, Festinare Supplicium; *Egertonius* quoque simulatis Lachrymis, & precibus magis commovit; obtestans, ut Saluti Securitatiquè suæ, & Genti optimè merenti consuleret. Vicit *Regina* Levitatem Inimicorum Acerbitas; & mox, Muliebri Inconstantiâ, *Præfecto* per *Eduardum Parcium* imperavit, ut exequeretur Sententiam. Is non diu cunctatus, *Essexio*, supremas Curas agenti Mortem denunciat. Dispositis Præsidijs, stipante Satellitum Manu, *Die Cinerum*, qui fuit x x v *Februarij*, ad Supplicium eductus. Cum ad *Turris Aream* venisset, qui locus erat Supplicio destinatus, *Monfordium* rogavit, *ut semper ei astaret, ne Mortis Metu ad humanam Infirmitatem dilaberetur.* Ex ejus Consilio, delicta Adolescentiæ, *Luxum*, *Cacum Ambitum*, *obnoxium Libidini animum*, *& Seditionis Culpam* confessus, Veniam à Numine supplex deprecatur. Cui gratias agit, quod Nefarij Conatus non evenerint. Dein ad circumsistentes Proceres conversus, ita præfatus est, *Ego & Vos testor*, *& Posteros meminisse volo*, *vixisse me semper cum Pietate in Deum*, *& Fide in Reginam*; *Congressuquè ejus prohibitum*, *nunquàm Obsequium exuisse*; *aut exitium ei scelerate molitum fuisse. Cæterum, me nequè Atheum esse*, *utpotè qui Christiana Religionis Mysteria negem*; *Nequè Pontificium*, *qui proprijs Meritis fidam*; *sed firmiter credere peccata remitti non posse*, *nisi per Dei in Christo Indulgentiam*; *per quem solum peccata nobis condonantur*; *& Novam Religionem Dei Verbo*, *ac Apostolorum Doctrina congruere.* Ita toto pectore ad Deum versus oravit, pro Salute Animæ, Incolumitate Reginæ: utquè ei semper omnes res faustè, fæliciter, prosperequè evenirent, æternitate Imperij, ac Securitate Populi. Nullam Speciem timoris, Animo, Vultuquè præferens, spectantes Proceres salutavit; se Circumstantium precibus commendavit. Exutus atratâ Veste, quâ indutus erat, semet ad Supplicium animosè composuit. Stratus humi, piâ Oratione peractâ, ingenti Spectantium mærore, Cervicem Carnifici subjecit; qui non tàm fortiter ferijt: nam *vix Tribus Ictibus amputavit Charissimum Caput.*

Multi *Illustres Angli* Supplicio affecti sunt; Nemo tàm flagranti desiderio Populi, mæritis indignam Sortem miserantis, celebratus est. Eoquè potissimum, quod nullo Crimine, sed inconsultâ Temeritate, ac Calumnijs Inimicorum, in robore ætatis, concidisse creditus est. Nec quisquam spectatâ Cæde lætatus est, præter *Ralleium*; qui pavisse Oculos, non exsaturasse Animum Supplicio ejus dicitur. *Cacilius* substraxit Oculos, & aspectui pepercit. *Darcius*, qui jussit Scelus, & spectavit, Nuntium Supplicij in Aulam tulit; cui in Itinere obvius *Killegreus*, *cum Annulo detracto Regina digito*, & Mandatis ad Præfectum, ut Percussorem revocaret, differret, ac procrastinaret pænam. Renunciante *Darcio*, jam perijsse; serum post Mortem Auxilium; factumquè esse quod Regina imperasset, regreditur. *Darcius* in Aulam reversus, Reginæ nuntiavit, monitum ab eo Præfectum, ut exequeretur, Officio functum. Illa, subeunte Animum Pænitentiâ, *Mortem Comitis* cum multis lachrymis deflevit, & ingemuit. Majore mærore, & Luctu defletus in urbe. Ejus Mors vicinas Regiones pervasit; multos Reges & Principes mærore afflixit. *Regina sinistro Vulgi rumore lacerata*, *tanquàm Virum Nobilem*, *Insontem*, *Irritatum ad extrema Consilia*, *ob Suspiciones*, *& Metum sustulisset.* Mortis Exactor manibus Vulgi penè discerptus est, & à Præfecto Juridico ægrè protectus, servatusquè. Populus, qui *Elisabetham divam* anteà credidit, jam rigidus; & Tristis, *in Quadragesima Sermonibus*, nec Vultum hilariorem, nec Vocem Lætitiæ Indicem, nec Fausti animis Vota Vitam comprecantium edidit: ut oblivisci senescentis Majestatis credetes. *Cacilius*, Legatis apud exteras gentes, Exercituum ac Provinciarum Præsidibus Literas mittit, per dispositos Cursores, *de Flagitio*, *& Supplicio Essexij.* Confert in Librum Inditia, Testimonia, & Confessiones reorum; ut nosceretur quid *Essexius* fecerit; utquè premeret Vulgi sermones; & ex *Essexiano Supplicio* luctum abstergeret. Per *Barloum*, *Concionatorem majoris quàm sanctioris Eruditionis*, Ordinem vitæ ejus infamavit; ut Infestum tumidumquè insectans; Confessionem privatam adjunxit; Morte ejus Paci publicæ consultum, diremptâ discordiâ Civili, cujus ipse Dux, & Author, meditato Temperamento disseruit. Populus recordans Virtutes ejus, Vigorem, Constantiam, & invictum animum, luctibus & Doloribus non satiatus est.

1601. Per eosdem dies *Legati Scotici, apud fines Agri Eboracensis, de Supplicio Essexij fiunt certiores.* proindè, relictis Servitijs, cum paucis Comitibus accelerant. Ubi in Aulam venerunt, excepti blande & benignè. *Reginam ludentem Laterunculis*, officiosè, ut Mos est, salutavêre; ac fidei Literas Amanter conscriptas, Comiter exhibuêre. Illa secessit in Thalamum interiorem, cum paucis Amicis, & *Legatis* dicendi Potestatem fecit, quid petentes venerint. Illi auditi, de Rebellione maturè consopitâ, ac Tranquillitate Reip: restitutâ, Nomine Regis sui, gratulantur. de *Valentini Thomæ* Maleficio impunito; *Gulielmi Eurti* diuturno Carcere; & *Ashfeildo*, fraude è *Scotiâ* subducto, graviter expostulant. Illa respondet, Gratulationem sibi jucundam, & *Regis Consolationem* gratam esse; ac ex Animo à Deo optare, ut nulla ejusmodi Seditio in *Scotiâ* erumpat; aut si eruperit, pari fælicitate exstinguatur. *Valentini Supplicium* dilatum, ne Ulcus refricetur. *Eurejum*, ob Contumaciem, & Malevolum animum suspectum, Carcere coërcitum esse. *Ashfeildum*, infidum & Turbidum, veniam proficiscendi in *Scotiam*, & Villoubeo Præfecto Limitis, fictâ & compositâ Causâ, impetravisse. Deprehensâ fraude, ab eodem è *Scotiâ* retractus, cum revocatus se non rediturum respondisset, Ideòque Carcere refrænari.

Item alio die auditi, ordiuntur, se invitos, quicquam quod Reginæ minus placeat, dicturos; sed Imperio subigi; & Jussos liberè Mandata Regis sui, quæ Nihilominùs ad rem *Anglicam*, quàm *Scoticam* pertinerent, eloqui. Tum infit *Brucius*, cujus facundiæ à *Marrio* concessum, Finitâ *Henrici Octavi* in Lineâ rectâ Sobole, Regnum *Iacobo*, ut proximiori & digniori, Fortunæ Elisabethæ Successori, deberi Legibus, Jure, & Vetustis Gentis Institutis. Cæterum, Religionis securitatem, Salutem Imperij, Libertatem Populi, Splendorem Reip: hâc Successionis Spe certâ contineri. Tranquillitatis publicæ, & perpetuandæ Concordiæ inter duo vicina Regna, Dignitatis retinendæ, Juris servandi, & avertendæ Communis Calamitatis à Cervicibus publicis, unicam Rationem esse, si *Regina* Voluntate suâ, & omnium Ordinum Decreto publico, *Iacobum Scotorum Regem*, propinquâ Cognatione junctum, in proximo sibi fastigio collocaret; ac Ipsa suâ Auctoritate declararet, *Imperij pro tempore Vicarium*; Subsidium Dominationis in præsens, adversùs Secessiones, & Partes in posterum defectionis Popularium; & Insidiarum Ultorem. Id Decretum æquum esse, Naturali Jure, Legibus, ac Institutis gentis, & ex *Vniversæ Britanniæ* usu, pluribus Argumentis contendit; ac Illustribus exemplis *Augusti*, *& Adriani* confirmat. Successore in Domo constituto, pravas Aliorum Spes coërcere posse disserit; & Securitati suæ, dum viveret, Tranquillitati publicæ, si quid humanitùs contingeret, consulere; ac à fundendo *Christiano* sanguine abborrere; cui parci non posset, si Factio Domestica se objiceret, quæ Regnum sibi vindicaret, Stirpemquè Regiam funditùs evertéret; aut Externi Reges foris invaderent, & Novas leges, Nova Jura, Novos Ritus, in exitium Reip: inducerent. Ad ea *Regina* respondit, Si se senectus absumpserit, Regnum Regi Vestro deberi, Jure Sanguinis, & Regni Legibus, Neminem ambigere. Sed novi, inqnit, Procerum, & Optimatum ingenia; Novi Populi naturam, & Inconstantiam, qui præsentem rerum statum fastidit, Novum exoptat, & in proximè Successores, intentos habet Oculos. Etenim Naturâ comparatum est, ut ruptâ Sacramenti reverentiâ, *Solem Occidentem deserat, Orientem adoret.* Quanto igitur Vivam & spirantem me in discrimine versaturam cernitis, Successore designato? Si vel Civium nostrorum Affectus ergà nos languescant; vel Voluntates, ut plerumque mobiles, immutentur? Nam præterquàm quod *omnis Regni Societas est periculosa*, quam tandem æquam Conditionem fore putatis fœminæ, extremæ ætatis; magis famæ, quàm Vi innixæ; cum Viro in medio robore Virium, acri Judicio, & in rebus gerendis experto? qui *ubi ad Partem Administrationis publicæ irrepserit*, & Reginæ Senectutem obnoxiam virili ætati suæ senserit, totam Imperij vim in se facilè trahere posset. Addit deniquè, prægravem se *Mariæ Sorori*, in Spe & Cupiditate Successionis fuisse: & experiendo dedicisse, suspectum ac invisum semper Dominantibus Successioni destinatum. Et Judicij sui multa Documenta apud Majores extitisse, quæ deterrere à tali Vecordiâ possent. Postremò, si Fatalem diem obire contingeret, Neminem ex omnibus Mortalibus, secundùm seipsam, nosse, legibus & Moribus Patriæ propriorem, & summâ Fortunâ digniorem, aut potiorem. Si res in Disceptationem Armis venirent, si quæ Factio domi se objiceret, Supremo Juditio & Consensui Popularium imparem fore, ad Imperium vocantium, ob Propinquitatis memoriam; nihil, *præter Iacobum*, usquàm aut Spei, aut Præsidij futurum. *Legati*, expensis rationibus, *eundem Diem fore Regni & Vitæ finem* cernentes, rogant, ut Vivens *Regem* in summâ Authoritate & gratiâ haberet; Legesquè revocaret, quæ *Ius Successionis Scotiæ*, aliquâ ex parte læderent, vel imminuerent; ac Communi Saluti & Dignitati Moriens prospiceret; & *Iacobum*, genere maximè propinquum, & rebus moderandis assuetum, sibi substitueret. Respondit, si quid sibi humanitùs contingeret, *Regem*, suum ergà se Studium experturum; nequè unquàm comperturum, quicquam à se factum, in legitimæ Successionis Præjuditium. Hec ferè sunt, quæ in *Marrianâ Legatione* agitata. Legatis Venientibus, aut Aulâ discedentibus, nunquàm aut privata Civium Officia, in hominum Cætu, aut reverentia publica defuêre. Sic Vulgo favorabiles, ut præ Multitudine salutantium, prosequentiumve, non unquàm Iter facere non potuerint.

potuerint. Offendebatur interdum *Regina* Concursu Procerum ad Legatos, qui in Rege Spem omnem Dignitatis & Fortunæ posuerant. Nihil æquè ejus animum penetraverat, quàm Vulgi Mæstitia tacita, post *Essexij Cædem.* Euntem enim, aut Concione redeuntem, Plebs solitis Acclamationibus non prosequebatur. 1601.

Legati interim, *Londini*, excepti hospitio blandè & benignè, Procerum Convivia celebrabant; qui Opes, Arma, & Potentiam omnem expedire se paratos ostendebant, si *Regina* mortalitatem expleret. *Cæcilius*, qui extincto æmulo in Aulâ Dominabatur, Invidiæ Procerum, & Vulgi de se querelis impar; cernens quoquè ad *Scotum* inclinare *Londini Civitatem*, multorum Procerum favorem, ac senescentem *Elisabethæ Majestatem* fastidio esse; statuit quibuscunquè posset rationibus, *Scotorum Regem* sibi conciliare, & futuræ Potentiæ fundamenta jacere. Amicitiam ejus, quàm Iram experiri salutarius duxit; valdèque ad Securitatem suam pertinere, in Amicitiæ Fœdere conjungi. Misit igitur ad Legatos *Henricum Havartum*, Norfolcianâ Familiâ, & Studijs clarum, ut nomine illius salutaret; Colloquiumquè occultum expeteret; quod facilè impetravit. Tum *Cæcilius*, in Congressu Colloquioquè, paucis disserit, *Iacobum Scotiæ Regem* esse Principem, Claritudine Virtutum, & Dignitate Præstantem: si quid esset in quo Operâ suâ uti vellet, se Officio haud defuturum. Ad hæc, Publicâ Utilitate sublatum *Essexium*, Regni æmulum; & æmulationem in Successione, ejus Morte extinctam; ne quis alius quàm *Iacobus*, Regno Angliæ, Jure Successionis, potiretur. Nam si homo Ambitiosus Regiâ potitus esset, incolumi Dignitate, florente Famâ, salvis Affinitatibus, & Amicitijs, Cætera se ominari non velle; ne privato Odio indulgere videatur. *Legati*, remotis Arbitris, *Sermonem de Successore* inijciunt; obsecrant, obtestanturque, ut *Regi* domino Assertorem Fautoremquè se accomodaret. Negavit *Cæcilius* id sibi licere, incolumi Reginâ: Addiditquè, debere Salutis suæ rationem habere. Admonitus deindè, ut post Occasum *Elisabethæ*, invalidæ Senectâ, induceret in animum, pro sapientiâ, Consilium & Operam dare. Nec diu cunctatus respondet, nullum se Officium in tempore prætermissurum, quo posset Voluntatem in Regem significare. Atquè ita secretè discedit. Posteà congressi in *æde Chelsianâ*, ignorante Reginâ, pepigêre. Verba, Vocesquè nullos Testes habuêre, præter *Havartum*, Secretorum Conscium. *Cæcilius*, qui senserat jam pridem *Procerum in Regem studia*, fidem Numini, Regiquè obstringit; ac Obtestationem sanctissimam interponit. *Legati* Promissis onerant, & *Iacobi gratiam* abundè pollicentur. Ex eo Die, *Competitores Iuris*, æquitate, studijs Procerum, & Populari gratiâ superati, *à Regno petendo destiterunt*. Inter paucos dies, Oratores reditum in *Scotiam* adornant; Civitates peragrant; studium Civium cum Voluptate conspiciunt; sæpè, per Tenebras, frequentes Proceres invisunt; nullumquè Officium humanitatis prætermittunt. *Legati* discedentes, flagrantibus Nobilium animis faces addunt, hujusmodi verbis; *Agite ergò, & Auctoritate vestrâ efficite, ut* defunctâ Elisabethâ, *Rex legitimus regni hæres ab omnibus salutetur. Sic Religioni, quàm perturbata Rep: periclitari necessè est, optimè consuletis. Sic Officio vestro, & Conscientiæ; Sic Dignitati, Existimationi, & Securitati publicæ, eâdem operâ satisfacietis.* Erat certè *hæc Legatio* honorifica, & *Regi* fructuosa. Decedentes summa Laus, & summa Gratia Civium prosecuta est. Similisquè frequentia, & Plausus, eos usquè ad *Beruicum* celebravit. *Marrius & Kinlossensis*, à Legatione Anglicâ reversi, *Regi* secretis Colloquijs renuntiarunt, *Cæcilium*, partim Metu, partim Spe, transgressum in partes. Plerosquè Procerum alacres & lætos, omni sermone celebrare pronam in eum Aulam, & Plebem. Hinc, hoc velut Populari Omine, lætus, *futuræ Spem Successionis* certam concipit.

Acrius in dies Aulici florentes Potentiâ ac gratiâ, ad majorem fortunam se accingunt; & in summum Ambitionis enituntur. Aliquot post diebus, in Servos & Amicos intimos præparata Accusatio, qui v. *Martij Vestmonasterium ad* Judicium evocantur, ut de Criminibus cognosceretur. Ex Amicis in Judicium vocati, *Christophorus Bluntus, Carolus Danversius, & Ioannes Davisius*, Equestris Dignitatis. Ex Servis verò, dispensatur *Mericus* ejusdem Ordinis; & *Cuffus Amanuensis*, in Crimen tracti, quod in eâdem Conjuratione fuissent. Jussiquè dicere *Tres primi*, si quid ad objecta Crimina respondere possent. Qui cum de Criminibus objectis Cætera repentè confiterentur, se Perniciem Principi machinatos pernegarunt. Causa ipsa, Opinione Audientium tacitâ, propè convicta, atquè damnata est. *Davisius*, homo Audacissimus, Conscientiâ convictus, reticuit. Reliqui duo, *Bluntus, & Daversius*, etsi maximè Nocentes, tamen periculum vitæ evitare voluerunt. Qui Indicijs, Testimonijs, Confessionibus suis, & *Confessione ipsius Essexij*, patefacti, fractiquè, nullam Moram Judicio fecerunt. Demùm *Apolectos* orarunt, ne turpi Supplicio afficirentur, sed Capite plecterentur. *Cuffus deindè, Græcis literis eruditus*, cum *Merico* ad Causam dicendam vocatur, qui premitur Inditijs *Daversij, Henrici Nevilli, & Ipsius Essexij*; Qui eum acerrimum Proditionis Instigatorem insimulaverat. *Cokus Procurator Regius*, Consilia primùm, deindè Acta, posteà Eventus exitiales recensuit. *Consultationem in Drurianis ædibus* cæptam, Crimen fuisse *Læsæ Majestatis*; Illum Consultationis & Conjurationis non solùm participem, sed etiam Ducem extitisse, ex ipsius, & Aliarum Confessionibus probavit. *Procurator* hinc *Syllogisticè* disputat: Reus acutè & subtiliter respondit. Tandem Jurisconsultorum Argumenta, & Correorum Indicia, & Confessiones, ad Convincendum eum productæ, Reum evicerunt. Mox eorum Inditijs, & Testimonijs, *Gillius Mericus* pervertitur; plenus constantis Silentij; qui non Aliud objectis Criminibus respondit, quàm *Essexius me evexit, idemquè evertit*. Mox *Mericus Oeconomus, & Cuffus Amanuensis*, ad Tiburnas furcas tracti, ignominiosam Necem subituri. Ille diu antè præparatâ & meditatâ Oratione

usus

1601. usus est; quàm interpellat *Rallius*, sui Fati nescius, & nimiâ Fortunæ Indulgentiâ amens. Monetquè dicentem, ne Fici folia ad Crimen obtegendum consueret. *Mericus* quoquè vitæ pertæsus, *Cuffum* semel atquè iterùm interrupit; rogavitquè, ut moriturus non profuturam facundiam omitteret; ac ad Mortem se pararet. Mox laquei Spiritus & Voces intercluserunt. Perendiè *Bluntus Vitricus, & Carolus Danversius*, constantes Amici, ut acerrimi Exstimulatores Tumultus, in *Colle Londinensi*, Securi percussi. acerbâ & lugubri prospectione Plebis, *Bluntus* venerabilis specie, & plenus constantis animi, Necem subijt. Extremas *Daversij* Voces astantes prodidêre; *se ob Cadem-Longij equitis, in Franciam exactum, Southamptonij amore, Essexij beneficio, Vita Impunitatem consecutum; nunc aquo animo vicem reddere.* Erant qui miserantur *Bluntum*, Insignem virum, Affinitatis; *Danversium* Constantis Amicitiæ, pænas dedisse. Ita *Essexij, Cuffi, Merici, Danversij, & Blunti* Supplicijs, Rebellio pacata; quies *Regno* reddita; & Tumultuosorum mentes ad Sanitatem deductæ. Pauci se pecuniâ redemerunt. Nam palàm *Banhamus*, Equestris Ordinis, cum *Ralleio*, periculum vitæ, pretio pacisci-tur. In eos posteà animadversum, qui Contumeliosius scripserant, aut locuti fuerant. Juvenis quidam *Vodehosius*, factitatis *Libellis famosis*, & in *Cacilium* contumeliosis, laqueo suspensus est. Cujus exitio, ad præcavendum exterriti cæteri, qui inconsultè famam Ingenij Morte quærunt.

Interfectis tot Militaribus Viris, *Southamptonius*, in flore Juventæ expostulatus ad supplicium, instantem Perniciem simulatâ Aegritudine effugit. Mox *Regina* per seipsam reordans exitium *Essexij*, & Cæterorum impunitatem, pænam *Southamptonij* Cæcilio mandat. Ille impar recenti Invidiæ, & Vulgi, querelis, inhiberi Supplicia pertinacius flagitat; ne glisceret Licentia Vulgi, ac fama Crudelitatis, Iniquitatisquè. Varijs *Cacilij* Frustrationibus, & dissimulationibus, præsenti exitio ægrè exemptus est. *Rutlandius* flens, unumquemquè Senatorem rogavit, ne innoxiæ Affinitatis pænas daret. Ille primus per Lamentationes suas, & fletus Veniam accepit. Reliqui *Proceres*, à Majoribus non degenerantes, Claritudine Generis, & Illustrium fæminarum precibus evasêre. *Cacilius* novam insuper Invidiæ flammam adjecit, accensis Indicibus ad accusandum *Henricum Nevillum*, Illustrem Equitem, in Franciâ Legatione functum, Claritudine generis, & gravitate Morum præcellentem. Qui ob Amicitiam *Cuffi, ut Conscius Tumultus* coràm Apolectis Regijs, in *ade Eboracensi* arguitur, *Consultationibus in Drurianis adibus interfuisse: Consilia ibi agitata in publicam Perniciem non detexisse: & Arcana Legationis sua Gallica cum Essexio communicasse.* Ille respondens, magnâ Vocis & Vultus Securitate *confitetur, se Arcana Legationis sua Essexio aperuisse. Vni tantum Deliberationi, & Consultationi interfuisse. Consilia ibi agitata quasi agra Mentis Insomnia sprevisse; Spretaquè exolitura credidisse. Nec tot tantosquè viros, & Amicorum Pracipuos deferre ausum; aut invisum Delatoris Nomen induere, quoad Spes aliqua relinqueretur, à tali Vecordiâ deterreri posse.* Reus à *Custode Sigilli*, reliquisquè *Apolectis* graviter reprehenditur; & omnium Juditio in *Arcem Londinensem* conijcitur. Ubi sinè Absolutione, cum *Southamptonio, Iacobi Misericordia*, & meliori Fato servatus est.

Ioannes Hayardus, quoquè J: C: eruditus, expers Conjurationis, eandem Juditij Aleam, & fortunæ subijt. Qui *Librum* edidit de *Tragicâ Abdicatione Ricardi Secundi*; & *Essexio* dicavit, infælici Fato suo. Is quippè diutino Turris Carcere, luit hæc Verba *in Prafatione Libri* ad Essexium, *Tu magnus Spe, Major futuri Temporis expectatione.* Ubi attonitus inopinato Malo, Tempus ad meditandum, & componendas pias Orationes sumpsit; & *Azylum turbata anima*, summâ eum Ingenij famâ, scripsit, ediditquè. Tenuoribus, *Amicitia Essexij* illigatis, irrogata exilia. Pauci bonis ademptis, & in *Regiam Gazam* redactis, mulctati. Exuti de hinc Viri Militares *Tribunatu, & Prafecturis*, ejus gratiâ, quæ multis ex æquo profuit, obfuitquè. *Pontificiorum*, Receptorumquè eorum Interitus promiscui, cum Cædes Cædibus continuarentur, Populus per fora & Compita *Cruentam Quadragesimam* nominavit.

Etsi cuncta Odio ac Terrore plena, haud tamen adeò Virtutum sterile Sæculum, ut non bona exempla fidei, Constantis Amicitiæ, & Charitatis, posteris prodiderit. Etenim *Leucodorus Cantuariensis Archiepiscopus*, Croidonæ *Ptochadochio*, & Scholâ publicâ extructo, Pietatem in Deum, Charitatem in Patriam, Munificentiam in Pauperes testatus est. & talis fuit in *Regimine Ecclesia*, quales *antiqui, nascentis Ecclesia, Prasules* fuerunt.

Hoc Tempore missus à *Franco Bironius*, Tribunus equitum, in *Angliam*, cum lectissimo Procerum Comitatu, ut *Reginam* viseret. Cujus Adventus lætissimus *Principi* fuit. Ubi *Doroberniam* appulit, deductus est ab *Anglis*, ad publicos Pænates: Ubi Ipse & Comites, per Biduum, à Nauseâ Maris commodè recreati. Mox Carpentis, multo Auro Argentoquè cælatis, sublati; magnâ turbâ Nobilium *Anglorum* prosequente, in *Regiam* deducti sunt. In Aditu ipso Aulæ, Summi Proceres obviam prodire. *Franci* intrantes, mirantur Lautitias, Pavimentum Sericis Vestibus instratum; & Parietes Aulæis Sericis, Auro inter textis, excultos. Ordo Agminis erat talis; *Centum & Quinquaginta* Nobiles, Galli Cultus opulentiâ, & Gemmis fulgentes, *Tribunum* præcedebant: Totidem Muliebriter propemodùm adornati, sequebantur. Ipse *Tribunus* totus Aureus, *& Gemmis velut Stellis micans*, medius incedebat. *Comes Arvernia, Caroli Noni Regis, ex Pellice filius*, dissimulato habitu, Turbæ Phaleratorum Comitantium immixtus, ignoratusquè. *Regina, Margaritis, Gemmisquè splendens*, in Regio Solio pulcherrimè ornato, & instrato, sedebat; unde ab omnibus conspici posset. dextrâ Levâque Heroinæ, Cultus luxuriâ, Corporum Lenocinijs, & Gemmarum fulgore, micabant. Ubi *Legatus* appropin-

appropinquavit, proclamavit *Regina*, ut à procul stantibus audiri posset; *Heu Domine Birone! cur tantum Itineris & Laboris suscepisti, ad invisendam grandem natu Vetulam; cui nihil nunc superest, nisi vegetus Animus, & prompta benevolentia in Regem, & fidos ejus Ministros.* Bironius, flexus genu, Illam urbanitate *Gallica* veneratur, & cum Admiratione quâdam intuetur. Illa peractis Salutationis Cæremonijs, *Bironium propius ad se accedere jussit*, atquè ut in Sellâ proximâ sederet, præcepit. Ille quia depressiora erant Sedilia, se officiosè excusavit; & Mandata Regis sui, *Stans facundè exposuit*; cumquè cum valdè cuperat *Reginam* aspicere, & coràm testari studium, ac Benevolentiam, Oceano præpeditum. *Regina*, velut Sudore calefacta, *Bironium* dextrâ tenens, ad Fenestram secedit, & jucundissimè cum eo fabulatur, *in omni Sermone Gallica Gentis.* laudat Humanitatem, atquè Fortitudinem Regis extollit. è Nobilitate Gallicâ *Aumontium, Franciæ Marescallum Crequium*, pro suâ Socerique *Desdiquerij* fortitudine præcipuè respexit. Nec *Arvernia Comes*, Regij generis, Regiæ humanitaris expers fuit. Is procero Corpore, & facie liberali cognitus, honorificentius posteà habitus est, & cum *Bironio, Aumontio, ac Crequio, Mensa Regia sapius adhibitus.* Aula Symphoniacis Tibijs, Cytharædorum Vocibus, Choreis, Convivijs, & Plausibus personabat. Ac ne his quidem Officijs obligati *Franci*; sed *Ipsa Regina*, flagitante Legato, *cantavit:* & Opinione Audientium, sinè Ambitu, *Victoriam Cantus assecuta est.* Regina, ne tantum ostenderet Divitias, Aulæ Luxum, & Conviviorum elegantiam; *Legatum*, Comitesquè *Basingum* deduxit, ut Venationibus oblectaret: nullumquè Officium Humanitatis prætermisit, quo posset *Benevolentiam in Francos testari.* Ibi Voluptatibus saturi, gratias agunt Humanitati Regiæ. *Bironius* Officio Legationis functus, in *Franciam* digreditur. *Regina* discedenti Munera dedit, *Torquem Gemmeam, Phaleratos equos.* Quin & verba *Birony*, Ignari fati sui, brevi ingruentis, vulgabantur, *Essexij in Moriendo Patientiam, Ministello quàm Viro Militari congruentiorem fuisse.* Cui superfuit paucos post Menses; & perijt eodem genere Mortis, non tàm laudabili exitu, ut suo tempore referam.

Hic Annus fatalis, & ultimus fuit *Henrico Harberto, Penbrochia Comiti*; qui pro suis in Remp: Meritis, *Periscelidis honore* decoratus, & *Cambriæ Præses* institutus est; quam summâ prudentiæ, & Aequitatis opinione administravit. & duos filios ex *Mariâ Henrici Sidnei filiâ* superstites reliquit, Corporis & Animi indole præstantes; *Gulielmum*, in Paterno honore Successorem; *Philippum Montgomerici Comitem.* Qui ab *Iacobo Rege* ad intima ejus Consilia admissi, ac multis beneficijs donati, in Aulâ floruerunt. Vitam etiam cum Morte commutavit *Baro Noritius de Ricot*; qui ab *Henrico Octavo*, post flebile fatum Patris, in integrum restitutus, ab *Elizabethâ* in *Procerum Ordinem* cooptatus fuit; ob longè maximi Momenti Legationem in *Galliâ* obitam. Is ex *Margaritâ* uxore, Cohærede *Baronis Villiami de Thomâ*, numerosam ac generosam Sobolem habuit: *Gulielmum* Primigenium, *Bervici Marescallum, in Hiberniâ defunctum*; cujus filius *Fran:* Aviti honoris Successor fuit: *Ioannem* Belgicâ & Gallicâ Militiâ clarum; qui (ut memoravi) in *Hiberniâ*, fatali bellicosæ familiæ, extinctus est: *Tho: Momonia Præsidem*, ibidem mortuum: *Henricum*, eodem Loco, & eodem penè Tempore sublatum: *Maximilianum*, Bello Armorico interfectum: & *Eduardum*, Ostendæ Præfectum, reliquis Superstitem: qui Legati, Præsides, Præfecti, aut Tribuni militares fuerunt.

Peregrinus quoquè *Vilonbeus, de Eresby Baro*, Avitæ Nobilitatis, *Bervici Præfectus*, Vir gratiâ oris, Animi Magnitudine, & militari Gloriâ, suâ ætate longè Clarissimus, crebrò per eos dies, apud *Elizabetham*, Absens Accusatus, Absolutusquè. Causa periculi *Essexij* interior Amicitia, *Regina*, ex rumoribus temerè ortis, haud ignota. Tandem, effæto Laboribus magis Corpore, quàm Annis, incolumi dignitate, florente Famâ, *Bervici* vitâ excessit. Corpus indè *Eresby* translatum; ubi in Majorum Sepulchris, multis lachrymis, & Muliebrius lamenris, compositum est. Figuram Corporis, Imagines testantur; Formam Animi, Moresquè, nemo nisi flumine Orationis imbutus, exprimere potest.

Hoc etiam Anno *Antonius Baconus*, amicissimus & sapientissimus *Essexij Cultor*, qui *Florentem* ejus fortunam officiosè coluit, *afflictam* non deseruit, dolore & mærore extinctus est. Integer, & Vulgo favorabilis, Constantiæ ac fidei famâ. Privatis utriusquè rebus, *Francisco* fratre celebratior; Auctoritate & fortunâ Inferior; ut Eventus docebit. Non perindè homines de fortunâ utriusquè conjectabant. *Hic*, & *Villonbeus Baro* in votis habuêre, *Iacobum magna Britannia regem videre:* sed præpropera Mors grande solatium abstulit.

Cæterùm in *Hiberniâ* tàm suspecto atquè ambiguo tempore, & communi metu, eum *Philippo* belli, *Prorex Hibernici Regni* Curis invigilavit, omnes Urbes Maritimas, quæ in *Hispaniam* versæ erant, Præsidijs firmavit; necessarium Commeatum in locis idoneis imposuit: oravit Literis Nuntijsquè, ut *Regina* Classem *Triginta Navium* mitteret, ad tuendam *Momonia* Oram, si res posceret. Multi *Vltonia & Momonia Reguli*, Fame, Inopiâ, & Vastitate Agrorum adducti, venerunt uti reciperentur orantes: & Veniam, his legibus, impetrarunt, ut nec *Baticam*, nec ullum exteræ gentis Auxilium accesserent; aut hostem ultrò advenientem reciperent. Item darent idoneos Obsides, *Proregis* arbitrio. *Prorex* literas eâ de re ad Senatum dedit, *Vltoniensem Agrum* à Promotis præsidijs vastatum; Multos mortales occisos; plures deditos; dedituros què se, si sanciretur præteritorum Oblivio; cavereturquè Rebellionem sibi fraudi non futuram: Deminutas *Regulorum* Opes, quibus aut fortuna magna, aut dignitas erat; & Viribus, utpotè infirmis, parùm confidere; nullam superesse Spem,

1601. nisi ex *Hispaniâ* Subsidium. Senatu Conditiones permittente *Proregi*, sinè exceptione, & decernente placere sibi, per Deditionem *Rebelles* recipi, multi voluntate ad eum defecerunt. *Prorex* ita se præparavit adversùs omnes Conatus *Philippi*: & in *Festo Sancti Georgij*, Ordinem *Periscelidis*, singulari splendote & elegantiâ celebravit; cum incredibili Admiratione Nobilium, Regulorum *Turlochi, Mac-Henrici, Mac-Conlei, O-banloni, Phelini, Mac-Pheochi, Donaldi Spaniaghi*; qui nuper se dediderunt. Tum Expeditionem in *Vltoniam* adornat: Deditos *Regulos* ita se parare jubet, ut sub adventum ejus in Armis essent. *Henricus Docreus* Legiones promovere, cum omnibus Copijs à tergo premere *Tironium* est jussus. *Arthuro Chicchestero*, *Fergusij Scopuli Præfecto* negotium datum est, ut in Vicinos *Regulos*, infidos adhuc, Impetum faceret. Interim *Regina* Edicto prohibet, ne quis *Anglicam pecuniam* in Hiberniam transferret; quod magnam partem *Rebelles* corraderent, ad bellicum Apparatum comparandum: Nec Mercatores indè in hostiles Terras transportarent, magnâ *Angliæ* jacturâ. Potestas Pecuniæ conficiendæ Senatui permittitur. Ubi tempore ad deliberandum sumpto, Alij censent, Pecuniam cum Intertrimento, admisto Aere, cudendam, & in *Hiberniam* transmittendam; ad levandos sumptus Castrenses; & hoc unicum in præsentiâ remedium, adversùs difficultatem Pecuniariam. Alij contrà disceptarunt, hanc *Monetæ Intertrituram*, Pecuniæquè Mutationem, ad *Principis* Invidiam, Provinciæ detrimentum, Civium jacturam, ac Plebis ruinam tendere. Periculum etiam instare, ne Milites, deminutis stipendijs, tumultuarentur. Sed *Buchustius Quæstor*, urgente Miserâ Temporum conditione, ægrè à *Reginâ* impetravit, ut Pecunia ad tempus mutaretur; quæ hoc grave Existimationi suæ, perniciosum *Regno Hiberniæ*, Exercitui detrimentosum dixit. & in *Hiberniam* præmisit Edictum, ut parvum & breve Incommodum, pro Utilitate publicâ tolelaret. Paruit Litteris *Senatus Hibernicus*, & præmissum Edictum, impressis publicè Tabulis, vulgari jussit; majori cum Detrimento Provinciæ, quàm adhibendo Pecuniæ Inopiæ Remedio. Nam exercitui recessit in damnum; Populo in Jacturam; solis eis Lucrum, quorum Avaritiâ Commentum excogitatum fuit.

Montiojus idoneum tempus nactus, profectionem maturat; ne Milites in Otio tumultuarentur. In *Vltoniam* progressus, longius penetrat, quàm quisquam priorum Ducum. Postquàm *Tironius*, More suo, sylvis & Paludibus non digrediebatur, *Angli* exprobrantes Metum, prædas abegerunt; fruges Pabulumquè obtriverunt; & interiorem *Vltoniam* fugâ Terrorequè impleverunt: à tergo quoque *Docreus* acriter institit; qui Copijs divisis ad consectandos vagos *Rebelles*, plerosquè obvios habuit, refugientes in Sylvas ac Paludes; nec aliâ re, quàm velocitate corporum, tutantes se, obtruncavit. Indè *Mac-Suinnum*, *Infamem Rebellem* est aggressus; qui priusquàm experiretur Certamen, in deditionem venit, Obsidesquè dedit. cui fidem, Iusjurandumquè negligenti, tantum Metum injecit, ut in Fide jam indè Manserit; datis alijs Obsidibus: *Castellumquè Derium* Vi cæpit, Oppidumquè *Neutonam* Præsidio valido imposito, firmavit. Ita pervastatis *Rebellium* Agris, *O Nealo Carue duce* in *Tierconeliam* processit; Urbemquè *Donogalliam*, propè *Balashanonam*, Deditione recepit. Interim *Prorex*, ex alterâ parte, redactâ in potestatem Lecaliâ, Regione *Tironiæ*, Mac-Genisos vi possidentes deturbavit, Præsidiaque locis idoneis imposuit. Omnia Rebellium Castella, *Armacham* usquè, in Potestatem redegit. Ibi copiosiorem frumentationem habiturus, substitit. & sita Opportunè Urbs est, ad Impetus in *Rebellium Agros* faciendos. Igitur *Armacha* Præsidio opportunè disposito, ad *Nigrum fluvium* ire pergit; ibiquè novum Munimentum extruit; Vetere Vi Rebellium expugnato, & diruto. *Tiroeniæ Comitatum* redigere in Potestatem, promovere Præsidia intendit. Excisis Sylvis, & summotis hostibus, cum Rebellibus crebra secunda prælia fecit.

Dum hæc in Ultoniâ geruntur, *Careus Momoniæ Præses* anxius, cum Terror undiquè externi hostis, nec minùs periculi, fraude domesticâ, instaret, ad exploranda omnia circum misit. Subsidium *Baticum*, Rebellibus destinatum, extemplò proditur; & Authore eo Senatui indicatur. Præses ut periculum præverteret, *Thomam Geraldinum Titularem Desmoniæ Comitem*, in Solitudine latentem deprehendit; & ad Disquisitionem Judicum extemplò vocavit. Quoniàm si Indemnatus antè Judicium discederet, Fiscus Bona & Prædia, nisi Comitiali Authoritate, vendicare non poterat. Reus Crimen cum id non posset inficiari, repentè confessus, *Læsæ Majestatis* damnatus est. Auditâ Sententiâ, protestatus est, se multis & magnis Incommodis conflictatum; Studia priscæ Religionis instaurandæ; & Avita Prædia recuperandi, Arma propè necessaria cæpisse. Præterea cognitum compertumquè sibi, Populares diuturnioribus Molestijs *Colonorum ex Angliâ* vexatos; Novis & insolitis in singulas Terræ Carrucas Oneribus, & sævis duodecem Virorum Judicijs incitatos, alieno esse animo in *Reginam*, & ad Defectionem paratos; Spe Auxiliarium *Hispanorum*: quos adventare detexerat *Tilorentius*, *Mac-Cartio* Indice: & Locum excensioni destinatum *Corcagium*. Nihil ei profuit Protestatio, vel *Indicium*. Florentius inter Socios *Baticæ Conjurationis* nominatus, non obstante *Veniali Diplomate*, comprehenditur, & in *Angliam*, cum *Titulari* Comite, à *Præside* transmittitur; ubi in *Arcem Londinensem* conijciuntur. *Regina* in Pseudo desmonium meritam Proditionis statuit pœnam. *Mac-Cartium* diuturni Carceris squalore afflixit. Qui *Iacobi Misericordiâ* liberatus, diu supervixit. *Prorex* revocatus, rumore haud temerè orto, ac Litteris *Momoniæ Præsidis*, Classem *Regis Philippi* in *Momoniam* navigare, *Dublinum* revertitur: relicto *Armacha* Præfecto, *Henrico Daversio*; ac ulteriori *Vltoniæ*, Docreo Tribuno: Impositoquè *Novo Nigri fluminis Munimento*, Thomâ *Villiamo*, Centurione fortissimo; qui *Vetus* adversus Barbaros tàm acriter fortiterquè defenderat. Postquàm

Exercitus

Exercitus recessit, O-Donelius cum infensis Copijs Donegalliam, Spe recuperandi, contendit; ac 1601.
acerrimè obsidet. Cujus Impetum Angli Præsidiarij fortiter sustinuerunt. Quâ re cognitâ, Docreus interiacentes Solitudines transgressus, ad Donegalliam pervenit, & Præsidiarijs subvenit. O-Donelius, in Obsidione Triginta moratus dies, re infectâ, discessit in Sylvestria ac Invia loca; multis per eos dies difficultatibus conflictatus. Docreus interim Perfidiam Agrestium ulciscitur, qui Nutonam, & Castellum Derium Rebellibus prodiderunt: ac brevi Ballisbanono, loco opportuno adversùs Rebelles, cum modico Præsidio, operâ Eduardi Digij Centurionis, potitur.

Cum Alij atque Alij Nuntij Iberos in Momoniam vela facere afferrent, & Careus Præses Literas mitteret, ut Subsidio sibi Provinciæquè quàm primùm veniret, Prorex censuit, Hiberniam non tàm à domesticâ Defectione, quàm ob externo hoste defendendam; ad eum Exercitum quem haberet, Quinque Millia Militum à Reginâ poposcit. Timensquè Careo Momoniæ præsidi, ne adventu Hispanorum opprimeretur, ad eum cum Equestribus Turmis, summâ celeritate proficiscitur; ac Kilkeniam pervenit; Præsidemquè accersit. Qui valido Præsidio Corcagio imposito, & Carolo Vilmoto Urbi præposito, magnis Itineribus, eodem contendit. Cum congrederentur, consultare quid agerent cæperunt. Alijs Kilkeniæ subsistendum, donec Majores Copiæ convenirent; Alijs penetrandum, ad opprimendos Iberos; Alijs redeundum censentibus: Præses contrà disseruit, non posse redire, aut manere, sinè Pudore, ac manifesto periculo Defectionis, per universum Regnum: properandum itaquè ad Socios confirmandos, & hostes debellandos. Vicit Sententia, quæ extemplò gerendum bellum suadebat. Inter quæ Ioannes Aquilius, Summi Imperatoris Ioannis Austriaci Discipulus, Triginta Quatuor Navibus, advectus in Momoniam: quia Corcagij Portum tenere non poterat, Kinsala Portum tenuit. Ex escensione factâ, Triginta Quinquè Vexilla Militum Veteranorum, Mense Septembri, exposuit. Kinsalam urbem Maritimam, in Hispaniam opportunè versam, cæpit; & summâ Vi communiri jussit; ut Horreum Commeatuum, & Apparatus bellici esset; ibiquè Iberi, in rebus Adversis, Receptum; in Secundis, Portum recipiendis Subsidijs haberent. Ad reliquam Classem, tempestate disjectam, cum omnis generis Commeatu, bellicoque Apparatu; Copiasquè Regulorum accersendas, Nuntios dimisit. Itaque, dimissis Nuntijs, ad Tironium scripsit; & quid fieri vellet ostendit; Edictoquè significavit, Elisabetham Reginam Pontificum Diplomatibus regno esse exutam. Subditos fidelitatis Sacramento absolutos. Hispanos appulisse, ut Hiberniam à Servitutis Iugo liberarent. Vulgatâ celeriter famâ appulsu Hispanicæ Classis, Montioius, qui tunc Hiberniæ, Copijsquè quibus coërceretur, magnâ Curâ, & mox gloriâ præerat, Literas eâ de re ad Senatum dedit. Contracto undequaque Exercitu, Kinsalam contendit; ut antè Tironij adventum, & antequàm reliquæ hostium Copiæ advenirent, quocunquè occurrisset loco, cum Aquilio prælium consereret, si Occasio daretur; aut de improviso opprimeret. Magnisquè Itineribus, hyeme asperâ, ad Kinsalam pervenit. Urbis Situ circumspecto, & rebus, pro tempore, ac Loco, paratis Operibus, ac Machinis, Mœnia undiquè aggreditur. Iberi summâ ope parant se ad urbem defendendam. Quos cum se, animo paratos videret, Castris ex omni parte Oppidi positis, Vallo Fossâquè circum dedit, priusquàm ad oppugnandum aggrederetur. Castellum ad Kinsalæ Portum positum, Rincoranum appellatum, obsidere intendit; quod à Cohorte Hispanorum diligenter custodiebatur: existimans, capto eo Castello, imminenti Mari, se facilius Urbem posse expugnare: præsertim, Reginæ Classe, Commeatus in Castra subvehente. Igitur Ioannem Barclerum, Gulielmum Godelphinum, Equestris fortunæ; & Iosiam Bodlejum, ductorem Ordinis, quæ ad oppugnationem Castelli pertinebant, administrare jussit. Omnibus curâ eorum præparatis, Aggerem jacit, & super Aggerem Tribus dispositis Tormentis, Murum quatit. Interim Quingenti Hispani Oppido repentè egressi, ut Arcem Obsidione liberarent, Anglos Obsidioni Arcis intentos invadunt. Milites, qui in eâ parte locati fuerant, ut Eruptionibus resisterent, obvij procedunt; reliqui celeriter subveniunt. Iberi, præstantissimis Militum vulneratis, formidine perculsi, universi Kinsalam versùs abierunt. Firmati, rursùs pro Mænibus redintegrant prælium; & ingenti ardore utrinquè certatur. In hoc Certamine Oliverus Sanctus Ioannes, Equestris Ordinis, cum Suorum Triginta accurrens, eminet; vulnere priùs in femore accepto, Duos Iberos perimit. Baro Andleus, in medium eorum Agmen se injecit; ibiquè Pilæ Ictu, in Femore percussus est. Butleri Centurionis Legatus interfectus est. Arthuri Savagij Equitis Legatus, quoquè globo trajectus; & Quatuordecim gregarij Milites vulnerati. Angli referentes gradum, Iberos usque ad Mænia urbis insecuti, Decem inter fecerunt; Septuaginta sauciarunt; quorum Octo suis ex Vulneribus, paucis post diebus, sunt extincti. Ioannem Hertesium, Tribunum Legionis, nuper in Armoricâ Britanniâ, Captivum abduxerunt. Obsessi postquàm Muros Machinis sterni, resquè suas dubias, vel potiùs afflictas vident, ad Deditionem inclinant, suadente Præfecto, ægro ex vulnere. Mittuntquè ad Proregem Delegatos, qui traditurossè Castellum dicerent, si cum Armis, & Impedimentis exire permitteret. Qui castigatâ pertinaciâ eorum, recipere Captivos Pacto Salutis recusavit, nisi sinè ullâ pactione, sese Inermes, Castellumquè in Fidem traderent. Postquàm Delegati missi Conditionem retulerant, Præfectus obstinatè restitit; & ad obmolienda ea, quæ ruinis strata erant, Consilium convertit. Tandem coacti periculo Obsessi, paciscentes, ne quid Hostile paterentur, Octuaginta Sex se Inermes dediderunt. Hiberni, cum primùm Deditio cæpit, peritiâ Locorum impunè eludentes, ad Tironium in Vltoniam abierunt.

Prorex Arce potitus, Kinsala Portum ad hibernandum Classi Reginæ advenienti delegit: Inopiam

1601. ultimam, Laboremquè in obsidendâ Urbe sibi proposuit. *Iberi*, Brumali frigore, crebrisquè prælijs fatigati, nihilo segnius egêre. Undiquè omnes ad munienda mænia concurrerunt; Munimenta extrà Urbem, fossa & Vallo circumdederunt. Dum hæc ad *Kinsalam* geruntur, *Ricardus Levesonus*, Nobilis Eques, cum *Decem Navibus bellicis*, *Quinque Millibus Militum*, & omnium rerum Commeatibus, sinè tumultu *Kinsalam* appulit. Ea verò res *Anglis* auxit animos; Obsessis minuit. *Prorex*, receptis Copijs, & à Nauseâ Marinâ *Corcka* recreatis, Obsidionem accelerat; Aggeres idoneis locis exstruit, ut Murum penè contingerent. *Iberos*, qui extrà Mænia, Fossâ & Aggeribus sese tuebantur, in Urbem compellit. Quibus rebus obstupefactus *Aquilius*, per Ostentationem, *Proregem* ad prælium singulare provocavit. Ille modestè respondit, id Neutri satis decorum. Summos Duces Aciei, non Duello decertare oportere. Idquè *Tridentini Consilij Canone* vetitum. Inter hæc *Alphonsus Occampus*, Tribunus *Hispanorum*, cum *Decem Cohortibus*, tuendis socijs Auxiliator accedit. Sed Aditu Portus ab omni parte obsesso, à *Regina* Navibus, mutato Consilio, *Casilij Portum* petit. *Ricardus Levesonus*, *cui Classis*, *Maritimaquè Hiberniæ Oræ Imperium à Reginâ mandatum*, cum intellexisset, *subductus remulco Navibus*, lacessere *hostium Classem* non destitit. *Seriagus Præfectus Classis Baticæ*, & *Iberi*, quassatis Navibus, Portum quem petierant, tenuerunt; & vallando muniendoquè *Casilij Portum*, *Balteniorum Peninsulam*, & *Beerehanum*, aliquot dies consumpserunt. *Levesonus* ad Fluminis Ostium redijt, ad intercludendos hostes. Hæ res in *Vltoniam*, ad *Tironium* celeriter perferuntur. Ille *O-Donelium*, cum expeditis Cohortibus, ad confirmandos Sociorum animos, in *Momoniam* proficisci jubet; ibiquè adventum ejus expectare. *Prorex* de adventu *Occampi* edoctus, advocato frequenti Consilio, de belli ratione consultat. *Georgium Careum*, *Momoniæ Præsidem*, cum duabus Legionibus, & parte Equitum mittit, ut *O-Donelio* cum suis se objiceret: ne *Iberis* subsidio venire posset. Is quanquam ad Celeritatem nihil omisisset, tamen *O-Donelius* id quod erat suspicatus, festinando, per Juga Montium, Sylvestra Loca, & Angustias Semitarum, prævenit; & *Hispanorum Auxiliares Copias* suis adjunxit. *Careus* in Castra redit. Ubi is venit, *Prorex* auctus Commeatu, Auxilijsquè, intentior ad curas Obsidionis, Præfectos Tribunosquè convocat; quibus Consilium, & Apparatum Oppugnationis indicit. Promotis Munimentis, Muros Machinis ferit. Id cum dies aliquot fecisset, partemquè Muri crebris Tormentorum Ictibus diruisset, aggredi omnibus Copijs, atquè irrumpere destinavit. Sed *Vingfeildius*, *Hiberniæ Tribunus*, speculatum rimam præmissus, Impetum cohibuit. *Iberi* Muros reficiunt; Fossas latiores, & profundiores faciunt; *Anglos* occupatos in opere, crebris nocturnis diurnisquè prælijs, fatigant; Mænibusquè appropinquare prohibent. Obsessores alij Eruptionibus resistunt; Alij in opere desudant: omnem *Hiberniæ* Salutem in Expugnatione Urbis arbitrantes, de cujus Possessione certaretur. In eâ Oppugnatione dum tempus terunt *Angli*, duo *Iberorum Millia*, delecta ex omnibus Copijs, duabus Portis eruptionem faciunt, ad configenda Tormenta, & diruendos Aggeres officientes, ex Parte Oriente & Occidente urbis. Qui cæco Furore, in diversa ruentes, Vallum laqueis & falcibus rescindere parant; & Defensoribus vulnera infligunt. Plurimus circâ Aggerem ex Occidente labor. Inde Consternatio in Castris. Audito Clamore, *Vingfeildius Tribunus*, *Ricardus Morisonus*, *Gulielmus Fortescutus*, *Franciscus Rushius*, *Equites Clari*, *cum Sexcentis Militibus* primi se opposuerunt, cohibueruntquè Impetum. *Godolphinus*, & multi Centuriones secuti, qui strenuè præliantur. Perseverante Certamine, *Prorex* cum globo intervenit; & Milites præsentiâ suâ incitat. Qui *Iberos* transgressos Aggerem, ex Occidente, à Tormentis repulerunt, & Fossas Cadaveribus impleverunt: cæsis circiter *Ducentis*, & *Tribus* præfectis captis; Tredecim, ac plurimis vulneratis. Reliqui conterriti, turpi fugâ in Urbem compulsi sunt. Ita recuperato Aggere, atquè omni parte summotis hostibus, finis est præliandi factus. Milites *Anglici* pauci desiderati; cum *Tribus Legatis Ordinum*. Postero die *Interfectorum humatio* conceditur; & majore Conatu, Majorequè Tormentorum & Machinarum vi Oppugnatio repetitur.

Omnia experti *Iberi*, cum res nulla succederet, *Tironium* orant per litteras, perquè suos Interpretes, ut se Auxiliatorem afflictis rebus accommodaret. Ille cognito Urbis arcto Obsidio, & *O-Donelij* successu; *Nobiles Regulos* excivit; Milites ad Signa convenire jussit, ac Nuntios ad reliquos *Rebelles* circummisit; qui fando incitarent, *actum de Libertate Hiberniæ*, & *Salute omnium*, *nisi Iberis subsidio advolarent*. Igitur cum *Regulorum* ejusdem Nationis Cohorte, *Orroco*, *Redmano*, *Burco*, *Mac-Gurio*, *Mac-Mahono*, *Mac-Surleo*, *Oconore Sligusij Fratre*, *Tirelio*; *Barono Lexenbojo*, in Momoniam, ad eximendum Obsidione *Aquilium*, magnis Itineribus proficiscitur. Adjunctis *O-Donelij*, & *Iberorum Copijs*, haud magno à *Kinsalâ* intervallo, *Mille Quingentos passus inter Corckam*, & *Anglorum Castra*, in Tumulo consedit; ut Commeatus in Castra ferri prohiberet. Fluvius à tergo suberat. *Montiojus* explorato Regulorum adventu, Fossis altius deductis, ne quà Obsessorum eruptio fieret, Vallum Turresquè Castrorum auget; diviso in duas partes Exercitu, armatas Stationes opponit. Quà venturos, Impetumquè in se facturos, Literis Nuntijsquè cognoverat. *Temondiæ Comes* ejusdem Nationis cum Copijs, Regulis objectus est. Deprehensæ interea *Aquilij ad Tironium Literæ*, quibus hortabatur, hostium Castra ex Improviso adoriri: sequè cum suis in tempore affuturum spondebat, ubi Impetum facerent. *Tironius* contemplans stationes hostium Præsidijs firmas, de Expugnatione desperavit; ostentando magis, quàm inferendo pugnam, *Biduum* consumpsit. *Tertio* die secum reputans, quantum in Congressu discriminis, in Receptu Ignominiæ adeundum foret; Opem Obsessis ferendam, & perrumpendas

Anglorum

Anglorum Munitiones decrevit. Et per Occultos Nuntios egit cum Obsessis, ut ipsi quoquè pariter erumperent, Signo, uti convenerat, dato. Cognito hostium Consilio, *Montiojus*, ne à Duobus simul hostibus, *Hiberno & Ibero* premeretur, omnem ferè *Equitatum*, primâ Vigiliâ è Castris eduxit; & detractas ex quâque Legione armatas Cohortes *Præfecto Henrico Poerio*, Equiti ducendas dedit. *Georgium Careum*, *Momonia Rectorem*, cum Tribus Equitum Turmis, valido Peditum præsidio, & omnibus Impedimentis, in Castris reliquit; ne *Aquilius* (id quod facturus videbatur) Eruptione subitâ Castra relicta invaderet. Cæteri duces Præfectiquè Signa extulêre. Postridiè *Tironius*, cum *Sex Hibernorum Millibus*, *Decem Hispanorum Cohortibus*; & Equitum robore, aliquantò antè Lucem, Colle digressus, *Castris Anglorum* appropinquavit: sed aggredi omnibus Copijs, atque irrumpere non est ausus. *Ricardus Gramus*, *Præfectus Vigilum*, ubi videt *Hibernos* in Campestri Planitie ad pugnam parari, coirequè frequentes ad Signa, & propiùs accedere; ejus rei Nuntium ad *Proregem* misit. Signo dato, summâ omnium *Anglorum* alacritate, arma capta. *Prorex* Ordines circumit; Spe Fiduciâque animos Militum replet; Duces prætereà Oratione acuit; inculcat Auribus rea à Majoribus fortiter ac fæliciter gestas; Majorum decus; Vetustam gloriam Gentis; ingenitam vim pectoris; Victores *Anglos* cum Victis *Hibernis* pugnaturos. *Tironius* memor Victoriæ, in *Vltoniâ* partæ, non cessavit suos inflammare Cupidine gloriæ, Libertatis, & Vindictæ. *Nobilitatem Hibernicam*, & indomitam Asperitatem, invictos Socios, verbis in Cælum ferens. Animatis utrinquè Militibus, *Prorex* antè quàm confligeretur, *Ricardum Vingfeildium*, *Hibernia Marisçallum*, cum parte Equitum, & expeditis Cohortibus, speculatum præmisit. Ipse cum duabus Legionibus, & parte Equitatus substitit. *Tironius*, conspicatus paratas dilectas Cohortes, ex singulis Legionibus, Viribus præstantes, & Equitum Turmas, progredi non ausus; ne contrà suam Voluntatem dimicare cogeretur; in Verticem Collis, mox ultrà Fluvium Copias recepit. *Vingfeildius Tribunus*, Proregem certiorem facit, hostium Receptum Fugæ similem. Ipse *Prorex*, uti cognosceret, ad primam Aciem procurrit. sed *Hibernus* Imber repentè fusus, aliquandiu Oculos Visumquè impediebat; adeò omnia contecta Nebulâ, ut perspici Cælum vix posset. Mox discussâ Caligine, fluctuantes repentino Terrore hostes conspicatus; præmonitis, breviter, ac pro tempore, Militibus, adesse Certamen, ac Spem certam exploratamquè Vincendi, bono animo esse jubet, & Fugientes persequi. Ferrum, & insitum *Anglis* robur horrentes *Hiberni*, urgente à tergo hostium *Equitatu*, & instante metu *Peditum*, acrius Signa inferentium, desperantes de tuto Receptu, Acie justâ maluerunt confligere, quàm terga effusè dare, ignotis Semitis. *Tironius* cunctabundus, ac diffidens viribus, suis Trifariàm divisis Copijs, Equitum Turmis dextrâ Levâque collocatis, Regulis præscribit, ubi quisque curaret. *O-Donelius*, cum Copijs in *Primâ Acie* curare jussus; Ipse *Mediam* rexit: & in Loco, *Vligine Paludum* munito, substitit; ad quem, nisi Vado, nullus Accessus. *Extremum Agmen*, *Occampo Tribuno*, *& Tirelio*, experto Duci datum; ubi plurimum eo die fiduciæ. Ita instructâ Acie, *Tironius* Fortunæ se magis Necessitati, quàm Animi robori commisit. *Prorex*, ubi nullâ ex parte hostem loco movere videt, *Vingfeildium Tribunum*, *Clanricardia Comitem*, *Ricardum Gramum*, *Equestris Turmæ præfectum*, *cum Equitum Alâ*; *& Henricum Poërium*, *cum Octo Veteranorum Peditum Cohortibus*, *lacessere jubet*. Qui brevi mandata efficiunt. *Galielmum Gondolphum*, *Henricum Daverſium*, penès quem summa Equestris Imperij; *Ioannem Barclavium*, Præfectum Castrorum, summæ Equites Audaciæ, cum suis Equitum Turmis, accelerare Subsidio monet. Ipse Cæteras ducit. *Vingfeildius*, peritus rei Militaris, quia loco iniquo ac difficili Aditu subeundum erat, ad hostes, Palustris Loci se Præsidio defendentes, flectit paululum *in Vadum* Turmas; indè Signa in Defensores obvertit. Immissus Eques cum *Clanricardia Comite*, libero Cursu in hostem, intentum propugnationi *Vadi*, invehitur; & subitum pavorem effundit, *Vadoquè* potitur. Hinc *Anglici equites*, flagrantes Cupidine majoris pugnæ, Equitatum hostium segnem Ignavumquè adorti; multis vulneratis, interfectisquè, fundunt, fugantquè. Adversùs *Anglorum* Equites stetit immota *Peditum Media Acies*, fulgentibus Signis, nec parte ullâ pelli, aut perrumpi potuit. Interim *Anglorum* supervenit *Peditatus*. Adventu *Peditum*, crevêre *Equitum* animi, ac Clamore sublato, *Mediam hostium Aciem* invadunt; Trepidationem, & Tumultum inter *Hibernos* consternatos faciunt. *Prorex*, postquàm dilapsos Equites, versis concitatisquè equis videt, nutantem *Primam*, ac cæco pavore perterritam, ne ab *Equitatu Anglorum* circumveniretur; & turbatam *Mediam hostium Aciem*; Ipse cum Turmâ suâ, & Subsidijs, Impetu in *Postremum Agmen* transversus irruit; in quo *Hispani & Hiberni*, periti belli, Impressionem aliquandiu sustinuerunt. Paucis amissis, redintegrato rursùs Impetu, *Hiberni* (inferiores & Virtute, & Scientiâ rei Militaris) trepidantes, & vix Ordinem Agminis servantes, ad Summa Juga Collium fugere cæperunt. Instantibus deindè *Anglis*, trepidè Terga dedêre. Latè fuga, & latius formido porrigitur. *Hispanis* effugium nullum patebat, in Alienâ ignotâque terrâ. Qui etsi se desertos vident, tamen Arma Ordinesquè retinent, fortiterquè resistunt: Tandem circumventi, à fronte, à tergo obruuntur. *Reguli* pulsi, disjectiquè, effusè, sine respectu Decoris fugerunt. *Tironius* in *Vltoniam* profugit, multis in Itinere Difficultatibus conflictatus; *O-Donelius* in *Hispaniam*; Cæteris saluti Montes, & Sylvæ fuêre. *Angli*, quoad fessi fuêre, dispalantes insecuti, Cædentes, spoliantesquè; revocati ab effusâ Cæde; magno Genti decore parto, ad Locum pugnæ redierunt. *Prorex*, inter Stragem Cadaverum, maximas gratias divino Numini agit, & habuit, ac *Clanricardia Comitem*, ob strenuè navatam Operam,

1601. *Equestri Dignitate* Comiter ornavit: Victorquè, faustis Militum Acclamationibus, in Castra redijt. ubi summa fælicitas ejus in re Militari, debitis Laudibus celebratur. Non antè alia in *Hiberniâ* pugna atrocior fuit. Et quia statim in Fugam Dissipati sunt *Rebelles*, Minor Cædes, quàm pro tantâ Victoriâ fuit. Cæsi eo die fermè pugnantes *Mille ducenti*; saucij Octingenti; quorum multi, post prælium, ex vulneribus periêre. Pleriquè etiam Capti, Perfidiæ & Defectionis pænas, Resti luerunt. *Signa Militaria Sex, Iberis erepta; Hibernis, Tria.* Tribunus *Occampus*; *Tres Batici ordinum ductores; & Sex Vexilliferi capti*; Armorum magna vis, tum inter cæsa corpora hostium, tum in Campis, inventa est. Magna hæc Victoria, nequè cruenta *Anglis* fuit; nam ex ijs perpauci omninò desiderati; inter quos præcipuus, *Gramiana Turma Vexillifer*. Plures admodum leviter saucij: inter quos *Henricus Daversius, & Gulielmus Gandolphius*, Illustres Equites; & *Croftius*, Centurio, fortiter pugnam ciens. Vix equidem affirmare ausus essem, *Mille Ducentos Pedites, cum Sexcentis Classiarijs*, & Quadringentos Equites; cum Sex *Millibus Hibernorum, & Decem Cohortibus Hispanorum*, in Paludibus suis congressos; *Mille Ducentos Hibernorum* cæsos; & *tàm paucos Anglos* interfectos; Nisi me commoveret Centurionum Fides, qui prælio interfuerunt: Ego, Armis Cælestibus, & divinâ Ope factum arbitror. Nam si *Reguli* vicissent, profectò cuncti, aut Major pars *Hibernorum*, Fidem & Obsequium mutavissent: manente adhuc Memoriâ *Hispanica originis*; aut Cupidine *Romana* Religionis. *Montiojus*, convocatis Militibus, universos in Concione laudat; atquè pro fide, ac Operâ agit gratias. Hortatur, ut ad Cætera, quæ levia essent, parem animum gererent; admonetquè, pro Victoriâ hactenùs certatum; reliquos Labotes pro prædâ fore: compescitquè Amentiam *Hibernorum*; qui ad *Hispanicam gentem* inclinabant.

Obsidio renovata.

De bello indè Consilium habitum, & Quibusdam placuit, ut *Tironium* confestim per Solitudines insequerentur; domarentquè *Vltonia Regulos*, Iberis aditum præbentes: Si domuissent, *præsidium Hispanicum*; in potestate futurum. *Prorex* anceps id ratus, in Stationes reversus, Curam Obsidionis intentiore curâ agit. Perfectis operibus, & promotis Munimentis, Oppidum undiquè premit; omnis generis Tormenta, Machinasquè admovet: nova Opera molitur; omnibusquè modis sinè Intermissione, interdiu noctuquè festinat. *Aquilius*, præsidij Præfectus, *Regulos* repulsos, trepedantesquè in *Vltoniam* refugisse; sequè arctius premi; paucorum dierum superesse Alimenta; & multum imbellis Turbæ cernens; abjectâ Pertinaciâ, ad Deditionem inclinat; & *Caduceatorem*, extemplò, cum Litteris, & Postulatis, ad *Proregem* mittit; ut Virum aliquem Idoneum in Urbem ad se mitteret, qui de Pace, ponendisquè per honestas Conditiones Armis, agitaret. *Prorex*, Primoribus Præfectorum in Consilium vocatis, haud aspernatus Conditiones æquas dedendæ urbis, extemplò *Gulielmum Gandolphinum*, Equestris Turmæ præfectum, ire jubet, ut postulata cognosceret. Is transgressus Munimenta, ad *Aquilium* est deductus. Postquàm congressi, dicit se missum à *Prorege*, venisse quæsitum ab eo, Pacem, an bellum mallet? *Rebellium* exercitu fugato, & *Regulis* formidine perculsis. In Congressu, Vultus à Circumstantibus notabantur; Aquilij, Insultans, & *Hispanico fastui* propior; *Godolphini*, erectus, & non degener, cum verecundâ gravitate, Decore, & Modestiâ. *Aquilius* Necessitatem dissimulans, cum *Godolphino* in Colloquio verba fecit; *se nullâ Necessitate coactum, sed cognitâ gentili Hibernorum Levitate, Ignavia & Perfidia eorum pertæsum, Fidem Proregis, Militia gnari, & Conditiones Pacis, æquas Victis, & Victoribus, petere. Si Vita, Transvectionisquè Fidem acciperet; Si Armatos præsidiarios, Suaquè secùm ferentes, Aurum, Argentum, Aeneas Machinas abire sineret; his Conditionibus paratum se esse Oppidum dedere, & Exercitum Hiberniâ deducere. Si quid eorum displiciat, induxisse in animum (eandem Voluntatem Suorum omnium edocet) eo Loco potiùs Mortem oppetere, quàm Ignominiam, & qualemcunquè Indignitatem subire.* Dein, *Godolphinus* in Castra regressus, *Proregij* Presentibus Tribunis, & Centurionibus, postulata Præfecti retulit. Extemplò remissus, cum hujusmodi *Montioij* mandatis: *Etsi memorabili partâ Victoriâ, Aquilium cum Præsidio, Ferro Famequè, clausum teneret: tamen se Memorem rerum humanarum: quæ fluxæ & mobiles, in Adversa sæpè mutantur. Si Hiberniâ, intrà paucos dies, Inermes decederent; Auxiliares Hibernos Potestati Reginæ permitterent; Hispanos cum singulis Vestimentis Dimissurum; & Conditiones honestæ Pacis non recusaturum: ut omnes Gentes sciant, Reginam Angliæ & suscipere justè Bella, & prudenter finire. Quod si Victi quidem, & rerum omnium Inopiâ laborantes, extremam fortunam fateri nollent; sed insitâ genti Vanitate, vel Ignorarent, vel stultè Dissimularent; ac in Pervicaciâ perseverarent; Deum Hominesquè, & Modestiæ suæ, & Illorum Pertinaciæ Testes fore. Proindè in Deditionem venirent, si Reginæ Vim sibi experiendam non statuerent; nevè ullas Salutis & Pacis Conditiones sperarent, nisi liberum Reginæ permitterent de Hibernis Transfugis statuendi Iuditium.* Aquilius, exultans fiduciâ Virium, & Spe ex *Hispaniâ* Auxilij, ferocius respondit, *Victoris esse Conditiones ferre, Legesquè dicere. Nondum victos Præsidiarios. Quid gravius Victis imperarent? Se nihil magis metuere, quàm turpem Famam; Vitam sinè gloriâ minimè facere; etiam præferre Mortem dedecori. Id Certum, atquè obstinatum esse, in Præsidio captæ urbis, potiùs per Virtutem emori, quàm per Dedecus Salutem quærere. Nihil gravius, aut Iniquius cogitare posse, quàm Arma Viris in Armis natis auferre. Hispanis nequicquam Vires, nequicquam Arma, nequicquam Animos datos, si sinè vulnere, sinè Sanguine, sinè Cura Famæ apud Posteros, Se, Vrbemquè dederent. Nihil turpius, quàm Aurum, Argentum, & Tormenta ænea Philippi Regis, hostium Arbitrio, sinè exceptione, permittere. Si jam Victi, & Ope omni humanâ destituti, Mortem libentius, quàm tàm Turpis Pacis Conditiones subituros.*

Vexari

Vexari nunc, & subigi multo acrius Anglos, quàm Hispanos, fame, frigore, Illuvie, & Squalore. quippè 1601.
suos hyemem sub Tectis agere, Vrbem Munimentis situquè naturali munitam tutantes; Anglos laboribus fatigatos, hyemis vim diutius pati, in Aperto, non posse: in Opere, in Aggere, & Excubijs Obsidionis, Nivibus & Pruinis penè obrui. Brevi interjecto freto, propinqua Philippi Regis Auxilia esse. Postremò quæsivit Aquilius, *quonàm se Pacto, Paucos & Infirmos, crederent Præsidio tàm valido Duorum Millium Veteranorum vim allaturos? Aut Baltiniorum Peninsulam, omnibus Artis & Naturæ adjumentis munitam, rebusquè Necessarijs abundè instructam, brevi recuperaturos? Quare diutius, inquit, vos non frustrabor, nequè obtundam, sæpius eadem repetendo. Nisi Præsidio Armato, & Incolumi, cum Impedimentis omnibus, indè diducto, Hiberniâ nunquàm excedam. Gandolphinum* jam redire ad se vetuit, cum Iniquis deditionis Conditionibus, quas Ipse Jure negaret. Hæc cum renuntiarentur, adhibito frequenti Consilio, inter *Anglos* Consultationes habitæ. Ferociores, *Aquilij* Deditionem ut Seram, ultimâque tandem Fortunæ Necessitate expressam, aspernabantur; obsecrabantquè ne *Iberos* inultos abire sineret. Prudentiores, nimis vicinas *Hispanorum* vires cernentes, priusquàm tantum roboris in Hiberniâ esset, quantum Primo Vere futurum appareret; nisi Hispaniarum Rex, Milites optimè de se Meritos turpiter desereret, Pacem facere Consilium dabant. Rem *Reginæ* honorificam, & *Regno Angliæ* salutarem ostendentes, si *Hispani*, Hiberniæ bellum Vecors inferentes, post tot funera, & Impensas, Pacto Salutis Provinciâ discederent. Itaquè plurium Assensu comprobatâ Sententiâ, *Prorex* immensam belli molem, & accita ex *Hispaniâ* Auxilia metuens, cum *Aquilio Præsidij Præfecto, Calendis Ianuarij*, signatis Tabellis, his Conditionibus transegit; *ut Kinsalam Vrbem, Baltimoram Peninsulam, Portusquè in Momoniâ occupatos restitueret; Exercitumquè ex Hiberniâ, primo quoquè tempore deduceret. Ipse vicissim, Præsidiarios incolumes, cum Auro, Argento, Tormentis, omniquè Suppellectile, in Hispaniam transmitteret: Commeatumquè pretio præberet, donec Naves conscendissent.* Fide in hæc datâ, *Prorex* urbem *Kinsalam*, secundo *Die Ianuarij*, voluntariâ deditione accepit. Dedidêre deinceps sese, qui Portus Maritimos *Berechavum, & Baltimoram*, præsidijs insesserant. *Prorex*, levari quàm primum *Hiberniam* tantâ *Iberorum* Militum turbâ cupivit. Itaquè ingentem coëgit Vim Navium, tumultuarijs ad præsens Armamentis, ad Multitudinem Deditorum transportandam. Ac uti convenerat, Securitate pro Navibus, quibus reducerentur, acceptâ, summâ fide ad Mare deduxit. *Iberi*, secundam nacti Tempestatem, naves conscenderunt; & ex *Hiberniâ* soluerunt; non sinè pudore *Philippi Regis*. Graviter indignantibus *Hibernis*, quod Castella, & Propugnacula, in fidem accepta, *Anglis* ex pacto tradiderint. Hæc hyeme, Terrâ Mariquè, adversùs *Hispanos*, in Hiberniâ gesta. Tam facilis *Aquilij* Deditio, posteà culpæ tributa est; ac rumor fuit in Hispaniâ, ab *Anglis* correptum. *Aquilio*, viro egregio, & amanti Patriæ, *Hispani* infesti, quod Pactione potius, quàm Ferro Salutem quæsivisset. Sed nequè Ignavia, nequè Perfidia, quamdiu poterat cunctantem, ad Deditionem perpulerant; sed Necessitates humanæ, frigus, fames, propioraquè *Anglorum* auxilia, quàm *Iberorum*. Prorex in recipiendis *Momoniæ & Lageniæ* Arcibus, reliquum Hyemis tempus absumpsit. Arcemquè *Dunbojum* cruentâ Obsidione expugnavit, ac Solo æquavit. Plurimæ, desperato ab externis Viribus Auxilio, Metu sese dediderunt. Ferociores *Rebelles*, cum Terror undiquè instaret, in Loca munita, & Montes refugerunt. Hic fuit rerum *Hibernicarum* status. Intrà paucos dies, Epistolæ, & Tabellæ publicæ, à *Carolo Montioie* ad *Reginam Senatumquè* perferuntur; in quibus cunctas Deditionis Conditiones perscripserat. Rata apud *Elizabetham* Pacta fuêre. Evulgatâ memorabili Victoriâ, vagis per urbem rumoribus, miro Certamine *Civium Londinensium*, laus Deo, gratiæquè actæ, ob bellum fæliciter peractum. Regina mæsta anteà, & sollicita de belli Eventu, sinè Metu, reliquàm ætatem exigit: gratulaturquè *Montioio*, & Militibus.

Intereà *Regulos*, per se infirmos, & ab exteris destitutos, Seditionis Defectionisquè pænitebat. Circumspiciebat *Tironius* anxius, quâ ratione placare *Iram Reginæ, & Populi Anglici* posset. Mittebatquè ad Proregem *Ricardum Ovenum*, qui Imperata facturum disceret; & sese, Pactione Impunitatis, ac Concessione Agrorum, in Illius fidem traditurum. *Prorex*, quia *Iberi* cum justo Exercitu redire dicerentur, & bellum Inexpiabile minitarentur; *Tironio* Infido, & Metuenti, Pacis Conditiones obtulit; *Si Vultu demisso, & Verbis humilibus, Misericordiam Reginæ imploraret; Si Vectigalia, Solutionesquè fieri solitas, in singulos Annos penderet; Si Magistratus, & præfectos iuridicos Anglos, ad sua Munera obeunda in Vltoniam acciperet; Si nec Iberos, infestissimam Nomini Anglico gentem; Nec ullum externum Auxilium accerseret: Nec Rebellibus per suos fines Iter præberet; Item, Si daret Obsides, Armentorumquè Numerum.* Senatus *Hibernici* Arbitrio, has Conditiones gravatus, & ex Malâ Conscientiâ timens, multos dies inutili dubitatione consumpsit: quam *O-donelius* Socius, vanâ Spe novi ex *Hispaniâ* Auxilij, aluit. Nequè tamen quicquam Auxilij à *Philippo* posteà impetratum est. Quare multi *Reguli*, tædio rerum adversarum, Pacem bello potiorem duxerunt. *Regina* super Deditione *Tironij* consulta, non aliàs magis indoluit. Pacto Salutis, & Concessione Agrorum, in Deditionem accipere dubitavit; stimulante Injuriarum memoriâ, aut Vltionis cupidine: & ulcisci acceptas Clades maluit: quanquam eâ tempestate, ingentibus belli sumptibus exhauriretur Aerarium: deditquè Negotium *Montioio*, ut Cæteros Regulos, Pacto Impunitatis, in fidem reciperet; Ipsius *Tironij* Proditoris, Astu, vel Vi potiretur. Is mandata brevi exequitur; & missis Nuntijs, *Regulos* hortatur, ut sibi Liberisquè suis consulerent; Neu dubias res suas, cum *Tironij* afflictis, & perditis miscerent.

Mox

1601. Mox maximâ curâ ultum ire *Tironij Injurias* festinat. Sed in ipso Apparatu belli, ægritudinem ex frigore, & Lassitudine, contrahit: Fomentisquè *Medica Artis* Sanitati redintegratur. *Regina* paulum ad Misericordiam versa, Postulata *Tironij* Alia probat, Alia abnuit. Demùm omnia *Proregis* Arbitrio permittit. Is eum omnia sibi permissa videret, quæ bello opus erant parat; postulatquè Exercitui Supplementum; Auxilia à Socijs *Reguli* accersit; & bellum gerere cum *Tironio* statuit. *Regina* læta, Supplementum decrevit; Jussitquè, reparatis viribus, plures per Globos *Intima Vltonia* incursare: Insidias simul struere; & Domi quotidianis prælijs frangere.

Res externa. Dum hæc in *Britanniâ* geruntur, in *Belgio* res dubiæ apud *Hispanos Belgas*, vel potiùs afflictæ; præstantissimis ducibus captis, aut vulneratis; *Alberto* fugato, & Formidine adversæ pugnæ attonito. Factâ Captivorum permutatione, *Terraconensis præfectus, soluto Redemptionis pretio, Antverpiam remissus est*, cum fide. Paucorum dierum quiete sumptâ, *Mauritius* terrestribus, Navalibusquè Copijs, ad *Rhenbercam* ire pergit oppugnandam; ratus haud magno Certamine opprimi posse. *Bernardus Davila*, qui Oppido cum Præsidio *Hispanorum* præerat, perculsus repentino hostium Adventu, arreptis armis impigrè defendit; *Præsidiarios*, & inconditam Multitudinem, ferociâ verborum accendit. *Mauritius*, expugnatâ *Rheni Insulâ*, quæ *Iberorum* præsidio tenebatur, circùmdedit Mœnia armatis. Omne genus Tormentorum, Machinarumquè, ad urbis excidum, pluribus simul locis admovit. Cuniculos subterraneos egit; disposuit per Omnem ripam Equites, ut Commeatum intercluderent. *Davila* interim Eruptionibus crebris Stationes hostium, & eos ipsos qui circà Opera & Machinas erant, turbat; ac magno suorum numero interfecto, in Urbem compulsus est. Ubi Vigore & Industriâ nihil proficit, duos Nuntios ad *Albertum* mittit, ut quo in statu Obsessi essent; cognosceret; qui, inter Tela hostium, audaci facinore, Rhenum tranavêre. Mox haud procul ripâ, à prædispositis Equitibus intercepti, Famæ magis quàm Vitæ cupidi, Tormentis & Mortis Metu Arcana suorum Commilitonum prodere noluerunt. Traducti ad supplicium, in Locum ad quem prospectus ex Urbe patebat, constantes in fide permanserunt. Obsidio acrius continuato, Oppidanos præsidiariosquè ad ultimam Necessitatem adduxit, ac paucorum dierum Alimenta. *Albertus* cupiens ferre opem Obsessis, prioris pugnæ eventu territus est. Igitur *Præfectus Præsidij*, qui nullam Deditionis Pactionem auribus admiserat, desperato Auxilio, cum Terror undiquè instaret, Oratores de Conditionibus tradendæ Urbis, ad *Mauritium* misit. Fide acceptâ, consensu omnium, Urbem tradidit; & præsidiatios incolumes sub Signis; saucios in Vehiculis deduxit. Ita *Rhinberca*, oppidum munitum, redditum *Batavis* est; & firmatum *Mille Quingentorum Militum Præsidio*. ne ubi *Mauritius* inde abscessisset, *Iberi* rursùs oppugnarent.

Deindè *Mauritius* ad *Mursam* Castra movit: eam quoquè Urbem, & Arcem in potestatem suam redegit. *Albertus* interim, cognito *Rhenbercæ* discrimine, mittit in *Hispaniam*, & *Italiam*, qui Auxilia concirent. & undiquè contractis varijs ex Gentibus Copijs, quas in Hibernis, aut in Præsidijs habuerat, ad *Ostendam rursùs premendam*, infestis Signis pergit: ut *Mauritium* ab oppugnatione *Rhenbercæ* averteret. Nulla unquàm diuturnior, aut acrior Obsidio, Memoriæ Posteritatis ab Annalium Scriptoribus tradita est; nisi *Fabulis de Trojanâ* libeat credere. Urbs est *Flandriæ*, loco plano, & Palustri posita; duplici Vallo, ac Fossâ ingenti cincta; sinu exiguo navibus opportuno; paulò antè ignobilis *Vicus Piscatorius*. Ibi Præsidium *Batavorum*, *duce Carolo Vandernotio*, propinquas *Flandriæ* urbes impunè diripuit; & vicinos Agros hostiliter evastavit. Movêre erebra damna. *Albertus* igitur, Castris antè urbem positis, oppugnationem eminùs incipit; Machimisquè admotis, maximè Tormentorum Tonitu fluminat; Missilibus, magnisquè utrobiquè Cladibus certatum. Sed nequè circà Urbem Stationes tutæ erant, propter Uligines Paludum, & æstum Maris, vento concitati. Proindè humus aggerebatur, & materies faciendis Cratibus vehebatur, cum Machinarum omni genere Urbs oppugnaretur. *Franciscus Verus Anglorum Præfectus*, qui saucius Urbe excesserat, vix dum percurato vulnere, cum *Anglis* Auxiliaribus, & *Batavorum Octo expeditis Cohortibus, sub Tribuno Vchenbrocio*, missus Subsidio, *Ostendam* venit; & Stationibus antè Mœnia positis, magis lacessit, quàm sustinet hostem. Ejus adventu elati Obsessorum animi; Crebra prelia, & non incruenta. Neque Milites solum gregarij innumeri, sed *Mourojus*, Præfectus Castrorum promptus, inter Tela *Anglorum* Manibus cecidit. & *Augustinus Mexia*, *Antverpiensis*, Propugnaculi Præfectus, saucius pugnâ excessit. Multis Tribunis, Præfectis utrinquè, eadem belli fortuna fuit. Auxit ea res Obsessorum animos, & Obsidentium Spes imminuit. Hinc abjectâ oppugnandi Cura; reliqua erat in Obsidione Spes. *Iberi* Asseres, Crates, Vineasquè parant; struunt Aggeres, ut superstantes præliarentur; erigunt Turres, ex Struibus saxorum, Arborumquè. *Angli*, novis Popularium Copijs firmati, Opera hostium Clamore & Impetu invaserunt: Alia disjecerunt; Alia, perfosso Aggere, fluctibus submerserunt. Isquè eventus Oppugnationis, eâ parte, quâ *Mari & Iperlâ fluvio* Urbs alluitur; propiusquè Discrimen erant Obsidentes, sævitiâ Maris; quàm Obsessi, Vi hostili. Ex alterâ, perrupta Munimenta, & nihil omissum quod ad impedienda opera excogitari poterat. Nec destitère *Iberi*, occultis Cuniculis, & Operibus ad Mœnia propiùs succedere; & non solùm cum *Anglis*, sed cum Aquarum Eluvione, & alijs Impedimentis, ex naturalibus causis, luctari. Tandem, neque Urbis tàm munitæ expugnandæ viam cernentes, Neque in Obsidione quicquam Spei, dum *libero Portu* hostes potirentur:

Proindè

Proindè Culeos repletos Arenâ & Saburrâ in *Canalem* devoluunt; ut difficilem, & inutilem Navigationi redderent. Cum hic Labor parùm procederet, Novi Operis Molem, in *Faucibus Portus* orsi sunt, multâ *Batavorum* pernicie: Turresquè erexerunt, è Quibus in subeuntes Naves Tormenta dirigerent. Quanquam *Angli*, peritiâ & Arte præstantes, quicquid ad impediendam Molem excogitari poterat, haud segniter moliebantur; tamen Opus impigrè cæptum, paucos post dies perfectum est. Magnitudo Molis ingentem Obsessis Admirationem, & Pavorem injecit. Posteà *Mattiaca Naves*, Commeatus & Instrumenta bellica subvehentes, Tormentorum crebris Ictibus verberatæ, appulsæ sunt Urbi, laceratæ pleræque. Passim trunca Corpora, lateri Astus, & atrox Spectaculum; *Piscibus Esca Caro humana.* Nec deterruêre Machinamenta *Batavos*; quin indies per Medios hostes, & Tormentorum Tonitrua, in urbem penetrarent. *Vlricus*, *Holsatia Dux*, *Hohenlom*, *Northumbria Comes*, & Complures Nobiles *Angli*, cupidine gloriæ, non sine discrimine Portum intravêre. Emissi Tormentis globi, antè Ora, multos exangues & laceros stravêre. Hunc statum rerum *Albertus* fatigatus in Castris reliquit. Regressus Ipse, *Catrium*, summo cum Imperio, Operibus præfecit. Qui Pontibus stratis, ut inditos sustinerent, Scalisquè multifariàm appositis, Urbem summâ Vi aggressus est. *Angli* armati, paratiquè, Impetum hostium fortiter sustinuêre. Ipse *Catrius*, armis fulgentibus conspicuus, Tormenti Ictu discerptus, Vitam simul cum Imperio amisit. Hinc Signo Receptui dato, *Iberi* cum Pudore & Damno, in Munitiones rediêre. Neque Stationes tutæ erant, aspero Mari, & imminente *Lunari incremento*: subitâ eluvione obruti Aggeres; disjecta Munimenta; extrusi Tugurijs & Tentorijs Milites; multâ pernicie contusis *Iberis*, Terrestri Maritimâque Clade. Muros, congestis Lignis & Saxis, *Angli* refecerunt. *Albertus* tot simul malis conflictatus, & *Quatuor Millibus* armatorum trucidatis, cum videret Urbem nec Vi, nec Operibus expugnabilem, instante jam hyeme, dimittere Oppugnationem statuit. *Flandriæ* Populi universi, suppliciter orare instituerunt, ne id faceret: Neu multum humilem Vicum, Spolijs Civium ovantem, & gloriam invicti Nominis querentem, inultum fineret. Precibus, & pretio persoluto, pervicerunt, ut in inceptâ Obsidione perseveraret. Post has preces, *Albertus* Oppugnationem accelerat; Machinas, Molemquè operum auget; Propugnacula addit; propiùs suggreditur; *Missilem Ignem*, & Ardentes Globos, ingenti pondere ac fragore, in Obsessos jaculatur. Illi haud segnius, è Mœnibus, Tormentorum Machinarumquè Vi fulminant. Quantum *Christiani sanguinis* fusum sit, ex creberrimis Tormentorum Ictibus existimari potest. *Multa Millia* fuisse dicuntur. *Castilionæus*, Francorum apud *Batavos* Mercede militantium Ductor, intrà Munimenta Urbis, Tormenti Ictu laceratus est. Eâdem ratione *Vchtenbroucius Tribunus Batavorum*, examinatus concidit.

Iisdem diebus, Quinquaginta Tres Batavorum Naves supervenêrunt, Obsessis Auxilium ferentes. Quæ Portum subeuntes, è Munimento, Missilibus acriter verberantur. Duæ subeuntium Ictibus Tormentorum laceræ, Portum intrare non potuerunt: Cæteræ autem omnes quassatæ, tenuerunt. Ita cum in *Portu* damna damnis continuarentur, Obsessi Novum Portum aperire statuunt; prohibentibus Opera *Iberis*, eruptionibus assiduis, ferro, Igneque, & in Munientes Impetum facientibus. Super has Clades, *Propugnaculum Albertinum*, Casu incensum, conflagravit; & Trepidationem hostium intendit. Oppugnatores, Igne fortuito, Acerbitate Frigoris, Insolito labore, Eluvione Aquarum, & crebris Cladibus non concussi, rursùs propiore Audaciâ promovere Scalas, & Machinamenta inceperunt; & Duce *Comite Buquoio*, in Semilunare Propugnaculum, Mortis contemptu, irruerunt. *Angli*, incredibili Alacritate sustinuerunt Certamen anceps. Ibi diu pugna fuit, & cruenta. Postremo tamen pulsi *Iberi*, multâ cum Strage suorum, Castra repetivêre. Propugnatores, subitâ Eruptione insecuti sunt, occiderunt què plures in fugâ, quàm in pugnâ. Vix Sera Nox Pertinaciæ finem fecit.

Universa Europa speculatur, quem exitum *Obsidio Ostendæ* nancisceretur; & *Præfectum Verum* laudibus effert. Quippe sustentatâ toties Acie contrà acerrimos hostes, multa præclara Facinora, & digna prorsùs Spectacula edidit. In Discrimine laborantibus suis frequens affuit; Laudem strenuis; Ignominiam Timidis; Solatium vulneratis adhibuit. *Albertus*, turpe ratus, frustrà tentatâ Obsidione, re infectâ discedere, totâ Hyeme assidet, urget, nihil inexpertum omittit; semperquè recentes Copias defessis submittit; ingenti animo, & majore Certamine redintegrat Obsidionem. *Verus*, attritis Præsidij viribus, & continuis Cladibus ad paucissimos redactis, nullis supervenientibus Auxilijs, adversis Ventis, Inopiam Commeatus, Infirmitatem Præsidiariorum, & funestam Pestilentiam secùm reputans, ostentatâ Spe propinquæ Deditionis, *aliquot dierum Inducias* paciscitur; Pactiones interponit; lentius agit; ac fallaci Colloquio tempus extrahit. Mora hæc satis creditur Saluti fuisse Urbi, atque Obsessis. Intereà edocet *Batavos*, Urbem in summo periculo fore, nisi quàm primùm Opem ferrent. *Mauritius*, cum nullis Damnis, Tædiove Hyemis, *Iberos* solvere Obsidionem videret, in *Zelandiam* transmittit; ut glifcentibus Urbis periculis in tempore prospiceret; & ex propinquo ferret Opem. Quinque Cohortes, cum ingenti rei frumentariæ Provisu, expeditè Subsidio jussit. quæ paucos post dies, *Ostendam* x x x Navigijs appulerunt. Intermisso indè *de Pace Colloquio*, *Verus* novis Copijs firmatus, refectusque Commeatibus, in aliquot dies, hostilia cæptat. *Albertus* fraudem, Artemque Colloquij petiti cernens, acrius premit Obsessos. *Octodecem Majoribus Machinis* in Propugnacula circumposita oppido detonat; modò Vallum, modò Urbem tentat; frustrà Cominùs

1601. Eminusquè terret. Sed *Verus*, cum *Horatio Fratre*, & lectissimâ fortissimorum Militum Catervâ, ad Manus atquè pugnam venit; hostes ruentes in Munimenta undiquè deturbat, ac repellit. Tandem Tormentorum crebris Ictibus, Glandium plumbearum grandine, ac omni genere Telorum ita obruit, ut miserandâ Clade plerique caderent; Alij Armis, Scalis, & Pontibus pensilibus objectis, vel prolapsi exanimarentur; vel adlabente in Conflictu æstu, fluctibus absorberentur. Reliqui, postquàm suos superatos viderunt, Castra trepidè repetunt. *Archidux*, hâc suorum Strage non deterritus, Obsidoni pertinaciter institit, sinè ullo effectu fatigatis Militibus, qui duritiam Cæli, Inopiæ Acerbitatem, Aquarum Eluviones, Militiæquè insolitum Laborem perosi, Munia deseruerunt. Remedium severitate paucis adhibitum; Cæteri ad Obsequium metu redire, & *per Tres Integros Annos* multis difficultatibus conflictati, oppugnarunt. *Verus* autem, refectis quassatis Operibus, multis Centurionibus, Præfectisquè amissis, in *Bataviam* redijt; & *Fredericum Dorpium*, Decreto Ordinum, cum summo Præsidij Imperio reliquit.

Cum *Albertus* æstate & Hyeme *Ostendam* juxtà premeret, *Mauritius*, expedito exercitu, *Silvam ducis*, relictam sinè valido præsidio petit, Obsidionequè circumdat, ad avertendos *Iberorum* animos, ab inceptâ oppugnatione molitur. *Portam Vuchtensem*, & ruptâ Ictu Tormenti Catenâ, magnum tumultum ac Trepidationem in urbe facit. *Antonius Grobendoncanus*, Præfectus bello egregius, Præsidiariorum animos, ad urbem defendendam, Oratione accendit; reficit muros; instruit Propugnacula, adversùs hostium Aggeres; transversis Cuniculis Obsessorum Cuniculos excipit, vigilando & benè consulendo, discrimini obviam it. Duæ Cohortes supervenientes, Obsessis animos addidêre. *Mauritius* hyeme summâ, instat, lacessitquè, Ardentes globos adigit. aliquot ejus Milites è Muro Turribusquè icti; multi *Vi Frigoris* inter excubias exanimati; Inventi sunt quidam stricti matutino frigore; qui vix Armis retentis Stationes & Vigilias obire potuerunt. Inter has Miserias, *Comes Fredericus Vambergius*, cum Novis Copijs subsidio Obsessis advenit. Ejus adventus imminuit Spem potiundæ urbis. Concreta glacie Flumina, & Labore, Vigilijs, vulneribus fessi Milites, *Mauritium* omittere Obsidionem, & in *Hiberna* retrò concedere coegerunt. Fortitudine *Præfecti*, & formidine *Alberti*, deductum *à Sylvâducis*, Exercitum, prædicarunt Obsessi; Sævitiâ Hyemis, & duritiâ Cæli, Oppugnarores.

Hæc Terrâ, Nec Mari segniter res gesta, Longinquis Navigationibus accommoda parant *Batavi*. egregiè instructâ Classe, ornatâque, superato *Bonæ Spei Promontorio*, ad Orientem *Indiam*; Mox ad *Insulas* adjacentes navigarunt; Ibi Quæstuosam Mercaturam *Piperis* & *Cinamomi* exercuerunt; *Lusitanis*, Indiam incolentibus, Vastitatem, exitiumquè intulerunt; & Incolumes cum ingenti prædâ domum redierunt.

In *Panoniâ Inferiore*, Galli, *Mercolio* Duce, *Albam Regalem nobilem in illis locis Vrbem*, expugnarunt, sparsos fugâ *Turcas* cæcidêre, aut cæpêre. *Numerus Captivorum* haud dubiè *Quatuor Millia* explevit; *Mille circiter Christiani*, Nexu & *Mancipio Turcico* soluti sunt. *Ferdinandus Archidux, Alberti Frater*, non pari Constantiâ *Canisam, in Pannoniâ* obsedit. Irritum Obsidium, & segnem Oppugnationem *Turca* ei exprobarunt. Erant autem in *Castris Canisæ* Três Reguli, *Ferdinandus Archidux*, Summus Imperator; *Mantuanus Princeps*, ejus Vicarius; & *Aldobrandinus Clementis Octavi Nepos*, Copijs Pontificijs Præfectus; qui Odio atquè dissidio laborare cæperunt. Cum *Turca* longius Obsidium, atquè Vim *Germanici Exercitus* ægrè tolerarent, *Franciscus Aldobrandinus*, procax Ore, dissidet à *Ferdinando*, Animo & Voluntate; facta ejus parui æstimat; Imperium in *Pontificias Copias* sibi soli vendicat, & dùm nulli cedere in Castris perstat, Fato cedit. *Pontificij Milites*, post Interitum Ducis, ad Seditionem progressi, tumultuantur, & adversùs Modestiam Disciplinæ passim vagantur, rapiunt, spoliant, Inopes Socios haud secùs, quàm *Christiani Nominis* hostes; *Hungarorum* Voces, Deum, Nomenquè *Pontificis* implorantes, aspernantur; non Castra, non *Ferdinandum* Ducem agnoscunt; Calamitatibus Insontium explent Avaritiam. Contumeliosum id *Cæsari*, & acerbum *Ferdinando*, Fratri. *Turca*, comperto dissidio hostium, in Castris Frigus & Inopiam Alimentorum patienter tolerant; Propugnacula reficiunt; augent Turres; provident parantquè ad Defensionem omnia. Intereà *Ferdinandus*, sæviente indies *Brumali Frigore*, & fremente usquè ad Seditionem *Italorum* Auxilio, Ignem Tentorijs ab omni parte Castrorum injecit; & relictis Machinis, Carris, Cæterisquè Impedimentis, in *Pannoniam Superiorem* redijt: non sinè magno pudore *Christiani nominis*, qui culpam infaustæ Oppugnationis, in *Pontificios Milites* conferebat; Defectioni magis, quàm expugnationi Urbis paratos. Illi in *Germanos*; ducesquè, quos *Cæsar* præfecerat, Crimen derelictæ Obsidionis regerebant. Auxiliares *Itali in Latium remissi*, nequid Atrocius auderent. *Galli* quoquè dimissi, superbè jactantes, coërcitos à se *Turcas*, ijsquè ademptam *Albam Regalem*.

Interim in *Franciâ*, *Henricus Rex* à Clangore Litui, & Tubæ, ad Choreas, Plansus, & Nuptialia Orgia conversus, *Lugduni celebravit Solemnia Nuptiarum*. Ibi Novitas Spectaculorum, omnium convertit Oculos. Dum ibi tempus teritur, *Aldobrandinus Cardinalis*, *Orator Pontificis*, ad petendam suppliciter Pacem pro *Allobroge*, in *Franciam* missus, lachrymis & Precibus *Regem* oravit, ut ad Solatium *Christiani Orbis*, bellum Pace mutaret; converteret in *Pannoniam* Cladem; imprimeret Mucronem *Turcis*; Orienti bellum inferret. Inhibuit ferrum, post has preces, *Rex*; & annuit Fæderi, Amicitiæquè jungendæ, his legibus, *Si Marchionatus Salustiorum restitueretur*; *Impensaquè in bellum facta persolverentur*.

verentur. Legati *Allobrogici*, omnia Legationis mandata cum *Hispaniarum regis Legato*, uti jussi erant, 1601.
communicant. Re itaqoè deliberatâ, in Colloquio cum *Apocletis Regijs*, restitutionem *Transalpinæ Ditionis* ferociter abnuunt, ne Transitus *Gallis* liber, ac tutus, in *Italiam* pateret. *Aldobrandinus*, ut Finem Discordiæ imponeret, *Permutationem Marchionatus, cum Segusiano Agro Cisalpino, proposuit*. Approbarunt omnes eam Sententiam; & Icto Fædere exsecuti sunt. Præcipiti Festinatione, summâ omnium Alacritate, *Pax inter Francum & Allobrogem*, Tubis concinentibus promulgatur. Et *Geneva fœderi Gallico ascribitur*.

Confecto *Allobrogico* bello, Francus, *Lutetiâ* digressus, *Caletum* pervenit; ut Dititionis suæ finibus prospiceret; Salutem & Dignitatem *Regni* defenderet; spectaretquè Eventum *Obsidionis Ostendæ*; pro certo ratus, si *Alberto* prosperè res in *Belgio* cederent; in *Gallia* Finitimæ Oram aliquid moliri posse. *Albertus* dissimulatâ animi ægritudinæ, *Comitem Soriæ*, Congratulationis, Amicitiæquè gratiâ, ad *Regem* misit; *& ab Auxilio ferendo Rebellibus Batavis dehortatus est*. Non nihil eum hæc Legatio movit. Mox ab *Elizabethâ Thomas Edmundus* affuit; & *Regina* benevolentiam verbis æquavit. *Francus* Legatum benignè excepit; adjunxitquè, Salutem *Reginæ* sibi magnæ curæ esse.

HOc Anno in *Scotiâ* res omninò tranquillæ fuerunt, nisi *Insulanorum & Montanorum* inquieta au-
daciaquè Ingenia Tranquillitatem publicam, Ambitu, Aviditate Prædæ turbassent. Motus prin- 1602.
cipium factum à *Macgregorio*, hujusce Belli duce. Is, ferocissimo quoquo *Tribulium* assumpto, ob Egestatem in Latrocinium versus; & *Leviniam*, Conterminam Provinciam hostiliter ingressus, longè latequè Ferro Igneque sævijt; Multa libera Capita, multa Millia pecorum abegit. Ad hunc Tumultum comprimendum, cum latius vagaretur, *Lucij Commarchus*, Popularium suorum Tumultuariâ turbâ, occurrit; cum hoste manum conseruit; & Ingentem Cladem accepit; multis ex suis occisis; quibusdam captis; magnâque parte Armis juxtà. Ipse *Lucius*, Acie victus, antequàm circumveniretur, trepidâ fugâ cum paucis admodum Seruis, evasit. Hoc Successu *Barbari Latrones* erecti, *totam Leviniam*, nullo resistere auso, Ferro Flammâquè ferocius pervagantur; ac prædâ amplissimâ Domos redeunt. *Rex*, cum fædissimam Populationem, Turbæ miserabilis querelis, comperisset, ingentem Irarum molem animo concepit; & comprimendi Tumultus Author fuit: Nuntiosquè circummisit, ad excitandos in nefariam Latronum Colluviem Propiores Proceres, *Argathelium*, & *Huntilum*; ut omnes puberes vel Sedibus exigerent, vel funditùs delerent. *Argathelius*, singularem Fidem ac Operam præstitit; & Regis jussu, bellum intulit. Cum in se rescissent parari Expeditionem *Macgregoriam*, cui se impares sentiebant, Ardorem Ferociamquè Indolis retinentes, antequàm Vis fieret, desertis domibus, fugâ celeri in Latebras Ferarum, & Solitudines, cum Conjugibus ac Liberis se recipiebant: nequè certas Sedes posteà habuerunt; sed errarunt hyeme juxtà ac æstate, prædabundi; Mulieres, & inconditam Popularium Turbam circumducentes. Levissimo corpore *Montani*, & Pernicitate insignes, delecti ab *Argathelio*, ad eos prosequendos. Quibus Dolis, Latebrisquè, Miserrimam vitam, per aliquot Annos, traduxerint, Famem, Ferrumquè, & Extrema tolerantes: simul Insolita Alimenta, Supplicia, & Cruciatus, suo loco tradam. Meritò in eos sævitum, pro Immanitate facinorum, totamquè eorum Sobolem.

Motas item à *Donaldo-Gormo, Donaldinæ familiæ Dynastâ*; *& Rorio Mac-Claudio, Skiæ, & Leogi Insulæ Regulo*; quod, & quâ de causâ dissidium factum sit, videamus. *Donaldus* Mac-Claudij Sororem in Matrimonio habuit; cum quâ Divortium, *Zelotypiæ obtentu*, fecit: & *Mac-Klenij*, in dignitatem *Baronis de Kintaile* provecti, Sororem duxit; ad subsidium Familiæ. Statim Alienatio, ac Disjunctio animorum secuta est. Indè *Mac-Claudius* in ejus perniciem incubuit; *Skiam Insulam* incursavit; & *Donaldi* fines evastavit. *Donaldus* quoquè, collectâ manu Tribulium, saturavit se sanguine *Mac-Claudiorum*; & Agros eorum omni Calamitatis genere fœdavit, per Sicarios, & Latrones. Ita mutuis Cladibus sævitum est. Nec ullum Viris bonis jucundius dari potuit Spectaculum, quàm si uterquè in Certamine caderet. *Agnus Maconelius, Donaldinæ familiæ Princeps*, non passus est, ut ultrà manus inter se consererent; cum Reip: in his interesset, si uterquè in Certamine cecidisset. Qui delectis ad componendas Lites Arbitris, rursùs in pristinam Concordiam reduxit. Maximam autem Vim habuit, ad reconciliationem, *Offensio Regis* adversùs *Insulanorum, & Montanorum* Duces: quorum essent tot tantaquè Scelera, ut tolerari nequirent.

Oppressis Latronibus, Dissensionibus domesticis sedatis, Constitutâqoe utiliter Rep:, moderatus ac Concors *Regni status* fuit; & Conspiratio omnium, ad defendendum *Ius Successionis in Angliam*. Jacobus magnam apud *Cognatam Reginam*, & vicinos populos, gloriam adeptus, destinatione Animorum, Spequè omnium haud dubiâ, Obsecrationibus, & Votis, *Angliæ Rex Exposcitur*, si quid *Reginæ* humanitùs contingeret; valuerunt mox preces. Interim Propinquitate Sanguinis, Studio *Procerum*, certantiom ad Obsequium, & *Plebis Anglicanæ*, ad Spem Successionis certam erectus est: quam *Angli*, haud spernendis viribus, per Internuntios indies firmabant. *Duo Filij*, desiderabilem fecêre. *Alter* factus *Annorum Novem*, studijs Militaribus admodùm delectari, & Excelsi Ingenij Specimen proferre cæpit. *Alter* in primâ Pueritiâ, bonam integramquè Indolem, & summam Claritudinem ostentavit.

Eodem ferè tempore, *Elizabethâ*, cui languor acciderat, & Senectutis imbecillitas, *Ricamontium*

1602. secessit, ut animum Otio recrearet, & Deo vacaret. *Havartus, Præfectus Maris*, princeps Amicorum, Itineris Comes, *de Successore* consuluit. Cui Illa, anxia curis, nihil aliud respondit, quàm *Thronum suum fuisse Thronum Regum; nec alium quàm hæredem proximum sibi succedere debere.* Ex quo responso, haud dubium Circumstantibus Amicis esse cæpit, ad quem *Regni hæreditas* pertineret; nec ultrà ambigitur, Jacobi Imperium Salutare *Britanniæ*, Ipsi, Regnoque gloriosum fore. Universus Populus Deum oravit, *ut ad Regni Successionem*, si Elisabetha Fato concederet, *vocaretur*. Mox *Cæcilius*, inservientium potentissimus, per occultos Nuntios, ignarâ adhuc Reginâ, Favoris, & arctæ cum Rege Amicitiæ, per omne Obsequium insinuat se; & haud Dubiam Spem Regni facit, si quid humanirus accideret. Nec per hos dies quicquam magis in Ore Vulgi, quàm *Reginæ Valetudo infirma; & futura Iacobi fælicitas; auctum Regnum*, Distincti Oceano termini; & Copia militarium virorum.

Cum ægritudinem, & Spem propinquam versaret *Rex* animo, misit in *Galliam, Ludovicum Leviniæ Ducem; in Franciâ natum*, eoquè accommodatiorem rebus ibi gerendis; ut *Francorum* opes, ad Spem Regni *Anglici* conciliaret *Socio, Amicoquè Regi*, si quid hostile ingrueret. *Henricus* periculosum ratus, *Si Anglia, Regnum opulentissimum, nobilissimumquè, Scotis accederet; & Angli Scotiquè Necessitudinibus, & Propinquitatibus mixti, repeterent Armis Ius, Possessionemquè Neustriæ, & Aquitaniæ; Incremento Iacobi occultè invidus*; Reginæ animum Suspicionibus labefactavit; monuitquè occultis Literis, & Nuntijs, plures è Nobilitate gratiam apud Scotorum Regem parare, *& Orientem Solem magis, quàm Occidentem adorare.* Regi propalàm favit; quippè recursabant animo, cum stupore, & miraculo, atrocia prælia, ingentes Clades, *antequàm pelli Galliæ finibus Angli poterant:* Pollicitusquè est *Legato* Discedenti Operam suam, & *Auxilia Gallica*; si quæ Factio in causâ & Possessione se objiceret *Scotorum Regi, si Legibus ageretur*, potiori; si Armis, potentiori. His rumoribus *Regina*, Senectâ invalida, facilè credidit; & Authoritatem suam apud Plebem labare, ægro animo percepit. *Rex* in Spem maximam adductus, opperitur ægritudinis eventum. Ubi ex Languore recreatam *Reginam* accipit, *Populum Britannicum* æquo Jure complecti animo agitat, *Novam Administrandæ Ecclesiæ Formam* introducere; ad *Præsulum* honorem evehere Viros Morum Integritate, ac Vitæ Sanctimoniâ præstantes; & *Presbiteriorum nimiam Potestatem* Legibus coërcere.

Res Anglica. Per hos dies, crebriores *sermones in Angliâ, & Belgio, de Classe Hispanicâ, sub Præfecto Martino Padiliâ.* Africanæ, *Barbariæ Regis litteris* excitatus *Philippus*, venisse tempus putavit, amissæ Angliæ, per summum decus, repetendæ. Terrore, famâque *Bætica Classis*, Belgij Angliæquè litora, Navium, Militum, & Nautarum provisu strepunt. Extemplò ad *Batavos* Nuntij missi, ut Classem ornarent. *Angli, Bataviq;* sapienter, Pacis & Tranquillitatis causâ, bellum parant. Præmissiq; cum *Octo Navibus Regijs*, & aliquot Minoribus, *Ricardus Levosonus, & Gulielmus Monsonus*, multos Casus experti in re Navali; moderariquè Cursui jussi, quo *Naves Belgitæ* propiùs succederent. *Monsonus* Author erat, *Præfectum, Classemq; Batavorũ* expectandi. sed *Levesonus* respondit, longum esse eorum Auxilia expectare. nactusq; Idoneum Ventum, non ultrà moratus, Anchoras soluit, & celeri Navigatione *Hispaniam* versùs properat: ut hostium Conatus & consilia, potiùs exploraret, tàm exiguâ Classe, quàm bellum adversùs eos gereret: Eoquè Ardore navigavit, ut ne *Classis Batavorum* expectaretur; quæ si expectata fuisset, clara Victoria expectanda fuerat. Quippè in medio Cursu, nihil minus ratus, quàm illo tempore & Loco *Hispanicas Naves Triginta*, ab Americâ, Argento onustas, cum *Suare Præfecto*, sibi obvias fore. Nec cunctatus ultrà, multum fidens Navibus, Navalibus Socijs, & Virtuti Nautarum, hostium Prætoriam, Navi regiâ invasit: sperans intercipi posse. Magnumquè hostibus terrorem injecit, Tormentorum strepitu. Plures deindè *Hispanorum* Naves superveniunt; erant enim *Triginta Octo*, Oceano disjectæ. Igitur metuens *Levesonus*, ne superante hostium numero circumveniretur, Velis in altum datis, in *Lusitaniam* pari celeritate transmisit. Ubi *Monsonus* cum reliquâ Classe eum assequitur; Ibiquè fortè haud procul à *Tagi fluminis Ostio*, Oneraria immensæ magnitudinis, ex Oriente veniẽns, *Pipere, Cinnamomo*, ejusmodequè rebus onusta, ei occurrit; Præda haud dubia futura. Sed conspectis *Anglis*, ingenti territa metu, flexit Cursum ad *Setubalem Arcem*; ubi tuta sub Castelli Auxilio. *Levesonus*, cupidine prædæ insecutus, Tormentorum crebris Ictibus intonuit. *Quadringenti Iberi*, suorum Clamore audito, ad tuendam Navem accurrunt. Nec multò post *Fredericus Spinola, Genuensis*, cum *Octo Triremibus*; & *Marchio Sanctæ Crucis*, cum Tribus *Lusitanicis*, Auxilio venêre; Classemquè Litori, à quo fremitus acciderat, admovêre. Quas ut conspexêre *Angli*, non cedere, non succumbere, animo statuerunt; Ne speratam prædam ex Manibus dimitterent, conseruêre pugnam; *Prætoriâ Nave* præcedente, Proprætoriâ subsequente, in quâ *Monsonus* vehebatur. Extemplò *duæ Triremes Bæticæ* captæ, & incensæ; fugam Cæteræ cæperunt, quantum Remis valuerunt; & Prælium fugâ diremptum. Perforatâ Navi Onerariâ creberrimis Tormentorum Ictibus, promptissimis Propugnatoribus cæsis, in Oculis *Iberorum*, Levesonus pactus Navem cum Machinis, Prædam Immensam *Piperis & Aromatum*, trepidantes Milites Nautasquè sua secum ferentes, abire sinit. Paucis post diebus, *Præfectus Classis Belgicæ* venit; *Batavorum* Copiæ cum *Levesono* junctæ, per Oram Maritimam Terrorem circumtulêre; & *Lusitaniæ* Maritima Commercia intercluserunt. Tandem *Angli*, traditâ Navi ex fædere, magnâ partâ prædâ, & multò majore gloriâ, domum redierunt. *Monsonus* remansit, cum

modicâ

modicâ Classe, ad prohibenda Auxilia; si quæ *Hibernis* Mari summitterentur. Post adversam pugnam, fusæ *Triremes*, cuncta formidine impleverunt: prædicantes Virtutem Copiasquè hostium, ut Exitium, & dedecus lenirent. 1602.

Ultima Expeditio Navalis, non ita infregit animos *Iberorum*, ut abstinerent bello Maritimo. quippe *Fredericus Spinola*, *Genuensis*, Littus *Armorica Britannica* legens, cum *Sex Triremibus*, quæ inter tumultum ad *Setubalem* incolumes evasêre (ut paulò antè memoravi) in *Belgium* navigat; Ignarus quàm impatiens Triremium Oceanus esset. Vulgato rumore audacis Incæpti, junguntur *Angli*, *Batavique*. & Dispositæ *per Fretum Britannicum* Stationes, ut transitu arcerent. Haud procul à freto Oceani, cum *Spinolâ* præfecto, conspectæ Triremes, militariter instructæ; ad *Anglia Littus* cursum flectentes; & adeò propè accedentes, ut pauci Remiges nando in Littus evaderent. *Mansfeildius*, *&* *Ionas*, *Anglicarum Navium Præfecti*, præmisêre Celerem, ut *Batavis* nuntiaret, appropinquare Triremes. Ipsi obversis in hostem Navibus, acre prælium commiserunt. Mox aggregantibus se *Batavis*, afflictarunt Triremium plerasquè: duæ, interfectis Remigibus, & defensoribus, depressæ: Cæteræ ingenti territæ metu, in proximos Portus *Belgij* se intulerunt. *Prætoria*, quâ ipse *Spinola* vehebatur, Nauticorum ardore, Spe Liberatis, accenso, *Dunkirca Portum* tenuit: Ibiquè magnam Vim Auri exposuit, quàm *Albertus Antverpiæ*, in formam Pecuniæ conflavit. & nullo Terrore, Tædiovè temporis *Ostendanam Obsidionem* intermisit: sed totis viribus, & multo quàm antè acrius, Muros aggressus, adhuc expugnare nequivit.

Iisdem diebus, *Vimouthus*, *Anglus*, ne *Davisó*, aut *Forbesherio* in Navali gloriâ concederet, Novum, *per hyperboreum Oceanum*, *in Sinarum Regionem* Transitum, duabus Navibus, convehendis ex *Arabiâ*, *Indiâque* Mercibus, tentavit: & Lx *Altitudinis gradum* evectus, novum Sinum aperuit; sed sævis Tempestatibus jactatus, penetrare non potuit. Post paucos Menses in *Angliam* reversus, statum Sinus explorati, compertiquè, & Conata sua, exposuit: pollicitusquè est eadem animo Anno sequenti, se æstuarium prætentaturum, inventurumquè tandem in eâ Parte Transitum, ut Commercia *Orientis & Occidentis*, in promiscuo forent. Sed desperantibus de Successu Mercatoribus, egregium & Memorabile Incæptum omissum est.

Vergente ad Occasum *Reginâ Elizabethâ*, & Morbo indies ingravescente; Cælestis Numinis favor, & tanta in *Iacobum* Populi inclinatio, *Clementem Pontificem* commovit, ut per occultos Emissarios, per Literas, Utilitati *Romana Religionis* consuleret; & *Anglorum* animos de *Regni hæreditate* labefactaret, aut mutaret. Itaquè *Pontificios à Vinculo fidelitatis*, *Obsequijquè*, *Iure Sacrosancta Potestatis*, *& Cælestium Clavium*, *soluit*. Adjecitquè suum Consilium, ut eligeretur *Rex*, Suffragijs Multitudinis, qui *Sanctam fidem Romanam* non modò non toleraret, sed omni Ope, diligentiâque promoveret. In tali Consilio nec fides, nec Religio. Quippè in *Regno Hæreditario*, Successionis Jure, vocat *Pontifex*, contrà Jus Fasquè, Plebem, & Proceres, ad Vota & Suffragia: ac in alienam Cognationem transferre Sceptrum impiè conatur. Idem antè molitus est *Lutetiæ*, in Regno *Franciæ*, pari eventu. Plebs, & Magnates *Angliæ*, spretâ Pontificis Authoritate, perstitêre Jus Regium tueri; veram Sobolem *Henrici Septimi*, Solio Regali inducere; & Securitati Religionis, ac Successionis, adversùs insidiantem *Pontificem*, prospicere. Nec divulgata ejus Diplomata; nec fallaces Emissarij quicquam profuêre. Nam statim Alienatio, & dissentio Animorum *inter Pontificios Ecclesiasticos in Angliâ* secuta est.

Et hic fons hujusce Contentionis fuit. *Sacerdotes Sæculares*, indignantes, *Blackuellum* Principem Amicorum *Garneti Iesuita*, per Angliam *Ignatiani Ordinis Generalis*, ipsis *Archipresbiterum* esse impositum, Illius, nimis *Iesuitarum Ordini* dediti, Authoritatem detrectarunt: Venenatis Scriptis, ac Probrosis Libellis in universum Ordinem exarserunt. Ille Jurisdictionem suam tutatus est; & pro Ratione Muneris sibi commissi, Sæculares exauctoravit; ac provocantes ad *Pontificem Maximum*, Shismaticos & Hæreticos, Libello edito, declaravit. Quam Ignominiæ labem, *Academia Parisiensis* Suffragijs absterserunt. Indè *Ignatiani*, *& Sæculares Presbiteri* inter se dissident, atque discordant; & velut Oestro perciti, in muruam præcipites feruntur perniciem: ac Calamis virulentis evomunt Virus Acerbitatis suæ. Ego invitus recordor eorum Insanias, quas præstat potiùs Oblivione sempiternâ obruere, quàm meminisse, aut Posteris prodere. Si quis plura videre velit, *Quod libetica Vatsoni* consulat. Nihil ibi Sceleris, nihil flagitij prætermittitur. Odia, Diffidia, & Discordias earum, *Bancroftus Præsul Londinensis* enixè fovit. Ut Ambos in Potestate posset habere, ad Senatum delata censuit, Utrosquè in *Reginam* perfidiosè conjurare; Civilis Flammæ faces subjicere; *Regem Scotiæ*, Spe Avitæ Successionis excludere; gravissimum externæ Servitutis Jugum Machinari; & Plebem ad *Romana Sacra* Armis propaganda invitare. *Regina* igitur mandavit, ut darent Operam Consiliarij, ne quid *Papanorum* scelestæ Conjurationes, fraudis occultæ, aut Periculi importarent: Edixitquè, ut *Sacerdotes omnes Romanorum Sacrorum*, seu *Iesuita*, seu Sæculares Presbiteri essent, Angliâ migrarent; nec redirent, nisi scelestæ fraudis meritum Supplicium subire vellent. Ita pertinaci Certamine, *Pontificij*, sibi & *Romana Ecclesia*, quàm *Anglis* graviores fuerunt.

Dissidium Ecclesiasticorum.

Neque eo fecius majora foris moliti sunt: tantumque ijs fiduciæ fuit, *ut quem vellent*, *Anglia Regem imponerent*. Undè *Thomas Vinterus*, & *Tesmundus Iesuita*, cum perniciosis Mandatis in *Hispaniam* missi; *Philippum*, ad audendum aliquid, *languente Reginâ*, nefariè concitarunt. Quem in ejus locum substituere

 maluerunt,

1602. maluerunt, quàm justo & legitimo Successori Regnum tradere. Nihil, isti factionis suæ Emissarij, Sceleris & Amentiæ prætermiserunt, *ut Iacobum Iure suo, Solioquè Avito excluderent.* Sed Operam & Oleum perdiderunt. Quoniam *Iacobus*, Populorum fide, & *Anglorum* gratiâ subnixus, *Spem Regni* majorem indies habere cæpit; & suæ apud eos Benevolentiæ confidere; ac Neminem sibi parem in Certamine futurum credere; si qua Vis, defunctâ Reginâ, se objiceret.

Spargebatur insuper, hoc Tempore rumor, *Anglam*, Inopiâ Aerarij, & belli Necessitatibus coactam, Sumptus, quos superioribus Annis in *bellum Gallicum* impenderat, repetere. Respondit *Francus*, in hanc ferè Sententiam: *Quos Sumptus Regina in Galliâ fecerat, eos non Gallis, sed sibi impendisse: ut Hispaniorum Vires distraheret, & partem ingruentis belli averteret ab Angliâ. Neque Principum Officia ad Calculos revocanda.* Responsi hujus Iniquitas, ex eo facilè apparet, quod *Anglis* integrum fuisset in Pace conquiescere; & duorum Potentissimorum Regum, inter se bellantium, mutuas Clades spectare; *Gallis* non idem licitum, nisi *Armoricâ Britannicâ*, & magnâ *Gallia* parte cedere voluissent. Hoc *Francorum Regis* responsum, cum ab alijs sit proditum, & constanti rumore pervulgatum, omittere visum non est. *Regina* jam grandior natu, finitimorum querelis permota, Maritimos Prædones, & bonorum direptiones Edicto severissimè coërcuit. Pari severitate *ædificijs Vrbanis modum* imposuit: ac *Aediles* curare jussit, ne quæ nova ædificia in Campis fierent: utquè ab Incendijs caveretur.

Inter quæ, flagitante *Francisco Vero*, dilectus per *Angliam* habentur, supplendis *Belgij* Legionibus. *Bethunius* quoquè *Gallus*, Nobilitate, Opibusquè insignis, validâ manu Militum pergit ad Batavos. *Albertus*, audito per *Angliam*, *Galliamquè* dilectu, *Marchionem Varambonium*, conducendis Helvetijs dilegit; Novas Copias ex *Germaniâ, Italiâquè* accivit. Parte eorum in Castris ad *Ostendam*, cum Præfecto *Buquoio* relictâ, nihilo segnius Obsidioni institit. *Terraconensem Præfectum*, cum *Tribus Equitum, & Tredecim Peditum Millibus*, Mauritio per *Brabantiam* ingruenti opposuit. Obsessi ferrum, famem, & extrema perpessi mala, Miseriarum Patientiæquè magnum documentum Posteris dedêre: & *Vicus antè obscurus*, ad Posteritatem diutinæ Obsidionis Cladibus nobilitatus est.

Mauritius, novis Copijs auctus, *Brabantiam* Vastatione, Incendijsquè hostiliter pervagatur; & adveniente *Tarraconense*, cum imperio summo, congredi Acie parat. At Ille congredi non ausus, continuit intrà Castra, & Munimenta Militem. Hinc *Batavi*, coërcitâ *Iberorum* Temeritate, elati, *antè Mænia Gravia, ad Mosam sita*, considunt; Castra Vallo Fossâque circumdant. Intereà *Albertus*, cognito hostium Consilio, *Tarraconensem* egredi adversùs *Mauritium* jubet, ad liberandum Obsidium; atquè ipse Castra aggredi, si commodum esset. Qui Irâ & Pudore incensus, Castra in hostem movet; *Mosam* Ponte jungit; Commeatus *Neomago* adventantes intercipit; clausis Annonæ subsidijs, *Batavorum* exercitum egestate fatigat; & Munimenta hostium ferro & Audaciâ perrumpere aggreditur. Hinc *Tarraconensis*, robore Legionum *Bæticarum*; Indè Obsessi, omnibus Portis erumpentes, invasêre Vallum Castrorum: simul admovêre Tormenta, Pluteos, Crates, & faces. *Mauritiani* in subeuntes, ingenti fragore, fulminarunt; multæ & atroces utrinquè cædes; sed plurima Strages *Iberis* incubuit. In hoc Certamine vulneratus *Franciscus Verus*, tot Prælijs ac Periculis superstes: Alijquè Clari viri, non pauci. Tandem multâ suorum Strage pulsi *Iberi*; & temerè captæ Oppugnationis Castrorum, pudore accensi, Seditiosas voces miscuêre. *Tarraconensis*, gliscente Militari violentiâ, præmissis Impedimentis, Sarcinisquè, exercitum Seditioni magis, quàm pugnæ paratum, *Venloam* reduxit. Obsessi, fædâ fugâ Auxiliatorum consternati, expugnatis Propugnaculis, & subrutis Muris, Se, Urbemquè *Mauritio dedidêrunt*.

Posteà Militaris Seditio acrius erupit; & ad defectionem progressa est. *Iberi*, & *Italici generis Tyrones*, aut Stipendijs recentes, Inopiâ ac Licentiâ corrupti; abrupto Disciplinæ vinculo, & spretâ *Tarraconensis Præfecti* Socordiâ, & diem Orationibus tetentis Auctoritate; cum *Electo popularium suorum*, Pecuniam frumentumquè flagitarunt; in Latrocinia, Cædes, Incendia, Direptiones Urbium, Populationes Agrorum, hostiliter proruperunt. Paucorum fides intacta. Nunquam tanta *Iberis* adversùs Duces Irreverentia. *Tarraconensis* intempestivus Remedijs, & invisus Militibus, Severitate Disciplinæ, Arma interjecit; & *Ausonium*, *Sedem Rebellium* circumsedit. *Seditiosi*, in re repentinâ, captis Armis, improvisum periculum vitarunt. Mox *Dalam*, atquè indè *Hostratiam* concesserunt. Ibi præcipuum Seditionis Alimentum. Ita *Terraconensis* Seditiosos nec Vi subegit, nec Clementiâ ad Modestiam composuit. *Albertus*, Rebellione auditâ, Perfidiam Militum Contumelioso Edicto coercere cæptavit; additâ Capitali pænâ, nisi ad Obsequium redirent. Ulcisci, Ratio belli non permisit. Auctus est Furor, Acerbitate *Edicti*. Defectionis Scelus novâ Indignitate cumulatum. Jam *Seditiosi* cuncta Malefacta sibi impunè rati, *Brabantiam*, Proximasquè regiones *Bætica ditionis*, Irâ & Crudelitate vastant: Spoliaquè & prædas referunt. Positâ *Philippi Regis* reverentiâ, *Mauritij* patrocinium exposcunt; & *Graviam* urbem, Præsidium adversùs Veteres Commilitones; & tutum, si vis ingrueret, Receptum, impetrant; eoquè Commeatus in longam diem important. *Albertus* misit ad *Seditiosos* Nuntium, qui expostularet abruptum Obsequij Vinculum; regionum Vastitates, Scelera perpetrata,

Juraquè

Juraquè divina & humana violata. *Octavius Frangipanis*, *Nuntius Pontificis*, in eam rem dilectus, Castra ingressus, *Rebelles* animos mitigare Oratione frustrà tentavit. Surdæ adversùs Cohortationes ejus Militum aures, manente adhuc discordiâ; qui *nec Metu Regis*, *nec Auctoritate Legati Romani* permoti sunt. Itaquè irritus redijt. Cum nec Atrocitate, nec Clementiâ extingui repens Perfidia potuisset, *Alberto*, *Ducibusquè Iberorum* placuit, præmitti Equites, ad expetendas à *Seditiosis* pænas. Hi jam certi, Perniciem sibi instare, *Graviam* muniunt, firmantquè, & Munimenta armis audacissimè defendunt. Illi Vicem Commilitonum miserantes, irriti quoquè revertêre. *Archidux* Seditione Exercitus commotus, Literas ad *Philippum* composuit, Inopiam Stipendij, Frumentiquè, *& Desperationem Legionum* nuntiantes: mansuramquè *Seditionem*, nisi properè Pecuniâ, & Commeatu subveniret. *Rex*, dissimulatis rerum domesticarum curis, Auxilium in tempore promisit. Promissa diu expectata. 1602.

Inter quæ, *Ludovicus Nassovius*, cum Triginta Tribus Equitum Turmis, & Mille expeditis Peditibus, *Agrum Luxenburgensem* Cædibus, ruinis, Incendijsquè incursavit. Intrà paucos dies *Sancti Viti Fanum* recepit. Cujus exemplum *reliqua Comitatus Oppida* secuta sunt. & Collationes detrectantes coërcuit; Domumquè redijt.

Dum hæc in *Belgio* geruntur, in *Pannoniâ* Inferiore, *Alba Regalis à Turcis oppugnatur*. In urbe fames ingravescit, Ignaviaquè subit pectora defensorum. *Turcius Exercitus*, Commeatus in Urbem ferri prohibuit. *Christianorum* Militum Vulgus jam in Circulis de Deditione inter se agere cæpit; Ignaris Præfectis, Tribunisquè, & velut fido Pacis Commercio, in Castra hostium commeavit. *Turca*, eodem propè momento irrupêre: & flore Præsidij interempto, Urbem expugnatam avidè diripuêre.

Buda quoquè Vngarici Regni Vrbs primaria, à Nostris recuperata, Arce retentâ, & Deditionem extrahente, in Adventum, Auxiliumquè Turcarum. Princeps Purpuratorum, cognito Castelli Obsidio, quàm maximis potest Copijs accederat, utiquè exemturus Obsidione. *Carolus Gonzaga, Nivernensis dynasta*, Sacram Militiam professus, subruens Muros, instruens Aggerem, inter alios ex Arce vulneratus est. Obsessi ad desperationem magis, quàm ad Voluntariam Deditionem inclinantes, conspectis è Superiore loco *Signis Turcarum*, magnâ fiduciâ advenientium majores animos sumpsêre; & crebrioribus Tormentorum Ictibus intonuêre. *Christiani* adesse hostem cernentes, attoniti subito terrore, fugêre, *Pestum* petentes; & Cladi *Albæ regalis* direptæ, *Budæ* jacturam adjecêre.

Mercolius, qui Sacra induerat Arma, longæ Militiæ laboribus fessus, *Franciam* repetens, in Itinere *Nurimbergi*, purpureâ febri correptus, decessit: Filiâ unicâ, & Uxore amantissimâ superstitibus. Filia in *Ducatum*, cæterasquè Opes successit: nupsitquè *Vindocinensi Duci*, *Henrici Quarti Regis Notho filio*. Vir fuit bello egregius; & non minorem Prudentiæ, Moderationisquè gloriam, quàm Fortitudinis bellicæ promeruit. *In æde virginis Lutetianâ*, *Rex Francus*, *Primores Aulæ*, *& amplissimi Ordinis Præsides*, Memoriam virtutum ejus venerati sunt; non sinè luctu & planctu Plebis. Extranei quoquè Principes, defuncti benè meriti de rebus *Vngaricis*, gloriam Nomenquè laudibus celebrarunt: quia *Religionis Causam* antiquiorem Cæterarum rerum Studijs habuit.

Iisdem diebus, tentavit *Philippus*, occultis Nuntijs, *Helvetiorum* animos, ut *à Societate Gallicâ* separaret. Sedulitate *Vicij*, & Prudentiâ *Silerij*, Oratorum *Francici regis*, illecti *Helvetij*, ut in Veteri fædere perstarent; & fidem in *Francos* testarentur. Quia commeantibus invicem Nuntijs, res transigi non potuit, missi ad *Francum* Legati, audire Conditiones, reddereque. Tandem, *Parisijs*, singulari Cæremoniâ, *renovata cum Helvetijs Amicitia*, novis beneficijs, & Stipendijs. Provisiumquè ne viles animæ, Mercede militantes, pretio Distraherentur. Dimissi cum honoribus, & Muneribus Legati, Militiam & Servitium Jurejurando pacti, suo Populariumquè nomine. *Rhæti*, *Allobrogibus*, *Insubribusquè vicini*, imbuti favore *Hispanici* Nominis, omissâ *Societate Gallicâ*, propinquam potioremquè *Philippi* fortunam secuti sunt. Hi *æmulantium regum* conatus.

Inter hæc, *Bironius Francorum Tribunus*, multis honoribus, Præfecturis, & Procurationibus ornatus, immodicè jactans, *suâ*, *& Patris Forti fideliquè Operâ*, *Regnum Galliæ Henrico* quæsitum; nimiâ Jactatione Fortitudinis bellicæ, atquè Operæ, *invisus Regi* cæpit esse; & in Minore belli usu. Hos rumores statim excepit Fama, & in *Hispaniam* transmisit. Igitur *Philippus*, per idoneos Ministros alliciebat *Bironium*, & præmijs invitabat, in *Hispanis* Spem omnem Dignitatis & Fortunæ collocare. Is Arte magis *Allobrogis & Archiducis*, quàm suoptè ingenio traductus ad novas res, humanæ Sortis insigne Documentum Posteris reliquit. Postquàm nequè dari *Segusianæ Arcis* præfecturam, nequè magnis meritis gratiam paratam cernit, assumpto in Societatem homine *Finio*, re ac Nomine, Clandestina in *Regem suum*, optimè de se Meritum, concoquit Consilia. Quærit Adjutores Consilijs, *Ducem Insubriæ, Comitem Fuentium, Mediolani Rectorem, & Philippum Regem*. Amicitiâ, Fideque eorum subnixus, *Conjurationem Nobilitatis Gallicæ* fecit; quæ perfidiosè cônjurare cæpit, *suas Præfecturas Sibi, & Posteris hæreditarias facere*. Fineus, omnium eorum Artifex, & Author fuit, qui hucusquè fidus, seu Pænitentiâ proditionis; seu Spe Pecuniæ, & Potentiæ, promissâ Impunitate, *Regi* aperit, *Bironium* imbutum, & infectum *Hispanicis delinimentis*, perditam Spem fovere; gravem Conjurationem,

pactasquè

1602. pactasquè Conditiones cum hostibus esse. *Rex* infensus Tribuno, omnes ad eum opprimendum, in ipsâ Novarum rerum Molitione, Artes conquirit; Inditum dissimulat; & in Aulam evocat. *Tribunus*, arreptis ex Conscientiâ Sceleris, & Metu, Inditij Suspicionibus, per varias moras Iter frustratur; eundi ac manendi juxtà incertus: cum & *Ire arduum, ac manere periculosum* esset. Excussêre tandem Metum *Ianini præsidis* Facundia, & *Vice domini Carnutensis* Auctoritas: suscepitquè, eorum persuasionibus, ad Regem Iter. Genibus accedens, nequaquàm infesto sermone, vultuquè exceptus est; invitatus est etiam ad Ludos, Jocosquè; ne qua initi adversùs eum Consilij daretur Nota. Nocte deindè mediâ, Cubiculo Regis digrediens, à *Vitrio, Satellitij Præfecto*, præstolante, correptus, & in Carcerem ductus est. Comprehensus quoquè *Comes Arverniæ*, Juvenis Regius, fidissimus *Bironio*, tanquàm flagitiorum Conscius. *Bullionæus*, & alij Proceres, ei Noxæ affines, in *Germaniam* se subduxerunt. *Francus*, multùm incusatâ *Bullionæi* perfidiâ, apud *Elizabetham*, quod sibi optimè merenti, talem gratiam retulerit, coierit, conjuraveritquè cum *Bironio*, ut *Condæum* in Regnum substitueret; suum cum *Mariâ Mediceâ* Matrimonium illicitum; *Dispensationem Pontificis* invalidam; & Sobolem illegitimam, nefariâ voce pronuntiaret. Illa, per suum in *Galliâ* Oratorem, objecta reo Crimina diluit: ostenditquè, nec Credibile, nec probabile esse, *Bullionæum*, Numinis reverentiâ à tenebris Annis imbutum, Fide & Operâ in Principem Patriamquè insignem, perniciosa Consilia *in Regem* optimè Meritum agitasse; aut Aures hominum, ejusmodi nefarijs dictis polluisse; aut cum hominibus diversæ Religionis conjurasse: verendumquè esse, ne hæ Calumniæ *ex officinâ Hispanicâ* prodierint, ad concitandum rursùs in *Galliâ* bellum. Quare, de re tàm dubiâ deliberanti Consilium dare, periculosum fore: Ne, vel in Numen peccaretur, si Innocentes opprimerentur; vel in Amicum Regem, si Salutem ejus negligere videretur. Hortatur itaquè, ut in re tàm ancipiti suum Judicium, ac Conscientiam in Consilium adhiberet; Inditia, Litteras, Accusationes, ac Confessiones, justo Trutinæ examine perpenderet. *Rex* Inditia, Litteras, & *Confessiones Bironij*, Legato detulit; & *Bullionæum* occultiorem, non innocentiorem disseruit. Inter hæc, *Bullionæus* de toto Itinere, ac fugâ suâ Propositum, Regi literis exposuit; ac cæpisse consilium de Amicorum sententiâ, non adesse ad Judicium, ut Innocentiam ac Securitatem Absentiâ tueretur, adversùs æmulos, penes quos præcipua in Aulâ potentia, simulatâ probitate, parta. *Bironius*, Indicijs ac Confessionibus suis, patefactus, Reus agitur in *Senatu Lutetiano, apud Purpuratos* Patres. *Prætor, & Procuratores Regij* objecêre reo rerum Novarum studium, & Majestatis Crimina; Insidias in Regem; perniciosum Consilium interficiendi ejus; Nefandas molitiones in Remp:; Congressus, Colloquiaquè *cum Archiduce, ac Allobroge*; & Cætera quæ per Internuntios egerat. *Reus* linguâ promptus, *Pares Franciæ* Judices & Testes Cognitionis, secundùm Leges Institutaquè Majorum, nequicquàm imploravit; Patronosquè, ut Virum Militarem periclitantem, Eloquentiâ juvarent. Quod *Purpurati Patres* abnuerunt. Tunc Defensionem ornatè dilucidequè orsus, Cuncta belli decora Magnificâ Oratione exposuit; Fortitudinem suam in maximis sæpè periculis laudibus attollens, Conscijs multis qui aderant, *nudavit Pectus, insigne Cicatricibus, conspiciendum Vulgi oculis*; & identidem Judices spectans, oravit singulos, universosquè, ut pristini Memoriam decoris retinentes, de se judicarent; Nequè Ambitionem Juvenilem, aut quæsita per Ambitum Principum studia, ad *Majestatis Crimen* traherent. *Contumaciam Linguæ, Temeritatem, Consilium interficiendi Regis, & Contumelias adversùs Principem, inficiari non potuit*: Majestatis Crimen, & Scelus, magnâ animi Constantiâ diluit. *Si inquit, Legatus apud Anglam, Archiducem, & Helvetios, Officij terminos egressus sum; Si Charitatem in Patriam, Obsequium ergà Principem exui; Si munitissimas Arces hostibus prodidi; Si facinus Nece vindicandum commisi, nullum Supplicium deprecor. Cogitati Parricidij, Contumaciæ, Contumeliarum, & Novi cum Allobroge initi Consilij, secretis precibus Veniam obtinui; dexteram Regis, reconciliati Pignus animi, accepi; Congressui, Colloquioque vacavi; Si Confesso mihi, ac pœnitenti pepercit, absolutus sum: Si post Abolitionem, novum scelus perpetravi, integris animis dijudicate; & privatam Principis Injuriam ulciscimini: priora delicta in Disquisitionem ne revocate, cum Confitentem habeatis reum.* Postremò, incusavit *Finetum*, sceleratum & intestabilem Indicem, Authorem omnium rerum, & Artificem; & Perfidiam ejus, omnibus notam coarguit. Qui posteà semper Contumelijs obnoxius vixit. Talis *Bironij Oratio* fuit. Secuta est Audientium Miseratio, ac Admiratio viri amplissimæ Cognationis; subijt Patris quoquè, tanti & tàm Clari Ducis Memoria. Certamine Suffragiorum dies absumptus, Nihil eâ Actione constitutum est; quia perrogari de Reo præsente Sententiæ non potuerunt, propter Dissentiones diversè censentium. Igitur *Lecticæ impositus*, in Arcem *Antonianam*, à Prætorianâ Cohorte delatus est; Vario Vulgi rumore, Spem Salutis aut Mortis sermonibus agitantis. Relatus in Carcerem, Defensionem in posterum meditatur. Postero die, indicto Consilio, Patres primâ Luce rursùs coguntur; ut de Reo censerent. *Prætor*, inclinantes ad Misericordiam Judices, concertâ & acri Oratione in *Bironium* commovit; *Parricidam esse Regis, Reguiquè* dictitans; Ingratum in Principem; Proditam ab eo Patriam *Iberis*, infestissimis *Gentis Gallorum* hostibus. Objecta Crimina Specie Legum, Suspicionibus, Testibus minùs illustribus, & Literis firmavit. Tandem Juditio facto, *Crimen Majestatis* plùs valuit, quàm Defensio; *& Patrum Sententijs reus convictus est*. Posteà Cognati, Amiciquè Vestem mutarunt; ut sordidati, Lamentatione flebili, Supplicium deprecati sunt, *Regem Ira obstinatum*, nequè Memoria Meritorum, neque preces Amicorum, ad Miserationem & Clementiam flectere potuerunt: obtentâ adversùs Preces

Salute

Salute publicâ, & Discrimine suo, si ignosceret impotenti homini, ad Mortis metum adducto. 1602.

Post paucos dies imperatum *Diplomate Regio*, ut triste Judicium executioni mandaretur. Ubi dies venit, *Prætor & Primores Senatus* consederunt. Accitus Reus ad Tabulatum subijt, miserante obviâ turbâ. Cum circumlatis oculis incideret in Carnificem, haud procul stantem, victus Luctu animus Exactorem Supplicij perferre Visu non toleravit. Ipse seu Conscientiâ, seu Mortis metu amens, & attonitus, Ardorem ac Ferociam Militarem in furorem vertit; miscuit nefanda, & Contumeliosa in *Regem* dicta, *egregium pretium effusi toties Sanguinis, & Mercedem navatæ operæ Carcerem, Securem.* Quæ altiùs animum Regis penetraverunt, proclamavit, *quàm fæliciter in Acie cecidissem potiùs, hostis Præda, quàm Cruenta Victima. oravitquè Circumstantes se Armatos, ob Memoriam recentis Militiæ, fœdissimam Ducis Mortem Sclopetti Ictu prævenire. Prætor* Naturâ compositus, sedandis Affectibus, disseruit, Nobilissimis viris debitos honores ei contigisse; Supplicium intrà privatos parietes, in Arce, non in Foro destinatum. Cuncta à Majoribus reperta decora Principibus Mortuo tribuenda, si Animum ad Firmitûdinem referret; ac pœnam constanter perpeteretur. Facundiâ *Prætoris* placatus, & ad Mortem se componens, Irâ rursus in rabiem versus, fœdum contactum Carnificis exhorruit, & propiùs eum vetuit accedere. Mox *Theologorum precibus* paulatim mitigatus, hortantibus ijs obfirmat Mentem; & ad Deum versus, genibus provolutus preces redintegrat. *Exactor Mortis* exterritus, ne rursùs ad furorem dilaberetur, inter orandum Caput gladio amputavit. Abscisso Capite truncum Corpus humatum est. *Hic exitus Bironij fuit*, Viri Militiæ domiquè clarissimi. Nunquam Ingenium, ad res bellicas, & capessenda pericula, Gregarij Militis habilius fuit; seu Magnitudine animi, adversùs hostes; Seu Patientiâ, Industriâquè. Quippè nullo Labore aut Corpus fatigari, aut Animus superari poterat: Nequè *Hercules Gallicus*, ubi quid fortiter, ac strenuè agendum esset, alium quemquè bello præficere; Nequè Milites alio Duce plùs confidere. Ad hæc, referre in tanto Viro, piget, Labores; & Discrimina; Magnifica Facta; Bella gesta cum *Parmensi, & Allobrogum Duce*, fide atquè operâ ejus; Obsidionem *Ambianensem*, & Momelianam; Spolia hostium cæsorum; Dona potentissimorum Regum; *Corpus insigne* .XXXII *Cicatricibus, omnibus adverso Pectore acceptis.* Hæc Tot, & Tanta belli Decora, *Læsæ Majestatis Suspicio*, non ingrata solum, sed invisa etiam reddidit. Tanto *procliviores sunt pleriquè Principes Injuriæ, quàm Beneficio vicem rependere*: sivè Fato Principalis Fortunæ; sivè insitâ Militaribus Viris obruptâ Contumacia. Constat certè Intemperantiâ ipsius *Bironi* auctam Offensionem Regis; *Immodicè jactantis, gloriam recuperatæ Galliæ ad se pertinere*: tanquam Ipse, suis Ducibus, suisquè Exercitibus, *Regnum Galliæ* recuperasset; non Rex, cujus Auspicijs, ductuquè cuncta gerebantur. Haud dubiè, illa ætate, quâ nulla fortium virorum feracior, fuêre complures eâdem Indole animi Ingenijquè, quæ in *Bironio* erat; tum Peritiâ rei Militaris, si *Rex* pari Auctoritate bello præfecisset. Fateor equidem, *egregium Ducem fuisse Bironium*; sed Clariorem tamen eum fecit Regia Auctoritas. Quod plerumque accidit ijs, qui *Principum* Negotijs præficiuntur: quorum pleriquè Indulgentiâ fortunæ sui Immemores, & præcipuam rerum gestarum gloriam ad se trahentes, ac ambitiosâ Morte clarescere cupientes, Contumaciâ, & Inani Jactatione immoderatæ fortitudinis, exitium provocarunt. Ut *Clitus*, temporibus *Alexandri*; Cajus *Silius*, & *Calphurinus Piso*, temporibus *Tiberij*. Destrui Fortunam, sperni Potentiam ab Ingratis hominibus, prudentiores Principes ægrè patiuntur. Præpostera hæc Ambitio, multa præclara Ingenia, nostrâ hâc ætate, pessum dedit. Cujus rei Testes locupletissimi, *Essexius, & Bironius*: magno Principibus documento, ne Feroces & mobiles Nobilium Juvenum animos, præmaturis honoribus, ad Superbiam Ferociamquè extollant. Ut non aliud sit adversùs Intumescentes remedium, quàm si promptè, Astu, aut Principali Auctoritate, subvertantur. Alij contrà, Iter Ambitione & periculis vacuum incedentes, ad Principem, ut Authorem, Belli gloriam & fortunam referentes, æquabili gratiâ, ac Auctoritate, floruerunt. Ut *Germanicus*, apud *Tiberium*, in superbo Trophæi Titulo de se Nihil addidit, Metu Invidiæ; Conscientiam facti satis ratus, ad gloriam. *Agricola apud Domitianum*, Virtute in obsequendo; Modestiâ in prædicando, *Invidiam*, crescentis Fortunæ perpetuam Comitem; *& Zelotypiam*, insanabilem Principum Morbum, à se avertit: ac *Domitianum*, naturâ in Iram præcipitem, Moderatione Sapientiâque lenivit. Nec desunt istis Temporibus callida Ingenia, quæ Principes specie Obsequij regunt, quietâ cum Industriâ. *Rhosnium*, gravem & sapientem Virum comperio, magnâ gratiâ & Auctoritate apud *Henricum Quartum*: *Lernæum Ducem*, non minore apud *Philippum Tertium*, vigere. *Miserandum Casum, Processum Iudiciarium, & Supplicium Bironij, Petrus Matheus, elegantissimus rerum Gallicarum scriptor*, celebravit. *Essexij & Bironij*, Clarissimorum suæ cujusquè Gentis Virorum, non magis (tempore congruente comparabis) Mors videtur, quàm Fortitudo adversùs hostes; quæ tot Expeditionibus, tot prælijs enituit. Certè Neuter eorum satis dignum Splendore antè actæ vitæ exitum habuit. Uterquè perniciem Contumaciâ provocavit. Sed *Essexio morienti* longè major Animi Moderatio contigit; quam Bironius ei, superstes, *ut Pusilli animi Notam* exprobravit: Ignarus propinqui Fati sui.

Dum hæc in *Franciâ* gerebantur, *Geneva, instauratæ Religionis Asylum*, in Magno Discrimine erat. Quippè *Albinus Gallus*, Vir bello egregius, Transfuga à suis, Ducem se *Allobrogibus* præbuit; & Virtute, ac Auspicijs *Allobrogum Ducis*, fraude atquè Operâ suâ, Urbem Canabinis, Scalis, intercipere

1602. consilium cæpit. præmisitquè ad eam rem *Brigaletum Allobrogem*, Virum strenuum, cum audacissimis Volonibus. Qui Nocte obscurâ, tanto Silentio ad Murum, trajectâ fossâ, perveniunt, ut Vigiles Custodesquè Urbis fallerent. Adeò tegebant omnia hostilia Molimina, Nocturnæ Tenebræ, & rapidi *Rhodani* strepitus. *Albinus* intereà, tumultuario exercitu obsedit Itinera; intercepit Viatores omnes; ne Occultus Nuntius in urbem penetraret; & ad Magistratus hostilia Cæpta deferret. *Brigaletus* interim admovet Scalas, & ad Murum scandendum suos cohortatur. Qui sublevantes se invicem, & trahentes Alij Alios, præeunte Duce, Murum transcendunt, *Ducenti numero:* & attonitos repentino, atquè inopinato malo Vigiles sternunt, mactantquè. Omnia Formidine complent. Inter quæ *Annates, clangore suò, Strepitnquè Alarum*, Cives semisopitos, ac penè nudos concitant. Qui Nocturno Tumultu exciti, arreptis Telis, Missilibusquè, in Hostes ruunt. Pugnatur acerrimè, donec *Brigeletus*, suos ciens, fortiter caderet. Indè trepidantes cæteri *Allobroges*, qui jam in Vallo constiterant, per Scalas & per Muros se præcipitant. *Tredecem tantùm* superfuêre Incolumes; qui Pacto Salutis se dedidêre. Sed luce ortâ, postulante Multitudine, ut Insidias in urbem, ac Cædes Civium ulciscantur; *Vrbanus Senatus*, consensui Plebis impar, ita censuit, quia eapedierat. Et ad unum servili Cruciatu periêre, ingenti Vulgi Lætitiâ. Posteà intentiores in urbe Custodiæ esse ceperunt, ejus loci, quà ascenderat hostis, ob nocturni periculi memoriam. Quod ubi vulgatum erat, *Angli*, magnâ pecuniâ, *à Præsulibus*, & Populo per universum Regnum contributâ, *Genevaces*, sublevarunt; bona Fortunasquè contulerunt, ad tristissimi Casus solatium. Quod ingens argumentum Charitatis erat, cum singuli, ad salutem & Securitatem illius Civitatis, certatim conferrent: Etenim Religio firmissimùm est Vinculum Charitatis, inter Mortales.

Res Hibernicæ. Eo tempore quo hæc foris agebantur, in *Hiberniâ*, *Tironius* adversæ pugnæ fortunâ fractus, Spem Salutis in Solitudine & fugâ habere cæpit: & cum paucis Peditum Equitum, qui palantes per Agros fuerant, omissis Campestribus locis, *Avia Vltonia* petit. Quod ubi *Regina* compertum, jussit ut *Prorex* fractum jam *Tironinm* ad eaitium usquè persequeretur; & suis in Sedibus aggrederetur. Igitur Valetudine jam confirmatâ ex veteri morbo, Expletis Legionibus, Cohortibusquè Auailiarijs contractis, ad finem tandem magno diuturnoquè bello imponendum, animum impensius intendit; & adultâ æstate, in *Vltoniam*, Spe patrandi belli, Copias traduait. Ibi nemine armato congredi auso, latè armis pervagatur: omni Regione, ad Nigrum usquè Fluvium, perdomitâ, Pontem cæptat. Ad traijciendum Eaercitum Ponte fabricato, traductisque Copijs, pergit. deindè ire ad *Dunganuonum*, Sedem Proditoris, Equites Levesquè Cohortes, & lectissimos Auxiliarium, (quibus locorum notitia) *Ricardo Morisono* duce, præmittit; Ne inordinari, atquè incompositi *Kernices* Iter obsepirent. *Tironius*, qui se Solitudinum Asperitate munitum crediderat, improvisâ atquè insolitâ re perculsus, postquàm nihil satis firmum adversùs *Monciojum* cernit, *Castellum suum Dunganuonum*, Vicumquè juatà situm, incendit; ne *Angli* potirentur: & in *Occilio*, in Regiunculam Nemorosam præceps profugit; quia continentes Sylvas, ac Paludes habebat.

Eodem ferè tempore, *Arthurus Cicestrensis*, *Fergusij Scopulo præpositus*; *& Docreus*, *Balashanona Præfectus*, fortes ac strenui Tribuni, impositas Lembis Cohortes, per *Lacus O-mia* veaêre; atquè indè protinùs, magno Agmine, *Dunganuonum* incolumes pervenerunt, *Proregi* Victori gratulantes. Vulgatâ *Tironij* fugâ, emissi Equites, qui per Saltus & Sylvas sequerentur. At Ille mutans indies Itinera, Latebris aut Sylvis densioribus, se eripuit. Reliquis deinceps diebus, *Prorex* huc illuc ferens arma, *Tironiensem Agrum* Præsidijs nudatum, fugâ & Terrore implet. Nunquàm tantum pavoris, Tumultusquè in Ultoniâ fuit. Itaquè vastatis omnibus *Rebellium* Agris, Vicis, ædificijsquè incensis; Insulas, Anglorum Spolijs ovantes, ubi veteres Prædas, Impedimenta, & Tormenta *Anglis* erepta locaverant, in potestatem redigit, cum omni prædâ, quam ibi deposuerant. Indè conficiendo Munimento, ad locum *Sidnejnus* se confert. Quo incredibili celeritate confecto, & *Montioij nomine* imposito, *Benjaminium Berrium*, Equestris ordinis, cum Copijs præesse jussit, *Præfecti* Nomine. Alterumquè item in *Monachâ regione* extruit; ad coërcendos *Rebelles*; Ibiquè imposuit 150 *Peditum*, *&* 25 *Equitum* Præsidium; *Christophoro sancto Laurentio*, ad defensionem, relicto. His rebus gestis, *Tironium* insequi instituit. Sed ejusmodi Necessitates sunt consecutæ, ut Consilium necessariò intermitteretur. Quare Communicatis cum *Cicestrensi & Docreo* belli Consilijs, datisquè Mandatis, Exercitum *Neurium* reduxit; ut suos Equites, Peditesquè, labore & Inopiâ languidos, Pabulo ac Frumento reficeret. Reliquit autem *Cicestrensem*, in *Vltoniâ*, cum Militari potestate; ut omnium novarum rerum Moliminia, à tergo, si quà emergerent, in Ortu ipso extingueret; persequereturquè *Regulos*, qui in Armis essent. *Reginam* interim certiorem fecit, fortunam *Tironij* desperatam, comploratamquè esse; Naves, & Mare spectare, ut desertâ *Vltoniâ*, ad *Philippum Regem* transfugiat: id ni faciat, propèdiem in potestate futurum. Interim *Tironius* trepidus, & de Vitâ sollicitus, cum *Sexcenis Kernicibus*, & paucis *Regulis Briano*, *Mac-Arteo*, *Mac-Mahono*, *Cormaio fratre*, ad Erin Lacus, Solitudines, & extremos *Vltonia* fines discedit. Protinus *Cicestrensis* minimè cessandum ratus, cum *Docreo*, ac dilecto Militum Agmine, *Pharmanacha Recessus* omnes, atquè vastos Angulos, Spe consequendi, peragrati sed Via continuis Sylvis ac Paludibus penè inexplicabilis, magnis Conatibus obstitit. Hâc auditâ fugâ, multi *Reguli*, Scelere *Tironij* lapsi, datis Obsidibus, & interposito Sacramento,

mento, Se, Suaquè omnia *Proregi* dediderunt. Quo in Numero fuerunt, *Rorius Odonelius*, Transfugæ Frater; *Oconorus Sligo*; *& Ocanus*, cum omni Popularium Manu. Qui in gratiam recepti, & Comiter accepti, ſemper poſteà conſtantes fideleſquè manſêre. 1601.

Nealus Garvius, è familiâ *Odoneliorum*, fortem ac fidelem Operam *Anglis*, *in Vltonienſi Tumultu*, hactenùs præſtiterat, jam indigniſſimè tulit, *Rorium Odonelium*, *Transfuga ad Hiſpanos Fratrem*, ſibi præclarius merenti prælatum, & Patrimonium Avitum, Sceleſtæ fraudis præmium eſſe: Proindè cuncta Inimica, & hoſtilia cæptavit: *Odonelij Titulum* ſibi vendicavit, & Terras ſibi ac Poſteris, Jure Sanguinis, hæreditarias; Vulgum majoribus Tributis vexavit; atquè in ſuum, non *Reginæ* Obſequium jurare coegit. Ita inflatus Irâ, ac vanâ Spe Dynaſtiæ, homo turbidus ac glorioſus, in exitium præceps ruit; exprobans, *Interiorem Vltoniam* ſuâ Virtute, ac Operâ ſubactam. *Prorex* admonitus à *Docreo Tribuno*, Nealum *Garvium* hoſtilia ſpectare, non ignoravit Ferociam hominis in Verbis, aut Fortitudinem in Armis; veritusquè eſt, ne Conſanguinei, malè inter ſe Concordes, *Vltoniæ* noceant, Ambos implacabiles Reconciliatione Gratiæ conjungere fruſtrà tentavit. Itaquè profligato penè bello, *Nealum* non pro Spe reſpexit; Largitionem Dynaſtiæ abnuit; ne alius *Odonelius*, ex æquo ferox, Dominatu potiretur: & *Rorij* moderatius Ingenium ſperavit. Proindè Patrimonio Fratris auctum, *Tirconeliæ Comitis Dignitate* ornari effecit, ut *Odonelij* nomen periret, & extingueretur. Cæteros deditos *Regulos* comiter tractavit; monuitquè ut Pacem tuerentur; relictis Agreſtibus Moribus ſuis, veteres Offenſas novis Officijs compenſarent; fidem ac Conſtantiam colerent; quieta turbidis anteponerent; Terras, quas rebus turbatis occuparant, juſtis dominis reſtituerent; Magnam Territorij ſui partem *Reginæ* cederent; & per literas patentes, reliquam cum Securitate poſſiderent. Qui ex infeſtis hoſtibus fideles Subditi facti, multa Documenta fidei, ac Obſequij dederunt. Quorum exemplo adducti alij, *Proregi* certatim ſe ſubmittere cæperunt.

Prorex, etſi propè exacta jam æſtas erat, tamen exiſtimans celeriter bellum confici poſſe, proviſis Commeatibus, & exploratis Itineribus, per vaſta & inculta loca Copias reducit, ad Prædones domandos, qui ſupererant. *Tironiæ & Pharmanachæ* ultimas Regiones depopulatur, vaſtatis Agris, compluribus interfectis, aut fugatis Incolis. Ad *Onelij nominis* abolendam Memoriam, *Lapidem Rudem*, in quo, More Majorum, inaugurari inſueverant, diruit; ne ad priſtinæ fortunæ recordationem, Poſteros excitaret; ædificia comburit; Pecora, & Jumenta abigit. Tali modo vaſtatâ *Vltoniâ*, & *Rebellium* non ſolum viribus, ſed etiam animis fractis, diſpoſitiſquè opportunè Præſidijs, longius impeditioribus locis inſequi deſtitit: quod hyems ſuberat. Hic turbidus rerum Hibernicarum ſtatus, cum per Autumnum duraſſet, *Prorex*, rumore *appulſi in Momoniam Batici exercitus*, ad ſua tuenda revocatus, *Dublinum* redijt. Interim *Ciceſtrenſem*, *& Docreum*, in Ultoniâ curare juſſit. Hi nihil magis expetebant, quàm Occaſionem, quâ *Proditoris* perfidiam ulciſcerentur; proindè duriſſimo Anni tempore, Avia *Vltoniæ* ingreſſi, *Tironium* in intimas *Pharmanachæ* Solitudines actum, quoquo inclinaret acrius urgent; & uſquè ad Deſperationem Inopiâ & Fame affligunt. Quæ res, multo magis, quàm fortuna belli adverſa, *Tironium* terrebat. Quippè qui in Alieno Solo urendo populandoquè Vicos, atquè ædificia, bellum gerere conſueverat; nunc undiquè circumventus, fugâ & incertis Latebris Salutem petere cogitur.. Concuſſâ *Regulorum* Fide; promotis per *Interiorem Vltoniam* præſidijs; obſeptis effugijs; & deſperatis omnibus rebus; prævenire ruinam, ac Perfidiam Pænitentiâ mutare quàm primum ſtatuit. Igitur diffidens rebus ſuis, ac fidei Popularium, qui in Armis erant, veram Deditionem facere cogitavit; & Conditiones tantummodò æquas petere, *Vitam*, *& Libertatem*: peritus ne, ipſo cunctante, reliqui Populares, coacti ultimâ rerum Neceſſitate, Spe Impunitatis, ſibi ſeorſum Fortuniſquè ſuis conſulerent. Itaquè *Garretum Morum*, Equitum, Anglicæ Originis, *Deprecatorem ad Proregem*, cum poſtulatis, *Dublinum*, miſit, liberâ poteſtate inſtructum; ut Perfidiam, & Defectionis culpam fateretur; & turbatam Provinciam Vi atquè Armis. Tantummodò ipſi, Turbæ & Tumultus Concitatori, Cognatis, Primoribuſquè alijs Amicis, Veniam impetraret. Cætera omnia fidei, Clementiæ, *Bonitatiquè Reginæ* liberaliter permitteret; atquè dederet, ſi *Prorex*, Fidem Impunitatis interponeret. *Prorege* convento, *Morus*, Vir ſyncerus & integer, ei nuntiavit, *Tironium* paratum facere quæ *Regina* vellet. *Prorex*, vera quæ afferet eſſe ratus, literas ad *Reginam* dedit. *Tironio* interim Veniam, quam poſtulabat, nequè abnuere, nequè polliceri, antequàm referrentur *Reginæ* literæ, an Deditioni annueret. Poſtquàm *Regina*, Sceleris atquè execrabilis Perfidiæ toties Teſtis, accepit, *Perduellem* Miſericordiam, quàm Vim experiri malle, à fraude hoſtili cavendum prædixit; dubitavitquè recipere Supplicem, Pactione Impunitatis; & rem integram *ad Senatum* remiſit. Deditionis cauſa diu in Conſilio agitata. decernendi curam Senatus, ob magnitudinem Oneris, & Difficultatem, *Reginæ* conſulenti reſervavit; qui nullum Decretum Senatores de ſummâ Reip: Pace, aut bello, niſi exploratâ ejus voluntate, facere conſueverunt. *Buchurſtius Quæſtor*, privatim adhibitus, cum Conſilij Primoribus, commemoravit diuturni belli tædium; gravitate Sumptuum, exhauſtum ærarium; Immortalia Tributa; longam atquè irritam Militiam, adversùs palantes hoſtes, *Plebi Anglicanæ* optimè merenti, gravem & ingratam: Itaquè rogat & orat *Reginam*, ut ſibi Regnoquè, in rebus dubijs conſuleret; de finiendo *Hibernico bello* cogitaret; cuncta quæ evenire poſſent, ſecùm reputaret; Si aut *Iberorum* Vis rursùs ingrueret; aut *Tironius*, virium infirmitatis Conſcientiâ, ſibi metuens, ad *Philippum* transfugeret; ac *Hiſpanorum*

1602. auxilijs adjutus, magnum belli incendium excitaret. Differebatur contrà ab ijs, quibus dolor recentis Perfidiæ, aut Cupido Ultionis animis obversabatur, cæsos ferocissimos *Defectorum*, aut circumventos; receptos in fidem Regulos, Latebris suis extrusos; *Tironium* Ducem, in quo Spes reliqua reposita, fortissimis Socijs orbatum, exulem, & extorrem, sylvis ac Paludibus se defendere; cedere in Angulum *Vltonia*, cum Rebellis turbæ reliquijs, suorumquè Proditionem & fidem mercenariam timere: *Anglorum* res tacitis augescere Incrementis, *Rebellium* imminui: *Cicestrensem & Docreum*, Tribunos Virtutis expertæ, per expeditos Milites & Duces, Solitudinum gnaros, à fronte, à latere, à tergo urgere. Cum multa pro utràque parte dicta fuissent, prævaluerunt Impunitatis Authores. *Regina* memor Injuriæ, & cupido ultionis, recipere Pacto Salutis Proditorem invisum, toties fusum, & nunc undique circumventum, diu negavit. Sed vicêre Pertinaciam Inopia ærarij; Auctoritas Senatus; levandæ Plebis Cura; & Metus gravioris belli. Indè literas ad *Proregem* dedit, ut faceret quod maxime reip: conducere videretur: eamquè rem Sibi, Senatuique gratam fore affirmavit. Prorex *Gulielmum Godolphinum*, *& Garetum Morum*, Claros equites, ad *Tironium* misit; fidem publicam interposituros, Impunita priora Delicta fore, si Se suppliciter dederet; ac Illustri Pænitentiâ *Regina* satisfaceret. Idque impressis Tabulis vulgari jussit. *Morus* præmissus, *Tironium*, haud procul loco cui Nomen *Tocher*, obvium habuit, Conscientiâ cunctantem: monuitque ut consuleret Securitati, tempestivâ Deditione. Maturior ipsius Spe Deditio facta est. Igitur *Tironius*, deposito metu, sese satis fidenter *Apolectu* permisit; nihil tàm verens quàm ut dubitare aliquâ de re videretur. *Godolphinus*, *& Morus*, læti Successu, præmissis Literis ad cujusquè Præsidij Præfectos, *in potestate Tironium esse*; & adduci nuntiarunt. Mox ab ijs prosequentibus, comitantibusque præfectis, ad *Proregem* in Solio sedentem, Militarium virorum Turbâ circumfusum, *Molitantum* deductus est. In ipso Limine obsitus Squalore, & Sordibus, humi procubuit; jussusquè surgere, & propius accedere, rursùs in genua provolutus, Vultu mæsto, Voce supplice, Defectionis culpam deprecatur; Proditionem, & Arma adversùs Principem sumpta, confitetur; Veniam & Misericordiam summissè efflagitat. Interrogatus à *Prorege*, permitteret ne Arbitrium Reginæ? Cui respondit, se liberè velle, ut de Vitâ, & Fortunis suis, pro Arbitrio statuat. *Prorex*, percursis *Regina* beneficijs Militari facundiâ, & Scelestâ ejus Perfidiâ, disseruit, Carcerem, Laqueum, & Tormentorum Cruciatus meruisse, in Exemplum. Ille *Regina* Benevolentiam, ac Potentiam Cælo equavit: nunc ut Misericordiam & Clementiam ejus experiretur, enixè obsecravit. Nequè supplicare destitit, fracto animo, atque humili, donec adductus in Spem Vitæ & Clementiæ, benignè in fidem ac Patrocinium à *Prorege* acceptus est; sic Temporibus Reip: postulantibus. Atquè eo die in Hospitium reductus est. Postero die Summa Summissionis Literis comprehensa, & publicè perlecta coràm Armatis Cohortibus, ac frequentiore turbâ, maximo & inopinato gaudio Multitudinem percussit. *Prorex* mitigatus Clementi responso, Ipsi Vitam, Incolumitatem, ac Sedem honoratam in *Vltonia* concessit: maoente penès *Reginam* Arbitrio, quid daret; quid adimeret; & Ditioni suæ subijceret. Cæterum in partem *Tironensis* Agri, *Turlochi Liberos* transtulit, *Anglis* fidos, *Tironij* Conatibus adversos: & nihil antiquius habuit, quàm afflictam nutantemquè Provinciam stabilire. Postremò *Tironius*, Dublinum, magnis Acclamationibus, ac Turbarum & Tympanorum strepitu, tanquàm in Triumphum ductus est, ostentatusquè Multitudini.

Fama Dediti, restitutiquè *Tironij*, *Britannicas Insulas* pervagata; per *Italiam & Hispaniam* quoquè celebrata est. *Hiberni* Agrestes, & bello faciles, *Tironium* Insignem virum, Gloriæ, Avitæ Religionis, ac Libertatis Authorem cecinerunt. Prudentiores censuerunt, Eum privatis malis, excidium gentis remedium adhibuisse. Bellum hoc teterrimum, fuisse ipsi necessarium, Cæteris luctuosissimum. Plerique crediderunt, Reip: periculo servatum, aut Pacto Salutis, in fidem receptum: *Angli* vagum Latronem, flagitiosæ Seditionis Ducem, Annalibus suis, & Commentarijs tradiderunt. Ita variè extollunt, arguuntuè. Per tot Clades, tot prælia, variâ fortunâ, tot Militum labores, ac discrimina, *Vltoniensi bello* finis impositus est: quod per *Annos Novem* penè duravit. Sub *Fitz-Villiano Prorege* inchoatum; *Norrisij*, *& Russelij* inter se pravâ æmulatione auctum; ab *Essexio* iniquâ Pacis umbrâ, imprudenter altum; à *Montioio*, multis partis Victorijs, fælicitate mirâ, Armis, & Deditione confectum.

Bellum *acerrima Fames in Vltoniâ* secuta est; propter Inopiam Frumenti, & demessas Segetes. plures insalubrium Ciborum tetro & horrido succo necati, & strati Cadaveribus Campi, velut Numine *Rebellionem* ulciscente. Inventi sunt pueri, qui Matris torrerent Semeso viscera, laniarentquè dentibus; fœdum, etiam hostibus, Spectaculum. Mulieres quoquè, pueros circumventos occiderunt, succisis brachijs, Poplitibusque, eorum Corpora in partes conciderunt, & clàm devorarunt. Ob quæ flagitia ab *Anglis* comprehensæ, Arboribus suspensæ, aut Paludibus submersæ, miserrimam vitam finierunt.

Hoc Anno in *Angliâ* fato concessit *Alexander Novellus*, *magni Nominis inter suos Theologus*; *Paulina Ecclesia*, *Londini*, *Decanus*; Vir insigni Pietate, vitæ probitate, & Morum Sanctimoniâ. Qui diris *Maria Regina* temporibus, in *Germaniâ*, ob Instauratam Religionem exulavit: quam, in Patriam reversus, invocante *Elizabethâ*, celeberrimis Concionibus, & eruditissimis Commentarijs editis illustravit. *Collegium Æneï Nasi*, *apud Oxoniam*, ubi Tyrocinium Literarum fecerat, *Annuo ducentarum librarum reditu*,

reditu, ad puriores Literas fovendas, auxit. In defuncti Locum suffectus est *Ioannes Overellus*; *Divini Iuris in Academiâ Cantabrigiensi Professor.* Vir multiplici eruditione, ac *Sacra Theologia* cognitione insignis. 1602.

Nec Silentio præteriri debet *Gulielmus Perkinsus*; In Agro *Vervitensi* natus, qui optimè meritam de Rep: Christianâ animam Deo placidè reddidit. Is *Cantabrigia, in Christi Collegio* institutus, instructusquè, plurimam Theologiæ studijs, & conscribendis Libris operam dedit: res humanas despexit, atquè contempsit; Divinarum desiderio flagravit; Provectâ ætate, in Munere Concionandi assiduus, Oves domini Verbi divini Pabulo, & Pietatis, nostro ævo inauditæ, exemplis pavit. Quia plurima Ingenij, & Doctrinæ ejus extant Monumenta edita, quæ inter Manus hominum versantur, plura de Ipso referre supersedeo. Extat illius Liber, qui *fundamentum Religionis Christiana* inscribitur; qui velut Cunabula Juris Divini continet. Jungitur Interpretatio *Symboli Apostolici*, & *Orationis Dominica.* Dein subijciuntur *Casus quidam Conscientia.* Ejusdem alij *Tractatus* referuntur *de Naturâ, & Praxi Resipiscentia. De Pugnâ Carnis, & Spiritus. De benè Vivendi, ac benè Moriendi Ratione. De verâ ratione cognoscendi Christum. De vero Lucro, omnibus terrenis divitijs pretiosiore. De Idololatriâ novissimorum temporum. De liberâ Dei gratiâ, & libero hominis Arbitrio. De Vocatione. De pradestinatione. De harmoniâ biblicâ. De Consumatione Saculi.* In Quibus omnibus elucet Ingenij & doctrinæ Lumen. Ad hæc reliquit multa Volumina posthuma; quæ ediderunt Virtutum Imitatores. *Cantabrigia*, XLIV *Anno atatis decessit*; ubi humili Sepulchro conditus est. Cunctiquè *Academici*, mærore & Lachrymis, dolorem publicum testati sunt. Ecclesiæ grande desiderium ejus mansit: propter Memoriam Doctrinæ, & eximiæ Virtutis.



RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER DECIMUS.



ANTEQUAM de *Morte Reginæ* dicam ad Institutum pertinere existimo, cùm ex Utilitate, tùm ex Dignitate publicâ, proponere Vitæ ejus velut Summam, (nullo servato temporis Ordine) magnorum exemplorum Gloriæ, Pietatis, Prudentiæ, Moderationisquè plenissimam. *Primùm* ut Corporis, Animiquè Virtutes, veris laudibus celebrarentur, & Orbis Terrarum rebus gestis adhiberetur testis. *Deindè* ut *futuri Principes* ejus exemplo præmonerentur, quâ potissimùm viâ possent ad summum gloriæ Culmen, ac sempiternam Nominis Memoriam pervenire. *Et* maximè conducere Reip:: Nam laudare *Principem* excellentis Ingenij, Judicij, & Industriæ, ac per hoc, Posteris, velut è Speculâ, Clarissimum Lumen quod sequantur ostendere; Id non mediocrem utilitatem, cum summâ delectatione conjunctam habet. *Postremò*, ut experimento cognoscerentur *Papanorum Convitia, Commenta, Livor, & Malevolentia, Famosi Libelli, Decora, ac Multa & magna Merita ejus vellicantium*; qui quasi de Industriâ in Odium, & Offensionem hominum irruere videntur. Eosquè Contumeliæ, Audaciæ, Impudentiæquè suæ, neque pudet, neque piget. Attingam *primùm*, Salutaris *Principis Ortum*, Incunabula, & Elementa Virtutis.

Nata est *Elizabetha Vico viridi, ex Henrico Octavo, & Annâ Bolenâ, Thomæ Boleni, Clarissimi Equitis filiâ*; VII *Septembris Anno Salutis* M: D: XXXIII. Quem locum, Regnum Paternum adepta, ob *Tamesis* incredibilem Lenitatem, & amænos Tractus, Aerisquè miram & jucundam Salubritatem, tanquàm *Natale Solum*, omnibus semper Vicinis Locis, atque Secessibus prætulit. Casus Fortunæ, primâ ab Infantiâ, Varij, & ancipites. *Anna Bolena, Mater*, Probri Causam dixit; & publico Judicio damnata; cruento Matrimonio soluta est. Obliquè suggillatum, Invidiâ jam inveteratâ *Cleri* Papani, *Bolenæ cum Henrico Octavo Matrimonium*, tanquàm Injustum, Irritum; nec ratione Animi, sed nefariâ Libidine contractum; *Catarina, primâ Uxore superstite*, & frustrà indignante. Ac proindè *Elizabetha statu Illegitimus, sine Spe Regiæ Dignitatis, & Amplitudinis, Comitiali Auctoritate declaratur*. Unicum Illi, contra omnes Injurias, omnesquè Calamitates, Numen præsidium fuit. Pater, perspectâ Indole, Memoriæ, singularis Docilitatis, atquè Ingenij Naturâ, & Moribus, ijs Disciplinis, literis, & Institutis, quibus Puerilis ætas imbui solet, diligentissimè erudiri curavit. Ipsa summo Ingenio, summâ Modestiâ, à primâ Pueritiâ, liberaliter educata; & *D: Champernouna*, Educatricis suæ, Monitis & Consilijs adjuta, Ingenium naturâ Illustre, ætatis progressu, doctrinâ plurimarum Artium, atquè optimarum perpolivit: ut Munia reip: firmius capesseret; Justitiam, atque Mansuetudinem feliciter exerceret; Iracundiam cohiberet; Affectus temperaret. *Pueritia Adolescentiæ augurium fuit*; tanta Animi Ingenijquè in Adolescentiâ cùm Docilitas, tum Celeritas, & Vigor in percipiendo, in retinendo, ut *antè Decimum Septimum ætatis annum*, Liberales Disciplinas omnes ferè non leviter attigerit; *Latinam Eloquentiam*, assiduâ operâ & deligentiâ *Rogeri Aschami*, dicendi Magistri, docti quidem, atquè eloquentis, ex *Cicerone, Plinio, & Livio*, Sedatam, Venustam, puram, incorruptam, ac verò Regiam hauserit, ac facundè exercuerit. Amorem, præstantiamque Linguæ, omni Occasione, professa est; ut Studijs Liberalibus, & Eloquentiæ gloriâ nitesceret. Quo Sermone, quædam eleganter usurpasse, Orationes ipsius facundissimæ, Virginali Verecundiâ, testantur; Consentienti *utriusquè Academiæ* voce comprobatæ; æternæquè consignatæ Memoriæ; quæ adhuc in animis altius sedent; quanquam paucissimæ extent. In evoluendis *Linguæ latinæ Autoribus*, non Vocum inflexiones, neque tonantium verborum delectum, aut lautitiam quandam, studiorum ad pompam sectabatur; sed Præcepta ad Usum communis Vitæ, publicè vel privatim utilia, & salutaria ad Remp: rectè atquè sapienter administrandam. Proindè *historiam Titi Livij, Annales Taciti, Acta Tiberij Cæsaris, & Scripta Senecæ* lectitabat. Judicium, aptissimis remedijs, adversùs omnem fortunæ impetum instruebat. Nec minore curâ, & industriâ *Græcos Oratores, & historicos* secuta est, Ingenio, & doctrinâ abundantes. *Orationes Isocratis, Æschinis & Demosthenis μεταφραν, Aschamo præeunte*, perlegit; non solùm proprietatem linguæ, & Oratorisensum, Antiquitatisquè

Literarum studia.

Antiquitatiſquè notitiam; ſed Cauſæ Continentiam, *Plebis-Scita, Conſuetudines Græcorum, Mores Athenienſis urbis* clariſſimè perſpexit. *In hiſtoriâ Thucididis, Zenophontis, Polibij; Euripidis, Æſhini, & Sophoclis Tragedijs*, prælegente *Forteſcuto*, doctrinâ facundiâque Atticâ præſtante, gravi Judicio, multâque Arte ſe exercuit; cui mox ingens *Congiarium* dedit, in Numeroquè *Senatorum* habuit. Coluit poſteà familiariſſimè *Henricum Savelium*, multiplici Variâque Doctrinâ eruditum; qui compoſuit *Varia Eruditionis Volumina*; & ad Famam Dignationemquè, docendo pervenit. Non modò legendi ac Intillegendi uſum, *Teneritatem illam Atticam, & Græcæ linguæ Lenocinium*; ad Oſtentationem didicerat; ſed & *Temperamentum Morum*, Juſtitiæ Sanctitatem, & Sedationem perturbationum; ne quid Iratè, Superbè, Contumelioſè, ultràve Civilem modum ageret. Nullum deniquè nequè Dictum, nequè factum paulò excellens, inerat in *Thucidide, aut Zenophonte*, de rectâ Morum, & Vitæ Inſtitutione, vel de Reip: Moderatione, quod non Memoriâ teneret. *Eloquentiæ*, atquè *Philoſophiæ* pari ſtudio flagravit; ut Optimarum rerum Cognitionem, Sapientiam, Regio Muneri maximè neceſſariam, ſtudio, & Exercitatione conſequeretur. Præter Diſciplinas, Regibus, Imperatoribus, penè neceſſarias, Scientiam Imperandi, & Adminiſtrandæ reip:, quibus publica utilitas paratur, augeturquè, *ex antiquiſſima, Nobiliſſimaquè Philoſophiæ Fontibus*, multa Præcepta comparandæ virtutis hauſit. Ejuſquè pulcherrimæ Parti, quæ *de Moribus, & Rep: regendâ eſt*, diligenter operam dedit. Omitto *Plebejos Philoſophos*, quorum delectabatur mirificè lectione, doctrinaque. Illa *Græciæ lumina*, divinus *Plato*, divæ *Elizabetha* glorioſis manibus Divinior factus; *Ariſtoteles*, Princeps Ingenij & doctrinæ, *Alexandro Doctor accitus*, quo poſſet ab Illo clariſſimis Diſciplinis inſtitui, *à Principe Fæminarum* revolutus. *Cyri* diſciplina, à *Socratico Zenophonte*, ſcripta, non ad Hiſtoriæ fidem, ſed Effigiem Juſti & Moderati Principis, & omnem benè Vivendi rationem, quotidiano uſu trita. *Philoſophiâ* præparato animo, ad *Theologiæ Satus* accipiendos; ad Sacram Diſciplinam, *G: Grimdalli*, *Divinæ Sapientiæ Profeſſoris* curâ & Induſtria, traducta; quæ primùm ad Numinis Cultum, Puram Religionem, & Cæleſtium Bonorum Cognitionem; Deinde ad Jus hominum; Demùm ad Modeſtiam, Clementiam, Magnitudinemquè animi, pari Comitate conditam, erudit. Veram Religionem, non *Commentitijs fabulis* implicitam; non *Romanâ Superſtitione* conturbatam, avidè arripuit; ad Vitam Piè Sanctèque agendam, non ad Oſtentationem glorioſam. Deniquè ſummo Ingenio, mirabiliquè Memoriâ prædita, omnes potentiſſimorum Populorum, Clariſſimorumquè Regum res geſtas, Pugnas innumerabiles, & Illuſtres Victorias, *ex Annalibus hauſit*. Solita eſt ſæpè antè oculos ponere Majorum ſuorum Monumenta, Triumphos, & increbilem gloriam, *Creſciacam Victoriam, Pictavienſem* Cladem, Ingens ad *Blauium, & Vernolium* prælium, plurimo hoſtium cruore; Expreſſitquè crebris Sermonibus, Victorias Majorum, non tàm Humanis viribus, quàm Armis divinis partas fuiſſe.

Linguas Vulgares Nationum fere omnium, *Gallicam, Italicam, æquè ut Anglicam* percalluerat; in utrâ tamen magis enituerit, non eſt facile exiſtimare. Teſtes locupletiſſimi ſunt, qui Uno tempore, Tribus Oratoribus, *Imperatorio, Gallico, Suetico*, Triplici Linguâ, *Italicâ, Gallicâ, Latinâ*, perpetuâ Oratione reſpondere, acriter, prudenter, acutè, nec minùs ornatè, politè audierunt. *Ronſardo, poëta Gallico*, quantum tribueret, quàmque culta ejus, ſplendidaque *Poëmata* probaret, *Adamante* illi tradito, magni pretij, oſtenderat. *In Muſicis* probè inſtructa, habuit *Pſallendi, Cantandi, ad Numeros Saltandi* peritiam, compoſito motu Corporis, Vultus, Habitùs, geſtus, quæ Principem deceret. Sed *Choreis* admodùm delectata eſt; adhibito Tibicinis Concentu; quod genus Delectationis Urbanitate mirâ temperavit. Aliorum Otium, ſuumquè, Mirâ Modulationis voluptate explevit. Non tàm Præceptis, atque Doctrinâ, Induſtriæ Ingenijquè Ornamentis, quàm Virtutibus, magnum Nomen apud omnes gentes adepta eſt; & multo major Indoles in eâ Animi, Judicijquè eluxit, quam in ullâ fæminâ unquam fuit. Quippè nemini ceſſit Caſtitatè, Pietatè, Juſtitiâ, Animi Magnitudine.

Quoniam jam initia, Progreſſuſquè Virtutis pateſeci, Actus ipſos referre libet. Prima Juventa, (florente Fratre *Eduardo*, optimo Principe, qui *Religionem Romanam*, frequentium Ordinum Suffragijs, abrogavit, & Inſtauratam intulit, paternam gloriam ſecutus) Pietatis, Eloquentiæ, Doctrinæ, & Virtutum omnium pleniſſima. Fortunæ, Naturæquè ornamenta, literarum præſidijs in dies magis magiſque illuſtravit; *Regij generis Claritatem*, Splendore ingenij illuſtriorem effecit; functaquè humanioribus Studijs, ad Divina toto pectore revoluta. *Locos Communes Melancthonis* perlegit; in *Lectione Sanctarum literarum* multum profecit; *Euangeliorum Sententias* innumerabiles, & *Prophetarum Oracula*, in ore frequenter habuit, Votis, & Precibus, cum magno ſtudio pietatis, adhibitis. Opem Numinis imploravit, ad Pudorem, ad Vitæ Puritatem, & animi Conſtantiam. Diverſæ Voluntates Civium fuerunt, diſtractæquè Opiniones in Religione: Illa humano generi ſalutarem Doctrinam *non Verbo tantum profeſſa eſt, ſed Vitâ & Moribus expreſſit*. *Sacras Conciones*, non Aurium voluptati inſervientes; ſed ad intimos Animi ſenſus, incredibili quâdam ſuavitate penetrantes, attentius exaudivit, cum *Votis*, & Precationibus.

Nihil illam à Pietate deterruit, *Fratre Eduardo*, puerilibus Annis, inter prima Incrementa præclaræ Indolis, immaturo interitu, & damno Patriæ, erepto, ſed Immortali Nominis ſui gloriâ; *ſuccedente Sorore Mariâ*, quæ in Sacris, Ceremonijſquè, Majorum Inſtituta ſecuta, Pontificiam Poteſtatem, Sacrorum Diſciplinam, Superſtitionemquè, Decretis Ordinum abolitam, revocaverat, & in

veterem

veterem Dignitatem, Splendoremquè, Vi, Minis, Exilio, & Cruentis Supplicijs restituerat; *Reginaldum Polum*, ob singularem doctrinam, perpetuamquè vitæ Innocentiam Clarissimum, Disciplinæ renovandæ causâ acciverat. Indè Romanæ Ceremoniæ reductæ; Alij Antistites Numinis; Alij Interpretes Scripturarum requisiti; homines Integri, Innocentes, Religiosi, Furore Improborum oppressi; *Anglia* Cladibus afflicta, nullus à supplicio securus locus; Pietas sceleri prætenta. *Elisabetha*, Optimi, amantissimiquè Fratris adjumento destituta, ab Amicis deserta, ab Inimicis prodita, Spem fruendæ propalàm Pietatis, & Veræ religionis amisit. Posteà sæviente fortunâ, Inimicorum Calumnijs, & *Mariæ*, Sororis exitium, Auctoritate Præsulum, parantis, Insidijs exposita, ob Instauratam Religionem, Concupitæ Dominationis falsam Suspitionem, & *Vietana* Conjurationis Invidiam, *Vodestochiæ, & alibi*, in arctissimâ Custodiâ egit. Indè Amicorum divulsio, quos Natura, aut Voluntas, Necessitudine, aut Benevolentiâ conjunxerat. Comitum, Fautorumquè proscriptio; & Professorum Purioris Religionis, immani Procerum Ecclesiæ sævitiâ, fœdissima Laniena: quorum Furori & Amentiæ par Oratio nulla reperiri potest. Multi homines ingeniosissimi, ex hâc turbidâ Tempestate, in *Germaniam*, velut in Portum Salutis & Securitatis, se contulerunt. Cæteri qui remanserant in Carcerem tracti, Igne, ac dolore Corporis cruciati. Fora innocenti Sanguine perfuderunt: undè per Vicos Ejulatus acerbi, & gemitus miseri, non sinè *Cleri* dedecore, *& Mariani Temporis* infamiâ. *Elisabetha* ab eâ Opinione, quam ab ineunte Adolescentiâ accepit, de Cultu Numinis, Formidine, aut Sororis Minis, dimoveri non potuit; sed forti atquè erecto animo pertulit. Magnitudinem Calamitatis, Carceris Squalorem, Solicitudinem, Mentis lætitiâ superavit. In maximis Incommodis, plus sinceræ voluptatis ex Vulgi Studijs; quàm Mæroris, ex temporum & Fortunæ acerbitatibus, cæpit. In tantis doloribus, Suspicionibus, & extremi jam Periculi Metu, Nemo Eam dejecto aut demisso sensit esse animo. Cum metuendæ erant Insidiæ Inimicorum, metuenda Vis Improborum, Bona ratio, cum perditâ; Mens Sana, cum afflictâ fortunâ; Bona deniquè Spes, cum Desperatione conflixit.

Nolo duorum Principum, *Henrici* primùm; deindè *Mariæ Reginæ* tempora taxare; Nec in Animadversione, pænâquè Acerbitatem; tot Virorum Cædes, tot Fæminarum exilia, fugas. Quia Præsules, pessimo exemplo, Sævitiam armarunt, Auctoritate, & Consilio, Specie renovandæ Pietatis; & Principum, ut Parentum, Vitia reticenda, ferendæquè Injuriæ. Nonnulli *Antistites Romanæ Religionis*, prospicientes, quanto cum periculo *Romanæ Ecclesiæ*, hæreditas Regni ventura esset ad *Elisabetham, Protestantium Doctrinâ imbutam*, in Securitatem veterum Ceremoniarum, hostili Odio agitavére, ut Mors quoquè ejus accelraretur; & Caput Conspirationi subtraheretur, contrà Auctoritatem hujus Ordinis, dignitatemquè Ecclesiæ. In tantâ Calàmitate suâ pertulit ipsa Custodiam; vidit in Carcere servos suos; Mors ob oculos in dies versata est. Populus, Metu & discrimine ejus anxius, publicâ voce, *exitium Regiæ Soboli intendi*, clamitavit: Veritati, & Innocentiæ locum non esse; Regni perniciem, tali Morte quæri. Commemoratis Vulgi Offensionibus, *Mariam reginam* ex hâc parte Pudor oppugnavit; Illinc Religio, cunctis affectibus flagrantior. Hinc Periculum Insidiarum, dum Soror superesset; Illinc Scelus, si tolleretur. In hujusmodi Certamine, & tàm ancipiti Discrimine, *Elisabetham* afflictam, & jacentem, *Britanniæ* & Reip: conservavit *Philippus Hispanus, Sororis Maritus*, Aemulatione Potentiæ *Francicæ*; Ne illâ sublatâ, *Maria Stuarta, Scotorum Augusta, Henrici Septimi Pronepti*, tum ætate florentissimâ, formâquè egregiâ, *Francisco Delphino* nupta, *Ius Sceptri Britannici, in Valesiorum domum Nuptijs suis transferret; ac Tria Regna Septentrionalia Francorum Imperio conjungeret.* Ita nihil triste patratum, Deus meliorem fortunam dedit; ab exitio ad Salutem revocavit; & salvam Reip: conservavit; Cujus ex Salute, non parva ad omnes lætitia pervenit.

Deprecante Philippo, marito Mariæ, regina Elis: gratiam facit.

Mariæ Deinceps *Reginæ mors consecuta*; quæ Moriens, supremâ Voluntate, *Elisabetham*, jam diu suis Suspicionibus perculsam, & afflictam, *Regni Patrij hæredem*, Necessitate magis, quàm Judicio, declaravit: & publicæ Salutis gubernaculis admovit; magnâ lætitiâ, & bonorum omnium gratulatione; ab recentem Memoriam actæ vitæ, Miserationemque prope afflictæ Salutis. Vertente jam fortunâ, postquàm Deus transtulit summam Imperij ad *Elisabetham*, & potestatem omnium rerum, turbulentissimæ Tempestates in summam Tranquillitatem commutatæ; & Adversæ res in secundas. Non modò ex Custodiâ in Libertatem vendicata; sed honore amplissimo ornata, *Principatum* Populi totius, summo Consensu, obtinuit; *ac Regni Anglici Arbitrium, & Belli Pacisquè Conditiones, inter Principes Christianos, Quinquè ac Quadraginta Annis, incredibili animi Magnitudine, & singulari sapientiâ, tractavit*; Virilis Animi fæmina; & Imperatoriâ fortunâ digna. Cujus pænè divina Virtus, cum Admirabili prudentiâ conjuncta, omnium mortalium famâ celebranda est. Vides quanta Vis temporum sit; quanto Vicissitudo rerum humanarum; quàm utile ad res prosperas, per Adversas venire. Privata periclitata est, timuit ne ingularetur. Posteà, Numinis beneficio, omnes fortunæ impetus evasit; ex Innocentiâ nata est Incolumitas; ex Incolumitate Libertas; ex libertate, Imperium, optimo Jure contigit; ex Imperio, Gloria, & Nominis Immortalitas. Sic Regnum adepta, cum magnâ gloriâ & Reip: salute, ostendit Lumen Animi, Ingenijquè sui. Optimarum Artium studia, Disciplinæ, ac Institutionis adjumenta, & ea quæ didicit, in publicam utilitatem protulit.

Initio Principatus, cum essent omnia, Fato quodam superiorum temporum, plena Simultatum, domi,

domi, foris, bellum certum, aut Pax Infida, cum in Oculis obversaretur insolens *Hispanorum Dominatio*; & acerba *Francorum*, capto *Portu Icio*, Offensio; cum effusum esset ærarium, Imminuti Fines Imperij; universi Populi Salutem sibi singulari studio, atquè benignitate conservandam proponit; & ea Reip: Vulnera sananda statuit, quæ maximè cruciarent. In his tot tantisquè Reip: Incommodis, & difficultatibus, *Regium diadema* delarum divinitùs, More Patrio, ac fausto Omine, *Annum agens* x x v, suscepit; ad sublevandam *Anglici Nominis* jacentem, prostratamquè dignitatem, ac temporum Conditionem miseram, Civium studijs à communi utilitate aberrantibus. Non ætatis modò maturæ rebus administrandis, sed admirabilis quoquè rerum Civilium prudentiæ; quam non ex Libris adumbratæ Reip:, sed Juris publici, & rerum maximarum notitiâ, Usu plurimorum Negotiorum, doctorum hominum Sermocinatione, exercitatione assiduâ, Observatione diuturnâ comparavit. Post paucos dies, antiquo ritu Sacrorum, inungitur: Insigni favore omnium hominum; maximis, & innumerabilibus Principum gratulationibus. Ex Agris, Vicis, atquè omnibus Oppidis incredibilis concursùs factus est. In summæ potestatis Sede collocata, præbet Jusjurandum, juratquè, *Se, Regnum Iure, Moribus, atquè Patrijs Legibus administraturam.* Spem aliquam cum *Ecclesiâ Romanâ* in gratiam redeundi facit. *In Religionis Cultu, & Sacramentorum administratione* nihil mutat; verita semper Contumaciam, & Secessionem *Papanorum*, donec Novi Regni primordia firmasset. Quippè nondùm stabilito Regno, *Anglia* multis Cladibus Domi forisquè implicita jacuit; gemino bello *Scotico, & Gallico*; domestici belli expectatione; Inopiâ ærarij; Religionis dissidijs; in Galliâ *Bononia* capta; & cunctis Arcibus in *Agro Bononiensi*, hosti traditis; *Caleto*, bello, in primis maritimo, rebusquè gerendis in Continenti opportunissimo, per Dedecus amisso; pleno *Piratis* Mari; nihil in toto Imperio valido. In tantâ Reip: Tempestate, & Mole rerum agendarum, unicum remedium est arbitrata, ut homines prudentes, atque Integri, Negotia Reip: susciperent. Temerarij, atque Audaces gubernaculis abstinerent; ad vitanda in Rep: maxima & miserrima Naufragia. Cum igitur vehementius incenderetur in Causam *Papanorum*, quasi recreandi sui gratiâ, se in Secessum contulit; ubi de Patriæ periculis, & Civium Salute; de *imminuendâ Pontificum, & Pontificiorum potestate*; de augendâ inter homines Dei gloriâ; & Observantiâ ergà divinas Leges; De illustrandâ Evangelij Veritate; cum Ministris intimis, *Parro, Northamptonensi Marchione*, in dignitatem restituto; *Rassello Bedfordiæ* Comite; *Barono*, Magni Sigilli Castode; *Cæcilio*, in scribendis Epistolis Primario Secretario; & præstantibus aliquot viris Magnitudine Animi, & Consilij, quos *Marianâ* Tempestate improvisus Turbo perculerat, diu collocuta est. Hi Auctores publici Consilij, & Salutis suæ; reliqui partim *Pontificij* Proceres, Senatorio Ordine contenti, cæterarum rerum Administratione abstinuerunt; partim Inertes, se Magistratu abdicarunt: deque universâ Rep: Amicorum Sententias perrogavit; quas acri magnoquè Judicio ponderavit. Sermonibus *Cæcilij, & Baconi* præcipua fides, præcipua Auctoritas. Hi Consiliorum in Rep: Socij, amicitiâ ejus; Hi Judicio potissimùm floruerunt. Hi ejus nutu omnia fecerunt; & Integritatis, ac Industriæ præmijs excitati sunt. Expensis Belli malis, Paci pro tempore consulere statuit; multaquè, ut ad effectum Consiliorum perveniret, simulavit. Cum hinc à *Philippo Hispano*, Morte Conjugis, amissâ *Regni Anglici* possessione; & spreti Conjugij Injuriâ infenso; Illinc ab *Henrico Valesio Francorum Rege*, Imperium Anglorum *Maria Stuarta*, Nurui, debitum Jure contendente, premeretur. *Hispanum*, notæ Calliditatis virum, Magnitudine potentiæ Vicinis omnibus formidilosum, infringi jàm, ac debilitari cupiebat. Et rursùs *Francum*, justo dolore *Portus Iccij* nuper intercepti permota; ac insolenti Insignium jactatione, in Contumeliam *Anglicæ gentis*, aversabatur. Verum *Regina*, Fæmina utriusquè fortunæ eventis exercitata, ac singularis suprà Sexum prudentiæ, quàm à Naturâ acceptam, rerum adversarum usu auxerat; Reip: Navem, violentissimis Tempestatibus, & Fluctibus jactatam, tranquillè rexit; Salvamquè in Portu, astutis Consilijs collocavit, Virtutis, Justitiæquè inclytæ Specimen præbuit. Omnium circà Finitimorum status, Voluntates, Vires, Fædera, & Consilia exploravit. Paci, & Securitati prospiciens, non privatis Affectibus indulgens, recondita Muliebri Indignatione cogitavit. Jam indè à Principio Regni, *Hispaniam Britannico Imperio maximè metuendam*, sed propter Vim, ac Potentiam Gentis illius, *Hispanum* simulanter observavit; ne duos simul Præpotentes Reges hostes haberet; Missis Legationibus ad renovandam Amicitiam inter *Anglicam, & Austriacam Familiam*.

Elisabetha prudens consilium.

Quia verò majorem Dimicationem cum *Philippo* restare cernebat, quod haberet Propinquas, remotasquè Regiones fructuosas, quò Angli facilè excurrerent, optimum in presentiâ rata, cum *Franco* gratiam & Amicitiam redintegrare. Ei *Deprecatores* mittenti, placabilem se præstitit. Quicquid *Francorum Londini* degebat, violari vetuit; ne Exterarum gentium Odia in se concitaret; & his Legibus, in *Castello Cameracensi* transegit, *ut Portum Iccium, Vrbem, Agrosquè, intrà Octennium Anglis restitueret; aut Ingentem Vim Auri, Quingenta Scutatorum Millia, si Vrbes non cederet, bonâ fide persolueret: datis ad id Obsidibus Principum Liberis*; Inter positisque Execrationibus, si fidem datam falleret. Pace Terrâ Mariquè *Londini* promulgatâ, Voce Præconis, secretæ bonorum omnium Indignationes exaudiebantur. His Conditionibus *Regina* rerum suarum Existimationi, & Communi Civium utilitati magis consuluisse mihi videtur, quàm *Francici Regis* fidei credidisse. *Obsidum fugâ, & Francorum* Perfidia, pactis Conventis de *Caleto restituendo* fides non constitit; rupti Fæderis religionem Utilitatis ratio pensavit. Sed cum Dies præterijsset, fidem *Francorum* invisam facere, ac detestabilem omnibus

gentibus, conantur *Angli Oratores*; quod à *Cameracensis Fœderis* Conditione, atquè Pacto, fraudulenter discederent. *Anglorum* Orationem excepit *Hospitalius*, *Cancellarius*, *Iurisconsultus acutus*, *& callidus*, atquè breviter disseruit, *Caletum bello amissum*, *bello recuperatum*, *restitutionis Sponsionem*, *temporis Iniquitate*, *extortam*, *cum Reip: Salus postularet*. Reliqua disceptatio erat *de Iure*, *quo Angli repeterent Caletum*, *eodem etiam Lutetiam Parisiorum repetere posse affirmavit*. At Francorum factum à fraude, & Crimine Perjurij, Acumine mentis, & facundiâ orationis, vindicare nequicquam tentavit. In Conversione rerum, & perturbatione, *Regina* semper spectavit legitimum Dei Cultum, cum Salute Reip: coojunctum. Quare Pace foris constitutâ, aut saltem belli impetu dilato, donec vires coalescerent, Liberata Metu undiquè imminentium discriminum, à fluctibus externis, & Domesticis, nullam domi rem antiquiorem potioremquè Religione renovandâ habuit. Timuit, ne si *Religio Romana* maneret, Regni sui Novitas firmari non posset. Itaquè *Instauratam* piè sanctequè coluit; *Romanam Superstitionem* pravam, & Immodicam repudiavit; quam publico Consilio, præsidioquè Ordinum, sensim, non Vi atquè Impetu, evertit.

Instauranda religionis cura.

Quæcunque *mutatio Religionis* in Principe extitit, eadem in Populo secuta est. Repentè coactis Solennibus Comitijs, ad Religionem instaurandam, & ad Salutem Reip: procurandam, frequenti *Procerum*, Civiumque Conventu, præfari non abstinuit; Primùm, ut *Religionis*, ac veræ Pietatis; dein Reip: Salutis ratio haberetur. disseruitquè, *Pontificiam Potestatem*, & externum Jugum, Decreto Ordinum abrogandum. *Commentitios, & fictos Divos*, *falsas Opiniones*, *Superstitiones*, *penè Aniles*, *Indulgentias*, *Dispensationes*, *Peregrinationes*, *Reliquiarum Venerationes*, *Purgatorium*, *Missa Sacrificium*, *Operum Merita*, *abolenda*. Purum Dei Cultum diu intermissum, revocandum. Auditâ, inspectâque re, Auctoritate Procerum, & Multitudinis, totiusque Conventus, unanimi Consensu obtinuit; *ut Acta*, *& Decreta Maria Sororis omnia*, *de pollutis Ceremonijs*, *rescinderentur*. *Eduardi Fratris Edicta*, *ac Patris pariter rescripta salutaria*, *de Religione Instauratâ*, *rata essent*. *Missa plena Vanitatis*, *summaquè Levitatis*, *Lege Marianâ permissa*, *abrogaretur*. *Imagines*, *Delubris submoverentur*; *& Lustrationes per Aqua benedicta Aspersiones*. *Officia divina*, *Precationesquè*, *Vernaculâ linguâ*, *incorrupta Voce & Mente*, *celebrarentur*. Ubi non Casu, sed Consilio, tantum Vulnus *Romana Ecclesia* inflixit, Ceremonijs spretis, ac repudiatis: Negotium Magistratibus dedit, ut *Sacra Romana in publico*, *Sacrovè loco fieri vetarent*: *Sacrificulos, ritu Romano sacrificantes*, *Aris*, *Adytisquè prohiberent*: *coërcerentquè omni tempore*, *& loco*, *corruptam Sacrorum Disciplinam*, *quâ animi hominum à Divino Cultu avocabantur*: *Pontificios Libros conquirerent & eos omnes*, *Igne facto*, *comburerent*: *ac disjicerent Apparatus Missa*, *Statuas*, *solennesquè Ceremonias*. Sancivit, ne Pontifici Romano, ut animorum Parenti, in posterum obtemperaretur. Neque dubitavit Cætera omnia publica, privataque Sacra Pontificis, Scitis subjecta, ad suum Dominium reducere; *Primatum Ecclesiasticum* sibi vendicare; Potestate summâ in utrâque Jurisdictione, Spirituali & sæculari, *Papalem Tyrannidem* perpetuo Edicto abrogare. *Iusjurandum antiquatum Henrici primùm*; *deindè Eduardi*, ut Regem non modo in Civili profanaque Jurisdictione ac Causâ; sed & Sacrâ, ac Mystica; *Principem*, *Authoremquè* agnoscerent, revocare. *Antistites Prisci Cultus* audentes Novem, pervicaces Proceres, *Salopia Comes*, *& Monti-acuti Vicecomes*, Decreto Ordinum pervicaci & obstinato animo reluctantur; & conqueruntur, non modò Jus suum, Fortunasquè omnes, novo exemplo, incognitâ causâ amisisse; verum etiam deplorandi Juris sui, & argumentandi potestatem haud habere, non sinè labe, Ignominiâ, Infamiâque totius Conventus; Nequè Libertas, aut Contumacia, fraudi cuiquam, in Comitijs verba facienti, fuit. *Præsules, & Pontificij Sacerdotes* sedibus suis pulsi; inter Spem Metumquè, novarum rerum expectatione, suspensi, assiduè queruntur, *Romani Ritus Cultores* à veteribus & receptis Ceremonijs abduci; *Christi Vicarium* summa Potestate, Divinoque Jure spoliari; in retinendâ Religione, conservandisquè Ceremonijs Sacra prophanis nefariè commisceri; *Apostolica Sedis* dignitatem vilescere; Inexpiabiles *Hæreses* gigni, Pontificis Auctoritate contemptâ; Conanturquè alienare voluntatem Subditorum; Malas, & exitiosas animis hominum Opiniones inserere. *Regina* eorum querimonijs permota, ut Malitiæ occurreret, materiam subtraheret Furori, Schismati, & Factionibus jam exorientibus; & impendentes ex dissentione atquè discordiâ Calamitates vitaret; ac Dissidentes animos diversis de Fide Sententijs, Concordiâ, Benevolentiâ, Studioquè conjungeret; *Inter Pontificios, ac Instaurata religionis Vindices, Disceptationem publicam*, *Londini*, *de Auctoritate Ecclesia*; *de Papa Principatu*; *Romana Religionis Ceremonijs*; *& de Panis in Eucharistiâ transmutatione, indixit*. Adhibitis in Consilium lectissimis *Theologis*. In hoc Congressu Colloquioquè, per multa, vehementissimâ Contentione animorum, utrinque dicta, ex intima Theologia. Nihil actum, ob immodicas Altercationes, & implacabile Odium disceptantium. Cum *Papani* Pontificalem potestatem, Miraculo Majestatis quondam inflatam, gravi jam flagrantem Infamiâ Fastus, & Superbiæ; *Turpes, & flagitiosas Ceremonias* defendere, ratione humanâ, aut divinâ Religione non possunt; nec Vulgò conceptam *Romani Cleri Turpitudinem*, atquè Ignominiam delere, ac tollere: Obstinatis animis negant, in rebus Fidei opus esse Ratione, aut disputatione litigiosâ; & majore Indignatione, Iráque inter se certant, quàm Judicio argumentandi, dicendique Copia.

Decreto in *Protestantium gratiam* facto, Auctoritate Senatus, maximo Procerum, qui interfuêre, Consensu, & gratâ Concionis admurmuratione; *Pontificijs* improbantibus, *Decreto* standum esse, nisi majore *Conventu Præsulum*, & *Theologia Professorum*, gravioreque deliberatione perageretur; exitiosa

feimina

ſemina Civilis Diſſidij jacta ſunt. Turbidi *Priſci Cultus Præſules, Sacerdoteſquè* ſpoliati honore, Ceremonijſquè, multa *de Iniquitate Decreti* queſti; quibuſcunquè potuêre Latebris ſeſe Metu abdidêre; *Impia hæreſis Reginam incuſantes*, ſollicitanteſquè Nobilitatem, & Plebem, de Romanâ fide rectè ſentientem, ut *ab Obſequio* diſciſcerent; *Veterem Sacrorum Diſciplinam* retinerent; ac *Pontificem Romanum*; ut Jure Sacroſanctæ Poteſtatis, nominatim execraretur, quod *Novam hæreſim* induxiſſet; in *Lincolnienſem, & Vintonienſem Epiſcopos*, in Sacerdotio, Ceremonijſquè diligentiſſimos, Manus injeciſſet; Ac Jus rerum Sacrarum, æqoè ac Sæcularium, ſibi arrogaſſet. Illa nihil jam perplexe, ut antè, cum dubiæ res erant, propter *Pontificiorum* Numerum, & Auctoritatem; ſed forti ac libero animo pronuntiavit; *ut vel rectam ſalutaremquè Doctrinam, acceptiſſimam Deo, intermiſſis Papanis Ritibus, tenerent; vel excederent finibus Regni, Vrbe, & Provincijs ſuis abſtinerent*; datis ad id aliquot Menſium Inducijs. *Pontificios Proceres*, quos *Maria* provexerat Muneribus publicis, & Miniſterijs Aulicis, ſummovit; *Orthodoxos* ad Reip: curam, & Adminiſtrationem aſcivit; affirmavitquè, *Vitam ſibi priùs, quàm ardorem animi, Perſeverantiamquè ad Pontificiorum Improbitatem perſequendam, defuturam. Alij omnes Timore* ſtupidi obmutuerunt.

Ita *Romana Rrligio*, quæ per annos multos Opibus, queſtuoſâ Caligine, & fallaci Scripturarum Interpretatione floruit, in hâc Inſulâ, obſolevit. *Inſtaurata* in priſtinam dignitatem, ſplendoremquè reſtituta; Linguæ Commercio, ad finitimam Regionem *Scotiam* pervaſit; Neque Urbes tantùm, ſed Vicos etiam, atquè Agros pervagata eſt. Neminem fugit, quæ Miſeriæ conſecutæ ſunt. ibi religioſiſſima Fana, divino Jure vallata, incenſa; ſanctiſſima Sacella, Populi manibus ſuffoſſa, ſpoliataquè; revulſa Majorum Sepulchra; conculcata Simulacra; ſummâ deniquè Turpidine fædata Altaria, *quaſi Papani gentilia Sacrificia factitarint*. Nequeo verbis referre Indignitatem, & Magnitudinem Incendij ac ruinæ. Meâ quidem Sententiâ, claudenda *Papanorum* Templa, non diruenda fuerunt, publicarum operum Ornamenta. *Sacerdotes inturbidi*, quos non tàm exilij Neceſſitas, quàm Metus in Latebras compulit, non ſunt de Induſtriâ conquiſiti; & Caſu comprehenſi, prudenti Moderatione, in liberaliore Cuſtodiâ per Civitates habiti; aut Epiſcopis traditi, ut ſibi Opinionem Clementiæ, in Regni Auſpicijs, pararet; Illis facultatem Sceleris patrandi adimeret. *Nulli Supplicio affecti*, ex omni periclitantium numero, antè *Bullam Pij Quinti Pontificis*, & Papanorum Rebellionem in *Agro Eboracenſi*; Nec poſt eam, *toto Decennio*, plures quàm *Duodecem*: Iiquè, graviſſimis Offenſionibus intervenientibus, Morte affecti. Non obſuit Nomen ipſum, ſi flagitijs non contaminarentur; quia *Initio Principatus*, in Nefarijs ulciſcendis ſeveritas periculoſa; Clementiæ fama utilis; Beneficijs potiùs, quàm remedijs, *Papanorum* Ingenia experiri placuit. Sic Primordia Regni ſui fauſta, fæliciaquè fuerunt. Conſtituta religio; revocata Pax; jactum Tranquillitatis fundamentum.

Sublato igitur, qui per tot Sæcula viguerat, *Pontificis Romani Cultu, vix Veſtigio Papiſtica fecis relicto*, Religionis inſtaurandæ Compendiariam viam exiſtimavit, ſi Viri Pij, & Docti, Sacerdotijs honorarentur. Igitur purioris religionis Profeſſores integerrimos, atquè honeſtiſſimos, Vitæ Innocentiâ Doctrinâque inſignes, *Mariani Temporis* Immanitate, relegatos, & in *Germaniâ* exulantes; aut Ordine ſummotos, & in Caveis delitentes, ad Sacerdotij dignitatem, & Munera Eccleſiaſtica, de Exilio revocavit; ac unde cum Ignominiâ diſceſſerant, eo cum gloriâ, *Quinto poſt Seceſſum Anno*, redierunt; Spiritum, ſanguinem, & Terram Patriam receperunt. Domum reverſis conſervavit Vetera Privilegia, & ampliavit etiam: & Commendatione publicâ, Præſules Eccleſijs moderandis præfecit, doctrinâ & exemplo Plebi utiles. Liberales Artes, & ſacram Diſciplinam ſpectans, interrogavir, an eſſent Alij virtute ſanctimoniâ, & eruditione præſtantiores; quorum Auctoritati, fidei, prudentiæ, ſacra Myſteria, Religionemquè commendaret?

Puritanorum, vel therapeutarum (repetito ex Antiquitate nomine) libertatem immoderatam, ac Licentiam, qui ſerere in Eccleſiâ Diſcordias, ignito furore cæperunt, *de Iuriſdictione Epiſcoporum, & Auctoritate*; infimæquè plebis animos, ſuâ ſponte placatos, *turbulentis Concionibus* ſeditiosè excitare; magnâ curâ compeſcuit; multoſquè *à Temeritate, ad Moderationem*, Cohortatione ſuâ, traduxit. Propoſito Edicto, *Anabaptiſtas, & Browniſtas*, homines ad animos Imperitorum excitandos, inflammandoſquè exercitatos, qui novum genus religionis, pertinaci ſpiritu inſtituerunt, & *Browni Auctoris nomen* ſibi impoſuerunt, Exilio, fortuniſque mulctavit; Eorumquè Conventus, ac Conciliabula inpoſterum fieri vetuit. & ipſa Curis publicis impedita, Coercitionem in *Catharos*, qui Duces rerum turbandarum fuerant, *Præſulibus* Lege permiſit, ob immodicas Contumelias, *licentiam Sacrarum Concionum*, & Libellos ad Infamiam Præſulum editos. Ita Eccleſiam ornavit, confirmavitquè univerſam: & Religionis Negotium religioſis hominibus, tranquillis, moderatiſque Judicijs adminiſtrandum reliquit; ut omnem Curam, & Solicitudinem in Rep:, tuendâ, ornandâque, conſumeret. Toto hoc tempore nihil in *Papanos* acerbius conſtituit, qui Seditionibus, aut Armis Populum non turbaſſent; vel diſſeminatis, diſperſiſquè rumoribus, non læſiſſent Exiſtimationem Regiam.

Pius Quartus, Pontifex Romanus, in tàm gravi Eccleſiæ diſcrimine, tàm propinquâ *Romanæ Sedis* pernicie, acuens dentes in omnes *Proteſtantes*, ſanandis Chriſtianæ Reip: vulneribus, *Conſilium Tridentinum, pro Eccleſia Auctoritate ſuſceptum, & ſæpè intermiſſum inſtauravit, potiùs ad retinendam Magnitu-*

dinem potentiæ Ecclesiasticæ, quàm ad rationem Salutis humanæ. Quo quidem in Consilio multæ res, per Errorem, Ambitionem, & Avaritiam Pontificum immutatæ, atquè corruptæ, in Deliberationem, Controversiamquè venerunt; & gravis illa *de Auctoritate Pontificis, & Potestate in re Sacrâ, profanâque,* Quæstio agitata est. *Protestantes Principes* ad Consilium acciti, responderunt, *Se nullam Pontificis potestatem agnoscere in Consilio indicendo. Nec Illius esse, sed Imperatoris, Concilia indicere; Nec penes eum esse Arbitrium, dandi, adimendivè Regni:* & acriter in *corruptos Cleri Mores* invecti, deplorarunt, & commemorarunt *Curiæ Romanæ Fastum, Pompam, Luxum, Ambitum, Avaritiam, Sævitiam; ubi Lupi fungerentur Officijs Pastorum.* Tridentinum Consilium indictum dixerunt, *non ad stabilendam Religionem, & veram Pietatem, sed ad firmanda hominum, vel Satanæ potiùs ipsius Commenta: Non ad Vitæ ac Morum emendationem, sed ad Romanæ Sedis dignitatem, Amplitudinem, & summam Pontificis Auctoritatem tuendam. Non ad purgandum Ovile Dominicum, sed ad disseminandos, dispergendosquè inveteratos Errores.* Regina, quam Dolis *Malitiosa Roma* labefactare non potuit, *Abbatem Martinegum, Pontificis legatum, è Belgio in Britanniam trajicere prohibuit.* Ita hoc remedio non sanata, sed gravius affecta Ecclesiæ vulnera; & debilitata in dies *Pontificis Auctoritas*, ac ex Angliâ, Ordinum Regni consensu, profligata.

Pontificis Romani nuntio accessus in Angliam negatus.

Ad hunc modum rebus Sacris ordinatis, cum in Patriam & priorem dignitatem *Exules Protestantes* restituisset; proximis diebus, domi periculum sibi conflatum à Nobilitate, Romano ritu imbutâ, Iram in præsentiâ tacitam continente, prospexit. Foris bellum externum, & *Pontificis Fulmen*, præcavenda singulari Magnitudine animi existimavit; Senatum supplevit; *Protestante* elegit Claros prudentiâ, ac Moderatione, & infringere Dignitatem, ac Potentiam *Pontificiorum Senatorum* apertè & palam cœpit.

Res Civiles

Item, Ordine Ecclesiæ constituto, & singularis Muneribus commodè distributis, in hoc elaboravit, ut Remp:, Concertatione animorum, & magnâ rerum impendentium perturbatione quassatam, constitueret, Legibus, Judicijs, Edictis, Senatusconsultis; suæ Suorumquè Securitati consuleret. Quædam circà Civilem Administrationem, circà communem Civium utilitatem, ac circà omnium Ordinum statum instituit: Remp: Opibus locupletavit; Pecuniam depravatam universam, & Aeneam factam, Argenteam, ac puram effecit; Navalia, Portus, Urbes, & Limites Imperij præsidiario Milite; Propugnacula, & Arces, Tormentis æneis, Globis, Nitro, Commeatu, firmavit; *Pulverem Tormentarium* domi confici curavit; & Majora Tormenta ex Aere, ac Ferro fudit, plurima; *Ærisquè puri Venam* copiosissimam, juxtà *Kesvicum*, in Cumberlandiâ aperuit. Bervicum oppidum novâ Munitionum mole firmavit: Munimenta in Limite, *Scotiam* versùs, instauravit; & lectissimos Milites Præsidijs, ac Propugnaculis imposuit; ut Regnum Armis, atquè Virtute tuerentur: Publicam fidem, angustijs ærarij vacillantem, Rusticorum Prædiorum venditione, levavit. Patris, pariter ac Fratris debita solvi imperavit; Belli subsidia comparavit, contrà omnes externorum hostium Insidias, & Tumultus domesticos, ac externos. *Armamentarium* conquisitissimo apparatu instruxit. Copias armatas, & Commeatus lustravit; honoribus, & præmijs virtuti propositis, animos Militum excitavit; *Classem* itidem, auctam omni Nautico, & bellico instrumento ornavit; Nautis & Classiarijs stipendia auxit; *Certum Navium Numerum*, ad tutelam *Britannici freti*, Doroberniæ collocavit; à Piratis, & Prædonibus Mare liberum præstitit, & Navigantibus tutum. Artifices omnis generis, propositis invitavit; urbesquè propè vacuas, *Norvicum, Maidstonam, Colchestriam*, vario genere Opificum replevit; frequentiam antiquam Oppidis restituit; & Plebeios, ab otio & Ignaviâ, ad Agriculturam, ac Labores traduxit; ut omnem Regionem, diligenti Culturâ fructuosam redderet. Quod declarant Constitutiones, Edictaquè, quibus Aratoribus, & Agricolis cavit, ne Pascuorum fiduciâ, Cultura Agrorum cessaret. Quoties *de Iure fisci, Inditijs, & Negotijs* tractaret, solos Sapientes, & desertos adhibuit in Consilium Cogitationum suarum. Si de re Militari deliberaret, *Veteranos bellorum*, & Castrorum peritissimos acciri jussit. Publica negotia, & Privatorum maxima, Legationes, subditorum Desideria, fœderatorum preces, & Jura Commercij cum externis hominibus, pari diligentiâ tractavit. Nacta Occasionem *resecandæ Libidinis*, & coërcendæ Juventutis, *Immodicum sumptum, luxumquè Vestium*, severissimis legum vinculis coërcuit; & ad veterem Parsimoniam reduxit Juventutem, Delicijs effæminatam.

Reip: vulnera Sanata.

Conversa hinc ad ordinandum reliquas partes Reip: deliberavit, quid accidere posset in utramquè partem? Omniaquè, quæ vel ad usum reip: pertinerent, vel ad utilitatem publicam, Arbitrio Senatus constituit. Leges abrogavit, quæ aliquam rem inutilem, aut Iniquam fieri permitterent; Alias Antiquatas ex integro sanavit; & Novas condidit. Omne Reip: firmamentum, in Juris æquabilitate, & Judiciorum æquitate posuit. Ab ineunte ætate, nullam curam ad se pertinere putavit, quæ esset à communi utilitate sejuncta. Nec *Majestate Regiâ* magis, quàm his Virtutibus, *Iustitiâ, Abstinentiâ, Continentiâ*, inclaruit. *Instaurata Religionis Antistites*, & Plebeios imprimis fovit, ut Procerum Insolentiæ opponeret. Noluit tribuere potentibus, novarum rerum expectatione suspensis, quæ turpem Cupiditatem & Arrogantiam incenderent. Illustria Ingenia, ac omnes bonas Artes summo in pretio habuit. Itaquè Doctrinæ studijs claros homines, omnibus Officijs, & honoribus coluit. Plebem undiquè certatim confluentem, ut Illam venerabunda aspiceret, & promiscuis Acclamationibus omnia fausta precantem, *mutuâ Comitate salutavit*: & Mansuetudine, Clementiâ, Lenitate, æqui atquè boni Observantiâ, ac optimarum Legum Institutione, in sui Benevolentiam pertraxit. Officia

cum

cum mulris privatis exercuit, & sibi Beneficiorum gratiam reservavit. Immunitates, beneficia, Sacerdotia, Imperia, & Jura regni venalia esse, apertè non sivit. Pro cæterâ Moderatione, Amicos Propinquitate sanguinis junctos, & Affines, summâ benignitate, ac Indulgentiâ evexit. *Henricum Careum, Consobrinum, Hunsdonia Baronem creavit*; eiquè Opes, honores, Clientelas largita est. *Gulielmum Havartum, Effingamium*, pro Affinitatis Jure, proquè Meritorum gratiâ, Cubiculo præposuit. Clemenriæ suæ inditio, nullo deprecante, *Somersettensem familiam*, fortunis spoliatam, ab Interitu vindicavit, & *Eduardum Seymorum, Hertfordia Comitem creavit*; & alios Proceres, afflictos Offensione Sororis, in pristinam dignitatem restituit. Neminem *Comitiali* Auctoritate proscripsit. Nemo unquam resedisse in animo ejus Simultatis reliquias sensit, quas cum ulcisci posset, oblivisci maluit. Indè manavit statim ad omnes Spes Melioris Fortunæ. Si qua esset inter *Amplissimos Proceres dissentio*, eos ad Concordiam evocavit; hortataquè est, ut ne quas Inimicitias residere in suis familijs sinerent; neu liberos domesticis discordijs imbuerent, & cupidine Ultionis; sed intestina dissidia, ex Concertatione Majorum, resecarent; & externorum hostium ferociam, invictâ Virtute, reprimerent; de publicâ salute, unâ Mente, & Voce consentirent.

Procerum Simultatibus, hâc diligentiâ, cohibitis, pravas Consuetudines tollere aggressa est, quæ superioribus temporibus, in exitium publicum, irrepserant. Plerasquè correxit, aut abolevit. *Venditiones, in fraudem & perniciem Creditorum factas, rescidit*; Exagitavitquè omnes fraudes, atquè *fallacias Publicanorum, ac Exactorum, sive Provisorum*; quos Illa *Harpias* appellavit; quæ Rapinis Contactuquc omnia fædant immundo. *Fori quoquè, & Iudiciorum Corruptelas, ac Insidias abegit*: Judicium Stipendia auxit; atquè Viaticum, ad obeundas Provincias, & capiendas Escas, ijs concessit. Hinc Opibus, Imperio, summâque Nominis gloriâ, & celebritate floruit. redijt Cultus Agris; Civibus Securitas; Senatui Auctoritas. Porrò, quæ in summis admiramur Viris, Illi propè singula contigerunt. Rerum Civilium Prudentia, & Administrandæ reip: disciplina; Juris & æqui Cognitio; Regni procuratio; & Muneris publici, non illa, Fæminis usitata, Insolens, Arrogansquè, sed grata Civibus, Jucunda Plebi, accepta Proceribus, æqua Socijs, probata Exteris. His igitur Meritis, atquè divinis Virtutibus in suos Cives, in Patriam, in Omne genus hominum, Admirationis plùs obtinuit, quàm gloriæ: licet in Ore hominum, per Terrarum Orbem, multâ cum Laude, famâque Meritorum, memoraretur, Plebs, Parentem; Proceres, verè Principem; Exteri, Religionis Vindicem celebrarunt. Nequè domi, quenquàm Ullæ gentes Principem, æquè atquè *Elizabetham*, Proceres, *Populusquè Anglia* coluerunt. Cum in adversam Valitudinem incideret, & *Morbillis* laboraret; Proceres, humanos & incertos eventus Valetudinis metuentes, à Custodiâ Corporis oculos non dimoverunt: Sitim, & incredibilem ardorem, potione modicâ restinxerunt. Omnes Ordines, cum Agmine Civitatis, pro Salute, pro æternitate Imperij, & Incolumitate Vota prorsùs eadem nuncuparunt, quæ pro Parentibus, & Liberis suis suscipere consueverunt. Deus preces & lachrymas exaudivit, & hospitem, Incolumemquè præstitit. Lætati omnes, non ut de unius, solum, sed de Communi omnium salute. Postquàm initio Regni, *Religio* primùm, deindè *Resp*: priorum temporum Calamitatibus ægrota, ac propè desperata, tàm optatæ Tranquillitati fuerat restituta, Auctoritate, Consilio, & Prudenti Moderatione, omnes res, de Consilij sententiâ, ad rationem, æquitatemquè revocatæ; & Externi Metus *Anglia* finiti.

Maleficium hominum genus.

Proxima Cura *in Comitijs Ordinum*, de Nuptijs Reginæ, & propagandâ Sobole. *Proceres* Regni, Communi Consensu, sed falso & inani Metu, orant, & obsecrant, ne rursùs, *externis Nuptijs*, Miserum Angliæ Servitium & Religioni periculum crearet. Ad hæc *Regina* divinitùs respondit, *de Matrimonio nihil statuere velle, nisi publico Decreto Procerum. Ab Ineunte Pueritiâ, meliorem firma ætatis partem in Castitate & Continentia severissimè exegisse: & tot per Annos continuum Vita ordinem deserere nolle. Nequè nunc adeò nupturire, quin si Saluti communi expediret, in Cælebatu sit permansura, & Pudicitia Florem, ad Vita finem, perlatura.* Pleriquè Opibus Illustres, & potentes, in quibus eminebant Naturæ & Fortunæ Dotes, in Spem propè certam *Nuptiarum Regina* erecti, varijs artibus, & Expectatione, ducebantur. Nam illa in summis Opibus, atquè delicijs; in multis Naturæ lenocinijs, atquè blandimentis, in Vitæ proposito perstitit; & Conjugio Virginitatem, ac Pudicitiam, forti atquè constanti Animo prætulit. Inter tot Voluptatum Illecebras, atquè Irritamenta languentis Veneris, cum simulatæ Voluptatis specie, singulis propè Noctibus pertentaretur; Aulâ in luxum, hilaritatem, & Lasciviam, solutâ, vinci frangiquè se Aulicis Ludis, Convivijs, personatis Saltationibus, passa non est. Etenim Metus Divini Numinis, Muliebrem Intemperantiam & Libidinem resecuit. Etsi nihil in supremâ Potestate insolens, Nihil in tantâ Opum abundantiâ dissolutum, severissimis omnia Continentiæ legibus adstricta. Matura tamen Nuptijs Juventa, & eâ Tempestate Intemperantia Aulæ, materiam sermonibus præbuerunt. Verum Infamiam Impudicitiæ, Maximè illius Sæculi Mali, facillimè refutavit, totius Vitæ Continentiâ, Incredibiliquè Castitate. Innatam ingenitamquè à Naturâ Cupiditatem, Pudor compescuit. *Aulica Virgines*, ex illius Moribus, sermonibus, & Aspectu, voluptatem incredibilem cæperunt; totasquè se, ad illius Imitationem, finxerunt; undè Pudoris, Pudicitiæquè exempla petiverunt: Nobiles Adolescentes ad Familiaritatem non admiserunt, nisi aliquid fortiter, & animosè in bellicis rebus gessissent.

Deniquè in Conventu Ordinum, multa ad Statum Regni universi confirmandum decernuntur. Duce, & Auctore *Burleo*, Primùm, *sacrata Leges, pro Ecclesia Libertate, & Vtilitate* latæ, præscribentes Jus, Curamquè, & reverentiam Episcopalem. Deindè *Regia*, de Reginæ securitate, de Prædijs publicis locandis; de seditiosis adversùs Principem rumoribus coercendis; de Primitijs, & Decimis, Coronæ contribuendis. Postremò, *Politica*, de Jure Fisci, Clandestinis Coitionibus, ac Illiciris; re Nauticâ; Mercaturâ; Agriculturâ, Pannariâ; ferrariâ; de Emendi, aut Vendendi Quæstu, Lucroquè.

Principis orbitas timetur.

Cum *Comitiorum finis* instaret, Plebeij non sinè Causâ veriti, ne *Regia familia* Orbitate intercideret, *Regina* sinè Sobole interiret; ac tantæ Virtutes florentes, quantæ nulli fæminæ contigerant, exarescerent; vehementer contenderunt, Naturâ quemadmodum Nascendi, Ita gignendi Legem præscribente, ut de Nuptijs cogitaret; & Regnum à Majoribus acceptam, Liberis suis relinqueret. Id publicè Regno utile; privatim suæ familiæ gloriosum; Ipsis jucundum. *Proceres* incerti, & suspensi secretâ Spe, & cæcâ Cupidine, postulatis Plebis immiscere se noluerunt, ne quis in suam Spem id facere videretur. *Regina* amplissimis verbis Populi studium, Amorem, benevolentiam, pro Concione laudavit, & Sobolis ex Ipsâ desiderium boni consuluit; nec hâc Oratione ab Incepto moveri potuit. Plebs Spem, quam animo jam conceperat, abjicere noluit. Igitur *Thomas Gargravius*, Plebeius in Ordinum Conventu Orator, vehemens & disertus, ad *Reginam* missus, cum Auctoritate Inferioris Ordinis, petijt uti liceret ipsi quæ vellet liberè, citrà ullam ejus Offensam proferre. *Illâ annuente, & Veniâ dicendi datâ, deploravit* Interitum Generis Regij; *Natura humana Fragilitatem, Casum, atquè Orbitatem Reip: eleganterquè disseruit de Conjugij utilitate, Liberorum solatio à Naturâ dato; Orbitatis Miseriâ; Regia familia solitudine, qua ab Vnâ pendebat: dequè proximorum haredum improbâ Spe, sceleratâ Cupiditate Regni, transcendere festinantium Ordinem Natura, atatis, Iuris; Nec expectantium fortuitos, aut Natura Casus imminentes. Cohortatur* Elisabetham, *ac liberius admonet, ut dum Aetas, Pulcherrima forma invitarent, in Spem suscipienda Prolis, Maritum sociaret, Solatium Curarum, Laborum, secundarum, Adversarumquè rerum Comitem: Familiam per Sobolem firmaret. Sic enim perpetuam Felicitatem Reip:, ac Communis salutis Curam procuraret; Propinquorum spes iniquas inanes redderet; Periculum vita sua à se, Exitium à Regno propelleret. Nequè prasentis modò temporis, sed & futuri etiam Quieti, Tranquillitati, ac perpetua felicitati, animo prospiceret. Quod fieri non posset, nisi vel Ipsa, beneficio divino, in aternum, pro singulari beneficentiâ imperaret; quod Natura Mortalitati non concessit: Vel ex Iusto Matrimonio susciperet Liberos, Materna Virtutis, ac Imperij simul heredes; Munimenta Regni, & firmissima subsidia. Hoc simplex, inquit, Hoc* Commune Anglorum omnium votum: *Hæ Subditorum preces supplices, ut quàm Diutissimè te florente, & Incolumi perfruantur: Quoniam, Lege Natura, non licet optare tibi perpetuam Vitam, & Ipsis simul perpetuam felicitatem, pro tuâ singulari Benignitate. Quia ut Cæterorum hominum, ita Principum avum omne & breve, & fragile est. Itaquè petimus à Deo supplices, & futurum confidimus, pro summâ ergà nos ejus Misericordiâ, ut te ad longissimum avum perducat; & Stirpem ad ultimum Mundi finem propaget; qua, post te, quoquè Reip: prosit.* Ubi finem dicendi fecit, repentino, maximoquè Consensu ab omnibus acclamatum, *ne diutius Matrimonio publicè utili abstineret.* Ad hæc Illa respondit, *Se ab eo usquè tempore, quo privata vita sua rationem, & Cursum ejus dirigere potuerit, genus delegisse potissimùm Sollicitudine, ac Cura rerum humanarum vacuum, ut Vero Deo, Imperij sui Authori, pracipuâ sanctitate vacaret; ac Remp: ex Vtilitate omnium regeret. Proindè Continentiam Sanctè vovisse; quàm Voti sui Sponsionem, se existimare majore Religione servandam; cum Numen, cui fide obligaretur, & viris ad id prastandum dedisset, & prastantiores heredes ad succedendum, quàm qui nascerentur, legisset; incerto Liberorum Eventu. à quo vivendi Cursu, nec Potentissimorum Regum Connubia, nec Infirmitatem humanam, nec intenta Mortis pericula, deflectere potuisse. Nunc verò, cum publica Regni procuratio accesserit, Matrimoniales etiam Curas, & perpetuam sollicitudinem adjicere gravissimis Principis laboribus, summa stultitia & Dementia esse. Caterùm, inquit; cum publicè Coronam accepi,* Matrimonium cum hoc Angliæ Regno conjunxi; cujus Pignus hunc Annulum in Digito perpetuò fero. *Nec mihi Orbitatem, solitudinem familia, aut generis Interitum objicite; Deum testor, ac Posteros meminisse volo,* Vos mihi Liberorum, Vos Parentum, Vos in loco Cognatorum esse: *Nec me Vos secùs ac propriam sobolem fovere. Quod si Infirmitate animi, aut Necessitate aliquâ publicâ, à Proposito vita Cursu deflectere cogar, spondeo, me Nihil facturum, quod Reip: sit fraudi; aut Vobis probro. Postremò, satis superquè habeo ad gloriam, & Potentiam, si* Mausoleo meo *inscribatur*, jacet hîc Elizabetha, quæ Virgo regnavit, Virgo obijt *cui maximum decus visa est Pudicitia, Quamobrem Institutum Vita, quod ipsa mihi, Superis aspirantibus, dilegi, approbate; & ut bonum faustumquè sit, Deum Immortalem orate.* Hæc Perseverantia fuit Admirationi; semperquè non modò Nuptias, sed & Orationem Civium, Nuptias acrius efflagitantium, repudiavit. Etsi à Nuptijs semper abstinuerit, sivè Corporis, & Naturæ vitio, plerisquè, sed temerè, opinantibus, *Viripotentem non fuisse*; sivè Continentiæ, Castitatisquè habitu, quo Cupiditati modum fecit; sivè Metu fortunæ, ne Maritus summa adeptus, Magnitudinem Potentiæ, & gloriæ imminueret; sivè Consilio Amicorum; *tamen durare* non valuit, quin de Conditionibus Matrimonij continuò tractaret.

Saltem,

Saltem, ut Externos Principes, Spe Nuptiarum, obnoxios redderet. *Eduardus Curtanaus, Denonia Comes*, puellaribus Annis, Nuptias ejus ambivit. *Christianus tertius, Rex Daniæ, Frederico, filio suo*, in Matrimonium petijt. *Ferdinandus* etiam Imperator, alteri ex Filijs Nurum exegit. *Philippus Hispaniæ*; *Erix Sueciæ*; cui accessit æmulus *Adolphus Dux Holsatiæ*; Andinus, & *Alenconius*, Conjugium expetivêre. Ubi lubricum Reip: statum firmavit, se omnibus Exteris excusavit, Jurejurando, quo se in Regni Auspicijs obligavera• Principi Externo non nupturam. Neque deerant domi Proceres, qui falsâ Spe inducti, Vana quædam atque inania pollicerentur. *Gulielmus Pikerinus*, Equestri loco ortus, Legationibus, & Urbanitate Gallicâ insignis, ad spes, fortunâ ampliores, erectus. *Arundelius*, Claritate Natalium eâ tempestate, & vetustis Opibus, *Anglorum* longe potentissimus, sed ætate vix integrâ, *Reginæ Nuptias* ambiebat. Is ubi intellexit serò, se, utpotè Senectâ, & debilitate invalidum, Ludibrio haberi, Aulâ relictâ, reliquam ætatem in Peregrinatione peregit; sine ullo Patriæ desiderio.

Robertus Dudleus, Northumbriæ Ducis Filius, Clarus decorusquè Juvenis, Patre, & Fratre Primogenito longè felicior; quippè ipse Misericordiâ ætatis servatus, Pater ac Frater Proditionis infamiâ contaminati, & sub Mariâ Reginâ, Majestatis postulati, non multis antè Annis, *Procerum Iudicio*, pænam Capite luerant, Nuptijs Reginæ, constanti Vulgi rumore, destinabatur; cui Mos, donec Maritus eligatur, multos destinandi. Is florenti Juventâ, habitu Corporis, vultu, Incessu, Decore Oris, Oculorumquè, cum Verecundiæ gravitate; blandis Illecebris, Comi, facilique naturâ, ac per urbanâ vitæ Consuetudine; quam auxerat Aulica educatio; in *Elizabethæ* gratiam, & Familiaritatem, magis magisquè, Specie Obsequij, Industriæ, ac Vigilantiæ irrepsit; & summum, inter Amicos, Authoritatis locum, diu magis, quàm prosperè tenuit; Providentiâ Numinis, Congruentiâ Morum, fato Reip: aut Sorte nascendi. *In Superiores* Contumax, in *Pares* fallidiosus; in *Inferiores* Contumeliosus; Ingratus in *Amicos*; Infestus *Inimicis*; in *Omnibus* Deniquè intolerabilis. Auxit Famam Vulgi ipsius Ingenium, alliciendis Fæminarum animis Naturâ & Arte compositum; & tàm Molle in Gestu, Motuquè Corporis, ut Saltatio quædam nasceretur, cui nomen *Leicestrij Tripudium* impositum est. Secuta est Insolentia Fortunam. Namquè potentiâ, gratiâ, & Fortunæ Nitore præsentis, nimium elatus, & sæpè confusus Turbâ Salutantium, ac prosequentium: sua Amicis non reddidit Nomina; frequenter Aliena imposuit; Vestitum sæpè mutavit; & externo Cultu ornati gestivit; post positis summis Proceribus, Belli & Pacis Munia obivit; eorum Studia, Facultates, Copias, Voluntates, vi Ingenij, Consilijquè sui, indagare, & odorari solitus est acutissimè; Inimicis Metum afferre; Amicis Spem præmiorum ostendere; Clientes, Propinquos, & Affines suos, honoribus, aut Prælectutis ornavit. Dedit Arbitrio suo, aut pretio, & Magistratus, provincias, & Aulæ Munera: ademit quoque quibuscunque infensus fuit. *Sacerdotia* peritissimè & callidissimè venditavit; irridens *Simoniam* pigneratitiâ Pactione. Pauci in Senatorium Ordinem, aut in Procerum Numerum adsciti, nisi istius Commendatione, aut Suffragijs. Hæc hujus erat Ars, & Malitia miranda, crescente potentiâ.

Intereà *Regina*, stabilito sic *Regno*, ut convelli, nisi domesticis Insidijs, & intestinâ fraude non posset, primo quoquè tempore, *Robertum Dudleum*, nullâ insignem dote præstantioris ingenij, aut Militaris Virtutis, nullâ publicè operâ impensâ, *Dignitate Leicestriæ Comitis*, Agris Regijs, donis, & Muneribus admodùm amplis, atquè honotificis auxit, *Hipparchum, ac Magistrum Aulæ* effecit; ob Industriam, diligentiamquè, in Regni quodammodò Societatem adscivit; ut reliqui ferè *Proceres*, non Illum, sed Opes, honores, Potentiam, venerabundi aspicerent, colerent, observarent, in Servitium ruerent. *Ambrosium, ejus fratrem*, paulò antè *Vervicensem Comitem* creatum, ingenti Agri modo, & Damnatorum bonis adjudicatis, suprâ Cæteros longè locupletavit; ut paribus Consilijs Remp: capesserent. Cum Illos ornaret, facultates, ac Copias adjuvaret, & per Omnes honorum gradus, nimium festinanter proveheret, Viris displicuit Clarissimis, non solùm proceribus, multisque Aulicis, sed ipsi etiam Plebi. *Leicestrius* tantâ & tàm liberâ potestate instructus, Licentiam Arbitratu suo vivendi arripuit; omnibus in rebus callidè prædatus est; evertit Leges, Testamenta, Voluntates Defunctorum; Vicinos Patrijs fundis, Calumniâ Litium, exterminavit; Aures vocum Sono; Spectaculis *Oculos*; Odoribus Nares; Saporibus *Palatum* oblectavit; ac turpi Otio, & luxui ita indulsit, ut *Noctes* in Stupris, Adulterijs, flagitijs; *Dies* in Convivijs consumeret; exoticam sæpius imitaretur Luxuriam; Odorum Suavitatem, Unguentorum Fragantiam; Cultus Mollitiem; in Couvivijs nova quædam, & inusitata Ciborum genera commisceretur; *Margaritas Aceto liquefactas, & Succinum, haud parva Libidinis Irritamenta*; ac fragranti *Odore Musci, & Zibethi*, ita dilectaret, ut ne in Bello quidem posteà carere potuerit. Planè omnes Majorum Voluptates, si cum *Leicestriæ* novâ Intemperantiâ, & immensâ Luxuriâ conferantur, Inanes & penè pueriles videbuntur. Multi *Proceres* ad voluptates exercendas proni, & Luxum proclives, facilè in ejus Mores degenerarunt; omnemquè beatæ Vitæ rationem, in Luxuriâ immensâ constituerunt; & ab animi cultu, ad Corporis Curam, Gulam, ac Peregrinarum Vestium delicias, se totos contulerunt. Quis non videt ex profusis Sumptibus Inopiam gigni? ex Inopiâ, Audaciam? ex Audaciâ, desperationem? ex Desperationem Perniciem Reip:? Nihilquè esse magis vitandum, quàm *Apicij*, Prodigi Senis Convivia? Commessationes, & *Luculli* profusas Epulas, Cantus, Symphonias? *Arundelius, & Oxoniensis Comites, Vinsora Baro*, & Alij

Equestris

Equestris Ordinis, traxerunt Lautitiam indè, immodicos Sumptus, & omnia non Necessaria Voluptatis genera, quæ Otium comitari solent, in *sumptuosa Convivia*, *Personatas Saltationes*, *& Hastiles Ludos*, Patrimonia sua profuderunt, quæ Familiæ splendori servire debuerunt: aut fortunas suas imminuerunt, non solùm Desidiâ, & Otio Vires Corporum fregerunt; sed etiam, Voluptatum Illecebris generosos animorum Impetus debilitarunt.

Extiterunt qui crederent, consultò *Leicestrium* malo Exemplo præisse, ut Primariæ Nobilitatis animi, simul & Vires languescerent. Cæterùm Potentiam, apud *Elizabetham*, particeps & Minister Consiliorum omnium; Odium, apud Cæteros adeptus est. Quia Præmia Virtutum, Opes, Honores, Clientelas, primasquè partes Administrandæ Reip:, non tàm fide, & Religione Vitæ, quàm Ingenio, & Astutiâ consequutus, non destitit Luxu, Sævitiâ, Libidinibus, Flagitijs, Rapinis, fædare omnia. Cujus Amicitiæ fidem servavit? Cui Bono Inimicus non fuit? Ingratus in Amicos; Inimicos, loquentes liberius de Improbitate atquè Nequitiâ, Injurijs, potentiâ, perfidiâ sustulit. *Arduernum*, generosum hominem, sed inconsultum, & Temerarium Obtrectatorem, Sceleris Conjurationisquè convictum, ad supplicium produxit, multi Millibus hominum inspectantibus; & *Sacrificulum*, Authorem ac Indicem, ex mediâ Morte, suâ sponte, liberavit. Res miseranda omnibus videbatur. *Proceribus* Insidias struxit, aliorum Famam depeculans falsis Rumoribus; Aliorum Caput oppugnans Dolis; Aliorum omnem Familiam pervertens. Multa in *Præsules* impiè Nefarièque commisit. *Regina* voluntatem à *Grimdallo, Cantuariensi Præsule*, integerrimo atquè honestissimo, Calumnijs abalienavit. Fama frequentior, eum perosum prioris Uxoris Sterilitatem, præcipitasse: Nec minore Scelere, *Viduam Comitis Essexia*, fecunditate conspicuam, in Matrimonium accepisse; Nequè Illum spontè extinctum. Primarios viros sibi adversantes, inter quos *Throgmortonius*, Legatione Gallicâ clarus, numeratur, Veneno inter epulas dato, sustulisse. Ad Cupiditatem dominandi revolutum, Regnum ardentissimè appetisse: & Amplissimam *Suffolcianam familiam* penè ad Interitum redactam, callidè afflixisse. Invidiam *Regni Successoribus*, quibuscunque poterat artibus, conflavisse. Horret animus flagitiosas Libidines, Stupra, Adulteria referre, quæ *in Libello de Leicestrij Rep:* percensentur; Quem tunc nemo ferè erat in *Angliâ* quin haberet, quin legeret. *Guilielmus Camdenus*, & Literarum & Antiquitatis peritus, qui res illorum temporum Monumentis mandavit, nimis Audacem in fingendo fuisse Famam ostendit, quod in *Leicestrium* tot Crimina, Invidiamquè conflarit. Sed Mulierum Corruptelis, insatiabili Libidine, Virginum Viduarumquè adeò exarsit, ut Illa pars vitæ ejus minimè excusanda videretur. Licet in hoc homine, cum Iniquitate, Luxuria; cum Comitate, Insolentia; cum Liberalitate, adipiscendi Libido, mirandum in modum certaret; duos tamen Juvenes, in *Regina* familiaritatem, ipsius Benevolentiâ, provectos, Vitijs haud longè inferiores; *Hattonum*, Prætorijs Cohortibus Præpositum; & *Ralejum*, Ordinis Ductorem. *Hattonus* Ortu modicus, Corpore Ingens, & specie venustus; Animo superbus, & insolens; venusto Sermone, erecto Incessu, gloriâ, Ostentatione, & Simulatione Virtutis, *Regina* gratiam promeruit; ac singulari Artificio amplissimum *Pratura fastigium*, & intolerandam potentiam in Rep: sibi paravit. Quâ intemperanter abusus est, ut Inimicos circumveniret; & ipsi *Leicestrio*, cui omnia incrementa sua debuerat, vehementer infestus fuit. *Ralejus*, etiam Origine modicâ, miro Ingenio, & Acumine præditus, *Leicestrium* Patronum inprimis observabat, Assentatione, & Officiorum omnium Ostentatione. Quare hunc sibi fidissimum ferè putans, & imperata facturum, *Regina* commendavit, ut in Domesticis illius numeraretur. Verba *Leicestrij*, insignem Modestiam Verbis atquè vultu commendantis, æquis auribus accepta; Operâ igitur illius ad *Reginam* introductus, posteà sese, Artibus suis, in *Hera* gratiam insinuavit; dicta factaquè ejus, Vice legis, observans. Mox in Civium possessiones, atque fortunas, impudentissimos oculos conjecit. Et non minore Plebis Odio, ad Prætorianæ Cohortis præfecturam promotus est, propter corruptum animum, & alienis Opibus inhiantem Avaritiam. Mutatio Fortunæ fecit Insolentem. Dum se fingeret quotidiè ad exemplum Patroni sui, non potuit facere felicem; & è maximâ lætitiâ, in maximos luctus, Miseriasquè conjecit.

Non ita perspicaces sunt *boni Principes*, ut non interdùm in delectu familiarium fallantur. *Leicestrius* quoquè orbus, & uxori obnoxius, mirâ de Indole, Ingenio, humanitate *Comitis Essexij Uxoris sua Filij*, jam ingressi Juventam, prædicare solitus, viam potentiæ ejus, Suffragio suo, aperuit; ac in Palatium ad publica Negotia traduxit. Nec negavit Vir Nobilissimus, Majorum suorum exempla secutus, se *Vitrico* debere Auctoritatem, & gratiam, ad quam deindè satis longo intervallo pervenit; meliore animo, quàm fortunâ. Nam rebus fortiter gestis, in dignitate *Præfecti Equorum & Tribuni Martialis* collocatus, populariter & moderatè se gessit; Cæteros Proceres sæculi sui Justitiâ vicit, fortutudine vicit, Liberalitate vicit, omni genere Laudis vicit. Et Amicitiâ Principis maximè floruit, sed multò magis suâ Virtute, Facilitate Sermonis; Mansuetudine, in Convictu; Prudentiâ, in totâ vitæ ratione; Benignitate, in sublevandâ Miserorum Inopiâ. Quantumquè gratiâ valuit, tantum aliorum Utilitatibus inservivit. Non Crimine aliquo notatus, nisi Mulierum Corruptelis, & Juvenili Luxuriâ cecidit. Cæteræ Cupiditates ejus, ratione & modo continebantur. *Hunc* Popularitas evertit; *Illum* publicum Odium pessumdabit. *Princeps* suo ingenio maximè pia, & sinè Exceptione, laudibus cumulata, alieno Scelere, ingentium Virtutum suarum gloriam penè obruit. Ea, rebus initio administrandis, quod *Leicestrij* Industriâ Consilioquè uteretur, & ei uni se velut manciparet,

vetustâ

vetustâ Nobilitate spretâ, Iniquos æmulosquè habuit: Cæterâ Nobilitate, vel, Metu periculi, stupente; vel, Servitutis patientiâ, acquiescente. *Sussexia Comes*, vir bello egregius, & in Agro Eboracensi præfectus Regius, ei Invidiâ, ac æmulatione gratiæ, infensus, nec summo ejus Imperio obtemperavit; nec Comitantium agmine cessit; atquè etiam palàm & apertè quæstus est, hominem Novum, cui nequè Pecuniæ modus, nequè reliquarum Cupiditatum, plùs *apud Principem* gratiâ & Auctoritate, in rerum procuratiooe, Administrationequè posse, quàm omoes Imperij sui proceres. Penès eum Regni præmia, quæ Virtutibus & Meritis deberentur; penès Cæteros Nobiles, Servitij Necessitatem esse. Superbiam, Ignaviam, Luxum ejus, & dissolutos Mores non ultrà ferendos. Optimus quisquè, amore Reip:, idem occultè sentiebat; & infringi potentiam ejus cupiebat.

Cæcilius, vir & Oratione gravis, & Auctoritate, pro moderatâ prudentiâ, substitutus in locum *Pauletti*, demortui Quæstoris, primus honorem *Burlei Baronis* in familiam non minùs Illustrem intulit; & è tenebris in lucem vocavit; nihilquè quod pro *Salute Principis, ac universa Reip:* excubare debuit, torpere sibi passus est. Hic Calliditate, Ille Ingenito pectoris robore, ab omni fuco, omniquè fastu longissimè remoto, agitavêre; ut *Dudleum* spe meditati Conjugij, Consortio Regni depellerent. Ubi datum secretum, *genibus Reginæ provoluti*, suo periculo, & infamia Principis anxij; tremuêre apertè, excessisse jampridem Subditi fastigium; longèque antisse *Northumbrij*, *Patris* Spes iniquas; Matrimonium provulgatum. Majestati indecorum & perniciosum Reip: fore, nec toleraturos subditos homini impari, nefarijquè imperium. vitandas igitur Vulgi Suspiciones; & supremæ Potestatis dignitati, Amicorumquè Saluti consulendum. Haud minore Ardore Nobilitatem, potentiam, Opes Externi Conjugij, memoravêre; & Stirpem nobilem *Familia Austriaca* dignam tanto Matrimonio. Prævaluêre hæc atquè talia, ab his duobus *Consiliarijs* Deplorata, & commemorata. Eo sermone confecto, *Sussexius ad Maximilianum Cæsarem missus*, Comitatu splendidissimò Nobilium, *de Nuptijs cum Carolo Austriaco acturus*. Fraude *Leicestrij*, ardore retinendæ potentiæ, fas & nefas meditantis, frustrà susceptus labor: majorem dissidij Causam attulit; ut in Conceptu Operis indicavimus: & hic Nefarios Conatus persequi, non est operæ pretium. Ad extremum, *Leicestrius* vim fortunæ, Offensionem omnium Ordinum, & temporum vicissitudines reformidans, Militari virtute & gloriâ retinere partam gratiam cogitavit; *Procurationem Belgij poposcit*, & Cornua, Tubas, Sudorem pulverem secutus est. Igitur *Gubernator Batavorum designatus*, trajecto in *Belgium* exercitu, majore famâ, quàm emolumento, nihil ibi prosperè gessit; Luxui quàm Labori præliorum habilior. Quæsitam Pacis Artibus domi gloriam, in bello foris perdidit. Undè cum honore decessit, & *Reginæ* favore, ac profusâ Indulgentiâ, eodem (imminutâ multis partibus Auctoritate) *ignominiosus prædâ Batavorum. Spolijs sociorum, & mæstus reversus*, Culpâ suâ, & invidiâ, atquè Aemulatione Procerum, in Suspicionem incidit, & *Congressu Reginæ prohibitus*. Nunquam vim Inimicorum pertimuit; sed præcibus & lachrimis *prostratus ad pedes Reginæ*, supplice voce, Misericordiam illicuit, & pari auctoritate posteà viguit. *Expeditio Belgica nequè ipsi honori, nequè Reip: usui fuit.*

Peregrinus Villobeus, *Baro*, Juvenis genere Nobilis, manu promptus, Ardorem animi, vultu Oculisquè præferens, Expeditionis Comes, Successor electus, in bello gerendo utilior Provinciæ extitit; in quâ etsi vitavit culpam, non effugit Calumniam Populi, in Contumeliam Præfectorum proclivis. *Regina* interim multorum hominum Prudentium Consilio, Virtute, fide, statum suum munivit: qui totâ Mente, omniquè animi impetu, in Remp: incubuerunt. Non parvus Senatus decor, *Franciscus Valsingamius*; utpotè qui ab Epistolis, pro Regni Salute, pro Religionis Sanctitate, pro Principis incolumitate, summo studio, Curâ, Industriâ, sic excubuit, ut ei nihil improvisum posset accidere. *Burleus Cato temporis sui*, in Vectigalium ratione, & in tuendo ærario diligens, homines idoneos *procurationibus* Fisci præposuit: Comiter *Regina* monstravit, pecuniam publicam non esse suam, sed sibi tantum commissam, ad Populi ipsius tutelam: Igitur non *Ministrorum Avaritiâ*, & Improbitate, impendendam in res Vanas; sed in Præsidium Reip:. Nec quicquam, ex omnibus rebus humanis, esse præstantius, quàm de eâ benè merere.

Cæterum, *Maria Scotorum Regina*, Virgo insignis, Nobilitate, formâ, Juventâ, adjuta Matris Illecebris, *Francisco Delphino Francici Regis Filio* nupta: Toroquè effecit, *ut Franciscus Maritus*, *Scotorum Rex*, salutaretur. Sublatâ è Vivis *Mariâ*, *Anglorum* Reginâ, *Guisiorum* artibus impulsa, ut plurimum Splendori *Gallici Nominis* adjecisse videretur, in *Anglica gentis* Contumeliam, *Titulum*, *& Insignia Regum Angliæ*, Jure propinquæ Cognationis, velut Omen imminentis exitij, vendicavit; ea in omni Suppellectile, Aulæ Instrumento, & publicis Diplomatibus, Contumeliosè apponenda curavit. Sequè *Reginam etiam Anglorum*, fatali Vecordiâ, dictitavit: & *Anglorum Animos* mirum in modum incitavit *Tituli Anglicani* ludibrium, inter ancipitia discrimina Casuum *belli Neopolitani, ac Belgici*, inconsultâ *Francorum* Temeritate assumptum. Sed *Franci*, bello, ac domesticis Simultatibus, acceptâquè in *Scotiâ* Calamitate, stolidæ Vanitatis graves pœnas dedêre.

Nicolaus Throgmortonius, homo Impiger, Acer, & Pacis artibus clarus, sed Naturâ paulò fervidior, atquè commotior, *Anglorum*, eâ Tempestate, in *Franciâ Legatus*, vehementer *Reginæ suæ* insigni Injuriâ irritatus, in Senatu asperè & acerbè eâ de re quæstus est. Tandem multis ultrò citròque verbis, Decretum, *Memorantio* Suasore, *ut Scotorum Regina abstineret Regijs Anglorum Insignibus: Item Titulis*

Regnorum Angliæ & Hiberniæ; *Reginâ, aut Liberis ex eâ, superstitibus*. Ab hâc æmulatione, orta *Contentio inter duas Clarissimas fœminas*, fortunæ & Naturæ dotibus æquales, tristes exitus habuit. Nequè priùs finis Certaminum fuit, quàm Occasione Ultionis oblatâ, inusitato atquè inaudito Exemplo, *Mariæ Scotorum Augustæ, Indicio Capitali, exorberetur Sanguis*. *Throgmortonius*, per Operas & Scurras, omnibus Contumelijs contaminatus: Famulus ejus, contrà Jus & fas, Vi abreptus, à *Guisij Fratre*, turpiter ac flagitiosè *in Triremes* datus. *Civesquè Londinenses*, qui ibi negotiandi causâ constiterant, nullâ Injuriâ commemoratâ, nullis rebus repetitis damnis, Ignominijs, Vinculis, Verberibus mulctati, vel Injuriosius vexati. Ecquid indignius? Ecquid inhumanius proferri potest? Verum *Legatus*, Jurgio lacessitus, Vi publici Furoris non perterritus, adversùs Contumeliarum aculeos obstinatus, acerrimus *Vltor contemptæ Legationis, ac Violati Iurisgentium*, constanter Mansit in suo statu. De Probris, non tàm sibi quàm *Reginæ* suæ illatis; de Vi; de Injurijs; de Direptionibus bonorum, apud Senatum, summâ Libertate, maximoquè animo quæstus, cum *Guisij* magis Accusatoriè quàm liberè locutus, multa in eos asperius dixit. Respondit & Vehementer *Guisius*. Senatus Probri culpam in Plebis furorem avertit, & Excusationem probabilem magis, quàm Justam attulit. Ille magnâ fiduciâ animi, *Deum hominesquè testatus, Sanctissimum fœdus violatum*; *Legatorumquè Ius, divino & humano Iure vallatum*: se ex Curiâ domum proripuit: *Antonio Bourbonio Navarræ Regi, Condeo, Momorantio*, Cæterisquè, Cædes, Incendia, & alia belli facinora parantibus, faces Tædasquè admovit; & omnibus modis *Guisiorum potentiam infringere tentavit*. Tantum in Illo viro præstantissimo animi fuit, ac roboris. Nec revertente à Legatione Merces data Laboris, Integritatis, & Industriæ; pro magnis in Remp: Meritis. Quia *Burlæus* æmulus, erectum ac vividum animum, Diffidentem in Deliberationibus, & semper diversa censentem, contudit, & depressit.

Throgmortonius constanter & libere legationis munere fungitur.

Francus Matrimoniali Coronâ inflatus, jam palàm animum ad *Scotiam, opportunam Conatibus, in Angliam suscipiendis*, domandam adjecit. Igitur Exercitus discernitur. *Comes Martigius, & Labrosius*. Conchiliati Ordinis, Militiæ ductu Clari, Copijs præficiuntur. Hi, quibus rebus possent, *Opes Gallicæ Factionis* confirmant; Agris vastitatem ostentant; Adversæ factioni Excidium minantur; Violentiâ, & Crudelitate Plebem irritant; *omnem Scotorum Nobilitatem extinguendam*; *Regni Memoriam abolendam* censent. *Scoti* omnem diligentiam ad se conservandos adhibent; fines suos ab Excursionibus, & Latrocinijs tuentur: turbata hinc *Gallorum Auxilia*; cæteris *Letham, urbem munitam* fugientibus; ubi Crebra magis, quàm digna Posterorum memoriâ prælia fuêre. *Scoti Instauratores*, durante *Matrimonio Francisci Regis cum Reginâ*, Superbiâ, & Sævitiâ *Francorum* oppressi, cum se suis Opibus defendere non possent. Haud ignari, quâ Aequitate, & Continentiâ, *Anglia* tueretur Socios, per Literas, Nuntiosquè Miseriasque deplorant, ejus Præsidium implorant; & Exitij Solatium quærunt. Illa superiore *Guisiorum Contumeliâ* irritata, & *Scotorum* periculis permota; Prævidens etiam *quantum imminueret Regno suo discrimen, si Franci Scotos, ejusdem Cultores Religionis, Vi oppressos, vel fraude circumventos, in Servitutem redigerent*; Causam *Scotorum* incredibili animi fortitudine suscepit; *Francorum Societatem, semper dubiam, & incertam* abrupit. *Classem, duce Gulielmo Vintero, in Bodotriam misit*; quæ *Francorum* præsidium *Kethâ Insulâ* expulit; & Littoris Accolas in partibus tenuit. *Norfolciæ Ducem*, propter virtutem eximiam in re Militari, summæ rei, & rebus apud *Septentrionem* administrandis præfecit: *Baroni Greio*, cujus ductu res egregiè magis quàm prosperè in Galliâ gestæ, imperavit, ut quàm primum Exercitum *ad Scotiæ fines* duceret. Ipse pacato agmine *in Scotiam* Auxiliares Copias, *Sex Peditum, duo Equitum Millia*, duxit; Castraquè ad *Letham, Oppidum Maritimum*, ubi Præsidium *Francorum* erat, locavit. Quo cum in loco Castra faceret, *Martigius*, Juvenis Ardens cupiditate gloriæ, cum *Duodecim Peditum Cohortibus*, avidius quàm consultius, arcere *Anglos* Colle acclivi intendit. Sinè morâ de Loco fit prælium atrox & cruentum. *Galli* diu sustentatâ Acie, irruentibus in terga *Scotis Equitibus*, Colle dejecti, in Oppidum fugati sunt: deletiquè omnes forent, si *Angli Equites* vestigijs institissent. Nec *Galli victi*, disjectiquè quievêre. *Anglorum* Castra, Cæsis vigilibus, perrumpunt, *Tres Machinas* æneas obturant; & *Mauritium Bercleum* intercipiunt. Conversi *Anglorum Duces Croftus & Vanghanus*, Gallos improvide progressos circumvenêre, & intrà Munimenta coercuêre. Vulneratur *Arthurus Grejus, filius Baronis*, fortissimè pugnans. *Angli* infestioribus animis in *oppugnationem Lethæ* versi, instruunt Aggerem, Turres constituunt, & Tormenta admovent. In Urbe omnia instructa, & parata ad Oppugnationem arcendam. Plena propugnatoribus Mænia; fulgentes Armis virisquè Muri; Aggeri Ignem inferunt; Milites occupatos partim vulnerant, partim occidunt, crebris Nocturnis diurnisquè Eruptionibus vexant. *Angli* continuo labore omnes Difficultates superarunt. Inter hæc, Casu, pluribus simul Urbis locis, ortum Incendium, ac totâ Nocte continuatum, latè stragem dedit: eodemquè tempore *Angli*, obversis Machinis, ad restinguendum concurrentes prohibebant, nec facilè adire ad Auxiliandum patiebantur: & Fossas ingressi, Muri altitudinem metiebantur. *Franci* Certamine laboris & periculi indefessi, restincto Igne, ne quid urbs in Trepidatione detrimenti caperet, sedulò providebant. *Angli* deindè Ignem *Molis Aquarijs* inijciunt; ac à fundamentis diruunt, quæ Incendio absumi nequeunt; *Scalas* Militibus dividunt; ancipiti Terrore urbem adoriuntur. *Galli* haud impigrè defendunt. Mox *Scalæ* multis simul partibus erigi ceptæ; & alterâ Oppidi parte, *Vinterus* cum Classe expeditâ institit; sed plures subeuntium telis obruti. Cæteri repulsi à Muris, haud decoro receptu, re infectâ, rediêre. Vulgus militum acceptæ Cladis

Oppugnatio Lethæ.

culpam

culpam in *Croftum* conferebat; quod in Subsidium non venisset. Qui ex eo die, adverso Rumore erat. Hoc Successu elati Obsessi, Eruptiones ferociores faciunt: nullum tempus ab Opere intermittunt; Muros reficiunt; propugnacula addunt. Obsidentes haud peindè Damnum quàm Pudor obstupefecerat: Id ubi resciunt *Norfolcius*, *Eboracensi Provintiæ* præpositus, veritus ne hostibus cresceret animus, & segnior Miles fieret; Literis vehementer suorum Animos confirmavit; se cum omnibus suis Copijs in Castra venturum promisit; & *duo Millia Militum* subsidio misit. Atque ita novis præsidijs, omnis Memoria acceptæ Cladis deleta. Accensi animi Obsidentium, Certamine laboris, ac periculi, & recuperandi Decoris cupidine. Omnia experti Obsessi, cum res nulla succederet, extremam Famem sustentarent, & Auxilij Spem propinquam nullam haberent, Conditionem acceperunt, ut *intrà Vigesimum Diem, salvis Impedimentis, in Galliam navigarent*. Confectis his rebus, *Grajus* Exercitum abduxit. Sic *Elizabetha* Peregrinos, non modò Religionis, sed & Legum, ac Avitæ Libertatis Interitum intentantes, Deditionem facere coegit. à Cervicibus *Scotorum*, gravissimam externæ Servitutis Armis Jugum depulit; & *Scotiæ Pacem, Libertatemque* in suo statu conservavit. *Scoti è Servitute Gallicâ liberati, Fœderi, Instaurata Religionis Cultui, & Ritibus cum Anglis Communibus, subscripserunt.* Posteà *Elizabetha*, exorto Civili bello in *Franciâ*, *Condeo*, *Rohano*, *Colinio*, Instauratæ Religionis, & Libertatis Vindicibus, Auxilia primùm, *duce Vervicensi*, submisit; deindè ingentem pecuniæ, & Armorum vim; ad bellum gerendum. Quo tempore illi *Franciscapolim* (quam Angli *Novum Portum* vocitant) in Cautionem tradidêre; repertique *Franci Protestantes* magis in Timore Benigni, quàm pro Beneficijs grati: Siquidem *Novum Portum*, ubi Præsidium Anglorum erat, concinentibus Signis adorti, hostili inter se Odio dissidentes *Instauratores & Papani*, arctâ Obsidione clauserunt. *Vervicensis*, cum à *Gallis* Foris, intùs Pestilentiâ premeretur; neque effugere ullo modo posset; venit cum hostium ducibus in Colloquium; & hâc Lege transegit, *ut Impedimenta, & Exercitum educeret*.

Scoti Anglorum auxilijs à servitute Gallica liberati

Mors *Francisci Gallorum Regis*, Gallicæ Ambitionis procellam sedavit, & formidinem potentiæ discussit. *Scotorum Regina*, ornatâ Classe, magnoque Comitatu Nobilium virorum, ac Illustrium fæminarum imposito, propitio Numine, *Scotiam repetit*. Ibi mox magno cum gaudio, & totius *Britannia* admirabili incremento, *Nuptiæ cum Henrico Stuarto Darnelio, sunt celebratæ*; ex quibus *Iacobus Sextus* feliciter natus est; Columen futurus Christianæ *Reip:* & Ornamentum familiæ suæ: præsagiente Vulgo, à primo Originis die, fore quandoquè *totius Britanniæ Regem*; nec cessante Numinis Indulgentiâ, donec ad *Totius Insulæ* Imperium occupandum perduxerit.

Scotia morte Francisci à Gallorum dominatu libera.

At fœda dictu, memoriâque horrenda, in Regiâ domo, Tempestas erupit. *Mater, Maria Stuarta, nuper Francisci Regis Uxor, & Regni Scotici Illustris hæres*, in tantâ domesticâ gloriâ, volubilis Fortunæ flebile exemplum extitit: quippe *Regni Procuratione* exuta, tumultuantium Procerum Decreto iniquo; & in *Arcem, quæ est in Lacu Levino*, in perpetuum conjecta. è Custodia, Numinis providentiâ elapsa est; ad extremum prælio victa; & *Rebellium* Certamine, *Patrio Regno* exturbata, in *Angliam*, *ad Elisabetham*, propinquitate Sanguinis sibi conjunctissimam, tanquàm ad Miseriæ extremæ profugium, exul confugit; Ignata tristis Fati sui; quod horridum relatu, Memoriâque, præbet materiam. In tantis periculis *Anglam* Literis obsecravit, ut Misericordiam caperet aliquam, si non propinquæ Cognationis, at Sexus, & Fortunæ, Supplicis, Nascendi Conditionis, Regni Spoliationis fraternæ Crudelitatis. *Elisabetha* querelis de Injurijs, & subitâ Fortunæ mutatione commota, primùm apud *Scrupum*, hominem Nobilem, specie Humanitatis, divertere jussit; deindè laxiore Custodiâ detinuit; Posteà, non suâ sponte, sed Alieno Scelere, Libertatem ademit, sepsuit *Fotheringamiam*, sepsitquè custodiâ diuturnâ, servitute, & contumeliâ carceris afflixit. Postremò in discrimen Capitis adduxit, Potentiæque suæ terrorem intulit ei. Calamitates haud ignotæ, quæ miseram Captivitatem consecutæ sunt. Fortunæ Miseratio, & afflicta Regia Conditio, multos ad exigendam Vindictam impulit. *Dux Guisius*, plùs reliquis ad vindicandam *Agnata* indignam Calamitatem irritatus, tentavit; & *Papanæ Religionis Assertores*, ad Scotam Ergastulo Servitutis, Periculis, Contumelijs, liberandam, excivit. Multi, Consilio patefacto, vitâ & Bonis spoliati; Alij, Judicium veriti, profugerunt; nec minùs Vagi, quàm Scythæ, suæ Securitati tempestivè consuluerunt. Tandem subijt *Scota* indignam Majestate, Fortunâ, & Moribus suis, Judicij procellam; pro Capite, Fortunisquè, servili formâ, & regiâ Appellatione: quam præstat sempiternâ Oblivione obruere, quàm Memoriæ Posteritatis commendare. *Et ego invitus recordor*: cum aliò me avocet Propositi ratio.

Quamobrem de *Pontificiorum Turbis*, & Insidijs dicam, qui suis Fraudibus Religionis Speciem obtendunt. *Pius Quintus Pontifex Romanus*, suæ Pietatis arbitratus, Subditos in Deum, Sacramenti Testem, in Principem, in Patriam armare; eosquè à Vinculo fidelitatis solvere; *Reginam hæreticam, invidioso Diplomate, devovit: & proindè Dominatu, ac Principatu excidisse*, Reges Finitimos, & omnes *Pontificios* contrà eam excitavit. *Doctor Mortonius, Legatus à Latere*, Proditionis Occasionem in Latebris expectans, *Papanorum Borealium* Audaciam acuit; fatalem rabiem irritat; Iracundiam Spe, promissisquè, instigat ab bellum nefarium. Istâ Corruptelâ Civium. *Pontificiâ Auctoritate* approbatâ, ex eo tempore intrà breve spatium, Seditiones secutæ sunt, & domestica bella exorta. *Proceribus* sæpè, & sine causâ tumultuantibus, qui mutare in Religione cæperunt; & in Officio ergà Principem. Ita Religioni permista Seditionis Semina; neque diu res exemplo caruit. Etenim *Thomas Perceus Northumbria*,

Regina nominatim excommunicata

Pontificiorum rebelliones

thumbria, Carolus Nevillus Vestmaria, Comites, præcipuæ Nobilitatis, & conciti ingenij Juvenes, pluribus Socijs adhibitis, occultè coeunt, Simulatione Communium Negotiorum, ad Cædes, Incendia, Ruinas, Direptiones Urbium, Populationes Agrorum; & concitâ Juventute, Arma parant ad Seditionem ac Tumultum, in *Agro Eboracensi*. Tandem *Pontificis Autoritate* inducti, non Copijs freti, Arma sustulerunt, & Ovantes irruerunt in *Civitatem Dunelmensem*; ubi *dejectis Biblijs Sacris, & conculcatis; spoliatis Templis*; universis *Instauratoribus* atrocissimas Calamitates minati sunt. In eâ rerum Perturbatione, *Regina*, Consilij consentientis Auctoritate, proposuit Edictum, quo verbis vehementioribus perfidiam Rebellantium Regulorum insectabatur; fidos Subditos, ad vindicandum Scelus, ac perfidiam hortabatur. *Sussexius*, vir Labore, Vigiliâ, Periculo invictus, qui Provinciam cum summo Imperio obtinuerat, spatium confirmandi sese ijs non dedit; antequàm majores Copias compararet, omnes qui *Reginam* salvam vellent, mirâ Celeritate convocavit. Contracto Exercitu, nascentem Conjurationem, & illorum Scelus, Audaciamquè intudit; Tumultum periculosissimum, in ipso Ortu, Armis compescuit: & acerbissimi Incendij restinxit Initium. *Comites*, cum multo maximam *Pontificiorum partem* in Officio manere intelligerent; cum sibi non Multitudinem Popularium, non idoneos *Centuriones* ad bellum administrandum præstò esse viderent, Signa timidè, & trepidè retulerunt: maximè verò perturbati, ut audiverunt Nuncijs & Rumoribus, *Vervicensem, & Clintonum*, Maris præfectum, ex *Meridionali Angliæ parte* appropinquare.

Northumbrius inter Tumultum elapsus, rebus domi desperatis, trepidè in *Scotiæ Limites*, Noctu profugit; ubi Victu & Cultu humano carens, Inopem vitam, in Tugurio toleravit, cum Fugitivis, cum Facinorosis, cum *Gramis, Limitaneis Latronibus*. Et posteà ab Hospite nefariè proditus, remissusquè domum, & Supplicium, *Eboraci, Securi percussus est*: Caputquè ejus erectum, & ostentatum, in Signum nefariæ Proditionis. *Vestmarius*, Conjurandi Socius, desertus à suis, fugâ consectantes se *Sussexij Equites*, vitavit; & in *Scotiam* sibi Exilium conscivit. Ubi Merito territus, ne in Potestatem *Reginæ*, pari Scelere proderetur, in *Brabantiam* clàm se subduxit. Ubi non ætate, sed Vilitate consenuit; inter Ludibria, Superbiam, & Indignitatem *Iberorum*; Ibiquè posteà, admodùm Inops decessit, ætatis exactæ; Liberalitate Philippi, quoad vixit, sustentatus. In pari facinore, disparem Fortunam subjerunt *Reguli*. Nam, post Damnationem, Mortemquè *Northumbrij*, & veteres & recentes Opes, incolumes *Henrico Percio, ejus Fratri*, mansêre: peculiari nexu Juris, & Pupillaris Substitutione. Felix ista domus, quæ non Impunitatem adepta est; sed Exitium, Legum Auxilio, vitavit; dignitate retentâ, atquè conservatâ.

Nevillorum Familia, calamitosa, afflicta, & eversa corruit; ex quâ tot Splendidissimæ Fæminæ, Regum aliquoties uxorea, tàm multæ Nuptiales Faces Baronum, Conutum, Ducum; tot Viri Militares, per *Europam* celebrati, Originem traxêre. *Feuda*, Alia Liberalitate Regum, pro fortiter factis concessa; Alia à Majoribus relicta; Alia Dotalia, ad *Reginam, Iure Fisci*, pervenerunt.

Sussexius, post Victoriam crudelior, comprehensis Sontibus, qui Consilia cum *Comitibus* consociarant; Latronumquè More, furcâ suspensis; Ferro & Igne vastitatem ædibus intulit; bona in Fiscum redegit; & in *Fines Scotiæ* Exercitum duxit, Spe consequendi Exules; ubi vastatâ *Teniotia Regione*, Cædibus, Incendijs, Ruinis, Copias reduxit. *Regina* in duces, & Authores vehemens, omnes proscripsit; Clemens in tenuiores, qui impulsu, & Arte magis, quàm Culpâ, peccaverant, Impunitatem dedit, ac Scelera condonavit. Decrevit *Senatus*, ut ijs, qui in Communi Metu, *Salutis Reginæ* Causâ convenerant, agerentur gratiæ, & Præmia dignis darentur; Cruori Miserorum, & Supplicum parceretur.

Hic Tumultus causa fuit, cur alius renasceretur, illo pejor. *Nouvorthi in Cumbriâ*, ubi acer Juvenis *Leonardus Dacreus, Baronis Dacrei filius*, confluentibus ad Arma sibi Simillimis, non multò post, Tumultum excitavit; & in eandem flammam perditissimum quemquè conjecit. Re palàm factâ, *Baro Hunsdonius, Reginæ Consobrinus*, quem ipsa *Bervico* præfecerat, maturandum priùs censuit, ad expetendas à Latronibus scælestæ fraudis pænas, quàm corroborarentur; acri pugnâ commissâ, fudit, fugavitquè; ac *Dacreum*, Acie victum, confugere in *Scotiam*, per devios Tramites, coëgit. Hunc finem exitumquè habuit *Borealis Tumultus*. Eboracensi Provinciâ, tantâ virtute, & felicitate perdomitâ, reliquæ, Religionis obtentu, & hominum seditiosorum Vocibus concitatæ, alieno malo doctæ, sibi cavent; & in *Reginæ* fide & præsidio paulisper conquiescunt. Sopitus ubiquè Armorum furor; restituta vis Legibus, Magistratibus Auctoritas, Securitas Civibus, Sacris honos.

Hâc face extincta, mox aliam accendit *Thomas Havartus, Norfolciæ Dux*; Sui Ordinis in *Angliâ* non solùm genere, Nobilitate, & magnis Opibus princeps; sed Prudentiâ quoquè, atquè Authoritate: cui reliqua Nobilitas, & fidem ad Dignitatem; & Fortunas, ad ejus usum, pro suo Arbitratu, paratissimas habuit. Hâc Elatione animi, ac fortunæ, & favore Populi, ad rerum novandarum Spem, & *Reginæ Scotorum Matrimonium* facillimè impulsus. Patefactâ Conjuratione, priusquàm invalescerent, in Carcerem cum Conscijs facinoris conjectus est; antè Biennium ferè, quàm *Borealis Tumultus* erumperet. Posteà Libertate donatus, & insperatæ Saluti redditus, res novas moliri, *Auctore Pontifice*, de integro cæpit. *Burleus* præcipitia Consilia Nobilissimi viri, nullâ cum perturbatione rerum, prævertit; & in ipso Conatu, resurrecturi belli Civilis Incendium, Salute Patriæ restinxit.

restinxit. *Dux*, quæstione habitâ, de Conjuratione reus factus, Capite luit. *Servus ab Epistolis*, neque Amore reip: aut Principis, sed sponte Proditor, aut corruptus Præmijs, ad accusandum dominum, instruxit Accusationem multis & gravibus Domini Criminibus. Mira fuit *Elizabetha* felicitas; & Numen ipsum stetit pro Capite, fortunisquè ejus: Damnavitque *Pontificis perniciosum Consilium*, cum summo Amore Dedecore conjunctum, adversùs Summi Imperij Majestatem, Principem, Communem Salutem, Disciplinamquè veteris Ecclesiæ.

Ex hâc *Pij Quinti*, *Pontificis Officinâ* prodierunt, non solùm *Proditores*, qui in Dominam suam, Patriam, Parentesquè perfidiosè conjurarunt; sed etiam *Recusantes prefracti*, *& Contumaces*, *qui se Sacris*, *& Patrijs Ritibus subduxerunt*, Cum ergò *Regina*, fide Romanâ Fidelitatem Subditorum labefactari; misceri cum Obsequio Perfidiam; Majestatem cum Pietate lædi, cerneret; Salutarem Medicinam porrexit; & *Mulctam Viginti Librarum*, *in Singulos Menses*, *ijs indixit*, *qui Sacris Præsentiam*, *& Sibi Obedientiam præstare detrectarant*. Fugitivos *Iesuitas*, *Speculatores*, *& Exploratores Philippi*; *ac Papanæ Tyrannidis acerrimos Satellites*; *& Emissarios Romani Pontificis*, *Civium Fidem labefactantes*, *ac Facinorum omnium Authores*, Vincolis, Carceribus, atquè omni Supplicio excruciandos decrevit: gravi Edicto proposito, Si quis reciperet, celaret, occultaretvè. Hinc illi, Religionis Specie, quam Prætendere solent, in speculis steterunt, Proditionis Occasionem expectantes, ut eâ oblatâ, per Scelus interficerent. Sed Deus à Jugulo, Parricidarum gladios avertit. *Babingtonus*, *Tichburnus*, *& Complures Nobiles Iuvenes*, Commiseratione Regij Nominis, ad *Scotorum Reginam* Vi liberandam animum adjecerunt. Quâ de Causâ Publico Judicio damnati, & concursu magno frequentiquè, Supplicio affecti sunt. Nec *Conjuratorum* modò Morte piaculum expetitum; sed in Comitijs, graviore Sententiâ decretum, *ut ad Angliæ Securitatem*, *Regniquè salutem*, *pœna de Scotâ expeteretur*, *& Capitis* arcesseretur. Nec Mora Judicio, & Supplicio: acerbumquè ejus funus muturatum. Indignum facinus, inusitatum, inauditum, & luctuosum Spectaculum. *Odium Reginarum mutuum*, ab æmulatione prioris fortunæ profectum, & *Leicestria Sceleree* auctum, hunc exitum habuit. In Sanguinis Propinquitate, & Regij Nominis Amplitudine, nullum Præsidium adversùs Vetus Odium, & immanem Crudelitatem quorundam Aulicorum, à tali facinore non abhorrentium. Instabat hujus facti Metus à *Galliâ*; quia *Gusius* acrem se violatæ Agnatæ Vindicem paravit: & *Philippus*, etiam *Hispaniæ Rex*, Indignitate Supplicij inflammatus, ulcisci destinavit. Nequè facile fuit *Iacobo Regi*, eam, quæ altè insederat animo, atrocis doloris injuriæquè Memoriam, citò deponere; acerbumquè Matris desiderium, Solatijs ullis lenire. Verùm contineo ungues ab hoc Ulcere, ne Retractatione crudescat: oneroquè Invidiâ Crudele Fatum, cui Consilijs humanis obniti non licet.

Igitur *Regina Elizabetha*, temporibus coacta, propter ærarij Tenuitatem, assiduitatemquè Tumultuum, & bellorum à Nationibus exteris imminentium Metum, *Opem rei pecuniariæ*, beneficio Ordinum, dari sibi desideravit, ad sustentandam temporis difficultatem, & bellum administrandum. Non Tributorum, non Vectigalium Auctione, Inopiam Fisci supplevit; *Laici* promptissimis animis *contulerunt Annua ferè Subsidia*, & duplicarunt Quindenas. Nec minore Alacritate Ecclesiastici id præstiterunt. *Regina*, pro singulari merito Subditorum, Pietatem Plenissimam exhibuit; Quartam constituti Subsidij solutionem remisit; *cavitquè*, *ut desineret quisquè in ærarium inferre*, quod nondùm intulissent. *Et Inopes à Tributi Onere levavit*, tanquam pecuniâ abundaret; & Frugalitas sua, tot Impendijs, tot Erogationibus, tot Necessitatibus Reip: sola sufficeret.

Regno ita confirmato, ut nulla Vis externa ei nocere posset, ab infimæ Sortis *Pontificijs*, rabie Novatæ Religionis æstuantibus; & *Iesuitarum fraudibus* imbutis, discrimine, & Periculo non caruit; evasitquè ex Nefarijs Insidijs tàm hostium, quàm Civium, Ope divinâ, aut Inditio humano. Rumor increbuit, *Philippum* Regem, *Lopezium Medicum* subornasse, pecuniâque corrupisse, *ut Reginæ Venenum in Potione*, *vel in Cibo misceret*; Venenarius deprehensus, *Inditio Collibysta*, meritas pœnas luit. *Ignatiani*, *humani generis certissimæ Pestes*, *Speculatores*, *Exploratores Pontificis*, *ac ejus Sanguinarij Satellites*, hanc Crudelitatem Atrocitate consilijs superarunt. Insidiatores, Sicariosque suæ Factionis, *Hasbetum Cullimnij*, *Torkum*, *& Villiamum* summiserunt, *ut Elizabetham*, *Romanæ Superstitionis hostem*, *jugularent*. Atquè *Squierum*, ut idem facinus *Veneno patraret*. Qui deprehensâ scelestâ fraude, Majestatis Supplicio, alij alio tempore affecti sunt. Lacerati Artus, truncata membra, dissecta Cadavera, & stulta Portis affixa; ut scelerum notitia ad Posteros perveniret.

Domi inclementiores Populares, quàm foris hostes nacta est. Non multum abfuit, quin à *Parrio quodam Leguleio*, omni flagitiorum Scelerumquè Conscientiâ inquinato, occideretur: *cui Provincia intermendi demandata fuit*, *à Iesuitis*, Cupiditate hauriendi sanguinis flagrantibus; perfidiamquè Impietatem, & Feritatem docentibus. Qui persuaserunt, in rebus humanis *nihil antiquius esse*, *quàm pro Ecclesiæ Salute mortem oppeteret*: *& Immortalitatem adepturum*, *si hæresis Fautricem*, *Sanctitatisquè hostem perimeret*. Impetrato Congressu, Colloquioquè *Reginæ*, non sine animo confodiendi, si facultas daretur, Conspectum Majestatis expavit; & aggredi meditatum Facinus non sustinuit. Sed mutatâ Mente, dexteram apprehendit, ac diu deosculatus est. Is ab *Edmundo Nevillo*, cogitati Facinoris accusatus, & antè Tribunal, publico Judicio damnatus, pœnas pependit summis Cruciatibus: Corpusquè ejus dissectum, & Caput amputatum, in Urbis loco maximè conspecto, ad terrendum Consimilem aliorum Audaciam, sublimè fixum est. Inde magnus injectus est *Pontificijs* Timor, ulterius

Diri proditorū exitus.

versùs eam Conjurandi, quæ Sicarij Iram Admiratione placavit; & Spectaculo præsentiæ suæ, Oculos furiosi hominis perstrinxit; rabiem cobibuit; dextram Majestate Vultus sui obstupefecit. Hujus generis Supplicia horrenda, non potuerunt *Iesuitarum* efferatam mitigare Sævitiam; & *Pontificiorum* iratos animos continere terroribus & Minis, quin *Principi* periculum & Cædem machinarentur. Verùm, vigilarunt Oculi Numinis pro Incolumitate ejus; & nefarij *Proditorum* Conatus frustrà fuerunt, *Burlei, ac Valsingamij* Consilijs,& domesticorum Præsidijs. Plerique, cum inissent occidendi *Principem* Consilia, oppressi Auctoritate publicâ. Quod impiè facere voluerunt, Jure passi sunt.

Inter hæc, Civile bellum in *Franciâ* renatum: universam Regionem, Opibus anteà florentissimam, factionibus, Seditionibus domesticis, Direptionibus Urbium, & Novis Calamitatibus implevit; Pleraque Regni Oppida sævissimis agitavit Turbarum procellis: Populique, velut æstro percit, in mutuam perniciem ruentes, concurrerunt. *Catarina Medicea*, generis Italici, impubere Rege, Socordiâ *Regis Navarræ*, Regni Procurationem ad se traxit: & *Caroli filij, ejus Nominis Noni*, Tutelam demandatam *supremâ Henrici Regis Voluntate*, tanquàm *Regina Mater* suscepit: Fax deniquè omnium Incendiorum fuit, quibus *Galliâ* exarsit. Ad Arma, Cædes, Incendia, Ruinas, & Populationes Agrorum, *Principes Galliæ è Regio stemmate*; Instauratæ Religionis Cultores, varijs Artibus, ad belli Civilis Necessitatem adegit. Quibus *Angla* subvenit, eosque domuit, qui lacessierant. Fæcundissima Regio Incendijs vastata; ædificia diruta; Numinis fana, & Templa spoliata; revulsa Majorum Sepulchra; Proceres trucidati; Liberi in Sinu parentum jugulati; Matronæ constupratæ; nec unquam atrocioribus *Galliæ* Cladibus certatum.

Batavorum patrocinium susceptum.

Batavi, immani Albani Tyrannide, Terrore, ac Minis crudelissimè oppressi, & belli Calamitatibus, Cæde, Direptione, Proscriptione exhausti, in difficillimo rerum suarum, fortunarumquè statu; ut Ludibria, Supplicia, Superbiam, & Crudelitatem Spoliatoris, & Carnificis effugerent, *ad Clientelam Reginæ*, virtute præstantis, quasi Portum quendam in tantis Tempestatibus tutissimum, confugiunt; suas Opes & Copias in *Angliam* transferunt; Magnitudinem Calimitatis deplorant; Auxiliumquè, ex Fædere, implorant. Illa, quæ summâ benevolentiâ semper coluit Nationes, Officijs & Fædere conjunctas, Socios Prædonis avidissimi faucibus eripuit; *influentes in Belgium Iberorum Copias* repressit; *Batavorum* luctibus, periculisque subvenit. Nihil tàm Regium, tàm Liberale, tàm gloriosum existimavit, quàm Opem ferre Supplicibus; liberare periculis; & pro eorum Libertate tuendâ Arma sumere. Quare propter *Batavos*, nullâ Ipsa injuria lacessita, cum *Philippo* & Præfectis, bellum summâ Alacritate gessit; ejusquè Populi salutem & Incolumitatem, singulari animi Magnitudine, hospitio, Armis, Opibus, Auctoritate, Benevolentiâque juvit; *propter Dei gloriam, & Communem Protestantium Vtilitatem*. Ex hâc unâ re maximam laudem capere studuit, si Socios, Amicos, & Fæderatos, Virtute, æquitate, fide, Constantiâ, Injuriâ prohiberet. Itaque suscepto semel Patrocinio, in Vicinarum gentium Salutis, Quietis, & Incolumitatis procuratione, magnâ curâ versata est. Omnia pericula, omnes Labores subivit, ut Illæ Patriâ, ac Libertate fruerentur, feliciterquè viverent. Quibus de Causis, *Francorum & Iberorum Reges*, quasi Regno exacturi, bellum atrox minabantur; & Consilia novandarum rerum in *Angliâ & Hiberniâ*, clàm inter se tractabant; gravi Christianæ Reip: damno. Sed inter eos intereà, & suos Cives exitiales Contentiones inciderunt, quæ Occupatos maximis, difficillimisquè bellis, aut domesticis Tumultibus animos, à rerum externarum Cogitationibus averterunt. Protinùs Illa, Occasionem peropportunam nacta, hortando, & Militares Copias summittendo, *Galliæ & Belgii*, Seditione sævientibus, subitò faces admovit; ut hostium nefarios Conatus, domesticis Malis, Incommodis, & Calamitatibus distineret. Ita *universam Britanniam, Gallici & Batici belli Metu liberavit*: & à Cervicibus gravissimum externi hostis Jugum depulit. Coërcuit *Iberos*, Anglico Nomini crudeliter infestos, terrâ Mariquè multis Ducibus, cum Copijs cæsis.

Recrudescentibus in *Franciâ* Turbis, *Guisijs* fratribus interfectis, quos *Medicea Parens* ingratè, & impiè adversùs filium suum concitavit, *multi Proceres in Regem suum optimè de se meritum perfidiosè conjurarunt*, concitatâ per Vim Multitudine, in *mediâ Parisiorum Civitate*, audacissimè oppugnarunt; ac tandem per *Cucullatum Sicarium* nefariè trucidarunt. Angla, *Henrico Tertio*, per nefarium *Fraterculi Parricidium* sublato, deformatâ Domesticis Cladibus Franciâ, *Henricum Burbonium Quartum, Francorum Regem salutatum, in Diepam, extremam Neustriæ Vrbem*, perfidiâ suorum extrusum, ductu *Peregrini Villoubei, Baronis*, & aliarum virtutum, & belli Belgici gloriâ Illustris, imminenti exilio, Calamitatique, suis Copijs eripuit; & universam *Europam*, atque ultimas Terras, rerum à se gestarum gloriâ implevit. Nanque ea omnia, quæ Summi Duces illius Imperio gessêre, ad illius Laudem meritò referenda sunt.

Bellum Armoricum à Norrisio gestum.

Cum inter *Hispanos & Gallos* de Jure *Armoricæ Britanniæ* pertinacissima Contentio esset, obstitit; ne ex *Hispaniâ* trajicere in *Armoricam* Iberorum Copiæ possent. Cum aut Navibus, aut Ratibus conarentur accedere, *Francicas* partes, acerrimè, Operâ Consilioquè adjuvit; misitquè *Norritium*, ob eximiam Virtutem in re Militari Clarum, in *Armoricam Britanniam*, ad bellum difficile & periculosum conficiendum. Is *Anglicis Copijs* stipatus, Regionem armis peragravit; multas Urbes firmissimis Præsidijs munivit; congressusque cum Ducibus *Philippi*, variâ fortunâ, multis in locis gloriam sibi peperit. Eam Provinciam, plenam laboris, periculi, detrimenti, non solùm eripuit à *Dominatu Iberorum*, sed etiam Cæde, Incendijs, Vastitate, & maximis periculis liberavit.

Eodem

Essexii res gestæ.

Eodem Virtutis Militaris genere inclaruit *Essexius*, Clarissimus Juvenis, Ingenij, Animiquè indole, Virtute, Consilioque; qui pro amplificandâ, tuendâque Patriâ, plurimum Laboris ac Discriminis subivit; cum in *Lusitaniâ*, Adolescens adhuc, sub Norritij Auspicijs, *Antonium Regem* Exulem, Vi & Armis, reducentis in Regnum, militaret; cujus Comes Affectatorquè in eâ Expeditione Maritimâ fuit, quæ famæ januam patefecit, Sudore, & Sanguine: atque in *Franciâ*, suis prævalidum *Rotomagum*, Oppidum circumsederet; ubi unicum fratrem amisit, Clarum Specimen Indolis dedit; & vindicandæ fraternæ Mortis gratiâ, Corpus suum periculis objecit, *Franci* Virtutem & animi Magnitudinem admirati sunt. Deindè *Dux Battici Belli*, Senatu Authore decretus, & Classi præpositus, *Hispaniam* petijt; *Corunnam Galliciæ Portum Maritimum* cæpit; Vires *Iberorum* secundis Prælijs contudit; Animos fregit; Regis Potentissimi impetum, & ferocissimam gentem compressit; ac cum propriæ vitæ periculo, Patriam à summi Periculi Peste liberavit; Nobilissimas Continentis urbes, ostentato bello, terruit; Demùm *Gaditanam Insulam*, in Deditionem acceptam, direptamquè, hostili Incendio fœdavit; Virginum Pudorem, Matronarum Castitatem illibatam conservavit; vetustam Gentis gloriam, invictamquè, ad id tempus, publicam virtutem auxit; & ad summum gradum Laudis, non sinè Invidiâ, pervenit. Neque quicquam, præter gloriam, ex bello tàm difficili reportavit. Unde in Patriam reversus, *Pupillorum Custodiam* petivit, ut in eo Officio commodè posset Facultatibus prospicere, quas erogavit. Sed *Regina, quod Essexio promiserat non* præstitit; Cassi Labores, & infructuosæ fuère preces; prævalente *Roberto Cæcilio*, æmulo; & frustrà fræmente *Essexio*, Inimicum omni honore ante latum, in amplissimum locum pervenisse.

Montioius Baro, cujus divina Virtus, magnis *Hiberniæ* Cladibus subvenit, cum Socij pertimuissent, *Rebellium* vires & animi crevissent; Tumultum *Vltoniensium*, tàm longè lateque Diffusum, atque sceleratâ *Tironij* Conjuratione excitatum, brevi tempore restinxit; vexantes *Hiberniam*, Iberorum maximas Copias subegit; & ad *Rebellium Visos*, Sedesquè penetravit; ubi Tumultuantes *Reguli* partim capti, interfectiquè sunt; partim ejus Potestati se dediderunt.

Res Hiberniæ.

Deniquè *Franciscus Verus*, acer & animosus, Summis Ducibus meritò comparandus, *Belgio* præpositus, Illustres Victorias ibi adeptus, multas Regiones *Reginæ* armis peragravit; eaquè omnia quæ gessit, ejus Virtute gesta prædicavit. Cæterum, ut Regiæ Virtutis Actum exequar, *Hiberniam Insulam*, nunquàm crebrius aut perfidiosius rebellantem, alienatis multorum animis, studijs Novarum rerum, aut *Romani Pontificis Diplomate*, per Legatos compescuit: Item *Regulos* infestos, suspectosquè, ad Obsequium redegit, Consilio, Auctoritate Deniquè suâ; *Hibernos* palantes, ex Silvarum Montiumque Solitudine, ad Vicorum Celebritatem; ex Injuriâ, ad Aequitatem; ex Agresti immaniquè Victu, ad meliorem Vitæ Cultum felicissimè traduxit. Primò quidem *Vltoniam*, Scotorum *Æbudanorum* Numero, ac Multitudine, in Provinciam, Spe prædæ, redundantium, & Regulorum Discordiâ inquietam, pacavit; *Ioannis Oneli*, *Vltoniensis Reguli*, in Vicinos grassantis Tumultum, magnâ cum Laude atque gloriâ contrivit. Is à *Prorege Sidneio*, fortissimo Viro, adverso Prælio, acceptâ Calamitate, rerum suarum incertus, in *Clandebojam*, propinquam Regionem, cum ferocissimis Clientibus, ad *Maconelios, gentis Æbudanæ Regulos*, se contulit; quibus cum Veteres Inimicitiæ erant. Illic exorto Tumultu, à *duobus Maconelijs Æbudanis*, fratrum ab illo interfectorum ferocibus vindicibus, multis vulneribus, inter pocula confossus, Mortem dignissimam vitâ suâ obijt. Illam verò Ultionem hominis immanis & Barbari, omnibus Morum vitijs contaminati, Consensus omnium bonorum approbavit.

Onelio interfecto, confectoquè primo *Vltoniensium* Tumultu, ortum repentè, inter *Desmonium & Ormundum*, Claros & potentes Viros, Dissidium. *Regina Ormundij studiosior*, Desmonium potentissimum Momoniæ Regulum, Novas res tumultuosius molientem, instigante *Pontifice*, magnâ cum Clade Nobilissimæ Familiæ, coërcuit; & *Momoniam*, certantibus inter se de Principatu Regulis, magno bello, & magnis Seditionibus implicitam, ductu & Auspicijs *Baronis Gray*, explorati probatiquè Ducis, perdomuit. Is deditos *Iberos, & Italos*, qui arma contrà *Reginam* tulerant, statim crudelissimè trucidavit; jussitque rapi in Crucem *Hibernos*, sanguinolentâ Victoriâ. Id quod voluit ad exitum perduxit; *Desmoniorum Primoribus* trucidatis; Alijs abreptis in Carcerem. *Comite* interfecto, & Capite ejus *Londinum* misso, Vastitatem in Agris, Solitudinem in Vicis effecit. Tota domus *Comitis* Calamitate corruit. At *Regina*, crudelissimâ Victoriâ Potita, indoluit; & Sævitiam in Deditos *Proregis* acerbè increpuit; qui Necessitate belli, & Ardore Militum, culpam excusavit.

Grajo functo Triennio Procurationis suæ, *Ioannes Perottus*, dubijs formidolosisquè temporibus, quasi Fato, successit; ut ejus summâ diligentiâ Salus *Hiberniæ* constitueretur: *Anglisquè* traductis, ex Consilij Sententiâ, habitandi causâ, Locum in *Momoniâ* designavit; atque in *Rebellium* fructuosis Prædijs, & nitidissimis Agris collocavit. qui Largitione *Fundi Desmoniani* non contenti, Arva adjacentium *Hibernorum*, fidelissimorum Subditorum occupavère. Hi pulsi ab *Anglis*, & eorum Injurijs exagitati, apud *Proregem* suas Miserias deplorarunt, & vehementissimè Injurias persecuti sunt. *Prorex*, eorum Lachrimis ac dolore commotus, Postulata *Reginæ* edidit, seu Crimina, adversùs Terrarum Ereptores. Illa Vim, & Avaritiam *Colonorum* Edicto coërcuit; & *Proregi* denunciavit, ut Sedibus pulsis

pulsis Opem, Auxiliumquè ferret; eos vel Armis, vel Legibus, in Possessione retineret. Quâ in re eximiam navavit Operam; excidium minitans, nisi Conterminis Agris abstinerent. Proindè ab *Anglis* insimulatus, tanquàm *Hibernis* indulgentior. Verùm Magnanimus Vir, & sapiens, Conscientiâ contentus, Præsidentium Injurias repressit; *Hibernos* minando, monendoquè, Meliores teddidit, & ratione ad Officium compulit; non solùm influentes in *Vltoniam* Insulanorum Copias repressit, *Maconeliosquè* contrivit, qui lacessierant; sed totam *Vltoniam* vel Metu, vel Spe, vel Pænâ, vel Præmijs, in *Anglicam Ditionem* redigit, & Stipendiariam fecit; subactis acerrimis Regulis, & Armis Conditione positis, aut Victoriâ detractis; gravique indictâ ijs pænâ, nisi Fidem colerent, Justitiam servate discerent; *Regina*, & Legibus parere, suâ voluntate assuescerent. Hoc tempore ipse *Onelius* ad Proregis pedes prostratus se Ditioni ejus permisit, agens gratias, quod Lites solitas armis discerni, *Anglicanâ Iustitiâ*, finiret. Nunquam antè hoc tempus, ad auxilium Legum *Vltonienses Reguli* confugerunt. *Prorex* subjugatâ *Vltoniâ*, pacatâ *Conactiâ*, sublevatâ *Mediâ*, refrænavit *Anglicos* Milites; extirpavit *Hebrides*, & perpetuæ Pacis habuit rationem. *Kernices*, dispersos homines, in Agris & Tectis silvestribus; ex fetis, & immanibus Mites teddidit, ac Mansuetos; ex seditiosâ & tumultuosâ vitâ, ad meliores vivendi rationes traduxit; Legitimas Nuptias, Certos Liberos, Jus æquabile, Labores Militiæ, benè ut Armis uterentur adversùs *Æbudanos*. Hoc *Proregis* Consilium reprehenderunt Prudentiores; quia Arma pro Salute communi data, ut mox apparebit, in *Anglorum* perniciem versa sunt. Cum verò ille suæ gloriæ, susceptoquè Muneri satis fecisset, *Gulielmo Fitz-Villiamo* Successori pacatam Provinciam tradidit, vacuam minimâ Suspicione belli: & in *Angliam* trajecit, repetere Officij Præmium, & suorum Laborum fructum. Revertentem è Provinciâ, *Regina* in Senatum ascivit; adjectâ Spe splendidæ dignitatis. Vir Militaris, ignatus *Calliditatis Curialis*, inter Togatos ferocius egit; *Hattoni & Burlei*, Sententijs, in Senatu, contradixit, manifestè dissentiens, Obstinatione quâdam. Hæc Causa exitij fuit. Ecce, Tempestas subita atque improvisa? Terror injectus *Reginæ*, de ejus Actis, & *Literis ad Philippum Regem*, Offensionem apud eum excitavit. Tandem *Perottus* egregium pretium suorum Labotum, & periculorum, accepit Labem, atque Ignominiam. *Romani Sacrificuli* Testimonio, & Obtrectatione Inimicorum, ad miserabilem Carceris fortunam deductus est.

Hibernia, domitis jam Regulis, Barbariequè compressâ, *Perotti Institutis*, in Otio fuit, tenui Præsidio *Octingentorum Peditum & Trecentorum Equitum*, atque exiguâ manu Popularium. *Reguli* ita constitutas Fortunas suas habuerunt, Peculio, Pecore, Villis, Armis, ut Nemini expediret, ullum in *Hiberniâ* Tumultum commoveri. Nec fuit externus Princeps, cum quo furorem suum consociarent, si bellum in Provinciâ esset. Nam *Iberi* egeni, & Inopes, Classe pulcherrimâ amissâ, Navibusquè in Oceano absorptis, aut in Littus ejectis, in *Vltoniâ, & Conactiâ*, ex Naufragio clàm substiterant. Rumor increbuit, magnam vim Auri & Argenti Naufragos in eas Provincias comportasse: indè atrocis Seditionis procella erupit; Quia *Fitz-Villiamus* obtrivit Famam suam Avaritiæ Criminibus; & missis citeà Provincias Exactoribus, & Ministris Cupiditatum suarum, ad prædam. Bona, maximo & miserrimo Naufragio ejecta, acerbâ Inquisitione indagavit; & *Vltoniam omnem*, ac maximè longinqua, ejus Quæstione super eâ re institutâ, turbavit: ex totâ Provinciâ *Thesauros Baticos* comportari jussit. Ista res fuit calamitosa Provincialibus; *Proregi* non quæstuosa. Idcircò exatsit Iracundiâ & Stomacho. Duos ex totâ *Vltoniâ* honestissimos Equites, *Onenum Mactrolij, Tironij Socerum, & Iohannem Odobortum*, arripi, & *Dublinum* in Carcerem conijci imperavit. Eos insimulavit conjurasse; alias Familias concitasse; & *ex Hispaniâ ad Hiberniam* appulsos Milites, Nautasquè, suis Tectis & Copijs sustentasse. à quâ Suspicione, integerrimis Viris Testibus, isti longissimè aberant. Hunc, Biennio post, pretio de Carcere emisit. Illum exactâ ætate, postquàm nihil Nummorum extorquere potuit, Carceris Squalore & Sordibus, toto tempore Dominationis suæ, afflixit. Posteà Miser atquè Innocens, *Russelij Proregis* Misericordiâ, Calamitate liberatus, fessus ætate, & Carcere, Fato obijt. Communi *Hibernorum* famâ, *Prorex* nullam Prædandi Occasionem Prætermisit.

Macmahonus Philarchus mortuus est, qui aliquantò antè, *Diplomate Reginæ*, omnia *Monacha Lati fundia* sibi, & hæredibus Masculis, utenda & possidenda acceperat. *Hugo, ejus Frater*, petijt, Hæreditatem, quæ venerat à fratre, *Diplomate Regio*, & Legibus. Respondit ei *Prorex*, se in *Monachâ Provinciâ*, de Hæreditate velle cognoscere: simulatquè ingressus est, *Hugonem* in Vincula conjecit; insimulavit Capitalis Criminis; Novo, & inusitato More, *Iudicio Militum, non Iuratorum Iudicum* damnavit; Supplicio tradidit; & Patrijs possessionibus Tribules extutbavit. Rumore Populi, ipsi Auctores Injuriæ, participes Prædæ fuerunt; & magnam Hæreditatis partem occupavêre *Henricus Bagnalius Tribunus Hiberniæ, & Henslow Centurio*. Cæteri *Vltonienses*, formidine similium incommodorum, atquè exemplo percussi, obmurmurrarunt. *Reguli* sermones tantùm occultos inter se habuerunt, de *Proregis* Injurijs, Crudelitate, ac bonorum acerba, atquè indignâ Direptione.

Martialis. Erat Clarus per *Vltoniam*, *Hugo Onelius*, homo versutus, & Callidus; qui postquàm in Castris esse potuit per ætatem, Stipendia *Reginæ* meruit. In Rebellione *Desmonianâ*, diligentiam adhibuit singulatem, multumquè in eo bello Laudis adeptus est. Eum *Regina* calamitosum Adolescentulum, contrà sceletatum & impium *Ioannem Onelium*, enixè protexit; abjectum, & obscurum Tenebris in Lucem protulit; quippe *Patrem Matheum habuit, Fabri ferrarij filium*; & Tiroeniæ Comitem, pro Obsequio,

Obſequio, & Meritis, creavit. Ille hâc dignitate auctus, non ſolùm ingratus, ſed etiam amens, *Vim Regiam* complexus animo, *Vltoniæ* occupavit Principatum; *Oneli Nomen*, ingratè & impiè, aſſumſit; ſtudium Concordiæ, ac Pacis, & Obſequium in *Reginam* adhuc præ ſe ferens. *Kernices* imperitos atquè Agreſtes, perpetuis Armorum exercitijs, Inſtituto ac Diſciplinâ Militiæ Anglicæ inſtruxit. Author *Hibernis Agreſtibus* fuit, nondùm Divinæ Religioni, nondùm humanis Officijs aſſuetis, ut ſe ſervitute Anglicâ propalàm eximerent: quippè apud Rudes & Imperitos, Obſequium legitimum Servitus vocabatur. Per errorem atquè inſcitiam Juris æquabilis, ferè tota *Hibernia* Contagione furoris ſubitò exarſit. Imprimis ſuſtulerunt animos *Mac-Gnirus, & Odonelius*, concitatis Popularibus; haud ignari, Cæteros *Regulos* Seditionis Defectioniſquè participes fore; & totam *Vltoniam* arſuram bello. Acclamare procacius cæperunt, Pecora privati Populi, per ſummam injuriam, erepta; *Mac-Mahunum Tribulium Principem*, ficto Crimine circumventum; Juratos homines ſollicitatos Verbis, Spe, promiſſiſquè corruptos; *omnibus Familiarum Principibus* exitium nefariè deſtinatum; niſi Diſcrimini obviam irent. Pulſis itaquè *Pharmanachâ* Anglis, & in Fanum fugatis, in eo Tumultu *Tironius* repentè ſupervenit, percuntatus quæ Cauſa Iræ., & Crudelis Inhumanitatis foret? Reprehendit *Mac-Gnirum*, Principem Sedirionis. Mox placido Sermone exaſperatos Agreſtium animos lenivit. Hæc propalàm; Socius Furoris occultius fuit. Indè longè major belli periculoſi Moles incubuit: quæ aucta eſt *Socordiâ Proregis, & Parſimonia Burlei Quæſtoris*; tolerabiles Sumptus facere, in rem Militarem, detrectantis, cum ratio temporis poſceret, ut Impenſis Caſtrenſibus imminutis, prægrandis Pecunia corradi poſſit, ad relevandos publicos Sumptus. Hâc Parſimoniâ, & Injurijs Militum, *Vltonienſes* multò ferociores effecti, *Oneli Auctoritatem*, Imperium, Nomen, ſecuti ſunt. Nec jam de Salute ſuâ tuendâ, ſed de Pernicie hoſtibus inferendâ cogitarunt: & hoſtiliter depopulati ſunt omnes Regiones *Anglica Ditionis*, Excurſionibus, & Latrocinijs. *Prorex*, tanto Tumultu & Ardore armorum perturbatus, Præſidium Militum à Reginâ, & Ducem in bellum popoſcit. Illa, cognito Motu, periculoquè Provinciæ, ad eam belli Molem animum contulit; dimovit *Hiberniâ Fitz-Villiamum*, præliorum expertem; præfecitquè *Ruſſelium*, *Vervicenſis Amita* gratiâ, cum Exercitu ampliore: & *Momoniam Provinciam Norritio*, bono Imperatori, ad dubia Reip: tempora reſervato, confeſtim detulit: ut Munia Militiæ, communi Animo ac Voluntate, gererent. Verùm hic diſcors *Ruſſelio* in rebus adminiſtrandis, egit aliquandò violentius; Juſſis ejus parere dedignatus eſt; in totâ ratione belli, diſſenſit; æmulatione vanâ & inutili Contumaciâ exortam flammam aluit: magno *Tironij*, ex mutuis illorum Contentionibus, Commodo; at Detrimento Patriæ.

Interim *Prorex*, Provincias *Conactiam, & Lageniam*, internis Certaminibus, aut Præſidentium injurijs feſſas, reſovebat, quò mitius Imperium ſperaretur. Novis Equitum Peditumquè Copijs ſeſe firmabat; dabatquè operam, ut *Tironius* ad ſe, Fide Publicâ, veniret, dilueretquè Invidiam Criminum. Ille inter Spem Metumquè ambiguus, *Dublinum* venit, & multis Primarijs viris præſentibus, commemoravit, tanta *Regina* in ſe beneficia fuiſſe, ut magiſtratuum, *Fitz-Villiamini Proregis, & Bagnalij Tribuni*, injurias perferendas putaret; ſuâ Vertute defenſos Milites *Anglos*, à *Mac-Gniro*, in Fano, ferro & Igne obſeſſos: ac retentam *Pharmanacham* Provinciam: ſuis recte factis gratiam non reddi. cupere ſe priſtinam *Regina* benevolentiam, Criminationibus Inimicorum pænè amiſſam. à *Bagnalio* Criminibus Proditionis arguitur; & multis Suſpicionibus urgetur; præſumitur, non injuriâ, tota *Vltonia* ejus inſtinctu commota. Reus nullam nequè inficiandi rationem, nequè defendendi facultatem prætermiſit. Simul de Vulnere, quod in Femore adversùs *Mac-Gnirum* acceperat, multa dixit. Erudita Calliditas Præſidio fuit. Placuit *Proregi* leniter agere; & eâdem Fide, quâ venerat, monendo ſuadendoquè demittere. *Tironius* exactâ æſtate, quam *Angli* in Expeditionibus conſumere conſueverant, extremâ hyeme, ſuis & Regulorum Servitijs, Caſtellum munitum, *in ripâ Nigri fluminis* ſitum, occupavit; Præſidium gentibus, quæ cis Fluvium colerent: & Pontes abrupit. Quâ renuntiatâ, repentè Expeditio adyersùs eum edicitur, ad vindicandum tàm fædi exempli defectionem. *Prorex, atquè Norritius*, Legiones in *Vltoniam* duxêre, & præſidium *Armacha* collocarunt; circumquè loca Rebellibus finitima. *Tironius* perculſus Imperatoris *Norritij*, Militari famâ, magnis periculis partâ, ſuos in ſylvas ſubduxit; omiſſis Campeſtribus locis, avia Saltuum petijt, & omnes belli impetus vitavit. Repreſſo jam *Tironio*, atquè remoto, *Prorex*, Auctore Senatu, *Norritium* rebus in *Vltoniâ* adminiſtrandis reliquit, & *Dublinum* redijt. Poſtquàm illinc deceſſit, miſit *Tironius* ad *Norritium* Nuntios, Deprecatoreſquè, Fidem & Obſequium memorantes: & Miſericordiam *Regina* orantes. Is ſcripſit ad *Elizabetham*, ſe bellis per Acies inſuetum, ad Seditionum procellas rudem: non *Philippum magis metuendum, quàm hoſtem Vagum, & Furorem Regulorum*. Seditionem langueſcentem ſinè Vulnere, ſinè ſanguine, Clementiâ pacari poſſe. Dati, ob id maximè, Firmatores Pacis; qui congreſſi cum *Regulis*, eorum poſtulata, ſeu potiùs in Magiſtratus Crimina, retulerunt. At *Prorex* obliquè *Norritium* perſtrinxit; quod nihil ex memoriâ prioris Fortunæ, Inſtituto, ac More Militari gereret; ſed Colluviem illam *Vltonienſium* Agreſtium, Comitate nimiâ, & Pacis Spe, accenderet. Hinc graves inter eos Inimicitiæ exarſerunt; & non modò *Vltonienſes Reguli* ſumpſêre arma, ſed *Lagenia & Conactia* etiam, Contagione furoris, defecêre. Proindè *Prorex* abire Provinciâ ſtatuit; & à *Reginâ* poſtulavit, ut in Procuratione Regni ſibi ſuccederet Dux, bello idoneus. Tàm dubio Reip: tempore,

Norritius quoquè Ambitiosis precibus petijt, ut *Momoniæ Præfecturam* alius obtineret: aut *Frater Thomas*, magis ad belli Munia & Labores obeundos idoneus. *Hic* invitus detentus; *Ille* honorifico Responso dimissus est. *Proregis* literis recitatis, deliberatum in Senatu, quisnam huic bello præficeretur? Inter *Norritium, & Borronesium Baronem*, aliquandiu dubitatum: exin adjutore *Essexio*, ad *Borronesium* delatum Imperium est, cum supremâ potestate in re Civili, & Militari: licet *Norritius* longè eum belli gloriâ & Virtute superaret. Isquè petitâ Hiberniâ, celeri navigatione, *Dublinum* transmisit. *Norritius*, auditâ Mutatione *Proregis*, non lætatus est; ob Ferociam *Baronis*, & veteres Simultates, non invito *Essexio*, in Convivio excitatas; quas publicæ utilitati remittere decrevit. Verùm *Proregis* in ulciscendo acerbitas, ultrà Civilem Morem, progressa est: eum Congressu suo prohibuit, & in *Momoniâ*, Capitis sui periculo, colligavit. Non tulit Contumeliam tàm atrocem fortissimus Vir; qui defessus luctu, vi Doloris, miserimam vitam, in complexu *Thomæ Fratris*, Morte mutavit; magnâ mæstitiâ Vulgi, ex miserabili morte Clarissimi viri: qui maxima onera belli sustinuit, in *Belgio, Franciâ, Lusitaniâ*. *Albanum*, minitantem *Batavis*, retardavit; *Parmensem*, inflatum victorijs, continuit. Insigne humanæ Calamitatis, & Virtutis Militaris exemplum, Misericordiam sui magis quàm Laudem, Posteritati commendavit; multùm imminutâ Claritate Nominis in *Hiberniâ*.

Prorex in consultando Temerarius, in exequendo Acer & fortis, validâ manu *Vltoniam* ingressus, *Armacham* venit. *Tironius*, cum magnâ Popularium multitudine, in loco angusto Silvis clauso, & transversis Arborum sarmentis munito, consedit; Iter ejus remoraturus; inconditam Turbam proximis Sylvis texit, ut *Anglos* Sylvam ingressos, à Tergo, à Latere, circumvenirent. *Prorex* equo collustrans locum, Consilia, Actusquè Proditoris, suos in unum conductos, ad hostem duxit: repentè Signo dato, expeditas Cohortes proturbare *Rebelles* jussit. Illæ magno impetu irrupêre. Ipse majoribus Copijs subsecutus, sicubi restiterant, statim pepulit. Eâdem Virtute, Consilioquè, pari ferociâ, ad *Nigrum Fluvium*, qui Tiroeniam Provinciam præterfluit, pervenit. Ibi Munimentum fraude, & Scelere *Tironij* interceptum, expugnavit; & Cohortem Militum Præsidio imposuit. Hæc Victoria *Rebelles* dolore & irâ affecit; ac pertinaciam fregit. Igitur dubijs rebus, Ultionem ausi, per Ferociam prorumpunt; Aciem Anglicam, re benè gestâ Numini supplicantem, repentè incursant; ubi resistere & propulsari *Angli* cæperunt, mirâ velocitate corporum, in Latebras sese receperunt. In hoc Congressu, *Franciscus Vaghamus*, cujus Sororem *Prorex* in Matrimonio habuit; *Robertus Turnerus*, Præfectus Militum; & duo *Kildarij* Comitis, Fortissimi viri, Clientes, firmioribus animis obvij *Rebellibus*, cecidêre. *Prorex* ludificatus incertis prælijs, æstate jam adultâ, reduxit *Dublinum* Exercitum; veritus ne Inopiâ rei Frumentariæ conficeretur.

Discessu *Anglorum*, vacui externo Metu Reguli, ne Socij Furoris diffiderent, Munitioni, in Ripâ *Nigri Fluminis*, capiendæ animos adjecerunt, quam *Villiamus Centurio*, à Prorege, ut defenderet, acceperat; seque Forti ac præstanti animo defendebat. Hâc Obsidione cognitâ, *Prorex* rursùs in *Vltoniam* exercitum duxit. Ad ejus adventum, *Reguli*, relictâ Oppugnatione, ut quisquè potuit, fugâ captâ se eripere sunt conati; sequè in tutum receperunt. Non Animus, non Spes. *Prorex* contrà eo promptior, hostes congredi non ausos persequitur, minutis & quotidianis Velitationibus; sine ullo Detrimento commissi sibi Exercitus, eorum Incursiones inhibet; cavet, ne Perfidi Proditoris Insidijs circumveniretur; Aditum sibi ad *Tiroeniam, Provinciam ejus* oppugnandam, patefacit, ut bellum conficeret. In hoc tanto Motu, Cogitationeque belli, *Prorex* insanabili Morbo correptus, lecticâ *Armacham* delatus, indè *Neuriam*, & post dies paucos, in æstivis Castris extinctus est; ingenti luctu Militum, & lætitiâ *Rebellium*. Haud ignarus ad Ministeria belli, si Temeritas abfuisset.

Prorex Fortuitâ Morte absumptus, ut *Regulos* ad spem Victoriæ, ejectis Anglis; ita *Reginam*, ad coercendum erexit. *Tironius* gravia & sæva damna Præsidijs cis *Nigrum fluvium* intulit; Munimentumquè quod est in fluminis ripâ, rursùs obsedit, Ferro fameque. *Bagnalius, Hiberniæ Tribunus*, magnis Copijs Peditum Equitumque, ad liberandam Obsidionem, profectus ad *Nigrum fluvium*, Agmini *Rebellium* occurrit. Non aliàs tantâ Mole concursum. *Tironius* cupidine Vindictæ accensus, feroci Impetu, Tribunum in primâ Acie Prælium fortiter cientem interfecit; protinùs obtruncatum Armis exuit, Caput abscidit; idquè fixum gestari jussit in Pilo. *Angli*, postquam cecidisse talem virum animadverterant, metu & formidine terga verterunt. Tum multa Veteranorum Signa intercepit; & promiscuas Cadaverum Strues, Avium, Ferarumquè laniatibus objecit; cujus tæterrimâ Crudelitate, Scythica Barbaries superata est.

Auditâ morte *Proregis*, maximisquè publicis & privatis *Hiberniæ* Calamitatibus, cæptum est in Senatu agi, de alio in ejus locum eligendo. Electusquè *Essexius Successor*, cum magno studio Senatus; ut *Motum Vltoniensem* componeret; superiorum ducum Certaminibus, *Norritij* Morte, & *Proregis*, Tribuni Cæde, auctum. In eo prælio, de quo paulò antè memoravi, Inimici laudant animi Magnitudinem, Industriam in Cælum tollunt; nec alium reperiri posse affirmant, magis idoneum Imperatorem, qui majore cum Prudentiâ, diligentiâ, & Fortitudine, bellum tàm latè diffusum conficeret, & reportare Lauream posset. Ita Inimicorum Perfidiâ, dissuadentibus amicis, ablegatur per Invidiam; ut locus novis rebus patefieret. Ille anxius, *dirum Patris Omen, in Hiberniam proficiscentis*, quemadmodùm timuit, ita vitare non potuit Exitium suum: & hanc Expeditionem Alijs propter

difficultatem,

difficultatem, & tot fortium virorum exitus, vitantibus, victus consensu omnium, & tàm *honorifico, Senatus Testimonio*, suscepit invitus. Gratiæ ingentes à *Reginâ* digredienti actæ sunt; quod Remp: cunctis Affectibus chariorem habuisset. *Hic Vltimus dies serenus Essexiæ Comiti illuxit.* Haud cunctatus est ultrà. Primoquè Vere transvectus, magno Agmine Amicorum, Clientumquè. Contractis Copijs, & Auxilijs, omni animi Contentione, ad revocandam Militiæ disciplinam connisus. Protinùs *Australem Plagam, & Lageniam* in statum suum redigit; *Regulos, & Rebellium Colluviem* in Deditionem accepit. *Regina* crebris epistolis monuit, ut *Radicem Rebellionis* exscinderet; relinqueret *Momoniam, & Lageniam*; Tribunorum Ultioni recordaretur; Calamitatum *Vltoniensium*; & Temporum Reip: Transgressus deinde in *Vltoniam*, eam redigere in potestatem animo intendit; ultionem, Vindictamquè Læsæ Majestatis, Populationum, & Eruptionum, exigere non dubitavit. *Southamptoniæ Comitem*, Illustrem Juvenem, Affinitate sibi junctum, Equestribus Turmis præfecit: cum expeditis Cohortibus, & parte Equirum præmisit; qui magna, *Vltoniensi Bello*, experimenta Virtutis dedit. Ipse majoribus Copijs *Vltoniam* irrupit; huc atque illuc, Se Exercitumquè deflexit; & multa Trophæa peperit, ex Proditore pavente, & subindè locum mutante: cujus faciem videre nou contigerat, donec, fide datâ, elicuit ad Colloquendi Officium, æquato utriusquè Partis Numero: & petenti Pacem precibus & simulatis lachrimis, Clementiam obtulit, si Supplex deprecaretur. *Tyronius* tanti Nominis famâ territus, adfuit subdolâ Modestiâ, plano in Campo, ad ripam fluminis; prosequentibus Socijs *Regulis*, omnem honorem *Comiti*, ut Superiori, habuit; præferens studium Pacis, & Concordiæ. Disseruit, Neminem alium *Anglum* esse, cujus se Fidei comitteret, quàm *Essexiæ Comitem*: commemoravitquè Avaritiam, Sævitiam, Superbiamquè *Proregum*, & omnis generis Injurias in se, atque Populares. Ad eum quoquè confugere Supplices, & *Reginæ* Misericordiam, quàm Vim, experiri malle. Postero die, *pactis Inducijs, & Deditionis Conditionibus*, Jurejurando obstrictus, in Avia Saltuum discessit, ut omnia ex proprio usu ageret. Undè nemo dubitavit, quid Virtute perfecturus esset *Essexius*, qui tantum Auctoritate perfecit.

Intereà ortum inter *Robertum Cecilium, & Essexium* gravius Jurgium; quod de hinc ad Simultatem, usquè acerbissimum Odium, & Civile Dissidium processit; altius mihi ab Initio repetendum, ut intelligi possit, quàm fallaces sint res humanæ. *Gulielmus Cecilius, Stamfordiæ natus*, institutusquè *Cantabrigiæ, in Collegio Sancti Ioannis*, Posteris exemplo fuit ad imitandum, Ingenio, Usu, atque Exercitatione rerum. Is usquè ad supremum Diem beatus & felix, inter præcipua ævi sui Ornamenta numerandus est. Cui in Amicitiâ Principum *Edwardi, & Elizabethæ*, æquabili gratiâ florere, obire Secretarij Officium, Pupillorum Custodiam, & diutissimè Quæsturam gerere, contigerat; multoquè labore maximas Opes sibi, cum Amplitudine Nominis, & gloriæ, comparare. In hâc Felicitate medium robur ætatis excessit. posteà in *Podagræ Morbum* incidit; qui ita conflictatus est, ut parte eâ corporis, quasi præ-mortuâ, diu vixerit; Equo aut Lecticâ assiduè vectus. Tandem imbecillus, & Senior, de familiâ ordinandâ cogitavit: & è Liberis duobus Masculis, *Major*, Corporis dotibus præstantiori, Prædia pulchra, fructuosa, bellè ædificata, & æmæna tradidit; *Minori*, præter Opes amplissimas, & amænissimas Villas, etiam Regni Procurationem, & Officiorum propè omnium, destinavit. Nam cum fortè de egregijs Juvenibus apud *Reginam* mentio incidisset, voce suâ ad sydera usquè evexit Operam, Industriam, Solertiam filij. In *Breviario* totius Imperij instituti, quod Illi plurimùm Auctoritatis adstruxit, frustratus est aliquamdiu *Essexius* Senis Voluntatem, Jocosis dictis: ne ullus honor communicari *Roberto* posset, habitu Corporis *Gibboso*, paruoquè. Sed cunctis Consilijs, & acerbis Facetijs, felicitatem Fato destinatam, diu impedire non potuit. Quippè *Robertus Cecilius*, suffragante *Raleio*, antè legitimam ætatem, in Senatum adscitus, *Epistolarum Officium*, obtinuit. Munere hoc minimè contentus, quo nullum eâ tempestate Illustrius, *debitum promissumquè Essexio Orphanotrophium* intercepit, ad seque transtulit; & acrem Factæ Contumeliæ memoriam retinuit, in tempore ulturus. Inter hæc, *Burlæus Præfectus ærarij*, plenus Annis, plenus Opibus, plenus honoribus, alienissimo Reip: tempore extinctus, magnum desiderium Auctoritatis, & Prudentiæ suæ posteris reliquit. *Buchurstius Baro, et in Quæsturâ successit*; quo Neminem ætas illa Graviorem, Prudentiorem, Subtiliorem deniquè tulit; nec magis Idoneum, qui *Burlei* vicem posset supplere in Ærario, Fisco, & Vectigalium curâ. *Robertus Cecilius*, Defuncto Patre, res cunctas, ex Libidine suâ, solus administravit; nequè quemquam animo parem tulit, in publicis Muneribus. Plura Onera subire non dubitavit, Domi apud *Principem*; foris, apud *Exteros*; & cum magno Reip: discrimine, graves Offensiones excitavit. Patris, providentissimi Viri, incrementa, publicis Votis expetenda fuerunt; Filij damnata: quod Decus, & partam Imperij potentiam, in familiâ suâ retinere vehementissimè cupiens, Odium occultum, tacitis Discordijs, in apertas Inimicitias converterit: & *Essexium* absentem, in ordinandis *Hiberniæ* rebus, *Simulatione Securitatis Regiæ*, varijs Calumnijs pervertere aggressus sit. Cui usquè adeò secretis sermonibus obtrectavit, ut in re Militari præclara facinora ejus elevaret, & Expeditiones, ceu Publicè damnosas, increparet, immanibus Jacturis, infinitisque Sumptibus. Tandem Solertiâ, & Calliditate perfecit, ut *primum gratiæ locum apud Principem*, intempestivis blanditijs mutabilem, obtineret. Nequè cessavit Insidias, clandestinis Susurris, & Muliebri fraude, struere æmulo. Sæpè etiam carpere, quasi desciscere, *Hiberniaquè Regnum* sibi vindicare, cogitaret. *Iratam Reginam Essexio* fuisse non erat nescius, propter amorem *Bragesiæ Puellæ*; & recedisse in animo Offensionis,

Offensionis reliquias. Amorem illius non solùm sciri, verùm etiam commemorari sæpè volebat; accusante *Valsinghamio*, propensiore in *Cecilij* animicitiam; Cæteris Illustribus fœminis, *Comitu* Salutem, Fortunasquè defendentibus, & Excusatione ætatis utentibus. Dum *Essexius*, res benè & feliciter gerit, tentatquè æquis Conditionibus *Vltoniensem Tumultum* componere; & *Tironium*, hostem vagum, Pace obstringere, ab Amicis, quibus curæ erat, cognoscit, Criminationibus Inimicorum *Reginam* penitùs alienari; *Pupillorum Custodiam Cecilio destinari*, vacuam tunc Morte Patris Quæstoris; Se æmuli Obtrectantis varijs Calumnijs, ut Officio parùm functum, peti; præclarà facinora elevari; Expeditiones, ceu publicè exitiosas, increpari; Pactiones cum *Proditore & Transfugâ* initas, publico Dedecore *Reginæ*, invidiosè argui; Inimicos in amplissimum locum pervenisse. His rebus perturbatus, & anxius animo, paucis Amicorum adhibitis, quid sit agendum deliberat: Differitquè, si pergeret *Rebelles* bello persequi, nullam Meriti gratiam fore; sin rediret, Offensionem *Reginæ* haud ambiguam, & Civile dissidium metuendum. His rebus *Cecilio* nuntiatis, movebatur animo, & de Salute suâ extimescebat; in quâ etiam *Reginæ* inclusam esse, pertinaci Simulatione volebat. Maximas, & privatas, & publicas Calamitates impendere ostentabat, si *Angliam* armatus repeteret; has perverti non posse, nisi *Regina*, & Senatus consentienti Auctoritate, arma opponantur, si quid hostile ingrueret. *Regina Dilectum haberi totâ Angliâ imperavit, per Speciem Tumultus Batici*, cum ne Suspicio belli foret. Omnes parent *Auctoritati Regiæ*; summo cum studio Nomina dant; in Urbe Equites Pedites què vagantur; in vicinis Campis Castra locantur; *Anglia tota* Legionibus, ad *Tutelam Reginæ* conscriptis, strepit. *Essexius*, cum Nuntijs & Rumoribus audisset, consentienti voluntate Arma sumpta, *Notingamio*, *Maris Præfecto*, Tribunis, Centurionibus, Præfectis Remp: defendendam datam; quid sit agendum Iterum consultat. Promptissimis, atque etiam supplicitèr instantibus Tribunis, Præfectis, & Centurionibus, ut in Urbem properaret, petendæ ultionis causâ; & in *Angliam* trajecturus, secùm pariter omnes deduceret; Cupidinem Vindictæ superavit Charitas Patriæ: & repudiatis malis Suasoribus, nullo se Civili Bello implicari passus est. Tum domum spectans, & redire cupiens, Curam Reip: *Præsuli Dublinensi, & Careo, Castrensi Quæstori* tradidit. Ormundiæ Comiti Exercitum, eâdem fide, quâ recepit, permisit, cum Legati Auctoritate. Quâ in Legatione, fortitudinem adversus *Rebelles*, fidem in *Anglos* probavit. Exercitum, Provinciam, Bellum, injussu Reginæ relinquit; prudens, & sciens ad Interitum ruit. Clàm Onerariâ Navi *Angliam* repetit, tanquàm rationem redditurus, & Obsequio veniam paraturus. Celeri Navigatione *Cestrium* devectus, in Aulam indè privato comitatu contendit, ut rumorem de se Temeritatem argueret; haud ignarus quibus Criminationibus peteretur, & ad quàm infestam sibi *Principem* reverteretur. Protinùs, Amicorum operâ, intromissus ad *Reginam* inopinantem, & nescientem; genibusquè ejus advolutus, purgandi sui causâ, plùs in precibus temporis, quàm in defensione consumpsit; non tàm Causæ fidens, quàm *Regiæ humanitati*. Illa, exulcerato jam animo, exorari non potuit; jacentem ad pedes, Supplicum More, verbis vehementioribus increpuit; Congressu prohibuit; in domum *Egertony Pratoris* seposuit; & ad Senatum Causæ Cognitionem remisit. Ille ubi commotam esse sensit, erectus Meritorum fiduciâ, multa de Miserando casu suo questus est; & Calumnijs Inimicorum, Mox ventum ad extremum est: & infelici *Comiti* acerbum funus paratur; ac, cognitâ Causâ, in Carcere necatur; quod horresco iterùm referre. In hâc rerum perturbatione, & luctu Civitatis, *Cecilius* multiplici flagravit Invidiâ, & Odio publico, non sine insectatione vitæ, Morumquè ejus. Proindè *sparsi in Curiâ, sinè Authore, Libelli Infames*, non illepidi; & corpore, & animo portentosum appellantes. *Voudhousius* Juvenis, acerbissimi Libelli Author suspectus, pœnas Laqueo pependit. *Regina* coercuit Auctoritate publicâ *Libellos* Contumeliâ refertos, & *Carmina* probrosè disseminata, dispersaquè, atroci Edicto: promisitque daturam se *Mille Libras* Authores detegentibus. Eodem Edicto Industria, fides, Innocentia *Cecily*, plenissimo Testimonio, comprobata atquè laudata est. Pro quâ Charitate Principis, conveniturad eum mirâ celebritate omnis generis hominum; multi Proceres, & Primores Equitum frequentant, comitantur, assentantur, admirantur. Ut demererent, *Illum Coloribus, Illum Cerâ effingunt*; & insolitâ Indulgentiâ, ejus *Imagines Pictorum Officinis prostant; Effigies, habitu Sedentis, ac Palliati, per Vicos, per fora ostentantur*. Nec ideò Illustrior fuit. Sed me *inter Essexium & Cecilium certamen* longius tulit.

Redeo nunc ad *Tironium*, labem atque Perniciem *Hiberniæ*: qui, post *Essexij ex Hiberniâ Discessum*, ferocior, non Agris modò infestus erat, omni Rapinarum genere; sed & Urbibus Insidias struebat. Proindè *Montiojus Baro*, vir genere, formâ, composito Capillo, gravibus Oculis, omnibus Virtutibus, & vitæ Meritis Clarissimus, & fortunæ Muneribus amplissimis ornatus, *Legati Auctoritate suffectus est*, sustinendæ Moli, Ponderique hujus tanti Motus: quod Initium futuri Incrementi extitit. Is, multis præclaris Viris ad bellum assumptis, & Ducibus, Copijsquè præmissis, afflictam *Provinciam Anglicam* assiduis *Regulorum* incursionibus, recreavit; influentes *Vltoniensium* Maximas Copias repressit. Hâc Victoriâ non contentus, ipse in *Citeriorem Vltoniam* penetravit, multis undiquè cinctam periculis; eximiâ Virtute & felicitate, *Tironium*, suprà *Vltoniensium* ferociam, *Philippi Regis* Auxilijs confisum, refrenavit; Exercitu *Nigrum Fluvium* trajecit; subactis *Regulis*, attritis Viribus, firmatisquè Præsidijs, in *Vlteriorem Vltoniam* flexit Agmen; & fugacem Rebellem Silvarum Latebris, Angustijs Saltuum, & natura Nemorum fretum; & proximos *Regulos*, qui Libertatis recuperandæ

randæ Cupiditate fidem mutaverant, suis in Paludibus, Sedibusquè, terrore Belli perculit. Ibi multa Certamina, & utrinquè haud incruenta, pro Libertate, pro Salute, pro Victoriâ; quorum felici eventu probatum est, perculsum *Tironium*, territos *Regulos*, vexatores Provinciæ, confectum bellum, si prælium æquo Campo auderent. Castra de hinc translata, ad vexandos rursùs hostes, eludentes pugnam Paludibus, Silvisquè, situ Regionum, ac fluminum. *Prorex* cum elicere non posset ex Latebris, instante Hyeme, tempore ad gerendum bellum minùs idoneo, *Dublinum* reduxit exercitum. Prima æstas habuit hunc exitum satis felicem: sequens Hyems, saluberrimo Consilio, in locandis Præsidijs, assumpta advetsùs Vim & Multitudinem Agrestium; qui soliti sunt Hiberno tempore lacessere. *Cicestrensum Foliotum, & Docreum*, Tribunos, ad laborem, ad Industriam, ad pericula pro Patriâ subeunda promptos, validâ manu, in opportunitatibus locorum collocavit; ut *Regulos* æstate juxtà & Hyeme premerent; perpopularentur Agros, Tecta incenderent; Prædam ex silvis densis, atquè asperis agerent; Armenta, More gentis juxtà clausa, Aquæ Pabuliquè Egestate conficerent; Silvas, in quas refugere solerent, exscinderent. Hi gravibus varijsquè Casibus afflixêre Regiones antè ignotas; & genus hominum Agreste, in Paludibus, ac Silvis dissipatum. Divisis partibus, divisis Itineribus, *Regulos* aggressi sunt, Feritate truces. *Foliotus Pharmanacham* invasit, & *Mac-Guiri* scelerati Latronis furorem, fortitudine fregit. *Cicestrensis* fortissimus Vir, cum suis Copijs omnibus, *conterminam Scotia Regionem* domuit; quæ Agrestium sanguine redundavit. *Docreus*, Laborum, periculorum, Consiliorum socius, præsidio *Lacus Foylensis, ad Dungamiorum Sedem Tironij*, penetravit; & plurimos *Kernices* prostravit. Ipse *Prorex*, magnis & firmis Copijs, ex alterâ parte constrinxit *Rebellos*; multi occisi, pauci capti, reliqui lacessiti, non restiterunt; sed locorum quibusdam Angustijs, & Latebris se defenderunt. Tùm demùm fracta Pertinacia est, ut ferri agiquè res suas viderunt. *Tironius, Anglorum-hostis sempiternus*, Mortis metu, & Desperatione, Diffidens viribus suis; misit homines idoneos, ad florentes *Iberorum* Opes, ad *Philippum eorum Regem*, oratum, ut tempore maximè necessario subveniret *Regulis*, pro gloriâ Majorum, Libertate Posterorum certantibus. Is *Rebelles*, promissis Auxilijs, excitavit ad suum, Patriæquè exitiũ, & simul Saluti desperare vetuit. Missa mox subsidio *Quatuor Iberorum Millia, Ioanne Aquilio Duce*, qui sinè Certamine, *Kinsalâ, Vrbe Momonia maritimâ*, refertâ rerum omnium Copiâ, potitus, duobus Millibus Præsidio impositis, reliquos suprà Portus munitos locavit. Eorum adventus reddidit *Tironium* ferociorem, impotentioremquè, & totam *Hibernici Belli* rationem propè jam explicatam, perturbavit. Nuncij ad *Proregem* missi, pertumultuosè *Iberos in Momoniam appulisse* nunciaverunt, & *Portus Momonia* celeberrimos, firmissimis Præsidijs munivisse. Quo audito, incensus ad rem benè gerendam, & susceptum Reip: Munus explendum, præsentibus Copijs *Vrbem Kinsalam* petit, quam magna vis *Iberorum, Philippi nomine*, armis tuebatur. Insperato, & repentino ejus occursu, territa *Bætica Auxilia*, Munitionibus se defenderunt, quas opportunè jam munierant. Ille in præsentiâ Oppugnationem differt, donec Exercitum in unum conduceret, & *Regina* voluntatem cognosceret; quam de omni re fecit certiorem, & improviso adventu *Hispanorum*.

Elizabetha, terrâ Mariquè bellicæ gloriæ Famâ partâ, firmatoquè Regno, Præsidijs ac Navibus; Ita bello ac Pace viguit, ut illius Vim, ac amplissimam Potentiam, omnes Reges Populiquè finitimi extimescerent; Æquitatem, Justitiam, Probitatem, Integritatem, Pudorem, Temperantiam, Cæterasquè Virtutes, quas Oratione complecti longum esset, subjectæ Civitatesquè Provinciæ, Cives, Proceres, Amici, atquè Socij diligerent. Per tot Successus Terrâ Mariquè confluentes, graves Calamitates Cladesquè duas omninò experta est; Unam in *Hiberniâ*, Perfidiâ & Scelere *Tironij*, (quam fusè memoravi in Contextu Justi Operis) majoris Dedecoris, quàm detrimenti. Qui Loci opportunitate adjutus, in pugnâ ad *Nigrum fluvium*, quâ nulla fuit temporibus illis acrior, *Bagnalium* interenit. Alteram, in *Expeditione Armoricâ*, magis perniciosam. Occurrente *Bætico Milite*, & plurimo Anglicæ gentis, varijs in locis, profuso Sanguine; Castris antè *Oppidum Brestum* positis, interemptus *Forbiberus*, Vir bellicosus; qui Classi præerat, & Oræ Maritimæ *Armorica Britannica*. Illa *Cladem Vltoniensem*; Interitum Ducum in *Armoricâ*; occupatam armis *Kinsalam, & Portus Momonia Maritimos*; funestas ex *Hiberniâ* Epistolas, fortiter ac animosè pertulit; majoremquè animum habuit, quàm unquam rebus secundis. In tantis Bellorum Tempestatibus, rebusquè turbatis, nulla Timoris significatio, nulla Mentio Pacis, Masculum animum, fæminâque Principe dignam Constantiam exhibuit. *Montioio Prorege*, Præsidio Pecuniæ, & Militum subvenit: Literis significavit, benè, & è Rep:, & pro suâ Majorumquè suorum dignitate fecisse; ejusquè Operam *Sibi, Senatuiquè* gratam esse, & fore. Iisdem Literis *Vltionem* mandavit; & ut nutanti *Hibernia* subveniret: optavit, nec nisi *Duce Rebellium interempto, captovè*, requiem belli daret. *Montiojus se aut Nece, aut Victoriâ, Regina satisfacturum spospondit.* Contracto Exercitu, & *Hibernorum* Manu, qui in Fide & Obsequio manserant, Castris communitis, *Kinsalam Oppidum munitissimum*, asperrimæ Hyemis initio, Aggeribus, Vineis, Turribus, Machinis, oppugnare cæpit: quod magno Præsidio tenebat *Aquilius*. Cræbris Eruptionibus coërcitis, & occiso ferocissimo quoquè erumpentium, qui lacessierant, cominùs institit; gloriâ, Labore ne majore incertum. *Aquilius* inclusus Custodijs *Exercitus Anglici*, tot Incommodis & difficultate Annonæ fessus, & affectus; cum alia Spes Auxilij nulla esset, docet *Tironium*, Deditionem faciendam, nisi celeriter Socios Obsidione eximeret; fame & Inopiâ liberaret. Quibus rebus

cognitis, *Tironius* Regulos ad Consilium convocat, ostendit *Iberos* Inopiam non ultrà laturos, nisi properè sublevarentur. Primi ejus Auctoritatem secuti, communi Consensu subveniendum censent. Concurrunt undiquè, velut ad Incendium restinguendum. Exercitum satis probè ornatum, Auxilijs *sex Baticarum Cohortium*, & quâdam Auctoritate *Nominis O-nels*, in *Momoniam* ducunt; & locum naturâ tutum, & Palude unâ parte munitum, Castris deligunt, haud procul à *Kinsalâ*. Itaque *Prorex*, per Exploratores, eorum improviso Adventu nunciato, Copias in duas Acies dividit; ut Alterâ Obsidionem continuaret; Alterâ *Rebelles* invaderet. Quos, collatis Signis, sub Lucem aggressus, terrore ipso Impetuquè pepulit in propinquos Colles, magnâ Sanguinis effusione; sine cujusquam suorum Morte, nisi Vexilliferi Equestris Turmæ. *Alphonsus Ocampus*, *Tribunus Baticus*, Sex Cohortibus Popularium cæsis, captus est. *Hibernorum* in prælio, fugâque, *Duo Millia* cæsa. *Prorex* revocato ab effusâ Cæde Equite, & levi Armaturâ, extemplò circum egit Aciem, instructus intentusquè Oppugnationi Urbis; ratus haud magno discrimine, summâ gloriâ capi posse. Partem Muri demolitus est; & Castra Oppido conjunxit. Tandem *Kinsala* coacta Deditio: & *Iberorum* Auxilia, cum *Ioanne Aquilio*, *Duce non instrenuo*, Hiberniæ finibus pulsa; dataequè Naves Onerariæ, in quas Milites imponi possent. Quibus rebus confectis, *Prorex* infestissimam *Vltoniæ* partem ingressus, penetratâ longè latèque Regione, *Bagnalianæ Cladis* Punitor extitit acerrimus. Non sine Labore, Industriâque, magnisquè suis in bello discriminibus, domuit *Tironium*, *gravissimæ Cladis Auctorem*; *qui Novem ferè Annis Anglicos Exercitus fatigaverat*, cum illâ suâ Consceleratorum, ac Proditorum hominum Manu; & adversis prælijs contusum, Supplicem, Orantem, atque Obsecrantem Veniam, Deditionem facere coegit, magnâ cum Clade *Vltoniæ*, & gloriâ suâ; omnibusque Agris, quos armis occupaverat, decedere. Propitio & faventi Numine, recepit Signa, ac Tormenta, quæ *Anglis* ademerant *Hiberni*, eorum Acie apud *Nigrum fluvium* profligatâ, se Ultione & Sanguine explevit. Isquè finis *Vltoniæ Tumultui* impositus est, paucis antè Obitum *Reginæ* diebus; *Mountioij* ductu, Auspitioque: qui peragratâ Armis totâ Regione, & subactis *Regulis* inimicis *Anglico Imperio*, aut infidis; *Vltoniensis belli* perpetrati, præcipuam gloriam tulit. Quare in ejus Tutelâ *Hibernia* relicta, cujus Virtute, Industriâ, felicitate, recuperata est. Posteà *Vltoniam*, velut parùm bello exhaustam, vexavit Fames; quâ nulla, nostrâ Memoriâ, crudelior. Tum demum pacati sunt *Vltonienses*, cum penè funditùs eversi forent. *Philippus Hispaniæ Rex*, magnâ Belli contentione domi, peregrè exagitatus, ad *Reginam* Oratores, usque in *Galliam* misit, *qui de Pace agerent*. Nihil eâ Legatione perfectum est; Illâ Belgas omni favore, & benevolentiâ, in Patrocinio complectente.

Hoc tempore *Populi Anglici Nomen*, & dignitate, & fortunis, & Opibus florebat. *Reginæ* etiam Authoritas magna passim apud hostes habebatur; *quod Scotos amarâ Francorum Dominatione*, Consilio, & Subsidio liberasset; quod Difficillimo tempore, Saluti, dignitatiquè *afflicti Populi Belgici* subvenisset; omnes Opes ad *Francici Regis* Incolumitatem contulisset; *Hiberniam* sceleratâ Conjuratione excitatam, armis domitam subegisset; *Hispaniam* maximè timendam, suo Imperio, Classicis expeditionibus afflixisset; antè *Ostium Tagi*, paratam instructamquè Classem habuisset. Quamobrem, Virtutis, Moderationisquè famâ, & Majestate Nominis sui, *Turcas ac Moscovitas*, antè hujus beatissimi Sæculi lucem Visu vix notos, pellexit ad Amicitiam suam, per *Legatos* petendam. *Africana quoquè Barbariæ Oratores, à Morisocano Rege*, eâdem Veneratione venisse constat; irridente pariter Anglicanâ Plebe, *seminudos Barbaros & Ferarum pellibus vestitos Moscos*. Belgæ, *Franci*, *& finitimi omnes Reges, atquè Populi*; longinquæ quoquè Nationes, *Sarmatia*, *Germania*, *Dania*, *Suetia*, Amicitiam in Pace, Auxilium in Bello petierunt; ac quotidianâ Officia, pro Meritis, præstiterunt; & cumulatè gratias egerunt. Reges Amicos, atquè Socios Affinitatibus & summis Necessitudinibus junxit; si qua esset Controversia inter eos, ut dirimeretur, per Literas & Legatos egit: Illi sententiæ ejus atque Auctoritati libentissimè acquieverunt. Si uspiàm Agri fuerunt deserti, à Plebe atque Culturâ hominum, *penuriâ Colonorum*, in eos deduxit Agricolas, ut Solitudo frequentaretur. & *Plebejos* ab Otio traduxit, ad honestas & utiles vitæ Artes; quas *Belga in Britanniam*, cum magno Commodo beneficioquè, transtulerant. Militarem Laudem Classicâ gloriâ equavit. Fortunæ Amplitudo non in *Britanniæ finibus* hæsit; transijt quoquè Maria, & eundem gloriæ suæ, quem Natura Terrarum ultimum finem fecit Oceanum: ac *omnes Recessus ejus*, *ultrà Æquatorem*, famâ nominis sui implevit. Locus inter Mare vastissimum nullus erat, temporibus ejus, quo non suorum Civium Industria pervasit, Mercibus suppletandis cum Quæstu, Compendioquè. *Orientis* immensi Sinus *Anglorum Classibus* navigati. *Atlantici Oceani freta* tentata, penetrandi causâ. *Philippinæ Insulæ*, *Australis pars Africæ*, *Asiaquè* navigationis Diverticula erant. Terra quoquè circumnavigata, non dico Cursibus, sed Victorijs. Nec hoc tàm re, quàm dictu inopinatum, atque mirabile, quod nunquam anteà Spe conceptum, nedùm Opere tentatum, à quopiam Anglicæ gentis.

Expeditiones maritimæ.

Franciscus Dracus, obscuro loco ortus, Inopiâ & Egestate coactus, Naviculariam exercuit. Is primum Nauta diligens; deindè Navarchus factus, Navigandi Peritiâ, omni homine, suis temporibus, major, Patriæque rarum Ornamentum. Privatis Opibus, & Consilijs, magna ausus, mirâ Industriâ, & felicitate viam aperuit, quâ præclaræ *Classes Anglicæ in Vtramquè Indiam*, & remotissimas *Orientis Solis Regiones* penetrare possent. *Australis Pelagi* Portus maritimos patefecit: diversasque gentes, & *Insulas ad Orientem*, *Majoribus incognitas*, exploravit. Primâ Expeditione, in *Americam*, *tribus Myoparonibus penetravit*.

penetravit. Indè *Theomimam, ab Iberis Nombre de dios* nuncupatam, cepit. Captâ Urbe nunciatur, *Mulos Clitellarios* magnam vim Auri & Argenti *Pannoniam* devehere. Eos in Itinere intercepit; Aurum ex Manubijs in Naves asportandum curavit; Argentum cum asportari non posset, contexit atquè abdidit: Prædam inter suos divisit; & ad Arbitrium suum in *Angliam* navigavit. Illâ Expeditione Alij pecuniæ, Ipse gloriæ Cupiditate incensus, nihil esse pulchrius putavit, quàm *Australe Mare* lustrare. Igitur Quinque Navibus soluit, & ex illo Numero duobus amissis, sinè ullo Metu, per *fretum Magellanicum* penetravit. Ad omnes Littoris Portus accessit; & *Oram Occidentis India Australem* pervagatus, Naves, *Baticis Opibus* cumulatas, intercepit, à Pyratarum Metu, & Suspicione alienissimas; Quia *Iberi* nullam antè in Portibus hostium Navem viderant. eo *Batavorum gloriosissima* Classes penetrare nondùm poterant. Posteà non Metu aliquo affectus, sed satietate, ad *Moluccas*, incognito antè Mari, delatus, & *Indiam Indo, & Gange, fluminibus Definitam*, viam in Orientem reclusit, nullis nobis anteà Literis, nullâ famâ notam. Ibi *Lusitanorum Naves*, cum Mercaturam facerent, opulentiâ publicâ privatâque refertas, circumvenit. *Vtramquè Indiam* infestam reddidit; & *totâ Europâ* rumor percrebuit, de *Classe Philippi* Triumphum agere *Dracum* Pyratam. Confectâ Expeditione, Orbem Terrarum primus Anglorum circumvectus, *Africa Asiaquè* Circuitu, *Portum Plini fluminis*, cum insigni Prædâ, nec minore gloriâ navali, tenuit. Publicè à Plebe Triumphum & Gratulationem, ob egregia & admiranda facinora adversùs *Iberos*; præmium Virtutis, & laborum, à Reginâ, privatim accepit: quæ illum Equestri Dignitate, magnâ pompâ & Celebritate decoravit: & Navem exornatam *Dexfordia* consecravit. *Baticæ gentis* Fastum frangi, demoriquè cupiens, Classe & Navibus præesse sæpè voluit; eique Maritimum Imperium concessit. Ille, hâc tantâ prædâ auctus, Auro & Argento locupletatus, diligentior ad *Classem ornandam* esse cæpit. Posteà Novum Orbem, Classibus, non furtivis Expeditionibus, terruit; *Insulam S: Iacobi*, multas etiam *America Vrbes* diripuit; *Angliam*, prædâ regiâ victarum Urbium, *Sancti Dominici, & Carthagena* Spolijs, ditavit: fumantes etiam *Iberorum Naves* in Portibus reliquit, & inutilem Classem fecit. Ita *Opes Philippi* victæ, imminutæ, depressæquè sunt, *tot Anglicis Belgicisquè* Victorijs. Hæc Præda ex Indiâ parta, Materia *belli Batici* erat.

Draci, consimili genere Navalis Laudis, æmulus fuit *Thomas Cavendishus*; qui tribus Navibus *fretum Magillanicum* intravit; *Novendecem Onerarias Naves Baticas*, plenas & onustas, expugnavit; & *Hispanicis opibus*, nec minore gloriâ, famâque cumulatus, per *Moluccas, & Promontorium bona Spei*, in Angliam redijt, ad Triumphum, gratulationem, & Populi Charitatem; *Circumnavigatiquè Orbis*, post *Dracum*, gloriam consecutus est. Cum per *Tamesim* subiret Navibus, non ante egressus est, quàm ad *Vicum Viride* pervenit; *Regina* comiter admodùm recepit, multisquè Muneribus, & Ornamentis affecit. Res ab his gestas, & alijs præstanti dignitate Ducibus, *Forbesherio, Hacusio, Iackmanno*, miris laudibus illustravit *Richardus Hacclnitus*, Navalium Expeditionum diligens Scriptor. Dum *Incognita Terra* Conditionem, habitu Maris, Belluarum in Oceano nascentium Magnitudinem, Multitudinemquè, Meredionalium Siderum Motum, Provincias *Torrida Zona* subjectas, totiusquè Mundi Naturam, linguâ Anglicâ describit; & res ab *Anglis* Mari gestas, ad Cælum, debito præconio, effert; ut *Nomen Anglicum* per Terrarum Orbem, cum maximâ gloriâ vagaretur; cujus Testimonium amplector, vacuum omni Vanitate.

Philippus graviter offensus excidijs urbium, & Detrimentis, quæ *Dracus*, maritimo bello, rebus suis intulerat; ut Injuriam, Ignominiam *Nominis Batici*, Indignitatemquè expilatæ pecuniæ ulcisceretur; deprehensos Navicularios, Nautasquè *Anglicos* Piratarum pœnis affecit: Mercatores, Navibus & Mercibus ademptis, in vincula conjecit; nullo adhuc intercedente aperto bello; & callida Consilia *Anglicæ genti* perniciosa, agitavit, quæ de die in diem dilata, perfecta non sunt; Comminatio, Apparatusquè potiùs belli, quàm bellum fuit. Ubi intellexit non Minis, sed viribus, cum Anglis confligendum, Iracundiam occultam in apertas Inimicitias convertit. Bellum Sibi, utquè Suis plerumquè perniciosum, suscepit; & ingentem Classem instruxit, Armis, Tormentis, hominum multitudine, Munitionibusquè; ut *Angliam* in Ditionem suam redigeret; quâ fortassè nunquàm major in Oceano visa fuerat. Ea namquè C. x x x. *Naves* insignis Magnitudinis continebat. Exercitus erat circiter *Viginti Millia Peditum, & Octo Millia Classicorum.* Hunc Exercitum *Metinensis Sidonia Duci* commisit, virtutis nobilissimæ *Philippus*. Secundam post illum Authoritatem habuit *Martinus Recaldus*, Maritimæ rei scientissimus. Classis verò illa, tantis Opibus, & Industriâ comparata, quæ maximam sui Expectationem, post hominum Memoriam, per *Europam* concitarat; vix ullo externo homine dubitante, quin illâ Mole non vinci solùm *Anglia*, sed obrui posset; Anchoras *Coronâ* soluit. Postquàm provecta, & *Cornubiam* appulsa est, Ignis è Speculâ sublatus, adventum hostium significavit. *Anglica autem Classis* erat in *Portu Plini fluminis*. Havartus Præfectus, vix explevit Numerum Nautarum & Militum, repentè ad Naves concursum. Ipse, cum *Prætoriâ Nave*, primus è Portu in Altum evectus; & simul ut se Cæteræ sequerentur, Signum dari jussit; excipiens insequentes, Ordine instruxit. Altitudine longè *Hispanica* superabant, Tormenta, Machinasquè æneas majores portantes. *Quatuor Quadriremes* erant inhabili propè magnitudine; & ita magnæ, ut cæteris Propugnaculo essent. Sed *Anglica* agiles, & Nautico instrumento aptæ, incredibili Arte gubernatorum, & scientiâ Nautarum, *Hispanicas* aggrediebantur. Nec cessabant per Triduum pugnare, nisi consumpto omni

Galeassa vulgo.

Pulvere

Pulvere Sulphureo. Posteà postremam quamquè Navem, aberrantem ex Agmine, crebris ictibus adoriebantur. Ita magna Navis capitur, cui præerat *Petrus Valdesius*, *Eques Nobilis*, quem *Iberi* posteà grandi pecuniâ redemerunt. Deindè *Cantabrica Navis*, multis Tormentorum ictibus conquassata, fluctibus relinquitur: *Præfectus Oquenda*, Nautæ, Militesquè servari. Hoc maximè modo Navali prælio pugnatum. Hæc dum aguntur, *Metimnensis Oram Angliæ Australem prætervectus*, *ad Iccium Portum perveniens*, *antè Ostium Portus*, *instructâ Acie*, *in Anchoris stetit*; operiens, dum *Parmensis dux* Terrestres Copias imponeret. Intereà *Dracus Classem Bæticam incendere*, *Navibus* aliquot Tullis ferreis concatenatis, molitus est; quas *Nitrato Pulvere* inflammari, incendiquè jussit. Feralis flamma, ex ipso Incendio Navium, Nocte intempestivâ, evolans, Exitium imminens illicò nunciavit. Itaquè *Metimnensis*, inopinato Nocturnæ Flammæ terrore perculsus, in Communi incertoquè periculo, Vela fieri, *præcidi Anchoras* imperavit; *Quadrirememquè*, gubernaculo distracto, in Salo fluctuantem reliquit. *Classis* Pulcherrima sparsa, in *Littus Belgicum* expulsa, cum non mediocri jacturâ; in quâ colligendâ, non parum Operæ Navarchi, Ducesquè, *Leva*, *Oquenda*, *Recaldus*, consumpserunt. *Sidonius* extemplò Consilium habuit, quid faciendum esset. Nullâ re memorabili gestâ, Ventis Velisque, in Patriam, per *Septentrionalem Oceanum*, redire decrevit. Reliqui *Præfecti* Navium eundem necessariò Cursum tenere cœperunt, *Orcades* versùs. *Notingamius* usquè ad *Bodoeriam*, Classem fugientem persecutus est, ut aberrantes ex Agmine Naves adoriretur. Cui *Hispani* summâ Vi aliquando restiterunt: ibi persequi destitit. Postquàm paulùm provecta Classis, *Orcades* appulsa est, ibi exortâ fœdâ atrocique Tempestate, longè major Pars disjecta, & in littus expulsa est. *Philippi Præfectus*, postquàm sparsam Tempestate Classem vidit, unam Salutis viam esse ratus, in apertum Mare, Velis Remisquè erumpere, *Quinquaginta Navibus magnis*, *Portum Hispaniæ* tenuit. Cæteri Navium Præfecti, Propugnatores, inopes, relictâ à duce præfectoquè Classe, in *Scotiam* aut *Heberniam* ejecti sunt. *Scoti* Miseros perditosquè suis Tectis, & Copijs sustentarunt; Vestitum, Commeatumquè suppeditarunt. *Hiberni*, cum nequè repugnare, neque Mari effugere ullo modo possent, ferro jugularunt, quos Fames confecerat. Tantum, & tàm gravem Navium Militumquè Jacturam, *Philippus* æquo animo tulit: & ignovit *Sidonio*, qui secùm fugere Classem, & se consequi jussit; Tempestatibus, & fluctibus Causam Calamitatis attribuens, non Culpæ Ducis. Ita *Classis*, humanâ Ope invicta, divinâ Necessitate superata est. *Regina* hanc victoriam magis ad Opem divinam, quàm Industriam humanam retulit. Comitante *Senatu*, Proceribus Supremi Ordinis, & Primoribus Equitum circumfusis, singulari genere Supplicationis, *Divi Pauli Templum* patefecit, & honorem Deo Immortali habuit pro Victoriâ. Posteà, in hujus tanti facinoris ultionem, *Philippo Bellum*, *Contumelioso Edicto denunciavit*. Ex eo die, perpetuum fuit foris bellum cum *Iberis*, ut suos Cives incolumes ab omni Calamitate tueretur; domi Tranquillitas. Indicto bello, *Regina* Classe in Oceanum immissâ, ad terrorem hostibus præbendum, cruentis Populationibus *Maritimam Hispaniæ Oram*, *per Dracum*, *Forbesherium*, *Hacinsium*, Præfectos suos, infestavit, & vexavit; Consilia hostium inania reddidit; Vires fregit; à Temeritate & Insolentiâ, ad Modestiam revocavit; & maximis periculis *Angliam* liberavit. *Nec Batavi Auxilio deerant*. Quo quidem in bello, Virtus enituit egregia *Essexij Comitis*, qui magno & fortissimo Exercitu invectus in *Hispaniam*, hostium Classem in *Portu Gaditano*, mediocri Certamine vicit; & Insulam totam in suam potestatem redegit. *Comes Cambriæ*, *& Thomas Havartus*, *Norfolcij filius*, Primariæ Nobilitatis Proceres, in pernitiem *Bæticæ gentis* incubuerunt; Naves *Bæticas*, refertas ingenti Opulentiâ, expugnarunt; Prædam captam inter Socios Navales diviserunt: Decimam in Ærarium intulerunt. Ipsi quoquè *Vtriusquè Indiæ Opibus cumulate*, sæpè redierunt. *Havartus* posteà tamen amarâ suggillatione non caruit: qui cum Duodecim Navium Classe, præclarâ in Speciem, sed infirmâ invalidis & ægris Militibus, Nautisquè, circà *Insulas Azoras* navigaret, occurrente, ex improviso, *Classe Bæticâ Quinquaginta Majorum Navium*, vitandi præsentis periculi gratiâ, Cæteris se sequi jussis, incruentè discessit; & Cursum liberè tenuit, quem optabat.

Erat in *Anglorum* Classi *Richardus Grenvellus*, *generosus Eques*, Sub præfectus; & *Navè Regiâ*, *Vindicta Nomine*, prope Littus vehebatur, in hâc Navi, propter honorem, & gratiam ejus, plurimi Nautæ, & Milites erant. Is, dum moliebatur fugam, à præfectis *Grenvilli* circumventus, non modo à fronte, à Latere, sed à tergo, ut evadere non posset. Perditis & afflictis rebus, instruxit se ad Navale Certamen ineundum; & uno Navigio in pugnam progressus, ingenti quidem animo, Fortitudinis rarissimum Specimen dedit. Ne in hostium potestatem veniret, erumpere per Confertos destinavit; in mediam eorum Aciem ferociter se conjecit; totamque Classem infatigabili pugnâ fortissimè sustinuit; donec Vi, Multitudine, & Telis, quæ undiquè congerebantur, acerime pugnans obrutus, & in mediâ dimicatione vulneribus fessus, Socios vehementius confusos, & sollicitos, ultrò est exhortatus, ne se *Bæticæ Crudelitati* committerent. Valuitquè apud Milites Ducis Oratio; ut renovato prælio,

Grenvillus à suis relictus atquè desertus.

ingens ederetur Strages; sed fiduciæ par exemplum Navarchus non præbuit. Quippè exhausto debilitatoquè *Grenvillo*, ut se quantocunquè animo sustinere ampliùs non posset, Salutem sibi, & suis pepigit: laceram Navem, Octingentis Tormentorum Ictibus perforatam, onustam multis Militibus ægris, & vulneribus invalidis, dedidit. Ex universa Classe Regiâ, unica hæc Navis hostium prædæ cessit. *Iberi* cum in suam potestatem redigissent; Præfectum in Puppi, sanguine & Spiritu deficientem reperissent; Fortitudinem Viri admirati, Incolumitatem sinceram ei præstare magnoperè

conati

conati sunt, Vulnera obligantes, & Medicamina adhibentes. Sed recreare se conantes aspernabatur *Grenvillus*, Minace Voce, truci vultu: ut in Occasu suo Splendorem, & Ornamentum vitæ præteritæ retineret, & animi fortitudinem testaretur: protinusquè expiravit; & non sinè ultionis Solatio decessit. Plura me dicere incredibilis admiratio Facti cogeret, si hostium præconio consecrata virtus omnium Sæculorum Memoriæ, privatâ laudatione indigeret. Cujus præstantiam animi, si Socij Navales imitati forent, non parvam Materiam Laudis Posteris reliquissent.

Regina domi Otium nacta, ad Pacis Opera, & disciplinæ publicæ Emendationem conversa. Ubi turbari Mari cuncta sensit Prædonum excursionibus, & immerentibus Socijs bona eripi, in posterum *Fæderatorum Securitati Edicto cavit*; denunciavitquè, ne quis de Navigantium bonis prædaretur, *nisi ferrum, frumentum, Navalem materiam, Iberis hostibus subveherent.* Qui secùs fecerit, in Numero Prædatorum, & Pyratarum censendum. Ita ad præsens Licentiam rapiendi atquè prædandi cohibuit; & Mercatoribus tutum Mare præstitit. Sed plurimum contraxit Invidiæ apud *Nobilissimas Civitates Anseaticæ Societatis*; & adverso rumore fuit, quasi summissis Pyratis, prædonibusquè, Navigantibus insidiaretur; & Clementiam, Mansuetudinemquè sui Imperij, in Crudelitatem, Inhumanitatemquè mutaret. *Maritimas Civitates*, & fidelissimos, atquè antiquissimos Socios, plurimis affectos beneficijs à Majoribus, reconciliare sæpè per Oratores tentavit. Responsum est, nullam Spem reconciliationis esse, *nisi capta maritimo bello, Civitatibus* restituerentur. vicit tamen *Regina* Authoritas; ut Bona sua repeterent, atquè persequerentur Lite & Judicio. *Dissidia inter Moscum, & Suecum orta*, Auctoritate compescuit. Non modò Consilium in providendo, sed etiam Judicium in Conficiendo res adhibuit. Multas Sanctiones, publicè utiles, *de coërcendis Sumptibus, Cupiditatibus frangendis, præclarè constituit; quarum non pauca, impressa, extant. Humiliores Cives, ad Modum, ac Modestiam in Victu, Vestitu, & Quotidianâ Consuetudine, secundùm Census Mensuram, Necessitates Naturæ, & veterem Parsimoniam, Legibus severissimè latis, reduxit. Iuventutis, ac Nobilitatis Luxui obviam ivit, tàm Mandatis, quàm Constitutionibus; ac Modum in Supellectile, familiâ, ac Clientela præscripsit.* Provisores Commeatuum, pro domo Regiâ, rapacissimos homines, sævientes in bona Aratorum, specie Juris, Metu repressit. *Delatores leves, Ignobiles*, (*Concelatores* Vulgus nominat) *de Vi, & Rapinis reos, obtentu Patrimonij publici, & Fisci Regij, multos bonis evertentes, pænâ aut Coërcitionibus compescuit. Mandata inquirendi ijsdem priùs data, concessaquè revocavit.* Quærique ultrà de Cujusquam statu vetuit Edicto. *& Populum afflictum in fortunis, Avaritiâ, aut Scelere Magistratuum, Imperio Injuriâquè Præsidentium, per omnes Occasiones consolata est.* Cæterum, *fœneratorum, & Avarissimorum hominum Cupiditatem, fraudes, & Insidias Statutis, & Constitutionibus punivit.* Quibus cavit, *ne Negotiantes intrà Angliam, ultrà decimam per Annum fœnus exercerent.* Cum anteà à Locupletioribus, veteri Licentiâ, ad Libidinem agitaretur. Item, ne Annona oneraretur, *in Monopolas, Propolas, Dardanarios* (quos Ingressatores, ferè Stallatores, & Regratores, Anglici Jurisprudentes appellant) *Statutum proposuit*; quo pænam in eos variè statuit, *Carcerem, flagellorum Ignominiam in Foro, aut Furca Infamiam*; quam Vulgus *Pyloriam* vocat. *Vectigalia nervos esse Reip: duxit*, eorumquè rationem, & Dispensationem penitùs exploratam habuit. Summâ ærarij fiscique inopiâ, Monopolia, & acerbas Exactiones illicitas existimavit, ad Invidiam Fisci levandam. In *Quadruplatores, seu publicorum Criminum Delatores*, gravi diuturnâquè jam flagrantes infamiâ, (qui Promotores appellantur) detectâ Calumniâ, Coërcitionem admisit; ne Locupletiores eorum Criminationibus subverterentur; cùm anteà augendo Ærario, & locupletando Fisco, sinè pænâ, aut Coërcitionibus, agerent. Ita *Rapinis, & Avaritiæ fœneratorum* sæveris Legibus occursum est. *Iudiciorum, & Iuris Præsidum* Odio, Invidiâ, Ignominia, Turpitudine, Fisci Judicia liberavit. Ambitum Triplicis Fori, *Litium Multitudinem, & Varietatem Causarum*, gravissimâ voce increpuit: *Iudicum Stipendia auxit*, ut Suspicione acceptæ pecuniæ, ob rem judicandam, vacarent. & *ad Celeriorem Litium Diremptionem*, Legem æquissimam, non minore prudentiâ, quàm æquitate, promulgavit; monuitque eos, ut cogitarent, Judicium illud quod exercerent, Dei Judicium esse; *& Lenitate in Audiendo, Æquitate in decernendo uterentur*: verè ac incorruptè judicarent; Literas Legis perscrutari ne desinerent; Legem, ut æquum est, ex Utilitate Reip: considerarent: *nec Ingenij acumen, fallaci Interpretatione dubij Iuris ostentarent*: sed sine Discrimine, vel improbitate, de quâvis re cognoscerent: & in Reos acrius animadvertent. Quod si Judices, in rebus judicandis, Opinioni Populi, Integritate, Fide, Religione, satisfacere voluissent, non hoc tempore *Legibus Iudiciarijs* laboratum esset. Hinc apparet, *hanc Partem Reip: ægram fuisse*: & permulta præclarè Legibus Constituta, Jurisconsultorum Ingenijs corrupta, aut depravata. Concussâ Improborum licentiâ Legibus & Judicijs constitutis, *Theatralem Licentiam* repressit. *Lusus prohibuit, nisi Gymnicos*, qui ad Militiæ labores corpus animumque firmarent. Divina ejus Virtus, non Statuas ex Marmore, aut Ære ad Ostentationem virtutum; nec Præconia Laudum, & Splendorem Titulorum, sed stabiliora quædam Monumenta desiderat, in animis & Judicijs hominum, ad Memoriam Posteritatis sempiternam. Obstupescent Posteri certè stabilitam Remp: Magnitudine animi, & Consilij, Innumerabiles Victorias partas, & incredebiles res gestas audientes & legentes.

Leges latæ.

Inter tot prospera ac læta, quædam sub ea fortuita, & tristia Prodigia ac Portenta acciderunt. *Londini, ædis Divi Pauli Turris*, omnium quæ in Urbe sunt maxima, atquè altissima, Noctu fulmine tacta, ac omni plumbeo Tecto nudata, Incendio late spectabili, mirabiliter conflagravit; ita ut

Fastigium ad hunc diem deformetur. *Anno Regni Quarto*, Animalium *obscæni Fætus*, pluribus locis nunciabantur. *Porcus cum humanis digitis natus: Equuleus Biceps.* Pisces, Agni, & Vituli, passim Monstrosi. Fæda omnia, & deformia Prodigia, errantisquè Naturæ inditia. Supplicationibus, & precibus Populi expiata sunt. Anno insequente, *in Vrbe sævire Pestilentia capit*, quanta non aliàs; multosquè Mortales absumpsit. Plus, omnibus Prodigijs, terruêre animos hominum *Crebri Terræ Motus*, horrendo Fragore, Stragequè Terræ. Motu, & Inundationibus, Incendijsquè afflictis, Opemquè implorantibus, summâ Comitate, velut Numen de Cælo delapsum, subvenit; & Pecunias de publico dare jussit. Urbanam Plebem, Frugum Egestate, summâque Annonæ gravitate tumultuantem, atquè tumentem, querentemquè de summâ Inopiâ rei Frumentariæ, & Caritate Alimentorum, Auctoritate publicâ sedavit. Missis in *Oram Baltici Maris, ac Sarmatiam Navibus*, Curam Annonæ, & Venalium rerum, Præfecto urbis mandavit. Intercessit Iniquitatibus Magistratuum; Potestatem eorum, & Auctoritatem, vel Capitis periculo defendit: Impetum improborum Civium severissimo coërcuit Edicto, sinè ullis Copijs. Alendis egentibus è Fisco Pæcuniam benignè deprompsit. Loca Religiosa, Pauperum, aut Ægrotantium usibus destinata, singulari curâ rexit; ac Prædia, quæ ijs relicta sunt, integra & perpetua conservavit.

Ecclesiæ vulnera sanata.

Sicut Reip: Vulneribus, ita *Ecclesiæ Vitijs*, singulari sapientiâ suâ, occurrit; quæ tuenda Principibus, vel Capitis discrimine. Fædissimas *Nundinationes Sacerdotiorum*; *Avaritiam Patronorum*; *& infamem Cleri Ambitum*, Legum auxilio restrinxit. *Imperitis Literarum* Curationes, & Beneficia conferenda non esse censuit. *Muneribus Ecclesiasticis, & Sacerdotijs amplissimis dignos* judicavit Viros probos, benè à Naturâ constitutos; rerum omnium tàm Divinarum, quàm humanarum scientiâ præstantes; & peritos, cum hominum, tum rerum etiam, ac temporum. Despexit autem eos, in quibus nihil Virtutis, nihil Ingenij, nihil Doctrinæ perspexit; & omnes Improbos, Maledicos, fraudulentos, ad faciendam Injuriam proclives. *Ordinatos, & promotos* jurare per Deum Coëgit, *nihil se ob Beneficia Ecclesiastica cuiquam dedisse*, promisisse, cavisse. & venire *Sacerdotia*, aut emi pretio vetuit. Ementes, vendentesquè, seu Pestem quandam, aversata est; nec ad ullum Beneficium Ministeriumve admisit. Honores Ecclesiasticos *Indigno cuiquam delatos* non Dissimulatione & Silentio præterivit: Audacibus, Improbis sæpe restitit, nonnunquam etiam Potentibus amicis, deprecantibus & pleraquè alia Officia pia, ac sancta præstitit. Nunc quoniam qualis in summâ rerum administrandâ, regendâquè rep: ex utilitate omnium fuerit Virtute, æquitate, fortunâ, gloriâ, rebus Pace Belloquè gestis amplissimis; per quos Viros domi Militiæquè administrarit, quantum ingenio exprimere potui, exposui; Consilia quoquè atquè facta honesta, illustria Documenta, imitanda omni ætati.

Privata vita.

Referam nunc breviter *Formam figuramquè Corporis*, in Oculis, habitu, gestu; Naturæ dotes, studia, Mores, vivendi institutum, privatam, ac familiarem ejus vitam. Fuit certè Mulier *eximiâ Corporis Pulchritudine*; Staturâ decente, formâ egregiâ; Initio ætatis, cum Virginali Verecundiâ, Colore candido, Capillo sufflavo, leniter ad Aures inflexo; nitidis Oculis, vegetisquè; aptâ Membrorum compositione, totiusquè Vultus mirâ quâdam & dulci Venustate. Gratia Oris, dignitasquè formæ, medio in spacio ætatis, non abfuerunt. Posteà florente ætate exactâ, & ingruente Senectâ, rugis, Macie, ac Malis labentibus deformis; ut nequè Oris decor ille eximius, nequè amabilis Vultus species, multum agnoscetur. Nihil in Majestate, Nihil in Sermone Regio, atquè gestu; Nihil in excelso animo; Nihil in Moribus; Nihil deniquè in pristinâ vitæ Consuetudine variabat. Formæ Mutatione, & habitu Corporis deflorescentis, ita offendebatur, ut in Contumeliam suam traheret, *si justum Speculum Oculis Casu objectaretur*; quod formosam sui non referret Imaginem. Proindè *Aulici, Cogitationum Principis periti*, si secretò in alicujus, Illustriumvè fæminarum Cubicula, intimosquè Secessus transiret, *Specula statim detrahi, & Solo affligi jusserunt: laudaruntquè*, placendi studio, *formam declivem & caducam, ut adhuc floridam, & vegetam*: Commendari se *Elegantiâ Oris, Suavitate Canora Vocis, & decora Frontis Majestate*, suprà modum lætabatur. Indè multa fæda *Exempla Adulatorij Dedecoris* erupêre.

Assentatio perniciosa.

Cum quidam ex ejus Assentatoribus, commemorarent, Oratione vanâ, miram in Ore Vultuquè Suavitatem, Corporis Venustatem; nulli obnoxiam ætati Majestatem Regij Vultus; Imperatorium animum Orbis Terrarum Imperio dignissimum; Naturæ & Fortunæ Munera; Maximarum Artium Studia; Tecta magnifica, amplam Suppellectilem, Signa & Tabulas; rerum omnium Affluentiam; virtutem, felicitatemquè.

Fuit & *Doctorum hominum Adulatio* longè fædissima, Theatris quoquè indecora, *Illud Virgilij* de Ipsâ dictum exultantium, Assentatione Aulicâ: *(ô Dea certe)* & *Sententiam Taciti*, refractis Pudoris claustris, Detorquentium, *(Solam D: Elizabetha mentem tanta Molis capacem.)* Quo *Regina Nomen* Divinius esse videretur, & quasi Numen Cælo dilapsum, coleretur. Ejusmodi turpis blanditia eò provexit Imperatorum *Caligula, Domitianiquè, & Heliogabili* Amentiam, ut Humanitatis obliti, Deorum Nomina captarent; Religiones, & Auspicia contemnerent. *Regina* Civium animos in sui Admirationem convertebat; & Civilem se admodùm, inter initia Principatus, Cultu, Comitatu, Incessu, ostendebat. Suas Opes, suasquè Fortunas omnes, se sapientiâ commutaturam ad Regium Munus feliciter obeundum, præseferebat. Quicquid ageret, quicquid diceret, ad Dignitatem, & hominum studia concilianda componebat; & præcipuam, hâc Moderatione, Laudem consequebatur. Mox cum summâ fortunâ irrumpente Adulatione, Veteri in Aulâ Malo; ac fictâ Specie

Sedulitatis,

Sedulitatis, & Officij, Assentatoribus patefaciebat Aures: gaudebatquè si quis sibi acrius contuenti, ob Reverentiam Majestatis, Oculorumquè propè Cælestium fulgorem, Vultum subdolâ Modestiâ submitteret, & toto corpore contremiscèret. Atquè etiam, si quid in Sermone quotidiano, vel in Concione Populari, blandius de se diceretur, non tepressit unquàm; nec hujusmodi intempestivas blanditias prohibuit. Neque quenquam *Senatorij Ordinis*, aut Officij, aut Negotij causâ adeuntem, nisi genibus suppliciter atque dimisse admisit. Hinc homines fallaces, temporibus inservientes, ita compositi, ut non modò sensum, & Voluntatem; sed etiam Vultum, & Nutum blandis Vocibus observarent. *Thomas Hinagius, Equestris Ordinis*, Assentationis projectæ, perditæque Impuditiæ, se Blanditijs & Assentationibus in *Regina* intimam familiaritatem penitùs insinuavit: Et hoc Artificio, in Principis domo, Opes, Potentiam consectatus est. & Alij complures, minimè hujus Artis ignari; Loco, Fortunâ, Famâ inferiores. Quamobrem, quamvis graviores Constantioresquè Amici monerent, ut animadvertat, ne in fraudem Obsequio impelleretur; tamen non solùm callidâ Assentatione delectata est, sed & Nimiam loquendi Libertatem oderat. *Deruum, Virum Doctum & pium*, qui ei in memoriam piè & sanctè revocaverat, privatam dicere solitam, *(Olim ut Ovis)* & paulò aspernius subjunxerat, *(Nunc ut indomita Iuvenca)* à Concione gravissimè corripuit, tanquàm *hominem nimis confidentem*, & dignitati Principis infestum. *Ruddum S: Davidis Episcopum*, Vitum Sanctis Literis non mediocriter eruditum, de Incommodis ultimæ Senectutis, salubri modo disserentem, Indignatione accensâ, Concionantem nunquàm ampliùs audire sustinuit. Etsi Libertas loquendi molesta fuit, tamen judicare consuevit, *quid interesset inter Lenem Concionatorem, Voluntati, ac Opinioni servientem; & inter Constantem, severum, gravem.* In Concionibus Moderationem, & *salubre Temperamentum* requisivit; ne turbulenti, Comisque Vulgi auribus gratioris, quàm sapientissimo cujusquè animo, effrenatâ ferociâ Populus incenderetur. *Præsulum* providentiâ, vehementis Spiritus hominibus aditum non dedit; loquendi Libertatem eripuit; immodicam Licentiam compressit. Neque Concionandi potestas erat cuiquam, nisi specialiter indulta. Nec tamen eo minùs Religioni dedita, ardentissimo Pietatis amore flagravit. Sivè belli Consilium, sivè Pacis iniret, *Deum semper antè oculos proposuit*; omniaque ad illius gloriam revocavit. Ne languesceret Charitas, studiumque Pietatis, *festos & solennes dies ab Ecclesia constitutos*, studio audiendi, ac voluptate, religiosissimè celebravit; *Supplicavitquè ritu solenni*, multis precibus, non contaminatâ superstitione. & *Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum* summâ sanctitate, ac ceremoniâ recepit. *Conciones non legitimas, atque ordinarias modò, sed & Quadragesimales*, circumfusâ Procerum, & Illustrium Fæminarum turbâ, *sine ullo Cultus Nitore*, secundum Conditionem temporis, piè devotèque audivit; *& pro Merito Prædicantium quemquè honoravit: etiam discedens Salutatione suâ, ac gratiarum actione, dignata est.* In tuendâ Ecclesiæ Dignitate; in retinendâ disciplinâ ejusdem; in Condemnandis, ac mulctandis *Pontificijs*; in Contumaciâ *Therapeutarum* insectandâ, Libertate comprimendâ, obtulit in discrimen vitam suam: Quantumquè Capitis periculum adierit, studio conservandæ *Instauratæ religionis*, jam mihi dicere non est necesse.

Quæramus reliquas Artes, quibus aditum sibi ad gloriam aperuit, Facilis, & *Clemens, in Plebem*, Commodis voluntatiquè ejus, omni genere Humanitatis, inserviens. Mansuetudine, Clementiâ, summâ Juris & Judiciorum Aequitate, Comitate, Affabilitateque sermonis, adeò ejus animos sibi conciliavit, ut *Inaugurationis diem*, spontè & consensu, Quotannis debitâ Religione celebraret; pro ejus salute, suam vitam in discrimen offerret; & nihil unquam perpeti recusaret, dùm illa salvâ incolumique frueretur. Cujus diligentiâ, & curâ, Hilaris ac secura, vixit in ubertate Agrorum, Abundantiâque rerum omnium; apud *Proceres*, Majestate Imperij, Reverentiam; ac Auctoritate Obsequium retinens, summâ gratiâ, & benevolentiâ fuit. Quosdam in gubernandâ Rep: servientes, magnis laudibus ornavit, & honoribus prosecuta est. Itaquè *Calendis Ianuarij*, Strenam, ad testificandam gratam beneficiorum recordationem, libentes contulerunt. Jam verò, quàm faciles ad eam Privatorum aditus, quàm liberæ Querimoniæ de Injurijs Potentiorum, supervacuum est referre: & difficile dictu, *utrum Cives Auctoritatem magis timuerint, an Humanitatem dilexerint.* Verùm tot tantæque virtutes, Pietas, Patriæ Charitas, benemerendi de Plebe voluntas, ab uno Prudentiæ fonte promanarunt. Admirabili igitur sapientiâ abundans, Reip: constituendæ Moribus atquè Legibus invigilavit. *Firmamenta magna reputavit Imperij, Privatos Consiliarios habere, fideles*; suo Judicio, & suâ sponte delectos; Senatus Auctoritate, & suffragijs approbatos; maximo ingenio præditos; & bonis Artibus excultos: Urbibus, & Limitibus providere, nequid malè accideret; utilitatem Civium tueri, privatim ac publicè; Consilio & Auctoritate, Salutem, Pacem, Otium universorum, diligenter administrare; *Insolentiam, Luxum, Avaritiæ sordes, flagitiosas Libidines* coercere; & pravos Mores, non modò pænis Legum, sed vitæ quoque suæ exemplo emendare; *Latrocinia, Perjuria, Rapinas, & Cædes*, reprimere.

Prudentia in publicis rebus, & delectu Senatorum cernitur.

His, ex Privati Consilij Sententiâ, ordinatis, multa utiliter in publicum constituit. Proceribus Regni, & hominibus prudentissimis, Populoquè charissimis, Opinione Integritatis, fidei, Religionis, in Comitia convocatis, ut in commune consulerent; Jura Civibus præscriberent; Socios Imperij, Religionem, Remp: defenderent; Regniquè administrandi rationem ostenderent; & quo cursum suum dirigeret. Eorum operâ, & Consilijs, *Regia Auctoritas* Splendorem suum obti-

nuit Regnum; ex Legum præscripto, Vetera Privilegia conservavit; Jus, Æquitas, Libertas, Leges floruerunt. Licet, *Iure, Absoluta Potestatis, penès Regiam Majestatem, Summum rerum omnium Imperium, Arbitriumquè esset, in quibus aut honos aliquis, aut Iurisdictio, aut Procuratio; Tamen nullam rem Majorem, nisi Publico Ordinum Consilio tractavit*: Qui nunquàm *Potestatem Regiam contumacius arctarunt; nunquàm Præceptis, & Consilijs repugnarunt*. In perspiciendis Rationibus Imperij, *Bellum Populo Anglicano melius, quàm Otium convenire*, magnis experimentis, & Annalium Monumentis, annotavit. Quod animadverteret, *Plebem* re Militari ad Virtutem excitari; nimiâ quiete facilè in Segnitiem resolui. *Proceres* si à Laboribus, & periculis Militiæ, ad Otium se contulerint, irrepentè Luxuria sumptuosos, & imbelles efficit. Deditquè in primis operam, nosse Remp:; & eorum, qui gubernacula tractabant, Dicta, factaquè; Exempla Majorum; Instituta publica; Vulgi studia; Mores; Nobilitatis nomina, & Ingenia; Opes publicas, & privatas; Numerum Militantium; Classem; Propugnacula Regni; & Præsidia; Vectigalia; Tributa; Stipendia; Reditus; & sumptus Reip:; Multaquè prudenter providit. *Capite censis*, quorum nimia Inopia suspecta erat, domestica arma non commisit, ne ad Seditionem prolaberentur. *Senatorium Ordinem* nisi Clarissimis hominibus, qui in omni genere Laudis, & Industriæ excellerent, parcissimè dedit. Multiplici pænâ, coërcito Ambitu, raro, Studio, Compendio, gratiâ fautorum, aut suâ Libidine largita est; sed in Candidato, Acri Judicio ponderavit Nobilitatem Majorum, Claritudinem Familiæ, vividi Animi rarissimas Dotes, Consilium, Providentiam, Probitatem, & Corporis vires, quæ sufficere laboribus possent. *Rara temporis felicitas, quâ homines inviti, non Ambientes, ad honores, virtute sinè Fortunâ*, pervenerunt. *Præsules, Iudices, Senatores, Magistratus, Ministros Imperij, & Aulæ Officiales* nequè à Moribus, nequè à Fortunâ probavit, sed ab eximiâ fide, rerum usu, Pietate, Justitiâ, Modestiâ, Prudentiâ, sapientiâque: ut hoc modo ad honores, Sacerdotia, & Judicia vocati, suo Munere honorificentius fungerentur, Provincias sincerè administrarent. Omnes admonuit *Provinciarum Præsides*, hanc habere Fiduciam, Integritati, Industriæ, & Æquitati paratum fore Præmium; Neque Iniquitati, & Avaritiæ supplicium defuturum. Imperitos, Avaros, sordidos, Improbos, Leves, à suis & Reip: Consilijs removit. *Rallejum* semper amavit, propter summum ejus Ingenium, atquè Obsequium; tamen in *Senatum non ascivit*, ob tectam Improbitatem & Audaciam. *Burleo Quæstori*, pro *Roberto filio* homuncione distorto, *& Ludicæ Artis amore inquinato*, sed Acri quidem Ingenio, callidoque, usum & Ministerium in Negotijs Publicis deprecanti, ut Reip: Muneribus assuesceret, *Epistolas* dictaret, *Edicta* conscriberet, & *Senatusconsulta audiret*, diu negavit; ne *Gibberosus* unquàm, & Corporis Labe deformis, in maximo Clarissimorum hominum proventu, *Consiliarij honorem* consequeretur. Nec multò post, *Parentis* Consilijs, & Potentiâ; ac *Rallej* ope, favore, & gratiâ, suâ incredibili Importunitate, Industriâ, & Solertiâ, *nondùm ætate Senatoriâ, in Ordinem Senatorium allegit*, Participem & Ministrum Consiliorum omnium; Ingenti Nobilitatis Indignatione. Deformitatis oblivisci sibi imperavit. Hoc præsens dignitatis Incrementum, quod *defuncto Buchurstio, qui Collega patris in Præfecturâ Ærarij fuit*, ad Quæsturam usquè processit: ac vehementer displicuit Viris bello Clarissimis; factionesque in Aulâ excitavit, quæ Incauti Comitis, innoxiâ Popularitatis ruinâ & Sanguine, haud cunctanter restinctæ sunt. Ita *Regina* de Numero affluente Senatorum, & Conditione ac Qualitate curiosè providit; delegitquè eos, quorum de Justitiâ, Temperantiâ, Gravitate, Constantiâ, magna esset Opinio Multitudinis. *In delectu autem Iudicum*, optimum quemque, & *Integerrimum Iurisconsultum*, in amplissimum Collegium cooptavit, qui *Iurati* decernere, cum Religione, fide, & diligentiâ. Unus *Hattonus Prætor*, ei Crimen Invidiam conflavit; quia *Ignorationis Iuris*, judicare non potuit ex æquo & Bono; Quamobrem, illo defuncto, *Regina* semper posteà *ex Iudicum Albo & Consessu Prætorem legit*; ut Invidiam Plebis vitaret; Bonis & Fortunis Civium succurreret; & satisfacere exteris Nationibus posset. Hæc quidem de Prudentiâ, ad amplificationem Dignitatis & gloriæ.

Regina in æstimandis hominum ingenijs acerrimi judicij fuit.

2. Iustitia.

Iustitiam, in quâ virtutis splendor est maximus, & fundamentum ejus fidem, semper coluit; Summam severitatem Animadversionis in Reos exercuit; *& delicta Modica non sinè Acerbitate punivit*. *Essexium*, cognitum famâ, fidelissimum Amicorum, atquè optimè de se, Regnoquè meritum, scientiâ rei Militaris, ætate suâ, facilè principem (quâ tamen multi Clari atquè Illustres Militaribus Disciplinis viri extiterunt), fraude magis, & impulsu Inimicorum, quàm suoptè Ingenio arma parantem, adversùs eorum Insidias, fortunæquè infestæ impetum, in ipso Conatu oppressit: Corpusquè ejus, in ætatis flore, Carnificis manibus laceratum, & horrore vulgi conspectum. Vulgus enim adeò, Indignatione Casus tanti viri, exarsit, ut *lapidum Ictibus Tortorem* incesseret; non modò Foro, sed etiam Urbe prohiberet. Heroicæ Fortitudinis ejus locupletissimum Testimonium, *Expugnata Gaditana Insula; Classis referta omni Opulentiâ, publicâ, privatâque; vastata Hispaniæ Ora Maritima; territa Lusitania; Ferocitasquè Tironij ita repressa, ut Facile bellum Montiojo Successori* traderet. Connecterem Cætera Merita virtutis, & *Scelera Inimicorum*, Vi Dolum parantium, Malevolentiâ, Obtrectatione, & *Illustri improba* Mulieris Perfidiâ, quæ non minora præmia Improbitatis & Nequitiæ consecuta est, quàm pudicæ Castitatis, & Continentiæ; maximèque insectata est *Comitem*, arcanæ Consuetudinis oblitum; Nisi ista Materia, *in Historiâ*, copiosius esset tractata. Ubi patent ejus egregia Facinora, virtutes; gesta bello ac Pace; Imperia; constantes Amici; flagitiosus servus, omnium Expeditionum Comes; Crudeles Inimici, insidiari non desinentes; & Altercationes insolentissimæ inter eum, &

Cæcilium:

Cæcilium: ubi Neuter Contumelijs temperavit: cum *Essexius Cæcilio Baticapotentiæ favorem*, *Cæcilius Essexio Cupidinem Regni objiceret*. Audacter dicam, quandiu vixerat, *Anglicam rem* in bello floruisse; postquàm Inimicorum Calumnijs oppressus perierat, paularim concidisse. Tantum in illo viro Momenti fuit ac roboris. *Quàm Constantis Fidei Amicum habuerit*, *Southamtonium*, in ultimo discrimine tristis Judicij, operæ pretium erit, suo loco cognoscere; qui in secundis, in Adversis Beneficiorum servavit Memoriam, & Amicitiam ejus Saluti suæ prætulit: dixitquè pro Tribunali, se socium cujuscunquè Fortunæ, & Comitem luctuosissimi Exitij futurum. Hujus Necis gravem, & manifestam pœnam Numen exegit, à *Cobhamo, Greo*, *Ralleio*, alienæ potentiæ Ministris: quorum Familia, cum sobole corruit: *Et à Cæcilio*, *Authore*, *serius*: *Qui ex diutino Morbo*, *aliquot annis post*, *ulceribus putruit*.

Perottum, magni animi virum, ortum apud *Cambros*, Militari famâ, & Integritate per *Hiberniam* celebratum; sed præferocem, eòque Insidijs opportunum, malè de se opinantem, & probrosis sermonibus illudentem; deindè Reum ob Contumaces, & Inconsultas voces, ad quas excipiendas appositi ab *Hattono* speculatores, auctas in deterius retulerant; postremò excussis probationibus convictum, & sententiâ damnatum, à Judicij die, ad ultimum usquè vitæ tempus, publici Carceris squalore acriter afflixit; in quo vitam, ægritudine animi, & Arbitrio Inimicorum, finivit: ac bonis publicatis, Patrimonium amplissimum amisit. Non caruit *Suspitione oppressi Perotti Burlaus*, utraque Mors sinistrè accepta.

In Sceleribus vindicandis, & Delictis suorum coërcendis, severitas non modò non invidiosa, sed etiam popularis fuit, & optimo Cuiquè gratissima. Dolosè interfectos, multis supplicijs justis, debitisque ulta est. In Talium scelerum Noxios, nullam vim existimavit. Testes sunt per multi, è quorum turbâ duos retulisse operæ pretium erit, brevitatis causâ. Erant ex Equestri Ordine *Daversij Fratres*, familiâ & Opibus clari. Injurijs provocari, Inimicum pari Claritate conspicuum, vi Manuquè ulcisci destinarunt; ad ultimum, improbum Propositum executi sunt, & *Longium*, *fortissimum Equitem*, globulo plumbeo, infrà pectus, adacto, interfecerunt; cum prandendi causâ discumberet. Cæde divulgatâ, *Regina*, vehementer vindicare Maleficia meditata sueta, ad ultionem, mirâ severitate exarsit; diemque dixit, ut supplicium constitueretur in eos. Evasêre Fratres ex illâ Tempestate, primùm in *Franciam*, Necessitate, & Metu; deindè in *Hiberniam*, cognito Provinciæ Motu, ut facinus operâ fortissimâ redimerent. Ubi integrè & strenuè versati, adversùs *Rebelles*, labores & discrimina subierunt; ac longo tempore interjecto, *interveniente Essexij gratiâ*, Veniam Delicti difficulter, crebris ejus precibus, obtinuerunt; atquè eorum *Natu Major* Essexio gratiam pro Officio retulit; vitamquè suam, pro ejus Auctore, laudato exitu profudit.

Hæc de publicis Judicijs. In privatis, semper æqui ac boni respectum, religiosâ cum observatione, conservavit; Summos cum Infimis, *pari Iure* retinuit: *Tenuiores Injuriâ prohibuit*; enixèque operam dedit, societatem Conjunctionis humanæ munificè & æquè tuens, ut Juris & Judiciorum summâ æquitate, *suum quisquè teneret*, ac Communi utilitati serviret. *Ad suum Arbitrium Causas privatas, injustis Iudicijs, aut Sacramentis, in Foro definitas*, revocavit; adhibitis in Consilium Viris magnæ Auctoritatis, & summâ scientiâ *Iuris Municipalis* excellentibus, prudentiâ, & Religione singulari pronunciavit; ut Judices exemplo suæ æquitatis accenderet, & omnes admoneret, nullam partem Reip: esse suâ providentiâ, & Auxilio destitutam. *Reverentiam Magistratibus, ac Senatui, Legibus*, Auctoritatem servavit; *In Foro, & Iudicijs, per Errorem, vel Ambitum, malè judicata, libenter castigavit*; ne increscerent Errores, vel Imperitiâ, vel Iniquitate. *ac finitas Causas retractari jussit, apud alios Iudices, administros Iuris publici*; *ut Ordinarios circumspectiores in Officio suo efficeret*.

Nunc quia Justitiam omnium dominam, & Reginam Virtutum commemoravi, Magnitudinem cum animi, tùm etiam Ingenij, atquè Consilij; & varios excelsæ Mentis actus, à quibus Viri quoquè fortitudinis Exempla sumere possunt; *Liberalitatis Commemorationi vacare libet*. In privatis rebus; *suisquè Sumptibus, parca*; ut Ærario parceret, & alios exemplo doceret, More Majorum, *parcè, Continenter*, *Sobrièque vivere*. In Imperio, & publicâ dignitate, omnia ad gloriam, Amplitudinem, Splendoremquè revocavit: Nequè in rem ullam magnas Impensas fecit, nisi cum *Quæstore Burleo*, homine gravitate, prudentiâ, Sapientiâque præstante, contulisset de Vectigalium ratione, & publicâ pecuniâ, ei creditâ atquè commissâ, ad perpetuos sumptus: Cujus præceptis, & Consilijs *parcior credebatur*, *in remunerandâ virtute Militarium Virorum*, *& decernendis amplis præmijs*. proindè *Grejum*, *Villonbeum*, *Norritium*, *Verum*, homines rerum gestarum gloriâ florentissimos, quorum operâ forti fidelique, in *Belgio*, *Franciâ*, *& Hibernia procuratione*, tàm Illustres Victorias adepta est; bello confecto, in Senatum non ascivit. Attrito *Patrimonio* à Majoribus relicto, quærentes de Inopiâ, *rogantesquè ut æri alieno succurreret*, ac facultates adjuvaret; *Opibus suis è fisco non sublevavit*; nec Censum amplificavit; Nequè specialiter indulsit, fulsit, aut sustinuit. *Laudibus magis*, *quàm Largitione Munerum*, *pecuniâ*, *aut Agris*, *Procerum Militantium animos devinxit*. In Congressu, Colloquioquè, Patientiam, ac Humanitatem præstitit; & nullum finem fecit, testandi ergà eos Benevolentiam suam. Verbis vehementioribus (hic fructus singularis fortitudinis, singularis Industriæ) summo honore, eorum Mentionem prosecuta est, qui pro Salute, Libertate, & gloriâ Regni, vitam effuderant; aut res præclaras gesserant.

Liberalitas. Patrimonia domestica.

Philippum

nuit Regnum; ex Legum præscripto, Vetera Privilegia conservavit; Jus, Æquitas, Libertas, Leges floruerunt. Licet, *Iure, Absoluta Potestatis, penès Regiam Majestatem, Summum rerum omnium Imperium, Arbitriumquè esset, in quibus aut honos aliquis, aut Iurisdictio, aut Procuratio; Tamen nullam rem Majorem, nisi Publico Ordinum Consilio tractavit*: Qui nunquàm *Potestatem Regiam contumacius arctarunt; nunquàm Preceptis, & Consilijs repugnarunt.* In perspiciendis Rationibus Imperij, *Bellum Populo Anglicano melius, quàm Otium convenire*, magnis experimentis, & Annalium Monumentis, annotavit. Quod animadverteret, *Plebem re* Militari ad Virtutem excitari; nimiâ quiete facilè in Segnitiem resolui. *Proceres* si à Laboribus, & periculis Militiæ, ad Otium se contulerint, irrepentè Luxuria sumptuosos, & imbelles efficit. Deditquè in primis operam, nosse Remp:; & eorum, qui gubernacula tractabant, Dicta, factaquè; Exempla Majorum; Instituta publica; Vulgi studia; Mores; Nobilitatis nomina, & Ingenia; Opes publicas, & privatas; Numerum Militantium; Classem; Propugnacula Regni; & Præsidia; Vectigalia; Tributa; Stipendia; Reditus; & sumptus Reip:; Multaquè prudenter providit. *Capite censis*, quorum nimia Inopia suspecta erat, domestica arma non commisit, ne ad Seditionem prolaberentur. *Senatorum Ordinem* nisi Clarissimis hominibus, qui in omni genere Laudis, & Industriæ excellerent, parcissimè dedit. Multiplici pænâ, coërcito Ambitu, raro, Studio, Compendio, gratiâ fautorum, aut suâ Libidine largita est; sed in Candidato, Acri Judicio ponderavit Nobilitatem Majorum, Claritudinem Familiæ, vividi Animi rarissimas Dotes, Consilium, Providentiam, Probitatem, & Corporis vires, quæ sufficere laboribus possent. *Rara temporis felicitas, quâ homines inviti, non Ambientes, ad honores, virtute sinè Fortunâ*, pervenerunt. *Præsules, Iudices, Senatores, Magistratus, Ministros Imperij, & Aula Officiales* nequè à Moribus, nequè à Fortunâ probavit, sed ab eximiâ fide, rerum usu, Pietate, Justitiâ, Modestiâ, Prudentiâ, sapientiâque: ut hoc modo ad honores, Sacerdotia, & Judicia vocati, suo Munere honorificentius fungerentur, Provincias sincerè administrarent. Omnes admonuit *Provinciarum Præsides*, hanc habere Fiduciam, Integritati, Industriæ, & Æquitati paratum fore Præmium; Neque Iniquitati, & Avaritiæ supplicium defuturum. Imperitos, Avaros, sordidos, Improbos, Leves, à suis & Reip: Consilijs removit. *Rallejum* semper amavit, propter summum ejus Ingenium, atquè Obsequium; tamen in *Senatum non ascivit*, ob tectam Improbitatem & Audaciam. *Burleo Quæstori*, pro *Roberto filio* homuncione distorto, *& Ludica Artis amore inquinato*, sed Acri quidem Ingenio, callidoque, usum & Ministerium in Negotijs Publicis deprecanti, ut Reip: Muneribus assuesceret, *Epistolas* dictaret, *Edicta* conscriberet, & *Senatusconsulta audiret*, diu negavit; ne *Gibberosus* unquàm, & Corporis Labe deformis, in maximo Clarissimorum hominum proventu, *Consiliarij honorem* consequeretur. Nec multò post, *Parentis* Consilijs, & Potentiâ; ac *Rallej* ope, favore, & gratiâ, suâ incredibili Importunitate, Industriâ, & Solertiâ, *nondùm ætate Senatoriâ, in Ordinem Senatorum allegit*, Participem & Ministrum Consiliorum omnium; Ingenti Nobilitatis Indignatione. Deformitatis oblivisci sibi imperavit. Hoc præsens dignitatis Incrementum, quod *defuncto Buchurstio, qui Collega patris in Præfecturâ Ærarij fuit*, ad Quæsturam usquè processit: ac vehementer displicuit Viris bello Clarissimis; factionesque in Aulâ excitavit, quæ Incauti Comitis, innoxiâ Popularitatis ruinâ & Sanguine, haud cunctanter restinctæ sunt. Ita *Regina* de Numero affluente Senatorum, & Conditione ac Qualitate curiosè providit; delegitquè eos, quorum de Justitiâ, Temperantiâ, Gravitate, Constantiâ, magna esset Opinio Multitudinis. *In delectu autem Iudicum*, optimum quemque, & *Integerrimum Iurisconsultum*, in amplissimum Collegium cooptavit, qui *Iurati* decernere, cum Religione, fide, & diligentiâ. Unus *Hattonus Prætor*, ei Crimen Invidiam conflavit; quia *Ignorationis Iuris*, judicare non potuit ex æquo & Bono; Quamobrem, illo defuncto, *Regina* semper posteà *ex Iudicum Albo & Consessu Prætorem legit*; ut Invidiam Plebis vitaret; Bonis & Fortunis Civium succurreret; & satisfacere exteris Nationibus posset. Hæc quidem de Prudentiâ, ad amplificationem Dignitatis & gloriæ.

Regina in æstimandis hominum ingenijs acerrimi judicij fuit.

2. Iustitia. *Iustitiam*, in quâ virtutis splendor est maximus, & fundamentum ejus fidem, semper coluit; Summam severitatem Animadversionis in Reos exercuit; *& delicta Modica non sinè Acerbitate punivit.* *Essexium*, cognitum famâ, fidelissimum Amicorum, atquè optimè de se, Regnoquè meritum, scientiâ rei Militaris, ætate suâ, facilè principem (quâ tamen multi Clari atquè Illustres Militaribus Disciplinis viri extiterunt), fraude magis, & impulsu Inimicorum, quàm suoptè Ingenio arma parantem, adversùs eorum Insidias, fortunæquè infestæ impetum, in ipso Conatu oppressit: Corpusquè ejus, in ætatis flore, Carnificis manibus laceratum, & horrore vulgi conspectum. Vulgus enim adeò, Indignatione Casus tanti viri, exarsit, ut *lapidum Ictibus Tortorem* incesseret; non modò Foro, sed etiam Urbe prohiberet. Heroicæ Fortitudinis ejus locupletissimum Testimonium, *Expugnata Gaditana Insula; Classis referta omni Opulentiâ, publicâ, privatâque; vastata Hispania Ora Maritima; territa Lusitania; Forocitasquè Tironij ita repressa, ut Facile bellum Montiojo Successori* traderet. Connecterem Cætera Merita virtutis, & *Scelera Inimicorum*, Vi Dolum parantium, Malevolentiâ, Obtrectatione, & *Illustri improba* Mulieris Perfidiâ, quæ non minora præmia Improbitatis & Nequitiæ consecuta est, quàm pudicæ Castitatis, & Continentiæ; maximèque insectata est *Comitem*, arcanæ Consuetudinis oblitum; Nisi ista Materia, *in Historiâ*, copiosius esset tractata. Ubi patent ejus egregia Facinora, virtutes; gesta bello ac Pace; Imperia; constantes Amici; flagitiosus servus, omnium Expeditionum Comes; Crudeles Inimici, insidiari non desinentes; & Altercationes insolentissimæ inter eum, &

Cæcilium:

Cæcilium: ubi Neuter Contumelijs temperavit: cum *Essexius Cæcilio Baticapotentiæ favorem*, *Cæcilius Essexio Cupidinem Regni objiceret*. Audacter dicam, quandiu vixerat, *Anglicam rem* in bello floruisse; postquàm Inimicorum Calumnijs oppressus periérat, paularim concidisse. Tantum in illo viro Momenti fuit ac roboris. *Quàm Constantis Fidei Amicum habuerit*, *Southamtonium*, in ultimo discrimine tristis Judicij, operæ pretium erit, suo loco cognoscere; qui in secundis, in Adversis Beneficiorum servavit Memoriam, & Amicitiam ejus Saluti suæ prætulit: dixitquè pro Tribunali, se socium cujuscunquè Fortunæ, & Comitem luctuosissimi Exitij futurum. Hujus Necis gravem, & manifestam pœnam Numen exegit, à *Cobhamo, Greo*, *Ralleio*, alienæ potentiæ Ministris: quorum Familia, cum sobole corruit: *Et à Cæcilio*, *Authore, seriùs: Qui ex diutino Morbo*, *aliquot annis post*, *ulceribus putruit*.

Perottum, magni animi virum, ortum apud *Cambros*, Militari famâ, & Integritate per *Hiberniam* celebratum; sed præferocem, eòque Insidijs opportunum, malè de se opinantem, & probrosis sermonibus illudentem; deindè Reum ob Contumaces, & Inconsultas voces, ad quas excipiendas appositi ab *Hattono* speculatores, auctas in deterius retulerant; postremò excussis probationibus convictum, & sententiâ damnatum, à Judicij die, ad ultimum usquè vitæ tempus, publici Carceris squalore acriter afflixit; in quo vitam, ægritudinè animi, & Arbitrio Inimicorum, finivit: ac bonis publicatis, Patrimonium amplissimum amisit. Non caruit *Suspitione oppressi Perotti Burlaus*, utraque Mors sinistrè accepta.

In Sceleribus vindicandis, & Delictis suorum coërcendis, severitas non modò non invidiosa, sed etiam popularis fuit, & optimo Cuiquè gratissima. Dolosè interfectos, multis supplicijs justis, debitisque ulta est. In Talium scelerum Noxios, nullam vim existimavit. Testes sunt per multi, è quorum turbâ duos retulisse operæ pretium erit, brevitatis causâ. Erant ex Equestri Ordine *Daversij Fratres*, familiâ & Opibus clari. Injurijs provocari, Inimicum pari Claritate conspicuum, vi Manuquè ulcisci destinarunt; ad ultimum, improbum Propositum executi sunt, & *Longium, fortissimum Equitem*, globulo plumbeo, infrà pectus, adacto, interfecerunt; cum prandendi causâ discumberet. Cæde divulgatâ, *Regina*, vehementer vindicare Maleficia meditata sueta, ad ultionem, mirâ severitate exarsit; diemque dixit, ut supplicium constitueretur in eos. Evasêre Fratres ex illâ Tempestate, primùm in *Franciam*, Necessitate, & Metu; deindè in *Hiberniam*, cognito Provinciæ Motu, ut facinus operâ fortissimâ redimerent. Ubi integrè & strenuè versati, adversùs *Rebelles*, labores & discrimina subierunt; ac longo tempore interjecto, *interveniente Essexij gratiâ*, Veniam Delicti difficulter, crebris ejus precibus, obtinuerunt; atquè eorum *Natu Major* Essexio gratiam pro Officio retulit; vitamquè suam, pro ejus Auctore, laudato exitu profudit.

Hæc de publicis Judicijs. In privatis, semper æqui ac boni respectum, religiosâ cum observatione, conservavit; Summos cum Infimis, *pari Iure* retinuit: *Tenuiores Injuriâ prohibuit*; enixèque operam dedit, societatem Conjunctionis humanæ munificè & æquè tuens, ut Juris & Judiciorum summâ æquitate, *suum quisquè teneret*, ac Communi utilitati serviret. *Ad suum Arbitrium Causas privatas*, *injustis Iudicijs*, *aut Sacramentis*, *in Foro definitas*, revocavit; adhibitis in Consilium Viris magnæ Auctoritatis, & summâ scientiâ *Iuris Municipalis* excellentibus, prudentiâ, & Religione singulari pronunciavit; ut Judices exemplo suæ æquitatis accenderet, & omnes admoneret, nullam partem Reip: esse suâ providentiâ, & Auxilio destitutam. *Reverentiam Magistratibus, ac Senatui, Legibus*, Auctoritatem servavit; *In Foro, & Iudicijs, per Errorem, vel Ambitum, malè judicata, libenter castigavit*; ne increscerent Errores, vel Imperitiâ, vel Iniquitate. *ac finitas Causas retractari jussit, apud alios Iudices, administros Iuris publici*; *ut Ordinarios circumspectiores in Officio suo efficeret*.

Nunc quia Justitiam omnium dominam, & Reginam Virtutum commemoravi, Magnitudinem cum animi, tùm etiam Ingenij, atquè Consilij; & varios excelsæ Mentis actus, à quibus Viri quoquè fortitudinis Exempla sumere possunt; *Liberalitatis Commemorationi vacare libet*. In privatis rebus; *Liberalitas. Patrimonia domestica.* *suisquè Sumptibus, parca*; ut Ærario parceret, & alios exemplo doceret, More Majorum, *parcè, Continenter*, *Sobrièque vivere*. In Imperio, & publicâ dignitate, omnia ad gloriam, Amplitudinem, Splendoremquè revocavit: Nequè in rem ullam magnas Impensas fecit, nisi cum *Quæstore Burleio*, homine gravitate, prudentiâ, Sapientiâque præstante, contulisset de Vectigalium ratione, & publicâ pecuniâ, ei creditâ atquè commissâ, ad perpetuos sumptus: Cujus præceptis, & Consilijs *parcior credebatur*, *in remunerandâ virtute Militarium Virorum*, *& decernendis ampliùs præmijs*. proindè *Grejum*, *Villonbeum*, *Norritium*, *Verum*, homines rerum gestarum gloriâ florentissimos, quorum operâ forti fideliquè, in *Belgio*, *Franciâ, & Hibernia procuratione*, tàm Illustres Victorias adepta est; bello confecto, in Senatum non ascivit. Attrito *Patrimonio* à Majoribus relicto, quærentes de Inopiâ, *rogantesquè ut æri alieno succurreret*, ac facultates adjuvaret; *Opibus suis è fisco non sublevavit*; nec Censum ampliavit; Nequè specialiter indulsit, fulsit, aut sustinuit. *Laudibus magis*, *quàm Largitione Munerum*, *pecuniâ, aut Agris*, *Procerum Militantium animos devinxit*. In Congressu, Colloquioquè, Patientiam, ac Humanitatem præstitit; & nullum finem fecit, testandi ergà eos Benevolentiam suam. Verbis vehementioribus (hic fructus singularis fortitudinis, singularis Industriæ) summo honore, eorum Mentionem prosecuta est, qui pro Salute, Libertate, & gloriâ Regni, vitam effuderant; aut res præclaras gesserant.

Quaestorem, *& Leicestrium*; qui Vivo quoquè, & Ingentem Magnitudinem animi allatrare soliti sunt. Sed subit Indignatio, cum quâdam Miseratione, *Superbissimum Monumentum Hattoni*, ad illustrandam Novitatem suam, singulari Opere, *in ade Sacrâ Divi Pauli* videre; *neglectosquè Valsingami*, *& Siduei, generi, Cineres*, cum Titulo modico, & Nominibus in Tabulâ, Columnæ appensâ, expressis; quorum Memoriæ Opus aliquod egregium publicè debetur, Monumentumque pulcherrimum, legendum Præsentibus, legendum Posteris. Nec minùs dilexit *Baconum*, lumen Curiæ, Ornamentum fori; *Egertonum*, *& Pophamum*, legum Anglicarum eâ tempestate peritissimos; hisquè tribuebat *Auctoritatem Iuris*, *& Iudiciorum Civilium*, *ac Capitalium*. Sed super omnes *Burleum à rationibus*, in regendâ Rep: diligentissimum; *Filium ab Epistolis*, ingenio callido, acriquè: qui remoto æmulo, Inimicos incessens, in *Vitricum*, & acerrimos *defuncti Comitis* defensores, crudeliter exercuit Iram. Item *Havartum Praefectum Maris*, Ornamentum familiæ suæ; ac exemplum Modestiæ, humanitatis, & Libertatis incredibilis. Hos in honore, Auctoritate, & Usu maximo semper habuit, ad vitæ usquè finem.

Temperantia & moderatio.

Tempus est transgredi, ad celeberrimam partem, *animi Moderationem*, *ac Temperantiam*. Circà *vestitum*, *Cultumquè Corporis* prudens; Moderationem in privatis, Splendorem in publicis tenuit; ita ut nunquam exierit in publicum, nisi *elegantiâ vestium*, multoquè Auro, multisquè gemmis maximi pretij conspicua: *Calceamentis etiam altiusculis*, ut sublimior quàm erat, videretur. Primo Comitiorum die, *Conchiliatas gemmatasquè induta penulas*, *Diadema Capite*, *Sphaeram Auream sinistrâ manu gestans*, *dextrâ Sceptrum*, inter immodicas *Populi acclamationes*, Triumphali ornatu, atque *habitu Virginali*, cum Purpurâ, & Clamide, ac alijs Insignibus regijs, alacri vultu, *Curiam Comitialem intravit*; tanto undiquè Concursu, Studioquè spectandi Purpuram ejus, *Gemmarum Splendorem*, *& Nitorem corporis*, *Ornatumquè Regium*, ut multi Mortales turbâ, aut Calcibus equorum obtriti sint, aut debilitati. *Semper Regium Nomen apud Anglos sanctum*; *hujus femina Sanctissimum*. à quâ quidem cum Pudicitiæ, tùm Virtutum reliquarum omnium, omnes quæ nunc sunt Mulieres, exempla sumere abundè poterunt. *domesticam disciplinam* in Paruis, Modicis, ac Majoribus rebus, pristinum ad Morem diligenter & severe rexit: Uxoribus Modestiam suasit, quandò Mariti minores erant. suas Cupiditates acrius, quàm aliarum coërcuit; & omnes circà se penè sui similes effecit, quia ita imbuit, ita instituit. *Ebrietatem*, *Turpitudinem*, *Impudicitiam*, *& Impudicitia famam*, *ab Aulâ removit*; *Stupra quoquè*, *& Corruptelas*, *ac Adulteria*, *Incesta*. Deniquè fæminas Claræ stirpis, & notæ Impudicitiæ, & impuros Lenones, Curiâ exegit. *Brugesiam pulcherrimam Virginem*, quam non invitam *Essexim* ardentius amabat, ut Causa Necis illius extiterit; & posteà *Cecilij* donis Muneribusquè devinciebatur: *Fittonam*, quam Nobilissimus Adolescens, seu dignitate, seu Moribus, Juvenili errore polluetat, ablegavit. Nec minore severitate tractavit *Proceres Aulicos*, *furiosa Libidinis*, quos Nuptas fæminas adulterasse; aut Regias Puellas violasse, licentiâ Curiali compererat. Sepofuitquè in *Arcem Londinensem*, *Oxonia Comitem*, Juvenem decorum, sepsitquè Custodiâ; quia *Vavesoria*, *Magnitudine eximiâ Mulieri*, *stuprum intulit*: ut assuesceret ipse, & exemplo alijs, ad vitanda *Stupra*, *Adulteriaquè* esset. Sic Proceres, ut Privatos tractavit, immersos penitùs Lûstrorum tenebris, ac stuprorum ganeis. Deniquè, ijs omnibus, qui aliquid turpiter & impudenter fecerant, se Inimicam præbui. Nullum prætermisit Officium *diligentis & Moderata Principis*, in omni Procuratione Negotij & Muneris publici. Privatim monuit Amicos, & Clientes, ne quid perperàm facerent, *undè ipsis exitium*, *sibi dedecus publicum metuendum esset*. *Ne Probrum Castis*, *Labem Integris*, *Infamiam bonis inferrent*.

In ornatu Aulæ, habuit Magnificentiæ rationem, Porticus *Tabulis pulcherrimè pictis* ornavit; Parietes Tapetibus; at pretiosæ supellectilis, *Gemmarum & Margaritarum pracupida*; Lapillos, Vasa Aurea, pretiosa, cælata, Argentea, Lecticas, Carrucas, inaurata Carpenta, Tapetes operis Indici, signa, Tabulas, Toreumata, immenso pretio comparavit. Instrumenti domestici, & *Supellectilis elegantia apparet*, *Hamptona*, quæ longè cæteris antecellit, residuis Lectis, Vestibus, Margaritis, Gemmis, atquè Aulæis magnificis operibus textis; in quibus erant *Imagines Baticarum Navium*; & Argumenta Navalis Victoriæ. Quæ non solùm Artificio delectabant Spectantes, sed etiam Commemoratione hominum, & aspectu Navium majoris formæ.

In Cibo, *Potione*, *& Caeteris vita partibus* Continentissimam fuisse privatim constat. Non somno, ac delicijs, aut vitæ hujus inanibus Oblectamentis obnoxiam. Cibi minimi erat: *utebatur eo qui & suavissimus esset*, *& facillimus ad concoquendum*; vescebaturquè, ingravescente ætate, admodùm temperatè, quocunquè Tempore, & Loco stomachus desiderasset. Ad reficiendum vires, Potus Modici, & vulgaris, ferè non amplius quàm ter, in Prandio, bibere solita. *Nequè temerè à Meridie*, *antè Canam bibit*. Nec Merum gustavit; ne pars animi superior, esset immoderato obstupefacta Potu, atquè Pastu. *Vino aligophoro* maximè delectata est. *Diebus Iejunio consecratis*, *Abstinentiam summâ religione servavit*.

Conviviorum elegantia.

Cum Convivium publicum, dignitatis, non voluptatis causâ, solennibus ac festis diebus, in propatulo, iniret; Mensas conquisitissimis Epulis institui jussit; Abacosquè complures ornari Argento Auroquè cælato. Tùm ad Mensam Proceres dilectos consistere, eosquè ad Nutum diligenter ministrare Condimenta in Cibis; Odores in Floribus; Auribus omnem suavitatem. In hoc Apparatu, Opum Regiarum Ostentatione eximiâ, cum Legatis exterorum, lætitiâ, & gratulatione exultantibus, Convivia concelebravit. & Tempestivis maximè delectata est, *cum Tibiarum sonis*, *Choreis & Cantibus*.

Cùm *Vrsinus, Braciana Dux*, vir summæ virtutis, & Nobilitatis, *Regina* famâ gloriâque commotus, ad visendam eam venisset; vidissetquè Classes, Commeatus, lectas Militum Copias, Opes, Majestatem dominatus, Magnificentiam ædium Regiarum; negavit, *Vnquam beatiorem Principem fuisse.* Summi Proceres ab *Italiâ, Galliâque, Sarmatiâ, & Germaniâ* profecti; *Odetus Cardinalis*; *Valascus Polonus*, *Vicedominus Carnatensis*; *Aldegundius*, ut Illam inviserent, audirentquè: statimquè ut viderant, *Nihil sese Elizabethâ Reginâ magnificentius, Nihil honorificentius, Nihil amabilius, Nihil humanius, Nihil deniquè incredibili Virtute ejus majus, atquè admirabilius, unquam vidisse, legisse, audivisse, crebris Sermonibus commemorarunt.* Vix potest Muliebris Conditio attribui ei, *à qua omnia Vitia Muliebria propè absfuerunt, nisi Mobilis voluntas.*

Honor Equestris, ejus Tempestate rarus; nec nisi Insigni Virtuti, & viris fortibus habitus est. Quia semper putavit, si honores vulgares essent, Viles fore. Proindè Neminem Medioeris fortunæ, atquè Conditionis, in *Equestrem Ordinem* allegit. Pauci assecuti sunt summum dignitatis gradum. *Clintonus, & Havartus*, Præfecti Maris, & Clarissimi viri Meritis; *Leicestrius, & Vervicensis* illustri gratiâ. Pauci *fulgore Baronis* decorati; qui honos apud *Anglos* est secundus; & ad quem *Burleus*, Ministerijs amplissimis perfunctus, ascendit. Hic honoris Gradus parcè & cum dilectu, fidis & dignis datus est, propalàm cum Purpurâ, & alijs Insignibus; non studijs privatis: Nemoque nisi aut honestissimus, aut fortissimus, aut Amicissimus, hoc Titulo, & nomine affectus est. Præmia Virtutis, ac Officij, sancta & casta servavit; nequè Improbis communicavit, ex Commendatione, Imperio, Literis, aut precibus aliorum: Nequè Mediocribus hominibus pervulgavit.

Magni præthereà existimavit, *Periscelidis Nobilissimum Ordinem*; singularis fidei, singularis Industriæ, præmium sincerum, atquè ab omni Colluvione humilioris Conditionis incorruptum servare. Proindè *Cecilium, Patrem in Consilijs* dandis; in Actionibus & Negotijs suscipiendis *suum Nestorem*, mirificè de Rep: meritum studio, Labore, vigilantiâ, propter Mediocritatem Originis, & Novitatem Familiæ, hoc Ordine ægrè decoravit; qui quot, quantisquè Proceribus, propter magna Merita, & prolatos Imperij fines, *Trecentum jam Annos amplius* floruerit, facile est inspicere ijs, qui publica Monumenta legere non fastidierint.

Imperia, Magistratus, Præfecturas, & Officia Aulica benè merentibus concessit; ut exemplo Præmiorum, ad studium æmulationis cæteros provocaret. Nec potuit ferre, ut quisquam eâ potestate, quam ad dignitatem permisit; vel Officio, quod beneficij loco detulerat; abuteretur, ad Quæstum odiosum. Iis qui Pecuniæ causâ omnia facerent parùm credidit; Officijs, aut Administrationibus non præfecit. Nec tamen in suos, aut dura nimium, aut Suspiciosa fuit. Studium, & summa Benevolentia in omnes bonos, Officia, & Amor in Amicos, & Clientes probos, frugi, Continentes, nunquam defuerunt. Ita tamen, ut *non alio Iure* essent *in Cognitionibus Iudiciarijs*, quàm Cæteri; Sed Eodem; ne *Extraordinario Iure* elati, Libertati, Communique Saluti moliri periculum possent. *Sadlerum*, tenuem & obscurum; *Mildemanium, & Fortescutum*, honesto loco natos, ab humili modicâque fortunâ ad *Equestrem gradum, & Senatorium Ordinem*, pro Meritis eorum, provexit; Censum explevit; ne honestam Paupertatem pateretur Dignitate destitui. Nunquàm cessante Indulgentiâ in eos, qui pro Rep: Legationes utiliter susceperant. *Dudleum*, vitâ & Incolumitate donatum, ac maximis honoribus ornatum, (cujus de summâ Potentiâ, summâque fortunâ, Luxu, & Delicijs suprà memoravi) *in interiorem familiaritatem* asscivit; rerumquè omnium Potestatem secùm ei detulit: donec corrupto rebus prosperis animo, ad nimiam Superbiam, Ambitionem, rerum secundarum Comitem, stupra Virginum, ac Matronarum, & Immoderata Convivia, se totum dederit.

Multos servorum, ob fidem, diligentiamquè, re familiari auxit: Alios adversùs Potentissimos Inimicos enixè protexit. *Thomam Nevetum, Equitem*, adversùs splendidissimum virum, *Oxoniæ Comitem*, cum ad ultionem inflicti, in Duello, vulneris, se armaret, Clientibus, Amicis, familiâ; Satellitibus defendit, & sustentavit. *Causam Præsulum*, exagitatam *turbulentis Concionibus Purioris Religionis* professorum, sic Multitudini commendavit, ut nihil tàm Populare, quàm *Episcoporum Nomen*; Nihil tàm omnibus Charum; quàm eorum dignitas esset. Audaciam, furorem, *Temeritatem Therapeutarum*, Legibus, Judicijs, & Supplicijs fregit. Pari virtute, animo, fide, statum Ecclesiæ, omnibus modis quibus potuit, ab Intestinis dissidijs defendit. Quæ Memoria, quæ vis Ingenij, quæ Copia scribendi, Officia, studiaquè in familiares potest enarrare, sinè satietate legentium? Paravit Amicos, quos fide & rerum usu, Item Prudentiæ, Modestiæ, & Bonitatis laude Cæteros anteire, Judicio, studioquè Civium perspexerat. Eorum plerisque, post eam, *Iacobus amplissimo Regis Angliæ honore ornatus*, ut & sibi, & Reip: necessarijs, acquievit; & agenda communicavit, præcipuèque usus est. *Nullum magis boni Imperij Instrumentum rata est, quàm bonos Consiliarios.*

In primis dilexit *Franciscum Valsingamium, ab Epistolis*, Columen Reip: cui publica salus Incolumitasquè clarior, quàm sua utilitas: quoniam in Insidijs hostium explorandis Industrius; non in augendâ re familiari diligens; non magnoperè de Commodis hujus vitæ sollicitus; præ studio Communis salutis, propriæ utilitatis oblitus est; multoque diligentius Muneri suo consuluit, quàm facultatibus; eòque à Posteris usquequàque celebrandus, qui magnam partem Patrimonij Reip: Negotijs contulit. Post Mortem quæsitum est, de Pecuniâ fisco debitâ, quam Sumptus publici exhauserant: cum ex Bonis redigi non possit, Hæreditatis multa maxima pars vendita est: versaquè facti Invidia in

Quæstorem,

Sole, *ambulavit in hortis & locis umbrosis.* Aere crasso, vel Ventis inquieto, *in Triclinium secessit:* & ut nihil de die perderet, Viros eruditos, & Prudentes, studijs, doctrinâque præditos, *Stanhopinum, aut Savelium evocare suevit:* & reliquam diei partem, remota ab Oculis Populi, *in gravissimorum Auctorum Monumentis legendis, evolvendisquè*, studiosè, intelligenter consumere; Non Ambitione vanâ cognoscendi semper aliquid, atquè discendi ad Ostentationem; sed studio, Vitam ad res gerendas confirmandi, & à Peccatis avocandi. Cum maximis præmijs Labores eorum, & Industriam remuneravit, Opibus auxit, dignitatibus honestavit; habes æstate hyemeque Consuetudinem.

Nunc Convictus rationem, ac Disciplinam; & non seria modò, sed etiam Lusus exprimere, operæ pretium videtur. Fame interpellante, *Cibum levem & facilem Æstate sumpsit, in Cubiculo* Saluberrimo, afflato levi Aurâ, ex Amænis hortis, & Nitidissimis Collibus. *Interdum in Arcano*, frequentius præsentibus Amicis. Cum Cibo moderato, & Potione modicâ Fames Sitisquè depulsa est, *Toro Indico, eleganter Strato, paulisper conquievit.* Nihil *Hyeme* in Consuetudine vitæ permutavit, nisi *Meridianum somnum.* Consummato die, *Cœnam serim injust*, parcè sobriequè. Inter Cænandum *Familiarissimè* egit cum Amicis, & domesticis; *ac Tacentes, ad hilaritatem, & Festivam Vrbanitatem, summâ Comitate provocavit*; quâ Tristitiam temporis condiebat. Cœnæ quoquè tempore, *Tarletonum histrionem* venustum, ac Dicacem; *& Aretalogos* non mediocri urbanitate præditos, *in Mensâ Quotidianoquè Convictu*, animi relaxandi causâ, festivè dictis, adhibuit; ac *arreptos de Trivio Iocos, verecundos tamen*, sæpius & Liberales, magnâ Comitate admisit. Frequenter *Hyeme, Comœdis Musicis, vel Lyristis*, post Cænam, patefecit aures. Sed cum obscœnâ Petulantiâ, Scurrarum Convitijs, & *Theatrali Licentiâ* luctata est. Nam cum *Tarletonus Comœdus lepidissimus, Anglicani Voluptas Theatri, Lepore, atquè Comico sale*, foliorum pictorum lusum, plenum Oblectationis, (vulgò *Maje* nominatum) in Regiâ Convivis exhiberet, *in quo Cordium Monas, Iudicis Charta, Nebulo, & Pentas dominantur*; ac in Scenâ, Spectante *Elizabethâ*, inter Actum, *intento in Ralleium digito* proclamaret, *Ecce Nebulo imperat Regina*; perstrictusquè Iratæ Principis vultu, Nimiæ illum, & intolerabilis potentiæ, *Lusionis Cavillatione*, arguere perseveraret; & eâdem Libertate impunè usus esset, *in Leicestrij Nimias Opes, & minimè* ferendam Potentiam, assentientibus ei, clarâ voce Plausuquè, universis spectatoribus; *Illa Comœdorum publicatos in suas sales, Maledicta, & Convitia æquo Animo tulit. Tarletoni* Libertate immoderatâ, & Impudentiâ offensa, vetuit *Scurras, & Moriones Mensæ appropinquare.* Cum hominibus eruditis, *qui varias Regiones peragraverant*, multis audientibus, sermonem habere; & de Moribus externis, ac publicâ disciplinâ solita est percunctari. *Aretalogos*, quos Natura finxit *Narratores facetos*, & vultu adjuvante, & Voce dilexit; *Dicaces, cum aculeo, & Maledicto*, contempsit. Et *Pumiliones, atquè Monstrosos Partus*, usitatam rationem excedentes, & Ludibria Naturæ, Maliquè Ominis, detestata est. Habuit in delicijs *Canes minores, Luscinias, Psittacos, Cercopithecos:* laxavitquè animum in solitudine, varijs sermonibus, *Lusu Latrunculorum, Saltatione*, & Vocum Modulatione. Deindè se *in Interiorem Thalamum, & arcanum Secessum recepit*; ubi adhibebantur Mulieres nuptæ Nobiles; *Vidua Marchionis Vintoniensis, Comitis Vervicensis; & uxor Scrupi Baronis*, ipse tamen cum vir *Finibus Occiduis* præsideret. Per paucos familiarium unquam adhibuit, gratiæ aut benevolentiæ causâ; exceptis *Leicestrio, Hattono, Essexio, Nottingamio, Ralleio*; cum quibus quotidiè arctè, familiariterquè vixit; seria & Jocos miscuit, *Lusit festis diebus, præcipuè Saturnalibus*, oblectandi animi gratiâ, *Tesseris, aut Chartis*; quibus se Otium aulicum oblectare solet; *& cum vicisset pecuniam, à singulis præsentibus acrius exigere solita est.* Posteà ubi Somnus adrepsit, blandè salutando, idquè gravissimis verbis, cubitum decessit, & Nocturnæ quieti se dedit; accubante aliquâ Illustrium fœminarum, Officio & voluntate adductâ: ac *præter Excubias Satellitum*, pernoctante, de More, *Armigero Corporis sui*, in proximo Senaculo; ne Officij, vel Negotij causâ, maturius è somno suscitaretur.

Tædet referre, quid alij Reges, Nationes, Socij, Clientes, Cives, hostes, quibus Justitia ejus & Humanitas penitùs perspecta fuit, de Imperio, Statu, Magnificentiâ, Potentiâ existimarint; Sæpè magis mirantes privatim, & publicè excelsum Animum Majestatis suæ, quàm amplissimam fortunam. Etsi fœmina fuit, cui Natura, aut fortuna, plurima dederat Ornamenta, & indulgentiæ suæ Munera egregia; *non tamen omnis Reprehensionis expers fuit*; nequè adhuc extitit quisquam Mortalium, cujus virtutes Vitiorum confinio non læderentur. *Ira atquè Iracundiæ obnoxiam se, Voce, Vultu, Manu testabatur*, cujus impulsu familiares ita graviter corripuit, ut Vox à procul stantibus exaudiretur. *Illustres Virgines, parvâ interdum Offensione, pugno pulsasse, Vulgi rumor fuit.* Sed Iræ brevis quidem & innoxiæ, impetum ejus, præclarâ Indole, & honestâ disciplinâ *Zenophontis, in eo libro, qui est de Institutione Cyri Minoris, Persarum Regis*, coërcere didicit; & Amicis pænitentiâ satisfacientibus, placidâ mente, multarum rerum Veniam dedit.

Prætereà, *salutarem Severitatem, Clementiam calamitosam duxit.* In Animadversione, pænâque durior. Præcipuè, quia *Scotorum Reginam exulem*, Inopem, Regni sui Sede, atquè fastigio dejectam, Dignitate, Opibus, fortunis omnibus à Civibus spoliatam, fide datâ, venientem intrà suos fines, in hospitium, Tutelam, atquè Patrocinium clementer recepit; mox in Carcerem ductam, *quasi Molitricem Novarum rerum, Fothringamiæ, in Custodiâ, interemit*; inusitato, ac inaudito tristis & acerbæ severitatis exemplo. Non *hostis, sed hospitis innocenti sanguine*, fœlicissimum Principatum suum polluit. Plùs valuerunt Iræ, Odijquè veteris Offensæ, quàm vel *Regij Nominis dignitas*, vel vicinorum

Severitatis acta.

Principum

& homines externos Illustres, hoc genere Liberalitatis affecit. Etiam *Curiales suos hospitales esse voluit; & patere Procerum domos hospitibus.*

Referre piget *festorum dierum Epulas*, Lætitiam, Magnificentiam; quantâ ceremoniâ dapes imponerentur; quàm solenni ritu Pocula ministrarentur; quàm sæpè *satellites genua flecterent*; quomodò cuncta Cantu & Cymbalis personarent; *& Ipsa civili habitu saltaret*; daretquè aliquid Temporis, ad Inanes Adolescentiæ Cupiditates: quia omnia Solennia Conviviorum, adhuc *in domo Regiâ* servantur, fidicularum vocumquè Modulationes adhibentur; idquè etiam Reip: est Ornamentum. *Alenconij in Angliam adventus*, licentiori vitæ viam aperuit, & prisci roboris nervos hebetavit. Hunc *Regina* Illecebris complexa, *saltatorium versavit Orbem*. Nihil omisit, quod *vel Voluptatem afferret* ipsi Lusibus, Jocisquè, & multarum serum Jucundissimarum varietate: *vel dignitatem*, dapibus largis, abundanti vino, Unguentorum fragrantiâ, Chorearum usu lasciviore, Personis tecto Capite, variâque veste velatis. Et apparatissimos interposuit *Ludos scenicos*, Comœdias, & Tragœdias. *Indè tracta indomita licentia ejusmodi Ludis indulgendi; ut Major ad Spectacula fieret Concursus, quàm ad Sacras Conciones.* Inchoatam semel Lautitiam, *Aulici Proceres*, satietate abijcere non potuerunt. Sed *Alenconio dimisso*, ablegatoquè, *Regina* reliquit studia delectationis; sequè ad Curam Reip: revocavit; partim suo Exemplo, partim castigando Luxum, *Proceres* ad Temperatiorem vitæ rationem, & Civilem habitum reduxit. Tempus deficiet, referre reliquas innumerabiles, eximiasquè Laudes Moderationis, & Temperantiæ; quas Posteri omnes Memoriâ repetent, Laudibusquè debitis celebrando, quotidiè florentiores efficient; & immortali gloriâ consecrabunt.

Nunc *familiaris vita Instituta* explicabo. Ordinem vivendi ferè hunc tenuit, *ut Necessitates Voluptatibus; Ludis, Iocis, Convivijs, seria Iucundis* anteferret, Matutinis horis, *primùm sacris; deindè Curis Civilibus*, Literis legendis de Exterorum statu, vel dictandis vacavit; & de Negotijs ad Consilium publicum referendis; *Philippicis Insidijs*, aut Machinationibus, ut sub suam Ditionem, Jurisdictionem, Potestatem, Civitates, Nationes, Provincias, Liberos populos, & Terrarum Orbem subjungeret. Cum *Aulæ Primoribus*, quos fide, rerum usu, vigilantiâ, Curâ, & industriâ, Cæteros anteire noverat, secretò antè tractavit; ac quid censerent, liberè proferre jussit; & ex omnium sententiâ, quid Optimum factu esset, statuit. Deindè defatigata Curâ, Labore, tristitiâ, requiem quæsivit ex magnis Occupationibus; *& deambulavit in hortorum umbrâ, vel Porticu amœnâ, & Arbitris semotâ, cum excellentibus Clarissimisquè viris in aliquo genere disciplinarum.* Indè vehiculum conscendit; vicinos Saltus, vel Sylvas, admissâ plebe, lustravit; excussit Cubilibus feras; Aucupio, Venatione, ac omni honesto Labore Otium temporis exegit, in robore ætatis. Nec minùs animum studijs, quàm Corpus Labore exercuit. Sic & Animo, & Corpori, suis utriquè Muneribus aptè distributis, consuluit. Quotidiè ferè, ordine quodam, & velut Orbe, modò à studijs ad res agendas; modò à rebus agendis, ad studia liberalia, se traduxit: & in vitâ Magnam partem diei, inter tot Imperij Curas, quasi per Otium, transegit. Sic in studijs severitatem, Comitatemquè miscuit. Æstatis tempus *in Rusticationibus* semper consumere consuevit. Obivit tum maximè Provincias, varietate gratissimâ, Arvis, Pratis, Pascuis, Sylvisquè amœnas: *magnam capiens Voluptatem ex Bonitate Agrorum, fructuum Magnitudine, varietate Regionum pulcherrimarum*; frequenti ibi, & variâ Venatione. At Otium *Venationibus ferarum* ita oblectavit, ut in medijs voluptatibus rei domesticæ, & reip: Memoriam retineret; atquè externas quoquè res perspiceret. Quacunquè divertit, convertit Ora Vultusquè hominum, publicè & privatim; maximam lætitiam vulgi concitavit, immunerâ Civium Multitudine obviam ei prodeunte; quid enim Jucundius, quàm Principis Justitiam, beneficentiam, & Comitatem inspicere? Quamobrem Illæ se urbes beatissimas existimabant, apud quas Illa, ob Temperiem Cæli, salubritatem, Pulchritudinem, & Villarum Amænitatem, diutissimè commorabatur. *Facillimi fuerunt Aditus in secessu; admissi Privati cum Magistratibus; viri cum fœminis; Agrestes cum pueris; securi, & hilares. Patuerunt aures patienter Afflictorum querimonijs, de aliorum Injurijs. Tenuiores propter humilitatem, non modò ullo Populari Accessu, sed ne domo quidem Regiâ exclusit. Summos cum Infimis pari Iure retinuit. Summâ Comitate adeuntium Rusticorum Supplices libellos recepit, extentâ manu. Querelas, & Desideria eorum sibi Curæ fore respondit.* Injustè oppressos, atquè miseros, Auctoritate suâ texit: fraudulentos, Mendaces, Perditos, flagitiosos què punivit. In tantâ Officiorum varietate, *nunquàm Laudem Humanitatis refregit; Intempestivè accedentibus, aut impudenter rogantibus, non succensuit, severiore vultu.* Nulli vehementiores implacabilis animi Motus extiterunt; Nulla Opprobria; Nullæ Contumeliæ. *Nec quicquam incendit magis Amorem benevolentiamquè hominum, per totum Imperij tempus, quàm facilitas, Affabilitasquè sermonis, & Mira suavitas, mira hilaritas.* Ita transegit æstate sæpè tempus.

Hyeme, Consuetudinem suam in Civibus, Socijsque conservandis, communique quiete procurandâ retinuit. Antè lucem *supplicium Postulatis audiendis*, & Negotijs publicis transigendis, saluti Commodisque omnium, animum intendit; accersitis ijs omnibus, qui *ab Epistolis, Libellisquè, & à Memoriâ* essent; perlectis Senatusconsultis, Edictis, Diplomatibus cuicunque concessis, Desiderium omnium Breviarijs, & *suâ, vel Secretariorum Manu signatis*, ac decisis, quæcunque obvenissent, Negotijs Civilibus. Quoties aliquid arduum incidit, Claros & sapientes viros, benè Consulentes reip: advocavit; & diversitates Rationum, acri magnoque Judicio, ponderavit. Posteà defessa Labore, repentè

Familiaris vita.

Sole, *ambulavit in hortis & locis umbrosis.* Aere crasso, vel Ventis inquieto, *in Triclinium secessit*: & ut nihil de die perderet, Viros eruditos, & Prudentes, studijs, doctrinâque præditos, *Stanhopium, aut Savelium evocare suevit*: & reliquam diei partem, remotâ ab Oculis Populi, *in gravissimorum Auctorum Monumentis legendis, evolvendisquè*, studiosè, intelligenter consumere; Non Ambitione vanâ cognoscendi semper aliquid, atquè discendi ad Ostentationem; sed studio, Vitam ad res gerendas confirmandi, & à Peccatis avocandi. Cum maximis præmijs Labores eorum, & Industriam remuneravit, Opibus auxit, dignitatibus honestavit; habes æstate hyemeque Consuetudinem.

Nunc Convictus rationem, ac Disciplinam; & non seria modò, sed etiam Lusus exprimere, operæ pretium videtur. Fame interpellante, *Cibum levem & facilem Æstate sumpsit, in Cubiculo* Saluberrimo, afflato levi Aurâ, ex Amænis hortis, & Nitidissimis Collibus. *Interdum in Arcano*, frequentius præsentibus Amicis. Cum Cibo moderato, & Potione modicâ Fames Sitisquè depulsa est, *Toro Indico, eleganter Strato, paulisper conquievit.* Nihil *Hyeme* in Consuetudine vitæ permutavit, nisi *Meridianum somnum.* Consummato die, *Cœnam serim injuit*, parcè sobrieque. Inter Cænandum *Familiarissimè* egit cum Amicis, & domesticis; *ac Tacentes, ad hilaritatem, & Festivam Urbanitatem, summâ Comitate provocavit*; quâ Tristitiam temporis condiebat. Cænæ quoque tempore, *Tarletonum histrionem* venustum, ac Dicacem; *& Aretalogos* non mediocri urbanitate præditos, *in Mensâ Quotidianoquè Convictu*, animi relaxandi causâ, festivè dictis, adhibuit; ac *arreptos de Trivio Iocos, verecundos tamen*, sæpius & Liberales, magnâ Comitate admisit. Frequenter *Hyeme, Comedis Musicis, vel Lyristis*, post Cænam, patefecit aures. Sed cum obscænâ Petulantiâ, Scurrarum Convitijs, & *Theatrali Licentiâ* luctata est. Nam cum *Tarletonus Comadum lepidissimus, Anglicani Voluptas Theatri, Lepore, atque Comico sale*, foliorum pictorum lusum, plenum Oblectationis, (vulgò *Maje* nominatum) in Regiâ Convivis exhiberet, *in quo Cordium Monas, Iudicis Charta, Nebulo, & Pentas dominantur*; ac in Scenâ, Spectante *Elizabethâ*, inter Actum, *intento in Ralleium digito* proclamaret, *Ecce Nebulo imperat Reginæ*; perstrictusquè Iratæ Principis vultu, Nimiæ illum, & intolerabilis potentiæ, *Lusionis Cavillatione*, arguere perseveraret; & eâdem Libertate impunè usus esset, *in Leicestrij Nimias Opes, & minimè* ferendam Potentiam, assentientibus ei, clarâ voce Plausuquè, universis spectatoribus; *Illa Comadorum publicatos in suas sales, Maledicta, & Convitia æquo Animo tulit. Turletoni* Libertate immoderatâ, & Impudentiâ offensa, vetuit *Scurras, & Moriones Mensæ appropinquare.* Cum hominibus eruditis, *qui varias Regiones peragraverant*, multis audientibus, sermonem habere; & de Moribus externis, ac publicâ disciplinâ solita est percunctari. *Aretalogos*, quos Natura finxit *Narratores facetos*, & vultu adjuvante, & Voce dilexit; *Dicaces, cum aculeo, & Maledicos*, contempsit. Et *Pumiliones, atquè Monstrosos Partus*, usitatam rationem excedentes, & Ludibria Naturæ, Maliquè Ominis, detestata est. Habuit in delicijs *Canes minores, Luscinias, Psittacos, Cercopithecos*: laxavitquè animum in solitudine, varijs sermonibus, *Lusu Latrunculorum, Saltatione*, & Vocum Modulatione. Deindè se *in Interiorem Thalamum, & arcanum Secessum recepit*; ubi adhibebantur Mulieres nuptæ Nobiles; *Vidua Marchionis Vintoniensis, Comitis Vervicensis; & uxor Scrupi Baronis*, ipse tamen cum vir *Finibus Occiduis* præsideret. Per paucos familiarium unquam adhibuit, gratiæ aut benevolentiæ causâ; exceptis *Leicestrio, Hattono, Essexio, Nottingamio, Ralleio*; cum quibus quotidiè arctè, familiariterquè vixit; feria & Jocos miscuit, *Lusit festis diebus, præcipuè Saturnalibus*, oblectandi animi gratiâ, *Tesseris, aut Chartis*; quibus se Otium aulicum oblectare solet; *& cum vicisset pecuniam, à singulis præsentibus acrius exigere solita est.* Posteà ubi Somnus adrepsit, blandè salutando, idquè gravissimis verbis, cubitum decessit, & Nocturnæ quieti se dedit; accubante aliquâ Illustrium fœminarum, Officio & voluntate adductâ: ac *præter Excubias Satellitum*, pernoctante, de More, *Armigero Corporis sui*, in proximo Senaculo; ne Officij, vel Negotij causâ, maturius è somno suscitaretur.

Tædet referre, quid alij Reges, Nationes, Socij, Clientes, Cives, hostes, quibus Justitia ejus & Humanitas penitùs perspecta fuit, de Imperio, Statu, Magnificentiâ, Potentiâ existimarint; Sæpè magis mirantes privatim, & publicè excelsum Animum Majestatis suæ, quàm amplissimam fortunam. Etsi fæmina fuit, cui Natura, aut Fortuna, plurima dederat Ornamenta, & indulgentiæ suæ Munera egregia; *non tamen omnis Reprehensionis expers fuit*; nequè adhuc extitit quisquam Mortalium, cujus virtutes Vitiorum confinio non læderentur. *Ira atque Iracundiæ obnoxiam se, Voce, Vultu, Manu testabatur*, cujus impulsu familiares ita graviter corripuit, ut Vox à procul stantibus exaudiretur. *Illustres Virgines, parvâ interdum Offensione, pugno pulsasse, Vulgi rumor fuit.* Sed Iræ brevis quidem & innoxiæ, impetum ejus, præclarâ Indole, & honestâ disciplinâ *Zenophontis, in eo libro, qui est de Institutione Cyri Minoris, Persarum Regis*, coërcere didicit; & Amicis pænitentiâ satisfacientibus, placidâ mente, multarum rerum Veniam dedit.

Prætereà, *salutarem Severitatem, Clementiam calamitosam duxit.* In Animadversione, pænâque durior. Præcipuè, quia *Scotorum Reginam exulem*, Inopem, Regni sui Sede, atquè fastigio dejectam, Dignitate, Opibus, fortunis omnibus à Civibus spoliatam, fide datâ, venientem intrà suos fines, in hospitium, Tutelam, atquè Patrocinium clementer recepit; mox in Carcerem ductam, *quasi Molitricem Novarum rerum, Fothringamiæ, in Custodiâ, interemit*; inusitato, ac inaudito tristis & acerbæ severitatis exemplo. Non *hostis, sed hospitis innocenti sanguine*, fælicissimum Principatum suum polluit. Plùs valuerunt Iræ, Odijquè veteris Offensæ, quàm vel *Regij Nominis dignitas*, vel vicinorum

Severitatis acta.

Principum

Principum preces, vel Hospitij Jus, vel supplicis Lachrymæ; non erat deprecationi locus; ita enim destricta, & inexorabilis vindicta. Plerique durum, Agreste, & luctuosum hoc factum, ac Crudelitatis Infamiam, *Moderamine inculpatæ Tutelæ, urgente discrimine præparatæ Conjurationis, excusant*; & patefactis Insidijs, quas Vitæ & Regno fieri intelligebat, non aliter salutem, & Incolumitatem defendere potuisse credunt, nisi pænâ afficeret eos, à quibus perspexisset sibi Insidias patatas. Stulta Cautio, *ut Insidias fugeret, perimere Exulem, Cognatam suam, proximam successioni*, quæ jam nocere non poterat; & Nominis suis prosperam Memoriam, inexpiabili Detestatione polluere. Si saluti consulendum erat, *Captivam* dimitteret, Insidiarum causas præcidisset, & famæ prodesse potuisset. *Scotâ violatâ*, ingens Indignatio, ex isto facto, Mentes exterorum occupavit. Ubi rescivit patratum Parricidium, & *Communem Indignationem omnium Regum*, graviter deploravit Casum acerbissimum lachrymis, dolorisque Insignibus; *& sceleris Infamiam, Culpam, in Actores transtulit; & ad omnem Mentionem casæ Reginæ, ingemiscere consuevit, miserabili Lamentatione*. Tanta vis fuit pænitendi; licet sera inutilisque.

Leicestrio, atquè Hattono, dominationis suæ fautoribus, atquè Rectoribus, per Contumelias, Indignitates, & Tædia, Causa Mortis, extitisse creditur. Sat constat Utrumquè pulsum gratiâ, vi, Metu, & Mærore, ad fastidium vitæ, ab eâ compulsum. Nam *Leicestrium*, suorum Consiliorum omnium participem, & Adjutorem, *res Novas in Belgio molientem, licentiâ Militari intestinas seditiones foventem, in Provinciâ fœdere conjunctâ; ac Potentiam Vicarij generalis, in Angliâ, & Hiberniâ*, non ferendam, concupiscentem, *Burleo authore*, Ira ad ægritudinem animi; & Mortem perduxit; ut Alij, ejus docti exemplo, sapientius non modò suis, verùm etiam publicis Rationibus consulerent; & nimijs honoribus abstinerent. Is repulsâ acceptâ, certus procul Aulâ degere, *Killingnortha* repetens secessum, gravissimis æstibus in Itinere, febrim nactus est assiduam, & satis molestam: quâ ad Mortem usquè vexatus, tunc *se hominem esse meminit*; Potentiam, Honores, Opes, gratiam neglexit, & extremum vitæ Spiritum edidit. *Plurimi Versus, qui in illius Luxuriam facti sunt*, totâ Britannia percelebrantur. Decessit superstite *Fratre Vervicensi*, prope Inimicorum Confessione, Viro bono, atquè Integro; cujus nulla fraus, nulla Avaritia, nulla Malitia in vitâ profertur; Successit ei in Opes; nequè diu superfuit. *Reliquit Leicestrius filium Nothum, Robertum Dudlejum*, admodùm Adolescentulum, posteà Expeditionibus Maritimis Nobilem; ex Illustri fæminâ, facie eximiâ, ut prædicatur; cui etiam Nuptias pollicitus ferebatur, antequàm Libidini consentiret. Is Memoriam propè internortuam Generis sui aliquandiu sustentavit. *Regina*, auditâ Morte *Leicestrij*, Naturâ impulsa, à Dolore se continere non potuit. Mox appellati sunt *Testamenti Executores*, de Pecuniâ, quam Fisco, ex Contractu privato, defunctus debebat; & Bona ejus in *fiscum* redacta, quæ indè fuerant extracta, Donationibus, Prævaricationibus, Emptionibus, Permutationibus, Alijsvè Machinationibus, *in fraudem fisci*; Ita postulante Reip: Necessitate, quæ Illi omnibus Fautoribus charior erat. *Dudlejus*, illegitimo Coitu procreatus, paternis Opibus exclusus est, & *succedendi Iure* prohibitus.

Hattonum, calamistratum Saltatorem, nullâ Majorum Laude celebratum, in excelso Præturæ gradu collocavit, virum superbæ impotentisquè Arrogantiæ; qui cum verbosâ sapientiæ simulatione peroraret, nulla secuta Principis, de More, commendatione, ipse conticuit aliquandìu, & Cæteris silentium fuit. *Regina* accensa, ob Pontificiarum partium studium, *ut Tumidum, & inflatum fortunæ Indulgentiâ, contumeliosè corripuit*; exprobrans atrocibus dictis, *quod Alienâ Eloquentiâ egeret; & Ire, in quo versaretur, ignoraret*. Is neutram in partem mutato vultu, gestu perseveranti, & Motu corporis, meditatæ, & composita à *Suallo*, disciplinâ Juris Civilis eruditissimo, disseruit. *Aculeus Contumeliæ* elatum animum altius penetravit; propterea maximam ægritudinem, ac Molestiam cæpit; & irrevocabili Pervicaciâ destinavit, ægritudine animi Vitam finire. Iter Mortis ingressus, jam medium ferè tenuit. Undè *Regina*, subeunte pænitentiâ Acerbitatis suæ, afflictum, mærentemquè, ac planè Moribundum præsens solata est, Vultu, Complexu, sermone; & Curam salutis officiosam, sed inanem, adhibuit; Nihilquè prætermisit, quod ad levandam, ex insanabili mærore, Molestiam pertineret; sed consolando revocare ab Instituto Mortis Consilio, ad vitam, & eximios honores, non potuit animum, recentis doloris victum debelitatumquè Magnitudine, cupientem obstinatè mori. *Optima vindex Insolentiæ, varietas rerum mortalium*. Prætor Cælebs decescit. *Nepos ex fratre*, Prædijs, bonis, & facultatibus successit; Amplitudinem Nominis, & familiæ Posteris quæsivit. *Regina* pecuniam publicam, quæ sibi debebatur, non exegit; sivit esse defuncti Patrui hæredem; ob *Burlei Affinitatem, cujus Neptem in Matrimonio habuit*.

Officium pium sed inutile.

Nec deerant Irritamenta severitatis, *scelerata Conjurationes detectæ*, severitatem Immanitate Criminum excedentes; *Motus Civiles*, Libri quoquè Criminosissimi, incertis Authoribus vulgati, *in sævitiam Principis*, non sinè Auctorum Ignominiâ. Crudelitatis Infamiam effugit, maximas pænas constituens in Auctores, & duces Conjurationum, ac scelerum. Indè *multa Procerum Cædes; Nobilissimarum familiarum strages; Papanorum tot supplicia, Exilia, fuga*, qui statum Regni conati erant convellere. Proinde *Pontificij quidam*, invidi Obtrectatores, aut gratum *Pontifici Romano* putantes, unâ voce indignantes, *tanquàm sævam, & sanguinariam* audacter suggillarant; & Carminibus maledicentissimis, impudenter lacessiverant existimationem; licet magno scelere eorum, severitas, ad exigendam vindictam, excitata sit.

Ab Iniquioribus, *Pudicitia* obliquè quoquè, effrænatâ Temeritate, suggillata. Dux & Signifer istorum fuit, *Nicolaus Sanderus*, turpissimus Calumniator, ad singularem Nequitiam natus, & Malitiam mirandam. Is omnis in scribendo Modestiæ oblitus; *supra Natalium vitium excussam pridem, & antiquatam Calumniam*, multa ficta Crimina impurissimè teterrimèque objecit; ac variorum dedecorum Infamiam, Periculosas potentias fautorum, summas divitias, Impias Cupiditates, & in Rep: violandâ fraudes inexpiabiles. Sed ejus Maledicentiam, & Opprobrium Pudicitiæ, facillimè refutavit, incredibili Castimoniæ, in omni vitâ, observantiâ; in quâ Luxuriæ umbram Inimici reperire non potuerunt. *Difficile est credere fuisse fœminam*. Hac quondam Continentiâ, scelerati & impij hominis maledicta, plena Vecordiæ, Mendacia, & Commenta fraudis, Perfidiæ, omnia falsò prodita, spreta exoleverunt. Nequè huic Maledicendi Libido diu impunè fuit; siquidem sceleris Infamiâ, in furorem antè Mortem, Mentis impetu abreptus, ad Insaniam pervenit: Numine, in Exemplum, Principum Injurias ulciscente. Ac ne sic quidem Ira Cælestis Numinis exatiari potuit. In *Hiberniâ Geraldinorum seditioni* favens, & in Solitudine Radicibus herbarum Agrestium vescens, Inediâ exanimatus, Cadaver insepultum Feris absumendum reliquit homo Amentissimus: magnusquè ex hoc spectaculo Plausus excitatus est.

Sanderi libellus famosus de Schismate.

Dydimus, falso nomine *Veridicus*, virulentus Obtrectator, ejusdem furoris veluti Contagione correptus, scelestis dictis aures hominum polluere ausus est, & famam *Clarissimæ Principis* labefactare, omni Laude atquè communi hominum prædicatione munitam. Multa Absurda, falsa, Incredibilia confinxit; & mera Portenta Pictorum, scripta ejus; plena Vesaniæ, Inania, & referta Nugis, mentiendi Licentiam ita apertè arguunt, ut ejus reprehensionem Legentium Prudentiæ remittam.

Florimundus Remundus, Levis Auctor, *Sanderum Fontem Maledictorum* secutus, *enumerat Pontificiorum Carceres, Cruciatus, supplicia, Ignominias.* Scribit impudenter, fora & Compita, eorum innocenti Sanguine redundasse; Tormenta adhibita *Presbiteris*; Matres familias trucidatas; *Laicos* ad Mortem, Cruciatumquè raptos: Oblitus, aut dissimulans *plures Protestantes, innocentes homines, per Quinquennium Mariâ regnante, crudelissimè Igni absumptos, quàm toto Elizabetha tempore, Pontificios convictos Maleficij, justo supplicio affectos*, Cum Remp: miscerent, rerum Novarum causam indies quærerent, Mala Consilia agitarent, & Insidias *Principi* struerent. Quare Operæpretium non est, in refutatione diutius immorari: quia *Calumnia Ignominiam* demens effugere non potuit; & Existimationis suæ Jacturam. Furor enim ejus effrænatum animum occupavit; *Elizabetha* Moderatio, Ipsius famam sartam tectamquè, ab omni Calumniâ aut Invidorum, aut Obtrectatorum servavit; & *Pontificiorum* Arrogantiam, atquè intolerandam ferociam, ratione & Consilio restrinxit.

Nec silentio præteriri debet *Georgius Coneus*, *Natione Scotus*, qui in suo *Libello de vitâ Mariæ, Reginæ Scotorum*, defunctam *Elizabetham* vesanâ rabie prosecutus est. Scripsitque impudenter, *Illam nefando & Incestuoso Concubitu procreatam, Regnum Angliæ vi occupasse.* Ego rabiosis Canibus, quæ sunt Canum, relinquo; *Adulationem in Pontificios, & Odium in Protestantes.* Cohibuit, ad exemplum, *Famosos Libellos*; ac Carmina probrosa, ad Infamiam cujuspiam factitata, lectitari vetuit; de Auctoribus cognoscendum censuit, Scriptaquè abolenda. Pari severitate compescuit, Vulgò disseminatos dispersosquè Sermones; ne Temerarij, cujusque linguâ, quasi flabello gravissimæ seditionis, Plebs accenderetur. Hæc ferè in Rep:, & privatâ vitâ gessit. Cætera Acta, *majori Volumine*, celebrantur.

Dum subjugatur *Vltonia*, Montioij, maximè operâ; dum *Tironius* in Deditionem accipitur; dum pacatur *Hibernia*, Regina gravi & insanabili Languore, ac senectutis Imbicillitate implicita, mæstam Vigilantiam, & graves Curas exercuit; Complures Noctes insomnes egit; Cibum, torpente Palato, & marcescente Stomacho, non cæpit; Curâ & Angore animi spem salutis subjecit; & *Medicorum Consilia aspernata est, ferox, & adversùs omne Remedium contumax.* Potentissimi, atquè Clarissimi Amici, laboranti dies atquè Noctes assidentes, consolandi gratiâ, cum mussantes Medicos viderent, incertos Eventûs Valetudinis Corporis ac animi, & Naturæ humanæ fragilitatem cogitarent anxij, Illam magnoperè orare, atquè obsecrare cæpêre, ut ægritudinem Mentis, Doloremquè nimium coërceret; omitteret illam doctorum hominum in Contemnendâ Morte sapientiam; Vitæ & saluti consuleret; ne animo deficeret; neu Obstinatione periculum augeret; sed esset in potestate Medentium; eosquè consuleret, de summâ valetudinis, ac Cibum caperet; dolori patienter resisteret; maneret in vitâ; tandemquè suos hâc solicitudine exolueret; dandum hoc *Procerum* pijs precibus; dandum *Civium* Lachrymis, dandum etiam *Amicorum* desiderijs. Hoc Laudabile, hoc salutare suadentibus, nihil omninò aliud respondit, *Nisi Naturam ipsam explevisse satietate vivendi, nuncquè Immortalitatis Amore flagrare, ex hâc rerum humanarum teterrimâ Caligine migrandum. Et Mortem, quam alij tantoperè detestarentur, Naturæ debitum esse; eumquè Spiritum, quem Naturæ quisque debeat Deo, reddendum.* Ita Corpus *lentâ paulatim Tabe* liquescebat; summa Macies, summa defectio. Sed Animo tamen ægram magis fuisse, quàm corpore constat, Curis & Vigilijs Tabificæ Mentis obrutam; *flebili specie cæsi Essexij Comitis, dies noctesquè Oculis obversante.* Redintegratus est animi dolor, geminatusquè, quod acerrimus hostis *Tironius*, super Impunitatem, Concessione Agrorum, Præmio sceleris, & scelestæ fraudis ac perfidiæ,

perfidiæ, frueretur. Ingravescente in dies, ex *humore Melancholico*, tristi ac acerbo luctu, & *Mentis Inquietudine*; ac viribus Corporis, Contagione indignantis animi, admodùm debilitatis, summâ Patientiâ, summâ Constantiâ, Novissimam valetudinem tulit. Magna Laus, meoquè Judicio omnium maxima. Cum *Primoris Regni* ex Medicis, qui Curationi præerant, rescivissent Morbum Lethalem, Ipsam destitutam Corporis viribus, Tristitiamquè semel cæptam Morte finituram; Paucis antequàm emigraret diebus, *Præfectus Maris, Sigilli Custos, & Secretarius*, mæsti circumsistentes lectum, Senatus nomine renuntiarunt, *Non tàm sua, quàm salutis Communis interesse, ut quàm maturissimè salva esset; deponeretquè ex animo istum Angorem, Mortisq; Consilium: & si quid humanitùs per Naturam contingeret, exitium Britanniæ imminere; nihil Spei reliquum, nisi certum foret, Cui Spes futura Successionis incumberet. Si post Fata sua id differret, in tantâ dominandi Cupiditate exoriri posse Scelera, in Novitate Regni sueta, & graviores causas desiderij ac doloris.* Jamquè, confusis vocibus, flentes orabant, ut saluti Regni, Item communi moriens prospiceret animo; & in Memoriam revocaret, *se tot Civium animas trahere in periculum, successore non designato.* Prætereà tanto consensu rogabatur, ut negare durum & inhumanum videretur. Igitur *consulentibus de Successore Proceribus*, Amanter, & modestè (quoniam se & Annis, & Corpore gravem, brevi morituram sentiebat) respondit, *si quid sibi fatale eveniret, habere subsidium Remp:, & quietam fore.* Rogante *Notingamo, Maris Præfecto*, in quo potissimum? Illa intuens Circumstantium mærentiumquè frequentiam, hanc præclarissimam effudit Vocem, *in Iacobo Rege, sibi maximè conjuncto, Henrici Septimi sobole.* Magnâ, omnium qui aderant, Alacritate, & lætitiâ; Illum haud dubium Regni Successorem testari perseveravit, usquè ad extremum vitæ spiritum, Judicio gravissimo, & maximo. Itaque cum sæpe multa prudenter, sapienterquè in vitâ, tùm nihil magnificentius, nihil præclarius egit unquam, Nihil Britanniæ salutarius, quàm *cum Iacobum genere proximum, altioribus Studijs, Artibusquè ab ineunte ætate institutum, Successorem sibi nominaret.*

Hæc cum dixisset, *suisquè Memoriam Proceribus commendavisset*, abjectis Cogitationibus alijs, Pietati totam se dedidit; & vocari ad se *Leucodorum, Cantuariensem Archiepiscopum, Primum Angliæ Antistitem, insignem hominem doctrinâ*, gravitate, vitæ Castimoniâ, & ipsâ Naturâ moderatum, jussit. Conscientiamquè suam ejus salutaribus præceptis imbui magni æstimavit. Venit itaquè ad eam vir in omni genere laudis, ad exemplar priscæ Pietatis expressus, qui documentum fuit Præsulibus nostris; facundissimoquè sermone, ac præstanti Sanctitate, *humanæ Imbecillitatis admonuit*: rogavitquè, *ut potissimam salutis spem in Christi Numine propitio collocaret.* Respondet anhelans, *se hujus ærumnosæ vitæ, tot Casibus obnoxiæ, pertæsam, Meliorem Mente agitare, in illâ Sempiternâ Luce, omni felicitate circumfluente; & ad Cælestem Patriam; Optimiquè Salvatoris Aspectum, Amplexumquè properare.* Finitâ prudenti, & piâ *Præsulis* cohortatione, leniter se avertens, Temporiquè Dexteram supponens manum, tanquàm somno perpetuo Animum vultumquè composuit; Nequè sui dissimilem se præbuit in extremo vitæ Actu, sed Devotionem Mentis perpetuò retinuit, quantùm dignoscere erat Oculis, manibus. Tandem, deficiente spiritu vitali, *Ricamontij*, quò se, extremâ hyeme, propter Aeris Temperiem, salubritatemquè Cæli, contulerat; atquè etiam *Senectutis suæ Nidulum vocare consueverat, in Domo & Cubiculo, in quo Avus, Henricus Septimus*, Conditor hujus Imperij, senio & languore consumpta, placidè tranquillèque, *Circà Mediam Noctem, decessit*; XXIIII *Martij, Pervigilio beatæ Mariæ virginis, Anno salutis* M. D. C. II, *supremo Anni die, supputatione Anglicâ.* Qui Novi Principatus dies, in posterum observatus, & debitâ lætitiâ celebratus est: *Ætatis Anno paulò minùs Septuagissimo*; *Regni* XXXXV. Fæmina non modò suâ ætate maxima, sed cuilibet priorum Regum Majestate Nominis, scientiâ Imperandi, omni genere laudis, Consilio, Ingenio, animi Magnitudine in adversis rebus, Moderatione, Temperantiâque secundis, Constantiâ Mortis, & rerum gestarum gloriâ, comparanda. Inæstimabile sui desiderium, ejus Ætatis Mortalibus; Posteris verò Virtutis, Doctrinæ, & *Religionis Memoriam reliquit sempiternam.* Cujus dictis, & factis, Literis, Monumentisque, debetur æternitas, pro Cujusquè scribentis Ingenio.

Ut primùm illa spirare, ac vivere destitit, questibus, Fletibus, ululatibus, Lamentationibus, & planctibus, tota Regia, Cælo quasi undiquè tacta, perstrepebat. Nulla planctuum, Nulla dolentium verborum, Nulla vis unquam major lachrymarum fuit. Illustres fæminæ, Auctoritate Senatus, Custodiæ Corporis appositæ, præ Molestiâ, Mærore, Ægritudinequè, parùm animi Compotes, doloris amaritudinem ferre non poterant: verùm mærentes, atquè prostratæ afflictare sese, Manus supplices ad Deum tollere; misereri Casus Acerbitatem; Exitium imminens Reip: pavere; sibi, Liberis, fortunisquè suis diffidere; *Novissimam Illam Noctem Britanniæ* interpretari. *Vervicensis*, summæ dignitatis fæmina, prisci Moris observantiâ, Sanctitate, & *Charitate Reginæ* præcipuè conspicua, Magnum Incredibilemquè Mærorem, Squalore, gemitu, singultu, testabatur. Dolore Mentem, à fletu oculos abducere, posteà non poterat: Imposita lugubria nunquàm exuebat; Officia plena Curæ, plena Pietatis, plena Fidei præstabat; & omnia Antiquæ Consuetudinis Momenta, in Tristitiæ incitamentis servabat. Cæteræ quoquè Matronæ Illustres, eodem Officio sedulò fungebantur. *Proceres* prætereà, *quicunquè Morienti affuerant*, Mærore omnes atquè dolore obstupuerunt. Servi etiam vagi, ac furentibus similes, vicina loca Luctu, Plangore, ac Lachrymis compleverunt. Mox velut in vastâ solitudine, omnia Metu & ægritudine torpebant.

Populi confusio.

Postquàm verò decessisse fama *Londini* vulgavit, incredibilis repentè exortus est Civium fletus, Peregrinorum dolor. Animi mærent, Oculi lugent; omnis sensus in dolore, sordibus, & squalore versatur. Neque solum subditi, sed omnes etiam Vicini, gravissimi ejusdem doloris quasi Contagione correpti. *Batavi*, optimam Principem, *suarum fortunarum Authorem*; *ac Libertatis Propugnatricem*; *Otij*, *Quietis*, *salutisquè Patronam* defleverunt. Consimili lamentatione miserabili *Franci* usi sunt; quia *Hispaniæ Regnum terruit*, *Franciæ texit*. Omnia pericula, omnes subeundos labores existimavit, ut *Protestantes* Otio, ac Libertate fruerentur. Plurimum pavoris in publico; cum ingenti Clamore, ac tumultu, Concursus in forum Civium est factus; non secùs atquè in domesticâ Calamitate mærentibus cunctis: Passim Curâ & Metu attoniti vultus, silentes, paventesquè. Sinè Insignibus Magistratus; populus confusus in Compitis coit: Nihil ubiquè nisi Miserum, Nisi luctuosum, Nisi acerbum; gemitus, singultus, voces dolentes, Mutationem rerum brevi Momento in deterius portendi interpretantes: Non solatijs ullis, non Edictis Magistratuum, modus immodico dolori imponi potuit. Plebem adeò omnem recens Luctus occupavit. Neque ulli subjectorum populorum mortales fuerunt, qui non Mortis Nuncios multis lachrymis, & sordibus exceperint. Ad hæc accessit publici Mali quasi facies quædam, & forma plena Mæstitiæ, plena Acerbissimi Doloris; omnium Ordinum, omnium Ætatum, atræ ac sordidæ vestes, priscum ad Morem. Lugubris prospectus, silentium in *Quadruplici Foro*, pridiè Negotijs pleno. Deseruntur Tribunalia; clauduntur domus, Tabernæ, Officinæ; Opera, & Artes intermittuntur. Sic ejus Mors Civium animos, Mentesquè perturbavit.

Orbis mæror.

Tandem Morte comploratâ, cum in tanto discrimine *Regni ruina timeretur*; ad Cogitationes quid deindè agendum esset, omnium dolore converso, *salutare Iacobi successoris Sydus effulsit*: dubias Tempestates serenitate suâ brevi discussit: Tristium Cogitationum Nubeculas, magno solatio dispulit: Senatus trepidationem, publici exitij Metum, Populum *Reginæ Morte* prostratum, ac belli Oneribus exhaustum, spe futuri Principatus, Quietis, Pacis, Tranquillitatis, erexit: Lugubria detraxit; Lachrymas, Mæroremquè abstersit; & suscipere delatum sibi, summo Procerum, Populiquè studio, Imperium, festinavit; Civiumquè Concursum, spem conceptæ perpetuæ securitatis, Lætitiamquè illius diei, vix in justo Opere abundè persequi potero; quem ego *Natalem Britannici Imperij*, aut certè salutarem, sinè Assentatione, appellare possum. Conversus est dolor in gratulationem; fletus, in Vota publica, & gaudia, Spemquè æternitatis Imperij, & beatioris lætitiorisquè status reip: Lenijt Luctum, desideriumquè defunctæ, Spes insequentium temporum, & Moderati Regiminis; obmaturam Regis ætatem, ad capescendum egregiè Imperium; super magnas, plurimasque virtutes, Experientiam rerum, Abstinentiam, Moderationem, singularem Probitatem, & Amabiles Mores. Nec in tantâ rerum Mutatione, & extremi jam periculi Metu, ullus exortus Motus est; (quales transitus Imperij afferre solent) non sinè Admiratione. Nulla urbs commota; Nullus Vicus; Nulla denique domus defecit; Nulla sanguinis gutta fusa est; Nulla de Regno Contentio est exorta; Nullus gladius strictus. Tanta *nostri Regis* fuit Majestas; qui sinè Civili sanguine, & hostili Odio vixit. Optimè *Britanniæ suæ* consuluit Deus, *felicissimâ successione*: & ad summam Tranquillitatem, optatam anteà magis, quàm speratam, perduxit. Cui laus, atquè gloria, in æternum.



RERUM

RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER VNDECIMVS.



T primùm in animis hominum *dolor*; *ob excessum* ELIZABETHÆ, parumper 1603.
resedit; *Senatus*, *Proceres*, *& Antistites* ad Palatium festinantes ruêre, ut de *Regni Successione*, post Britannici Solis Occasum, in commune consulerent; & Imperij Curas disponerent; nemine reclamante, aut renitente. Pedibus itum in eam Sententiam, ut nullâ morâ interpositâ, *Iacobus Sextus*, *Angliæ*, *Scotiæ*, *Franciæ*, *& Hiberniæ Rex promulgaretur*. *Cacilius*, *& Havarti*, primi in verba *Iacobi Regis* juraverant. Secuti deindè Cæteri Senatores, Proceresquè qui aderant, studijs Votisquè certantes; omnes Principis honores Absenti, & Ignaro decernentes; *& ejus Nomen Libellis*, *Epistolis*, *Edictisquè* præponentes; non tàm tristes *Excessu Elizabethæ*, quàm læti, hilaresquè Spe futuræ Tranquillitatis atquè Otij. *Diploma* mox ex Consilij sententiâ scriptum, & *Magno Regni Sigillo* firmatum. Eo *Diplomate* repetita priorum temporum Memoria, à fælici *Henrici Septimi*, *& Elizabethæ*, *Eduardi Quarti Filiæ*, *Connubio*; quo Memoria infensi Odij abolita, & Belli Civilis. cum *exposito Iure*, *quod Scotorum Regi*, *ex Margaritâ*, *Henrici Septimi filiâ*, *Natu maximâ*, *competebat*; *Henrico Octavo*, *cum totâ Sobole extincto*; legibus, & Jure Sanguinis, *Proximus hæres Angliæ*, *Franciæ*, *& Hiberniæ declaratur*. Mandaturquè omnibus, ut eam, quam *legitimo Principi* deberent, Reverentiam exhiberent; *hostesquè Nominis Anglici haberentur*, *& essent*, *qui Edicto contradicerent*. Nec minore apud *Plebem*, quàm apud *Proceres* gratiâ. Quippè ardorem Nobilium, Populi studium superavit. *Robertus Lem*, *Prætor Londinensis*, *pro tempore*, non modò in Regis verba sanctissimo Jurejurando Cives adegit, semper Fidem, semper Obsequium præstaturos, semper in Officio mansuros; sed etiâm à *Senatoribus*, *& Proceribus*, urbem ad Præconium ingredientibus, *de Obsequio Novo Regi præstando*, Sacramentum exegit. *Supremus Angliæ Quæstor Buchurstius*, conceptis verbis juravit, *ac Procerùm nomine*, Fidem & Obsequium pactus est. Dato *Periscelidis Pignore*, patefactis Portis, Senatum Proceresquè, mænibus Regiæ Urbis, Cives læti hilaresquè excepêre; Circumfusâ omnis generis hominum turbâ, avidâ scire, ad quem Imperij Fortuna esset transitura. *Proceres*, confertâ Multitudine ingruente, ad *Crucem Divi Pauli* ægrè pervenerunt. Multò ægrius summota Turba, quæ Iter clauserat. Tandem summota, & coërcita à Magistratibus; Silentio per Præconem facto, *Feciales Reginæ mortem præfati*, *Iacobi Successionem*, *ingenti Senatus Populiquè consensu*, *promulgarunt*. Diploma, sub horam Meridianam, à *Cacilio* recitatum. Cum recitaretur antè Delubrum urbis pulcherrimum, & maximum, loco celebri *Areâ Divi Pauli*, *audito Iacobi Nomine*, Imperijquè amplitudine, & Majestate, tanta Vocum exultatio orta est, ut *Cacilius* demandatum Munus vix peragere potuerit. *Vnum omnium Votum erat*, *Salus Principis*. Diplomate recitato, mirum est, quantum in Civium animos gaudium irrepserit. Jam permota Civitas, *atquè immutata Facies Vrbis erat*; àbjecto luctu atquè mærore, Cives, bonâ cum Spe futuri Principatus, læti hilaresquè discesserunt. Discursum indè ab alijs *circà Templa*, ut Deo immortali gratias agerent; ab Alijs Domum, ut Conjugibus & Liberis tàm lætum Nûntium impertirent. Securus lætusquè dies, ex admodùm tristi paulò antè, ac propè exitiabili est factus. Eoipso die, vicinæ Urbes omnes, *Londinum* secutæ, idem fecerunt, *Iacobumquè Angliæ Regem consalutaverunt*.

Varius hinc de *Elizabethâ* Vulgi Sermo, plerisquè Inania mirantibus; *quod Dies Iovis Henrico Octavo*, *& omnibus ejus Posteris*, *Vitæ supremus*; *Quod Ricamontij*, *in Cubiculo eodem*, *quo Avus Henricus Septimus*, *vitam finivisset*. Et quanquam jam inclinare Opes ad *Scotos*, & rerum Anglicarum Arbitrium, Rege indè sumpto, videbantur; nemo tamen molestè, aut indignè tulit. *Ea Principis Ætas*, *ea Moderatio erat*, *ut ei Nihil improvisum accidere posse*, *Nihil Inopinatum*, *Nihil omninò Novum*. Quippè prudentiores *Britanniæ totius*, Otium, Quietem, Pacem, Incrementum Imperij, Oceano undiquè septi, opportuni etiam *Galliæ*, *& Hispaniæ* rebus expediendis, ac Conaribus capiendis; Nihil externi Moris, aut Religionis, in Insulam redundaturum; non parum Virium rebus suis accessurum; & reliquas utilitates, ex *hâc Regnorum Conjunctione*, prævidebant; Muliebre Imperium, ac Paucorum Potentiam pene legibus æquam, non ultrà duraturam, augurabantur. Hic Civitatis status erat.

Apud

1603. Apud Provincias (omnium propè animis magnam rerum Mutationem, Tumultus, Prælia, Vulnera præsagientibus, ac ruinam Regni, nisi incidisset in Scotum Electio) *suprà fidem, simul excessisse Elizabetham, & rerum potiri Iacobum*, eadem Fama tulit. Magno Posteris documento, Cælesti Numini curæ fuisse Tranquillitatem *Britanniæ*; frustrà frementibus æmulis; *quod Scoti & Angli sæpius discordes, Odio & Invidiâ dissociabiles, in unam Ditionem, & in unius Imperium, sinè Cæde & sanguine tàm facilè coirent.* Rei Novitas Vicinos omnes obstupefecerat, præcipuè *Pontificem*; *qui Diplomata duo in Angliam misit; Irritamenta Tumultus*; unum ad Clerum, ad Populum àlterum. Nec ullum magis, quàm *Francum*, Nova Fortunæ Incrementa commoverant; semper speculantem, quem exitum *res Britannicæ* nanciscerentur. Verùm Sapientiâ, Prudentiâ, disciplinâque *Henrici Septimi*, Compages hujus Regni ita coaluit, ut convelli sinè exitio Convellentium non possit; Quæ Disciplina, quam diu incorrupta permanserit, tamdiu *Imperium Britannicum* permanebit, Imitatione dignissimum. *Iacobus*, cum jam *Triginta Sex annos apud Scotos* regnasset, *Primus totius Britanniæ* (nisi fabulis de *Athelstano* temerè credamus) declaratur Rex, ingenti assensu *universæ Multitudinis rusticæ.* Cursant per Villas, Pulsant Campanas, & accendunt Ignes, ad publicæ lætitiæ testificationem.

Ita exacto, inter Populares exultationes, *primo Die Principatus*, qui *Supputatione Anglicâ*, Anni supremus; Die insequenti, qui fuerat *Veneris*, placuerat *mitti ad Scotum Legationem*; quæ doceret electum Regem, & ad Imperium, minimè dubium, Senatorum literis evocatum. *Alanus Percius*, & *Thomas Somersetus*, duo Nobilissimi Juvenes, in Scotiam cum Mandatis Senatus missi, ut Regem, Procerum nomine, salutarent. Sed *Robertus Careus*, Equestris Ordinis, non expectatâ Senatus Authoritate, per Prædispositos equos, propè incredibili celeritate *Edinburgum* pervenit; ubinàm Rex esset requirens. Ac repentè, Nocte Concubiâ, à Custodibus corporis in Palatium introductus, sicut erat Ocreatus, excubantes ad Cubiculi Limen excitavit. Viso Principe, venerabundus genibus advolutus, *Regem Angliæ primus* salutavit; advenire frequentes *Proceres* gratulabundos; & in omne Obsequium paratos, nuntiavit. *Rex Angliæ salutatus, appellatusquè*, miro temperamento Potestatem Fortunamquè moderatus est; Nihil de quotidiano corporis Cultu, aut de pristinâ vitæ Consuetudine mutavit; nequè *Titulum Angliæ Regis* Diplomatibus adjecit; nec quicquam pro potestate Subscripsit, *donec per Nuncios, & Literas, de Procerum Populique consensu certior fieret.* Postero die, qui fuit *Dominicus*, non in publicum egressus est; non se studijs Vulgi permisit. Cæterùm, in novâ Fortunâ nihil Tumidum, Arrogans, aut Novum affectans, magno Moderationis Judicio, *primùm omnium Deo Optimo Maximo gratias egit, quod ejus unius Providentiâ & Benignitate, ad Britanniæ Principatum pervenerit, sinè Cæde, & sanguine.* Sibi enim Deus gloriam illam vendicavit, ejus Opus, factumquè erat. Cum autem, Tridui Spatio, nihil ad confirmandam tantæ rei Fidem adferretur, ac alios subindè Mortis Nuncios expectaret; nec Quisquam superveniret; jam de eâ re Plerique dubitarunt; Fraudem quidam suspicati sunt. Regis Securitatem Mora Nuntiorum, non Literarum tarditas abrupit. Inter ambiguæ Spei rumores, novi Fortunæ Nuncij ab Angliâ supervenêre, cum Literis Senatus, & Diplomate; qui non modò Spem, sed *certam Fiduciam Successionis* addidêre, & *Careum* rectè atquè ordine fecisse nuntiavêre; *quod eum Regem appellasset*; idquè Proceres comprobare, atquè laudare; & postulare, ut quæ ipsis Munera tribuerat *Regina*, ea rata atquè firma suâ Auctoritate faceret. Ut defunctam *Elizabetham*; Fidei suæ rerum Summam, Arbitriumquè mandatum; animum, Fidemquè Procerum, Consensum Populi, ac Senatus, Cunctosquè in sua verba jurasse, cognovit, *Regni Angliæ Appellationem modestè suscepit*; Nequè tantis Opibus improvisò oblatis, insitâ mortalibus Naturâ, altius elatus est.

Sed ut *Anglorum* ergà se Pietati, Benevolentiâ, & Charitate responderet, Munus Regium, in expediendis Novi Regni negotijs, non segniter obeundum existimavit. Itaquè *Davidem Foulisium*, cum literis moderatè & benignè scriptis, *Londinum, ad Cæcilium* præmisit; quibus abundè testatus est, summam cæpisse se voluptatem, ex tàm pio & benevolo Procerum suorum in se Affectu; daturumquè se Operam, ut illos sui studij, & Officij non pæniteret; quotiescunquè declarandæ voluntatis potestas facta esset; gratiasquè Populo egit, amplissimis verbis; quod tanto studio *Successionem Iustam & legitimam* promoverint, quam sinè Perfidiâ, Scelere, & turbarum licentiâ, impedire non poterant. Sequè Pio eorum Amore & Fide provocatum dixit, nihil in tempore prætermittere velle, quod vel ad Publicam Regni salutem procurandam, vel ad Singulorum rationes augendas spectaret. Interim Remp: Senatus laboribus, & Vigilijs commendavit. His & hujusmodi humanissimis literis, mirum est, quantum in *Anglorum animos* irrepserit. Ad hæc, ab eo *nullius Magistratus Ius; nullius Auctoritas est imminuta*; *Beneficia omnia ab Elizabethâ concessa, antiquaquè Munia Senatus, Magistratus, Præfecturas, Cæterasquè ejus generis Largitiones, benignè confirmavit. Procuratores fisci, & Ministros Aulæ, ad eadem Officia revocavit. Iudicibus Servatus est honos, quem apud Elizabetham habuerant: atquè ut in publicis Iudicijs, Voce & Auctoritate suâ fungerentur, permisit; potestate etiam factâ, ut Elisabethæ Sigillo, quod habebant, in præsens uterentur, donec Novum in posterum conficeretur.* Senatus, publicatis literis, summum Regis studium, & singularem Benevolentiam in universos Regni Subditos, patefecit; ingenti Plebis Assensu.

Paucos post dies, missus est in *Angliam Eduardus Brutius Kinlossensis*, (quem suprà memoravi) ut disceptaret cum Senatu, *de Moneta pretio, utriquè Genti, ex æquo, utili; Supremis Elisabethæ honoribus;*

Rebusquè

Rebusquè ad Profectionem Regis necessarijs. Qui Cæcilio primùm Mandata Regis exposuit; ac per eum ad Senatum delata. 1603.

Per hosce interea dies consultatum de Exequijs cohonestandis. *Londinum, Noctu, Procerum humeris, delatum Cadaver est, & Regiæ illatum.* Nobiles Matronæ, Puellæquè Regiæ, sinè mundo muliebri, pannis pullis, Velisquè opertæ, servato Maritalis dignitatis ordine, aut Paterni Generis Claritate, Noctu, & interdiu ad exequias usquè, per Vices, excubias & Custodias flebiles egêre, atratâ funestâque Regiâ. Senatus, & in funere ornando, pro Magnitudine fortunæ, & in honoribus decernendis, certatim progressus est; ut inter alia censuerit, *Funus, viâ Regiâ, Vestmonasterium usquè, ducendum.* Die justis Manibus peragendis dictâ, *Ministri domestici, Officialesquè*, Mæstitiam doloremquè vultu Præferentes, *propè Mille* incedebant. Deinde *Primores Equestris Ordinis*, atrati sequebantur. Postremò, *Senatores, cæteriquè Proceres. Antistites quoquè Infulati*, funeri intererant. Præter Regni Proceres, *ex totâ ferè Europâ, Regum & Principum legati*, in Squalorem, mæstitiamquè compositi; promiscua Multitudo, Liberi ac Servi, Pueri quoque cum fœminis, funebrem pompam prosequebantur; celebrantes suprema Officia. *Cadaver ejus, ad Sepulchrum, lugubri Carpento, deportatum, atratis equis, & Aurigis*; vecta Insignia Regia à priscæ Nobilitatis Comitibus. *Cæreum defunctæ Simulachrum, Carpento impositum, Diademate Regio redimitum, ac Purpureâ veste amictum, quali ipsa Comitiorum tempore uteretur, Sceptrum Dextrâ, Sphærulam Auream Levâ gerens.* Fuit autem tàm Solenni Pompâ delatum, & tantâ hominum frequentiâ, ac Celebritate ornatum, *ut nihil fuerit ab Iacobo prætermissum*, quo posset, quantâ fide *Elizabethæ* Memoriam celebraret, apertè significari. Laudatio *à VVatsono Cicestrensi Præsule*, luculenter dicta; qui laudavit in obtinendo Imperio, felicitatem; in constituendo, Sapientiam, Prudentiamquè; in tuendo, Fortitudinem; in administrando, Constantiam, & singularem Justitiam; in totius vitæ Cursu, Pietatem, Continentiam, divinum Ingenium, admirabilem doctrinam; & in decernendo, æquitatem: quod Remp: æquabili Jure tueretur; inprimisquè operam daret ut Juris Juditiorumquè æquitate, Suum quisquè teneret; Neque tenuiores, propter Imbecillitatem, Vi aut Dolo circumvenirentur; Neque locupletibus, ad sua vel retinenda, vel recuperanda, obesset Invidia. Quæ meditata ad Memoriam virtutum, pronis auribus audita, & æquis animis accepta.

Cæterum, laudato funere, & peractis tristitiæ Cæremonijs, *corpus Eduardi Fratris* Tumulo illatum; magno cum luctu, & gemitu prosequentium. *Præcipui Aulæ Officiales, Virgulta Alba, Potestatis Insignia, confregerunt; & in Conditorium Conjecerunt.* Ingens Tumulum Nobilium fœminarum Turba circumsteterunt, laceratis Crinibus, discissâ veste, ex Officio liberæ Pietatis. Plebs, statim a funere, lamentata est; tantâ ergà *Elisabetham* Charitate, ut velut *Parentem Patriæ, & Vivam amaret, ac Mortuam desleret.* Quàm autem Plebi Chara fuerit, mærore funeris indicatum est. Nemo Mortalium vehementius indoluit, quàm *Ralleius Prætorianorum Præfectus*; incertum, magis Charitate in Patronam, an Metu imminentis sibi exitij. Nam defunctâ Reginâ, Nemo Congressu, Salutatione, Colloquio dignum existimavit. Adeò *eversa Essexij domus* ad Summum Odium extulerat.

Funus amore Civium & Charitate celebre.

Interim *Rex* ad longè amplius, fortunatiusquè Regnum, Jure gentilitio, evocatus, antequàm *ex Scotiâ* discederet, *Ipso Profectionis Die*, advocatâ Concione, Multitudinem, in æde Ægidio Sacrâ, circumfusam, allocutus est; orsus ab Amore Patriæ, suisquè rebus gestis. Omnia cum Approbatione & Plausu audita sunt. Præteritorum Commemorationi subjecit, *proficisci se in Angliam.* Cum ad Mentionem discessus ventum esset, Multitudo ingemuerat, mutuâ Miseratione; *Lachrimaveratq; ita, ut Dicentem impediret.* Silentio deindè facto, adhortando confirmavit; non longam sui Absentiam testificatus est; *& Regnum Scotiæ, Natale Solum, revisurum se sæpè pronunciavit.* Has, velut Parentis, Voces cum audirent, *manare omnibus gaudio lachrimæ cœperunt; adeò ut rursùs quoquè confunderent Dicentem.* Proindè salutatâ, dimissâque Plebe, velut ultimo Debito liberatus, eâdem, quâ venerat, viâ in Palatium regressus, singulas Itineris Mansiones descripsit. Vix dum Conventus dimissus erat, cum respiciunt Cives, Supellectilem Regiam ad Portam duci, atquè abire. Multitudo Urbana, circulatim, suo quæquè More, Regis discessum, velut Orbitatem, voce miserabili lamentata est. Mulieres præcipuè lachrimis, Votisquè prosecutæ sunt Agmen migrantium.

Itaquè *principio Veris; Edinburgo, Dunglassam, Quingentis Equititibus, haud magno Comitatu*, proficiscitur. Id enim *Senatus Anglicus* ab eo postulavit, *ne secum Satellitum Turbam adduceret*, qui Turbas, & Tumultus concitatores essent; cujus Auctoritati in præsentiâ cessit. In hoc tamen Comitatu erant viri Nobilissimi, *Levinia dux, Marria, Argathelia, & Moravia Comites; & complures Scotica gentis Barones, Legati etiam exterarum gentium, Francorum, Belgarumquè.* Rex interim Edicto significavit, quâ die fines Angliæ esset ingressurus, ne incertus, & inopinatus Adventus turbaret Populares; & Apparatus Solennitatum impediret. Iter indè *Bervicum*, placidum ac modestum; nullus in exigendis Vehiculis Tumultus; Nullus Præcursorum Tumultus; Nullum circà hospitia fastidium; Jumenta tantùm imperata, ut Supellectilem Regiam, aliudquè Instrumentum veherent. Ad Vanitatem refellendam, modicus Cultu, Parcus Comitatu, Civilis incessu; Ornatu corporis, Veste, habituque, vix Quenquam suorum anteivit. *Angli* intereà Cultu conspicui, Phaleratis equis insignes, gratulantes adveniunt, & submissè Principem reverentur, nullam requiem gratulationis dant.

1603. *Bervici* finibus, modesto agmine, appropinquanti, Officij causâ, Equites turmatim, Cohortes peditum suis quiquè Ordinibus occurrunt. Ibi, dum ab Urbis Tribuno, *Ioanne Careo*, officiosissimè colitur, horrendo fragore Tormentorum, & Clamore militum, prospera acclamantium, Cælum & Terra contremiscere videbantur. Jamquè haud procul Urbe erat, cum *Gulielmus Selbeus obvius, Portarum Claves traderet*; is pro Meritis, Equestri dignitate ornatus. Magna pars Oppidanorum constiterat in Muris, avida cognoscendi Novum Regem. Inter faustas Militum gratulantium voces, & Civium plausus, vergente jam die, Urbem ingressus, sicut non magnam, ita egregiè munitam, *ad Tuenda fluminis ostium positam, velut quoddam Divortium Regnorum.* Templum adijt, grates Deo exsoluit. Indè Palatium petijt, magnâ gloriâ comitantium, ubi pernoctavit; totâ Urbe in lætitiam, festosquè Ludos, publicè privatimque effusâ. *Vinctis dempta vincula, Custodiaquè emissa.* Postero die, Tormenta ænea, bellicumquè aliud Instrumentum recognovit; visendo Arcem, Portum, Muros, magnam diei partem absumpsit. Cæterum, ipsius Urbis pulchritudo, *duplici Muro, & profundâ fossâ munita*, non *Regis* modò, sed omnium *Scotorum* oculos in se, haud immeritò, converterat; quia ab eo tempore, quo *Thomas Stanlejus in Eduard: Quarti potestatem redegerat*, Scoti Munitionum formam impunè spectare non poterant; quia publicum periculum erat, à Vi Limitanorum.

Rerum finitimarum curam fortissimis, & integerrimis viris demandavit; ut *Latrones*, superiorum temporum Licentiâ, vagos conquirerent, & prout quisquè diliquisset, in eum animadverterent; & flagitiorum omnium, quoad fieri posset, stirpes evellerent. Attributâ ijs Militari Potestate animadvertendi *in Sicarios, & Fures*, sine intercessione, primo quoquè tempore, ubicumquè comprehendi possent; adempto Provocationis, pro tempore, Beneficio. Nemini Tribulium Duces suffragari audebant; summi infimiquè laqueo suspensi. Hic novi exempli metus, omnes Limitum Accolas, & *Numinis & Regis reverentiores* effecit. *Limitaneis Latronibus* coërcitis, loca finitima Ambigui Juris, culta fecit, quæ mutuo Metu diu squalida, inculta, & deserta jacuerant. Pronunciavit deindè Connubium, & Commercium Agrorum, Ædificiorumquè inter finitimos, placere. Postremò, permisit *Apocletis finium regundorum*, ut Præsidia armata haberent, ad compescendum Vim, & Audaciam Limitanorum, Armis.

Rumore *de Adventu Regis* longè latèque pervulgato, Proceres amplissimi, Vindictâ, famâ, Spe, Veneratione præoccupati, ab omnibus Angliæ partibus, honoris gratiâ, præstò fuêre; partim velut ad Spectaculum publicum; partim ut ineunti Regnum gratularentur, & fidem Observantiamquè probarent. Pleriquè veteri sub Imperio, vel Injurijs, vel Calamitate aliquâ affecti, sperabant, aut Vindicandi, aut sublevandi Occasionem. Convenerant & Nonnulli, ut veterum Officiorum Memoriam renovarent; gratiamquè ejus statim occuparent; aut Criminantium Calumnias prævenirent. Non Pauci, ut *ex Primordio Novi Principatus*, auspicium de rebus futuris captarent. Cæteri, ac paulatim omnes, ne alijs proficiscentibus, ipsi remanerent. In quibus *Cobhamus, publicè invisus, pro Atrocitate in Essexium*, non pro Spe exceptus. *Rallejus* occursu prohibitus, ægrè cohiberi potuit, ne proficisceretur; *ut adversus publicum Odium, privatam gratiam, apud Novum Principem, pararet, per Scotos amicos, quos multis Muneribus coluerat. Rex* nullis discordijs, nullis Odijs imbutus, pari adhuc in omnes studio, in eo tantum fuit occupatus, ut Proceres de facie ignotos, ac tum primùm Salutatum advenientes, *summâ Comitate reciperet; cum Lætitiâ, & Spe dimitteret.* Quæsivit igitur ab intimis familiaribus, qui publicè, aut ex occulto, partium suarum fuissent? His ut major apud se Charitas, & gratia esset, editis nominibus Nobilium, qui nihil præter *Imperium Scoticum* expectarent, confirmatur augeturquè Authoritas eorum; soli tùm in Magistratibus, soli in Muneribus, & honoribus. His Præfecturas Navium, & Præsidiorum largitus est. Statim enituit *Regiæ animus*, in referendâ gratiâ, & beneficiorum memoriâ conservandâ diligentissimus.

Ubi unumquemquè, pro ut Virtus vel Opera meruerat, honore percoluisset, suprà omnes respexit *Henricum Havardum, Norfolciana familia nobilitate, & doctrinâ Clarum*; qui primus in Partes transgressus, propalàm Regi faverat, cum Suspicio favoris in eum propè exitiabilis esset. Cujus fidem, Ingenium, & Industriam, ita *Rex* probavit, ut ad intima Consilia adhiberet; mox Opibus, & honoribus augeret. Nec minùs *Southamptonium, Essexiana Tempestatis vi prostratum*; cui Bona, Libertatem, ac Avitæ Familiæ dignationem restituit. *Nevillum, & Smithum*, Præfectum Juridicum Civitatis; Multos prætereà Equestris dignitatis, Judicium publicum passos, & in Custodiâ diu habitos, remisit in antiquum statum. Gratum Proceribus Anglorum; etiam Plebs approbavit, *quod Reos factos Essexianæ seditionis in integrum restituisset*: Criminumquè, si qua residua, ex priore tempore, manerent, gratiam & Abolitionem fecisset. Liberavit *Gulielmum Eureum*, Equestris Ordinis; & alios, quos aliquâ ex parte Suspicio favoris in ipsum incluserat. His rerum Cognitionibus interpositis, in proximum diem deindè Iter Tubâ pronunciari jussit; *ac Dona Regalis Opulentiæ* Præsidiarijs Militibus distribuit.

Verum ingruente magnâ Multitudine, & admirabili hominum frequentiâ, ingenti Concursu studioque Voluntatem, Animum, Obsequium testificandi; ut præfervido spectandi studio temperarent, *Edicto monuit, ut Vnusquisquè Præfectus Iuris, cum sua Provincia hominibus, curmatim occurreret.*

Northumbriæ fines ingresso obviam prodijt *Nicolaus Forresterus, Vicecomes*, id est *Conventibus Iuridicis Præfectus*; quem Patrio Idiomate *Serifum* vocant. Is eo die *Vithringtonam, Antiquum Castrum propè Littus*;

Littus; Altero, *Novum Castrum, ad Tinam, Limitem suæ Iurisdictionis*, deducit. *Prætor Vrbis* venerabundus Regi venienti occurrit; & magnificentissimè, apparatissimèque excepit; ac sumptum fecit, donec in urbe erat. Die insequenti, qui fuit *Dominicus*, effusis in publicum Virginibus, Matronis, ac Pueris, lætis Acclamationibus plausibusque, *per medium turbam ad Templum deducitur*. Ubi ob acceptum Principem grates Numini aguntur; & pro ejus salute Vota nuncupantur. *Tobias Mathew, Dunelmensis Episcopus, sui temporis disertissimus*, Concionem habuit; cujus lenis & facunda Oratio Famam latè peperit. *Rex Triduum moratus*, ad exploranda circà omnia, Portum inclytum statione multarum Navium, & Pontem Arte insignem diu spectavit. *Tum Reos, aut obæratos, Carceribus inclusos*, (nisi quos Majestatis Crimen, aut Pontificiæ Religionis urgeret) absoluit; & Creditoribus, diductis Usuris, satisfecit. Atquè ita lustratâ Urbe, adhibitis Magistratibus, & multis indultis Privilegijs, indè profectus. 1603.

Dunelmensem Civitatem, altero die, pervenit, haud parem Opibus, sed inclytam *Sancti Cuthberti nobili Templo*, & Arce in immanem Altitudinem editâ. Ibi *insolitus Cleri habitus*. Insuetique ritus *Ecclesiastici, Scotis præbuêre Spectaculum*. Re divinâ, singulari Cæremoniâ atquè sanctitate, ab Ecclesiæ Decano peractâ, discessit.

Modicis itineribus *Eboracum* processit. In Itinere, in Agmine, in Pulvere, *interdùm Plebi mixtus, salvâ Principis Majestate*. Nam *nec Illi*, (quod est rarissimum) *Facilitas Authoritatem diminuit*; *nec Humanitas Majestati detraxit*. Præmissis qui nunciarent Regem appropinquare, *Burleus Dynasta, Præses Provinciæ*, magnâ cum Amicorum, tum Provincialium turbâ stipante, Regi obviam processit. Non minore agmine *Prætor, & Primores Civium*, ad Suburbia Civitatis steterunt, Sacræ Majestati excipiendæ. *Rex* ipse, multis Proceribus Prosequentibus, & Legationibus Sociorum, Pervenit ad Suburbium. Ibi *Prætor & Magistratus, genibus advoluti*, ejus Dextram, More Patrio, exosculati, hilares comitati sunt, Suburbia in Equo, & Veste Regiâ; ac cunctis Principalis Fortunæ Insignibus perambulantem; obviam effusâ Multitudine, & Faustis Ominibus insitam animis lætitiam significante, Voce, vultu, gestu. *Rex*, cum omni Comitatu progressus, indè ad Portam Civitatis Conspectu sui accendit in Civibus ardorem, ulterius testandi Amoris, & Pietatis Officia. Cum paulisper Silentium fuisset, *publicus Civitatis Tabellio Orationem luculentam habuit*, quâ *Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ Regem*, ut longè optimum, ita Corporis & Animi Dotibus multò fælicissimum appellavit, salutavitque; ob exoptatissimum in urbem Adventum gratias egit, habuitquè, & Publicam Civium Lætitiam, Obsequium, Officium, Observantiam, pro summâ Regis Benignitate commemoravit. Et quoniam Temporis Angustia longam de Regijs Virtutibus Orationem non ferret, succinctè narravit Optimi Optatissimiquè Principis eximiam Probitatem; summam Æqui atquè boni Observantiam; sinceram Fidem; *summam in Deum Religionem, Pietatemquè*; summam in Subditos Benevolentiam, & Benignitatem. His magnoperè lætus, commendari sibi Civitatem, Laudesquè suas non gravatè audivit, Sequè daturum operam dixit, ut nihil ad Corporis Tranquillitatem, vel Animi Salutem ulterius desideretur. Hâc finitâ Oratione, *Prætor Vrbanus Claves Portarum, & gladium, Potestatis suæ Insigne, pro Muneris ratione, Regi humillimè tradidit*. Sed inter *Prætorem Vrbis, & Præsidem Provinciæ exoritur Contentio, uter Gladium præferret*. Cum Prætor Civitatem suam esse *Metropolim*, majusquè se Imperium in eâ habere omnibus, post Principem, constanter affirmaret. *Burlæus* verò, totius Provinciæ Principatum ad se revocaret. *Rex* igitur, ut hanc Controversiam aliquâ ratione tolleret, inquit, *Scire homines debere, liberum Cuiquè rei suæ Dominium; Proprietatem verò, & Ius gladij, ejus, qui dederit esset. Itaquè quod Sui Iuris erat, pro potestate decrevit, & gladium Cumbriæ Comiti præferendum dedit*. Atquè ita ad visenda loca publica progressus. *Cathedrale Templum D: Petro Sacrum*, magnificum sanè & vetustum, orandi causâ ascendit. Precum finitâ Solennitate, cum jam advesperasceret, sub umbellâ, in *Manerium, Divæ Mariæ locum*, Palatio Curiæquè destinatum, honorificè deducitur. Ubi paratum & instructum erat, *Sumptu Burlæi*, Convivium. Hic *Quatriduum* moratus, *ædes sacras & Opera* publica, circuivit; inspiciendi gratiâ, an serta recta essent, vel Vetustate collapsa, refectione aliquâ indigerent. Et *Curatores restituendarum ædium, ac Templorum constituit*. Multis privatis *Incendiorum* damna supplevit; nec quicquam reliquum fecit, quo *Angliam* universam, singulasquè ejus Partes, publicis locis exornare posset. Ne *Proceres, & Nobilitatem* honoribus Muneribusquè colere videretur, *minore humillimæ Plebis Curâ*, circà Privatorum querelas Patientem se ostendit. Nulla in respondendo Mora, *statim adeunt, statim dimittuntur. Neminem à Congressu Ianitor absterruit; Patente Cubiculo, Potestatem sui benignè præbuit; vetuitquè Vim cuiquam fieri, si quis propiùs adire, vel salutare vellet*. Nec dissimulavit Potentiorum Injurias, si quos Vi vel Metu Fortunas Tenuiorum agere, ferrevè deprehendisset; Regum interesse existimans, *ne Auxilium contrà sævitiam, vel Intollerabilem Injuriam denegetur* afflictis Subditis, qui justè deprecarentur. Et ad Injuriam spectare, si quis tàm impotenter se gerat, ut Tenuiores premat. *Plebejorum Patrocinium, adversùs Potentiores suscepturum se palàm est professus*. Neque Nobilitatem suâ Dignatione fraudavit. *Provincialium* desiderijs; Singularum *Civitatum* Precibus, extemplò rescripsit. Sed *Faciles Aditus, obvia Comitas Affabilitasquè Sermonis, Ignotæ Plerisquè Anglorum Virtutes*, quasi Nova Vitia, Temporibus aliena, Fastidio erant. Callidi temporum Exploratores, & rerum Civilium Periti, edocent, *Scotos* assuetos quidem Regio Imperio, sed majore Libertate quàm par esset. *Majestatem Imperij apud Anglos Principis esse Tutelam; Secessum*

1603. *ad Tuendam Majestatem pertinere.* Assiduitatem in Oculis hominum, minùs verendos Principes, ipsâ Satietate, facere. Proindè hortantur, *ut vitato Assiduitatis fastidio, Auctoritatem tueretur;* & Severitatem cum Amore retineret. Horum rationibus adductus, in ulteriorem Familiaritatem Privatos non admisit, ne ex Conversatione Familiari Contemptus Majestatis oriretur. Sub idem tempus LXXX *Ferè Equites creati sunt*, majore quàm unquam anteà Numero. Ita Equestris Ordo, Fæminarum Ambitione, aut per sordes sensim *vilescere cæpit*; qui antè hæc Tempora, Militaribus Viris, in Castris, aut Classe, de Repub: benè meritis, *tanquam Precium servitutis, vel Præmium Virtutis* dabatur.

Jamquè lustratâ *Boreali Angliæ parte*, omissâquè *Eboracensi Provinciâ*, *Australem, fertilem ac frugiferam suo aspectu illuminavit.* Quacunque pergit, effusa Multitudo illi obviam, cum incredibili Voluptatis significatione prodit. *Laudes Principis* omnium ore resonant; Procerum gratulationes, & Civium plausus undiquè strepunt. Non Oppida modò, sed Dynastæ, cum admodùm Solenni Pompâ, Regio Apparatu, immodicisquè Cæremonijs, de More gentis, excepêre. Quorum præcipui *Salopiæ; & Rutlandiæ, insignes Claritudine Comites.* Georgius *Salopiensis*, cum omni vicinâ Nobilitate, Officij gratiâ, prosecutus, nullum Amplitudinis genus in eum omisit, & *Vorsopij*, apparatissimè excepit. *Rogerus Rutlandius*, ad Castrum *Belvoire*, pari Magnificentiâ, studioquè deduxit. *Arx* in immensum edita, *Saxeo Monti imposita est*; fertilis Planicies, *Trentæ flumini* propinqua, subijcitur, quam terminare oculis haud facilè queas; ea consita Arboribus, Pecore, atque Cultoribus frequens, mirâ Intuentium animos Voluptate afficit. Ab eâ Prospectandi dulcedine, *Belvoire Gallis appellata.* Equites complures, *Haringtonus, Cromuelius, Milmeius, Saidlerus*, festivitate, Sumptu, Celebritate certabant inter se. *Sed Cromuelius Magnificentiâ omnes superavit.* Referre non libet Sumptus, *Regis* gratiâ, ubiquè factos; Sudores, Refectiones, & Hospicia. Jam *Cæcilius*, omnium rerum Curâ intermissâ, & debitis Reip: Officijs, inter gratulantes occurrit; *Speculator rerum, quæ à Rege agerentur.* Quem *Rex* valdè amanter, & honorificè amplexus, ejus maximè Consilio in ordinandâ Rep: posteà usus est: Sententiamquè ejus, in Majoribus Negotijs prærogavit. Author is multarum rerum fuit, Monitorquè fidus; in queis, *ne Literis ullis, aut Donationibus Rex subscriberet, antèquam in Secretiore Consilio perlegerentur. Ne recepta Religionis in Angliâ Ritus novaret.* Instabant enim *purioris Religionis Ministri*, per Delegatos suos, *Ecclesiam* propè à fide prolapsam; *Plebem* corruptis Moribus agere; nec *Præsules*, & Curiones extrà culpam esse; *Sed omissâ gregis Curâ, potiùs de exigendis Decimis, & Oblationibus, quàm de Animarum Salute cogitare.* Eorum Cupiditate, eorum Ambitione, Servorum Dei Numerum indies imminui. *Regis autem Officium esse, consulere Populo, Pietatis rectum Cultum tueri; coërcere Ecclesiasticorum Improbitatem, Ambitum, Avaritiam, Clerum in Ordinem, & Humilitatem cogere: procurare ut Sacra Scriptura purè explanarentur; Idonei Ministri præficerentur Populo Dei, de Quorum Doctrinâ, Vitæ Innocentiâ, & fide constaret; removerenturquè qui Simoniacè, gratiâ, aut precio Ecclesiastica Munera invaserant.* Addebantquè suum in Regem propalàm studium: Rogantes, atquè orantes, *ut ratio iniretur, de emendando Ecclesiæ statu.* Hæc Cathari Libellis testabantur; hæc Concionabantur. Ad ea *Rex*, Morum Theraputarum gnarus, benignè respondit, *Nihil in Statu receptæ Religionis, quæ juncta Pietati sit, temerè immutandum; Præsulum Ordinem ex usu, Pietatequè veteris Ecclesiæ habendum. Cum verò tantum de disciplinâ & Vitijs Ecclesiasticorum quærantur, sibi videri necessarium, ut Consilium universæ gentis convocetur; notatis Erroribus quos corrigi vellent. Deindè se auditurum eorum rationes pollicetur; & si quid mutari debeat, ex sententiâ piorum juxtà ac doctorum libenter facturum.* Hortatur intereà, ut Seditionibus abstinerent; Concordiam inter se colerent; nullosque Motus, Religionis causâ, excitarent; dum totius gentis Conventus celebrari posset. Itaquè *Episcopis & Curionibus* mandat, ut doctrinâ & exemplo gregibus suis prælucerent; ut præteriti temporis negligentiam, diligentiâ in posterum sarcirent; *ut honoratos Senes, Virtute & Eruditione præstantes, sibi commendarent, quos ad honores Ecclesiasticos promoveret.*

Postulatio de Romana religionis cultu.

Rex Ministrorum postulatis abundè satisfactum arbitratus, mox *à Pontificijs incivili Audaciâ interpellatur*; qui Calamitates & Fortunas suas deplorantes, *Supplicem Libellum de promiscuo Religionis Cultu exhibuerunt*; qui salvâ Pietate concedi non poterat. Cujus Summa erat. *Populus Israëliticus, tum tempore Salomonis, Tributa, simul & acerbissimum Servitutis Iugum toleraret; eo defuncto, à Roboamo Adolescentulo, initio Principatus, levamentum Miseriarum sperabat; orabatquè ut Oneribus, quæ ultrà ferre non posset, ac Servitutis Metu levaret, & benigniore Aspectu languescentes refoveret. Sed Ille Subditorum auxilium, justè deprecantium, præposterâ Iuniorum Ambitione, postulata aspernatus, graviores parendi, Tributiquè pensitandi Conditiones imponens, Secessioni decem Tribuum, & Funestissimo bello Occasionem præbuit; animis Popularium Acerbitate Tributorum alienatis.* Si indulgentissime Princeps, *Populus iste, uni Numini addictus, pro bonis caducis & Fortunis, se in ultimum discrimen præcipitaverat, & Obsequium ergà legitimum Principem exuerat; quanto magis* Nos Catholici, *vestrâ salubri Moderatione regimineq; salutari, læti, gravioribus malis sub Elizabethâ vexati, Cratibus tracti, summis Cruciatibus torti, bonis & fortunis omnibus, Exactionibus alijs super alias, exuti, severissimarum legum pænis malè mulctati, rogare, atquè deprecari, sinè Perduellionis infamiâ, possumus, ut justo pioquè dolore nostro mederi, ac Legum & Iuditiorum severitatem Mansuetudine vestrâ temperare velitis; donec ex Consilij Oecumenici Authoritate, legitimè de totâ causâ cognoscatur. Ac fiduciâ Clementiæ vestræ petere, ut Nobis Avitam & venerandam Religionem publicè ac liberè profiteri Facultas detur; sicut Protestantibus, & Catharis, Novam, nullis*

Vetustis

Vetustis Fundatam Consilijs. Aut saltem secretò atquè intrà Parietes toleretur, Illa Religio, quam omnes 1603.
Majestatis vestræ Majores, qui Britannia imperarunt, jam indè à Donaldo Rege, ad Mariam, felicissimæ Memoriæ Matrem, singulari Sanctitate probarunt. Neque Novi exempli justus Metus subesse potest; Pyramides, Arcus Triumphales, Postes, Valuæ, Henricum Quartum, Parentem Patriæ, & Restitutorem Pacis passim testantur, quòd Libertatem Conscientiæ tutam perpetuamquè, bono publico, Gallis concessisset. Cæsares, Cæteriq́ Germaniæ Proceres, Religionis Libertatem, Firmissimum Perpetuandæ Concordiæ Vinculum experti sunt. è contrà, Conscientiis vim illatam Turbas afferre. Quibus Votis petebamus, quo studio Ferebamur, quantis periculis subeundis attentabamus, ut in hoc Solio te collocatum videremus, Nemo ignorat. Te quoquè eâdem animi Pietate nos auditurum confidentes; Spe pleni apud Novum Regem, Novas leges, Nova remedia, Liberum cuiquè Religionis Arbitrium; & nostram Innocentiam aliquandò tibi exploratam fore. Neque tamen, quanquam gravissima patiamur, & graviora immineant, ullum periculum Nos coget, à debitâ Obedientiâ, & Fide, ac Observantiâ ergà legitimum Principem, aut in Patriam, ingenito amore discedere; & extrema experiri remedia; gnaros ærumnarum nostrarum Tempus esse Medelam. Ne Statum publicum, Nosmetipsos, Fortunas nostras, & Posteritatem omnem, in ultimas Calamitates præcipitemus. Te autem, Princeps Christianissime, *iterùm atquè iterùm suppliciter rogamus, ut expensâ Postulationis nostræ æquitate, & Causâ tàm justâ, afflictos Catholicos benignè respicias, ac responso, ab æquitate, & ratione non alieno, soleris. Si colendæ Avitæ Religionis nobis Veniam feceris, Iucundam salutaris Moderationis vestræ Memoriam, apud omnes gentes relinques; maximæ partis Christianorum consules Tranquillitati; Regnumquè. Pontificijs omnibus invisum, Invidiâ, Infamiâque liberabis. Quæ Conditio si rejciatur, Deum & homines testamur, nos contrà debitum Obsequium, & intemeratam Obedientiam nihil nunc moliri, aut in posterum molituros. Sed fieri non posse, quin Tumultus, Seditiones, & Cætera, coactâ Conscientiâ, oriri sueta Mala, ex nefariâ Spe perditissimorum hominum, Religionis Specie, excitentur; Libertatem Conscientiæ, quam quietâ rep: desperant, perturbatâ, se consequi posse credentium. Etenim in tanto Catholicorum Numero, magna Multitudo est eorum, qui aut propter Metum pœnarum, Novos Motus Mutationesquè Reip: quærant; aut, qui propter insitum animi Furorem, ruptis Patientiæ obicibus, discordijs Civilibus, ac Seditione pascantur. Horum Conatus, & quæ ex Certamine Religionis sequi possunt mala, aliter diverti non possunt, quàm si justis Catholicorum precibus Aurem accommodes.* Hæc Pontificiorum, Ecclesiæ Regnoque insidiantium, Postulata Rex non probavit; gnarus *Religionem mutare, nec securum, nec dignum Majestate regnantis.* Indignum quoquè, Metu potiùs, quàm Voluntate, Subditorum desiderijs consuluisse. Duas Religiones in *Britanniâ* tolerare publicè, exitiosum semper habitum. Indè nunquam Causas Seditionum, Certaminis, & Cædis defuturas. Sed initio Principatus, Clementiæ, Famam utilem existimans, mite, ac Tempori locoquè conveniens Responsum dedit; Pecunias, Mulctæ nomine, Fisco debitas, exigi vetuit; Monuitquè, parùm in tempore, Principem Novis desiderijs onerari. Si tamen tenderent in Pace & Obsequio, mansuram Clementiam.

Jam *Proceres domestici*, Funebri Officio ergà Reginam defuncti, atratis vestibus Regi occurrunt; obvij ex Urbe Primores Civitatis, Equitesquè; onerant Multitudine. Continens agmen, per aliquot Millia Passuum. Cum in ædibus *Henrici Cooki*, *Equestris Ordinis*, Sedecem ab urbe Milliaribus, consedisset, Illic *obvios habuit Regni Senatores, Matronas, ac lectissimas Virgines*; ad Reginam, Officij causâ, in *Scotiam* proficiscentes. *Thomas Egertonus, Vir eloquentissimus, ad* honores, *Iuris Municipalis scientiâ, ab Elisabethâ provectus; ab Iacobo non* continuatus tantum, sed auctus honor; & ejus Judicio Factus *Prætor*. Is pro beneficijs gratissimus, Regi, universi Senatus nomine, gratias maximas egit, & dignissimum Diademate censuit. Dein secunda Avitæ gubernationis Auspicia precatus, Sermonem cum admiratione virtutum ejus, Magnificentiæ, Modestiæ, Benignitatis, & Continentiæ instituit. Merita deindè percensuit, tàm Pij in Numen, Templa, & Antistites; tàm Justi in Cives; tàm Munifici ergà omnes homines Regis, qui Prodesse cunctis studeret; publica Procerum Commoda potiùs, quàm sua quæreret; Probitate quàm proximè ad Deum Optimum Maximum accederet; *Elisabethæ* Vice Munereque fungeretur; redderet Reverentiam Magistratibus, Legibus Auctoritatem, Modestiam Civibus, & Securitatem. His tot tantisquè Laudibus multùm reluctata est Verecundia Principis; credentis adhuc *nullam Pestem esse majorem, quàm Adulationem, Blanditias, Assentationem*; quæ multum in commutandis animis hominum valent; in Principum plus. Nec Fas putavit derogare tàm magnifica dicenti. Nec destitit eos hortari, ut ea sentirent, ea censerent, ea decernerent, quæ Consiliarijs digna essent; eundemquè locum Integritatis, Industriæ, & Curæ, quem honoris, dignitatisquè tenerent. Ubi gratulantes *Senatores* recesserant, Alij *Proceres* gratulatum venerunt; & *Equestris Ordinis Primores*. Postero die, *Cecilius* assumptus in Laborum, Curarumquè consortium, *in Theobaldinas ædes suas* deducit, structuræ elegantiâ, Ambulacris, Hortis, Vivarijs, Fontibus, Rivisquè amœnas. Ibi per aliquot dies commoratus, interfuit Senatui, & censentes audivit, ex Imperij Majestate; ut sedulò perdisceret, quæ mox præciperet; cognosceretquè Mores gentis, Procerum ingenia, & diversam Plebis indolem. Item quò plures partem Administrandæ Reip: caperent, Senatum supplevit; plerosquè generis Claritate insignes Senatorij Ordinis honore percoluit. *Allegit & Scotos*, ne ingratus Amicus videretur, *Ludovicum Levinæ ducem*, Virum Justissimum, & humanissimum; *Ioannem, Marriæ Comitem*, rerum Scoticarum peritissimum; *Georgium Humium*, Ærarij Scotici Præfectum; *Iacobum Elphingstonium*, ab epistolis; & *Eduardum Brucium Kinlossensem*. Paulò antè, Senatorij

1603. Ordinis honore, aliquot *Anglos* decoravit. *Northumbriæ, & Cumbriæ Comites, Thomam Hovartum Cabiculariorum Principem*; *& Henricum*, celebrem Liberalibus studijs, ob modica eorum Merita, super Cæteros extulit.

Indè digressus, comitante *Senatorum* Agmine, magnâ *Procerum* turbâ, ac *Equestris Ordinis* flore circumfusus undiquè, *Londinum* petit; *vijs floro multo, festâ fronde, virenti herbâ passim stratis.* Appropinquanti, honoris Causâ, obvij fuêre, *Prætor Loudinensis*, *& Seniores Civitatis, in Purpurâ*, ac maxima Civium pars Torquata, Sagulis Sericis, equisquè magnificè instratis. Cæteri Populariter effusi, insedêre vias, velut Avium examina, visendi Regis studio. Non Ætas, non Valetudo, non Sexus retardavit; Conspectum ejus quasi Cæleste aliquod beneficium expetentes. Ipse *Rex spectabatur, occursante Populo, Compositus Ore, sensim & placidè incedens.* Forma Corporis, Oris dignitas, Frontis gravitas, Vultus Majestas Spectantium oculos pascebant. Tandem tædio angusti Tramitis perfunctus, *Carthusianas ædes*, hospitium destinatum, ingressus est; summo cum gaudio, faustisquè Acclamationibus omnium Ordinum, Ætatum, hominum. Nullus nostrâ, aut Patrum Memoriâ, dies illuxit cujus tàm effusa, tàmque insignis gratulatio fuit. *Nunquam Angli, Scotici Nominis amantiores.* Meminisse adhuc juvat, hinc in *Rege* conspicuam Vultus serenitatem; Illinc in Populo incredibilem gestus, Vocis, Pectorisquè Alacritatem; ubiquè par gaudium, paremquè Clamorem.

Sic Imperium adeptus, exoptatissimus Princeps *Nobilitati* & Universæ *Plebi*. Si qua in publicis Mnribus desideria Inertiâ, aut pravâ Consuetudine labarent, cnrrigenda suscepit; Dato Urbanis Magistratibus negotio, Illicitos Cætus, ad pessimorum facinorum Societatem coëuntes, *Popinas, Ganeasquè inhibendi.* Maritima *Latrocinia*, quæ per bella exstiterant, Edicto compescuit. *Baticam gentem* Commercio miscuit: & Suos omni Injuriâ, ac Maleficio, *in Oceano*, temporare jussit. Edictis saluraribus pro tempore promulgatis, præcipuam Subditorum curam ostendit. *Pleraquè Vectigalia, in eorum perniciem, superiorum temporum Licentiâ, avarè, crudeliterquè excogitata abolevit.* Illicitas *Coactorum Exactiones*, qui Populum *insolitis Angarijs* per tot Annos, vexabant, castigavit. *Quadruplatorum Calumnias, & Delatorum Turbam* severè coercuit. *Privilegia Debitoribus in fraudem, vel Præjudicium Creditorum, specialiter ab Elizabethâ indulta*; & alias Immunitates, pubilcè exitiosas, revocavit. Item *Monopolia, & alia Nomina, quæ ad perdendam, lacerandamquè Plebem Publicani invenerant, abrogavit.* Tributa temere imperata remisit; prohibuitquè ne quis *iniquum Lucrum* adversùs publicam utilitatem sentiret. Nequè *licitâ Negotiatione* aliquos prohiberi, nequè prohibita exerceri in posterum voluit; Spoliari, vexariquè Plebem *ab Exactoribus*, feriò vetuit. Addita est *Vltio Procuratoribus, & Advocatis, alienas* Pecunias, Salarij nomine eripientibus. Quorum Avaritiam non in præsens tantùm, sed in posterum repressit. *Hæc Edicta*, summâ æquitate proposita, brevi servata; dein, prævalente iterùm Licentiâ, seu Reip: : Necessitate, evanescere cæperunt; ostentataquè potiùs Vulneribus Reip: remedia, quàm data. Edixit & alia admodum Æqua; *ne Mercatores Aurum & Argentum signatum, in longinquas & externas Terras transferrent.* & ne Censibus Extraneorum, *Naves Scotica* ascriberentur. Tributumquè pro illis penderent, constitit. Et sinè contatione *Scotis Privilegia* concessit, quæ statim tribui poterant Jure Imperij, Jure Regiæ Potestatis; Cætera Senatui, & Regni Ordinibus servavit. *Populi Lasciviam* Edicto severissime increpuit. *Cultum Sabbathi*, intermissum revocavit; *diebus, Divûm veneratione dicatis, Ludos scenicos, Taurilia, aut Spectacula, exercere vetuit.* Frumenti, & rerum Necessariarum *Subvectionem ad transmarinas Provincias* inhibuit; nisi summâ domi copiâ. In Edictis, de egregiâ suâ ergà Plebem voluntate disseruit; & promovendi ejus Utilitatem studium, omni tempore professus est. Proindè *In Privatum* diligentissimè dixit. Incolumitati omnium, atquè Saluti, Paci, Otio, Libertati consuluit. *Extortas metu Venditiones, & sinè pretij numeratione, rescidit.* Si quid erat, quod pleniorem Cognitionem, vel majorem Animadversionem exigeret, ad Judices *Egertonium, & Pophamum, Legesquè rejecit*; monuitquè, ut sinè Sordibus & Ambitu, Jus æquabile dicerent. Item Tenuioribus, vel fraude circumventis, *vel Injuriâ Magistratuum oppressis*, subventurum se promisit. *Supplicium libellorum Magistris demandavit, ut omnium Postulantium desideria audirentur*; ne fortè dùm honori Postulantium datur, vel Importunitati ceditur, Mediocres desideria sua non perferant. *Præfectura Militaris Custodiæ Valtero Ralleio adempta, ut in Thomam Eskinum* spectatæ fidei Equitem transferretur. *Egertonius*, vir suavitate Ingenij, rerum usu, & Prudentiâ Clarus, *Ralleio* nunciavit, Regem Securitatis suæ causâ, *Prætoriæ Cohortis curam Eskino demandasse*, ac Salutem suam homini de se Regnnquè optimè merito credidisse. Cæterum ei Dignitatem pristinam, antiquaquè Munia reservavisse. *Ralleius* offerendum ultrò ratus, quod amissurus erat, respondit, paratum se semper & Animo & Corpore, Imperata facere. Adjecitquè, ut ferunt, acerbissimum Dictorium, *se Choreas ducere*; *Egertonum mox subsecuturum.* Subinnuens, quod Ambas Dignitates retinere non posset, *Præturam, & Custodiam Archivorum.* Non diu post, Vir Sagax *Custodiâ Rotulorum se spontè abdicat*; plùs sibi Oneris impositum dictitans, quàm ferendo par esset. Quod eâ Spe ac fiduciâ fecerat, ut *Eduardo Brutio* demandaretur. Nec eum fefellit Opinio. Hîc in Privati Consilij Consessum cooptati, *Zouchius Baro*, Prisci Mnris, & Primæ Nobilitatis; *& Burlam, Eboracensis Provinciæ Præses* (quem suprà memoravi.)

Hæc

Hæc in *Citeriore Britanniâ* hoc tempore gesta. In *Vlteriore*, eodem ferè tempore *Anna Regina* 1603.
consilium cæpit, *Henricum Principem secum in Angliam deportandi*. Subit inde cogitatio animum, quomodò filium in suam potestatem redigeret. Eum tenebat servandum, & alendum, *Ioannes Marria Comes*, publico gentis Consilio; eâ Lege, *ut Nemini, nisi Regiâ Auctoritate* reposcenti, redderet. Etsi *Marrius* in Itinere erat, cum Mandatis, *ut traderet Puerum*; tamen Reginæ desiderio omnis Mora longa videbatur. Igitur, velut ad visendum filium, *Scerlinum* petit. Cum eò ventum esset, *Marria filius*, quid ageretur suspicatus, *in Arcem officiosè recepit, & ei potestatem fecit, ut filium sinè Arbitris conveniret; Sed ita, ut omnia in potestate suâ haberet*. Regina Claves Portarum tradi suis jussit; ad ea *Marria filius, se in Præsidio impositum esse dicere à Patre suo; Clávesquè Portarum, & Custodiam Arcis ab eo accepisse; nec cuiquam, Nisi Regis, vel Patris Arbitrio, qui commisisset, redditurum; Patrem jam paucorum dierum Itinere abesse; Nequè fas filio infringere Mandata Patris*. Hoc Responsum altius animum penetravit. *Regina*, sive ob continuos Labores, sivè ob Indignationem, repentino dolore correpta, ab Arce in Urbem secessit. Remittente se deindè Dolore, ad Iter *Edinburgum* versùs se accinxit. Intereà *Marria Comes* ab Angliâ reversus, *Henricum, ingentis Spei Principem, Regina Matri tradidit*. Ea *Idibus Maij* cum *Henrico* filio, magno Virorum Nobilium, & Illustrium fæminarum Comitatu, in *Angliam* venit.

Rex, rebus sic constitutis, à *Carthusianis ædibus*, ad Turrem proficiscitur. *Turris Londinensis ad flumen Tamesim sita*; Muro urbis penè conjuncta; excelsis Turriculis eminens, procul videtur. Cingunt Paludes, inexuperabilis Magnitudinis. Æstate & Hyeme adeò est munita, ut nec oppugnante externo, aditum ab ullâ parte habeat; nec si quem ibi Rex includat, *ullum, Nisi per Facillima Custodia Pontem, pateat effugium*; magno Vigilium numero, Noctes Diesquè intensissimâ curâ, ad Portas excubante. *Gaza Regia in eo loco recondi; & Officina Monetaria exerceri solet*. Est etiam Armamentarium, cum ingenti Apparatu Machinarum, Tormentorumquè. Tum circà *Gazaphylacium*, Armamentarium, aliumquè belli Apparatum visendum *Rex ductus est*. Tanta Admirario singularum, Universarumquè rerum incussa est, *ut Machinas æneas, Clypeos, Arcus, Gladios, Ingentis Gazæ thesauros, Insolentes Priscæ ætatis Vestes; Gemmas, quibus Principum Conjuges, & Liberi effulserant, magno gaudio spectarit*.

Hoc tempore multi, pro suis in Remp: Meritis, Titulis honorati. In primis *Cæcilius*, deindè *Sidnejus, Knolesius, Vittonus*, egregijs Artibus, & pari famâ Equites, *Baronum honore decorantur*. Utilitati publicæ non pauci consultum existimabant, quod Viri genere Illustres, Meritis in remp: Illustrissimi, Opibus, & honoribus aucti essent; quo majore cum Auctoritate, in publicis Muneribus procurandis, versari possent. His *Rex* confectis, *à Turre, Vicum Viridem*, secundo flumine devehitur; ubi nequè Liberalitatis, nequè Clementiæ, nequè Comitatis quidem exhibendæ Occasionem ullam misit. *Nullus dies, imo temporis Punctum, Beneficio vacavit*. Familiares, Amici, Servi, Alieni, Omnes deniquè homines, Liberalissimum Munificentissimumquè experti sunt. *Nemo ferè expers Liberalitatis fuit*; Mulctas indulsit; *Damnatis Supplicia remisit*; Municipijs immunitates petentibus concessit; Pleraquè etiam, in communi rerum usu, in melius mutavit. *Proceres*, Alios gratuitâ Liberalitate; Alios *Immunitatibus, & Agris Emphiteuticis* sublevavit. Haud minùs grata in Vulgus Munificentia. *Latifundia Ducis Norfolciæ*, redacta ab *Elizabethâ* in Fiscum, *Thomæ, & Henrico Havartis* concessit: Nobilitatem utriusquè *Senatoriâ dignitate, & Agrorum Censu*, juvandam ratus, ut Consilijs eorum, ad Subsidium Dominationis uteretur. *Arundeliæ Comitatum*, undè Pater Reatu exciderat, *Thomæ Havarto, familiæ suæ Principi restituit*. Multis gaudentibus, Antiquam, & Nobilem, & sæpè de Patriâ benè meritam Familiam, de suo locupletatam. Hi Subsidium belli; Hi Ornamentum Pacis. *Rex* multa multis largâ manu concedendo, nihil aliud effecit, quàm ut acrius exposcerent; Ærarium exhausturus, si insatiabili Cupiditati postulantium ultrà indulsisset. Tandem summâ Ærarij Fiscique Inopiâ, cum nullus esset petendi pudor, hiantes amicorum Cupiditates, iniquas preces, Molesta & Immodesta Procerum desideria pertæsus est. *à Quæstore* interrogatus, Quomodò tot Impendijs, tot Annuis Pensionibus, tot Erogationibus, & Regni Necessitatibus sufficeret? Promisit, se nulli subventurum, nisi Senatui justas petendi causas probassent. nec per continuos dies quicquam, nisi sub Exceptione, largitus est, *si tamen per Senatum licuerit*; salvâ semper Imperij Majestate. Ita ad magnitudinem beneficiorum accurrentem Multitudinem Servorum, pro Cupiditatis potiùs, quàm Officij præstiti modo, Pudore, & Senatus Authoritate, abegit. *Munificentia Regia* variè, pro Cujusquè ingenio extollebatur, reprehendebaturvè. Non deerant qui dicerent, *Sinistram Regis Liberalitatem Novam, inæqualem, inconsultam*; quod in Largitionibus, & Impensis nullum modum teneret; & *Regium Patrimonium*, Reip: firmamentum, immodicâ largitione exhauriret; Occasum Imperij, Occasum Reip: acceleraret. Cum ob id Vulgò argueretur, professus est palàm, Divitiarum & Pecuniæ fructum non alium se agnoscere, quàm ut Opibus suis aliorum Inopiam sublevaret; ac Amorem Impendio quæreret; & anteactæ Liberalitatis nolle se unquàm pænitere, ob Sinistros, Vulgi Sermones; cum sciret, *Nihil cuiquam esse ereptum; Locupletatisque tàm multis, Pauperiorem esse factum se tantùm*. Hoc Responso *æquioribus* satisfecit. *Prudentiores* verò non Regis Liberalitatem, primordio Principatus, arguebant; sed Temperamentum nimijs Largitionibus adhibendum censebant; & Frænum injiciendum, quod inhiberet Cupiditates hominum, Maria, Montesquè sibi à Novo Rege pollicentium.

1603. pollicentium. Quæstor, magnâ suâ Invidiâ, sed majore Reip: utilitate, statuit, quid Cuiquè promi posset Benignitatis regiæ; ne Aerarium, firmissimum Reip: Subsidium, per Immodicas Donationes, exhauriretur. *Iniquiores* demùm, qui magis Conquerendi Causas, quàm Justam Purgationem quærebant; Odioquè suarum rerum, mutari omnia optabant, in Spem melioris fortunæ, contempsit. Ita non modò *Iniquorum* Invidiæ, sed *æquorum* expectationi satisfecit.

Quæsitâ in publico gloriâ, posteà *ad ordinandam familiam* animum convertit; quod Principibus haud minùs arduum, quàm Remp: regere. Illud primùm obtinuit, *ut ex suâ gente Præcipuos Comites haberet, in Ministerijs domesticis, Legationibus, & Muneribus.* Inde à se, suisquè orsus, nihil priùs aut acrius monuit, quàm ne quid per Avaritiam, aut Sordes facerent; & ut in *Domesticis rebus*, ac privatis Muneribus egregiè fideles essent; Publicarum rerum Procuratione, & Arcanis Imperij abstinerent. *discretam se velle Domum, & Remp:* dictitans. *Philippum Harbartum*, Adolescentem egregium, *Penbrochiæ Comitis fratrem*, in Cohortem primam Amicorum adscivit; qui teneris adhuc Annis, Viri firmitate, in Venatione Ferarum Sylvestrium, Regi suo affuit indefessus. Hâc Fide, & Industriâ, Novos honores, Novos Titulos meruit. *Ludovicus, Leviniæ dux*, præsidere Consilio petijt: denegata est ætati ejus tanta rerum moles. *Anglis* Civilium Artium peritis, Arbitrium rerum demandatum. Nec tamen in *Scotos* durus fuit; sed *omnes Comites*, qui in aliquibus Muneribus publicis, aut Legationibus erant, largè effusèque remuneravit; prout Virtus atquè Opera meruerat. *Levinium, Humium*, præcipuum in Amicitiâ; *Eskinum, Ramseum, Hajum, Brutium*, opulentissimis Prædijs locupletatos, ad summos honores extulit.

Vitæ Integritatem, Abstinentiam, Mansuetudinem in tantis Opibus, tàm amplo in Imperio, atquè regno, referre piget. *Circà Libidines, & cæteras Cupiditates, Continentissimùm* fuisse constat; *& sinè Suspicione ullius Vitij. In Moribus nihil nisi castum, sincerum, sanctum. Animus nullis Libidinibus, flagitijs, stupris, imbutus. Mansuetudinem verò, Bonitatem, Moderationem animi, in Potestate ulciscendi, incredibilem exhibuit.* ac si quæ adversùs se gravius cogitarentur, aut Levitate Ingenij dicerentur, *oblivisci maluit, quàm ulcisci.* Abundè duobus Factis, quæ suprà retuli, quàm humanus fuerit, testatus est. *Puriogilvium, & Grajum*, familiæ suæ Principem, levi, nec diuturno Exilio punire, satis habuit; cum Ille Contumeliosâ, & Contumaci epistolâ offendisset. Hic *Legatione fungens apud Elizabetham, ad deprecandam Matris Mortem*, nefariè prodidisset, castigando Metum & Moram Supplicij, cruentis verbis, *Mortui non mordent.* In Scotiâ illo regnante, *Nequè loquendi Libertas; Nequè abrupta ingenij Contumacia, cuiquam exitio fuit.* Regnum *Angliæ* adeptus, nullis Odijs imbutus, nec Cupidine ultionis, cum vindicandi se Facultas quàm amplissima oblata esset. *Inimicorum Injurias oblivisci maluit, quàm ulcisci.* Et diversarum Factionum homines, Principem etiam in Regno locum tenere passus est; *ut se non tàm Inimicum aliquandò fuisse, quàm Regem esse, videretur meminisse.*

Sed & hæc, & cætera, totumque adeò ex magna partè Principatum, seu *studio Venationis, & Aucupij*, gentis more, seu *tædio* Novæ curæ, non tàm suo, quàm Senatorum Arbitrio administravit. Quorum præcipui erant, ob Taciturnitatem, & Obsequium, *Georgius Humius*, apud Regem summâ gratiâ summâquè potentiâ, ob Solertiam, Subtilitatemquè in Ministerijs Aulicis. *Cæcilius* Conditiones Pacis, & Arbitria Belli eâ tempestate tractans. Consilio in primis utebatur *Baronis Cæcilij*, viri magno & acri ingenio; qui præclara jam dederat singularis Prudentiæ documenta, in gravioribus Reip: negotijs. At *Cæcilius* ut Auctoritatem & gratiam, quam apud *Novum Regem*, ob recentia Merita comparasset, incolumem tueretur, *Humium* comiter observâre. Hunc nullo commendabilem Merito, *Rex* (Fortunæ nè beneficio, & Similitudine Morum; an occultâ Potestate Fati, & Sorte nascendi, ambiguum) tantum dilexit, ut ex modicis initijs, per omnes Dignitatum gradus, ad amplissimos honores provexerit; & Regno Angliæ potitus, Titulis, Potentiâ, & Libertinis Opibus exornarit; *Urbe Agroquè Bervicensi*, invidiosâ Vulgo Liberalitate, donarit; exuto *Ioanne Fortescuto*, doctissimo viro, sanctioris Ærarij Proquæstore, in ejus locum nimiâ Charitate suffecerit; biennij Spacio, *Spenserijs, Dudleis*, ingratis adhuc Plebi nominibus, potentiâ, & famâ divitiarum adæquarit; magnâ imperitæ Plebeculæ Invidiâ; quam nulla res æquè ac Magnitudo Fortunæ adauxit. Quærebantur, *Supellectilem Veteris Aulæ Bervicum detulisse*, conductis ad comportandum Meritorijs Vehiculis; & in Regni ingressu, pro Venalibus Officijs, Immunitatibus, atquè alijs Privilegijs, grandem Pecuniam corrasisse: objectabantquè tristia ac obscæna Flagitia, Immania Scelera, *Ephesijs literis imbutum.* Sed plùs Mali imprecari ei, quàm Periculi creare poterant. Ille Domesticis Obsequijs, & intimâ Charitate Principis contentus, ignobilis Vulgi voces, & sævas Criminationes, Inanesquè Susurros contempsit: Convitia Invidiæ, Infamiæquè plena, evanescere sivit. Certè non est Populi æstimare, quem suprà Cæteros, aut quibus de causis, Libidine Fortunæ, an Divino mortalibus ignoto Consilio, Princeps extollit. Etenim vitio Morboquè temporum, Prudentiores & Sanctiores Regum Ministri, sæpius sæviusquè Sinistris Vulgi rumoribus jactantur, à Calumniatoribus oppugnantur, & pro Cujusquè Audaciâ, ac Temeritate perstringuntur. Deteriores, quod Temporibus magis serviant, tutius agunt, prosperâ apud imperitos famâ; qui ut in Ludicro Certamine deterioribus favent, Malevolorũ confictis Fabulis credunt. Indignus qui sedeat ad puppim gubernator, si ortâ Tempestate Clavum abjecit. Miles exauctorandus, qui ob Clangorem Tubarum, Clamoremquè hostium, Arma projecit. Multo indignior, qui sedet ad gubernacula Reip:, si insulso Vulgi sermone dimoveatur.

Fælicitas *Iacobi*, & Nova rerum Mutatio, Legatos ex totâ Europâ excivit. à *Batavis*, Comitis *Mauritij Frater Fredericus Nossovius, Brederodius, Barnefeildius, & Iacobus Falco, de Successione gratulantes* venerunt. Ab *Alberto Archiduce Austria, & Isabellâ, Carolus Arrembergicus Comes, Aurei Velleris Eques*, magno Procerum Comitatu *Londinum* venit. Magnificum id *Britanniarum Regi*, Potentissimorum eâ Tempestate Populorum, & Regum Legatos, eodem tempore, suam Pacem Amicitiamque petentes venisse. Legationes Frequentes, quæ undiquè *Londinum* gratulatum convenerant; maximè *ex Belgio*, auditæ sunt. *Batavi* ad Regem introducti, præfatiquè, *se non tàm Tristes Excessu invicti Animi Principis Elizabetha, quàm latos falicitate, fortunâquè Iacobi; per quot Annos pro Vetustâ Libertate dimicarent, tum Hispanis infestissimis hostibus, exponunt. Omnia Remedia adversùs intolerabilem eorum Tyrannidem expertos esse. Finitimarum etiam gentium Auxilia tentavisse. Plùs Opis in Elizabethâ, quàm in Opulentioribus Principibus invenisse; Nec Spem ullam resistende, nisi Præsidio Britanni essent. Quare nihil aliud sibi in præsentiâ mandatum esse, quàm ut Regi gratularentur; & orarent, ut non modò Pristinum defuncta Regina animum ergà Socios & Confæderatos retineret: sed se Vindicem, Assertoremq́, Belgij, Majorum suorum exemplo profiteretur. Perigrinos, miserrimam Servitutem intentantes, socialibus Armis expelleret: Infirmamquè Plebeculam, Metu Servitutis liberaret. Gloriam indè ingentem pro defensâ Religione, Salute, atquè Libertate Sociorum; fructumquè majorem consecuturum. Non ignorare se ostendunt, quomodò hostes à tàm laudabili Proposito, Mentione Pacis Publica Orbis Christiani, & atroci insectatione Rebellionis, averterent: rogantes ne fidos amicos, Socios benè meritos, parvi beneficij vanâ Spe, in rebus dubijs desereret; & infidam, nec diuturnam Pacem, nota Calliditatis hostium, amplecteretur. Id enim ad Majestatem ejus, Fidemquè pertinere, non deserere Socios Armorum, in rebus tàm trepidis: cum etiam ad Vtilitatem Regni Anglici, non sinere Hispanos Viam sibi præmunire ad invadendam Britanniam. Philippum Hispanum jam Accolam gravem, & Vicinis omnibus metuendum, multò fore Potentiorem Terrâ Mariquè, si sibi Belgium subjecisset. Satius esse Britannis, quamcunquè Martis Fortunam subire, quàm imperium Hispanorum propè se convalescere pati. Iamquè eò rem venisse*, edocent, *tantâ Accessione diversissimarum Regionum, Orientis & Occidentis, ut Hispani Finitimis omnibus, aut Terrarum domini, aut hostes habendi sint*; Nihil *medium. Nec eâ re contentos, Belgio certâ spe imminere, ut Mari etiam, in Conspectu nostro Vestroquè dominentur. Eandem illos causam belli cum omnibus habere*, Orbis terrarum imperium. *Id unum agere, moliri, parare, ad id Vires, Consilia, Conatus referre*, ut nullum usquàm Imperium nisi Hispanorum esset. *Bellum igitur Iustum, & Necessarium suscipiendum esse, pro Majestate Imperij, pro Religione, pro Salute Sociorum, Securitate Britannia, Totis quoquè viribus eorum immoderata, imo inexplebili, Libidini obviam eundum esse*, Quorum Cupiditati nimis angustus est Vetus Orbis Terrarum; *adimendumquè Imperium Orbis affectantibus. Id cum suis Viribus præstare non possent, nihil usquàm in Terris aliud Spei habere: unam reliquam in Anglis restare. Navalibus terrestribusquè Copijs invictis, conjunctis viribus nihil obesse, quin Hispanos Belgio pulsos, domi, ac suis in Sedibus dimicare pro Salute cogant; at non ægrè Thesauros Indicos, per tot Annos belli Nervos, intercipiant; & India Possessione dimoveant. Suscipere hoc bellum, & Belgarum Patrocinium, adversùs Religionis; & Anglici Nominis hostes, orant. Pollicentur Obsequium, Laborum, Periculorumquè Societatem; Stationes, Portus, Vrbes Maritimas, Copias Terrestres, Socios Navales; non segnem in bello Operam, & haud dubiam victoriam; Sibi Libertatem, Anglis gloriam allaturam.* His atquè talibus dictis, erant magnâ ex parte hominum *ad Favorem Batavorum* inclinati animi; Nisi qui *Philippi Regis* beneficijs, Muneribusquè præoccupati essent. Primo quidem die sinè responso dimissi *Batavi*.

Tum *Legatis Archiducis* Rex dicendi potestatem fecit, quid petentes venerint. *Arimbergius*, Princeps Legationis, post gratulationem, & multiplicem Salutem, Regis sui nomine, *se simpliciter ad petendam Amicitiam, jungendamquè Societatem venisse dixit. Postulavitquè à Rege, ut aut ad Pacem faciendam compelleret Batavos, aut perseverantes in bello injusto, & Possessione Belgij Iberos dejicere, contrà Ius, & Fas conantes, Communes duceret omnium Regum hostes, queis omnia Regna pariter invisa essent.* Providere etiam monuit, *ad Hispanum quidem Rebellionis Injuriam, sed ad omnes pertinere Seditionis exemplum; Regum Majestatem imminui, & Authoritatem vilescere, si nec Exemplum, nec Periculum moveant. Itaquè communis dignitatis, at utilitatis causâ, obviam eundum Rebellium Conatibus, ne latius Contagio Reges pellendi proserperet. Naturâ inter se inimica esse disseruit, Liberam Remp: & Regnum: ac indignum Posteris Exemplum*, Regum viribus, Rebelles Subditos, Reges oppugnare. *Adesse Finem Regnis*, Nisi, quantâ Vi Civitates Regum Juga excuterent, tantâ Regna Reges defenderent. *Proindè vel Subditis ingratis persuaderet, ne Ligitimum Imperium detrectarent; vel si id recusarent, Ipse primo quoquè tempore*, Auxilia è Belgio domum revocaret. *Nevè eos dignos Ope censeret, qui omnium Finitimarum gentium Auxilia tentarunt; & Fidem ex commodo ruperunt; Amicis, Inimicisquè Parem gratiam referentes.* Adjecit postremò, *Caleste Numen par referre Principibus, qui indomitis ferocibusquè Subditis opitulantur, ut Ipsi aliquandò Tumultuantium ferociam experiantur.*

His atquè hujusmodi sermonibus, *Invidiosum Rebellionis Nomen Batavis impinxit.* Utrâque Legatione perpensâ, cum in *Arcano Consilio*, quidnam agendum esset, consultaretur; & Alij *vetustam Societatem cum Belgis; Vetera, & magna eorum in Regnum Anglia merita, at Officia, adversùs Iberos commemorarent*: manendumquè in *Belgicâ Societate una*, tum in Terris, vel viribus Navalibus, vel fide stabili. Alij, famâ & Majestate *Philippi Regis* præoccupati, *non aspernandam Pacem*, & ejus Amicitiam, censerent. *Rex*, homo singulari Prudentiâ, & multas rerum Vicissitudines expertus, in

1603. primis *ad Novum Regnum stabiliendum* utile existimavit, Cuncta ad Pacem Consilia referre; & *publicæ Orbis Christiani Tranquillitati* consulere; ut positis Externorum periculorum Curis, de suis rebus liberius consuleret. Proindè *Confœderatis Belgis*, cum Decoro & Modestiâ *respondit*; *Rebus domi semel constitutis, res eorum sibi curæ fore; Sua etiam interesse, ne omnium Provinciarum Ius, ac Potestas ad Philippum perveniret. Insuper ea Subsidia, & Officia à se expectare jussit, quæ à Rege Amicissimo, ac Socio sperare fas esset. Ad hæc, si possent in animum inducere, ut Oblivione præteritorum, finirent bellum, se Paci reconciliandæ operam daturum.*

Arinbergicum, accersitum, *humaniter monuit, se quidem nihil magis, quàm Pacem cupere; verùm existimare, à suis facilè impetrari non posse, quod Ferociam, exercito Armorum usu, collectam, & inveteratum mutuis Cladibus Odium, non tàm citò possent omninò deponere. Quod autem ad se attineret, dùm viveret, Pacem sibi sanctam & inviolatam cum Austriacis futuram. Si sedatis bellorum Civilium fluctibus, Reconciliatore se uti vellet, suam ad id Curam, Consilium, & Auctoritatem pollicitus est. Si nihil deprecando proficeret, Neque Belgas publicâ Auctoritate, Pecuniâ, Auxilijs, posteà adjuturum; Sed Iuventutem Britannicam, in utrâque Parte, liberè militare passurum. Verùm si Bello injusto Batavos persequi pergerent Austriaci, ac in perniciem Ditionum, Vrbiumquè incumberent; ne quid à se sperarent, aut peterent, quod Veterem Amicitiam, multis magnisque Meritis, Pace Belloquè partam, disjungeret.*

Legati Ordinum, ubi hæc audiverunt, sollicitis ac pendentibus animis retrò domum redierunt. *Arinbergicus*, in *Angliâ*, ad tempus remansit; abditos Principis sensus, aut si quid occultius hostes pararent, speculaturus.

Francus intereà, dissimulatâ animi ægritudine, *Maximilianum Betunium, Marchionem Rhosnium, Sanctioris Ærarij Quæstorem*, virum singulari Prudentiâ, in *Britanniam* misit. Is magno Comitatu cum Amicorum, tum Clientum, *Calitium* venit. Quod ubi Rex cognovit, jussit ut duæ Naves prospicerentur, quibus Ipse, Comitesquè benè ac tutò in *Angliam* deveherentur. *Rhosnius* fide, Amicitiâque Anglorum subnixus, *Regiam Navem* ingentis magnitudinis conscendit, & in Insulam traijcere cæpit; remissis Navibus, quæ, Officij causâ, à Galliâ prosecutæ sunt. *Vicius, Portus Icij præfectus*, erectis *Liliatis Insignibus in Prætoriâ Nave*, vela dare cæpit. *Navarchus Anglicus, Francorum Insignia* conspicatus, frendens, fremensquè, indignum & alienum à Majestate Britannici Regis putavit, *alia quàm Anglorum Insignia in Oceano Britannico conspici*; Idquè non se passurum fieri, truci, minaciquè Vultu clamitavit; *ut detraherent*, iracundis Nutibus, Lacertorumquè Contentionibus, admonuit: & parùm abfuit, quin *Angli Franciquè in Nave Regiâ, à Controversiâ Verborum, ad Manus* descenderent. *Rhosnius*, Viribus impar, *Navarchum* virum rudem, & Militarem, furentem, ad Sanitatem revocare frustrà conatur. *Ille Ignem Machinis admovet*; nec furor Navarchi priùs sedari potuit, *quàm Insignia Gallorum submitterentur.* Rhosnius, *violatum Legatum Regium, violatum Ius gentium* graviter conquestus est; & hujus Injuriæ tàm insignis Authorem, in exemplum plecti postulavit. *Senatus* purgans se ignaro id factum, omnem Culpam à Rep: in Navarchi ferociam averterat. *Legato* navem egresso, Authore Rege, omnis honos habitus, qui haberi potuerat. *Præfectus Dorovernij*, cum Decurionibus obviam processit; & postero die ad *Cantuariensem Vrbem* deduxit; ubi ad Portam Civitatis, *Sidnejus Baro*, magno Nobilium globo, & Splendidissimo quoquè *Cantiano* Equestris Ordinis, præstò fuit; ut *Londinum* deduceret. Extemplò *Vicum Viridem* primùm; indè ad Urbem, adverso *Tamesi*, magnâ gloriâ occurrentium, subvectus est; & in hospitium, 80 *Essidis*, ad id anteà paratis, quàm honorificentissimè est deductus; Comitesquè in hospitia benignè divisi. Advenienti extemplò *Cecilius*, gratulatus est. Nec *Arinbergico lætus fuit honos illi habitus*, & Civium Alacritas. Rex interim à Venatione longinquâ reversus, post paucos dies, in Aulam accersijt, ut Legationis summam exponeret. Inerat Cura insita Mortalibus, *videndi congredientes Nobilem Regem, & Maximi Principis legatum.* Is Vicum Viridem, *cum 300 circiter Nobilibus* profectus, ad Limen Palatij obvium habuit *Northumbrium*, & alios ex Primariâ Nobilitate; qui omni Honoris, & Benevolentiæ significatione excepêre; & ad *Cameram Regiam* (quam Vulgus *Præsentiæ* vocat) perduxerunt; ad cujus limen *Thomas Havartus, Cubiculariorum Præfectus* occurrit; & ad *Vraniscum* deduxit; Sub quo *Rex* residens Triumphali Pompâ, inter Proceres, & Primores Aulæ, *Rhosnio, per devexum pulpitum subeunti, & ad Osculum Manus properanti, occurrit.* Ille tamen *priùs Regis Manum Osculo contigit, quàm se illi complectendum daret.* Dein propiùs adductum, ac rursùs Supplicantem, *juxtà se à Latere collocavit*, & Comitibus omnibus *Manus osculum* dedit. Proceres quoquè *Angli, Franciquè* Salute acceptâ, redditâquè, Comitate mutuâ, Officijsquè certarunt. Salutatione peractâ, cum paulisper silentium fuisset, post Solennem gratulationem Regis sui Nomine, *seso ad renovandam veterrimam Societatem, & Conjunctionem Francorum Regum, & Scotorum venisse dixit; studiumquè Pacis, & perpetuandæ Concordiæ inter duo Regna declaravit.* His pro fœdere editis Mandatis, commemoravit multa de Amore, Benevolentiâ, *& Cultu Regis domini sui ergà Iacobum: parati quoq;, Sortem omnem Fortunæ, Regniquè sui, cum rebus Britannicis immiscere.* Quæ re grata, verbis fecit gratiora. In summâ verò, *Legatio nihil aliud erat, quàm Virtutis & Magnificentiæ Regiæ laudes, & non vulgaris Amoris Officia in Regem, Regnumquè Britanniæ.* Rex summâ Oris Suavitate, ac gravitate, extemporali facultate respondit, *Se Antiquum fœdus, antè Quingentos Annos, cum Scotis ictum, ac propter Æquitatem, & Communem utilitatem, ad eum usquè diem, perpetuo Tenore servatum, nolle jam interrumpere; Nequè adeò Humanitatis expertem, ut Amicitiam cum Christianissimo Rege captam,*

cum

cum augustioribus Imperij Finibus concluderetur, in Scotiâ post se reliquerit; aut Accessione Anglicani Regni Pristinum animum mutaverit. 1603. Hâc mutuâ Commemoratione Benevolentiæ, Audientium animi delectabantur. Tum ad *Familiare Colloquium* divertunt. *Rex* de Valitudine *Henrici regis*, Moribus, atquè Virtute; de Armorum studio, Pacis institutis, non pauca, cum singulari significatione Humanitatis, interrogavit. Deindè *Rhosnij Solertiam* in rebus gerendis, Labores, & discrimina laudavit, *Fratremquè Christianissimum plurimùm ei debere prædicavit*; qui salvâ Majestate Regiâ, Invidiâ verò suâ, Cupiditatem Avidè postulantium refrænavit. Is Prudens moderandi, gnarus temporum, & Speculationum Aulicarum peritus, temperavit gloriam suam; ne Invidiâ clarescеret, omnia Facta & Consilia, ad *Henricum ut Authorem* referens; Ingerens identidem, si quid Ministerijs suis prosperè evenerit, *Heri, non suam gloriam esse*. Sed *Rex* altiùs penetravit, prudenter differens, *gravissimos Principum Labores, Curas, Cogitationes Administris egere; quibus intimas Sollicitudines communicent; Principemquè, qui de suâ unius Sententiâ omnia gerat, Superbum Iudicio magis, quàm Sapientem. Nequè Caput, sinè membris; aut Regem, sinè Adminiculis, Munia Regni exequi posse. Cæterùm, non Exercitus, non Classes, non Fœderatos, tàm firma Regni Præsidia, quàm Fidos Consiliarios, Pietate, Prudentiâ, & Iustitiâ præstantes; qui sociatis laboribus, Vigilijs, Periculis, Onera Reip: ferrent; & pro omnium Salute excubarent.* Cætera sinè Arbitris acta; *de Pontificis Maximi Potestate; ac de Austriaca familia statu, & Amplitudine, sermo cum Silentio habitus*; quæ dicta à Rege, quæquè responsa essent à Legato, non emanavére. Postquàm verò *Rex*, jucundo Sermone tempus aliquod extraxisset, reliqua se *Cæcilio* uberius explicaturum respondit; & Cumulatiorem gratiam, in tempore, *Christianissimo Regi* relaturum. Inter multas Regum & Populorum Legationes, *Rhosnius omnibus honoribus cultus*; Regiæ Mensæ sæpius adhibitis; *Choreis, & Spectaculis recreatus*; circà ædes Regias ductus, *ingentis Gazæ Thesauros, Preciosam Supellectilem, Tapetes, & Margaritas, cum Admiratione contemplatus*, à quodam Circumsistentium interrogatus, *Ecquid sibi videretur?* Respondit, *gaza Regia, non magnificas ædes, amplam Supellectilem, non Vtensilia, aut Lapillos, sed 40 Armatorum Milia, & 50 Tormenta ænea, cum omni Apparatu Militari.*

Post paucos rursùs dies, in Senatu quoquè agitata est *Summa Postulatorum*; cujus Sententia inclinavit, *ad Pacem, & Fœdus faciendum*. Itaquè à *Cæcilio*, Legato Responsum, *Placere Regi Fœdus renovare; & eosdem Amicos Inimicosq; cum Franco habere*. Legatione jam peractâ, proficiscenti omnes honores habiti, Donaquè amplissima data; *Equi phalerati, Torquis pretiosissimis Margaritis* adornatis. Comitibus Equorum Commercium permissum, *educendiq; ex Angliâ* potestas. Ita Pacem, Fœdusquè & Amplissima Munera domum retulit.

Tum à *Christiano secundo, Daniæ rege, Christianus Frisius, Præfectus Iuris, Henricus Bellovius; & Ionas Carisius I. C:* & paulò post, à Multis *Germaniæ Principibus Legati*, gratulatum Incrementum Fortunæ venêre. *Dani anditi, de Finiendis Controversijs cum Dano, & Anseaticis Liberis Fœdere Civitatibus, quæ tempore Eliz: exstiterant; de Vectigalibus Maritimis; Piscationibus; & liberâ in Russiam Navigatione.* Petunt ut tales Viri mitterentur, quorum Auctoritate, & Consilio Controversiæ finirentur. Responsum Legatis, *Facere Fratrem Regem Daniæ, quod Principem Iustum bonumquè deceat.*

Non immeritò inter Cætera *Tironij in Angliam Adventum* retulerim; qui circà hæc tempora, cum *Montiojo Prorege* appulit. *Montiojus*, propter Merita & Officia, *in Senatum lectus*; Comitatui Principis adhibitus est; non adempta Provincia, quam per Procuratores *Georgium Careum, & Arthurum Cicestrensem, Equites*, diù posteà rexit. *Rex* gnarus, *Tironium*, propter Cædes, Populationes, Urbiumquè Direptiones, omnibus Injurijs obnoxium fore, edixit, *ne quis ad Aulam venienti, in Iurgio per Compita Proditionem & Rebellionem objectaret; sed omnes satis honestum generosumq; ducerent, quem Rex Senatusq; in integrum restituisset; ac veterum Offensarum Memoriam deponerent.* Ad id Edictum magnus fremitus hominum, & Indignatio fuit; Nihil tàm ægrè universa Civitas audivit; nunquàm Populus magis suâ Injuriâ indoluit. Itaquè *introductus ad Regem, & ad Pedes ejus prostratus, Misericordiam oravit, exoravitquè*. Et in *Angliâ* per aliquot dies commoratus, *Veniam in Hiberniam redeundi impetravit*. Rex discedenti in Mandatis dat, ut curet improbis hominibus *Vltoniensem Provinciam* purgare; & Sicarios, Fures, Receptoresquè eorum coercere. Si sollicitè id agat, apud se honorem perpetuum fore. ad ea benignè cum respondisset, à Rege dimissus, & Munera data.

Haud minùs celebris *Francisci Veri*, magno animo & Virtute hominis, in Urbem Adventus: qui summâ cum Laude Militaribus Copijs *in Belgio* præfuerat. Ubi *Northumbrium*, Claris Majoribus ortum, acerbis dicterijs acerrimè offenderat; eorumquè Contentio ad graves, testatasquè Inimicitias progressa est: *Verus, Hamptonæ, in Camerâ Regiâ, pessimo exemplo, à Northumbrio, Contumeliosè Sputo perfusus est.* At ille acceptâ insigni Injuriâ, abstersit Faciem, & subridens, Comiti fœtidi Oris Pituitam exprobravit. *Rex*, ardentem cupidine Ultionis, ad tranquilliorem mentis habitum inclinare, humanissimis verbis conatus est; sed nihil aliud respondit, quàm *Injuriam, eo Loco, & Tempore, non suam, sed Regis esse*. Posteà Authoritate, & Precibus permotus, ne se Pertinacem exhiberet, *Injuriam illam non se Northumbrio, sed Regis Auctoritati concedere, testatus est.* Indignabatur *Vulgus*, Fortissimo Viro gravissimam Injuriam illatam. *Patres* improbabant Facinus, castigatâ *Northumbrij* licentiâ.

1603. Southamptonius quoquè vehementes Inimicitias adversùs *Grajum*, ejusdem Amplitudinis Virum, exercuit. Exortâ Contentione *coràm Reginâ*, exardescentesquè Irâ, *à Grajo Mendacij Probro lacessitus; quod Nobilitati, recepto More, Vulnere gravius*; Respondit, *Verba se Ignominiosa Tempore Locoquè, Manu confutaturum*. Probabant *Southamptonij* Patientiam *Patres*; & *Graij licentiam* arguebant.

Legationibus dimissis, *Rex*, *Vinsora Supremi Ordinis Periscelidis Anniversarium Solenne celebravit*. & in Ordinis Sodalitium adscivit *Henricum Principem*; *Ludovicum Leviniaducem*; *Henricum Southamptoniæ*; *Ioannem Marriæ*, *Gulielmum Penbrochiæ*, *Comites*. Exercitationes Campestres, Venationem, & Aucupium non intermisit.

Cum jam domi, & foris Otium ac Quies esset, ac nulla Spes Religionis liberæ, *ineunte Iunio*, duæ Conjurationes detectæ, & in ipso Conatu Suppressæ. Quibus facem prætulerunt *duo sacrificuli Romani, Vatsonus, & Clarcus*; qui antè Coronam impositam Capiti Regis, Capiti ejus perniciem machinati sunt, *cum nullis novis Oneribus Pontificij premerentur: Nequè Mulcta Menstrua exigerentur*. Prior *Conjuratio Brociana*, Posterior, *Ralleiana* fuit. Per *Franciscum Barnabeum*, *Flaminem Romanum*, Indicium Prioris Conjurationis emanavit. Qui apud *Bancroftium*, *Antistitem Londinensem*, indicare Conjurationem est professus, si ab eo fides sibi data esset, *haud futurum Noxæ Indicium*. Acceptâ fide, imminens periculum, & gravem Conjurationem aperuit. Cæteros tamen Conjuratos ignoravit, præter *Sacrificulos*. Mox omnia properè *per Antistitem Cæcilio* declarantur. *Vatsonus*, *Clarcus*, Alijquè ex Conjuratione deprehensi. *Georgius Brocius*, ex honoratâ *Cobbami* Familiâ, liberalibus studijs clarus, si rectum Iter persequi voluisset; nequè viribus, nequè corpore integer, acerrimus Instinctor fuit Conjurationis; *quod pro Spe, Ptochodochium Sanctæ Crucis non contigerat: & non pro Meritis provectus fuerat, ut rebatur*. Per hunc in Conscientiam facinoris adscitus *Grajus*, Consuetudine Uxoris Familiaris; quem Ultioni intentum, Invidia in *Southamptonium* præcipitem rapuit. *Baronem Grajum*, eximiâ Nobilitate, Socium Conjurationis extitisse, miserandum erat; quia Clarissimis bello Majoribus ipse par, suam Familiam, suam Nobilitatem, & Majorum Merita perditum ibat. Per hunc, *Mercamus Eques validus*, adempto Vivario insensus, & Vindictam destinans, si Occasio daretur, Conscientiâ illigatus, Primas sibi Partes expostulavit, inter Venandum aggrediendi. Injustus Dolor plùs potuit apud animum, Cupiditatibus obnoxium, quàm debitum Obsequium. *Eduardus Perhamus*, *Equestris Ordinis*; *Bartholomeus Brocesbius*; *& Antonius Copleus, ex fugâ retractus*, hujuscè Conjurationis participes fuêre. Qui Dolor, Quævè Ira impulerit, incertum. Certè Injuria nulla. *Vatsonus*, Vitâ probrosus, & opertus Infamiâ, plures diversis Artibus conciliavit, *& accendit Pontificios, maturare, quod pro Ecclesiâ* suscepissent. *Rallejus* expers hujus Conjurationis, ademptâ Prætorianorum Cohorte (ut suprà memoravi) Regi suspectus; & in nullo posteà honore habitus; primùm eam Contumeliam tacitus tulit. Deindè ratus Spem novandi rès, omni præsenti statu meliorem, in Conscientiam recentis Conjurationis adscivit *Cobhamum, è præcipuâ Affinitate Cæcilij*; & cæpit cum *Arimbergico Secretas Coitiones* facere, in quibus Fortunam publicam, & tempora Reip: deplorabat graviter; & fessis rebus succurrere *Iberos* sollicitabat. *Aureorum aliquot Millia promissa*: uberior Spes, Secretioribus inter se Colloquijs, ostentata. *Cæcilius*, ubi cognovit eos multa cum *Arembergico*, & secreto locutos, arreptis Suspicionibus, Magistratibus imperavit, ut *Cobhamum, & Rallejum* deprehendant. Qui mox comprehensi, sinè tumultu; & in Carcerem conjecti, pænas Conjurationis daturi. Ita Tumultus, & novandarum rerum Consilia, *Conjurationesquè Brocij, & Ralleij*, priusquàm invalescerent, detectæ, compressæquè. Dilata Cognitio Facinorum in proximum Septembrem.

Posteà consultatum de Ordine, Ritu, ac Solennibus *Inaugurandi Regis* Cæremonijs; ac Quæsitum, *Quonam Die Iacobus Solennia Regni capesseret?* Prudentioribus Periculum in Morâ censentibus, ob Metum Conjurationum, *Die Sacer Iacobo Apostolo accipiendo Diademati constituitur*. Isquè dies Inaugurationis, in posterum, celebratus. Primum, per Præconem Pronunciatur, *ut Quicunque Iure feudali, Obsequia & Servitia Inauguratione Regum præstare tenerentur, Die Lunæ 25 Iulij Coronationi destinato, More Majorum, præstare præstò essent*. Deindè ad majorem Pompæ Celebritatem, *Hamptoniæ, homines Nobiles Titulis Honorarijs, prisco More, exornantur*. Southamptonius omnium Popularium desiderio, *in integrum Novo Diplomate*, restituitur. *Thomas Havartus Suffolciæ*, *Montiojus* Devoniæ, ad omnem Claritudinem natus, *pro se & heredibus suis Masculis*, *Comites creantur*. *Thomas Arundelius*, *Equestris Ordinis vir*; *Comes Palatinus à Rodolpho Cæsare creatus*; cujus honoris usurpatione uti eum Regi & Senatui non placuit; quod *Comites Anglici à Rege, non ab Imperatore creari solerent*, ad solatium amissæ Dignitatis, *Baronis Titulo posteà auctus est*. *Thomas Egertonius*, rectissimus Judex, & fidelissimus Senator, omnibus honoribus, omnibus Titulis par, *Baro* creatur. *Gulielmus Russelius Belfordianæ Familiæ* Nobilitate, Disciplinâquè Militari clarus; *Henricus Grajus*; *Ioannes Petrus*; *Ioannes Harringtonus*; *Henricus Daversius*; *Thomas Gerardus*; *Robertus Spenserius*; quibus Equestris Nobilitas, patrio More Institutoquè *Barones creantur*. Judices Regni in Purpurâ; Servientes ad Legem, bicolori Veste; Doctores Juris, & Ministri Regij, loco eminentiores, Equestri Dignitate ornantur. De hinc *Pridiè Inaugurationis, Sexaginta Equites balnei*, cum Asseclis & Armigeris, postquàm Insignibus suetis circà hastici ludi Aream equitassent, ex equis desiliunt; ordineque Sedentem in Porticu Regem adeunt;

& Equestrem

& Equestrem Ordinem singulari Cæremoniâ, & antiquâ Solennitate, *ex Facialium præscripto*, susci- 1603.
piunt. Hic Primus apud Anglos equestris honos.

Mox adventante Die, qui capiendo Diademati delectus fuit, tàm *Funesta Pestilentia* in Regiâ Urbe exarsit; totoquè posteà Autumno incanduit, ut *Ordo suetus procedendi à Turre Londinensi per Mediam urbem*, consultò omitteretur. *Rex Ipse in Purpurâ Imperatoriâ, cum Annâ Reginâ, Regalibus indumentis amictâ, Naviculâ Auro exornatâ ad Vestmonasterium, Tamesi subvectus est*; magnâ *Purpuratorum Procerum* Frequentia; atquè externorum Principum Legatis stipatus. Hoc Ordine Pompa ad D. Petri Templum incedebat: ante Agmen *Faciales, Tubicinesquè* pictâ veste, concinentes; *Sexaginta deindè Nobiles Prætoriani*, Armis Cultuquè fulgentes. *Proceres regni in Purpurâ*; *& Senatus* undiquè circumfusus. Post sequebantur *Magnates, Principatus Insignia gestantes.* Ibi in Sellâ Sublimi, Auro ac Purpurâ instratâ locatur, ut ex omni parte conspici posset; *Proceresquè Marchiones, Comites, & Antiqui Regni Barones*, Ordine Considunt. *Prætor Londinensis, & Seniores Civitatis*, qui ex ætate, linguâ Britannicâ, *Aldermanni, id est, Senatores dicuntur*, in Subsellijs disponuntur. Tum *Leucodorus Cantuariensis*, Jure Sacerdotij operans Sacra, postquàm circumfuso Populo diu Regem ostendisset, à Circumstantibus rogavit, *An regnare vellent*; *Velle respondent.* Hâc Voce auditâ, interrogavit, *An non illum pro legitimo Regni hærede, Iure Divino & humano agnoscerent?* approbantibus Nobilibus, & acclamante universâ Multitudine, *proximum, & indubitatum Regni hæredem*; *Sequè pro ejus gloriâ, Imperio, Salute, Mortem oppetituros, memores Fidei suæ, ac Regiæ Majestatis.* Indè ad Altare progressus, supplex procubuit. Ubi præstito Solenni Regum in Auguratione Sacramento, *ut Iura Populo ex æquo & bono redderet; Libertatem pristinam Ecclesiæ, & Reip: conservaret; Regni & Populorum Incolumitati, omniumquè Saluti, Summâ Contentione prospiceret*; ad audiendum Sacram Concionem se composuit. Re divinâ, singulari Sanctitate ab *Archiepiscopo* peractâ, Populus Solennia Vota pro Incolumitate suscepit. Rex à Sacris regressus, *omnibus Indumentis exutus, & alijs à Cubiculariorum Principe* indutus, More Patrio, Institutoquè Solenni, *Sacro Oleo unctus*, ac postea *Infulis, Tribus Coronis, Cæteris Regni Insignibus exornatus; reductus deindè in Solium Trabeâ indutus, Diademate Margaritis Gemmisquè conserto redimitus, Sceptrum Dextrâ, Sphæram Auream Sinistrâ tenens, in Cathedrâ Sancti Eduardi residens, Triumphantis habitu, Obsequium & Fidem Clientelarem à Proceribus exegit.* Qui sanctissimum Jusjurandum juraverunt, *Iacobo regi semper fidem; semper studium præstituros; semper in Obsequio & Officio mansuros.* Cæteri cujusque Ordinis Mortales, venerantes, confuso Vocum Sono, Plausuquè, Magnum Regem, & Pacificum, divinitùs Coronatum, consalutavêre; tantoquè Consensu, & Celebrirate, quanto haud quisquam alius, antè multis Sæculis, Rex declaratus est. Intereà *Egertonius Prætor, generalem Præteritorum Veniam Multitudini pronunciavit.* Eodem omninò Modo, & Tempore, *Anna Regina* sacratur. Peractis Inaugurationis Cæremonijs, eodem Ordine & Pompâ in Regiam redijt; magno Clangore Tubicinum concinente. Recepto More, Institutoque, *Congiarium Populo*, abundantissimum Epulum Principum Oratoribus, Senatui, Proceribusque dedit. Illustres viri *Munera Patrimonialia* exsecuti sunt. Et *Eduardus Dimocius Coritanus, si Quis non legitimum Regem profiteretur, ad Duellum provocavit.* Vergente jam die, nihil aliud quàm *spectacula, Pompa, Convivia, Choreæ Iuvenum, Virginumquè in Aulâ conspiciebantur.* Vespere Ignes in Areis Plateisquè accensi; funalia passim collucentia, sicut Cadentia Sydera oberrarunt. Festus celeberquè dies, hilaritate, Comitate, Campanæ tinnitu, & omni Cæremoniarum genere fuit.

Intereà, seu Intemperie Cæli; seu Irâ cælestis Numinis; sivè, quod probabilius, *Corruptis ex Belgio* Mercimonijs, *sævissima lues*, in magnâ hominum strage, *per totam Angliam* grassata est; quæ promiscuè cujusquè Sexus, ætatisquè homines exitiabili Tabe confecit. Intolerandam *Vim Pestilentiæ auxêre, Æstus anni infelitus*; *& Agrestium in urbem, ad visendum Regem* Colluvio. Urbs assiduis exhausta Funeribus; Multæ & Claræ lugubres domus; dies noctesquè Ploratus fæminarum auditi, Charitate Pignorum. *Multis locis deserti, neglectiquè agri*; Servitia maximè moriebantur; *Cumuli Corporum, immixtis aliquandò Spirantibus, & animam trahentibus, Plaustris extrà urbem efferebantur; & terrâ altè effossâ obruebantur exanima Corpora; quia ne Civium quidem Funeribus Cæmiteria sufficiebant.* Postremò ita Assuetudine diuturni Mali efferaverant animos, ut non modò non lachrymis, aut Comploratu persequerentur Mortuos; aut deflerent; sed etiam efferrent, justo funere, atquè sepelirent sinè planctu, sinè lamentationibus; in Communi Mortalitate similem quoquè Mortem ipsi expectantes; *Mortuisquè ægros, ægri Validos assidentes, deflentes, curantesquè, Tabe & Pestifero Odore inficerent.* Vis Morbi jam visceribus insidens, *Sex Mensium intercapedine, 36 hominum Millia, Londini, & in Suburbijs, depopulata est.* Jamquè plùs in Cultu Religionis, quàm in ullo humano Consilio, positum Opis videbatur. Itaquè Populus inops Auxilij humani, *Placandi Numinis, & Cælestis Pacis impetrandæ gratiâ, ad Deum Preces & Supplicationes convertit; finemquè Pestilentiæ exposcit, Publicè Obsecrationibus, privatim Iejunijs, ac Lachrimis.* Indè paulatim, seu beneficio Numinis; seu graviore tempore, & Æstu Autumni jam circumacto; seu Aeris vitio purgato; *Sexto demùm Mense*, impetus teterrimi Mali languescere cæpit; & ægra Corpora salubriora esse cæpêre. Durante Contagione, *Iacobus non modò Principis Sollicitudinem, sed & Parentis humanissimum affectum præstitit*; Nunc consolando *per Edicta*; Nunc opitulando ægris *per Medicamenta*, ac Salutares Succos; inquisito omnium Remediorum genere, leniendæ rapidi Morbi potentiæ, nullum Consilium, nullam humanam Opem, nullum Solatium non adhibuit. Ipso tempore

Autumnus contagione memorabilis.

grassantis

1603. grassantis Morbi, *afflicta Civitatis Curam Pratori, & urbanis Magistratibus sollicitißimè demandavit*: & Subsidia restinguendis Ignibus quemquè in promptu habere jussit. *Ædificijs in Suburbijs modum imposuit, quo Lues in posterum inhiberetur; & Formam ædium Lateritiam ordinavit*, ut Incendia arcerentur. addidit, si quid contrà Leges Majorum, Edictavè sua, quæ ad modum ædificiorum facta essent, fiat, *Novum Opus dirui oportere*. Nec quicquam reliquum fecit, quo magis *Angliam Vniversam*, singulasquè ejus Provincias, Urbes, Portus, Loca publica ornare posset. Edicto etiam Magistratibus mandavit, ut *Mendicos corpore validos*, perniciem Regiæ urbi nefariè molientes, coërcerent. *Ita Vrbem tutam à Peste, Incendio, & Seditione*, quantum Provideri humanâ ratione potuit, præstitit.

Conversus hinc ad Officia Pietatis, *ne Matris Reliquias, Petroburgi inhonoratas jacere pateretur*, addidit gloriam; *Cineres Pompâ funeris ornavit*; eiquè amplè, magnificè, summâque Religione justa persoluit. Nulla reddi Mortuæ alia Dignitas, nullam majorem Pietatis Significationem præbere potuit, quàm *honorem Sepultura*. Dethicum *Facialium Regem* misit, ut publico funere efferret *Episcopus, & Decanus Petroburgensis*. Pleriquè Equestris Ordinis, ac Maxima Vulgi frequentia, ad cohonestandas Exequias, ex præscripto Principis, convenerant. Hic honos Memoriæ Matris habitus.

Indè *Rogerus Rutlandia Comes, ad Christianum Dania Regem* Legatus missus est; *ut in filij Sacro Lustrico Testis adesset; & simul Periscelidem, Ordinis apud Anglos Regij Insigne, perferret*. Addidit gloriæ *Danus* Comitatem, Epulasquè & Machinarum Tonitrua.

Paucis interjectis diebus, *Spenserius Illustris Baro*, & Minister cæremonijs datus *Garterius, Facialium Coryphæus*, Tunicam Talarem Violaceam, *& Fasciam Cruralem Caruleam, Margaritis, gemmisq; distinctam, ejusdem Ordinis Insigne, ad Fridericum ducem Virtenbergia* pertulêre; & *Germanos* Admiratione Cæremoniarum affecêre. Hic Ordo, cujus Patronus est *Sanctus Georgius*, ex parvis Initijs, progressu temporis, ad tantam ascendit dignitatem, ut *à Potentißimis Europa Principibus, Regibusquè*, expeteretur. *Eduardus Tertius*, invictissimus Princeps, *Anno Regni Vicesimo Tertio*, cum domi & foris summa esset Tranquillitas, *in honorem Carulei Subligaris Comitissa Sarisburiensis, hunc Ordinem instituit: & 25 Equites, seu Commilitones in Sodalitium* assumpsit. Illa Symbolum Gallicum perurbanum adjecit, *Honi soit qui mal y pense. Probrum sit temerè suspicanti*. His Incunabulis initiatus *Nobilißimus Ordo*, ad Equestris Militiæ Palmam, in Orbe Christiano ascendit.

Rex cum Edicto monuisset, ne Quis vel debitæ remunerationis, aut beneficij importunis Flagitationibus inquietaret; neu Quietem ejus Supplicibus Libellis interrumperet; Concursusquè Oppidanorum in Curiam Capitali pænâ inhibuisset; Tandem *Domicilium mutare* coactus est; & *in Occidentalem Anglia partem* Peregrinationem suscipere. Primarias Civitates *Sarisburiam & Vintoniam*, Regiâ Pompâ, ingressus, maximâ Civium suorum gratulatione exceptus est. Cum autem in *ædibus Penbrochia Comitis* commoraretur, & Quotidiè animum *Venationibus Sylvestrium Ferarum* oblectaret, *Petrus à Dodo, Legatus Venetus, gratulatum venit*; fuit Legatus tantis cultus honoribus, tantisquè Muneribus dimissus, ut *Venetorum Civitas*, partim *Legati* prædicatione, partim *Regis literis* valdè amanter scriptis, multò magis in studium illius excitaretur.

Jam ad aliquod externum bellum *Limitanei Latrones*, qui domesticæ Paci graves superarant, abducendi erant; ne *Latrocinijs* vivere assueti, *graves Agricolis, infesti urbibus* domi manerent; Pecora & Armenta abigentes, multi, *Baclughio duce*, stipendia in *Belgio* meruerunt. Mox *Gramij, Esca fluminis Accola*, ultima supplicia toties meriti, qui Resti suspendi, internecione deleri jure poterant, Terris exacti in *Hiberniam, aut Belgium* tantùm traducti. Ager quem possederant, Cumbriæ Regulo datus.

Per idem tempus, Tædio diuturni belli *Hispani* inopes, tentatâ priùs Regis voluntate, *Legatum de Pace communi miserunt*. Exitu *Autumni* hujus, *Ioannes Baptista Taxius, Comes Ville medianus, Paravedariorum Philippi Tertij Prafectus*, fide à Rege acceptâ, tutum Adventum fore, *in Angliam* cum Mandatis trajecit. Extemplò *Vintonia Senatus datus est*. Ubi dies venit, *Rex* circumfusâ omni *Nobilitate Britannicâ*, in Tribunali consedit. *Legatus* incessu gravi, *& fastu Hispanico*, Regiam ingressus, viso Rege manum Osculo complexus, *literas à Philippo reddidit*. Hæ orabant, Fidem Legato haberi, exponenti Mandata sua. Post *Regina, & Principis* salutationes magnificè locutus est. *Philippus Rex, & dominus meus, eundem Amicitia gradum apud te, jam Anglia Regem, sperans, quem apud Scotia Regem semper comparerat, ad firmandam Pacem Amicitiamq; me misit. Neq; congruum est Majestati vestra, Amiciam ultrò oblatam, à Rege florente, multis Regnis Europa, Africa, Asia, & utriusq; India; florente pratertà atate, Multitudine Militum, atq; Opibus, Fastidire; cui Fortuna nihil ampliùs dare potest, quàm tot Regnorum conjunctionem. Etsi Philippus Pater, justo dolore provocatus, multa in perniciem Regni Anglia sapius molitus fuerat; tamen luctuosius nobis semper quàm Anglis, Inscitiâ & Temeritate ducum, Molitiones evenerunt. ita ut nos Cladium nostrarum adhuc paniteat. Filius hareditarium Imperium à Patre, non hareditarium Odium adversùs Anglos accepit: statuitquè, Teste Terrarum Orbe, nisi per Vos steterit, grave, & calamitosum bellum finire. Et meliùs tutiusq; putat, Societate Britannicâ, quàm damnis mutuis, genti Iberorum consulere. Proindè petit, ne diutius Simultatum, qua cum Patre suo fuissent, meminisset; Nec eas tàm atroces fuisse existimet, ut non cum ipso perierint. Neq; Orbis Terrarum Imperium affectat Dominus meus, ut falsò criminantur, apud omnes gentes Rebellatrices Provincia*;

1603.

Provincia; sed in eâ fortunâ est à Patre relictus, suprà quam ne optare quidem deceret. Ac Sorte suâ contentus, nihil aliud spirat, quàm pro Christianâ Religione, tanto decremento passim imminutâ, præclara facinora, sicuti Majores adversùs Afros, impiosquè hostes, edere. Prætereà ejus Imperij finitimi Itali, Hetrusci, Venetiquè, quibus Opes Hispanorum meritò formidolosæ, Testes locupletissimi sunt, Hispanum non alieno Dominatui, cupidine imperitandi, insidiari; sed longè maximis beneficijs devincire Clarissimos Reges, Proceresquè. Reliquum Orationis, duplex querela fuit. Una, *quod ex quo Regnum Angliæ adeptus esset, Belgicas res Hispanicis anteferret.* Altera, *quod Auxiliares Scotorum Copias, contrà Ius fasquè, Batlenchio duce, Confæderatis Belgis submisisset. Quare rogavit, ut quos Milites intrà Præsidia Belgica haberet, primo quoquè tempore domum revocaret.* Rex ipsi in hanc sententiam ferè respondit, *se Potentissimi Regis haud aspernari Amicitiam, quam sciat ultrò expetendam; Nec Naturæ, nequè Consuetudinis suæ esse, Pacem petentibus negare; Idquè semper inhumanum, & penè impium duxisse. Neque Novi Regni Successione, Novos Affectus induisse; sed omni Ope adnisurum, nè frustrà hanc Spem de se conceperit Hispanus.* Expostulationibus responsum; *Non esse Conscientiæ, fidei, & Religionis suæ, prævaricari; deserere Socios de Regno Angliæ optimè meritos; Vrbes oppignoratas prodere; Nisi omnium Mortalium ingratissimus esse velit. Deindè, quod Scoticæ Iuventutis aliqui apud Ordines Mercede militarent, nec Culpam in eo publicam; Nec Consilium fuisse. Cum Scoti, pro Lege, antiquitùs hunc Morem servent, ut Iuventutem suam, publicâ Auctoritate demptâ, Spem honoratioris Militiæ, apud exteros, nullo discrimine, sequi sinant, & ab initio belli Belgici in utrâque parte, Auxilia Scotica, sine Injuriâ, aut querelâ, conspecta sint.* Tum *Taxius*, opus esse Colloquio, dixit, cum paucis Senatorum; satis scire ea se allaturum, *quæ nihilominùs ad rem Britannicam, quàm Hispanicam facerent.*

Imperium Hispani oceani & terrarum finibus terminatur.

Scoti stipendiarij non auxiliares Bataviæ.

Facilè impetratum Colloquium. Nequè enim à Pacis Consilijs ipsius Regis abhorrebat animus. omnibus enim in præsentiâ bellis levari volebat. Permissu ejus, cum *Cæcilio* & Primoribus Senatus, *Hamptonæ* congressus, ita verba fecit. *à Philippo Rege sibi demandatum, ut Communis salutis ratio iniretur; & Conditiones Pacis tractarentur.* Indè petijt *ut sinè Odio, & Irâ, de Pace Communi consulerent.* Omnesquè qui aderant rogavit, *ne Spem Pacis turbare vellent. Taxio* responsum, *si Mandatum regium proferret, satis confidere, conventuros.* Huic tàm perplexæ Quæstioni vix in promptu erat, quid responderet. Subijt animum Legati tacita cogitatio, e Dignitate Regis Philippi non esse, Mandatum Legationis vulgare. Versâ subitò Oratione, Legatos de Pace Communi, *Philippum propediem cum liberis Mandatis, ad eos missurum spopondit.* Hæc Conscripta, consignataquè sunt, *& Induciæ factæ,* donec in *Angliam* mitterentur Legati, cum amplioribus mandatis. *Taxius in Angliâ* remansit, ubi Comi Sermone ac Congressu multos conciliavit; & *si pretio Pacem emere posset*, non destitit animos Primorum Senatus pertentare. *Vulgi* studia adversa fuêre. *Pax ampla, & speciosa Iacobo danti fuit; Hispanis petentibus magis Necessaria, quàm honesta.*

Angli mandati tabulas exigunt.

Eodem *Autumno*, non minor *fames in Vltoniâ, quàm Lues in Angliâ exarsit.* Etenim Cultoribus proximo bello absumptis, corruptis aut protritis frugibus, pecore direpto, villis dirutis, aut incensis, consumptis frugum Alimentis, Carnisquè omnis generis; primò *Inopiam Cibariorum*, deindè *Famem* Hiberni *Vltonienses* sentire cæperunt. Herbis, Radicibus, & Novis Succis miserè vixêre. Sed cum & hæc Alimenta quoquè deficerent; postremò ad id ventum est Inopiæ, ut *nec Muribus, aliovè Animali domestico, & his insalubrioribus abstinerent.* Insalubrium Alimentorum Novi Succi, humores in corporibus vitiaverunt. Undè *strati erant Campi pluribus Semivivis, quàm Cadaveribus.* Hæc in *Angliâ, Scotiâ, & Hiberniâ*, usquè ad extremum *Autumni*, domi forisquè gesta.

Jamquè dies Causæ dicendæ appropinquabat. Hyemis initio *Conjurati è Custodiâ protracti.* Longus Proditorum Ordo, septus armatis custodibus, per urbem incessit. *Cobbamus, Grajus, Rallejus, Brocius, Marthanus, Parhamus, Brocesbejus, Coplejus, & Sacrificuli,* omnes Conscientiâ facinorum tristes, fixisquè in terram oculis, insultantis Vulgi voces, Plaususquè audivêre. *Populus Londinensis*, Spectaculi studio, in Aream Turris concurrebat; & primò lacessere *Rallejum Probris lingua*; deindè cum ferocius accenderentur, *Luto & lapidibus* obruere cæperunt. Adeò concitata *Plebs* fuit, ut haud multùm abfuerit, quin impetu Populi interiret; ni *Præfecti Iuridici, & Satellites Regij* protegentes, Turbam submoverent; Clamitantes Reum, cui Capitalis dies dicta sit, & de quo futurum propediem Judicium, per Vim violari non debere. Ita sedato Tumultu, *Conjurati* omnes *Vintoniam* perducti sunt; & servati intentiore Custodiâ, ad Judicij diem; non solùm ne effugerent, sed ne Mortis consciscendæ Occasionem haberent. Quia non ita pridem, *Rallejus* certus Damnationis, *se Cultro vulneravit*, ut voluntariâ Morte legitimam pænam anteverteret. Hujus Judicij Ordinem, & Eventum jam accuratius describam. Ubi dies dicendæ causæ venit, qui fuit 15 *Novembris*, Apocleti in *Arce Vintonia*, primâ luce, consederunt. Populus tantâ frequentiâ Arcem compleverat, ut *aditus ad Tribunal* vix esset, Citati primo die *Brocius & Socij*, per mediam turbam ad Tribunal subeunt. More Patrio, constituto Judicio, *liberæ Conditionis viri duodecem, unà cum Præposito, Sacra tenentes jurarunt, se Virum aliquem Innocentem haud damnaturos; Sontemvè absoluturos.* Prætereà, Jure Anglorum *Municipali*, Facundissimis Advocatis ad accusandum dilectis, *in Crimine Majestatis, Nemo, etsi orandi nescius, nisi suâ Voce, ac sinè Patrono, respondet.* Tam ingenti concursu Plebis, & omnium Ordinum, accusavit *Cokus Procurator Regius*, acerbâ Oratione; & sigillatim Crimina percensuit, tumidiore sermone; *Initum nefarium Consilium certo die, effracto Cubiculo, interfectis per Scelus Satellitibus, trucidandi Regis;*

1603. *aut in Turrem Londinensem, aut Dorovernij Arcem deportandi, & Primaria Nobilitatis viros Senatu movendi; receptam Religionem in Angliâ novandi; summosquè Regni Magistratus, Præturam, Quæsturam, Equitum Præfecturam, à dignissimis viris, ad homines privatos Vatsonum, Brocium, & Grajum transferendi.* Protulit, etiam Dicta, Scripta, Consilia, Colloquia. Rei cum urgerentur, furorem atquè Amentiam nequè fateri audebant, nequè diluere poterant. Ipsi *Brocio* nequè animus in proprio Metu, nequè Oratio suppetebat; verùm, ad Ostentationem Solertiæ, insulsè argumentatus est, *factum suum legibus Angliæ comprehendi non posse; Neq; proindè judicari.* Addidit non minùs impudentem Calumniam, *data sibi occulta à Rege mandata, Nobilium Adolescentum fidem prætentandi; seq; exsecutum, uti jussum* erat. *Cæcilius* Mandata proferre jussit; & Iniquitatem *Brocij* coarguit. Ad *Vatsonum, Clercumquè* Sacerdotes transgressus *Patronus*, eosquè quoquè accusat, Regiam Cædem cruento Consilio volutasse; quæ jam non esset infecta, nisi vis occulta Numinis inhibuisset. *Vatsonus* ultrò fassus est, *Conatum se, in illam Conspirationem suam, Pontificios, & Protestantes etiam* pertrahere. *Clercus* subdolâ Modestiâ disseruit, *Iacobum Regem legitimum, antè Inaugurationis diem, non fuisse: Proindè Crimine Majestatis non teneri, qui in Regem non commisissent.* Responsum à *Pophamo*, Rerum Criminalium Judice, *Iure Regni apud Anglos, defunctâ statim Elisabethâ, Iacobum Legitimum Regni hæredem, beneficio naturæ; non hominis. Inaugurationem verò, Solennitatem tantum Civilem; quæ Ius Naturale corrumpere*, non posset. *Marchamus* Confessionis gloriam amplexus, cuncta haud cunctanter fassus, *atrociore Brocij rabie semel trusum ad Cædem Regis; Vicum viridem, locum patrando facinori destinatum.* Ordinem cogitati Sceleris, & tempus rei gerendæ ultrò exposuit; *Authores & Exstimulatores acerrimos Brocium, & Sacrificulos*: Pijssimi Regis non desperandæ Clementiæ se commisit. Cæteri omnes, cum plùs in Misericordiâ Regis, quàm in Causâ Spei esset, de se fassi; præter *Perhamum.* Is se fraude *Vatsoni* circumventum dictitans; & evocatum, ut Regi in summo vitæ discrimine Opem ferret, nullius rei nefariæ Conscientiâ illigatum; non Juramento adactum; ad *Iuratos* provocavit; Nec abnuit *Vatsonum* vera esse quæ dicebantur; traductumquè Arte magis, & Impulsu, quàm suo Ingenio. Sed *Perhamo*, ad Judicium *Parium suorum* provocanti, nihil æquè ac Patroni Regij acerbitas profuerat: qui cupidissimè Majestatis postulavit; & omnem dicendi facultatem, in Jugulum Rei intendit. Cum *Procurator* certatim peroraret, ederetquè Crimina, Miseratio magis periclitantis, quàm Invidia augebatur. *Darcam* Equestris Ordinis, Juratorum Proboulos Judicum, sententiam, & Consilium, bono exemplo, prærogavit, *promiscuè ne de omnibus Reis Iurati pronunciarent; An seorsum Causis Meritisq; expensis, de singulis nominatim referrent?* Eò inclinavit Sententia, ut pro delicto cujusquè statueretur; ac de Singulis nominatim referrent. Jurati igitur, recepto More, cum ad deliberandum secessissent, revocati ad Tribunal, *singulos Majestatis nominatim damnarunt*: ac pronunciarunt, non videre, cur *Perhamum condemnent*: quia non satis convinci Probationibus visus erat. Frustrà *fremente Procuratore Regio*, & in sui Contumeliam interpretante. hic Causæ exitus fuit. Ego legendo atquè audiendo comperi, nullum, antè multos Annos, fuisse in *Crimine Perduellionis absolutorium Iudicium*, nisi Equitis *Throgmortonij.* Adeò libera ac pænè infinita est Regum in publicis Judicijs potestas *& pleraq; Leges Anglicanæ, Cicatrices Neustricæ Servitutis. Cæcilius* interfatus est, magnâ Audientium lætitiâ, Optimum Regem ad salutem Innocentiæ dandam, quàm ad Miserorum sanguinem hauriendum, proniorem. *Perhamum*, ampliatum, deindè absolutumquè, Apocleti sanctè vivere monuerunt. Certè *Darceo* debuit, quod illum Turbinem evaserit. Hæc primo die acta. *Majores Rei* in sequentem reservati.

Rallejus postero die causam dixit; cui etsi magnus naturâ animus, ac majori fortunæ, *imperante Elisabetha*, assuetus, nec Mutatione temporum dejectus; tamen prioris Aulæ peritus, & prudens moderandi, in Humilitatem Causam dicentium se submisit; & in Noctem, Cognitionem dicendo extraxit. Nunquam anteà tàm invisus Populo Britannico Reus, ad Judicium vocatus; ob Potentiam Scelere quæsitam; avarè & ambitiosè habitam; ac *Memoriam occisi Essexij*; aut majore omnis generis hominum frequentiâ ad Tribunal deductus est; ut noscerent Ingenium acre, & vigilans. *Patronus Regius* acri Eloquentiâ insimulat, *Impetum hostilem adversùs Regnum sollicitasse; Pensionem Annuam ab Hispano, Perfidiæ pretium, pactum; Salutem Regis; Regniq; nefariè prodidisse; munitissimas Arces, opportunissimos Portus, Fidissimas Stationes hostibus indicasse; Arbellam Stuartam, per Paternam Originem è stirpe Regiâ, Regimini rerum destinavisse; Mortem Principis, & Liberorum conscivisse; Illum Authorem Sceleris, Cobhamum, amplissimâ familiâ natum, Ministrum fuisse.* Objecta acriter Crimina negante Reo, *Confessionem Cobhami, & Literas propriâ manu exaratas*, proferre placuit. *Procuratoris Regij* Orationem, verborum Præstigijs pænè obruit *Rallejus.* Ut sunt Ingenia hominum, ad suam tegendam Culpam, nimiùm facunda; cuncta protulit, quibus Innocentia sublevari potuit. Constat certè, Neminem melius in proprio periculo, pro Salute dixisse. Multa probabiliter argumentatus, Suspicionibus magis, quàm Argumentis; Invidiâ quàm Infamiâ, Salutem Periclitantis urgeri. Non se Cædem Principis, & res Novas, uno Socio cogitasse; nequè unquàm, si conscius esset, *Semivirum Cobhamum* in Societatem Facinoris admissurum. Negat *Iure divino, vel humano sancitum, aut Moribus, aut Legibus ullius Reip: comparatum esse, ut unius, Socij Criminis Testimonio, Reus Capitis damnetur.* Adjecitquè, magis exitiosum Proceribus in futurum, quàm sibi in præsens Judicium. Altercatione in serum perductâ, longiorem Orationem, *non Cupiditate gloriandi, sed Necessariâ Criminum* defensione factam, excusavit. Tum *Procurator Regius*, Calliditatem *Rei*, nullius Conscientiam, aut Judicium, *nisi Correi*, metuentis,

omnibus notam, exprobravit. Insimulavitquè, *Cobhamum* literis clàm monuisse, *ne Simplicitate eâdem, quâ Essexim, Salutem suam Prædicatoribus temerè crederet.* Prodigium, Portentum, Proditorem procul dubio, *Arebi-Proditorem* clamitavit. Reus callidus, promptus, industrius, pro se pari Certamine nititur; quo pretio, quibus Conscijs prodidisset Patriam, dicere jubet; postulat *ut Cobhamm accerseretur*; quia æquissimum erat, Commune Crimen ab utroquè defendi. Contenditquè, nihil apud Quæsitores elocutum, quod sibi Noxæ esset. Et expeditâ Eloquentiâ ad Lenitatem animos Judicum inflectit. Nihilominùs *Cocm in Accusatione* perstitit; nec temperavit Voce, Vultu, creberrimis Interrogationibus, & Suspicionibus premere; quod cum defendi non potuisset, *Pudorem Damnationis voluntariâ Morte fugere voluisset*; quas nequè refellere, nequè eludere potuit. Judicij exitus fuit, *Reus rebus omnibus diligenter expensis, duodecim Sacramentalium Feralibus Calculis damnatur, Conjurasse Regno Hispanis prodendo.* Non in ipso discrimine, non post Sententiam, fractus animo; quos Spiritus gessisset, ostentavit in extremis. Adnotatum experientiâ, in hoc Judicio, quod Amor & Odium Multitudinis, acres & vehementes primos Impetus habent, paulatim quasi restincta, tranquillè considunt. Peracto Judicio, tanta Mutatio Audientium animis injecta est, ut qui modò efferato Odio Irâque exitium cuperent, versa subitò in Miserationem Invidiâ, amplecterentur, & amare ardentius inciperent. *Ambrosius Brestonus*, vir Militaris, qui acerrimè cum eo dissenserat, *ex Inimico Venerator factus est.* 1603.

Post paucos dies, convocatis *Vintoniam* Proceribus, *productus ad Causam dicendam Cobhamus.* Eligitur qui præsideret *Egertonius Prætor*, vir singulari Prudentiâ, & Auctoritate. Postulatur Reus, *cum Arimbergico secretas Cottiones fecisse; in quibus Fortunam publicam graviter deplorabat; hortabaturquè Hispanum, ut bellum Patriæ indiceret. Sexcenta Aureorum Millia, nefariæ Conjurationis Socijs numeranda, pactum fuisse. Loca Cambriæ maritima, Milfordiam Portum, & littora Cantij, Exscensioni opportuna, indicasse. Consilia, arcanasquè res enunciasse; publicum Parricidium Regiæ Stirpis, cum Rallejo, animo volutasse.* Percursis Criminibus, tandem ad verba atrocia recursum: arguiturquè dixisse, *Fratrem Brocium, & Grajum Spectatores Tragediæ; se verò & Rallejum Actores.* Crimina atrociter objecta, perspicuis Probationibus confirmantur; prolatis Literis, suâ Manu scriptis, & Confessione, agnita. Procerum Suffragijs *Cobhamm Majestatis convictm.*

Extremâ Actione *Grajm* accusatur *Brocianæ Conjurationis particeps*: negat *Consilium, nisi sopitâ Conjuratione, sibi à Popularibus communicatum; Sequè Furorem, & Amentiam eorum exprobravisse.* Cum Crimini dabatur, *quod in Conscientiam tàm Fœdæ Conjurationis ascitus, eam tacitam habuisset.* Crimen diluebat, dicendo, *Turpe esse Amicos accusare.* Sed *Grajus* non Conscius solùm, sed Princeps Author Conjurationis erat, in omnem patrandi sceleris Occasionem intentus; nunc occultè legendo Milites, Specie *belli Belgici*, quibus præficeretur; Nunc convocando Fidissimos Clientes, velut ad vitæ Præsidium. à publico *Parricidio* privata Pietas revocavit; siquidem omnia misceri volebat, sed *à restituendo Papismo* valdè abhorrebat. Hæc Cunctatio effecit, ut occulta Consilia proferrentur. Prolatâ justâ Mortis sententiâ, *Grajus* ab Apocletis admonitus est, ut Regis non desperandæ Clementiæ sese committeret. Cum multa retulisset Clarissimæ Familiæ egregia facinora; *Nunc in Acie; Nunc in Expeditionibus Gallicis, Scoticis, aut Hibernicis*; Avitæ Nobilitatis etiam in Vitæ Judicio memor, *non omnia omnibus decora respondit; Nequè congruum Pudori suo, Vitam toties periculis objectam, jam suppliciter deprecari.* Ad hæc, *didicisse se à Parentibus, Majoribusquè suis, pro Regis Regniquè Salute in Acie decertare; non Misericordiam implorare.* Hoc Judicium variè homines affecit. Erat certè Juvenis virilis verè ac Militaris; in medio Virium robore; multis Naturæ, & fortunæ dotibus instructus; qui præclarum dederat suæ Virtutis in *Belgio* Specimen.

Peracto Judicio, Rei in Custodiam traditi. Apocleti ad Regem proficiscuntur: & remotis Arbitris, quæ acta erant, *Vintoniæ*, in multam Noctem, exponunt. Dimisso Consilio, Rex notæ fidei, & prudentiæ homines adhibet; Cæleste Numen obsecrat, *ne aut Subditi, peccando; aut Ipse plectendo, modum excederet.* Consultatiò inter eos de Supplicio habita. Plerisquè opinantibus, Initio Principatus utilem Clementiæ famam; ac Novum Imperium piè mansuetèque geri debere; sinè Proscriptionibus, Supplicijs, & Cædibus; Severitatem Principis rationibus haud quaquàm expedire. Alij contrà disserebant, *Regis lenitatem*, in concedendo Salutem, *calamitosam sibi, fatalem Regno*; si Pontificiorum Primùm Impetum inultum sineret; Præsertim cum hoc ipso tempore res novas molirentur, quo *Rex* tantam Clementiam ergà eos exerceret, ut *Mulctatitiam pecuniam*, legibus inflictam, ab illis non exigeret. Commemorabant etiam Mala, quæ *Inanem istam clementiæ speciem* comitantur; ostendebantquè, *hujusmodi gravia Reip: vulnera, nisi tacta tractataq; Ferro sanari non posse.* Sed vicit Utilitatis publicæ rationem, *ipsius Regis Lenitas*; qui in omnibus majora Clementiæ Benignitatisquè Monumenta, quàm Severitatis ostendens, *noluit Novi Regni sui Rudimenta, Supplicijs, ac Calamitatibus publicis insigniri.* Quid acturus sibi reservavit. Apparatum Supplicij *Triumviris Capitalibus* mandavit. *Georgium Brocium* interfici jussit. Qui è Carcere ad Supplicium raptus, pauca præsenti tempori Congruentia locutus, *Securi percussus est.* Eodem die *Vatsonus, & Clareus, Sacrificuli, Parricidij cogitati Authores*, feralibus Cratibus tracti in forum *Vintoniæ*; ut Spectaculo forent, More Proditorum, *suspensi, Verendis convulsis, & in Ignem conjectis, suffossis Ventribus, & evulsis Fumantibus Præcordijs, in frusta dissecti.* Spectaculum non modò acerbum, sed lætum etiam præbuerunt; ut ne gemitus

1603. quidem exaudiretur. Magis enim homines movebat Atrocitas Criminis, quàm miseratio Supplicij.

Cæteri, suam quoquè Noxam, pari Cruciatu vindicandam rati, torpebant Metu, ex Maleficijs concepto. Sed *Iacobus*, admirandâ Clementiâ, & planè divinâ humanitate, omnia Superioris Sæculi exempla longè superavit. *Tragicomedia* potiùs legentibus videri posset, quàm res gesta, nisi tot Millia Spectaculo interfuissent. Nulla pænè res ejusmodi, ab antiquæ Historiæ Scriptoribus celebrata; Neminem habuit ex Majoribus, cujus simile factum æmularetur. Mitissimi animi *Princeps*, Modum Cædibus & Supplicijs facere apud se facilè decrevit. Cum à *rerum Capitalium Procuratoribus* interrogaretur, *quid de reliquis Damnatis agi placeret?* Ille respondit, Non intercedere se, quo minùs Lege ageretur; datis *Præfecto Iuridico* pro Supplicio Mandatis. Is haud segniter Imperium exequi properabat. Postquam vulgatus est dies Supplicij, multi Mortales, spectandi studio, undiquè convenêre. Inter hæc, ad *Benjaminum Tichburnum* Equestris Ordinis, *Hamptonæ Præfectum Iuridicum*, literas scribit, quibus quid in hâc re fieri vellet, edocet. Extant Literæ in hanc ferè Sententiam; *Etsi compertum sit, Omnia Imperia, omnesq; benè ordinatas Resp: Iustitiâ præcipuè post Pietatem conservari; quam si sartam tectam velimus, æquum esset in duos Nobilissimos Viros, Proditionis compertos, More Majorum, animadvertere; ut justo eorum Supplicio, ac acerbissimâ Morte, Metum & Exemplum Posteris proponeremus: quorum unus florentissimum hoc Regnum subvertere, & Alieno Imperio subijcere; Alter Vita nostra insidiari in Votis habuit. Placuit tamen nobis, multis rationibus adductis, hâc in re non tàm Legum Severitatem, & Iustitiæ inflexibilem rigorem; quàm humanissimum Clementiæ nostræ Affectum sequi: Nam primum Annum Imperij nostri, quo apud hanc gentem, præcipuâ Claritate, Observantiâquè excepti fuimus, Supplicijs & Cædibus eorum fœdare noluimus. Quorum Propinqui, Cognati, & Amici; Obsequio, Pietate, Cæterisq; in nos Officijs, inter se certarunt; & peracto Iudicio, Vltionem efflagitare non dubitarunt; Regis Regnisquè Incolumitatem Affinitate, aut Sanguinis Propinquitate sibi esse Chariorem professi; justæ Reorum Damnationi, & Supplicio subscripserunt. Sed & Iustitiæ quodammodò satisfactum arbitramur, Supplicio eorum, qui Sanguine luerunt, quod admiserunt. His de Causis Severitatem Clementiâ temperare decrevimus; & Cæteros incolumes servare. Tibi itaquè, Præfecte Iuridice, Mandamus, ut Cobhami & Graij Supplicium differas; & productos in Custodiam iterùm tradas; donec quid de ijs statuendum sit, ulterius à nobis certior fias. Et quoniam magnoperè nobis cavendum arbitramur, ne Suspicentur homines, velle nos Potentioribus parcere, Tenuioris verò fortunæ homines opprimere; Idem ut in Marchamo fiat, jubemus. Ac profectò graviter & iniquo animo ferimus, tantam manifesti Sceleris fœditatem, tantum furorem, & Vesaniam, Mentes eorum invasisse; ut pro Natura nostra propensione, largius indulgere non possimus.* Rex nulli, quid scriptum esset, enunciat; Epistolamquè *Sigillo Annuli sui* impressam, *Ioanni Gibio* perferendam tradit. Erat is Natione *Scotus*, modicæ dignationis, *fidus admodum Regi Puero Servius*; Paucis notus, aut Familiaris, & proptereà magis idoneus Nuncius. *simulat se Sarisburiam proficisci, Vintoniam occultè pergit*, & Supplicij Spectaculo, conglobatæ Plebi mixtus, interfuit, ne Suspicionem Consilij præberet. *Cobhamus, Grajus, & Marchamus, è Carcere ad Necem ducebantur; & omnis Apparatus Supplicij ab acerbissimo Carnifice expromebatur.* Marchamus totius Conjurationis Ordinem, Sociosquè Sceleris nominatim indicat, & Numinis veniam Supplex præcatur. Dein à Tortore corripitur; *dum Thorax exuitur, dum Cervix Securi subijcitur, in ipso Apparatu Supplicij; Epistola Vicecomiti cum Mandatis redditur.* Quâ lectâ, & intellectâ Regis voluntate, *Marchamus à pœnâ retractus*, secedere in Arcem jussus, donec ulterius coràm Correis interrogaretur. *Marchamo* abducto, *Grajus ad Supplicium protrahitur*, ad Deum revolutus. Ubi orandi finem fecit, *Securis expeditur, genua ponit, Cervicem inflectit*; quasi Quæstioni habendæ, secedere etiam jussus: & in Atrium deductus est. *Idem cum Cobhamo factum.* Ibi ignari, quodnam se Fatum maneret, Metum communem pectore voluentes, suspensâ mente consedêre. Posteà omnes ad locum Supplicij retracti; cum res diutius celari non posset, *Vicecomes* Reis, Mortis metu perculsis, & universæ Spectatorum Turbæ, *divini Principis humanissimum Mandatum* exposuit. Auditâ incredibili Regis Indulgentiâ, & Mansuetudine, in atrocissimi facinoris convictos, tàm Spectatores, quàm Rei supplices in stuporem versi sunt. Nequeo referre, quid cogitaverint homines; quid crederint; quid dixerint; utro magis Spectaculo Justitiæ, an Misericordiæ delectati fuerint. *Cobhamus* venerabundus, Humanitatem & Clementiam Regis, Maleficio suo merito perituri miserentis, in Cælum laudibus extulit; ac proclamavit, *ô! Clementiam, Cælestis Numinis benignitati æquandam*; Nam beneficium quod nunquàm expectassemus, accepimus. *Grajus*, Voce, gemitu, lachrimis, Delicti Pænitentiam publicè testatur; paratumquè se Sanguine scelus expiare; abolere Memoriam fœdissimæ Culpæ; ac pro Salute, Majestatequè Regis Mortem oppetere. *Marchamus* propè attonitus, tot Maleficijs Veniam datam obstupuit. *Rex*, partâ Moderationis & Clementiæ famâ apud omnes gentes, satis esse ad Vindictam arbitratus, Hostes Reip: in potestate habere; nihil prætereà gravius in Proceres statuit, quàm ut perpetuâ diligentiquè Custodiâ asservarentur. *Rallejo* Copiam Uxoris tàm liberam fecit, *ut in Turri Liberos sustulerit.* Hæc domi forisquè gesta, primo Anno *post Excessum Elizabethæ.* Sed ferè privata & domestica.

Rex feralis judicii vim inhibet

Principis venia recitatur.

Nunc quæ publica, ac totius Regni sunt, & propriè ad Historiam pertinent exsequar. *Princeps* pio & miti Ingenio, perstitit adhuc *in Lenitate suâ ergà Pontificios*; censuitquè temperandam Pænarum Acerbitatem in eos, *qui sinè Armis, Solâ Religionis Conscientiâ adducti*, Avitos Ritus retinerent:

Salvâ

Salvâ semper Magistratuum legitimâ animadvertendi Potestate, *in Turbidos Sacrificulos*; qui Plebem Seditionibus, Remp: Armis vexarent. Non modo à Supplicijs, sed *à Mulctis etiam Pecuniarijs, Legi debitis*, temperavit, quæ *ex Pontificiorum Bonis*, Elizabethæ temporibus, corradi consuêvêre; Exemplis & Experientiâ edoctus, Vim, contrà animi Morbos, Remedium intempestivum esse; *nequè Conscientiam humani generis cogi posse*; aut Suppliciorum acerbissimo cruciatu, aut *Hispanica Inquisitionis* indignissimâ Atrocitate. Jactura enim Fortunarum, funera, & Supplicia, Religionis causâ, Spectantium animos non tàm à Pervicaciâ Metu avocant, quàm ad quidvis agendum, & patiendum efferant; & adversùs vim doloris obfirmant. Quid in *Angliâ Mariâ regnante?* Quid *in Franciâ, sub Henrico 2, & Carolo 9*, crudelissimis Cruciatibus? Quid in *Belgio sub Albano*, ferro, & flammâ profectum? Alia quippè omnia Magistratuum Edictis, Arbitrio Principum sanciuntur; *sola Religio non imperatur; Sed monendo magis, quàm minando propagatur*; Exemplo magnorum Antistitum potiùs, quàm Imperio promovetur; *acerbis Remedijs vastatur, non corrigitur*. Testimonijs Patrum, & Monumentis Veterum comprobatum, nullam vim habuisse Custodias, Pænas, Cruces, Flammas, Cæteraquè crudelissima Supplicia. *Ecclesiam Priscam à fundendo Christiano sanguine semper abhorruisse; Nihilquè durius Relégatione in Devios à fide constituisse*. l: si quis aliquid ff: de pænis, *punit etiam lex Relegatione eos, qui aliquid faciunt, quo leves hominum animi Superstitione terrantur. Majestas Imperatoria, hæreticos Urbe Romanâ, ejusq; finibus expellit.* Undè *Justinianus* ait, *Ariani, Macedoniani, Pneumatochi, & qui ad imam scelerum iniquitatem pervenerunt, Manichæi, nusquàm in Romanum forum conveniendi, et undiquè habeant Facultatem.*

Jacobus *Constantinum, Valentinianum, Theodosium, Marcianum*, Pios maximè Principes secutus, duo inprimis sibi Curæ esse ostendit, *Pietatis rectum Cultum; & Tranquillitatem publicam*; gnarus Religione semel falsâ, vel depravatâ, nullam potentiorem ad turbandum publicum statum Affectum esse. Orsus hinc *à Religionis dissidio*, Disciplinam *Ecclesiæ Anglicanæ*, Præsulum Negligentiâ, & Novatorum Pervicaciâ labefactatam, instaurare nititur. Diem, locumquè, *Antistites, & Purioris Religionis Professores*, disceptaturi præstò forent, prædicit. Cum verò tantum de *Disciplinâ, & Cæremonijs* inter eos Contentio esset, utrisquè mandat, ut notatis Erroribus quos corrigi, aut mutari vellent, plenius instructi ad Colloquium venirent; sequè eorum Rationes benignè auditurum pollicetur; *Idibus Ianuarij, Hamptonæ, Theologorum Conventus habitus*; in quo Rex præsedit, qui semper Ecclesiæ præcipuè indulserat. Interfuerunt *Episcopi Cantuariensis, Londinensis, Vintoniensis, Vigornensis, Cicestrensis; sancti Davidis, & Carleoli, Decani complures.* Contractis *Rex*, Patribus, quâ de causâ convocaverit, exponit; commemoratquè *Controversias de Cærimonijs* publicè exitiosas. Nequè aliud adversùs gliscentes in Ecclesiâ discordias remedium, Patrum Avorumquè ætate, quàm Concilium, exemplis domesticis Majorum, sæpè anteà adhibitum; modò in universo Regno, modò in singulis Provincijs. In quo Religionis Controversiæ proponerentur; & ad Verbi Divini normam examinarentur; ut precibus *Catharorum, quiritantium*, satisfieri posset, si justæ subessent Causæ; sin falsæ, & fictæ Calumniæ, in *Antistites* temerè vulgatæ forent, redditâ Unitate Ecclesiæ, plecterentur. *Protestantes* Angli *priscis Ritibus, Solâ, Infulis, Mitris, Sacris Vestibus, Modulis, Pontificijs non multùm dispares, Præsules, ac Sacerdotes inaugurantur, ac ordinantur. Dies festi Divorum sanctè coluntur. In Sacro Lustrico Signo Crucis frons munitur. Pontifices promissam in Lavacro fidem posteà confirmant.* Purioris Religionis Professoribus *Ecclesiastici Ritus ignoti; gradus Ordinum indistincti; Habitus Cleri invisus; Profani omnes Ritus, qui Pontificijs Sacri.* Adeò ex Diametro pugnant. Rex ipse his Ritibus haud insuetus, quoties aliquid Novum adverterat, rationem rogitavit. Multa super *libro leiturgiæ, Excommunicationeq; in foro Ecclesiastico* recepta percontatus, *in Libro tria corrigenda annotavit, Confirmationem, Absolutionem, & Laicorum baptismum.* Præsules hæc & hujusmodi à veteris Ecclesiæ Institutis non abhorrere disseruerunt. Ille, adhibitâ Interpretatione, persuaderi sibi passus est. Et Modum præscripsit, quo *Ecclesiastici Mores* ad priscam frugem revocari possent; *ut Sanctitate imbuantur Concionantes*, monuitquè Patres, ut *Hiberniæ Regno* tempestivè prospicerent, quotidiè in Religione labanti, *Pastorum Inscitiâ, & Penuriâ; Iesuitarum fraude, & Scelere*: ac Saluti potius animorum, quàm Cupiditati, Ambitioniquè consulerent; *Beneficia Ecclesiastica cognitæ integritatis viris darent.* Postero die, cum ad cognoscendam Causam, & conciliandam discrepantiam, *in Regiâ sellâ consedisset*, in Purioris Religionis negotio, rogatu Sociorum, verecundè Certamen obtulerunt *Reginaldus, Sparcius, Nonstubius, & Chattertonius*; qui inter Sectarios doctiores habebantur. *Reginaldus, Sacrarum literarum studio clarus*, priùs petitâ dicendi Veniâ, à Doctrinâ initium fecit; *ac in eâ Puritatem; in Pastoribus diligentiam, ac Sanctimoniam; in regimine Ecclesiæ ἀυταξίαν desideravit.* Postremò, *Librum præscriptas precum formulas continentem; Vestes Cleri insolentes; in Templis Symphonias; & sacros Anglorum Ritus, invidiosissimè insectatus est.* Multa in *libro leiturgiæ à rectâ fide aliena; Sacris literis prorsùs contraria, & ex Apocryphis collecta, disseruit.* Qui denique vir, quantusque fuerit *Reginaldus*, Adversarij non ignorant; Surrexit *Bancroftius, Londinensis Præsul*, & venerabundus genibus Regis advolutus, orditur, Ambitiosorum hominum conatibus obviam eundum; eosquè intrà Modestiæ limites coërcendos. Sed ardore dicendi longius evectus, à Rege coërcitus est. Dies magnâ ex parte Altercatione consumptus, & *Cognitioni Præsulum liber subjectus.* Operis nostri Brevitas non patitur, exsequi rationes, & Sententias singulorum: Historiæ angustia non admittit prolixam argumentationum, Replicationumquè seriem; quæ latiorem

1603.

Colloquium indicitur.

1603. paginam exigunt. Tandem paucis interpositis diebus, *cum nulla Spes Conciliationis affulgeret*, lecto per Præsules *examinatoq; Libro*, placuit *Pio Principi*, ex eorum sententia, in *Rubricis Libri*, quædam corrigi; quædam explanari; reliqua Edicto firmari: decrevitq;, causâ cognitâ, *ut omnes in Ecclesiastico Ordine constituti, Primatui Regis spirituali; Anglicanæ fidei articulis; & Libro Precum publicarum, sponte subscriberent. Si qui Obsequium detrectarent, Ordine submoverentur; & Concionis habendæ potestate privarentur. Negotio Sacerdotibus dato, ut publicâ Auctoritate coërcerentur turbulenti, qui non paruissent Imperio.* Ita ademptâ *Concionandi libertate, ac Licentiâ, quoquò vellent Populum agitandi, major in posterum Ecclesiæ unitas, Principis Securitas, & Civium Tranquillitas.* Sic continua inter *Protestantes & Catharos*, per multos Annos, Contentio sublata.

Coërcitâ Therapeutarum, *Politico Regimini minùs obsequentium licentiâ*; ne Romana Superstitio invalesceret, Edictum, *Mense Februario, ut Ignatiani coopertis flagitijs Seminariorum Alumni; & Sacerdotes Pontificij, Ecclesiæ Regnoque Angliæ perniciosi, antè XIX Martij, Angliæ finibus emigrarent; nisi intrà eum diem Romanos Ritus exuerent. Rex autem tutam navigandi facultatem volentibus abire præberet.* Interdictumquè, *ne Quis manentes Tecto, Lare, Mensâ reciperet, celaret, aut clàm ope juvaret. Is qui non paruissent Imperio, Mors denuntiata.* Edicti verba fuêre, *se constitutis rebus Civilibus, ad res quoquè sacras ordinandas animum convertisse; discordes in Ritibus ac Cæremonijs Protestantes, & Catharos, adduxisse, ut modum tandem Dissensionum facerent; & in commune consulerent, de suâ Salute simul, ac Pontificiorum pernicie. Hoc Negotio peracto, in Religionis Controversiâ majoris mali Metum à Iesuitis & Sacrificulis objectum; qui Elizabethæ temporibus, partim in Cryptis, Avijsq; locis delituerunt; partim non ita pridem irrepserant; Mutatione Principis, Mutationem Religionis portendi, vanâ Spe augurantes; aut generali delictorum Indulgentiâ, Impunitatem sperantes, Sacrum solenne Romanum liberiùs celebrare; & Popularium animos à receptâ Religione, ad Pontificios Ritus, nullo legum metu, traducere cæperunt. Cum autem Regij imprimis Muneris sit, cavere, ne animi Subditorum pravo Cultu, aut Superstitione imbuantur; id verò tutiùs provideri non posse, quàm si Sacrificuli Papani procul arceantur, & Romana Sacra aboleantur; proindè se coactum, hoc Edicto velle atquè jubere, ut Pontificij Presbiteri, intrà dictum diem, Angliâ cederent; neque in eos, post tempus illud assignatum, legum ac Magistratuum salva Auctoritas esset.* Addiditquè, *quamvis plerisq; Edictum hoc, castigandis Pontificijs, multa licentius efflagitantibus compositum, iniquum atquè acerbum videri posset; perpensâ tamen æquitate Causæ, & nuper initæ Conjurationis atrocitate; æquos rerum æstimatores Consilium haud improbaturos: Neq; vicinos Principes, nos Incolumitati Regni, Quieti, Paci, ac Saluti nostræ prospicere; & ab hujusmodi hominum Contagione præcavere, iniquè laturos; qui uni Pontifici Romano Sacramento addicti, Regum Obsequio, ad ejus arbitrium, se suosquè subtrahant; ac Insidijs Remp: omnem convellunt.* Pontifici quidem *Romano nonnihil se debere Edicto professus est, ob multa in Ipsum Merita, & Officia; ac gratiam in tempore relaturum urbis Romæ Antistiti, ut Principi Sæculari, in re Civili, profanâque.* Sed perpensâ Conditione temporum, Salutem Regni omni privato respectu chariorem. Idquè salvum esse non posse, *si liceat Pontifici, sacrosanctæ potestatis obtentu, contrà Fidem, contrà Ius fasq;, Sacramenti Religione Subditos solvere; à legitimo Obsequio deterrere, atquè avocare; Regibus Ius Regni, ad arbitrium, abrogare; Ditioniq; primò Occupantis, Cyclopicâ injustitiâ, addicere. Neq; contrà vim mali crescentis, & serpentis quotidiè latius, aliquod Remedium, nisi divinitùs exstiterit, à Generalis Concilij celebratione. Idq; unicum & certissimum, in tàm gravi discrimine, superesse curandis Ecclesiæ vulneribus, ut sciant omnes, Iure Divino, solis Principibus fidelitatem præstare jus fasquè esse. Sacrorum Romanorum Antistitem, Pontificiâ Auctoritate, nihil habere in Temporalibus Iuris; feralsa ejus Interdicta Vana, irrita habenda. Seq; in Concilio procurando, nullum laborem, aut discrimen recusaturum; ut Sanctissimi Spiritus interventu, dissidentes animos, non Concordiâ temporariæ Simulatione, verùm Benevolentiâ, Studioquè conjungeret. & tandem, conjunctis viribus, Principes Christiani, privatis inter se Odijs turpiter dissentientes, Bisantinum hostem, Ottomannico flagello Christianæ Reip: imminentem, impugnarent.*

Post *Ecclesiasticæ Disciplinæ* restitutum decus, *Leucodorus, Cantuariensis Archiepiscopus*, fato obijt: Ecclesiæ habénas, per bis *Denos* Annos sapienter moderans; Vir procul dudio tanto fastigio dignissimus: ætas ad 70 Annum processit; Clarior virtute, quàm genere; apud *Coritanos Grimsbeij, plebeiâ familiâ ortus*; *in Academiâ Cantabrigensi*, ad supremos Scholæ honores evectus; literas sacras profitendo, magnam famam Religionis, Moderationis, Eruditionis, Prudentiæ, Diligentiæquè tulit. posteà ad *Vigorniensem Pontificatum* virtus extulit; quem egregiè administravit. Honores Civiles, & *Cambriæ Præfecturam* adeptus, quod rarum eâ tempestate, tranquillissimè rexit; mortuo *Grindallo Archipræsule*, Auctoritate, doctrinâ, famâ in ejus locum suffectus; ut imminutam Ecclesiæ dignitatem, *Therapeutarum culpâ*, in veterem integritatem restitueret. Tum perpetuâ sanctitate suâ, tum editis libris, (qui malas & exitiosas evellerent ex animis *Catharorum* Opiniones, quorum nec Obtrectandi studio, nec Malevolentiâ, aut Invidiâ, mutatus est) meritus, Pietate in Deum, Industriæ Ingenijquè Ornamentis, Modestiâ, Curâquè Religionis tuendæ, ut per omnium Annalium Monumenta, celebris esset; undè hauriant boni & Sapientes Præsules exempla omnium virtutum. *Croidona, Ptochodochio, & Scholâ publicâ dedicatâ*, Charitatem Posteris, & Munificentiam in Pauperes testatus, Ecclesiæ magnum sui desiderium reliquit; ob Memoriam virtutum, & segne Successoris ingenium. Nec expers Opprobrij vixit; siquidem *Picardus Therapeuta, probrosa adversùs eum Carmina factitavit*, vulgavitquè. Sed ego dè *Catharorum Injurijs* scribendum mihi esse non arbitror; quæ spretæ animo forti, magnoquè, exoleverunt.

Defuncto

Defuncto Leucodoro, *Tobias Mathaeus*, *Punelmensis Episcopus*, ob multiplicem rerum divinarum humanarumquè scientiam, *Archiepiscopus Cantuariensis*, *& Primas Angliæ*, Vulgi favore, destinatur; quia ei non Arte quæsita, sed à Naturâ donata videbatur Eloquentia. 1603.
Validior Bancroftius in animo Principis, Aulicorum gratiâ, in Auctoritate Præsulum tuendâ adversùs *Catharos*, firmitudinem animi, atquè Constantiam, insinuantium. prævaluêre hæc, adjuta dexteritate *Cecilij*; & Artibus *Henrici Havarti* Prædicantis, Therapeutis palàm infensi. Proindè ad *Ecclesiasticum statum* ordinandum *Archiepiscopus* mox creatus, *non sinè Pacto Pretij*, ut Vulgi rumoribus creditum. Sed suus cuiquè sit animus.

Dissidio Religionis composito, *& Auctoritate Præsulum* legum auxilio firmatâ, *de Iustitiâ*, alterâ Regni Columnâ, & Judicijs constituendis, proxima cura *Principis*. Iudices hortatus est, *ut Litium Ambages resecarent*; *modum perpetuis Sumptibus facerent*; curarent, ut boni Mores vigerent; Pietas, Fides, Pudor, Modestia, Continentia, Temperantia, sanctè colerentur. Ad extremum, gratiam suam, & studium, universis ac singulis pollicitus est, qui sinè Ambitu, aut Avaritiâ, castè integrequè Jus dicerent. Cum Sermone hominum percrebuisset, in reliquis quoquè *Regni Iurisdictionibus*, *Profanis*, *Divinisquè*, sensim Sordes & Largitiones gliscere; *multa, Imperitiâ, & Improbitate Iudicantium, perperàm fieri*; Ille gnarus omnia pessum ire, ac perniciosos exitus consequi, nisi Tribunalibus Officium, ac Verecundia constaret; Mandavit *omnibus Iudicibus Ecclesiasticis, & Civilibus*, *Procuratoribus*, *Scribis*, ne per gratiam aut Sordes, quid perperàm facerent; atrociter ulturus, si quis Mandato adversaretur. Satis mirari nequeo, *præstantissimum Poëtarum Francicorum*, *in Anagrammate* Nominis *Iacobi Stuarti*, *Literarum Metathesi*, magis verè, quàm latinè lusisse, *Iusta Scrutabo*. Certè priores Reges, Imperatoresquè, Fato vel Fortunâ, omnia alia Illustria Cognomina Fælicitatis præripuerunt; *Alios Divos*, *Alios Magnos*, *Alios Fælices*, *Alios Augustos*, *Alios Pios*, *Alios Philosophos dictos*, legendo comperi: Indulgentiâ quasi divinâ, qui rerum anreâ potiti sunt, Cæteris dignitatibus occupatis, *Iusti Regis Cognomen* (quod ego primum puto) ei ac Liberis reliquerunt. Etenim *Fortes Fortibus*, naturâ, *procreantur*. Sapientia ingenij indoles est, & similiter Naturæ bonum; Continentia quoquè quandòque Corporis dos, Habitusquè; aliquandò Dei munus censetur. Justitia sola à Voluntate humanâ proficiscitur; haud dubiè *Virtus verè Regia*, *& cæterarum Regina*, Sapientum suffragijs, *nec divelli à Rege potest*, *incolumi nomine Regio*: hæc utilitate publicâ conservata, suam cuiquè tribuit dignitatem, sinè Maleficio, sinè Injuriâ alterius; Regni saluti commodoquè prospicit; salutares Sanctiones præscribit; in animis mortalium Venerationem, Cultumquè parit; in summâ, Reges simillimos Superis facit.

Noster Melchisedecus, rebus Ecclesiasticis & Judirijs constitutis, Quantum Militum sub Signis ubiquè esset; Quantum Pecuniæ in Ærario; Quot Naves Regiæ; Quantæ opes publicæ, Vectigalia, & Tributa; Quæ Largitiones, & Necessitates, Reip: peritos rerum Civilium consuluit. *Militum ordines soluti.* *De exauctorando Milite Bervicensi* Præsidiario, ac *Copiarum deminutione in Hiberniâ*, perditâ & eversâ Provinciâ, ad Senatum retulit; *ut Castrenses Sumptus* relevaret; & Provinciales Oneribus fessos recrearet. Visum est etiam pleraquè *Vectigalia*, *quasi Monopolia*, abolere; Reliqua, magnam in partem, imminuere; Novas Accessiones, ad Solatium Plebis remittere; nisi *Curatores ærarij* impetum ejus atrinuissent. docentes, Tributa Pacis Ornamenta, Belli Subsidia, & Nervos Reip:; quæ perpetuos Sumptus suppeditent; nec solùm Necessaros, sed etiam Liberales. Dissolutionem quoquè Imperij secuturam, si Census Annui, quibus Stipendia Militum, & cætera Regni onera sustenentur, inconsulte imminuerentur. Judicio Sapientum Regum, ærarium, Munimentum Imperij Firmissimum semper habitum. Providos Principes, Tributis & vectigalibus maximis, innocenter locupletare, sinè querelâ, aut Invidiâ Subditorum, semper studuisse, *effrenatas Publicanorum Cupiditates coërcuisse*: Novis Exactionum acerbitatibus prudenter abstinuisse. His rationibus propè necessarijs permotus, Tributorũ abolitionem omisit; Senatum providere jussit, ut rationes Vectigalium, & Necessitates Largitionum inter se congruerent; aut certè Expensæ publicæ, Regio Censu majores non essent. ne si Modum excedant, Resp: gravioribus malis implicetur. *Modum publicis impensis imponit.* *Exauctorationem Militum* exsequi perseveravit; existimans, modico Præsidio contineri posse in Officio *Hiberniam*; & Turmis Equitum idoneis locis dispositis, Furta ac Latrocinia Limitaneorum refrenari. Ex *Bervicensi* Milite, *Centum Pedites*, *&* 50 *Equites* in præsidio retinuit. Cæterùm *Hiberniæ Cohortes*, ut cognovêre alias mitti, alias retineri, ferocius tumultuati cæperunt; *deformia Ora Cicatricibus*, *Pectora Vulneribus insignia*, *Succisos Poplites*, *Caniciemquè capitum ostentantes*; *Missionem aversati*, *in perniciosam Seditionem exardescentes*, *si dimitterentur*. *Rex* Superbiam ferociamquc militum, nominis sui terrore, cohibuit. Mox tumidi spiritus confusi, atquè fracti, se *Proregis* Animadversioni substraverunt; ac pleriquè obstinati milites in *Hiberniâ* exauctorati. *Iacobus* jam potentiæ securus, tàm viribus domesticis & externis, quàm Liberalitato, & Justitiâ; ut Famæ quoquè inserviret non incuriosus, quæ in Novitate Regni validissima esse solet, ad fiduciam, vel diffidentiam Popularium. Una res ei apud Subditos, apud Vicinos Reges, peperit decus & Auctoritatem, *quod, eo impetrante, perpetua esset foris Pax, & domi Quies*; *ubiquè sopitus Armorum Furor*. Cum Piratas Mari; Prædones Terrâ submovisset; neminem in finibus Regnorum impunitum reliquisset, qui à Pacis quiete abhorreret; redijt Cultus Agris, Ambigui Juris; Securitas Pecoribus, & Colonis; Legibus Auctoritas; certa cuiquè rerum suarum Possessio; Finitimorum Latrocinia (invalido legum auxilio, cum distincta Regnorum Dominia essent) nunc Vi & Metu coërcita sunt.

1603. sunt. Proindè nostra hæc ætas festam Pacem, & Posteritas Securitatem suam acceptam ei feret.

Peste adhuc grassante, Trepidatio Triumphos omnes intempestivos reddidit. Postquàm Divini Numinis benignitate, Civibus Salus, Aeri salubritas, Cælo Temperies, Solo Amænitas, restituta fuit; *Rex*, veteri Instituto, *Solennem introitum in Regiam urbem* præparat: dum Artifices, Pictores, Sculptores, Statuarij ornamenta sua perficerent, & Pompam instruerent, per aliquot dies, in *Turri Londinensi* substitit; ubi *Nobilium ferarum greges* clausi; inter quos *Leones* eximiæ magnitudinis sunt. Ibi *Gazophilacij* stupendis opibus recreatus, receptacula invisit. Circumstantes referunt Nobiles, *in Angliâ, ad venandum, Canes gigni, Leonibus maximè infestos.* Cupido Regem invasit, horum vim experiendi. Ille cum *Annâ Reginâ, & Henrico principe*, Claustra ingressus, agitari feras jussit, & *Leonem emitti*. Certamen *Leonum, & Canum*, tùm primò *Anglis* spectaculo fuit. Terribilis, & *ferox Leo* è Caveâ in Aream, in conspectu Regis prosiluit: *Canis* admovetur, qui celerrimè invasit feram. Cum is usquè ad Ossa fædè unguibus laceratus, *Leoni* impar viribus esset; ab ijs, qui *Vrsorum* certaminibus assueverant, Alter Feræ objicitur, non segnius *Leoni* rabidis dentibus inhærens; duobus maximâ pertinaciâ laborantibus in complexu immanis belluæ, & Ventrem Morsu appetentibus, Tertius submittitur. Qui adhuc ferocius instans, *Labijs acerrimi Leonis dentes infixerat*; Feramquè in se unum Vulneribus irritaverat; nec graviter vulneratus, immani rugitu Leonis territus, magnum Belluæ terrorem injecit, & refugientem in Caveam, avidè insecutus est: jamquè pugnando *fatigatus Leo*; magis pavidus, quàm infestus, Congressum diutius non sustinuit. & *duo reliqui Canes*, instinctâ rabie, se invicem infestissimè lacerarunt. Adnotatum experimento est, in hoc Certamine, *Leonem Caveâ inclusum, mansuetiorem fieri; & minùs feritatis, quàm in Sylvis habere.*

Jam omnibus rebus præparatis, Rex 15 *Martij*, felicissimis Auspicijs, Urbem ingressus est. Itaquè incredibilem in modum Concursus fiunt, ex Agris, ex Vicis, & domibus omnibus, ex ultimis Regni Oris. Omnes Urbis Cives se Ovationi, & publicæ lætitiæ accingunt, velut nihil Majus in Terris conspecturi. Domus *Tapetibus*, Purpurâ, Auroquè fulgentibus, *Stragulis Sericis, & Pulvinis* exornantur. *Matronæ, Virginesquè* cum amplissimâ veste, Gemmis, atquè Margaritis, in fenestras & ædium Cacumina exundant. *Septem Arcus Triumphales, Obeliscos, Emblemata, Toreumata, & Spectacula*, satius fuerit integra illibataque legentium Cogitationibus reservare, quàm carptim, breviterquè perstingere. Oppletæ undiquè viæ *urbanis sodalitijs, cum proprijs vexillis; & Magistratibus, cùm Insignibus suis.* Angustus Trames relictus, quo per Civium ordines transiret. *Rex*, frequenti agmine Procerum, *sub aureâ umbellâ, Octo Nobilibus suffultâ albenti equo vectus est.* Ordo autem Agminis erat talis. Præcedebant *Cohortes Regiæ*, aureo vestis Emblemate fulgentes. Post hos *Feciales & Tubicines*, tunicis undiquè Laminis aureis variegatis. & *Fecialis regius*, Paludamento insignis, Officia Cæremoniarum præscribens. Tum *Ministri domestici*, suis quique ordinibus; & *Equestris Ordinis Flos*, cultu, magnæ opulentiæ, equisquè magnificentissimè instratis. Deindè, *Proceres, Barones, Comites, Marchiones, & Dux Levinia*; non Auro modò, sed Gemmis quoquè Margaritisquè radiantes. *Ipse postremò Rex, insignis phalerato equo, fulgens Adamantibus*, & magnam Majestatem præseferens, Civium oculos in se convertit. Inter alios Illustres viros, *filius Henricus, fermè decem Annos natus* enituit. Post Umbellam, *Stipatores Sexaginta* Nobiles; hastas militares, Auro exornatas, gestantes, dextrâ lævâquè circumfusi, Turbam submovebant. Haud procul *Conjunx Anna Regina*, Comâ calamistrata, pretiosissimis Margaritis exornata, Aurato Curru, desuper patenti, vehebatur; ut tot avidè spectantibus dignitatem Formæ conspicua esset. Nec multo minor *Turba heroinarum*, Currum comitantium, Regali Cultu, ornatuquè ad luxum magis, quàm Magnificentiam exculta, Albentibus Equis, egregiè instratis, vehebatur. Colla Margaritis ornata erant; pendebant ex Auribus insignes magnitudine gemmæ. Multùm inter omnes eminebat *Arbella*, cùm dignitate Corporis, tùm Ingenij ornamentis; haud minùs clara doctrinâ, atquè Ingenio, quàm Regiæ Stirpis genere. Cujus virtutem eximiam, pari Comitate conditam, non Vetustas, non Oblivio delebit ulla. Ultimum Agmen claudebant *Legati exterarum gentium*; qui ad prosequendum Regem, Officij causâ, convenerant. *Francorum, & Hispanorum Oratoribus* loca ad spectandum assignata; quia *sinè Certamine præcedendi*, Spectaculo interesse, non potuisse, Rex prudenter providit. Etenim ea horum Regum, à multis Annis, æmulatio fuit, ut ægris oculis Opes, Potentiam, & mutuum fortunæ incrementum introspicerent. Incedente Agmine turmatim, Tubis indè concinentibus, & indè Machinis cum ingenti fragore, Tonitribusquè aures perstringentibus, Ipse *Rex*, *festis Acclamationibus Senum, Infantium, Puerorum exceptus*, ad Arcus *Triumphales* perrexit.

Primus Arcus, Opere fictili, *Vrbem Londinensem*, Suburbia, divorum Basilicas, Procerum Palatia speciosæ structuræ, Sublimia Campanilia, Turres, Pyramidesquè eminentes referebat. Principes accuratè contemplantur; lætisquè Acclamationum vocibus, Plausibusquè delectantur. Post insignis lætitiæ testificationem, singularis voluptatis quâ afficiebantur, indè digressi, Templa, Urbemquè pulcherrimam contemplantes, *Aulæorum* Magnificentiam, Spectantium Cultum, & formæ elegantiam, ad *proximum Arcum Triumphalem* perveniunt, quem in celebri illo Vico, (*vulgus Grassestreit vocat*) *Italici Mercatores*, Aureis Asteriscis, varijs *Elogijs & Emblematibus* ornaverant. Quibus eximias laudes in Regem Nobilissimum, Pacis studio singularem, Terrâ Mariquè potentem, numerosâ & beatâ

suffultum

suffultum Sobole, congesserant; per Illum se vivere; per Illum Navigare; Britannicamquè gentem Commercia miscere; Securitate, bonis, atquè Fortunis per Illum frui testabantur; fortunatum Adventum, læta ac fælicia Regni auspicia Precabantur. Quâ re valdè exhilaratus, ad *Peristylium*, Urbis Ornamentum, Columnis Corinthij Operis speciosum, conformi Lapicidarum structurâ, Testudinum politurâ, plumbeisque Tegulis conspicuum, perrexit. Ibi fabrica stupenda, propter materiæ Fulgorem, Corinthij Operis Varietatem, Sculpturam; Tabularum, Picturarumquè mirabile Artificium, Obeliscos, Emblemata, Toreumata, *quam Principes Belgicæ Societatis, majore fastu ornaverant. Anterior pars Arcus*, Simulacrum Regis pulcherrimum, cum virtutibus verè Regijs, Prudentiâ, Sapientiâq;, argutâ Artificis manu referebat. in cujus Apice, luculenta Aureis literis erat Inscriptio

1603.

Regium excambium.

IAC: ANG: SCO: FRAN: HIB: REGI OPT: MAX: PRIN: BELGÆ DEDI:

Vestibulo Concameratio imposita, in quâ *Virgines* 17 Candidatæ, Coronatæquè, habitu Cultuquè Belgico, 17 *Belgarum Provincias, cum Insignibus referentes*, suo quæquè Ordine sedebant. Inferius ad earum pedes, Tabula scitè picta, cum hac Epigraphe.

ORBIS RESTITUTORI, PAC.
FUND: RELIG: PRO
PUG:
D. JAC. P. F. REGI, PP.
D. ANNÆ, REGIÆ CONJUGI.
SOR. FIL. NEPT.
D. HENRICO. I. F. PRINC.
JUVENT.
IN PUBLIC. URBIS ET ORBIS
LÆTITIA, SECULIQUE FELICITATE, XVII BELG. PROV. MERCATORES, BENIGNE REGIA HAC
IN URBE RECEPTI.
ET S. M. VEST. OB ANTIQU. SOCIALE
FOEDUS, ET D. ELIZ: BENEFICIENT. DEVOTI. FAUSTA OMNIA, ET FELICIA
AD IMPERII ÆTERNITATEM
PRECANTUR.

Posterior pars Arcus, eâdem structuræ elegantiâ spectabilis, atq; eâdem Arte perfecta. In adverso ejus latere, multæ erant Statuæ, & Simulacra, singulari opere, Artificioquè, cùm picta, tùm sculpta. Mihi non breviter de unoquoquè dicendum est; sed præteriunda videntur esse permulta. *Ex adversâ Arcus parte*, suprà Portam, pendebat Tabula scitissimè picta, *ubi Belgij, & Britanniæ Situs descriptus, Portus Stationes, flumina; in interjecto Mari Naves, Phaseli, Liburnica, & omne Æquoreum armamentum.* Ad Tamesis (fluminum Britannicorum Principis) Ostium, *Anglia, muliebri picta specie sedebat; in Flandriâ, Belgium, mutuò colloquentes, seq; Vlnis complectentes, & Commercia communicantes.* à Lævâ etiam, elegantes Tabulæ, Artes multiplices, subtilesquè; & Opificia Belgica, *Agriculturam*, *Mercaturam*, *Pannariam*, Apelleo opere, ac summo Artificio exprimentes. Subjectum erat literis Aureis Symbolum.

PIO
INVICTO
REGI JACOBO
QUOD FELICIB. EJUS AUSPICIIS
UNIVERSUM IMPERIUM BRIT.
PACAT. MARE TUTUM,
PORTUS APERTI.
QUOD CELEB. HOC IMPERIUM
PRUDENTI INDUSTRIA
SUOS QUOVIS TERRARUM
NEGOCIATORES
EMITTAT.
QUOD EXTEROS HUMANITER
ADMITTAT, FORIS FAMAM
DOMI DIVITIAS
AUGEAT.
QUOD MUTUIS COMMERCIIS,
ARTIFICUM, NAUTARUMQUE
SOLERTIA CRESCAT, DESIDIA
EXULET, ET MUTUA AMICITIA CONSERVETUR.

1603. sunt. Proindè nostra hæc ætas festam Pacem, & Posteritas Securitatem suam acceptam ei feret.

Peste adhuc grassante, Trepidatio Triumphos omnes intempestivos reddidit. Postquàm Divini Numinis benignitate, Civibus Salus, Aeri salubritas, Cælo Temperies, Solo Amænitas, restituta fuit; *Rex*, veteri Instituto, *Solennem introitum in Regiam urbem* præparat: dum Artifices, Pictores, Sculptores, Statuarij ornamenta sua perficerent, & Pompam instruerent, per aliquot dies, in *Turri Londinensi* substitit; ubi *Nobilium ferarum greges* clausi; inter quos *Leones* eximiæ magnitudinis sunt. Ibi *Gazophilacij* stupendis opibus recreatus, receptacula invisit. Circumstantes referunt Nobiles, *in Angliâ, ad venandum, Canes gigni, Leonibus maximè infestos.* Cupido Regem invasit, horum vim experiendi. Ille cum *Annâ Reginâ, & Henrico principe*, Claustra ingressus, agitari feras jussit, & *Leonem emitti*. Certamen *Leonum, & Canum*, tùm primò *Anglis* spectaculo fuit. Terribilis, & *ferox Leo* è Caveâ in Aream, in conspectu Regis prosiluit: *Canis* admovetur, qui celerrimè invasit feram. Cum is usquè ad Ossa fœdè unguibus laceratus, *Leoni* impar viribus esset; ab ijs, qui *Ursorum* certaminibus assueverant, Alter Feræ obijcitur, non segnius *Leoni* rabidis dentibus inhærens; duobus maximâ pertinaciâ laborantibus in complexu immanis belluæ, & Ventrem Morsu appetentibus, Tertius submittitur. Qui adhuc ferocius instans, *Labijs acerrimi Leonis dentes infixerat*; Feramquè in se unum Vulneribus irritaverat; nec graviter vulneratus, immani rugitu Leonis territus, magnum Belluæ terrorem injecit, & refugientem in Caveam, avidè insecutus est: jamquè pugnando *fatigatus Leo*; magis pavidus, quàm infestus, Congressum diutius non sustinuit. & *duo reliqui Canes*, instinctâ rabie, se invicem infestissimè lacerarunt. Adnotatum experimento est, in hoc Certamine, *Leonem Caveâ inclusum, mansuetiorem fieri; & minùs feritatis, quàm in Sylvis habere.*

Jam omnibus rebus præparatis, Rex 25 *Martij*, felicissimis Auspicijs, Urbem ingressus est. Itaquè incredibilem in modum Concursus fiunt, ex Agris, ex Vicis, & domibus omnibus, ex ultimis Regni Oris. Omnes Urbis Cives se Ovationi, & publicæ lætitiæ accingunt, velut nihil Majus in Terris conspecturi. Domus *Tapetibus*, Purpurâ, Auroquè fulgentibus, *Stragulis Sericis, & Pulvinis* exornantur. *Matronæ, Virginesquè* cum amplissimâ veste, Gemmis, atquè Margaritis, in fenestras & ædium Cacumina exundant. *Septem Arcus Triumphales, Obeliscos, Emblemata, Toreumata, & Spectacula*, satius fuerit integra illibataque legentium Cogitationibus reservare, quàm carptim, breviterquè perstingere. Oppletæ undiquè viæ *urbanis sodalitijs, cum proprijs vexillis; & Magistratibus, cùm Insignibus suis.* Angustus Trames relictus, quo per Civium ordines transiret. *Rex*, frequenti agmine Procerum, *sub aureâ umbellâ, Octo Nobilibus suffultâ albenti equo vectus est.* Ordo autem Agminis erat talis. Præcedebant *Cohortes Regiæ*, aureo vestis Emblemate fulgentes. Post hos *Feciales & Tubicines*, tunicis undiquè Laminis aureis variegatis. & *Fecialis regius*, Paludamento insignis, Officia Cæremoniarum præscribens. Tum *Ministri domestici*, suis quique ordinibus; & *Equestris Ordinis Flos*, cultu, magnæ opulentiæ, equisquè magnificentissimè instratis. Deindè, *Proceres, Barones, Comites, Marchiones, & Dux Levinia*; non Auro modò, sed Gemmis quoquè Margaririsquè radiantes. *Ipse postremò Rex, insignis phalerato equo, fulgens Adamantibus*, & magnam Majestatem præseferens, Civium oculos in se convertit. Inter alios Illustres viros, *filius Henricus, fermè decem Annos natus* enituit. Post Umbellam, *Stipatores Sexaginta* Nobiles; hastas militares, Auro exornatas, gestantes, dextrâ lævâquè circumfusi, Turbam submovebant. Haud procul *Conjunx Anna Regina*, Comâ calamistrata, pretiosissimis Margaritis exornata, Aurato Curru, desuper patenti, vehebatur; ut tot avidè spectantibus dignitatem Formæ conspicua esset. Nec multo minor *Turba heroinarum*, Currum comitantium, Regali Cultu, ornatuquè ad luxum magis, quàm Magnificentiam exculta, Albentibus Equis, egregiè instratis, vehebatur. Colla Margaritis ornata erant; pendebant ex Auribus insignes magnitudine gemmæ. Multùm inter omnes eminebat *Arbella*, cùm dignitate Corporis, tùm Ingenij ornamentis; haud minùs clara doctrinâ, atquè Ingenio, quàm Regiæ Stirpis genere. Cujus virtutem eximiam, pari Comitate conditam, non Vetustas, non Oblivio delebit ulla. Ultimum Agmen claudebant *Legati exterarum gentium*; qui ad prosequendum Regem, Officij causâ, convenerant. *Francorum, & Hispanorum Oratoribus* loca ad spectandum assignata; quia *sinè Certamine præcedendi*, Spectaculo interesse, non potuisse, Rex prudenter providit. Etenim ea horum Regum, à multis Annis, æmulatio fuit, ut ægris oculis Opes, Potentiam, & mutuum fortunæ incrementum introspicerent. Incedente Agmine turmatim, Tubis indè concinentibus, & indè Machinis cum ingenti fragore, Tonitribusquè aures perstringentibus, Ipse *Rex*, *festis Acclamationibus Senum, Infantium, Puerorum exceptus*, ad Arcus *Triumphales* perrexit.

Primus Arcus, Opere fictili, *Urbem Londinensem*, Suburbia, divorum Basilicas, Procerum Palatia speciosæ structuræ, Sublimia Campanilia, Turres, Pyramidesquè eminentes referebat. Principes accuratè contemplantur; lætisquè Acclamationum vocibus, Plausibusquè delectantur. Post insignis lætitiæ testificationem, singularis voluptatis quâ afficiebantur, indè digressi, Templa, Urbemquè pulcherrimam contemplantes, *Aulæorum* Magnificentiam, Spectantium Cultum, & formæ elegantiam, ad *proximum Arcum Triumphalem* perveniunt, quem in celebri illo Vico, *(vulgus Grassestreis vocat) Italici Mercatores*, Aureis Asteriscis, varijs *Elogijs & Emblematibus* ornaverant. Quibus eximias laudes in Regem Nobilissimum, Pacis studio singularem, Terrâ Mariquè potentem, numerosâ & beatâ

suffultum

1603.

ſuffultum Sobole, congeſſerant; per Illum ſe vivere; per Illum Navigare; Britannicamquè gentem Commercia miſcere; Securitate, bonis, atquè Fortunis per Illum frui teſtabantur; fortunatum Adventum, læta ac fælicia Regni auſpicia Precabantur. Quâ re valdè exhilaratus, ad *Periſtyllium*, Urbis Ornamentum, Columnis Corinthij Operis ſpecioſum, conformi Lapicidarum ſtructurâ, Teſtudinum politurâ, plumbeiſque Tegulis conſpicuum, perrexit. Ibi fabrica ſtupenda, propter materiæ Fulgorem, Corinthij Operis Varietatem, Sculpturam; Tabularum, Picturarumquè mirabile Artificium, Obeliſcos, Emblemata, Toreumata, *quam Principes Belgica Societatis, majore faſtu ornaverant.* *Anterior pars Arcus*, Simulacrum Regis pulcherrimum, cum virtutibus verè Regijs, Prudentiâ, Sapientiâq;, argutâ Artificis manu referebat. in cujus Apice, luculenta Aureis literis erat Inſcriptio IAC: ANG: SCO: FRAN: HIB: REGI OPT: MAX: PRIN: BELGÆ DEDI: Veſtibulo Concameratio impoſita, in quâ *Virgines* 17 Candidatæ, Coronatæquè, habitu Cultuquè Belgico, 17 *Belgarum Provincias, cum Inſignibus referentes*, ſuo quæquè Ordine ſedebant. Inferius ad earum pedes, Tabula ſcitè picta, cum bac Epigraphe.

Regium excambium.

ORBIS RESTITUTORI, PAC.
FUND: RELIG: PRO
PUG:
D. JAC. P. F. REGI, PP.
D. ANNÆ, REGIÆ CONJUGI.
SOR. FIL. NEPT.
D. HENRICO. I.F. PRINC.
JUVENT.
IN PUBLIC. URBIS ET ORBIS
LÆTITIA, SECULIQUE FELICITATE, XVII BELG. PROV. MERCATORES, BENIGNE REGIA HAC
IN URBE RECEPTI.
ET S.M. VEST. OB ANTIQU. SOCIALE
FOEDUS, ET D. ELIZ: BENEFICIENT. DEVOTI. FAUSTA OMNIA, ET FELICIA
AD IMPERII ÆTERNITATEM
PRECANTUR.

Poſterior pars Arcus, eâdem ſtructuræ elegantiâ ſpectabilis, atq; eâdem Arte perfecta. In adverſo ejus latere, multæ erant Statuæ, & Simulacra, ſingulari opere, Artificioquè, cùm picta, tùm ſculpta. Mihi non breviter de unoquoquè dicendum eſt; ſed præteriunda videntur eſſe permulta. *Ex adversâ Arcus parte*, ſuprà Portam, pendebat Tabula ſcitiſſimè picta, *ubi Belgij, & Britannia Situs deſcriptus, Portus Stationes, fluminâ; in interjecto Mari Naves, Phaſeli, Liburnica, & omne Æquoreum armamentum.* Ad Tameſis (fluminum Britannicorum Principis) Oſtium, *Anglia, muliebri picta ſpecie ſedebat; in Flandriâ, Belgium, mutuò colloquentes, ſeq; Vlnis complectentes, & Commercia communicantes.* à Lævâ etiam, elegantes Tabulæ, Artes multiplices, ſubtileſquè; & Opificia Belgica, *Agriculturam, Mercaturam, Pannariam*, Apelleo opere, ac ſummo Artificio exprimentes. Subjectum erat literis Aureis Symbolum.

PIO
INVICTO
REGI JACOBO
QUOD FELICIB. EJUS AUSPICIIS
UNIVERSUM IMPERIUM BRIT.
PACAT. MARE TUTUM,
PORTUS. APERTI.
QUOD CELEB. HOC IMPERIUM
PRUDENTI INDUSTRIA
SUOS QUOVIS TERRARUM
NEGOCIATORES.
EMITTAT.
QUOD EXTEROS HUMANITER
ADMITTAT, FORIS FAMAM
DOMI DIVITIAS
AUGEAT.
QUOD MUTUIS COMMERCIIS,
ARTIFICUM, NAUTARUMQUE
SOLERTIA CRESCAT, DESIDIA
EXULET, ET MUTUA AMICITIA CONSERVETUR.

Cum

1603. Cum *Rex* ab Arcu non procul abcessisset, Tubæ Lituique è superiore loco, More Germanicæ Militiæ, Tinnitum Clangoremquè edidêre. Hinc Plausus & Acclamationes omnium, Æternitatem Imperij precantium; Illinc Symphonia Fidium, & Sistrorum cuncta perstrepunt. *Virgines* 17 *Regem* Reginamquè vultu demisso venerantes, ordine salutarunt. Moxquè Adolescens, ingenioso Carmine, detinuit Aures, & omni laude cumulavit. Quâ Salutariunculâ finitâ, progreditur. Proceres Varietate, & loci Celebritate capti, *Arcum Pulchritudinem* diu & avidè spectarunt.

Mediâ in urbe, *antè ædem*, *D. Milreda*, *Sublime Theatrum* exstructum; ubi Tubæ, Tympanaquè, *Danico Tinnitu Augustam* oblectarunt. In *Appiâ*, latissimâquè Urbis viâ, quæ *Cheapside* vulgò dicitur, *Quartus Arcus* ab urbanis Civibus erectus. Insigni Cruci Aureæ, ingens conjuncta erat Porticus; in cujus medio, sedilibus ligneis exstructis, *Prætor Vrbanus*, *& Seniores Civitatis*, Purpureo Amictu, Regem salutaturi consedere. *Montacutus*, *publicus Civitatis Tabellio*, brevi facundiâ, sed aptâ & appositâ Oratione, *Nomine totius Vrbis*, *Regem salutat*; *& publicam omnium lætitiam*, *quam ex Majestatis Conspectu perceperant*, *succinctè prædicat*; quoniam angustiæ temporis, longiorem Orationem non patiebantur. *Tum Prætor Tres Crateres Aureos*, *Civium suorum nomine*, *præbuit*. Rex gratias agit *Prætori*, *& Magistratibus*, quod tanto studio, ac Obsequio, quotiescunquè declarandæ Voluntatis potestas facta esset, se prosequerentur; precaturquè Numen, *ut Successio toti Regno salutaris sit*, *ac concepta de se Civium Opinioni abundè satisfaciat*.

Indè digressus, comitantibus Magistratibus urbanis, *ad Aqua ductum minorem pervenit*, ubi *Quintus Arcus*, *insignis harmoniâ Musicâ* conspiciebatur; ac *Symphoniaci & Lyristæ* suavissimis Modulationibus continentes. Ubi ad primariam *Ædem D. Pauli* ventum est, passim *Hymni Sacri à Phonascis decantantur*. Indè per *Ludds Portam* proceditur, ad *Fleta* Plateam; *ubi apud insignem Aqua ductum*, *Sextus Arcus*, *Orbis globum*, *Spherico Motu moventem*, *referebat*. Ultimus in angustijs Templariorum, & Terminis Urbani Imperij collocatus. Vbi *Præfectus Vrbis*, *Decuriones*, *Ædilesquè* Commeatu petito, & impetrato, Regem salutarunt. Per reliquum Iter, vicatim, Obeliscos, Fornices, Theatra, Emblemata, Titulos, & Elogia, brevitatis causâ, prætereunda esse arbitror.

Tandem, pererratâ urbe, Spectaculorum Varietate, & operôso ordine Pompæ fessus, *Palatium*, *cum Augustâ*, *& Henrico Principe Iuventutis subit*. Moxà tædio viæ recreatus, ad *Regale Epulum* discedit. Solenni More, Institutoquè, accubuêre Legati Sociarum gentium, Principes, Illustresquè Viri. Choreis, Vespertinis Ignibus, Ludis, totâ urbe effusissimè indultum: nec finem Populari Lætitiæ nox imposuit.

Tamesi fluvio, *Navalis pugna Simulacrum* adornatur. Fluvius passim ratibus constratus: in ratibus armati constiterant. Ripas, Tecta, Templa, ac loca edita, multitudo innumera, visendi cupidine, compleverat. *Rex paludatus*, *cum Conjuge*, *ac liberis*, sedens spectabat è Cænaculo domus suæ. Pugnatum indè Tormentis, & Igne Missili. Armati glandes, facesque contorquent. Tandem *Ludicrum Propugnaculum*, *Pyrio Pulvere*, *Pice*, *Bitumine*, *atquè omnibus pyrotechniæ opificijs fartum*, *furvâ Nocte incensum*, & à Navalibus Socijs expugnatum.

Perfectâ Naumachiâ, aliud *Ludicrum Certamen Scotorum*, *& Anglorum*, terrâ editur. Fulgent Armis Virisquè campi, ad Simulacrum belli. Insignia utriusquè gentis præferuntur; nec præter strictum ferrum quicquam defuit, ad Cruenti prælij speciem. Dumquè duæ Acies, infestissimis animis, arma expediunt, prodeunt ex Machinâ *D. Andreas*, *& D. Georgius*, *Anglorum & Scotorum Tutelares*, *ex discrimine Crucium agniti*. Qui utramquè gentem, ad Pacem, & Concordiam cohortantur; monentquè, *ut Æmulationem*, *olim utrisquè funestam*, *& exitialem*; *quæ certissimam Galliæ Victoriam distinebat*, *Iacobi felicissimâ Successione penitùs sopitam meminerint*: *utquè sub ejus Imperio Vna gens fit*, *& Vnus Populus*; *ac in posterum*, *Vnicum utriusq; inter se Certamen*, *utri eorum essent Sincerâ Pietate in Deum*, *Obsequio in Regem*, *Meritis in Patriam superiores*. Principes ingeniosâ fictiunculâ delectati, cubitum discedunt.

Post ludicra, Curæ rursùm ad Remp: versæ. Mox nihil sibi majore curâ faciendum arbitratus, quàm *ut omnium Ordinum Conventum ageret*. Comitia itaquè *Mense Martio*, *Londinum*, indicta; ad Statum Ecclesiæ illustrandum; Reip: stabiliendum; & communem Britanniæ, Civiumquè omnium fælicitatem augendam. Ne quæ pars Reip: *Regia Munificentia* expers esset, *utriquè Academiæ bônorarium Ius*, duorum in Comitijs Burgensium concessit; ut ex æquo de peculiari Regis Benignitate gloriarentur; & gloriam ejus in æternum celebrarent. Omnibus jam satis comparatis, Regni *Proceres*, *Antistites*, *& Civitatum Procuratores*, per Literas, in hanc ferè Sententiam, evocavit; *Cum duabus potissimùm rebus*, *Principis in Subditos Amor & benevolentia innotescant*, *Antiquatione Veterum Legum*, *quas usus coarguit*, *aut Populus inutiles sentit*; *& Novarum*, *communis utilitatis causâ*, *Rogatione*. *Itaquè sibi*, *in hâc Curâ*, *Cogitationequè*, *pro Salute publicâ*, *acriter versanti*, *visum est*, *Conventum Ordinum habere*, *ad ferendas leges*; *& publicum statum*, *ex Sententiâ omnium*, *ordinandum*. *Cum ipse omnes Curas*, *Cogitationesq*, *in communem utilitatem conferat*, *æquum etiam esse*, *Cives rerum suarum providos*, *in gravissimis Negotijs*, *aliquid temporis his quoque Cogitationibus impartire*; *ac Sapientiâ*, *Providentiâque Remp: juvare*. *Quare monuit universos*, *hortatusq*, *est Singulos*, *publicè*, *privatimq*, *capessere Regni curas*; *invigilare Communi Vtilitati*; *in deligendis Idoneis hominibus*, *Iudicium & diligentiam adhibere*; *ne Privatis studijs*, *aut pravâ Religione imbuti*, *sed Charitate Patriæ*, *Peritiâque rerum Civilium præstantes*, *ad Comitia mitterentur*.

Primo

1603.

Primo *Comitiorum* die, Ipse insignis Equo Phalerato, Purpureâquè Clamide, atquè alio Regio Amictu, *Præferentibus Regni Insignia, Diadema, Sceptrum, gladium, Antiqui Stemmatis Comitibus*, frequenti Trabeatorum Procerum Agmine, *Curiam intravit, & Comitijs præsedit*. Ibi in Publico gentis Consilio, *Iacobus*, cui summam Copiam facultatemquè dicendi Natura largita est, ita exorsus est, *Tres habendi Conventus causas* fuisse. *Primam & præcipuam ut gratum memoremquè in benè meritos animum ostenderet; qui humanitùs seu divinitùs instincti, summis studijs, ad hanc Dignitatem promovere studuerunt: Mutua inter gentes Odia tàm facilè extinxerunt: ac tot Funestarum Cladium memoriam deposuerunt*. Disertissimis igitur, humanissimisquè verbis gratias omnibus egit, pro Suffragijs, & Officijs, in Primordio Principatus; Memoriam & Remunerationem Officiorum, omni Occasione, pollicitus. Nequè veritus est profiteri, immortalibus eorum Beneficijs se imparem, cum anteà semper consideret, nullam esse gratiam, quam vel non capere animus accipiendo, vel remunerando, cumulandoquè, illustrare posset. Post gratiarum Actionem, & gratificandi omnibus egregiam voluntatem ostentatam, *Secundam habendi Conventus Causam* exposuit, *ut beneficia, Divinitùs cum Personâ sua conjuncta, aut Singulis publicè privatimquè indulta, exponeret, Pacem externam; Vtilitatem Communem; Otium domesticum; Hiberniæ Formidinem; Iberis belli requiem; Cunctis Securitatem; utriquè Regno Societatem; Ecclesiæ, labente egregiâ Disciplinâ, Pacem & Concordiam*. Mox ita disseruit; *Non sinè Ope divinâ, Immortalisq; Numinis beneficio, vos ut tutam ac tranquillam domi forisquè Pacem haberetis, meâ perfici Vigilantiâ; & maximos labores suscipiendos putavi, ut vos vacui Metu, in Otio positis esse, cum Imperio ac dignitate. Nomen Pacis dulce est, & res ipsa salutaris. Vis injusta, & detestabilis; Nemo adeò in Arma promptus, aut Industrius, ut non idem præmium Quietis, ac Otij, quàm Periculi pretium velit. Nequè Pacis solùm vobis externæ, sed & Concordiæ quoquè Intestinæ causa fui. Etenim Vigiliâ & Providentiâ Abavi mei, Henrici Septimi, factum est, ut duæ Regales Rosæ, Lancastria & Eboracensis, coalescerent; cui idcircò ex Majoribus meis, præcipuam Laudem gratiamquè debetis. At fato felicitatis meæ, non modò Illustres illæ duæ Familiæ, sed & duo Nobilissima Regna, in hac unâ Insulâ, tanquàm Gemelli in uno Vtero concertantes, Æmulatione panè utrisquè exitiali, sinè Cæde & sanguine, Auspicijs meis coaluêre; certantes jam pio Certamine Obsequij, ac Reverentiæ. Cum jàm necessè sit, utriquè Regno per unum consuli, Vetusta Odia abolendi, ac perpetuandæ Concordiæ, unam & certissimam rationem inveni, indissolubili Copulâ & Societate perpetuò conjungere*. Posteà disseruit Unionis Commoda, *Incrementum Imperij; Accessionem virium, Regno Scotiæ contributo; Momenta rerum gerendarum in Galliâ, & Belgio; domi Quietem ac Securitatem, foris Formidinem hostium, hâc Regnorum felicissimâ Conjunctione brevè cognituros*, ut Anglicum Nomen prodire in pristinam Majestatem iterùm posset. Cæterùm *Scotos, homines in eâdem Insulâ natos; ejusdem Linguæ, ac Religionis divinitùs participes, Vultu, Colore, Lineamentis Corporis, Pectoris, Mentisquè Indole, at Cætero vestitu & habitu adeò similes, ut Vnus Populus videatur. Naturâ haud distincta Dominia; sed Arbitrio imperitantium, duo constituta Regna, ægrè discretos fines. Considerarent itaquè, quàm tutum esset, immenso undiq; Oceano cingi, non Vallis Adriani, & Severi Terminis Imperij concludi: quàm opportunum, sub uno Rege utramq; gentem, honestis, & æquis Conditionibus, in unum Corpus, Vetusq; Nomen Britanniæ, favore Avitæ Libertatis, Odio Saxonum, redire. Qui à Majoribus vestris (quos Scoti, Pictiq;, indomitæ gentes, usquè ad Exitium fatigabant) acciti Auxilio, Socijs, contrà fas fidemq;, Servitutis Iugum imposuerunt*. Si Ethelredo *illustre, & gloriosum, domesticis quondam Viribus bellicosissimas* Saxonum gentes, in Septem Regna divisas, *in Ditionem sui Imperij redigisse*. Si Ed: 1 *viro magni animi, magnaq; potentiæ*, Valliam subegisse, ac huic Regno subjecisse; *quanto mihi gloriosius, vobis utilius, Imperio firmius, utriusq; Regni individuam Conjunctionem fecisse*; & Posticum, Francorum Conatibus sæpius opportunum *(sicut à peritis Rerum Anglicarum advocatum)* clausisse. Indè ad Sacra transgressus, *Quos Deus, inquit, conjunxit, homo non separet. Sponsus ego sum, Vniversa Insula pro Conjuge; quam ego Connubio mihi conjunxi. & Posteros meminisse volo, Maritalis hujus fœderis, & Matrimonij mei. Etsi Scotiâ genitus, editusq; sim, tamen Vtramquè gentem amare, colere, propugnare, & utriusq; commodis, æquo & pari Iure, prospicere non desinam. Caput ego, Illa Corpus. Pastoris ego Officium; Gregis Illa Similitudinem gerit. Deum testor, & vos meminisse volo, Christianum esse me Principem. Proindè nolo mihi Vitio verti*, me non unius Uxoris Virum; aut Portentum Naturæ; & Bicorporem esse; Quod contingeret, si Scotia & Anglia, discretis nominibus, distinctis finibus adhuc censerentur. *Sed obstabunt huic laudabili Instituto nostro, quorundam Inscitia Reip:; Aliorum Malitia; qui honestis Consilijs, justisquè factis, se intelligunt, ea quæ volunt consequi non posse, turbatâ Rep: assequi se posse arbitrantur. Hi Legibus, Moribus, Institutis, Privilegijs, Implacabili Odio, & omni Vitæ Cultu, ita dissentire duas gentes differunt, ut in unam vitæ Societatem coire non possent. Ego nullo rerum mearum respectu, nec Ambitionis, nec Potentiæ, sed perpetuæ Concordiæ studio, Scotos Anglis conjungere opto; nè in duas partes distrahar*, inter Natale, & Avitum Regnum. *Lege divinâ, & communi Iure gentium sancitum est, utriusquè Regni Ius summum penès me esse; atquè omnium quæ vobis cara, atquè ampla sunt, Patrocinium. Quarè ut Vetera Privilegia, & Instituta, omnia omnibus, Paria Paribus respondeant, Principali Auctoritate efficiam*. Atquè hæc Naturâ cohærentia Membra Paralysi divelli citius, & distrahi sinam, quàm Natalem Scotiam ab Avitâ meâ Angliâ rursùs disjungi. *Odia etiam inter alias gentes non minora intercessisse, observavi; quæ Connubijs, Cognationibus, Affinitatibus, & Mutuis Officijs penitùs sopita sunt*. Hæc & hujusmodi cum pro Unione disseruisset, commemoravit & Cætera Numinis beneficia; Numerosam Sobolem, Ornamentum, & Munimentum Imperij in Præsens; Subsi-

1603. dium Principatus, in futurum. Deindè, potentissimam, ac ferè solam, fruendi perpetuâ Pace, Concordiâ, Securitate, Sobole, rationem esse, suam Religioni ac veræ Pietati dignitatem restituere; Instauratæ Cultores alere, ac fovere; *Adversarum Partium Sectatores, Scilicet Purioris Religionis Vindices, Regibus invisos infensosquè; ac Pontificem Romanum, Arbitrium rerum humanarum, Sacrosancta Potestatis pretextu, sibi vendicantem, & Pontificios, paulatim deprimere.* Hîc multa disseruit, de Tranquillâ Emendatione Ecclesiæ Romanæ, tàm præclarè Fundatæ; veteris Ævi Institutis, de Clero; Variâ Indole Papanorum. Addebat id, quod Plerisquè Civilis ac Moderati animi Indicium videbatur, *Romanam Ecclesiam, Caterarum Matrem; sed multis Erroribus, ac falsâ Superstitione contaminatam, corruptis vitiatisquè humoribus fœdam & maculosam agnoscere; sanctissimorum Virorum arbitratu emendari, & pristina dignitati restitui cupere; omnibus Caremonijs ad rationem, aquitatemquè revocatis; ut inclinata jam, & propè collapsa Religio erigatur; ac de universâ Ecclesia curatione, communibus Consilijs deliberetur.* Quare velle se, *graves illos, & inveteratos, & propè desperatos Morbos, quibus affecta, atquè afflicta est Ecclesia, indicatis Remedijs, curare; ut Veteris Disciplina fundamenta instaurentur, deletis omnibus Maculis, restituatur Salutaris Doctrina; & Consuetudo depravata Caremoniarum* emendetur. Ad hæc, in Ecclesiâ Romanâ, duo hominum genera versari, *Clerum, ac Laicos; Illum semper turbidum, Edictu coërcitum. Hos autem imbidos,* Romanæ Ecclesiæ Judicio, constantiâ Morum, hærentes, à Semitâ Erroris revocandos; *Aut homines Scelere contaminatissimos, Novos Motus, Mutationesquè molientes,* vinculis, Carceribus, Supplicijs excruciandos.

Postremò, *Tertiam Comitiorum habendorum Causam* ostendit; *Consilium ferendarum Legum, & exsequendarum, publica Vtilitatis causâ.* In ferendis legibus, Salutem Civium supremam omni respectu chariorem fore professus est. Regum & Tyrannorum diversam Sortem; Quibus præcipua rerum ad Tutelam, & Curatelam Reip: ac alienas utilitates dirigenda. Non expedire Pôpulo, infinitum Legum Cumulum coarcervari. Indè *ad Iudices conversùs*, monuit, ne gloriæ loco ponerent, Magnos, statosquè Reditus ex Foro, ac quæstuosam Eloquentiam; sed Acres, ac diligentes Animadversores Vitiorum se in Judicijs præberent; *ac sinè Amore, sinè Cupiditate; rursùs sinè Odio, sinè Invidiâ, castè, integrèque judicarent.* Famam in Posteros, Præmium Eloquentiæ cogitarent. Equidem inquit Muneri meo non deero; monebo; Curam, Consilium, Vigilantiam præstabo, in rationibus vestri Officij, à vobis reposcendis. Ita de Tribus, quæ proposuit, dixit. Adjecitquè, *locupletatis tàm multis sumptibus suis, Pecuniam Publicam profusam; datisquè tot Muneribus publicis, & privatis, exhaustum Ærarium; & Cupiditati acrius exposcentium nondùm satisfactum.* Amorem Procerum, & Civium, Impendio isto quæsitum; nullum Impendij genus dignius, quàm quod erogatur in benè merentes. Excusavitquè, se in collocandis beneficijs, Importunitatem sæpius, quàm Merita hominum, secutum; & posteà *in Liberalitate Modum* ac Rationem pollicitus est.

Finitâ Oratione, Universi repentino maximòque Consensu, ei, Sobolique Imperium detulerunt, Precantes, *nunc Imperium ubi esset, ibi ut sit perpetuum.* Mirum, quantâ Concordiâ, quantusquè Consensus omnium Ordinum contigit, mandantibus cunctis Imperium ei, Domuiquè ejus; longamquè vitam, & longam gloriam precantibus. *His Comitijs* Salutares Leges latæ, ad conservandam Regis Regniquè perpetuam fælicitatem. Convenit, ut Oblivio Injuriarum, & Veterum Inimicitiarum, inter duo Regna sanciretur; Omnes leges, *hostili Odio lata*, unâ lege abrogarentur. Fines Imperij Britannici, non Montibus, aut fluminibus, sed immenso Oceano circumscriberentur; diligenturquè Viri integerrimi, utriusquè gentis, qui duo Regna indissolubili vinculo conjungerent. *Magiam*, infamem Incantationibus, Carminibus, ac Immundorum Spirituum Commercijs inauspicatam, *Ordines Regni exterminant*; execranturquè *Mathematicos, Genethliacos, Astrologosq.*, ex Siderum positu futura prædicentes; vel similes Divinandi Conjecturas sectantes, Capitali pænâ coercent. Nec non ad Ecclesiæ Tranquillitatem tuendam, *& Audaciam Pontificiorum comprimendam, Regina Elizabetha Edicta in eos, publico Decreto, confirmant.* Nec de novo acriores leges ullas condunt; nec graviores *Mulctas* decernunt. *Rem Nauticam, & Agriculturam*, ingentibus præmijs augent. *Errones, Vagos, & desides*, paribus pænis compescunt.

Leges hostica abolita.

Indè *Affluentia Annona* addidit Principi gloriam, qui pro caterâ suâ benignitate, legem *Primo Anno Elizabetha* latam, universo Ecclesiastico Ordini damnosam, penitùs sustulit; *quâ Episcoporum, & Archiepiscoporum fundos, ultrà* XXI *Annorum terminum locari vetuit; nisi Regina & Successoribus.* Aulici Spem crescendi ex hâc exceptione conceperunt; *Fundis omnibus Sacris subiantes*: nisi Prudentissimus *Princeps*, eorum Cupiditati, summo Ecclesiæ bono, maturè obviam ivisset; & id periculum, Ordinum Decreto, prævenisset. Quæ res magnam ei laudem Benignitatis & Munificentiæ in Ecclesiam peperit.

Ecclesiasticos securos, Laicos Illustriores fecit. Nobilium rectos, ac vividos animos non contudit, sed extulit. *Eduardum Dnenum*, Illustrem Equitem, veteri More, *in Baronum Consessum* scripto adscivit. *Henricum Havartum, Comitis Surria, lesa Majestatis convicti, Filium, Northamptonia Comitis splendore decoravit*; & in Curâ Oræ Maritimæ, in *Cobbams* locum, suffecit. *Thomam Sacuillium, Baronem Bucburstium, sanctioris ærarij Quastorem, Dorsetta Comitem creavit.* Qui pro beneficijs, & Industriæ præmijs quotidiana Officia præstiterunt.

Exitu Anni hujus, *Hasticum Ludum*, honori suo institutum, in Porticu Candidæ Aulæ, studiosissimè

spectavit,

ſpectavit, & Certantium quemquè humaniſſimis verbis honoravit. Ubi, *acceptâ ætatis Excuſatione*, 1603. *ab Henrico Leo, Equite emerito*, Provinciam ejus *Haſticis Ludis præſidendi*, *Georgio Cumbriæ Comiti* demandavit; qui Victoriæ veram ac ſolidam gloriam, Armis reportavit. Ludis verò dimiſſis, omnes tendunt ad *Regem*, continguntquè Dextram Oſculo. Exteræ Provinciæ, diem quo primùm ad Regnum venit, Initium Anni crediderunt; quia Communi gentium Conſuetudine, *Annus Calendis Ianuarij inchoatur. Sed Supputatione Anglicâ*, 25 *Martij*. Perſuadendum igitur Exteris, Illum diem Principium Anni fuiſſe, antequàm Regni.

Dum hæc in *Britanniâ* geruntur, *Fredericus Spinola, Octo Triremium Claſſe, cui impoſuerat Tria ſclopettariorum Millia, Oſtendam petit*, ut ex utrâque parte fauces Portus teneret, Commeatus invehi impediret, deſperationem Obſeſſis præberet. Id Inceptum ejus, cum duæ hoſtium Triremes, *Dodracenâ unâ, Mattiacâ alterâ*, in ſpeculis collocatæ, vidiſſent, Naves, quæ Præſidio erant Maritimæ oræ, repentè Signo Tormentorum Tonitribus dato, excitant, Iſtæ celeriter concurrunt, & *Baticam Claſſem*, ſuperantem Arenas circumſiſtunt; Quas ut conſpexêre *Iberi*, duæ *Spinolæ Triremes*, ſummâ velocitate in Latera Navis *Iodoci Mori* invectæ ſunt: reliquarum aliæ *Logeri Petri Navim*; Aliæ *Dodracenam, & Mattiacam Triremes* circumſiſtunt. *Batavi* haud cunctanter reſiſtunt. Primo concurſu, *Iberi Dodracenam*, puppibus religatam, penè in altum extraxêre. Sed pulſu Remorum, prælantium clamore, ſtrepituquè Tormentorum, in littore *Batavorum* exaudito, dilecto Milite impoſito, conſcendêre naves properè, acriori Vento adjuti *ſuis* Spem, *hoſtibus* terrorem præbuerunt. Jamquè in *Triremes Baticas* impetus eſt factus; atroxquè prælium, cum multorum utrinquè Cæde redintegratum. Sed acrius, quàm conſtantius prælium inierunt *Iberi*; Quippè in *Prætoriâ Trireme* Telis obruti propugnatores, inter quos *Fredericus Spinola*, impigrè pugnans, globo trajectus interficitur. Hinc animus crevit *Batavis*. Triremes, tàm multis hoſtium Navibus à Littore venientibus, *Sluſæ Portum repetiverunt*. Confeſtim *Batavi* laceram hoſtium *Claſſem* inſecuti, Portum intrare non potuerunt; ancipitibus Telis ſubmoti, aliquot ex ſuis amiſſis, & in his *Dodracenæ Triremis Præfecto*, Victores revertuntur.

Dum hæc Mari aguntur, *Oſtendæ* oppugnatio haud ſegnior erat. Utrinquè ſummâ vi muniunt, quæ ruinis ſtrata erant; & pugnant circà Opera, ac Machinas. nunquàm major ardor, & vehementior Contentio. Ipſe *Archidux*, animo, Conſilio, Corpore hortator aderat; Animos Obſidentium Spe Præmiorum accendebat. Dimerſis Molibus, Oſtium Portus obſtruebat, quem Oceanus inhorreſcens, quaſi Spem ferens Obſeſſis, aperiebat. Tandem, ne quid inexpertum omitteret, Novi Operis molem orſus eſt, imminentem Oſtio fluminis; collatiſque eò Quatuor Tormentis, adempturum ſe Portus uſum *Batavis* putavit. Sed æſtus Pelagi ſævientis, Molitionibus omnibus obſtitit. Quantum ſanguinis in urbe fuſum ſit, hinc exiſtimari poteſt; quod *Cadaverum Tabe, infecta humus, gravem Peſtilentiam attulit*. Quâ non modò *gregarij Milites* abſumpti, *ſed Tribuni, Centurioneſquè* conflictati.

Inter hæc, *Mauritius*, ut *Oſtendani feſſi peſtilentiâ*, Prælijs Operibuſquè per aliquot dies quietem haberent, *Silvam Ducis vineis, Aggeribuſquè iterùm obſedit.* Partito Exercitu, *Comes Erneſtus* ex alterâ parte inſtitit Tormentis. In urbe omnia inſtructa, & parata ad Oppugnationem arcendam; quam non *Hiſpani milites, ſed Oppidani* tutabantur. *Archidux*, auditâ Oppugnatione urbis, Præſidiarijs vacuæ, feſtinat ad Opem ferendam. Stationibus ad Cuſtodiam Munimentorum relictis, Ipſe cum cætero Exercitu, ad *Silvam ducis* pervenit. Haud procul Urbis Muris, Caſtra poſuit; Vallum circumjecit; & diſpoſitis idoneis locis Tormentis, Munimenta hoſtium, Prælijs & Operibus laceſſivit. Crebra ibi Prælia, & non incruenta; magno utrinquè ardore gloriæ, inita; ſed *majore Hiſpanorum pernicie*. *Caſtra caſtris collata.* *Oſtendanos* recreavit repentina *Archiducis* Profectio; qui non Noctu, non Interdiu ab Opere ceſſaverant; ut ruinas reficerent. *Mauritius* oppugnandæ Urbis viam non cernens, tàm propinquis hoſtibus, ſolutâ rurſùs Obſidione, *Bataviam* redit; operæ pretium ratus, quod *Oſtendani milites*, hâc æſtate, Quietem habuiſſent. *Ita domitor ille tot Urbium, ab unius Oppidi Muris his abſceſſit*; veritus ne circà Muros unius Urbis hæreret, Majorum rerum Opportunitate amiſsâ.

Archidux Perfidiæ, Crudelitatis, & Sceleris pœnas à Seditioſis militibus expetendas ſtatuit. Gravi in poſterum documento, *Defectores firmati inter ſe Sacramento*, nunc laceſſantes infeſtioribus animis, nunc laceſſiti reſtitêre; ingerentes Probra, & intentantes Cruciatus, Socijs, qui ad mutandam Fidem, Spe Præmiorum, traherentur. Quidam *ipſum Electum* aſpernati, globis, Teliſquè petivêre.

RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER DVODECIMVS.



1604. RINCIPIO Veris, *Rex Diploma ad Scotos misit*, quo Conventûs habendi, ac statuendi de rebus in publicum utilibus, Jus eis fecit, in Congressum Colloquiumquè invitavit; jussitquè ut è *Scotiâ* homines Idoneos, cum Liberis Mandatis, mitterent; *qui duas gentes, in unum velut Corpus unirent*; ac inchoatum Opus absolverent. Nuntiavitquè, si venirent ad Colloquium publicâ Auctoritate instructi, non diffidere omnia conventura. *Comitijs indè ad fanum Ioannis advocatis*, stabiliendæ Unionis causâ, *Proceres* de Veteribus & priscis *Regni Privilegijs* solliciti, & sempiternum Servitutis Jugum veriti, *si Scotia Angliæ subijceretur, aut Anglorum Legibus teneretur*; etiam atquè etiam deliberabant, ne id Consilium capecent, cujus in posterum pœniteret; *crebras frequentesq́; Coitiones in Istmo facere incipiebant*; ne quid in Legibus & Moribus immutetur, summoperè cavebant. Hæc renuntiata Regi cum essent, *Literas, Comitiorum tempore, in Scotiam misit, quibus Privatas Coitiones, & Deliberationes, in fano Ioannis habitas, sibi non placere testatus est; quod ea ad Invidiam suam pertinerent; quasi imminutis Privilegijs, aut Libertate Suffragiorum adempta, vetera Instituta imminueret.* Proceres; non modò à Culpâ, sed etiam à Conscientiæ Suspicione sese expurgant; ac Suspicionem dimovent; pro fide ergà Regem, *Unionem approbant, cum libertate, legibus, & Magistratibus suis.* Convenit, ut *Londini colloquerentur.* Rex diem Edicto promulgavit. *Comites prima Nobilitatis*, & alij viri Illustres, Advocatiquè, Periti Juris Civilis, ad diem indictum profecti sunt. Ex utraque gente Primores congressi, *de Conditionibus Unionis* agere cœperunt. Multis ultrò citròque jactatis rationibus, Disceptatio sinè exitu fuit. Nam *Angli, in futurum cauti, & providi, multa postularunt, quæ salvâ Regni Scotici dignitate concedi non poterant. Scoti quamlibet Calamitatem subituros se potiùs professi sunt, quàm Anglorum leges imponi sibi paterentur.* Rex Apocletos rogavit, *ne Spem Unionis turbare vellent.* In hanc sententiam Apocletorum Principes concesserunt, *sinè Auctoritate Comitiali nihil eorum ratum fore, quæ pepigissent; proindè de unione, nisi in publico Ordinum Conventu, nihil constitui posse. Ibi Procerum & Civium Voluntatem explorari, facile esse, per quos res transigi posset.* Placuit hæc Sententia; & in *Comitijs* res diu agitata. *Proceres Regni & Ecclesiæ*, in Regis sententiam iverunt, *ut Angli Scotiquè nullo discrimine haberentur.* Pleriquè Equestris Ordinis, & Procuratores Civitatum, periti rerum Anglicarum, diversis rationibus permoti, Regis laudabili Proposito, susceptoquè Consilio obluctantur; *Scotis communi Britannorum nomine adæquari ægrè ferentes.* Contrà disserunt. *Hâc Unione plùs amitti, quàm acquiri; Scotos in Regni Societatem, & omnium Fortunarum Communionem asciri. Angliam Regnum Nobilissimum, Augustissimumquè, Necessitate nullâ cogente, nec publicâ utilitate suadente, Britanniam fieri, mutatis Moribus, Ritibus, & Ceremonijs; hâc* Regnorum Unione, *utriusq́; Populi leges, Iura, & Privilegia antiqua abrogari; Amplitudinem, Majestatemq́; Nominis Anglici imminui; Prærogativam Sedendi, & Præeundi amitti; Regnum hoc Angliæ, florens Opportunitate fluminum, Ubertate Agrorum, Scotiæ inopi Ieiunoq́; Solo adijci; Regiâ Stirpe extinctâ, ita ut non Scoti Anglorum, sed Angli Scotorum Imperio accederent; Regni fasces, Præfecturas togatas, & Militares amitterent.* His Conditionibus melius dividi, quàm communicari Imperium, Periti Juris coalescere non posse Regna disserebant; *Nisi Scoti leges, Consuetudinesq́; abrogarent; Anglorum assuescerent legibus atquè Institutis.* Ita unius Corporis futuros membra; & de omnibus rebus facilius posteà consensuros. Levissimi quique, *morituros affirmabant se citiùs, quàm immissi Scotis, Nomen, dignitatem, Mores, Legesq́; amitterent.* Crebras frequentesque Coitiones facere incipiebant. Ausus est quidam Nomine *Piggotus*, convitiandi animo, in Scoticæ gentis Contumeliam, multa temerè effutire; quæ rerum indignitas, nequaquàm referre sinit. Tota Oratio Convitijs Scotorum consumpta est. *Thomas Cragius*, Comitate ingenij, facundiâ forensi, Literaturâque præstans, *Apologiam Patriæ, Anti Pigotum inscripsit*; in quâ *Paupertatem Agri, non Gentis Vitium esse respondet. Scotos in duriore Solo educatos, Temperamento corporis esse salubriore; & ad omnem Militarem Patientiam aptiore. Pauperes illos, & omnium rerum egenos, de Opulentis hostibus multas præclaras Victorias retulisse. Scotiam nunquàm Angliæ Regno Vectigalem; nisi fraude Balioli: Qui ideò Regno exactus fuit. Scotorum Reges, Angliæ Regum, Cumbriæ, & Northumbriæ ergo, Beneficiarios; sicut Anglos Francorum, Aquitaniæ, & Normaniæ causâ; nullâ bellicosissimæ*

gentis

gentis Ignominiâ. Liber supprimi jussus, ne Irritamentum Invidiæ inter coalescentes gentes foret. 1604.
Pigotus, pro inconsultâ Dicacitate, *Londinensis Arcis brevi Custodiâ coërcitus est.* Indè *Edwinus Sandesius*, Equestris Ordinis, doctrinâ, Prudentiâ, & virtute clarus, Nobilitatem cohortando, acri & invidiosâ Oratione, excivit; *ut meminissent in manibus suis positam Regni Anglici, & Salutem, & Dignitatem; Leges, Libertatem, Patriam tuerentur.* Indè disseruit, *ex hâc Regnorum Conjunctione nullum Emolumentum, nullum fructum, nullam Potentiam Angliæ accessuram; præter Incrementum Inopum Subditorum: Metuendumq́, ne Scoti, relictis Montibus, & Solitudinibus suis, in fecundissimum hoc Solum, velut Examina Apium immigrent; Ne rerum Anglicarum rudes & imperiti, summos in Rep: honores adipiscantur; Ne Angli, nihil clausum, seperatumvè ab inopi gente, possiderent; Patriam nobilissimam, charissimamquè Vectigall quondam Scotiæ subijcerent. Quarè Deus*, inquit, *immortalis, hodiè, in manibus vestris posuit*, sit ne Anglia, vel non sit. *Nihil à Sacra Majestate optamus aliud*, quàm ut Angli simus, qui à Septingentis Annis fuimus, in magnâ Vicinarum gentium Celebritate, & famâ. *Succurrite omnes, qui aut Regnum, aut Nomen demq́, nostrum salvum esse vultis. Etenim quid Spei melioris nobis portendi potest, si duæ gentes, sicut in unum Arbitrium; Ita in unam Ditionem coalescant?* Prudentiores contrà, multum se mirari disserebant, Cur, quod tantoperè Majores ardentibus Votis expetissent, gentes Connubijs, & Germanâ mentis Consensione consociare, Temporibus *Henrici Tertij, Septimi, Octavi; & Eduardi sexti*; nunc id cum *Iacobi Auspicijs offeratur ultrò*, majore id studio impedirent, quàm Patres anteà postulaverant. *Fastidium hoc Unionis Posteris calamitosum, Exteris jucundum, ingenti mox Incendio arsuris, nisi Unionem Angliæ & Scotiæ impedirent.* Scotos, si Civium numero censeantur, Corpori & Sanguini suo non parcituros, pro Salute, & gloriâ, cæterisquè Commodis Regni hujus. Ad hæc *Scotiam cum Angliâ haud quaquàm comparandam Magnitudine Imperij, Cœli, & Soli salubritate, Militum numero, Multitudine Civium, aut Opibus, Bellivè apparatu; sed Claritate Regum antiquorum; Vetustâ gloriâ gentis; Robore corporum; Patientiâ militum, Parem, aut penè superiorem.* Ibi *Milites sinè stipendijs militare; Stipendium sine Tributo constitutum; cum Scoti, Edicto Regio, Militiæ munere fungantur; apud nos Stipendium Miles de publico accipiat.* Tandem, cum de utilitate publicâ, & communi *Britanniæ*, Civiumquè omnium fælicitate, quæ hanc *Regnorum Conjunctionem* secutura esset, disseruissent; monuissentquè, *si Corpus unum, & Consilium totius Britanniæ esset; Scotiam, & Circumjectas Insulas, Anglorum Imperio brevi accessuras; sicut Minora flumina Majoribus; Ista, Oceano; Veteri Britanniæ repetito Nomine, Anglici Nominis Amplitudini, Celebritatiq́, nullum Præjudicium fieri.* Hortabantur deniquè, ut Fratres inter se essent, ut *Sabrina, Tamisis, Humber, Bodotria, Glotta, Tajus, unius Alvei Fluvij crederentur. ut Religione, Voluntate, Militiâ, Cohortibus jungerentur; qui ita divinitùs unanimes facti, pro Britannia salute, sinè discrimine viverent, morerenturquè.* Quicquid in Unione Rex vult, Proceres Ecclesiæ aut Regni dicunt, *displicuit id Equestri Ordini, & Procuratoribus Civitatum.* Aliorum Temeritas, Aliorum Pravitas, impedimento fuit. Par gloria *Iacobi Regis, sivè coaluerint posteà Subditi, sivè non coaluerint.* Illæ undæ *Comitiorum* cum quodam quasi æstu effervescerent, *Rex* primùm *Comitia ad Tertium Octobris diffisa esse jussit.* Deindè, quod sui Juris erat, pro potestate edixit. *Placere, abrogato Scotiæ & Angliæ Nomine, totam Insulam Britanniam dici: velut Illustriore Nomine.* Quicquid *Pigotus, & Sandesius*, cum suis astipulatoribus, contrà argutarentur; *Epistolis, Edictis, Concionibus; Magnæ Britanniæ Titulum præponi ordinavit. Cambris* jucundum erat, Universæ Insulæ nomen à se dari. Hinc *Nummi Argentei, & Aurei cusi, cum Effigie Magnæ Britanniæ Regis*; ac Inscriptione tali. *Quæ Deus conjunxit, Nemo separet. Tueatur Unita Deus. Faciam eos in gentem unam. Henricus Rosas, Regna Iacobus.* De hâc Conjunctione, Carmine succincto, præfatus est eleganter *nostri sæculi Poeta*, cujus Nomen quia subijcere non potui, Carmen subjeci.

Cum *triplici fulvum* conjunge *Leone Leonem*,
Ut varias *Atavus* junxerat antè *Rosas*.
Majus opus, *varios* sinè pugnâ *unire Leones*;
Sanguine quàm *varias consociasse Rosas.*

Infectâ Unione Scotorum Apocleti dimissi, antequàm digrederentur, Regem suppliciter obtestati sunt, *Mentionem Unionis non ampliùs* facere; affirmantes, *Anglos id ultrò mox quæsituros*, quod datum, & oblatum fastidirent.

Quia Subditorum animos, Voluntates, & studia, sinè Comitiali Auctoritate, in Consortio, & Societate Unius Regni, connectere non potuit; rerum Divinarum habuit curam; Conditionem Ecclesiæ pacatam, Edicto, reddidit; & unanimem Consensum in Cultu Numinis, per *Citeriorem Britanniam*, fælicissimè effecit. In *Ulteriore, Synodum Abredoniæ habitam*, infrequenti Ministrorum Cætu, *Edicto inhibuit.* Auspicijs enim *Præsulum, non Ministrorum*, Ecclesiam administrari oportere judicavit. Cum *Auctoritas Regis nihil moveret*, Alex: *Stratonus Laurestonus*, eques Nobilis, & *Apocletus Regius*, *dimittere Synodum, abire ex urbe, atq́, Provinciâ jussit.* Pertinaciâ crescente magis magisquè; *posito Pallio malleum arripuit, Templiq́, Foribus, ubi congregabantur, inflixit; domos suas repetere coegit.* Ministri, quoniam non cesserunt Regis Auctoritati, nisi coacti, *in Crimen Majestatis* inciderunt, ac *Eunuchi* damnati, ut suo tempore referam. Posteà *una Anglis & Scotis de rebus divinis Sententia, eadem Mens, & Oratio*; Pravorum & Contumacium *Ministrorum obsepta ora, frenataquè lingua.* Quippè Princeps,

1604. *Catharorum* injuriâ Indignitatequè sæpè lacessitus, in *Britanniâ ad suum Arbitrium revocavit Ritus Sacrorum*; penes eundem, Præsulum Consensu, *Sacra, & Civilis Iurisdictio*; exemplis *Noe, Melchisedeci, Mosis, & Iobi*; penès quos Sacrorum, & Reip: curam fuisse, in Divinis Libris legimus. Apud *Romanos*, Publica Sacra per ipsos Reges factitata erant. Proindè exactis Regibus, *Regem Sacrorum* crearunt; ne Mutatio Reip: Religioni officeret; cujus semper prima erat Cura. Hoc Institutum *Athenis* quoquè usurpatum. *Romanorum* etiam *Imperatorum* tempore, ad *Augustos* translatum, *ut ijdem Pontifices essent*. Omnium primùm, *Moses*, veteri More mutato, *Aaroni fratri Sacrorum Curam commendavit*. Primus inter *Christianos Imperatores, Hongrius, Augustus, rerum Divinarum Potestatem Præsulibus reliquit*. Rerum Sacrarum Cura, Spem apud omnes Ordines, & gloriam Regis excitavit. *Clerum* existimavit, Defensorem Auctoritatis suæ; *Proceres*, studiosum Nobilitatis; *Plebs* non alienum à suis Commodis.

Quoniam *Comitiorum* est mentio facta, eorum Originem est operæpretium cognoscere. à quo instituta fuerint in *Citeriore Britanniâ* affirmare non audeo. Plerique ab *Henrico* a primùm inchoata opinantur. Quantum verò horum Auctoritas fuerit, in legibus ferendis, abrogandis, interpretandis, in rebus novis constituendis; deniquè in omnibus publicis Negotijs, nemo in Rep: vel mediocriter versatus, ignorat. Quid enim majus est, si de Jure quærimus, quàm omnia publica & privata Instituta confirmare, vel rescindere? Leges non Jure rogatas abrogare? Nihil domi, nihil Militiæ gestum, *sinè Comitiorum Auctoritate*, posse cuiquam probari.

His Comitijs, inter *Ioannem Fortescutum*, Senatorij Ordinis, majorem ætate ac dignitate, & *Franciscum Goduinium*, Equitem Illustrem, *de Iure praeundi Contentio orta*. Res parua dictu; sed quæ studijs in magnum Certamen exarsit. *Fortescutus*, leniter agendo, primum locum tenere, pro dignitate Senatus, voluit. Equestris Ordo *Goduinium Collegam*, Suffragijs Populi primùm electum, priorem Tempore, potiorem Jure, defendebat. Quidam, Charitate Reip:, *Goduinium* multis precibus orabant, *ut & ætati, & Ordini Fortescuti primum locum concederet: Nevè Comitia vano certamine turbaret*. Ille acrius accensus, Invitum se contendere respondebat; & extorqueri sibi Populi beneficium, voluntate suâ non passurum; nihilquè quod se indignum esset facturum, undè libertati Suffragiorum, Plebis periculum foret. Cum vinci se precibus non pateretur, tandem Ambitu Suffragiorum suspecto prævaluit *Fortescutus*, Auctoritate Principis; cui rei Arbitrium permissum. *Goduinius abdicavit se Suffragio Comitiali*, & Civitate cessit.

Per eosdem dies, *Rex* prudens moderandi, cum Primoribus Equitum, & Civium Procuratoribus secretò congressus, sapientibus Sententijs, gravibusquè verbis, ab Obstinatione deducere frustrà conatus est; qui ne tum quidem Sententiâ moti, à Regis Colloquio ita digressi sunt, ut præ se ferrent, *Vnionem sibi non placere*. Cum Pertinacia *Equitum*, & prava studia Plebejorum, *Vnionem* impedirent; & Obstinationem cerneret indies cresceret, Sacrosanctam Comitiorum Auctoritatem sensim enervare, absolutâ potestate non tentavit; sed cum tàm obstinatâ Pertinaciâ, Prudentiâ, & Virtute certavit; *ut Corpus unum, & Consilium totius Britanniæ esset*.

His Curis intermissis, ad Ludum, & Quietem, aliquot dies sumpsit; præsertim cum invitaret æstivi Temporis suavitas. Cum in hoc statu *res Britannica* essent, *Ioannes Velascus*, Magister Equitum, apud Castulonenses, *Decreto Philippi regis*, cum liberis Mandatis, & ingenti Procerum agmine, *in Britanniam missus*, ut Pax, si posset, æquis; si minùs, tolerandis Conditionibus, æterna esset. Huic additus *Rovedius quidam, Iurisconsultus Mediolanensis*, ad Juris Controversias, sicubi opus esset, disceptandas. Priusquàm digrederetur ab *Hispaniâ* documentum humanorum Casuum accepit, *filium unicum, Hari Comitem*, familiæquè hæredem amisit. Sed privata Calamitas susceptam legationem non retardavit. Indè in *Belgium* progressus, ac paucos ibi moratus dies, quasi adversâ Valetudine correptus, sivè Cunctatione insitâ genti, aut aliâ re impeditus, paulisper per Internuntios, Cunctatio fuit. Ubi colloquerentur, facilè persuasum est, *ut in Angliâ congrederentur, cum Iberi peterent Colloquium*. Undè apparuit nequaquam, ex dignitate pari, congredi. *Castulonensis* Pacis avidus, ne negotium publicum, ad quod domo missus erat, inutili Cunctatione impediret, *Ioannem Taxium, Villa mediana Comitem*, jam antè legatione functum, & *Alexandrum Rovedium, Senatorem Mediolanensem*, per quos æquè res transigi posset, ad petendam, ac paciscendam Pacem substituit; & quæ cum *Britannia Rege* pepigissent, rata fore Auctoritate *Philippi Regis* spospondit; nuntiavitquè, si satis commodè valeret, non fuisse dilaturum Congressum, ubi primùm posset, venturum. *Albertus* deindè *Archidux Austria*, legatos misit, *Carolum Arenbergij Comitem*, qui paulò antè Legatus fuerat; *Ioannem Ricardotum, Præsidem Consilij*, virum excelli animi; *Kalovicum Verrecenum, ab Epistolis*, ut deliberare de Statu rerum possent, & explorare Regis animum. Qui veniendi in Colloquium potestatem petierunt. Aderant *Batavorum Oratores*, ad visendas res, Pacemquè, si possent, turbandam; Sociorum causam negligi querentes; Quietuimquè aliquamdiu à bello Philippum, colligendis in Pace Opibus intentum fore; quibus, capta mox Occasione, ad bellum de integro uteretur. *Batavorum Querelas negligi satis apparuit*. Legati, præmissis qui nuntiarent regi venturos; sed *Batavos*, ne à Legatis violandis abstinere, Insidias traijcientibus struxisse; *Gulielmum Monsonium* Equitem strenuum, *Freti Britannici Præfectum, ut præsidio esset Legatis, misit*. Qui protinùs *Dorobernium* appulere, & *Londinum* ad Regem

1604. ad Regem venerunt. Primi *Hispani legati in* Curiam introducti sunt; factâque dicendi Potestate, *Rovedius*, qui Eloquentiâ præstare visus est, ita verba fecit. *Serenissima Regia Majestas, Postquàm, ita volente Deo, jussus fui ad hanc amplissimam Civitatem accedere, ut inter alios (licet, nec Ingenio, nec Cæteris animi Dotibus admodùm felix) huic gravissimo Negotio, in quo de percutiendo Fœdere, inter Christiani Orbis potentissimos Principes, agitur, incumberem; rem mihi jucundissimam accidisse animadverti; tum eâ ratione, ne illud Sanctissimum Opus, ad quod me Divinum Numen vocabat, subterfugerem; tum ut V.R. Ma: Regem Trium Regnorum dominatu amplissimum, & Principem Iustitiâ, æquitate, admirabiliq; humanitate, cæterisq; omnibus Regijs Virtutibus Clarissimum intuerer, eiq; pro Viribus meis inservire possem. Hæc enim, quæ verè Regia sunt Ornamenta, sicuti Potentissimum Regem Hispaniarum, Dominum meum, ita devinxerunt, ut nullum Officium prætermittat, quo benevolentiam suam ergà Principem, sibi Necessitudine, ac Antiquo Amicitiæ vinculo conjunctissimum, significare valeat: Ita omnes, & quosquè, licet Terrâ Mariq; disjunctissimos, cogunt & impellunt, ut R: V: M: summâ cum admiratione colant, & venerentur. Itaquè S. V. M. me, si non aliâ ratione, saltem ob Singularem animi mei Propensionem, quâ ad rem gravissimam accedo, Regiâ Benevolentiâ non indignum, inter humillimos suos Servos recipere dignetur. Vnum quod ego præstare possum, ingenuè polliceor, (Deum, qui scrutator Cordium est, in testem invoco) earum, quæ in me non elucent, virtutum defectum, eximia Fides, sincerum studium, & optima ac sinè Fuco voluntas, egregiè compensabit.* Ad hæc ita respondit *Iacobus; Adventus tuus mihi gratissimus; cùm ob egregiam tuam Virtutem; tùm ob Pacis studium, maximum totius Christiani Orbis beneficium. Faxit Deus, ut tàm laudabile Susceptum Propositum, suum quàm citissimò sortiatur effectum.* Addidit, *ad gloriam, Nominisq; sui Amplitudinem pertinere, publicæ Orbis Christiani Paci & Tranquillitati consulere.* Postero die Senatus fuit; *Legatiq; Archiducis* auditi sunt. Quibus responsum, *Placere Regi Pacem fieri.* Legatis *Baticis* omnes honores habiti, qui haberi potuerant. Ædes liberæ hospitio datæ; Sumptusque decretus; donec in *Britanniâ* essent. Colloquium non fuit dilatum; Selectiquè Clarissimi Proceres Primæ Nobilitatis, *Dorsettensis Comes*, Supremus Angliæ Quæstor; *Nottinghamius*, Præfectus Maris; *Devonius*, Hiberniæ prorex; *Northamptonius*, Quinquè Portium Maritimorum Custos; & *Cæcilius*, ab epistolis, eâ tempestate *Baro de Essingdan*; Quibus arbitrium Pacis permissum. In *Somersettensi Palatio*, ut colloquerentur congredi jussi. Die insequenti, ad hoc Colloquium utrinquè ventum est. *Rovedius* in Pacis Cogitationem, omnes qui aderant, tali Oratione avertit. *Quo gaudio, quâve animi Iucunditate, Ser: Hispaniarum Rex, Dominus noster, affectus fuerit, Ser: Scotiæ Regis in Angliæ & Hiberniæ Regnum Successione, nullo Officio, vel magis amanter, vel magis apertè declarare potuit, quàm Ornatissimo viro Ill: Co: Villamediana, Ioanne Taxio, omni Celeritate in Angliam misso; qui S. R Ma: de Regni hæreditate, quod fælix faustumq; sit, Nomine suo gratularetur; omnesq; totius Imperij sui Terrâ Mariq; vires, ex animo, ad ejus Commodum & Vtilitatem offerret; fidemq; daret, se nullo in loco, in omnibus rebus, quæ ad illius Dignitatem & Amplitudinem vel augendam, vel confirmandam pertinerent, Officio amantissimi Principis defuturum. Eam Amoris & Benevolentiæ egregiam Significationem, quæ ad antiqua Officia cumulanda accessit, Ser: Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Rex, Legato perbenignè excepto, sibi gratissimam fuisse, præclarè ostendit. Non potuit itaq; mutua hæc, in mittendâ & accipiendâ Legatione, ex insito Naturæ Candore, ac intimo animorum Affectu profecta Humanitas, Divini Numinis beneficio carere. Effecit propterea Ille, in cujus manu Cor Regis est, & qui Montes inclinat, & gladium in Oleum vertit; ut dum Ill: Comes Munere suo fungitur, animum Ser: Angliæ Regis, eorumquè, quorum Consilio utitur, Insignium Virorum, minimè alienum esse perspiceret à sedandis illis discordijs, quæ Vniverso ferè Terrarum Orbi, magno rei Christianæ detrimento, Vastitatem ac exitium intulerunt. Non est aspernatus Ser: Noster Occasionem. Restinctô enim, Morte Reginæ D. Elizabethæ, bellorum Fomite; Nobilissimisq; Angliæ & Hiberniæ Regnis, ad Principem sibi, ac Genitori suo, antiquo Amicitiæ vinculo, conjunctissimum, omnibusquè Regijs Virtutibus florentissimum, & Consiliorum Reginæ nec Auctorem, nec Participem, devolutis; nullâque sibi cum Regnis ipsis, quibus cum suis Hispaniarum Regnis diuturna fuit, & semper fida Societas, Controversiâ existente; Sensit se divinâ Admonitione ad Pacis Consilia incitari. Accessit, ad impellendum animum, Necessitudo quæ Ser: Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Reginæ cum Austriacâ domo intercedit. Tot enim Vincula, quibus Animi Regum conglutinari solent, uno & eodem tempore, non nisi Divinâ Ope conjungi potuerunt: ut tandem aliquandò Quies, & Tranquillitas Christianis Provincijs restitueretur; & Innocentes Populi à tot Calamitatibus, quibus divexati fuerunt, respirarent; cessaretq; horrenda illa, ac Deo abominabilis Christiani Sanguinis, inter Christianos Principes, effusio. Agnovit enim, Præclarissimus Rex Noster, ab eo ipso die, quo ad Hispaniæ Monarchiam (Deo volente) assumptus fuit, vero & Christiano Regi illud Onus impositum esse, ut Christi, à Quo omnis Potestas, fidem amplificare, & sævissimi hostis, divino Numini superbè illudentis, Temeritatem reprimere studeat; eâque ratione, non ad inferendam alicui Injuriam, vel ad Aliena occupanda, ejus Imperio tot Regna, tot Insulas, tantumquè Terrarum Ambitum subjecisse. Indoluit tamen sæpissimè, immeritò lacessitum, Arma illa, quæ Progenitores sui gloriosissimi, & ipse ad amplificandam Servatoris Fidem, in remotissimas Regiones invexerant; & quibus immanissimi Turcæ Superbiam sæpius compresserant, ad propulsandas proprias Injurias divertere: Necessariaq; bella cum his, cum quibus potiùs Amicitiam, ad Christiani Orbis Commodum, colere voluisset, suscipere coactum fuisse: Animi tamen sui Moderationem, ab alieno Abstinentiam, & Pietatem in Deum, recentissima omnibusquè notissima, ad totius Posteritatis insignem Memoriam, Exempla præclarè declararunt. Proptereà in eam facilè eraductus est Sententiam, Divinam voluntatem, quæ haud dubia cernitur, secutus, ut tùm suorum, tùm alterius Carissimi Principis Subditorum Commodum, totiusq; Reip: Christianæ utilitatem, quibuscunq; rebus,*

Responsio Regis.

quæ

1604. quæ contrarium suadere posse viderentur, præferret. Et Cogitatione ad Pacis studium semel traductâ, non satis habuit, prædictum Ill: Comitem Villamedianæ, egregijs Animi dotibus præstantissimum Virum, ad Pacis Tractatum deligere; sed ut animi sui Propensionem magis exprimeret, Fidemquè apud universum Terrarum Orbem faceret, nihil ad Concordiam cum Christianis Principibus firmandam prætermisisse; Ill: Ducem Friæ, Castellæ Connestabilem, ac in Supremo Italiæ Consilio Præsidem; D. Ioannem Velaschium, Singularis Prudentiæ, & eximiæ Pietatis laude Clarissimum Principem, jussit in Angliam trajcere; ut Administer Pietate insignis, rem maximè piam, omni Celeritate conficeret. Is tùm ut Regi suo, ut par est, inserviat; tùm quod nullâ aliâ in re, quæ magis divino Numini accepta sit, operam suam interponere posse existimet, libentissimè Onus suscepit; nec longissimi Itineris difficultates reformidans; nec Asperrimæ hyemis rigorem perhorrescens, (Pietate omnia vincente) in Belgium se contulit; tantoquè rei benè gerendæ desiderio fertur, ut jam ad extremos Flandriæ Fines pervenerit, ut in Angliam transmitteret; Sed superoenienti Invaletudini paulisper cedere cogitur. Cæterùm, ne Opus gravissimum nimiâ Morâ refrigescat, deterioraq; reip: Christianæ sequantur Incommoda, visum ei fuit, ut intereà Ill: Comes, & Ego, ab ipsâ usquè Italiâ, jussu Regio, eâdem de causâ evocatus; de ineundo fœdere inter hosce Christiani Orbis potentissimos Principes, vobiscùm, Nobilissimi Viri, in Nomine domini, à quo omnia bona procedunt, ageremus. Lætamur nos, summas Vices Ser: vestro Principi Deum Opt: Max: contulisse; sed non minori profundimur Iucunditate, quòd pares Imperio obtineat Virtutes. Magna quidem felicitatis est, Regno Scotiæ nobilissima Angliæ & Hiberniæ regna adjecisse; Sed illud splendidissimum arbitramur, si dùm Regna Regnis accedunt, Virtutes semper majus capiunt Incrementum. Propterea de Regni Amplitudine Ser: vestri Regis gaudemus; Sed Iustitiam, Humanitatem, Temperantiam, Cæterasquè Regias omnes Virtutes, quæ in eo mirificè elucent, admiramur. Propterea, non nisi magni Dei beneficio, mutuam hanc, quæ perspicuè cernitur, Propensionem, animis Clarissimorum, in toto Terrarum Orbe, Principum, ingeneratam esse existimamus; ut Sincero Fœdere juncti, Virtute aquè ac Viribus, Regnis Suis certam Securitatem; Populisquè sibi commissis veram Tranquillitatem afferant; & omnibus Christi hostibus, ad Dei (à Quo omnia acceperunt,) gloriam amplificandam, & ad Nominis sui Immortalitatem consequendam, funestum inferant exitium. Magniquè Dei beneficio factum esse putamus, ut Clarissimorum Principum conjunctæ Vires, nedùm eorum Regnis Securitatem; sed omnibus Christi hostibus Votum exitium allaturæ sint. faxit itaquè Deus, ut quod summâ animorum Consensione inchoetur, ad sui Nominis honorem, & gloriam, ad optatum exitum perducatur; & ipse Qui Pacis est Auctor, nostros Conatus, sui Numinis præsentiâ ita juvet, ut rejecto inani Subtilitatum circuitu, evulsâque penitùs ex Animis nostris, vel ex Doctrina Opinione, vel ex Acumine ingenij quæsitæ laudis Ambitione; rem Pondere & Pietate maximam; & sempiterno Merito, quo nihil optabilius, à Divinâ Bonitate compensandam, perficiamus. Nequè nos, per Deum Immortalem, deterreant Impedimenta, quæ fortè injiciunt illi, qui Amplitudini nostrorum Principum invidentes, tantam animorum Conjunctionem exhorrescunt. Mirabiles quidem Elationes Maris; sed Mirabilior in altis dominus. Reges nostros, Divina Clementia arctissimis Amoris, & Benevolentiæ nexibus, invicem colligavit. Pacem, Opus Dei, proponimus, sub cujus suavissimâ Aurâ, Securitas Regnorum conquiescit: quâ vigente, Clementius semper Imperium; intermissa redeunt Commercia; domi forisquè tutissima Quies; Illi bellum funestissimum, Satanæ fructum, cujus Turbine Tranquillitas Provinciarum concutitur; quo flagrante, durior semper, etiam sub bono Principe, Dominatus. Utilissimæ Negotiorum Communicationes intereunt; nihil tutum, nihil securum, sivè ab hoste, sivè ab Amico Milite. Novum Fœdus non percutimus; sed Antiquissimum, & suprà Centum Annorum curriculum, religiosè semper custoditum, renovamus; Non inter ignota Scepera; sed inter ea, quæ suavissimis, & sæpius repetitis inter se Connubijs conjunctissima sunt. Non inter diversas gentes, sed quas Necessaria quædam, & mutua rerum Communicatio, invicem sociavit. Iuvabunt nos Viduarum, Pupillorum, & bonorum omnium ardentissima Vota. Illæ, durante bellorum Incendio, dulcissimis privatæ Pignoribus; Isti, charissimis orbati Parentibus; Cæteri omnes, vel Patriâ ejecti, vel fortunis exuti; Summis precibus, Quibus verissimas admiscent lachrimas; & quæ etiam in quolibet Crudeli homine Pietatem excitare possunt, Pacem, tanquàm Malorum omnium finem, à Deo expostulant. Nos autem Operam nostram sinceram, & omninò candidam pollicemur; Fidemquè nostram Deo, qui scrutator Cordium est, quiquè dolosæ linguæ acerrimus est vindex; & vobis, Nobilissimi Viri, obstringimus; Nihil quod ad rem hanc, secundùm commune desiderium, conficiendam pertineat prætermissuros. Eandem Sententiam vobis stare audivimus; Neq; de Sinceritate vestrâ aliquo modò ambigimus. His tutis præsidijs, Quid timebimus? Si autem acrius urgebunt; Ipse qui Nascens, & in Cælum migrans, Pacem, uti Summum bonum, Mundo dedit, & reliquit, exsurgit in Adjutorium nostrum; & apprehenso Scuto Fortitudinis suæ, Serpentis caput conteret; improbos Zizaniæ Satus convellet; & hostes Pacis in suâ virtute confundet.

In Primo Congressu, de Conditionibus Pacis, ac mutui Commertij agi cæptum est. Fœderi adijci flagitarunt Iberi, Ne Britanni ultrà Æquatorem, aut Promontorium bonæ Spei navigarent. Ne quid in Indijs coemerent. Ne Rebellibus Batavis Commeatum, Frumentum, Salem, Nitrum, Tormenta, globos subveherent. Nec cum ijs rerum Beticarum Mercaturam facerent. Neu Auxilium præstarent. Si qua Navis Britannica ultrà Æquinoctialem deprehenderetur, salvo fœdere, capi posset. aut si qui secùs egissent, eos prehendendi abducendiq; Hispanis Ius esset. Respônderunt Apocleti Britannici, concedere se non posse, quæ peterentur. Postulata cur Iniqua essent, selecti Proceres pluribus rationibus disseruerunt; & publicè noxium ostenderunt, Fœderatorum Quæstuosissimam Mercaturam, Hispanorum tenui & Infructuosâ Negotiatione mutare. Multò etiam iniquius, si recipiatur Conditio, contrà illibatam Libertatem Comertij,

Iure

Iure gentium constitutam. Proindè, Concordiâ res tealescere non posse, nisi utriusquè Indiæ Negotiatione Maritimâ permissâ. Magna ibi non disceptatio modò, sed & Altercatio fuit. Legati ambitiosè arguebant, *Vervinao Fædere id Francis denegatum. Belgis sub Ditione Philippi manentibus haud concessum. Castulonensibus solùm Occidentis, Lusitanis Orientis India, Decreto Alex. Pontificis, Navigationem liberam permissam.* Legati cum multa, amore Pacis, *Britannis* concederent, nihil ægrius concesserunt, & perplexè adeò, Clausulâ generali, *ut & Britanni permissam Navigationem in Terras Novi Orbis acciperent.* Et Iberi non omninò concessam interpretarentur, sinè periculo Capitis, & amissione bonorum. 1604.

Deindè de Fiduciarijs urbibus *Vlessinga, Brillâ, & Castello Ramekino, Elizabetha à Fæderatis Ordinibus, pro belli Sumptibus oppignoratis, & Anglorum Præsidijs insessis, ut soluto ære, Philippo traderentur, à Principibus Legationis Mentio injecta.* Ipsis responsum, *ut Intolerabilibus Postulatis abstinerent, si Pacem vellent.* Regem *neque Iustè, Neque ex dignitate, Neque ex Fide, Vrbes, quæ antiquitùs Iuris ac Ditionis Batavorum fuerant, nisi Fæderatis restituere posse.* Perturbati hoc responso Legati; cum desperassent impetrari posse, nihil aliud petierunt, quàm *ut Socijs atq; Amicis Mare liberum; Portus Maritimos securos à Piratis, Prædonibusquè Batavis præstarent. Tum ut omnes Britannos Auxiliares, qui Mercede apud Belgas militarent, primo quoquè tempore domum revocarent.* Responsum tulêre. *Naves Onerarias, & Actuarias, Negotiandi causâ comparatas, flumina, Stationes, Portus intrantes; Naves item longas, ad belli usum paratas. Sex Numero venientes, vel remeantes, salvas fore; in Oceano Britannico, Socijs & Fæderatis Securitatem sese præstare posse; in Mari immenso non posse; Nequè Præsidia Belgica, quæ liberratis causam defenderent, salvâ fide, & integrâ dignitate, deducere.* Selecti Proceres rogant, priusquàm Fædere obligarentur, *Britannis in Hispaniâ Mercaturam facientibus, sicut Libertatem Commercij abolitâ Tricesimâ rerum Venalium, Portorio Maritimo, nuper indito; Ita Conscientiæ concedi:* quâ sublatâ jacent omnia. conquiri Socios Fideles, Conscientiæ, tanquam Sceleris & Judaicæ Pravitatis causâ, rem per se indignam ostendunt. Hispani, qui Cæremonias, & Religionem Pontificum obstinatis animis tuentur, aversis auribus audierunt. *Metu Legatis injecto, non posse aliter Paci consuli; impetrata Conscientiæ Libertas, sinè Offensione, & Injuriâ.* Ibi cum per aliquot dies secretò locuti essent, quæ acta erant in dies, Proceres ad *Regem*, Oratores ad *Castulonensem* retulerant. *Batavi*, ad res visendas missi, renuntiavêre domum, certa quæ compererant. Tandem actæ sunt *Pacis Conditiones*, omnium Consensu. Finis rei, quia absente Magistro Equitum, imponi non poterat, qui rem integram in Conditionibus Pacis sibi servaverat; Communis Legatio illum in Congressum Colloquiumquè invitavit. Itaquè magnifico apparatu, & multis prosequentibus, *Belgio* digressus, *Regiâ Nave* eximiæ magnitudinis, in *Vallem Dounensem, juxtà Dorobernium* devehitur. Ibi *Taxim & Rovedim* gratulatum veniunt. Navem egresso *Lodovicus Lemnerus Equestris Ordinis* præstò fuit; obviam missus, ut locum publicè pararet, ubi diverteret; *Londinumquè* Regis sumptu perduceret. Ut *Dorobernium* venit, Magistratus obviam exierant. Postero die, cum *Cantuariam* proficisceretur, Vehicula, Jumentaquè præstò erant. Advenienti *Vittoum Baro, gratiosus vitæ Cultu, & elegantiâ Morum insignis*, occurrit. Nihil in honorem ejus, nequè publicè, nequè privatim prætermissum. Epulæ paratæ Opulentiâ & curâ; liberaliter habiti, cultique Comites. *Rex* sumptum omnem præbuit. Magister Equitum discedens, Civitati amplissimis verbis gratias egit. Indè *Vicum, qui Suttenburgum* nuncupatur, accessit. Ibi obvium habuit *Henricum Hovartum, Northamptoniæ Comitem, quem Hispanorum rebus favere satis compertum erat*; & Britannicæ Nobilitatis complures. Præ turbâ occurrentium, prosequentiumquè, congredi vix poterant. Summotâ turbâ, *Castulonensis* omnibus honoribus ab *Havarto* præsens cultus est. Raró alias Legatus tanto honore, tantâque celebritate exceptus; *Lembis Regijs*, adverso *Tamesi*, completis ripis obviam effusâ Multitudine, inspectantibus Illustribus fæminis, *Vicum viridem* primùm, Inde *Londinum* subvectus est. Ibi *à Senatu ac Primoribus Aulæ* officiosissimè invisitur. Quid Epularum Apparatus proferam, cum opulentiâ, & curâ? Aulæa Purpurâ, Auroquè fulgentia? *Pallatium Somersettense* hospitio datum, Choreas, Spectacula? *Serenissima interim Majestas* Venatione Ferarum Sylvestrium se oblectavit; & duos eximiæ magnitudinis *Cervos*, suâ manu confectos, non Adventus modò ejus, sed Amoris etiam Prænuntios, ad Legatos misit. *Rex* Venatione reversus, post paucos dies, Copiam sui fecit *Castulonensi*, datus qui duceret eum *Southamptonius*, Nobilitate, Ingenij famâ, & Auctoritate præstans; ac multi Proceres, Auro ac gemmis fulgentes, *Iberitis, Barbaritis, & Parthenoptis Equis* insignes. *Hispani* Cultu Magnificentiam *Britannorum* æquare non poterant. *Magister Equitum* Curiam ingressus, ad Tribunal Regis perrexit. Concursu Procerum undiquè facto, progredi præ turbâ non poterat, donec *Cubicularius* summovendo iter faceret. Cum veniret in Conspectum Regis, *inclinavit se, consurrexit Rex, progressusq; paulum, Dexteram porrexit, quam Osculo contigit. Indè Augustam salutavit. Dehinc Cambriæ Principem.* Mox ad *Regem* conversus, nonnihil de *Hispani Regis* in eum affectu, fæderisquè insolubili vinculo præfatur; benignè pro Pacis Munere gratias agit. *Rex* ab Amicitiæ commemoratione orsus, quæ cum *Philippo Rege & Patre* intercesserat, *Legatos considere jussit*; ac cum illis de Legatione, gravissimisque Negotijs verba habuit, *Gallico sermone*, Audientibus grata. Hâc mutuâ Benevolentiæ commemoratione, accensi omnes ad studium Pacis. Consilio dimisso, reducendi domum cura *Southamptonio* mandatur. Postero die, *Legati, & selecti Proceres*, de Communi fædere in deliberationem, & Consultationem convenire jussi; ad *Somersettense Palatium*, constitutum locum, venerunt. Salutatio ibi benigna fuit. Positisque sedibus consederunt; quæ acta

1604. anteà relata. Ea *Castulonensis* quoquè ipse comprobavit; & Controversias ex æquo audivit. *De Oppignoratis urbibus, & India Navigatione* disceptatum inter Oratores, & Apocletos. Integra res *ad Regem reijcitur.* Finitâ laboriosâ istâ Concertatione, ad Epulas legati, Proceresquè discesserunt; suo quiquè ordine discubuerunt, Mutuâ Comitate certantes; *Regibusq; Salutem, plenis Potulis, propinantes.* Per eosdem dies sæpius ad Epulas invitatus *Castulonensis*, & summo honore cultus est, quantum res, & Tempus patiebatur. Cum ipse distentus Legationis curis esset, erant jam magnâ ex parte, *Aulicorum Procerum in favorem Iberorum* inclinati animi; cum *Philippi* beneficijs Muneribusquè plerique obligarentur. *Vulgus*, manente adhuc *Odio Baticæ gentis*, minùs propensum. *Rex* haud immemor *publica Cladis Europæ, ab Ottomanico Imperio imminentis*, apud omnes Reges, gentesquè *Pacificatoris Nomen* obtinuit; quia, proposito exemplo *Numæ & Augusti*, reconciliavit æmulos Principes; tumentesquè Populos ratione compescuit; iterùm *Iani fores* occlusit; & hoc *Emblemate* usus est, justis de Causis, *beati Pacifici*; quare Societatem Amicitiamquè cum *Baticâ gente* suasit. Hæc Adhortatio *Regis*, pro Sententiâ valuit. Itaquè Pacis Conditiones scriptæ editæquè sunt, *ut finem belli facerent, Oblivione præteritorum, discordias finirent. Belli Casibus captos ultrò citròque redderent. De Præsidiarijs urbibus, Vlissingâ, Brillâ, & Castello Ramekino solutâ Pecuniâ, Rex Britanniæ, ex fide suâ, & dignitate statueret. Littora, flumina, Stationes, Portus, Hispanis Mercaturam facientibus, & Navalibus Philippi Copijs, quæ non plùs quàm sex Navibus veherentur, præberet. Liberum Commercium in Britanniâ, circumjectisq; Insulis, omnibus qui sub Philippi Ditione essent, permitteret. Ne quam Societatem cum ullo Rege, in Præjudicium hujus fœderis institueret. Nevè Batavos Commeatu, Pecuniâ, Peditatu, Equitatu, Classibus, Socijs Navalibus; neu quâ aliâ Ope, publicâ Auctoritate juvaret.* Idem *Hispani Iacobo Regi*, & ijs qui sub Imperio ejus essent, summâ fide præstarent; *Commercium, salvâ Religione, & Conscientiâ, ac remisso novo Tricesimæ Vectigali, permitterent.* In fœdere non est expressum, *ut Maritimâ India Negotiatione abstinerent; Neq; permissum, ut impunè navigarent.* Opinio erat, non sine fraude factum. Ab *Iacobo Rege* fœderi adscripti sunt, *Rodolphus Imperator; Austriaci omnes, Electores Imperij; ac liberæ Civitates; Duces Lotharingiæ, Allobrogum, Ethruriæ, Germaniæ Principes; Helvetij, Rheti, Veneti; Maritimæ Civitates*, vulgò Anseaticæ; *Reges Francorum Poloniæ, Suetiæ, Daniæ.* à Philippo his adjecti, *Columnij, Vrsini, Duces Parmæ, Mantuæ, Mutinæ, Vrbini, & Lucenses.* Hæ Pacis Conditiones, Sanctissimo Jurejurando firmantur, Deo Immortali interposito, tùm Judice, tùm Teste. *Rex* exornari Sacellum jussit, curâ & opulentiâ; *duo Sedilia modico intervallo posita erant, pro Rege & Castulonensi.* Præsules infulati aderant; Symphoniaci Organistæ concinentes astabant; *Castulonensis à Dorsettensi Quæstore*, in Regiam deductus est. *Britanniæ Proceres* Auro & Argento textili corruscabant. *Desiliens ex Carpento, à Notingamio Præfecto Maris; in gradibus, ab Ereskino, Prætorianorum Præfecto, exceptus; in aditu & limine Cameræ Regiæ*, à Suffolcio Cubiculariorum Principe, & Primariæ Nobilitatis Aulicis, *ad Regem*, prægrandibus gemmis effulgentem introductus est. *Rex, Conjunx, & filius, Cambriæ Princeps*; Legati, Proceres, ornati multo Auro, multisquè gemmis, Antistites infulati, Judices Purpurati, suo quiquè Ordine, ad Sacellum incesserunt. Ibi cum *Rex* & Legati paulùm consedissent, *Cecilius* scriptas Conditiones Pacis, consignatasquè *Regi* tradidit, ut in eas Pacem juberet; & Auctoritate suâ confirmaret. *Rex jussit, ut cum Philippo Rege Pax fieret*; & in fœdus juravit. Mox promiscuè & inconditè Pax inclamatur; Inde per *Præconem* promulgatur. Post modulos Symphoniacorum, ad Regale Epulum disceditur. Pocula ex Auro, gemmis distincta clarissimis, Vasa Vinaria ex solido Auro. Puto nullam Orientis gemmam, aut Margaritam fuisse, quæ non in abaco illo die effulserit. Multo Vino, majoreque Alacritate apparatæ, celebratæquè ejus diei Epulæ sunt. Repetitâ Convivij lætitiâ, *Rex Saluti Isabellæ Hispaniarum Regis filiæ propinavit; & Northamptonium nuntiare Castulonensi jussit, Isabellam Reginam causam funesti belli, & damni extitisse; Isabellam Hispaniæ Principem, perpetuandæ Pacis & Concordiæ, inter Posteros, Occasionem causam fore. Magnam Spem cepisse, ex idoneâ ætate ejus, & Henrici filij.* Castulonensis, Regis Orationem probavit; & dignum prorsus eâ fortunâ *Henricum Principem* prædicavit; protulitquè *Sanisarij Versus, de Partu beatæ Virginis*, quæ peccato Evæ Salutis Remedium adhibuit, majore Emolumento, quàm Illa damno.

Cumquè Caput fuerit, tantorumq; una malorum
Fœmina *principium, lachrimasq; & funera terris*
Intulerit; nunc Auxilium ferat ipsa; modumquè
Quà licet afflictis imponat Fœmina *rebus.*

Nuncupavitq; Vota pro æternitate Imperij, pro Salute Sobolis, Principum familiæ, Austriacæ & Britannicæ. Indè resultant Tecta Cantibus, & Symphonijs. Convivio peracto, *Choreis, Spectaculis*, delitijsquè Aulæ indultum. *Castulonensis* mirè lætus Benignitate Regis, confecto quod imperatum erat negotio, in *Belgium* discedere parat. Sed antequàm digrediretur, *Regis Liberalitatem* expertus est; Munera ei amplissima data. *Northamptonius, Vittoniusq;* prosequi eum *Dorobernium* jussi, Naves parare, quibus ipse Comitesquè in *Belgium* deveherentur; omnemquè Sumptum, quoad in *Britanniâ* esset, præbere. *Castulonensis*, unicuiquè prosequentium gratiâ redditâ, omnes in digressu Comiter salutavit.

Fœdere facto, *Nautæ Britannici*, navigando, rebusquè Maritimis exercitati, *Prædatorijs Batavorum*

Navibus

Navibus conjuncti Mare infestum reddebant. Rex ut quivis facilè perspiceret, id ab istis suâ Voluntate, 1604.
non publicâ Auctoritate actum esse, imperavit ijs *Edicto, ne cui extero Principi Mercede militarent. Neu Mercaturam facientium bona, sub Specie Repræsaliorum, diriperent. Vetuitq́; in Littore, Portibus, & Stationibus suis, Vim cuiquam fieri. Dato rerum Maritimarum Præfectis negotio, ut quoad fieri posset, periclitantibus Mercatoribus opem ferrent. At intrà Imperij sui fines, præsidio essent. Piratis & Prædonibus metum afferrent. Eos in hostium numero ducerent, si quid hostile tentarent. Socijs, ex fœdere, Securitatem præstarent.* Hoc Edictum summâ æquitate propositum, *à Batavis, & Iberis ex æquo observatum.*

Rex Legatos in Hispaniam, Belgium, & Moscoviam mittendos decrevit. *Carolus Cornvallius*, Equestris familiæ, *Legatus in Hispaniam* missus est. *Thomas Edmundus*, Ejusdem Ordinis, ad *Archidutem. Thomas Smithus*, Eques Nobilis, antè memoratus, *ad Moscum. Batavi* acutissimè indagant, & oderantur omnia nostra facta, & Consilia; Societatis secùm admonent, & pristinæ Amicitiæ. In bello *adversùs Philippum* se adjuvari æquum censent. Qui ita auditi sunt, ut non omninò negligi eorum Postulata appareret. His vocibus incitati, *Noelium Caronium Shonnallium*, Equestris dignitatis, *Nuntium Pacis, at Provincialis Muneris Ministrum, in Britanniâ*, ad se accersunt; de statu rerum Britannicarum diligentissimè percunctantur. Is cum *Invidiam, & Obtrectationem Plebis adversùs Philippum*, & omnia quæ percunctati erant, explicuisset; majori cum Amplitudine & Dignitate, *in Britanniam*, cum Mandatis *à Fœderato Populo Legatus remissus*; Virtute perfecit, ut Nominis Amplitudine dignus putaretur. Hoc verò *Hispanorum animos acerbissimè offendit*; & penè de integro Iram in *Britannos* movit. Indè *Orator Beticus* graviter queritur, Injuriam & quasi Ignominiam Regis sui. Deûmatquè hominum fidem implorat. Novum & inauditum Exemplum inclamat; *velut comprobatâ Defectione, Procuratorum Rebellis Populi, perniciosè de Regibus meriti, sinè Mandatis Principis, sinè Auctoritate Liberæ Reip:, Legati Nomine, contrà Ius fasq́; cohonestari.* Sapiens *Rex*, Offensionem utriusquè Partis vitans, æqualitate decernendi; respondet, *Causam apud se in Iudicium non deduci, Iuris Iudicium cum esset, & Æquitatis, rectène an secùs Fœderati Belgæ in Secessione fecerint. Sinè Amore, sinè Odio, incorruptè judicaturum sese. Ministris autem eorum, quocumquè Nomine appellari velint, sinè cujusquam Contumeliâ, Honorem eum habiturum, qui Liberæ Civitatis Legatis haberi consueverat. Idquè Auctoritate, & Exemplo Francorum Regis facere.* In hâc responsione acquievit *Beticus* Orator; sedata in præsentiâ Ira. *Noelius Batavorum Legatus*, inita subductâque ratione Pecuniæ, quam *Elizabetha in Subsidium Fœderatarum Provinciarum, & Stipendia Præsidiariorum Militum contulerat*, Civibus suis, *Bataviæ Rationes Procurantibus* Calculum, ad Nummum confectum retulit. Illi è Rep: crediderunt, *Oppignoratas urbes, soluto Ære, redimere.* Per eosdem dies, *Cæcilius, Cranborniæ vice Comes creatus*; omnia in Rep: ad Arbitrium ferè administravit. Vectigalia Regni Portorijs Maritimis auxit; & Novam Portoriorum locationem, auctis pretijs instituit; ut *Inopiam Fisci* juvaret, sublevaretquè; ac propalàm monuit *Publicanos*, ne in Locatione immoderatius licitarentur. Ita eos ludificatus, ipse constitutâ Mercede, *Portoria Maritima à Fisco conduxit* Contradicente nullo, quod eo licente, contrà licere auderet nemo. Igitur *Vectigal ac Portorium Londinensium*, totum in hujus unius Quæstum est conversum. *Fraudati Vectigalis Crimen, per Publicanos* primùm; deindè *per Mercatores vectigalium Socios*, severissimè exercuit; nullo rerum Venalium genere omisso, cui non *Portorij nomine*, aliquid imponeret. Nova & inaudita, hâc tempestate, instituta Vectigalia; *Moris Zanthici, & Nicotianæ* Portorium impositum. His pro rebus cum non esset anteà datum, tum locupletissimus quisque Civis, novis acerbitatibus ac *Injurijs Portitorum* fatigatus; intermissâ Quæstuosissimâ emendi & vendendi Mercaturâ, Secessum amplexus, Prædia rustica emit; aut Pecuniam fœneri dedit. Inde Inopia publica secuta; hæc animos omnium, ad respicienda domestica remedia convertit. Itaquè *Cæcilius scribendum Batavis censuit; explorandumq́;, si Vrbes positas Pignori liberare vellent*, quasi urgente nunc magnâ Impensâ ad sustinendas eas. Credidêre pleriquè *Muneribus donisq́; obligatum Cæcilium, & obnoxium Batavis; qui primus Author fuit, in Bataviâ ne quam urbem haberent Britanni, aut possiderent; soluto pretio, vacuas & liberas restituerent.* Nec istud satis placuit Senatui, *Vrbes validas, & ad omnia opportunas reddere.*

Extincto nuper *Archiepiscopo Cantuariensi*, Tres ad amplissimum Sacerdotium, diversis artibus, provehi contenderunt. *Tobias Matheus, Dunelmensis Episcopus*, Vir temperatus, Constans, ac sapiens, in omni vitæ parte recta atque honesta retinens; & ad agendum semper aliquid dignum Munere natus; suâ doctrinâ, & Virtute, non Suffragijs Fautorum fretus est. *Lancelotus Andreas, Cicestriensis, ab Elemosynis*, homo eruditus, in Theologiaque perfectus, Sententias Numerosquè in Concionibus moderans, principem in Ecclesiâ locum, laborum præmium & fructum adipisci meruit. *Ricardus Bancroftius, Præsul Londinensis*, doctrinâ Vitæquè Integritate utriquè impar; sed in rerum Civilium Tractatione, & Ecclesiæ Administratione haud inferior, studio, Labore, Regimine Ecclesiæ, Regi commendatus. Cum *Essexianorum* temporum Officijs, *Cæcilij gratiam* conciliasset, in Defuncti locum suffectus est, ac *Summum Sacerdotium*, quasi invitus & coactus suscepit; nullo Vulgi plausu; suspecto quippè Ambitu.

Rex Conditione Ecclesiæ pacatâ, Reip: stabilitâ, omni Auctoritate Aulæ communitâ, Regnum cum dignitate administravit. Festo die Nativitatis, invitatio Procerum benigna; & hilaritas insignis; Aula jam in Ludos Jocosquè soluta. *Philippus Harbertus*, Juvenis Nobilis, quem *Rex* præcipuo in honore habuit, *Susannam Veram, Comitis Oxoniæ filiam*, duxit uxorem. *Carolus, Albaniæ dux, Regis filius,*

1604. *Quadrinus, Imago animi, & Corporis Paterni*, Qui ad Principatum posteà pervenit, *Eboracensis creatus* ad gloriam ejus *Balnei Equites* creantur, *Barones* priscæ Nobilitatis, *Robertus Villoubejns, Chandeus, Comptonus, Norririus*; & Juvenes Nobilitate insignes, *Alanus Percius, Franciscus Manerius, Franciscus Cliffordius, Comitum Northumbriæ, Rutlandiæ, & Cumbriæ fratres*; *Gulielmus Cecilius, & Ioannes Haringtonus, Vicecomitis Cranborniæ, & Baronis Haringtonij Primogeniti. Thomas Somersettus, & Thomas Havartus*, Vigorniæ, & Suffolciæ filij naru Minores, omnes statas Solennesquè Cæremonias obiêre.

Initio Principatus, dignum Mansuetudine suâ *Rex* putavit, *Pontificijs pœnas remittere.* Sed cum diuturnâ Impunitate deteriores, improbe & insolenter se gererent, cæpit ab ijs *Mulctas, lege debitas*, exigere, & *Fisco* applicare. Pro cæterâ suâ Moderatione, ne in præteritum gravarentur, cavit; vetuitquè exigi, quod *Reginæ sæculo* deberi cæperat. *Grassatores, latrones, & Piratas*, ad lenta Supplicia, gravioresquè pænas duci jussit; quâ Severitate, Securitati publicæ, Ultioniquè Scelerum prospexit. In *Ulteriore Britanniâ, Humius, Scotici Ærarij Quæstor*, publicis Curis invigilavit; sincera rectaquè Ingenia subvertere tentavit. Itaquè Proceres alios suspensos, & attonitos metu distinuit; Alios Securos, & Alacres provexit. Hæc Audacia *Quæstoris*, ne fremitum quidem, aut Murmur commovit in Convivijs, aut Circulis. Erant sub oculis hominum Naufragia multorum; Terror & Metus prohibebant.

Præfuerat Judicijs, apud Scotos, *Gramus Montis-Rosarum Comes*, Quem ipsi *Cancellarium* dicunt; Morali Civiliquè Scientiâ, & Politiore Literaturâ impar ijs, qui eo Munere, antè fungebantur. At *nulla Virtutis & Prudentiæ Simulatio, potest esse diuturna.* Iste ab usu rerum domesticarum ad Insolitam Litem, atquè Forum traductus, deprehensus est in Magistratu non plùs sapere, quàm Scribis, & Fori Veteratoribus visum est. *Alex. Setonus, Fivianus Baro*, in proximâ dignitate constitutus, Curiæ rum Præses erat. *Præturam*, Magistrarum amplissimum, summâ contentione petebat, & Specie recusantis, flagrantissimè cupiebat. In hoc Viro tanta vis animi, Ingenijquè fuit, ut surrogari *in Grami locum* dignus censeretur, nisi *Nobilissimo Viro Vivo videntiquè Funus indiceret*; nullo respectu *Legis Calphurinæ* aut *Fabiæ. Georgius Humius*, majore Auctoritate, quàm Eloquentiâ, cum *Prætore* atquè ejus Amicis egit, ut propter communem utilitatem, *Præturam in Alex: Setonum transferri sineret.* Id si faceret, eum *Regi* facturum rem grarissimam; & à rationibus suis non alienam ostendit; paratumquè esse ranti Meriti maximum præmium, & Suffragium Principis. Hæc ut vera crederentur, animum Errore & Spe vanâ præoccupatus effecit; ultrò citròque Conditiones jactatæ, quas coràm *Humio*, *Gramus* suâ manu scripsit. Tum se Præturâ abdicavit; & vel Credulitate suâ, vel Servorum Perfidiâ, damnum & Ignominiam domum retulit. Ita *exuto Gramio, Scotiæ Cancellarius est factus Alex: Setonus Fivianus*; qui Patriæ suæ magno usui fuit. *Iacobus Elphinstonus, ab Epistolis*, celebris gloriæ, multiquè nominis Vir, Forensis Curiæ Præses, *Gramij Filius*, & proximus hæres, vir fortis & animosus; qui generis Claritatem Virtute superavit; Irritari animi Notas ægrè texit; sed privatam Injuriam publicæ utilitati remisit. Ex hujus Præturâ, ad Plebem magna lætitia pervenit; & majore cum Æquitate Lites dijudicatæ sunt. *Humius*, Regni Administrarione in se traductâ; & magnâ parte Nobilitatis Affinitate, vel Fædere connexâ, *Limitaneos Latrones* coërcuit; & in Finibus Tranquillitatem fecit. Multa, *Prætore & Præside inconsultis, non ulla adversantibus*, rentavit. Indè Odiorum Semina orta, quæ *Elphinstoni* exitio extincta sunt. Eadem *Rex*, quæ *Humius* probavit, improbavitquè; & elegit *Consiliarios*, quos ille insinuavit. Tandem ejus Auctoritati cuncti cesserunt, Fundamenta gratiæ & Potentiæ jacientes. Parem *Iurisdictionem in Ecclesiasticos* ei Rex commisit; ut *Catharorum* Insolentiam, Superbiam, Contumaciam compescerer; & *Præsules* in Pristinum statum restitueret.

Hæc quidem in *Britanniâ* gerebantur. In *Belgio*, ut dictum est, *Ostenda fuerat Obsidione cincta*, & gravi Pestilentiâ in summum discrimen adducta. Hoc Anno acrior vis ingruebat; Quippè *Ambrosius Spinola Genuensis*, ut fratris, Triremibus Præpositi, necem ulcisceretur, *Imperium Batici Exercitus* Conditionibus pactus, laboribus & Vigilijs dies Noctesquè intentus, ad oppugnarionem atrociorem sese expediebat. Pluribus simul locis Machinis dispositis, Munimenta diruebat. Sed cum apertâ vi parùm procederet, *Cuniculis, & dolabris* Murum subruere tentavit. Obsessi, Tormentis, stationes hostium, & eos qui circà Opera erant, turbabant: Fossam è regione Operis, intrà murum, ducebant; *Interiora tuendo, Minorem indies urbem faciebant.* Crescente Inopiâ omnium rerum, arctâ Obsidione; & *Spinolâ* ita impigrè rem agentè, missus ad *Mauritium* Nuncius, qui ad excidium propè adductos Obsessos nuntiarer; nisi properè subveniret. *Mauritio*, consultanti quidnam agendum esset, satius visum est, *Flandriam aggredi, & Slusam* oppugnare, si Occasio daretur; quàm Obsessis opem ferre. Itaquè, *Verno tempore*, contractis Copijs, Classe in *Flandriam* trajecit, & in *Casandâ Insulâ*, exercitum exposuit. Paulisper Obsessos recreavit hæc Expeditio *in Flandriam*, & expectatio propinquæ Opis. *Archidux*, cognito hostium Adventu, in tàm subito periculo, *Peditum duo Millia, & ducentos Equites* misit, ut *Mauritianis* intercluderent Iter. Qui *ulteriorem Slusensis Portus partem* occuparunt, aditu prohibituri: nequè dubitarunt hostes ad oppugnationem *Slusæ* venturos. *Mauritius*, Classem & Socios Navales, hostem in adversâ ripâ distinere jussit. Equites interim intrepidi transiêre. Ipse cum Exercitu, *flumen, quod Isendicum, Slusamq; interfluebat*, trajecit. Tum ingens *Iberorum* trepidatio orta, cum se Terrâ, Mariquè cernerent circumventos. Vis omnis belli versa in circumjecta Munimenta. *Mauritius*, primò *Coxiam* Propugnaculum, est aggressus; quod intrà paucas horas cæpit.

1604. Indè motis Signis, *Sancta Catarina Propugnaculum*, postero die, in suam potestatem redegit; & ingentem pavorem hostibus injecit. *Sancti Philippi Præsidiarij*, relicto Munimento, nocte profugerunt. Indè *Isendicum Arcem munitam* oppugnare statuit; ad Mænia Castra posuit, & Machinis adortus est. Constantius tamen, quàm quis facturos crederet, defenderunt Præsidiarij. Cum hæc ad *Isendicum* gererentur, ex Omnibus *Slusæ Præsidiarijs* electi *Mille ducenti*, maximè vigore ac robore præstantes; qui Nocte egressi, *Casandam Insulam incustoditam, & Classis magnam partem*, sine Certamine, opprimi posse crediderunt. Sed is locus Præsidio duarum Legionum, *Dorpio Tribuno duce*, tenebatur. Is duas ibi *Scotorum*, Mercede militantium, Cohortes, in speculis collocavit; qui Vigilijs intenti, armati, paratiquè, conspicati hostium Agmen, Signo dato, ut hostes adesse Socij scirent, inopinantes aggressi sunt. Magnus ibi pavor ac tumultus fuit; & Signo receptui dato, fuga fieri in Scaphas cœpit. Cædes ibi ingens fugientium, & *Quinq; Lembi* onere irruentium depressi; *Pauci Sclusam, undè profecti erant, redierunt*. Nec segnior *Isendici* Oppugnatio; quo recepto, *Septingenti Præsidiarij* dimissi, inviolati *Sclusam* se receperunt. His perfectis, dum recens terror esset, *Ardemburgum* extemplò profectus, primo adventu, recepit; quia, relictâ urbe, Præsidiarij discessêre. Indè *Midleburgum* iter vertit. *Nec ibi Mora Deditionis est facta*. Pari celeritate, & circumjecta Castella recepit. *Henricus Nassovius, ejus frater, cum Mille Peditibus, & Ducentis Equitibus, Murbecam* Arcem occupavit; depopulatusquè est *Agrum Brugensem*. Cum esset nuntiata Clades tot Urbium, & Arcium, *Ludovicus Velascus, Equestrium Copiarum Præfectus*, peritus rei Militaris, cum expeditis *Quatuor Millibus Peditum, & Mille Octingentis Equitibus*, eò contendit; ac inter *Damuium & Sclusam* Castra metatus est; ubi Munitiones facere instituit, *in Angustijs Aqua dulcis, & salsa*, quæ *Versba & Souta appellantur*: & *Batavorum* Equestres turmas, vagantes, nullo in propinquo hostium metu, ex improviso adortus est; quæ impetum *Iberorum*, præter Spem, sustinuerunt. Excitati Nuntijs trepidis, *Ernestus Comes*, cum Copijs Popularium; & *Horatius Verus, Tribunus legionis Britannicæ*, suis laborantibus ancipiti prælio, Opem attulerunt. Hi ubi excepêre pugnam, ingentem suis Ardorem, hostibus Formidinem injecerunt. *Quingenti Iberi cæsi; & Trecenti capti, cum Tribuno, ac undecim Centurionibus*. Hæc renuntiata victoria cum esset, Ordinum delegati obviam processerunt; & pro strenuè defensâ Libertatis Causâ, *Comiti, Tribuno, & Præfecto Equitum* gratias egerunt. *Mauritius*, cognito *Velasci* Consilio, paulò antè lucem, nondùm accrescente undâ, *Equites* transmisit, transposuitquè *Pedites*; haud dubius, opprimi posse hostes, antequàm Munitiones perficerent. Impeditos, trepidantesquè hostes, haud magno discrimine, delecto Munitionibus loco, deturbat. Qui turbati, disjectiquè, fugâ periculo se exemerunt. At multi fugientium, Paludibus hausti sunt. Inde Pontibus, Præsidijsquè, Palustribus aquis impositis, circumjecta Munimenta cœpit; & *Sancti Georgij Munimentum, quod Sclusæ Portui imminebat*. His tot, tantisquè Cladibus, cum *Archiducem* ab Obsidione, ad sua tuenda, avertere non posset; Consilium habuit, Quidnam deinde faceret? *Castra ne hostium, in Pertinaciâ perseverantium, aggrederetur, & Obsessos propè ad excidium adductos liberaret; An Sclusam obsideret, Operibus & Machinis?* Sententijs in diversum tendentibus, *Mauritius Sclusam adoriri* constituit; totum Exercitum eò duxit; Terrâ Mariquè metum injecit. Divisâ classe, partem in Statione *ad littus Flandriæ* habuit: Partem, *ad occupandum Portum* misit. Ipse cum omnibus Terrestribus Copijs urbem difficilem aditu, exæstuante Oceano, obsedit acrius, quàm oppugnavit; gnarus occupari urbem tàm munitam, nisi Fame non posse; Fossasquè perduxit; ac plures dies efficiendis operibus absumpsit: ne repentino hostium Incursu Castra perrumperentur; haud Imperatorium, dare in discrimen Milites, ratus. Quod ubi *Archidux* cognovit, *Ambrosium Spinolam*, cum delectis Peditum Equitumquè, ex communi Consilio, *ad Subsidium Sclusæ misit*; & confirmandos Obsessorum animos, Exemplo tot Urbium dedentium sese, territos. Qui *haud procul à Mauritij Castris consedit, cum Sex Millibus Peditum, & duobus Equitum*. Quo tempore Castra aggressus est, *Signum fumo dedit*; ut eodem Obsessi Eruptionem facerent; per media Castra penetrare in urbem, cum Commeatibus, frustrà conatus est, jam omnia Itinera obsidentibus *Mauritianis*. Pari incœpto *Gulielmi Nassovij Comitis* perrumpere Munimenta, densis tenebris, tentavit, cum expeditis *Tribus Millibus Peditum, & aliquot Turmis Equitum*; haud disparem Eventum, in temerario incepto expertus, Indecorum Receptum habuit.

Dum hæc ad *Sclusam* geruntur, *Seditiosi milites Betici, Brabantiam Sanguine, Ferro, flammisq; depopulantur*. Hæc ubi Archiduci Clades nuntiatur, consultat, quidnam agendum esset? Alij vim adhibendam, & Ferro Perfidiam ulciscendam; Alij quâcunquè ratione ad consuetum Imperium reducendos censent. Quæ Sententia, in præsentiâ, optima visa est. Missi ilicò *Præsul Ruremundanus; & Comes Vambergius*, ut Seditiosos ad Obsequium flecterent. Qui Sacramenti memores, positâ tandem ferociâ, *precibus Præsulis, & Auctoritate Comitis*, mitigati sunt; his Conditionibus, *ut Præteritorum Oblivio sanciretur. Debita Stipendia solverentur. Quibus solutis, Hostratam, & Carpum Archiduci restituerent. Ea ita sort, nec defectionem Noxa futuram, Ruremundam in ripâ Mosæ, Pignoris loco tenerent; Obsidesquè haberent, Marchionis Haurai filium; Augustinum Guevarum, Præfectum Gandavensis Præsidij; Alphonsum Davilam, Tribunum Beticæ legionis*. Nec divini, nec humani Juris quicquam, in hoc Fædere, præ impotenti Militum irâ, servatum est. Qui his legibus, ad belli Munia redierunt; & in *Sclusæ Obsidione*, nec infidilem, nec segnem operam, adversus *Mauritianos* præstiterunt. Cæterum Obsessi, & propè expugnati *Sclusæ Præsidiarij*, ex editissimâ Turri *signum Flammâ dant*, res in summo discrimine versari, nisi

1604. nisi extemplò Opem ferret. *Spinola*, ubi satis omnia inspexit, cum haud quaquàm neglectas Custodias cerneret, transgressus flumen, cum *Sancta Catarina, & Sancti Philippi Munimentis*, Præsidijs indè pulsis, cæpisset, in *Casandam Insulam* se vertit; diversos Aditus invadit, si illac Castra perrumpere, & in urbem irrumpere posset. Eadem ibi Vigilantia, eademquè diligentia erat; quia Cohortes, quæ in Stationibus erant, pro Vallo, primum Impetum fortiter sustinebant. Fremitu hominum trepidantium, & tumultu exaudito, *Gulielmus Nassovius Comes*, cum Præsidio Insulæ, & *Dorpius* Tribunus, cum suâ legione coortis, ingruentes hostium Catervas proturbant; & diu ancipiti prælio comminùs, eminùsque pugnant. Duces, Irâ inflati, hortantur Milites, Primoresque Centurionum, ut se intuentes pugnarent; Cohortes sub Vallo pugnantes invaderent. *Dorpius, acriter Bipenni pugnans, vulneratur; & plurimos manu suâ vulnerat.* Sed nequè hostium multitudo, nequè Telorum vis, cohibere Tribuni Impetum potuerunt. *Mauritius*, audito Sociorum discrimine, cum *Anglorum & Francorum Auxiliarium Legionibus accurrit*; suos periculo eximit; pellit hostes; trepidantibus instat. In hâc pugnâ *Quadringenti Hispani* cecidêre. Inter quos *Marchio Rentaus*, clarus Natalibus, & suâmet Virtute. Ita *Spinola*, signo receptui dato, relictâ magnâ parte Impedimentorum, *à Sclusâ recessit*; æquè raptim ac venerat; & *Ostendam* redijt, incensus Irâ, temerè captæ Oppugnationis Castrorum. *Mauritius* gloriâ elatus, Consilium, Curamquè *Sclusam* vertit. *Transfugæ*, à Custodientibus omnia, explorantibusquè *Batavis*, deprehensi, nuntiarunt *paucorum dierum superesse Alimenta*; nec ultrà Famem tolerare, Servitia, ac Plebem posse. Indè cæpit Spem majorem habere potiundæ urbis; Obsessis periculum & discrimen ostendit, ni se propere dederent. Qui Spe auxilij dejecti, ac Famè magis, quàm Armis domiti, dediderunt sese; cum timerent, ne gravioribus posteà Conditionibus illigarentur. Cum ipsâ urbe, *dedita Triremes Hispanorum, cum ingenti Apparatu Machinarum, Tormentorumquè.*

Cæterùm, cum *longa Ostendæ Obsidio*, tàm Obsidentibus, quàm Obsessis Tædium afferret, *Spinola*, operibus Machinationibusque usque ad Murum Oppidi pervasit, & comminùs prælijs lacessivit. Obsessi & Animis & Corporibus, ad sustinenda ea, parati, quæ sors belli tulisset, in Defensione creditæ sibi urbis perseverarunt; ac *Ruinis Semiruti Muri superstantes*, ancipiti Spe & periculo dimicarunt. Sed cum multi propugnantes caderent, aut vulnerarentur; & Munimenta operibus diruerentur; exteriore Spatio vacuo relicto, *in interiorem partem Vrbis concesserunt*; Munitionis causâ; cui *Nova Troia* nomen imposuerunt. Ibi cum ad hunc muniendum locum, Humus, Saxa, & Cæmenta deficerent; & difficilis esset *è Bataviâ* comportatio; ac ad interiorem Murum oppositum Cuniculis jam peruentum esset, labare animi cæpere. Non Opera modò hostium, Commeatum intercludentium; & occulti Cuniculi; sed Inundatio Oceani insolita, Obsessis metum intulit; quæ Munitionem Portui imminentem, ac hostium impetum tardantem, ab imo subruit. *Arctâ Obsidione cognitâ*, & omnium rerum difficultate, captâ urbis parte, *Ordines fœderatorum Provinciarum Belgij*, facere quod è Salute suâ, Militumquè crederet, *Præsidij præfecto Marquetto* permiserunt. Qui Oppido desperans, *Machinas in Zelandiam exportari jussit*; & fortissimorum Militum Saluti prospiciens, *aliquot dierum Inducias* petivit; ut intereà edoceretur *Mauritius*. Quas aspernatus est *Spinola*; memor, per Artem fraudemquè petiti, paulò antè, Colloquij; territavit eos nunc Prælijs; nunc Operibus. Indè *Marquetus*, adhibitis Centurionibus, Tribunisquè Militum, his Conditionibus urbem dedidit, *ut Captivos omnes utrinq; redderent. Milites armatos, liberos, Conjugesq; cum Castrensi peculio, & Supellectili, emitterent; ac incolumes, datis Vehiculis, in loca tuta deducerent.* Ita *Spinola* Sepultæ urbis, plùs Triennio obsessæ, ruinis potitus est. *Mauritius* interim Quatuor urbes *Rhinbercam, Graviam, Sclusam, & Ardemburgum, pro Ruderibus Ostendæ, capit. Item Isendicum, & Casandam*, fugatis & repulsis Iberorum Copijs. Ipse *Archidux cum Isabellâ Conjuge*, ad visendum urbis ruinas, circumvehitur. *Spinola Marchionis dignitate, & Aurei Velleris* honore ornatur.

1605. Superiore Anno, *Batici Oratores Fœdus cum Britannis sanxerunt.* Principio *verò sequentis*, Carolus *Havartus Nottingamius, Præfectus Maris*, qui res in *Hispaniâ* gesserat, legatus decernitur; ut à *Philippo Hispaniarum Rege* exigeret Jusjurandum; ageretquè, quæ ex dignitate atquè utilitate *Britannici Regis* essent. Is cum magno Procerum comitatu, ornatuquè visendo, *Doverio* profectus, protinùs *Coronnam Galliciæ Portum* tenuit. Ibi paucos moratus dies, dùm se Comitesquè primæ Nobilitatis, insolentes Navigationis, Nauseæ molestiâ liberaret; mox, ubi *Muli* Vecturæ, & Itineris præstò erant, relictis in *Santandriano Portu* Navibus, Iter in *Salamantinam urbem*, actuosâ & pulverulentâ viâ facere cæpit. Ibi *à Petro de Cunigâ*, nihil in honorem ejus, nequè publicè nequè privatim prætermissum est. Indè repetito itinere, *Valdoletanam Civitatem* accessit. Ibi *Ioannes Velascus, Magister Equitum, &* Bæticæ Nobilitatis complures, gratulatum venerant, & *Notingamium* omni honore percoluerant. Ad urbem venienti tota obviam Civitas processerat; ædes liberæ, lautâ Supellectili ornantur; Impensæquè liberaliter, cum ipsi, tùm toti Comitatui præstantur; Janua maxima, quotidiè, frequentiâ summorum hominum, celebratur. Ut Biduum Salutationibus consumpsit, omnia ad gloriam, Magnificentiamquè publicam referens, in vultu gravitatem, ac Auctoritatem; in Motu, Incessuquè summam tùm dignitatem, tùm Venustatem retinens, *Regem adit, & Britannici Regis mandata, adhibito Interprete exponit.* Rex, pari studio & bene-

& benevolentiâ, Regiè & amicè complectitur; *summiße supplicantem juxtà se collocavit; unicuiquè prosequentium Dextram deosculandam prabuit.* Nemini unquam Legato, *Iberi* majores honores habuerunt. Ille à Rege digeessus, *Augustam se salutatum; qua filium, paulò antè pepererat.* Eo die, Imperij nostri Splendor *Baticis gentibus* lucebat. *Anglis*, elegantiâ & magnificentiâ vestes intextæ Auro Argentovè, erant. *Iberis*, constans, æquabilis, & moderata ratio vitæ, Cultusquè fuit. *Splendor Auri nullus: Gemmarum Nitor magnus.* 1605.

Processio Cleri.

Per hos dies, *Lustrici celebrandi maturatum tempus*, ad Legati dignitatem; & Supplicatio decreta. *Monachi Dominicani*, singulari genere Supplicationis, Numini gratias agunt. *Reliquia Sanctorum traducuntur. Praferuntur Insignes gemmis Cruces, Aurea, & Argentea.* Huic Supplicationi *Rex ipse* interfuit. *Castulonenses, & Tarraconenses Proceres*, Aulæ primarij Ministri, & Principum Oratores, ejus latera cinxerunt. *Notingamius* Pompam, & *insolentes Cleri ritus* avidè spectavit. Peracto saceo, *Solennia lustrica Augustuli*, magnifico Apparatu, *in ade D. Pauli*, peraguntue. *Lustralis Pompa* hic ordo fuit. *Templum* Aulæis, Auro Purpurâquè fulgentibus, Tunetanæ quondam Civitatis Manubijs, exornatum. Præcedebant summi Duces, Peoceresquè, inter quos *Fossans Regni Princeps; & duo Allobrogum ducis Filij. Velascus Magister Equitum, Coronam; Albanus, Cereum; Pastranus, Salinum; Albuquercius, Pelvim; Lerna dux, Augustulum, molliter in ulnis deferebat. Augustula Carpento Aureo vehebatur, comitante gynaceo, & Heroinarum*, totius Iberiæ, exquisitissimo floee. *Bernardus Rixas, Cardinalis Toletanus*, sacris operabatur. Ut Templi limen attigit *Lernam*, Antistes *Toletanus, Prasules Burgensis, & Valdoletanus*, Clericorum ingenti cætu occurrunt, & in interiorem Sacrarum ædium partem deducunt. *Toletanus stans ad baptisterium*, multâ Ceremoniarum Solennitate, ut admoveretur Infans, nutu monet. *Lernam*, illum *Allobrogum Principi* perferendum tradit. Ita Sponsoribus *Allobroge, & Augustulâ*, tincto, *Philippi Dominici victoris Nomen*, spectante Rege, Reginâ, Legato, ac magnâ Procerum turbâ, imponitur.

Posteà pee decem continuos dies, legatus *Gaditanis Choreis, Convivijs, Spectaculis, Supplicationibus, Ludis Scenicis, Gymnicis Certaminibus, Taurilibus, & mutuo ferarum lauiatu, Lustratione Equestrium turmarum*, delicijsquè aulæ Hispanicæ, quibus aut Aures, aut Oculi deliniri cuperent, ad Satietatem recreatus est. Non erat exigua Vulgi alacritas, & gratulatio. Magnificentiam ædium regiarum, Sumptus Epularum, luxuriosos Apparatus Conviviorum, ac Spectaculorum, Contaminatam Superstitionem, & Opulentiam Supplicationum, supervacaneum narrare arbiteor: Irritamenta Luxus, gulæ, & Impietatis, in posterum. Postremò dies dictus, *quo Pacem datam ab Iacobo Rege, Philippus Iurejurando confirmaret.* Eo ipso die, legatus, à Magisteo Equitum, in Regiam deductus. In primo aditu, Vestibuloquè Atrij, Regi obvius, positis Sellis Aureis consedeeunt. Ingens hic *Procerum Iberia* convenerat multitudo. *Fecialos* Solennitates Actuum expediebant. Fædere eecitato, *Toletanus Antistes*, Religionem Jurisjurandi, & Metum Numinis Regi injecit, si fidem Perfidiâ, aut callidâ Malitiâ violaret; monetquè *Iurandum per Christum. & Evangelium, Pacem cum Britannia Rege factam servare, ac Novum Trigesima Vectigal abolere.* Perjurij pænam Divinam, Præcipitium, & exitium; Humanam, dedecus, & Opprobrium ostentans. Mox *Rex* in fædus, conceptis verbis, sanctè juravit. Invitatus est etiam Legatus ad ultimas Regis Epulas. Eo die *Taurorum Certamina, & Hastiludia*, in honoeem ejus, in *Foro Valdoletana Civitatis*, instituta sunt. Postero, Rex ornari *Viginti duas Turmas Equitum* imperat, & decurrere jubet armatas; Ambitione *Hispanicâ* conspicua Arma, & insignes Equos ostentans. Deindè, confectis omnibus negotijs, *Legatus gemmis, Vnionibusquè oneratus*, dimissus est. In digressu *Regem, Augustam, legatos Imperatoris, Francorum, Venetorum*, & Proceees primæ Nobilitatis salutavit. In *Santandriano Portu*, naves paratas, instructasquè conscendit; & in *Britanniam* secundissimè navigavit, Ibiquè quæ in Legatione acta erant, apud Regem, & apud Senatum disseruit. Fortunæ fælicitatique *Iacobi* tribuendum, legatio *à Potentißimo Occidentis Rege* ultrò missa, simpliciter *ad petendam Pacem Amicitiamquè*, àb ipso Fonte: *Fadus in ade Regiâ, non Sacrâ, Iurejurando sancitum*; alterum Timoris signum erat; Alteeum neglectæ Religionis argumentum. In *Belgium* quoquè, *ut hoc Fadus Archoduces ratum haberent*, Legatos misit. *Ed: Seymerus*, Comes Hertfoediensis; & Tho: Edmundus, Equestris Ordinis, Principes eegiæ legationis erant. *Hertfordiensi* Concomites iverant *Trecenti Nobiles Beitannici.* Hi omnes *Dunkirkum* teajeceeunt. Indè terrestri itinere *Bruxellas*, propè triumphantes, venerunt; ubi maximi honores *Legatis* habiti, in Fædere sanciendo, cæterisquè rebus: *indultumquè, ut Sacra privata, More patrio, facerent.*

Fadera in ade sacrâ non regiâ, ferienda.

Regina, beneficio Numinis, *Menso Aprili*, Filiam enixa est; quæ *Maria* dicta, brevi superfuit. Ejus Mors magnum & acerbum dolorem commovit; Plebi præsertim. *Vlricus Dux, frater Regina; & Henricus Northamptonia Comes, in Ordinem Periscelidis adsciti*; Judicio Studioquè Procerum, non sine Populari gratiâ: qui honos, apud *Anglos*, maximus habetue. Post *Pacem cum universo Orbe Christiano felicißimè sancitam*, communemque totius *Britannia* fælicitatem procuratam, *Rex*, pro suâ Munificentiâ honores largitur. *Robertum Cacilium, Cranbornia Vicecomitem, amplißimo Comitis Sarisburia honore, & Nomine, percoluit. Thomam Cacilium, Burleum, Fratrem ejus Natu majorem, dignitate Comitis Excestria; Philippum Harbertum Penbrokianum, Comitis Montis-Gomeri ornavit. Robertus Sidnejus*, pro singulari ejus Merito, *ad Vicecomitis honorem ascendit. Ioannes Stanhopius, Georgius Careus, Thomas Arundelius, Gulielmus Cavendisius, Baronum gradum assecuti sunt.* Res indigna, atque intolleeanda videbatur Vulgo,

Robertum,

1605. *Robertum Catilium* Minorem, Majori, ætate, & Nobilitate, præferri; *Thomam* Natu majorem, Minori cedere. Sed Minor, fraternæ ætatis Prærogativam, Paternæ Familiæ dignitatem, & omnia honesta neglexit, dum modò summum gradum honorum, & Potentiam consequeretur. Quidam Cupiditatem, Ambitionemquè Minoris excusant; asserentes, potiorem fuisse. At immanis Ambitus, egregio divinæ ultionis exemplo, castigatus est. Ex dubiæ valitudinis Occasione, habituquè corporis, & vitiosi Sanguinis, *Elephantiasi* laborare falsò increbuit, cum *Erysico* solùm vexaretur. Tanta hujus viri potentia erat, ut homines quidvis perpeti mallent, quàm de illius impotentiâ; & Injurijs queri. Non *Cives* Bonorum direptiones; non iniqua Judicia, *Proceres*; non vim, non Contumelias, quibus oppressi erant, conquerebantur. Erat ingeniosus certè, si Ingenij dotes tàm habuisset temperatas, quàm habuit Illustres. Sed suprà modum Impotens, Iracundus, Contumeliosus.

Temporis ratio postulat, ut de *Famosi Prastigiatoris Impostura* aliquid attexam. Is fuit *Ricardus Haydocm, Medicum professus*; ingenio in Speciem moderato, ut Virum bonum, & Candidum, eum omnes crederent; re verâ ad Simulandum composito. *Literarum etiam & linguarum peritus*. Animus, ab Adolescentiâ, bonis Institutis & Artibus, *Oxonia*, informatus; jam ætate & usu rerum confirmatus; *ad Inanem gloriam, per Prestigias nititur*. Igitur ille, summâ Arte, *se quasi divino afflatum Numine, Animumq; per Somnum curis vacuum, de Religione concionari simulat*; & non modò verba, ac concisas Sententias, cum brevitate; sed vultus etiam eorum fingit, quos arctior somnus complectitur. Primùm *Oxonia* concionatus est. Indè *Londinum* contendit. Ibi magno Concursu, & Vulgi plausu, auditus est; omnes, qui audiunt, avide intuentur. Tacita Corporis figura Conjecturam affert; & Credulitatem Vulgi auget. Res divulgata, ad *Regem* tandem perlata est. Ejus jussu, in *Vicoviridi*, seorsùm sepositus; donec rei fidem faceret: ibiquè, intempestâ Nocte, præsente Rege, *habuit Concionem*; ad quam *Procerum Aula* concursus est factus. Ex distinctâ Oratione, & nimio dormientis Acumine; magnisquè alijs Indicijs, fraus suspecta esse cæpit; in eoquè nihil esse, nisi falsum, & Imitatione simulatum, Prudentioribus apparuit. Emergente in lucem Mendacio, totius rei ludibrium, finè cunctatione, fassus est. Sed cum factum *Stultitiam magis, quàm Malitiam praeferret*, impunè est dimissus.

Posteà res accidit, Novitate quidam admirabilis. *Ioannes Leptonm, famulus Regius*, Exercitationem corporis suscepit laboriosam. Expeditis equis, *Londino Eboracum, Quinquies advehi; & Sex dixit dies operi faciundo*. Magnum onus suscipere ac profiteri omnibus videbatur. At incredibili Celeritate, *Quinquè dierum spacio, Londino Eboracum, Eboraco Londinum transmisit*; & unum diem reliquum habuit suscepti Muneris; *quod Oppidum à Londino plùs Centum Milliarium intervallo abest*. Populus mirabiliter de te & locutus est, & sensit; reputans pericula, labores, & Ardorem Solis, ac ancipites in Itinere Casus.

Fundi, quos Majores nostri *Ptochodochijs, Orphanotrophijs, & Nosocomijs* publicè consecraverant, ad usus vitæ necessarios, injuriâ temporis, Privatorum Commodis, Utilitatiquè serviebant; Religiosis domibus exiguo Censu relicto. *Rex* Edicto ostendit, non toleraturum se Abusus rerum Deo dedicatarum. Potestas æstimationis, & Reformationis, Virispijs, Curionibus, & Æedituis, qui illis locis proximi essent, permittitur. Quod piè & prudenter decretum, non minùs diligenter observatum. Ægri & Mutili, in intimis pectorum penetralibus, immortalem illius Beneficentiæ Aram consecraverunt.

Non prætereundum mihi videtur *factum Calverlei, Eboracensis*, propter ejus singularem ac nefariam Crudelitatem. Hic *furore, an Zelotypiâ*, incertum, *in Cadem Conjugis & liberorum versus*, manu suâ *duos jugulavit*. Adhuc furens & in vesanâ Cæde bacchans, *Conjugem*, nihil metuentem, stricto Mucrone vulneravit, ut declarat Cicatrix. Deindè miseram, fugientem, Opemquè Servorum qui aderant implorantem, insequitur. Servi, furentem, exultantemque *Herum* continuêre, donec uxor latebris se eriperet. *Senatus Eboracensis* certior factus, de Cæde Quæstionem habere instituit. *Reus, Eboraci, Parricidij postulatus*. Quia confiteri manifestum suum facinus, aut abnuere, detrectavit; obstinati Silentij, in re tàm perspicuâ, pænam, miserabili mortis genere, pependit. *More Majorum* Supplicium sumptum. *Effossâ humo, ferrato Posti impositus; superimposito gravi Pondere, Viscera elisa*. Avitum Patrimonium, veteri Juris Privilegio, Posteris servavit. Quippe filij, *Iure Municipali apud Anglos*, à Confiscatione bonorum, insusitato hoc Paterni fati genere, vindicantur.

Paucis post diebus, *Iacobus Philosophicarum dapum appetitu accensus*, comitante Conjuge, & *Henrico* Principe, *Oxoniam* ingressus, Academicos Quatriduanâ præsentiâ suâ exhilaravit. Ubi *Cancellarim, Procancellarim*, omnes *Academici*; suis Ordinibus distincti, graduumquè Academicorum Ornamentis insignes, & plerique Coccineo vestium Nitore fulgentes, summo plausu, faustisquè Vocibus, Reges exceperunt. Quantum lætitiæ conceperint, quantumquè gratularentur, crebris *Orationibus, & Poëmatibus* testatu sunt. *Georgij Abboti Procancellarij Oratio* omnibus Ornamentis abundavit. Quâ convenientia tempori præfatus, narravit, *Nihil post hominum Memoriam, jucundius; nihil felicius Academia Oxoniensi contigisse, quàm totius Britannia Monarcham, Pietate insignem, Scientiâ præcellentem, Pacis studio singularem, Musarum limina attigisse*. *Regius lingua græca Professor*, græco Idiomate, Orationem gravissimis verbis, sententijsque refertam, *de Regijs Virtutibus* habuit, Pietate, Justitiâ, Consilio, Vigilantiâ. *Isacus Vacus, publicus Academia Orator*, Regis autes, omniumquè Auditorum pectora,

pectora, in admiratione sui detinuit; Cæterorumquè Doctorum celeberrimæ, & gratissimæ Conciones fuerunt. *Rex in Scolis præsedit, sapienter moderans Disputationes Concertationum plenas*; & Quatridui illius Noctes *ludis Scenicis*; dies *Disputationibus* splendidis transegit; & Litigiosos ad Modestiam, Auctoritate suâ revocavit; spectante frequentissimâ Procerum Multitudine, & Exterarum Narionum legatis. Plura referre supersedeo; quia *Orator Academicus*, Cancellario auctore, *Quatridui illius acta omnia luculenter perscripsit*. 1605.

Hoc quidem tempore, quo *Rex Oxoniæ* morabatur, *Puella duo deviginti circiter Annos nata, & Plebe Britannicâ, mira ad Fallendum Solertia, miraculo fuit*: & fucum mirabundæ Multitudini fecit. Indè incessit *Iacobo* Cupido videndi, Vulgi famâ celebratam. Igitur extemplò *ad Regem deducitur*. Magno Spectantium stupore, *Aciculis puncta, caruit omni sensu doloris*. Rei Novitas mirationem magnam fecit. Nec hoc solum mirabile in Oculis eorum, qui interfuêre; *sed etiam Ore & Faucibus, mirandum in modum, Acus & Aciculas projecit*. Mirabundo Rege, undè tot *Aciculas* tàm subitò evomeret. Itaquè multiplici *percunctatione Regis* versata, semper sibi constitit; prædicans, *id sibi mirabiliter accidisse; ademptam vim Sentiendi in præsentiâ, mox divinitùs redituram*. Rex in enodandis *Præstigijs* ingeniosus, rem incredibilem ratus, *æstimari à Medicis jussit, An causâ Naturali, vel fraude humana fieret?* Consilio *Theologorum*, *Medicorumquè* obsecratione, variè differentium de re Novâ & insolitâ, iu Spem detegendi fraudem inductus, *Puellam Cantuariensi Præsuli*, & Disquisitionem rei commendavit. *Præsul*, ubi Minis, Monitu, Promissis nihil profecit, *Samueli Harsueto, Sacellano suo*, quem antè alios coluit, Curam demandavit. Is *Præsulis* monitu excitus, *decore eximio Iuvenem, Præsulis Clientem, excitavit, ut Puellam in amorem pelliceret*. Is secretum nactus, & suum Matrimonium promittens, facilè animum conciliavit. Deindè neglexit paulatim, *Magicas Vanitates* causatus, ac Veneficij Infamiam, universam Britanniam pervagatam. Sed illa (ut sunt ingenia Mulierum) proclivis ad libidinem, *Præstigias suas denudavit; Famam, Salutemquè, Iuvenis arbitrio permittens*. Ita patefacta & detecta fraus, muliebri impotentiâ. Deniquè detectæ fraudis gloria penès Regem, Vanitatis ludibrium penès Actores fuit.

Confectis omnibus Maritimis bellis, Naves Anglicæ, bello vivere assuetæ, in omnem Oram Maritimam *Europæ & Africæ*, impunè latrocinari transmisêre; Mare infestum, Litoraquè faciebant; undiquè Prædas agentes, ferentesquè. Nequè contenti in Maritima grassari, Exscensione etiam in Continentem quandoquè factâ, longè latè ferro flammâque vastabant. *Piraticum quasi bellum erat*. Hujus generis cum Fæda passim ederentur facinora, *Bizantinus Imperator, Hispanorum, & Francorum Reges*, de tot tantisquè Injurijs Prædonum Anglorum multa questi sunt. *Iacobus* magnâ querimoniâ omnium permotus, *Piratas, Prædonesquè, Tertio Edicto, severissimè coërcuit*. Viventes *Prædonum ritu*, specie *Clarigationum, & Represaliarum*, ut eorum verbo utar, Morte propositâ domum revocat; *Clarigationesquè abolet*; suos Excursionibus, & Latrocinijs Maritimis temperare jubet. Sanxitquè pari æquitate, *ne Britannici Navarchi, Nautaquè, Batavis, & externis Principibus, spe Prædæ & rapinarum, militantes; Prædas, Simulatione honestæ Militiæ, ultrà* excusarent; sed, ex eâ die, *omnes domum redirent; ac Illiberales & Sordidos Quæstus, liberali, copiosâ, ac in publicum utili Mercaturâ, mutarent: qui secùs facerent, aut injussu Præfecti Maris, operam gratuitam, vel Mercenariam exteris locarent, in Numero Prædatorum, direptorumquè habendos censuit*. Deindè, quia *Batavi, Belgæquè sub Ditione Hispani*, mutuis cladibus feroces, in Portibus, Stationibus, ac Littoribus Britannicis, crebris prælijs dimicabant; ne cresceret posteà eorum Audacia, edicit, *Si Naves ad belli usum paratæ, adversâ Tempestate jactatæ, vel Onerariæ, Mercaturæ causâ, flumina, Portus, vel Stationes intrarent; ut ab omni Injuriâ & Maleficio invicem temperarent. Regnum suum, fuga Portum, & Subsidium Salutis, Navicularijs & Mercatoribus ultrò citròque commeantibus, esse ostendit; Piratis, ac Prædonibus, Supplicij portam*. Oræ Maritimæ Curatores, Præfectos Maris, Civitatesquè Maritimas, curare jubet, *ne à Præsidiarijs Batavorum Navibus vis ulla fieret, insidiando, vel spoliando, Hispano Belgis, qui honestè rem quærerent Mercaturis faciendis. Nevè in statione, Portu, flumine, vel extrà flumen, Batavi Insidias Mercatoribus impunè tenderent: & ne quam indè Navem, aut Prædam abducerent. Et si qua antè abducta foret, dominis rectè restitueretur. Merces captas, & Captivos, Socijs, Federatisquè Regis Britanniæ redderent*. Ad hæc, *tueri Fines suos, ab Excursionibus Prædonum, & Latrocinijs; Piratas egredientes terrere; Conscendentes morari, jubet, donec Naves Onerariæ ex periculo evaderent*. Interdictumquè Oppidis Maritimis, & Accolis littorum, *ne à Prædonibus, Direptoribusquè, res furtivas, aut vi captas, emerent, reciperent, celarent. Sed justis dominis omnia quæ comparerent, quæquè cognoscerent, non gravatè restituerent*. Hujus Edicti cum summam æquitatem, tùm Utilitatem, *Iberi* brevi experti sunt. *Prædones Britannici*, qui non paruerunt Edicto, *in Mauritaniam delati*, consociantibus se illis etiam Exulibus aliarum promiscuè gentium, *locum sibi Domicilio Aphricam delegêre*, Conatibus in *Christianos* posteà peropportunam. *Archipiratam Vardum* sibi præfecerunt; *Europam, Asiamquè* mox Maritimis Latrocinijs vexaturum. *Gulielmus Monsonius, vir Equestris, & Præfectus Classis*, in Angustijs freti Britannici, à die Edicti, Mercatoribus ac Naviculatoribus, injuriosius tractatis, subvenit. *Naves Onustas prædâ Brasiliensi Batavis ademit; ac Londinum plenissimis velis navigavit*. Ibi Philippi Regis *legatus Zuniga, Navem, Captivosquè, sibi reddi, Iure Postliminij, petit; impetratquè, ac frustrà fremente Batavo, Merces vendit, Captivos ablegat, demittitquè*. Illustre Exemplum, Principibus in posterum imitandum.

Edictum de mercenarijs nautis.

1605. Eodem Anno, *Classis imperio Philippi Regis* instructa, & ornata, in *Belgium*, secundis ventis, cursum tenuit suum; *ut duodecim Peditum Cohortes*, reliquias Militiæ Hibernicæ, *Dunkirkum, aut Ostendam transportaret*, ductore *Petro Sarmiento*; Classis præfecto, *Petro Cubiare*. Naves, quibus præfuerat, decem longæ, Mercede conductæ; Prætoria *Anglica*; Proprætoria, *Scotica*; duæ *Hamburgenses*; reliquæ *Danicæ*; Onerariæ, Tres; & Piraticus, Myoparo Dunkirkensis. His Navibus *Petrus* ex Hispaniâ in Belgium, Mercaturæ specie navigavit. *Hauteinus, Præfectus Classis Zelandicæ*, edoctus, Decem omninò Naves longas, & aliquot minora Navigia *Cubiarem* habere; cum *Triginta Navibus bellicis*, toto Mari conquisivit 1 speculatorias Naves, ad explorandum circà litora *Franciæ & Britanniæ*, dimisit. Ipse interim Classe divisâ, *ut Exscensione in Belgium aut Britanniam prohiberet*, per Mercatores fit certior, Naves hostium plenis velis advenire; retentis eorum aliquot, ut agnitas sibi commonstrarent. *Hauteinus* lætus Occasione pugnandi, præceptâ jam animo victoria, ad Navale Certamen se comparat. Cum jam vesperasceret, in Conspectu erant. Duæ Naves *Scotica, & Hamburgensis*, Classem antecedebant; *quas ubi vidit Hauteinus, Vela contrahere, Malosquè inclinare jubet*. Sed parantes instruentesquè se ad Navale Certamen, quàm tumultuosissimè adoritur. Duas multæ circumsistunt. *Hamburgensis*, cum jam nulla alia res eam, quàm propinquitas Terræ, Multitudoquè *Anglorum*, ex Vicis in littus effusa, tueri potuisset; priusquàm circumveniretur, quanto maximo poterat impetu, se in Terram immisit. Conquassatâ Nave, Propugnatores Alij Telis obruuntur; Alij natando, Alij Scaphis excepti, ex periculo evasêre. *Scotica*, postquàm suppressam alteram Navem vidit, *ad Arenas confugit*, agiliores & Instrumento Nautico aptiores, levitate frustrà eludere tentans, unam multæ facile circumsistunt; & dejectis cæsisquè Propugnatoribus, *Batavi* Navem expugnant, capiuntquè. Postero die, *Hauteinus* hostem persequi intendit. Medio ferè in Cursu obviæ fuêre *Hispanicæ Naves, cum Cubiare, Præfecto Classis; littus Angliæ legentes*, ac salubri Consilio propè terram Cursum dirigentes. Quod ubi vidit *Hauteinus*, Præfectos Navium, summâ celeritate, ad Terram explicare jubet. Ipse indignatione accensus, Prætoriâ Nave, hostes Litore & Portu prohibere frustrà nititur. Repentè mutato Consilio, globis ferreis pertinaciter vexat, vexaturquè. *Hispani*, multum adjuvante Vento, & peritiâ Nautarum Anglicorum, *Doverium Portum Britanniæ* opportunè tenuerunt. Juxtà Littus, *alterum Hamburgense Navigium in terram ejicitur*. Milites, Nautæquè crudelissimè necantur, aut fluctibus obruuntur. *Myoparo captus*, abductusquè. *Batavi*, Ardore pugnæ, intrà fauces Portusquè, hostes persecuti; indè à promiscuâ Plebe, Telis ancipitibus, Lapidibus, Tegulisquè; *à Præfecto Arcis*, globis ferreis submoti. Antè Ostium Portus, instructâ in frontem Navium Acie, aliquandiu stetêre. Postquam in Terram Milites expositos viderunt, *in Belgium*, undè venerant, majore gloriâ quàm fructu, trajecerunt. Navarchi, & Nautæ cæsi, vulneratiquè. *Septem Hispanorum, & Italorum Cohortes*, sex Menses in Angliâ moratæ, cum jam hyems appeteret, Caliginem & Tenebras nactæ, *Portum Dunkirki*, omni festinatione, tenuerunt.

Per eosdem dies *Defectio Solis maxima, Mensi Octobri contigit*; cum Luna Orbem Solis, in eclipticâ subiret; & Cælo sereno, interdiu, *per Sesquehoram obscurata lux est*; quæ *Populo Britannico, velut triste Prodigium, Mutationem Regni, Exitiumquè gentis haud dubiè portendit*. Nam *Mense proximo, immanissimum, & Fœdissimum flagitium in Britanniâ penè* patratum est. *Lapides pluere*; *& Arces de Cœlo tangi*; *præter Naturam obscœnos Fœtus Bestias edere*; Vulgus in Prodigium trahit: At *Eclipses Solis & Lunæ*, nihil miratur, *Occasum Regni, gentisq; Perniciem portendentes*; quia Naturali Ordine, statis temporibus fiunt; *Portentosa* ex homine, aut Pecude, rarò nascuntur.

Extitisse aliquos, humanâ Specie, qui mentem habuerint *tàm inhumanam, aut tàm exitiosam habitam Conjurationem*, à Sceleratis ac Nefarijs Civibus, nemo unquàm putavit. Horret animus referre *fœdissimum, & teterrimum Parricidium*; Cives, *Patriam*; *Parentes ac liberos*; *Regem cum Conjuge, Sobole*; *Aras cum Focis*; *Lares cum Penatibus*; *Majestatem Summi Imperij*; *Antistites Sacrorum*; *Senatum universum*; *Nobilitatem omnem*; *Fori Iudices*; *Majorem partem Equitum*; *Primores Civitatum*; *Basilicam Regiæ Urbis, Imperij Domicilium*; *& Iustitiæ Tribunal*; *Ordinum Curiam*; *Templum Deo opt: Max: divo Petro consecratum, Nostrorum Principum Inauguratione sacrum, Tumulis Priscorum Regum decoratum*; *hîc Sacra, hîc Corona, Cæteraquè Regni Insignia, hîc Majorum Monumenta, apud Indigenas, Advenasquè inclita, Incendio destinavisse*; *Conjuratos Numini ipsi iniquos, Templis, Archivis, Insignibus Imperij funestos ignes inferre nefariè conatos*. Horresco singula referre, quid cogitarint, quid Speraverint, quid optaverint, eversâ Monarchiâ, extinctâ Nobilitate, oppresso Judicum Ordine, in re nefariâ; etsi legentibus tristis atroxquè Oratio videri posset. Tamen eorum facta, dicta, Consilia, longè atrociora. Nec quisquam æstimare *Crudelitatem Prodigiosi Facinoris* potest, nisi qui Atrocitatem tàm detestabilis rei Oculis viderit. Oratio mihi verba non suppeditat; namque Animus meminisse horret. Quicquid dixero, Magnitudine Sceleris minùs erit. Nec quo nomine quidem appellare eos debeam, scio: an *Sicarios, Proditores, Parricidas*, plùs quàm Sicarios, plùs quàm Proditores, plùs etiam quàm Parricidas fuisse constat. Siquidem *atrocius est Patriam, ac Patriæ Parentem, quàm suum occidere*. Multi Imperij pertæsi, eò dementiæ progressi sunt, ut de *Principis Parricidio* cogitarint: at Isti nefario se *Patriæ Parricidio* obstrinxerant. Tragici Sceleris seriem, quàm verissimè potero exponam. Conjurátio, Anno Primo Jacobi cæpta; Regni Tertio, pænè ad exitum perducta est; ni Deus humanarum rerum Arbiter, casu excussisset Inditium. Initium Conjurationi, non à Cupidine Regni;

Nequè

Nequè ab atroce aliquâ Injuriâ; nulla enim propria Ira quemlibet Conjuratorum accendebat; Non 1605. Odio præsentium, & Cupidine Novationis; quippè domi quies, foris Pax, tutæ tranquillæquè res passim; Nullæ Quiritantium, aut indignantium Voces; *Rex* nullius feveræ *in Pontificios* Legis; nullius crudelis Edicti Author, adhuc extitit; *Mulctam pecuniariam non exigit* âb ijs, qui Sacris interesse recusarent. Origo tamen omnis furoris & Amentiæ *à Pontificijs Sceleratis*. Nec aliud incæpti facinoris Authoramentum præ se ferebant, quàm *Romanæ Religionis Incrementum*. Hanc jam pridem in *Britanniâ* collapsam, Patriæ incendio, Regis & Regni ruinâ, Calamitate Reip: in integrum restituere conjurarunt; *Nos, Nostramquè Memoriam delere cogitarunt, perpetuâ Papanorum Infamiâ*. Non facilè memoraverim, *Quis primus Author & dux*, cujus Instinctu conceptum fædum & inhumanum Scelus; Actores promptissimos, *Robertum Catesbeum, & Thomam Percium*, exitus docuit. *Hic* vir Impotens, & malis Artibus imbutus; *Ille* famâ perditâ, exhaustâ re familiari, & instantibus Creditoribus, ex Naufragio luculenti Patrimonij, ad *Essexianos* scopulos projectus; Luxu egens, Vitâ infamis, Incendium in fortunis suis excitatum, ruina Patriæ restinguere decrevit. Non deerant, qui crederent, *Northumbrium, & Alios Nobiles hujusce Conjurationis occultè participes*; Illumquè Spe inductum, si fortuna Conatus adjuvisset, facilè apud eos, quibus cum conjurasset, *factionis Principem, & Regni Vicarium* fore. Verum certis Indicijs constare non poterat, ei sceleri affinem fuisse. *Robertus quidem Catesbeus*, quantum conijci poterat ex causâ, ex personâ, ex facto ipso, Princeps Author ejus Consilij erat; maximo Maleficio suo, Religiosæ Pietatis præferens Speciem. *Thomam Vinterum*, ad opprimendam Patriam, Ministrum idoneum ratus, *Londinum* ad Congressum Colloquiumquè evocavit, enixè recusantem, & excusantem valitudinem, precando fatigavit. Is tandem precibus victus, *Lambetha, in domo Bentonis* hospitis, diu ad varias voluptatum Illecebras paratâ, instructâque; *Catesbeum, cum Ioanne Vrightio* nanciscitur. Eo loci permulti *Aleatores, Adulteri, Ganeones*, epulari consueverant. Hi quotidiano victu, atquè Illecebris Voluptatum, Vini, & Epularum, *Catesbeo* intimi familiarissimiquè fuerant. Ibi, remotis Arbitris, cum *Vintero & Vrightio*, in Secretum ædium secessit; *arcanum se, & Silendum afferre Consilium præfatus*; *quo non solum Libertatem Avitæ Religionis recuperarent, sed in multo majore dignitate & gratiâ essent, quàm unquàm sperarent*. Monet tempore tàm Necessario *non abjiciendam Patriæ Curam; Majorum Religionem sanctissimè tuendam; Libertatem Conscientiæ callidâ Audaciâ repetendam; Servitutis Iugum à Cervicibus depellendum*. Cum *Vinterus* suspensus Expectatione, & mirabundus, *Quidnam id esset Consilij?* quæreret: Infandum, Improbum, ac detestabile facinus aperuit; *primo Comitiorum die, publicas Regni Ordinum ædes, ab imis fundamentis, Pulveris Sulphurei fulmine, in Aerem excutiendas esse; Sequè ejus Consilij, fortibus viris & Illustribus, esse participem. Invisam illam Domum, infestam Catholicis, Sceleratissimorum Consiliorum, & Severissimarum legum Officinam Eandem fortassè, justa Numinis vindictâ, in sceleris ultionem destinari*. Quibus auditis, *Vinterus*, quamvis improbus, non tamen ad extremum perditus, Metu ac Novitate rei perculsus, atrocem bonorum omnium Invidiam, Sceleris perniciem prætendens, *Consilium, mox in omnium exitium erupturum, aversatus est*. Disseruitquè, *Opus plenum periculi, ac difficultatis, Subrutis Muris, fundamentum ædium solidissimum suffodere. Cæterùm, majorem multò rem, magisquè timendam, Cuniculum occultum sub terrâ agere. Nullum esse, qui Rudera, egestamquè humum efferret. In tantâ hominum frequentiâ, percipi posse Sonitum fodientium. Cumulum repentè terræ eminentem, intentis Oculis Indicem Operis fore; & Sceleris Inditium; Nec posse inter plures Conjurationem occultari*. At Catesbeus, *patremus, inquit, quod pro Ecclesiâ suscepimus, ubi nos aut Consilium destituerit, aut fortunâ constituri; Dextram Vinteri complexus, oravit, ut particeps cogitati facinoris, Operisq; fieret; nec antè precibus abstitit, quàm pervicit, ut fidem suam interponeret, pro Ecclesia Romana salute mortem oppetere, si sit ei profuturum*. Fide acceptâ, præfatus iterùm est, *Malle se incolumi, quàm eversâ rep: frui Libertate Conscientiæ; & Conjurationis Consilium nullo modo placiturum, nisi Necessarium fuisset*. Proindè ad *Castulonensem* Magistrum Equitum, *Vinterum mittit*; rogatum; *ut in Angliam trajiciens, apud Iacobum Regem, nomine Catholicorum, intercederet; Vim à Conscientijs deprecaretur; & Pænalibus legibus abrogatis, Liberam Religionis professionem impetraret. Nec non innueret, in Angliâ viros Nobiles ac Militares, præsentium rerum pertæsos, Novarum cupidos, Vitam ac Sanguinem pro Salute Catholicorum ultrò paratos profundere*. Adijcit his Mandatis, ut tàm memorabili operi Ministrum idoneum accerseret, simul *Faukcium* nominat. Ille mandata ad *Castulonensem* perfert; cum *Ovenio Cambro* communicat; & curante *Ovenio*, viro astuto & subacto ingenio, *Berga cum Castulonensi colloquitur*: queriturquè *Mulctarum acerbitate, Pontificios ad belli Civilis Necessitatem* detrusos. *Castulonensis*, studio Pacis flagrans, belli ac Tumultus abhorrens, respondet, *Catholicorum Salutem sibi curæ fore*.

Profugi Angli, *Gulielmus Stanelem*, Equestris dignitatis, ortus stirpe Nobili; & *Hugo Ovenius*, Proditionibus famosus, multis ultrò citròque cum *Vintero* sermonibus habitis, edocent, *Hispanos in rem suam intentos, postremam de Catholicis Curam agere: in Vi & Armis omnem Spem reliquam*. Ille respondet, *multos in Angliâ Clarissima stirpe ortos, Catholicam Religionem privatâ salute potiorem habere; & pro eâ vitam periculis objicere paratos*. Sed quod scelus pararetur, non indicat. *Percontatur deindè multa de Faukcio. Stanelem virum improbum ac detestabilem, quasi bonum & Industrium laudat*. Rursusquè institit quærere, *Quid ille bellicis Artibus præstaret?* huic Sermoni *Guido Faukcius* intervenit. Quod *valdè*, inquit, *Stanelius, optasti, ut hujus conveniendi potestas esset, tutam nunc habes & liberam*. *Vinterus*

1605. virum intuens, *medium complectitur.* Post mutuos complexus, ac salutationes, *rogat, Vellent in Patriam, si labantem Religionem adjuvare posset, revertere?* Ille non abnuit. Post biduum transfinissuri *Dunkerkum*, conveniunt. Ibi *Vinterus, id Consilij Catholicis esse dixit, ut nisi Pax cum Hispano spes eorum erigeret, Novi aliquid in Angliâ molirentur.* Ac ne tùm quidem, ei quæ ex *Catesbeo* audierat, aperit. *Ille summam fidem, ac Constantiam spondet abundè constantis* animi, si in honesto proposito, Consilioque accidisset. Indè *Londinum vecti, Catesbeum* domi suæ conveniunt, humaniter excepti. Aderat eodem ferè tempore *Tho: Percius*, manu promptus, præceps ingenio, subdolâ Modestiâ, immanem animum tegens; *Northumbriæ Comitis gratiâ*, Pecuniâ, Potentia arrogans. Is dùm *Merita in Iacobum sua*, & Promissa *Catholicis*, quàm in irritum cecidissent, aperit; adjicit, *magno audacique aliquo Facinore, Catholicorum injurias vindicandas; libertatemque Ecclesiæ recuperandam; agendi tempus inutili Cunctatione non ultrà terendum.* Quid ergò, inquit, moramur? *aut cur non in discrimine Capitis, Famæ, Fortunarum omnium, expergiscimur? Cur non aliquid viris fortibus dignum tentamus, ut nos durissimâ Servitute eximamus?* Quam Spem nunc habeat in manibus, & Quid moliatur profitetur: Juratque Minaci voce, *interficiendi Regis Consilium sumpsisse, ubi Occasio daretur.* Laudatâ priùs fide, ac voluntate, castigavit eum *Catesbeus*, ut majoris animi, quàm Consilij; *Monuitque, nihil rapiim, aut temerè agendum. Sibi esse in animo quod ad Catholicorum salutem pertineat; Ipsis verò Actoribus nihil nocitum iri.* Tum *Percius, Quidnam id esset Consilij sciscitari capit, quod sine discrimine cujusquam perpetrari posset?* Ille priùs ut Jurejurando & fide sanciatur, petit, ne res efferatur, quam Arcano Silentio committeret; atquè in eo perseverat. Et quoniam in præsentiâ Sacramento cavere inter se non possent, à Consilio discedunt. Postero die *in domo Catesbei*, non procul à Clementia Fano, *Catesbeus, Percius, Vinterus, Vrightius, & Guido Faukcius*, desperati homines, Conjurationis Auctores, atquè Architecti, conveniunt; & profitentur, *se nullum periculum, Romanæ Ecclesiæ causâ, recusare.* Itaque ut duraret inter omnes Silentium, & nihil per Temeritatem proloquerentur, *datâ fide, in verba Catesbei, tactu Sacris, & conceptis verbis juravêre.* Mutuâ fide læti, in abditam ædium partem, *ad Missæ Sacrum* secessêre; Ibi Eucharistiæ Sacramento sumpto, ad stringendam ulterius fidem, à *Gerardo Ignatiano* adacti, pepigêre, *Quæ visa, auditaq; in eo loco essent, non enuntiare, aut prodere; in Proposito perseverare; & fortunam, quacumquè evenisset, pro tàm justâ causâ, subire.* Jurejurando interposito, *Catesbeus Percio; Vinterus, & Vrightius, Faukcio*, Insidias, *& nefandam Proditionem aperiunt. Illi non solùm fidem & Taciturnitatem, sed etiam Operam pollicentur.* Cætera in suum quæque tempus agenda differunt: & interim à Consilio disceditur. Nec repertus est quisquam, qui Operis adeò impediti difficultate, Periculi magnitudine, aut Pœnæ metu territus, vel prohibuit, vel prodidit. Neminem Spes, Metus vè mutavit. Intereà de Loco, Tempore Ratione, Cæteroquè apparatu exsequendæ rei, inter se agunt. Rebus necessarijs ad Parietem perfodiendum anteà excogitatis, *Percius* nihil aliud ad peragendum Facinus, quàm Loci Opportunitatem deesse ratus, *Demùm Ferrij cujusdam, proximam Comitiali Ædi conduxit; & Faukcio Custodiam mandavit.* Ille ignoto vultu, Cultuque peregrino, *Iohnsoni Nomen ementitus, Portij se famulum simulavit*; domumque custodijt, rarus egressu, ne magnæ Civitatis oculi ultrò citròque commeantem specularentur. Inter quæ *Ordinum Conventus 7 Iulij 1604 ad diem Februarij Septimum dilati.* Ea res & Deliberationes debilitavit, & Opus aliquamdiu retardavit. Ideò Conjurati ab urbe, diversis Itineribus, abiêre; ad Autumnalia Juditia iterum conventuri. Visum interim Socijs Conjurationis, *aliam Domum conducere, ut vim magnam Pulveris Sulphurei, Picem, atquè reliqua Alimenta Ignis, clàm imponerent.* Nullus videbatur *Domo Bentonis, vetere Catesbei* hospitio, commodior locus. Et *Roberto Kajo*, nuper in Conscientiam Flagitij adscito, Custodia Armamentarij mandata. Ubi igitur *Socij Conjurationis* in urbem convênerunt, paratia Opus aggredi Casus obstitit. *Percij domus, Proceribus Scotis publicâ Unioni delectis, ad conveniendum designata.* Quæ inopinata Mutatio, *Conjuratorum Consilia* non mediocriter conturbavit: & Opus, ad Quindecim antè Christi Natalem dies, distulit. Cum jam *maximam Tormentarij Pulveris Copiam, atquè Ferramenta*, quibus in Opere uterentur, *Lambethiæ* coacervassent; satis omnibus ad opus præparatis; *Cibis etiam, qui in multos dies non corrumperentur*, ne in publicum prodeundi sæpius necessitas esset; *Mense Decembri, 1604, Cuniculus occultus, in Comitiorum Ædem agi ceptus, Nocte intempestâ.* Primò Quinque ad opus traducti, *Catesbeus, Percius, Vinterus, Vrightius, Faukcius*, assiduo labore Noctu interdiu vix defatigantur; non solùm sub terrâ Rastellis fodientes, sed egerentes etiam humum Corbulis, egestamquè contegentes, ne Cumulus Aggeris Index operis prætereuntibus foret. Sceleris cupiditas tanto cunctis laboribus flagrantior erat. Sed ne opus intermitteretur; Neu sub terrâ continuus labor eosdem conficeret, duos sibi Adjutores, ad rem gerendam, *placuit assumi, Christophorum Vrightium, & Robertum Vinterum:* dato priùs Jurejurando, ut Conjurationem occulerent. & partitis temporibus, in opere semper recentès defessis successerunt, per vices excubantes. *Hi Septem, Neq; plures Operi affuêre, ab Henrico Garneto, Tesmundo, Granvello, & Ioanne Gerardo, Iesuitica Societatis, & Conjurationis conscijs, pro Ecclesiæ Salute*, ac Libertate Conscientiæ, ad Mortem contemnendam instructi; glandibus plumbeis, ac alijs Telis, Armisque parati, *Cuniculum acriter intendunt pluribus simul locis Murum perforant. Sena hora, in Orbem, operi attributa sunt. fessis, & laborantibus*, alij integris viribus, per vices, succedunt. Opus nunquàm antè omissum est, quàm continuo labore *rectam ad Curiæ Fundamina viam facerent, & Murum contingerent.* Operum fuit omnium longè maximum, ac laboriosissimum, *Fundamentum Ædium solidissimum suffodere; quod neque perrumpi, neque distrahi poterat.*

Armamentarium Lambethiæ

Subterranea molitio inchoata 11 Decemb. 1604.

In hoc

In hoc opere multus desudatus labor; magnum temporis spatium absumptum. hâc difficultate conflictati, Consilium capiunt, *perrupto Pariete, viam sibi in Fornicem patefacere.* Opus non minoris periculi, ac difficultatis; *Veterem Murum, Trium ulnarum Crassitudine, perfodere.* Nihilominùs Operis difficultate non deterrentur. Sed qui nec Pænitentiâ, nec perficiendi Desperatione absterreri poterant; *Sonitu Fortuito Carbonum, in adversâ Sellâ, cum pertinaciter Lapidum robur molirentur, absterriti sunt.* Proditos se esse, aut circumventos suspicantes, *Faukeim* ad opus, Consuetudine, excubans, ne Sonitus Parietem demolientium audiretur, Silentio facto, admotâ Aure, Sonitum captavit. Quem ubi accepit, *invenit rectam in Criptam Subterraneam, Viam.* Locum perlustrat, & nihil periculi conspicatus, ad suos paventes reversus, *Fornicem, Ordinum Curiæ suppositam, peropportunum sceleri locum ostendit*; in arduo & tot rebus impedito opere ultrà progredi non necesse. Quâ re cognitâ, *Percius* de Mercede convenit, & conducit: *Ibiquè 36 Cados Pulveris Sulphurei, atquè Aridam materiam, aliasq; res, quibus Ignis excitari posset, fornici intulit: Vectes ferreos, Saxa ingentis Ponderis, & Tigna, Cadis superjecit, ad majorem perniciem & vastitatem*; omnia, de Industriâ, Alimenta Incendij comparata & diversâ Lignorum strue contecta. Itaquè funesti Conatus quanto malo Reip: erupturi essent, videtis. Cum in hoc statu res Conjuratorum essent, fortè *Comitiorum dies in Tertium Octob: Iterùm dilatus.* Inter omnes convenit, ut velut ad privatas res agendas abirent, & Rure obversarentur; ne cui Suspicionem proditionis darent. *Faukeim in Belgium* secederet, ad *Stanelium, & Ovenium*, Consilij rationem, sanctissimâ Silentij fide, delaturus. Ibiquè *Ovenius, Veteranus Proditor, Socius Conjurationis Iurisquè Iurandi factus est. Stanelius* procul in *Hispaniâ* agebat. Verum, antequàm Conjurati digrederentur, multo Sermone egerunt, *Quomodò Rege sublato, Principe extincto, universo Reip: statu funditùs everso, Eboracensem ducem, ac Principem Elizabetham, Reliquias Regiæ Sobolis, haberent in suâ potestate?* Suscepit *Percius, die facinoris, Custodibus Corporis, & ætatis infirmioris Rectoribus, metu perculsis, Eboracensem in suam potestatem pertrahere.* Nec difficile factu esse ostendit, *Eodem die, convocatis, Specie Venationis, Popularibus Conjurationis, non longè à Baronis Haringtonij domo, Elizabim in dicione tenere. Regis Prole masculâ, Memoriâque Regni sublatâ, Edictum, nomine ejus divulgare, in quo nullâ Religionis novandæ mentio fieret, quia nondùm vires, quæ tuerentur.* Habita insuper Deliberatio de Pecuniâ, & Equis. *Catesbeus, Marchioni Spinolæ, magno Garneti studio, commendatus, ut Equitum Turmæ in Belgio præficeretur; & hoc prætextu, sinè Suspicione, Armis & Equis Conjurationem instrueret.* Actum posteà, *quos ex Primariâ Nobilitate, eo die, Comitijs se abstinere vellent?* Inclinavit primùm eò sententia, *Pontificios universè monere.* De singulis deindè disceptatum. Mox agitavêre, *Quos Externorum Principum asciscere in Conjurationis fidem; aut perpetrato facinore, in Societatem vocare opporteret?* Vix jam erat externus Princeps, cum quo furorem suum consociarent; certabantque Sententijs. Cum in angustijs versarentur, *visum est, Nullum Externum Principem Consilio adhibere; sed Spei fructum, rei, & Eventui servare. Iisdem literis, Exteros posse & rei Eventum discere, & ad Auxilium sollicitari.* Hæc, atque alia eodem pertinentia, Cætus perditissimorum hominum clandestino Scelere conflatus, dissecebat. | 1605. Conjurati à cancellis in Criptam se contulerunt.

Deinde, paucitate parùm freti, quæ cælandæ rei, quàm agendæ aptior erat, statuunt *omnem Potestatem in Catesbeum conferendam; ut quos rei atrocis crederet idoneos Ministros, in Societatem ascisceret.* Igitur Potestate factâ, pc: hunc adjecti sunt *Everardus Digbæus*, Equestris Ordinis: *Franciscus Treshamus: Ioannes Grantius*: Hos ad Proditionem & Insidias, Conscientiâ sceleris obstrinxit. *Servus etiam erat Catesbeo, Bacesius nomine*, qui jam anteà id senserat agi. Hunc *Indicem timens*, eo ipso Timore in Conscientiam facinoris ascivit, *& cum Greiuvello Ignatiano, in reticendi Arte, instituendum tradidit; qui animum ad facinus firmavit, ac injunxit, ne hanc Machinationem cuicunquè Sacerdoti* aperiret. *Ambrosius Rokevodius*, fide ad rem occultandam præstitâ; *cum jurasset, quæ commisisset fidei, Silentio esse tecturum*; Catesbeus aperit Insidias Regi Regnoquè comparatas, hærere homo, rubere, Scelus adversùs Patriam, Proceres, Majestatem summi Imperij, angore, & Sollicitudine Conscientiæ aversari. *Catesbeus versavit animum, facinore abhorrentem, Authoritate Sacrificulòrum, & Garneti Iesuitæ*; dictitans, *se Authoritate ejus contrà Conscientiam facinoris septum & munitum*; perpulitquè, ut Conjurationem secùm iniret. Dein compositis inter se rebus, bifariam se diviserunt; Pars una ad rem gerendam; Altera, ad bellicum Apparatum instruendum.

Ubi dies Comitiorum appropinquavit, *Conjurati urbem repetunt. Digbæus*, Postridiè Comitiorum, Ludorum Venationumquè obtentu, uti convenerat, Conscios & Integros aggregaturus erat; ut facinore perpetrato, ad omnes Occasiones paratus esset, *ac Regiâ Virgine poteretur. Vinterus, & Faukeius*, nuper *Belgio* reversi, *suspicantes Pyrium Pulverem humore corruptum, recentem in Criptam comportant*; in eum disponunt modum, qui destinato Incendiô commodissimus videbatur. Certissimum exitium *Regi, Reginæ, Soboli, Senatui, Proceribus, Populo Britannico, Primo Comitiorum die, destinabant Conjurati*, mutuâ fide læti. Quippè neminem Metus, Spesuè mutaverat. Tanta omnium vel in Patriam Ira, vel fides inter ipsos fuerat.

Interim evenit, ob Anni tempestatem, *ut Comitia in Quintum Novemb: prorogarentur.* Mutato tempore, Consilium exsequendæ rei scelerisquè mutari necesse fuit. *Catesbeus*, Author hujus Tragici sceleris, in hoc tàm pravo Proposito constantis fidei Amicos habuit. Incredibile memoratu est, quàm inter diversi generis Ordinis, Ætatis, dites, Pauperes, Nobiles, Ignobiles, Taciturnitate omnia cohibita sint. *Duodena tantùm Hora ad destinatum sceleris exitum supererant*: Facinus, Eo die, post

Orbem

1605. Orbem Conditum, luctuosissimum, fœdissimumquè, accidisset, *nisi Numen Divino Consilio excussisset.* Hujus rei tàm fœdæ Indicium, hoc maximè modo erupit. *Vnus Conjuratorum subobscuras literas ad Baronem Montaquileum misit; ut Comitijs proximis, si se salvum vellet, abstineret.* Has qui tulit literas, quia non sibi conveniendi *Montaquilei* copia fuit, *Puero ejus literas tradidit; & adjecit, Eas de re, magnoperè ad Dominum pertinente, esse: Iussitquè dari quàm primùm. Montaquilem* apertis perlectisquè literis, *siuè Die, aut Nomine adjecto*, primò mirificè sollicitus ac anxius, perplexis Cogitationibus agitari cæpit, *Ne rem levem, cum risu aliorum, deferret.* Indè contempto Ludibrio Credulitatis, fide & Obsequio adductus, *literas ad Sarisburiensem Comitem, Regi à secretis, detulit*; præfatus, *hanc se Epistolam tradidisse, non alio Consilio, quàm ut probaret Integritatem animi; simulq; ostenderet, sibi Curam de Regis & Imperij salute præcipuam esse. Sarisburiensis*, laudatâ *Baronis* fide, ac voluntate, magnâ afflictus est Sollicitudine hoc Nuncio. Cum non aliam Salutis publicæ, aut Magnitudinis Fortunæ suæ Spem haberet, quàm Incolumitatem Principis, cui, ratione Offirij, præcipuè semper indulserat, acriter animum intendit, si Quid Turbarum oriretur; nullâ ad id tempus Doli vel Tumultus Suspicione interpositâ; cum pars hominum in Agris remaneret; pars etiam ad *Comitia* ventitaret; *Rex apud Roystonum, Venatione, & Aucupio se oblectaret.* Cum compertum etiam haberet, *Batavorum Supplementis, & Archiducis Auxiliaribus, Regnum Britanniæ turbulentorum hominum periculo liberatum*; nullum Domesticum Tumultum, nullum externum bellum metuebat. Dum his intentus *Sarisburiensis*, Vulgi naturam, Procerum studia, *Papanorum Machinationes* seriò expenderet, rem haud spernendam ratus, cum *de Salute Principis* ageretur, *Literas ad Regem Roystono Londinum revertentem defert*; Veniam precatus, *quod rem inquisitam, & nondùm compertam deferret.* Quippè in Indicijs nihil tàm leve reputabat, quod non Magnæ interdùm rei momentum faciat. *Literarum sententia* hæc erat. *Amicitia, quæ mihi cum aliquot tuis Necessarijs intercedit, facit ut tuæ Salutis curam agam. Quapropter monitum volo, ut quo studio vitam amas, eo incumbas prætexendis excusationibus, quæ te à Publico Ordinum Conventu eximant. Numen enim, & homines conspirarunt in Vltionem Scelerum, quæ hæc ætas tulit. Nequè hanc Præcautionem parvi pende; sed discede ocius in tuam Provinciam, ubi rei exitum securus expectes: Licet enim nulla se Motuum initia prodant*; *dico*, terribilis in istum Conventum Ictus incidet; neque a læsis conspicientur hi, qui lædent. *Non est quod hoc Consilium spernas, quod & prodesse quidem certè, & Nocere minimè potest:* Quippè præterierit periculum, statim ut has literas exusseris. *Spero te eo Consilio rectè usurum, beneficio Numinis, cujus te Sanctæ tutelæ resigno.* Cùm *Rex* de literis cùm *Sarisburiense* loqueretur acuratius, *conjicere se refert Sarisb:* ex Epistolæ particulâ (*Quippè præterierit periculum, statim ut has literas excusseris*) literas futiles, & inconstantes, à furioso conscriptas. Contrà *Rex*, his Verbis solerter pensatis, *terribilis in hunc Conventum Ictus incidet; Nequè conspicientur à læsis, hi qui lædent*; sibi contemnendas non videri ait; *Subtiliorem stilum esse, quàm otiosi hominis*; ilicò, sive Divinitùs afflatus Numine, sivè humanâ Conjecturâ, *id quod erat suspicatus, aliquid Novi Consilij initum, ut Comitiorum Atrium, Pulvere Sulphureo subverteretur. Iacobus*, magis periculo publico, quàm suo anxius, accito ad se hospitij Camerario, *Atrij situm, Formam ædium, curiosè percontatur.* Respondet *Havartus, basilica, seu Regia, in qua Comitia Parliamentaria sæpissimè habentur, structura hæc est: principalis Area domus altissima, erectâ fornice, Quadrato opere, summo Artificio, circumvolvitur.* Tum, *Rex sub Fornice Subterranea loca* diligenter excuti jubet; id vanum necne sit, quod animo præceperit, extemplò sciri posse. *Havartus Cubiculo præpositus, at Montaquileus*, tum accensus Regiæ Salutis studio; tum maximè in ejus rei eventum intentus, Cujus ipse primus Explorator fuisset, eunt promptissimis quidem animis Mandata exsequi, & Loca curiosè perlustrant. Primâ indagine, Machina omninò non patuit, ut *quæ Strue lignorum* superinjectâ, tegeretur. *Fascium, & Carbonum in Criptâ ingens Cumulus*, Suspicionem doli præbuit. Et *Percij Famulus* cæpit Præfecto esse suspectus. *Vbyneardum, Parlamentariarum ædium Custodem* percontatur, *cui usui Subterraneam Criptam destinasset*? respondet, *Thomam Percium & Domum & Criptam, quæ Curiæ imminerer, conduxisse; ligna Carbonesquè in domesticos ejus usus comportata esse. Montaquileus*, audito *Percij nomine, augurari se, adijcit, literas, quibus futurum scelus indicabatur, sibi à Percio missas. Quippè pertinatissimum Romanæ Religionis Cultorem, & secum antiquissimo Amicitiæ Nexu conjunctum meminerat.* Præfectus, perlustratis omnibus, cùm *nihil reperisset*, Protinùs *intrat ad Regem*; ibi coram *summo Quæstore, Præfecto Maris, Vorcestrensi, Northamptonensi, Sarisburensi Comitibus, quæ viderat conjectaveratq; aperit.* His auditis, *Regis* animus magis anxius & sollicitus, *Cunctos Ædium abditos Angulos diligentius scrutari jubet.* Id negotij *Thomæ Kneveto*, Equiti Nobili, magnâ prudentia, & magno rerum usu, demandatur. Huic Idonei *Satellites* traduntur. Itaquè *silentio Noctis, Lumen in Fornice conspicatus, Nevetus, cum servo Dubledeo, aliâque modicâ frequentiâ, curiosè perscrutatur.* Stipatores domum circumsistere jubet; *comprehensusq; Faukesius, pro foribus, ocreatus cum Calcaribus; qui jam omnia ad Incendium paraverat, funiculos ex Carbaso in Caligis occultans, quibus lenta flamma fideliter aliatur; Calibem, Silicem, & Cætera cuncta, quæ Tormentarium Pulverem ad impetum suum accenderent.* Confusus ille atquè Consilij egens, attonito vultu, efferatoquè, Manum *ad Capulum Pugionis* referens, Vultu, atquè ipsâ Trepidatione, impium facinus prodidit. *Quænam hic Insidiæ, inquit Nevetus? Fasciculos properè submoveri jussit. Quibus submotis, Antrum Cyclopum apparuit, & omne ferale Machinamentum. Pulveris Cadi, ex omnibus locis Diverticuli protrahuntur, 36 Numero.*

Manifesta

Indicium conjurationis.

Manifesta res visa est; Itaquè injectæ protinùs Incendiario Catenæ. à Circumstantibus in Regiam 1605. pertractus; excitatisquè Custodibus, *in* libero Conclavi ad Quæstionem servatur. Itaquè *Nevetus* non ultrà expectandum ratus, *excitatis Custodibus corporis, Cubiculariorum Præfecto, & Sarisburiensi,* urgens periculum, & scelus, quod non modò factum antè nunquàm est, sed in omni Memoriâ omninò inauditum, indicat; Indicemquè in potestate esse. *Præfectus Regis Thalamum intrat, sopitum excitat Regem;* & ab ipso limine, confuso Vultu, connatâ verborum volubilitate, gravem Conjurationem detectam, & Cætera quæ audierat, docet. *Rex* collaudatis ijs qui grassatorem in manifesto Parricidio, singulari Curâ, & sinè ullo tumultu deprehendissent, frequens Consilium, antè Lucem convenire jussit.

Senatus, summo Mane, velut extante Indicio, *in* Palatio est habitus. Nihil remissum ab ullâ patte Curæ, aut laboris. Vigiliæ in urbe; Stationes antè Portas, ad omnes Aditus, in opportunis locis, dispositi Milites; Equites Itinera quoquè obsidere jussi; ne quis conscius occultus evaderet. Magna frequentia Procerum, & Nobilium, *in* Aulâ. *Incendiarius* ad omne facinus duratus, à Circumstantibus interrogatus, *Ecquid Nefarij Sceleris, & flagitiosi Propositi Pænitentiam ageret?* Inter tantas Fortunæ Minas, haud aliâ, quàm si evasisset, vultus ac Vocis Securitate, ferociter respondit, *Nihil se pænitere, nisi quod destinata exsequi non potuisset.* In interiorem Regiæ partem abductus, *cum à Senatu de scelere interrogaretur:* Ipse, non interrito modò, sed Contumaci quoquè vultu intuens, *haud cunctanter Ordinem omnem Facinoris, Ministerijquè sui exposuit; Atq; propalàm* professus est, *dolere scelus infectum, nec ad Incendium faces subjecisse. Vt perageret Divinitùs admonitum. Mali genij operâ, non Numinis beneficio, facinus detectum. Alienum Iohnsoni nomen sibi accivisse; Vero ac gentilitio Guidum Faukcium nuncupari. Scelus spontè susceptum. Se Authorem Consilij. flagitij nullos habere Socios.* Cum Conscios cælaret, Senatores Tormenta, & intolerandos Patientiæ humanæ Cruciatus minitantur; nisi Sontes cum quibus nefariæ Conjurationis societatem inijsset, eâdem fide exprimeret. *Ille Minis ac Terrore non commovetur; Exprobratione vix abstinuit:* donec ferociam cohibuit Senatus. Nihilominùs *eo suis habitu Oris, inter minaces Sermones, ut Ridentis etiam Speciem præbuerit.* Cum Senatores nullum percunctandi Finem facerent, & *edere Conscios* adhuc crebris Interrogationibus urgeretur, *Voce magnâ, & Vultu,* securi animi Indice, *frustrà se interrogari clamitat; nullam vim tantam Doloris fore, ut Socios eliceret.* Jam parum Spei erat, Voluntate quicquam facturum; Vim adhiberi, & Tormenta, placuit. Postero die ad Cruciatus in Turrem trahitur; *fidicula & Eculeus,* ad exquirendam ingentis & cruenti facinoris Fidem, adhibentur. Quæsitores graves & æqui, *Nottingamius, Vorcestriensis, Suffolcius, Devonius, Northamptonius, Sarisburiensis, Marrius, Dunbarrius, Prima Nobilitatis proceres.* Ille Formidine Tormentorum attonitus, & acerbitate Accusationis fractus, nequè Animo nequè linguâ satis competere; tandem confirmatus, *Conjuratos omnes prodidit,* ac Ordinem Conjurationis exposuit; *Catesbeum & Percium esse Authores sceleris, ad Aras omnes jurasse Silentium. Continuo labore sub terrâ Cuniculum fecisse. Intermisso opere, Percium Subterraneam Cryptam ab Atriensi conduxisse. Comitia tèrtiès dilata, rei exsequendæ Opportunitatem distulisse.*

Luce prima, Consciorum nemo aut latuit, aut fugit. Tantum illis in Constantiâ ac fide *Faukcij* fiduciæ erat; nisi *Catesbeus,* qui Conscientiâ Sceleris, & furore ex Maleficio concepto, *à primis literarum Notis, Dunchurchin, Digbei domum perfugit;* Ibiquè expectavit, quò Conjuratio evaderet. *Percius,* Pridiè Insidiarum, multo Sermone cum *Northumbriæ* habito, *in Suburbanum hospitium se contulit;* dùm certum rei Eventum cognosceret. Totâ urbe Famâ Conjurationis detectæ repletâ, sensit proditum Consilium; & in *Vervicensem Agrum* pernicitate equi profugit. *Vinterus, & Vrightij fratres,* casu nuntiato, extrema Supplicia metuentes, Fugam maturarunt: quâ compertâ, missi sunt, qui persequerentur, retraherentquè. Sed Proditores, quos magnus Metus urgeret, per obliquos Tramites, se sequentibus haud cunctanter eripuerunt. *Northumbrius* ipse, animo avertendi à se Criminis, Curiam ingressus, Audaciâ ingenti, Fidem apud quosdam fecit, nunquàm, si Conscius esset, oblaturum se Judicio. Alij dubitare, Criminis Suspicionem averti; nec nisi tàm potenti Duce confisos, facinus tantum ausuros Conjuratos. Ipse, *Regis jussu,* & Senatus Authoritate, sistitur; & Aulâ exire, sinè licentiâ prohibetur.

Intereà *Supplicationes,* in Palatio primùm, pro Benignitate Numinis; Deindè per universam Civitatem decernuntur. Miro Procerum, & Plebis Certamine, versi ad Cælum; & Deum, humanarum rerum Arbitrum, Magistratus, Populus, Nobiles, Matronæ, Regem Superstitem, & integram illi Sobolem, gratulantur; Quem, turbulentissimâ hâc tempestate, nihil æquè solabatur, quàm accensa hominum studia. *Rex,* Auctoritate Senatus, edixit, *Qui quorum operâ, dolove malo, summum id Nefas excogitatum profiteretur, Præmium fore, Insonti, Mille Libras; Sceleris Conscio, libertatem, & Impunitatem.* Prætereà eodem Edicto *Percij gestum, Incessum, Amictum, reliquumquè corporis habitum designavit; & Magnum præmium proposuit ei, qui Vivum cepisset.* Deditquè negotium Præfectis Juridicis, ut rebus turbidis, pro tempore, consulerent; *Cæteros ad Spem Veniæ gratiæquè pellicerent; ipsorum autem ducum, quovis Modo, potirentur.* Indè vulgatur per Urbem, servatum Munere Dei Regem, Regnumquè. Perniciem nunquam ulli Civitati propiorem fuisse. *Hispanos, aut Francos, Sceleris Authores extitisse.* Indignitas, & Magnitudo sceleris, homines, suoptè ingenio præferoces, facilè accenderat; rumorque Vulgum adeò moverat, *ut Baticus Legatus propè violatus esset, Nisi Præfectus urbi*

Servitia

1605. *Servitia coërcuisset*; expostulassetque, cur contrà Morem Obsequij, contrà Fas Urbanæ disciplinæ; contrà decus Patriæ, vim Legatis meditarentur. Postero die, *Rex* vagos vulgi rumores, Edicto cohibuit: & *Exteros Conjurationis affines non fuisse*, disseruit. Ubi Defectionem apertam factam audivit, majorem rem ratus, quàm ut per *Præfectos Iuridicos* ageret; misit ad omnes *Provinciarum Præsides* literas, Crudelissimam Conjurationem, & Tumultum, nuntiantes; admonuitque, *ut in armis palantes improvisò adorirentur, Captivosq; sisterent: adhuc teneras & fragiles vires, antequàm coalescerent, debellarent.* Missus etiam *Leptonus*, ex servis Regijs, vir acer, & impiger, *ut Perduelles judicatos consectaretur.* Literæ, propter Hyemis Asperitatem, Itinerum difficultatem, laborumque, tardius redditæ. *Præfecti Iuridici*, bono exemplo, Imperium anticiparunt; & ingenti Multitudine armatorum, persecuti sunt.

Dum hæc *Londini* agebantur, *Conjurati* per Provincias protinùs concipiunt, *Eventum Sceleris ex sententiâ processisse; de Curia Perlamentariâ, ac Proceribus procul dubio actum esse. Grantius* quidam nomine, Conjuratione non alienus, concitatis Popularibus, Procerum equos, qui ferocitate exultantes, Domitoribus subigendi tradebantur, rapuit; eorum Auxilio, Itineri, & operâ libentius usurus, quàm intractatis & Novis. Insolens hoc factum, & Sceleris Indicia ostendit, & Periculorum signa Provincialibus patefecit. *Everardus Digbeus*, cum fortè hæc gerebantur, *Aucupij atquè Venationis specie*, bellum domesticum triste, ac turbulentum, sinè Motu aut tumultu, meditabatur; Nihil minùs quàm tales Nuntios operiens. *Percius, Vinterus, Vrightij fratres, Dunchurcum, quo Iter intenderant, pervenerunt*; nuntiantes Perfidiam, Insidias, Proditionem patuisse. Quæ audita, varie animos *Conjuratorum* affecerunt. Primùm perturbati, incensique luctu, tantæ ad irritum cadentis Spei, Latebris aut Sylvis se eripere statuunt. Deindè, Mærore in Iram verso, postquàm emanasse Funesta Consilia viderunt, intutis latebris, subsidium ab Audaciâ petendum rati; bellum apertè moliuntur; Armis, Equis, & Pulvere Tormentario instructi, in Agro Vervicensi, tumultuoso agmine circumvolitant; Suorum, infimis precibus, implorant Fidem; Seditiosissimè clamitantes, *ut Catholici, qui salvam Ecclesiam vellent, Authores & Duces se Libertatis sequerentur; Mucrones à Iugulis repellerent.* Aliquanto minor Spe Multitudo convenerat. In ipso Itinere, *haud plùs Octoginta hominibus aggregantibus sese, ex Agris Vtrisque*; undè nihil usquam Spei propinquæ, nedùm satis firmi Præsidij, ad rebellandum; aut agendum aliquid. Trepidum *Perduellium* Agmen, per anfractus viarum, discrimine se eripuit. *Fulcius Grevillus*, Equestris dignitatis, ob egregia in Remp: Merita, *Regionis Vervicensis Præses*, intelligens se gerere *Personam Principis*, debere ejus dignitatem & decus sustinere; Leges servare; pericula propulsare, non verbis modò, sed armis certare, ubi opus esset; præscribit Inferioribus Magistratibus recta, utilia, & conjuncta cum legibus; Monet dubia, formidolosaque Reip: tempora; *Raptum illum Equorum, Inditium erupturi majoris Incendij; Nisi Abigeos properè opprimerent, & Orientem illum Ignem extinguerent.* His vocibus incitata Rustica Multitudo, rabioso furore fugientes circumsistit; Extinctores Patriæ, Proditores Regni appellat; nec manibus temperabat. *Tho: Vinterus, in turbâ à Fabro ferraria sauciatur; captusquè foret inter Tumultum, ni socij properè subvenissent. Ricardus Vernerus*, Equestris dignitatis, qui tum *Magistratum Iuridicum* in Provinciâ habebat; cum nec Fama detectæ Conjurationis; Neque Nuncius ex Regijs Servis, propter asperitates viarum supervenisset; *Vi, & Armis, Rebelles, ad Provincia suæ fines persecutus, fundit, fugatquè.* Illi perterriti, alias regiones, partesquè petunt; & in *Vigorniensem Comitatum* perfugiunt. *Ricardus Valshius*, ejusdem dignitatis, & *Vigorniensis Provinciæ Præfectus*, usquè ad *Cornaviorum* Regionem, & fines *Staffordiæ* disjectos, & longinquitate Itineris fessos insecutus est. *Proditores*, quos jam Equites & Pedites propiùs affligebant, instando Vestigijs, cum aliter Saluti prospicere non possent, *Holbecum, domum Stephani Litletoni, in Staffordiæ Comitatu*, timidè & trepidè se recipiunt. *Præfectus Vigorniensis*, ubi territos, exutosquè in domum compulit, Præmiorum ingentium Spe, & Cupiditate gloriæ adductus, *si Catesbeum, & Percium vivos cepisset*, digressos Provinciâ suâ persecutus est Præsidio armatorum, & domo utrinquè obsessâ inclusit; ut se dederent, præmisso Nuntio, nomine Regis cohortatus est; Spemquè fecit, si in Fidem Regis sese permitterent; propter Impunitatem, futurum se deprecatorem; quippè immanis Sceleris Famâ nondùm increbuerat. Obsessi, quos metus gravioris Supplicij urgebat, *falli eum magnoperè ajebant, si Deditionem speraret; satis cognitam Indolem animi, ingenijquè.* Præfectus se eludi sentiens, Oppugnationem accelerat; ad modum Obsidij, Stationibus cingit. Inter hæc, cum omnes Aditus armati obsiderent; & *Conjurati*, seipsos tuendi causâ, arma expedirent; Alius terror incessit animos eorum.

Pulveris sulphurei Jaculus igni admovent.

Pyrium Pulverem humore corruptum, Igni admoverant, ut facilius conciperet flammam. Scintilla levis ignis, seu Casu, seu Consilio Divino, Cumulum accendit. Hoc Casu *Catesbeus, Rookvodius, & Grantius, vi Sulphureâ ambusti*; reliqui ancipiti Metu mæsti, ac trepidi, & ab Igne & ab hoste pariter metuentes, *Parricidij pænitere, ultorem Sceleris adesse Deum, dicere cœperunt.* Id, velut Miraculo, ac haud dubiâ Numinis irâ, non compulit ad Deditionem.

Insigne exemplum Justitiæ divinæ per quæ quis peccat per hæc torquetur.

Præfectus, circumdari Ignes minitabundus jubet, nisi se properè dederent. Illi tantis circumventi terroribus, incerti, morando, an erumpendo plùs periculi contraherent; *Alius alium confirmare, & hortari, ut simul potiùs perirent, quàm extorti morerentur*; tandem per apertam portam erumpere. *Catesbeus, Percius* tergo coherentes, reliqui conglobati se gladijs suis protegunt, in confertam Multitudinem simul irruunt, atque ibi offerunt ultrò se vulneribus. *Præfectus Catesbeum & Percium vivos capere nititur.* Cæterum illi ferociter adeò confertos invasêre,

ut parci

ut parci ijs sinè multorum Pernicie non posset; *Catesbeus, & Percius eodem globo plumbeo transacti.* 1605. *Catesbeus instanter exanimatus concidit. Percius vulneris Medelam respuens, biduo post moritur.* Eodem tempore, *duo etiam Vrightij fratres, multis vulneribus acceptis, interfecti:* comprehensi protinùs cæteri, ac in vincula conjecti; manifesti *Parricidij* pœnas, legibus & Judicio daturi: missique qui *Londinum*, gaudium ingens nunciarent. *Interfectorum insepulta jacebant corpora;* Noluerunt feris Cadavera objicere; ne bestijs quoquè, quæ tantum Scelus attigissent, immanioribus uterentur; *Per lutulenta volutabra diu tracta;* inter magna Vulgi Ludibria; Viris, Mulieribus, Puerisquè incessentibus, *Stercore, & Cœno inquinata sunt.* Cum satis diu ostentui fuissent, Cervicibus Capita abscissa, fixaquè Palis, ad terrorem, & ludibrium. *Percij Cranium*, quasi in Speculâ sublimè stetit; ubi paulò antè *Suffossorum* fuit Præfectus.

Rex *Nono Novembris* congruentia rei & tempori præfatus, *illo sibi Die dari vitam & Imperium: Authoremquè tanti muneris solum Deum, Oratione sapientissimis Sententijs, gravissimisq; verbis ornatâ, & perpolitâ, testatus est.* Quam, quia in eâ Ingenij vis, quæ summa fuit in illo Principe, elucere videtur, invertere nolui, ne vertendo deteriorem redderem. *Prorogatis Comitijs in Mensis Ianuarij* XXI *diem*, ut in hujus horridi flagitij latebras, summo labore & diligentiâ inquireretur; ac justâ ultione tàm inhumanum *Parricidium* vindicaretur; *Proceres*, quibus Provinciarum Administratio commissa; & *Primores Equitum*, domum, omni celeritate, festinant; ut *Parricidarum* rabiem comprimerent. Intereà Latrones, qui *Catesbeo, & Percio ducibus*, statum Reip: nefarie opprimere conati fuerant, *Londinum* tracti; & Carcere inclusi; Jucundissimum Spectaculum Civibus præbuerunt. Concursus undiquè factus, visendi Causâ. Pars multitudinis procurrit in vias; Pars in æditio Vestibulis stat; Pars ex Tectis fenestrisquè domestica Prodigia prospectat; Infantes quid rei sit rogitant; Alacer hinc atquè indè Vulgus, avide perlustrat; ubique ingens gaudium. Pro *Regis Salute* collata omnium vota, & Securitate Imperij. à præsenti *Rex* Supplicio se continuit. *læsa Majestatis Crimen* disquisitioni Judicum reservavit; & abripere *Perduelles* ad Quæstionem jussit. Huic Quæstioni præfuerant *Nottingamiæ, Vigorniæ, Suffolciæ, Devoniæ, Sarisburiæ, Marriæ, & Baroduni Comites. Pophamus, Eduardus Cokus, & Gulielmus Vadius*, Tormenta ad eruendam Veritatem minitantes, repentè *omnes comprehensi Metu gravioris Quæstionis, detegunt Infandam Proditionem. Tho: Vinterus*, totius Conjurationis magis gnarus, ordinem cogitati sceleris exposuit. Ex Captivis cæteris, comperta ferè congruentia.

Regis oratio in ordinum conventu.

Quæsitores collocuti, satis Quæsitum videri; Quæstionibus perfectis, ad Regem revertuntur, omnibus ordine expositis, quæ delata primò; quæ deindè à se inquisita forent, agnoscentibus deniquè Reis. *Rex* imperavit, *ut Socios sceleris omnes conquirerent, tàm Laicos, quàm Clericos;* quos Conscientia furoris in fugam atquè latebras compulerat: comprehensosque in Turre ad Quæstionem, Animadversionemquè servarent. Dimissi deindè per Agros, qui vestigarent. *Præfecto urbi* mandavit, ut Vigilias disponeret per urbem; servaretquè, ne qui Nocturni Cœtus fierent: *utquè ad Incendijs caveretur;* Quippè rumor dissipatus temerè, quosdam de spergendis huc illuc per urbem Ignibus Consilia nefaria inijsse; *ut in consternatâ Nocturnis Incendijs Civitate, refringi Carceres possent.* Ad hæc Officia circuire Urbani Magistratus, *& Carcerum intentiorem Custodiam agere.* Præsides Provinciarum, omnes latebras Suspicionum peragrarunt. *Robertum Vinterum, & Stephanum Litletonum* latebris suis extraxerunt. Mox, Indicio, *Franciscus Treshamus*, Dives & Præpotens, Conjurationis haud occultè particeps, in Custodiam conjectus est. & Nobiles quidam homines, *Montacutius, Mordentius, Sturtonius, in tàm atrocis rei Suspicionem vocati; quod Primo Comitiorum die abfuissent.* Sed Infamati magis, quàm convicti, intentiore Custodiâ asservari jussi, ne effugerent.

Ubi *Dies Comitiorum* venit, *Oratio acris, vehemens*, sensus & dolores incitans adversùs Pontificios, & Romanæ Ecclesiæ pravos usus, *ab Antistite Londinensi habita;* qui eò dementiæ progressi sunt, inquit, *ut in Patriam, Patrem Patriæ, Parentes ac liberos, & Majestatem hujus Summi Imperij conjurarint; leges divinas humanasq; violaverint; Provincialium fidem ad rebellandum tentaverint; Nobilium fidem ad tantum scelus corruperint: non respectus Numinis, non privata Pietas à publico Parricidio revocarit.* Proindè optavit, *ut semel, læsæ Majestate Imperij, Securitati Principis, Tranquillitati Regni, Saluti omnium acerbissimis adversùs eos pœnis, consuleretur; darentq; operam*, ne quid, fraude eorum, periculi, aut tumultus posteà oriretur. Censuêre Proceres, *Decreta de Pontificijs*, religiosâ Severitate Majorum interpositâ, & varia Pœnarum genera, denuò examinanda; & plenius de ijs cognoscendum esse. Si Reip: tempora postularent, se ad *Regem* laturos, ut graviora in futurum decernerentur; aut Neglecta, Magistratuum Incuriâ, revocarentur. Hoc negotium *Octo Proceribus Ecclesiæ, Totidemquè Regni* datum est. Et illi impigrè exequuntur. Intereà æquum censuêre non ulli, Lege sanciri, *ut Pontificij, cum liberis, Conjugibusq;, sua omnia secùm portarent;* id tutius & honoratius fore. At Illi Suppliciter deprecati, *ne Terram, in quâ geniti essent, Agnatos, Affines, Sepulchraquè Majorum, cogerentur relinquere; nec Iure ullo, nec exemplo tolerabile id fieri posse.* Actum inde in Comitijs, magnis Contentionibus, *ut Pontificiorum liberi, Minores 14 Annis, Matrum gremio, Parentum complexu avellerentur; & in Purioris Religionis disciplinam traderentur.* Sed animos Prudentiorum incessit Timor, *ne Sceleribus humanis vindicandis, divina Iura violarent.* Antistites qui pium Cultum Numinis, & Puram Religionem Sanctissimè tuendam arbitrabantur, *hoc ex lege, aut Religione fieri, negare.* Cum ergò *Præsules proceribus Religionem injecissent*,

1605. non posse justè à Complexu Matrum filios abduci; *Neq; vim Conscientia humani generis inferri*: hâc Religione, hoc Conatu repulsi, ultrà agi desitum.

Actum Posteà de *Fori Tabe*; *Litium Serie*, *ultrà Modum excrescente*; *Immanibus Iacturis*, *infinitisquè Sumptibus Litigantium*; *& Notariorum Corruptelis*; *qui Senatorum & Iudicum Sententias prascriberent*. Triplicis Fori Decreta, aut Judicum Authoritatem vellicare nemo ausus. Pleriquè *Patronorum Potentiam*, *ac Opes*, *aliorum rabie & erroribus quasitas*, *lucrosam & saginantem Eloquentiam Fori*, *diuturno Clientum Squalore*, *& Annosis litibus*, invidiosè criminabantur. Non vendere Forenses Operas, nec tanti Muneris Authoritatem pretio & Mercede elevare, magnificentius fore. Lucrum & Quæstum maximum esse, prodesse quàmplurimis, disserebant. Sed, Quis est tandem, qui Inopis & optimi viri Causæ, non anteponat, in operâ dandâ, gratiam aut Fortunati, aut potentis? Aut quis in publico verba facit gratis? Neminem invenietis sinè pretio huc venire, donec ex Forensi celebritate, constituto ex publico Honorario, ad Subsellia evectus sit. Sunt certè hodiè multi iniqui rerum æstimatores, Invidiæ aut Rusticitatis rei, qui Splendorem & Speciem hujus vitæ, in quâ nulla est Intercapedo Molestiæ, intuerentur; *Sollicitudinem autem & Laborem Iurisconsultorum perspicere non possunt*; Nec animadvertunt *Mercaturam exercentes*, rem Nummariam tractantes, & Aulæ Ministros, *ex Mendicis fieri repentè Divites*. Tandem, *Decreto Ordinum*, Scribæ, & *Notarij Tribunalium*, pro Codicillis & Scriptionibus, *ultrà Mercedem legibus constitutam*; & *Assessorts Pratoriani*, pro litibus atquè Judicijs, *Sportularum nomine*, aliquid exigere, prohibentur.

Gratuitum patrocinium.

Iurisprudentia laboriosa.

Mox, *exeunte Ia^r*. à Rege Judices delegantur, qui de Confessis in *Pratorio Vestmonasteriensi* cognoscerent. Ij fuerunt *Nottingamia, Suffolcia, Vigornia, Devonia, Northampsonia, Sarisburia Comites, Primarius Institiarius Anglia*; *Primarius Baro Scaccarij, & Petrus Verbersonius*, *Communium Placitorum Iustitiarius*. Ad Tribunal rapiuntur *Vinseri fratres*, *Guido Fankcius*, *Ioannes Grantius*, *Ambrosius Rookvodius*; *Robertus Kejus*, *Everardus Digbeus*, *Franciscus Treshamus*, incertum, an Morte voluntariâ, Juditium præverterat. Ubi Dies dicendæ causæ venit, *Eduardus Philippus*, Equestris Ordinis, *Administer ad Legem Regius*, sivè *serviens* ut Vulgò loquntur, omnia quæ *Conjurati Singuli, universiq;* hostiliter dixerant, fecerantquè, Criminosè exposuit. Sed abnuebant vera esse, quæ objicerentur. *Ed: Coks*, *Cognisoris Regij* acerbior Oratio fuit; qui Vultu truci, & Accusatoriâ voce, quæ commemorata *à Philippo* essent, Argumentis, & Probationibus illustravit; ac rem evidentem pro dubiâ fecit. Sed prolatis Quæstionibus, quæ in Turre habitæ sunt, *Rei Confessionis gloriam amplexi*, sinè cunctatione fassi sunt, agnito quisquè suo Signo, Suâ Confessione, *Iuratorum Sententiâ Majestatis convicti*, nullo dicto, factove memorabili. *Tho: Vinserus* pro Fratre, *Batesius* pavidus *pro suâ Incolumitate* suppliciter deprecatus est. Cum Cæteros Flagitij non minùs puderet, quàm pæniteret, unus *Rookvodius* Noxam dicendo elevavit; Scelerati Consilij culpam in Authorem vertens; Se nec Authorem, nec Actorem hujus Tragædiæ dictitans; & Excusatione summæ Amicitiæ, summæ Benevolentiæ ergà *Catesbeum* usus est, *Vnum in tota Orbe Terrarum ex animo Amicum*, *quem sinè Scelere prodere non poterat*. Turpis sanè Excusatio, & minimè ferenda; cum in cæteris Maleficijs, tum si Quis Extinctor Patriæ, Proditor Imperij, se Amici causâ fecisse fateatur. Quippè talis improborum Consensio, excusatione Amicitiæ tegenda non est. Indè eum magnâ attentione auditus est *Everardus Digbeus*, magis eò; quod quæ *Procurator Regius* objecerat, diluere utcunquè conatus non sit. Manifesta enim res erat. Orsus ille à Consilijs, rationibusquè, quibus adductus in hos Scopulos appulerit; *non Ambitu, Cupiditate honorum, aut rerum suarum desperatione lapsum, se disserit. Quippè in eâ Fortunâ, Nummis beneficio, constitutum, quâ majorem nemo Privatus praoptaret; sed singulari Amore, & Charitate in Catesbeum compulsum*; *in rebus omnibus, contrà propriam Salutem, Ius Majestatis atquè Imperij, voluntati ejus obsecuturum*. Ita *Digbeus*, cum Familiaritatis Excusatione uteretur, Nefarij Proditoris damnatos Mores defendere ausus est. Verùm perrexit multo audacius, multoquè periculosius disserere, *Religionis Causam non suam agi. In Sacris Ceremonijsq; retinendis, Majorum Instituta servare, summâ Religione, Sanctimoniâque, Sapientis esse. Se pro Catholicâ Religione, Opes, Potentiam, Vitam, Famam, Conjugem, Sobolem, Cateraquè hujus Saculi Commoda, manifestis periculis objicere paratum semper fuisse: debere idem facere Cateros Sapientiâ praditos. Fidem Catholicis datam, de Religione tolerandâ, servatam non fuisse. Postremò veritum se, ne his Comitijs, ad Fiscum revocarentur Bona, Fortuna, Possessionesquè omnium Pontificiorum. Vxores cum Maritis eandem Calamitatem & Mulctam subirent.* Cætera deprecatio erat, *Pro se, Conjuge, & Liberis*. Pro *Se*, Atrocitate pænæ & Criminis conterritus, deprecatus est; *ut ipse Nocens penderet panas Sceleris, Capitali Supplicio; Non innocentes Vxor, liberi, Sorores, Scelus luerent*. Pro *uxore*, ut *Fundus Dotalis* concederetur. Pro *liberis*, ut Beneficio Donationes factæ antè Scelus cogitatum, fruerentur. Pro *Sororibus*, ut Dotes persolverentur. Pro *Creditoribus*, ut Rex amicis ejus, qui pecunias credidissent, fidem suam præstaret. *Permittite*, inquit, *Proceres à Pietate vestrâ impetrari*, *ut Liberis & Creditoribus indulgeatis*. Cognitor Regius, Sermone perbrevi, Excusationis capita perstrinxit. *Miseram & calamitosam cum Catesbeo Amicitiam, Amentis potiùs, quàm Amantis fuisse. Religionem, quam prase ferret, perversam atquè Impiam esse Superstitionem. Pium Cultum Numinis, summo scelere non contaminandum. Pubescentes Christianos non Romanis Imperatoribus insidiatos, non in Patriam bellum crudele, triste, ac exitiosum molitos; non Statum Reip: conatos convellere. Nec Pontificijs de Religione tolerandâ Fidem ullam datam fuisse. Si Fides data sit, non eam Regem Iacobum, sed Perfidiosum Vatsonum Sacrificulum dedisse. Istius Sacrificuli fide, ac potiùs Perfidiâ,*

Magistri Cancellarij Iudicantes nihil accipiant.

Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaverit.

Perfidiâ, deceptos Pontificios, qui Conscientiâ scelerum turbati, in Comitijs quicquid meruerunt, semper expectarunt. Deprecatio pro Conjuge, & liberis, non eis animis audiebatur, qui aut moveri, aut flecti poterant. Compressus est *Digbeus*, perseveranti Interrogatione Procuratoris Regij; *Cur non te privata ista Pietas à publico Parricidio revocavit?* Actionem in Proditores, & pulcherrimas *Northamptonij, & Sarisburiensis Orationes, de Turpitudine Facinoris detestandi*, elegantissimus rerum Britannicarum Scriptor, *Cambdenus*, literis prodidit. Cum propriæ Simultatis causa, alterutri nulla in Reum esset, ex duorum Senatorum Acerbitate, qualis in Se universi Senatus animus esset, conjectavit. Ita Inditio, & Confessione suâ convictus. *Iurati, læsæ Majestatis reos* peregerunt. *Pophamus, Index Criminalium*, pronunciavit severam, gravem, & immanissimo Scelere dignam Sententiam, *ut, More Proditorum, punirentur. Digbeus* ad leniendam Invidiam his verbis intercessit, *Exitum Industij fœdum & perniciosum, minùs acerbum fore, si Iudices delegati, suæ potiùs bonitatis, quàm ejus culpæ memores, ignoscere sibi dignarentur.* Cui obnixè extremâ obtestatione supplicanti responderunt, *Ignoscat Deus Immortalis, nos verò ignoscimus.* Ille humanissimis verbis maximas gratias omnibus egit, quod in tanto sibi Scelere ignovissent. 1605.

Biduo post, *Everardus Digbeus, Robertus Vinterus, Ioannes Grantius, & Thomas Batesius*, circumfusi Satellitum manu è Carcere ad Supplicij locum, *juxtà Occidentalem Portam Ecclesiæ D: Pauli*, atquè ad Necem rapti, per omnes vicos & cætus hominum, *Cratibus tracti*: More Majorum, *Resti suspensi: præciso mox laqueo, abscissis genitalibus, cæsis revulsisquè Præcordijs, visceribus in flammam conjectis, membris dissectis, inque cruentato Solo sparsis*; genus Mortis tædium meritissimâ ultione perpessi sunt. *Vinterus, & Grantius*, tantâ desperatione obstinaverant animos, ut nec in supremo vitæ Articulo, horrendum scelus detestarentur. *Batesio, Catesbei servo*, Confessio culpæ, Erroris pænitentia, & in preces versa Orario pro Regis, Regniquè Incolumitate, profuerant, ut mitius puniretur. Sed à cæteris, *Digbeus* virili dignitate decorus, omnium ad se averterat oculos; miserebatquè non cruentæ pœnæ magis spectantes, quàm sceleris, quo pœnam meritus esset. Fœminæ, nullâ nec Authoritate, nec verecundiâ, nec Imperio virorum, contineri poterant, quin Cruciatu atquè supplicio pascerent oculos, animumquè exsaturarent. parcere certè Spectaculis, ubi nudi ad Supplicium protrahebantur viri, respectu Sexus, & humanitatis, debuerunt. Nulli *Conjuratorum* temperatum.

Postero die, *Theatrum erigitur, in Areâ veteris Pallatij Vestmonasteriensis*, pro Curiâ Comitiali; in quâ *Histriones Tragœdiam funestam acturi erant. ibi Tho: Vinterus, Ambrosius Rookvodius, Robertus Keijs, & Guido Fankcius*, Proditorum more cruciati, acerbissimâ Morte periêre. *Proditionis Supplicium apud Anglos*, lento, graviquè Cruciatu corporis peragitur. in alijs gloriari licet, nulli gentium mitiores placuisse pœnas; quippè *Nulli Rotarum radijs distracti; Nulli Quadrigis distenti; Nulli Palis induti; Nulli Serrá dissecti; Nulli novo, aut inaudito Supplicij genere absumpti; Sed aut Securi percussi, aut Laqueo suspensi, aut Pondere pressi, vitam finiunt.* De *Humfredo Littletono, & cæteris Conscientiâ Conjurationis illigatis*, per Provincias Supplicium sumptum; ut flagitij notitia ad Provinciales perveniret, & Justi Supplicij exemplum.

Cæterùm, *Iesuitica quoquè Conjuratio* non ultrà fefellit. *Ioannes Gerardus, Henricus Garnetus, Osualdus Tesmondus, & Hallus, Ignatianæ Societatis Presbyteri, Conjurationis acerrimi instinctores extitère.* Rex Edicto passim proposito, à *Præfectis Iuridicis, cæterisquè Magistratibus* comprehendi jussit. *Tesmondus, & Gerardus*, metu Judicij, voluntarium Exilium, longinquumquè consciverè. *Duo reliqui* quibuscunquè potuêre latebris sese abdidêre. Nec diu post, *Garnetus, Superior Iesuiticæ Societatis in Angliâ, & Hallus*, ex latebrâ ædium *Abingtonij*, impotentis viri, eruti, publicè custodiendi in Carcerem conjecti sunt. Quacumquè ducebantur, magnum Concursum hominum fecerunt, ex his Oppidis, quà ducebantur. Rex *Garnetum, Ducem Proditorum*, in Turrim, optimam tutissimamquè Custodiam, contrudi imperavit; Victu, cæterisquè rebus, quàm liberalissimè suppeditatis. Is productus ad Causam dicendam in Senatu, magnum Pertinaciæ exemplum præbuit. Percontantibus Senatoribus, *posset nè Pontifex Romanus, Iacobum Regem, Iure Pontificiæ Potestatis, nominatim excommunicare, eoque Regni abrogare, et alium substituere: simul Britanniæ Proceres solvere Fidelitatis Iurejurando, quo se Iacobo devinxerant?* Frequenti Patrum, Procerumque cætu, contumaciter respondit, *Iuxtà generalem Ecclesiæ Romanæ doctrinam, & Canonem*, Nos sanctorum, *licere Pontifici, animorum Parenti, Sacrosanctæ Potestatis Iure, omnes Reges, Principesque, impiæ hæresis damnatos, nominatim execrari, & dominijs exuere.* Cum in *Hypothesi* urgeretur, *Quid Paulus Quintus Pontifex Maximus, in Iacobum Primum posset; Et an Angli essent hæresis damnati?* In Thesi perseveravit, statuens non ultrà progredi. *At Secessionem omnem à Romanâ Ecclesiâ, Impietatis, ac Schismatis damnare ausus. Arbitrium etiam rerum profanarum penès Pontificem impiè prædicans.* Id quod omnibus permirum fuit, in re profanâ, Civiliquè, Pontificis, contrà Christi Servatoris Institutum, sævissimam Tyrannidem defendere. Quantum rebus humanis invexerit Mali, *immoderata ac effrænata Romani Episcopi licentia*, omnes per *Europam* Nationes non modò viderunt, sed etiam senserunt. Nihilominus, *Iesuitæ*, illius Idololatriam, Errores, Vitia tutantur. Senatus Impietatem, Obstinationem, Temeritatem, & Religionis Calumniam aversatus, postremò interrogavit, *An Perfidiosissimæ Conjurationis Conscius esset?* Ille maximi Sceleris *Conscium se pernegavit. Doctrinam, & Vitæ cultum, cui se à Pueritia dederat, in defensionem trahens.* Interfatus est *Prætor, huic tanto facinori tua Mens liberalis Conscia esse non debuit*; & in Carcerem condi jussit, ad

 ulteriorem

1605. ulteriorem Quæstionem. Ubi diu abnuit Conscientiam facinoris. Sed, *cognito Treshami Indicio*, cuncta jam patefacta videns, nec ullum Silentij emolumentum, *Confessionis gloriam amplexus*, in publicâ Custodiâ servatus est, Anno insequenti pœnas daturus. *Hunc Exitum habuit fera Nefariaquè Conjuratio.* Criminis hujus Occasione, Bona perditissimorum Civium, corporibus trucidatis, *in Fiscum redacta, & liberi Successione exclusi*, Proditores, metu Condemnationis territi, *in Fraudem Fisci Literis prospexerant*; sed ademptum filijs, quod à Patribus perventurum erat ad eos. *quæ verò non à Parentibus, sed à Majoribus acceperant, Rex non ademit.* Mirâ, & singulari *Principis* Clementiâ in tàm atrocis Facti scelere.

Legibus & Institutis Anglicis, sicut Sceleribus puniendis atrocia Supplicia, ita rectè factis Eximia Præmia proposita sunt. *Montaquilem*, quod ejus operâ detecta Conjuratio esset, magnis & amplis Muneribus ditatus est; *Prædia rustica* ei pro Pietate in Patriam data amplissima; & *Pensio Annua Quingentarum librarum ex Ærario constituta*; ex omnibus Præmijs amplissimum præmium, *Gloriam Iudicio consecutus est.* De Interfectorum Impunitate, Præmijsquè Regi permissum. *Interfectores Catesbei & Percij*, neque Præmio affecit, neque punivit. *Vigornensis Præfectus* Liberalitatem ejus expertus est.

Quibus rebus confectis, in Suspicionem Conjurationis vocati sunt *Angli, Belgio extorres, Gulielmus Stanelius*, Equestris Ordinis, *Hugo Ovenius, & Balduinus, Iesuitarum in Belgio Legatus.* Rex per *Thomam Edmundum Oratorem suum*, Pacis causâ jam diu *Bruxellæ* habitantem, & ibidem *res Britannicas* procurantem, *comprehendi, dediquè sibi Conscios nefariæ Conjurationis flagitavit, ut eos Senatus Anglicanus percunctari posset: curaturum se spospondit, si extrà Noxam essent, ne quid eis Injuria fieret*, utquè tutò essent. Id *Principum* interesse dictitans, & ad Securitatem pertinere, ut Suspiciosissimo hoc tempore, in tantâ hominum Perfidiâ, & Iniquitate, Perfidiosis, Insidiosis, Improbis omnia obstructa perfugia sint. Primò rei atrocitas perturbavit *Archiducis* animum: ac ut à Publicâ Conscientiâ culpam removeret, *Ovenium & Balduinum comprehendit*, & in Custodiam conjecit: *Stanelium honoratiorem virum excusavit*; quod non modò *in Belgio*, sed ne in Regione quidem propinquâ fuisset, cum agitata res diceretur. Posteà, collecto animo, *se non missurum eos in Britanniam ad purganda Crimina respondit*; *Quia Ministri Batici Regis erant, & Secretorum participes, si Quæstioni subjicerentur, periculosum, ne arcana Batici Imperij, & ministeria Servorum vulgarentur.* Legatus ab *Archiducis* Colloquio ita digressus est, ut præ se ferret, nihil eorum quæ dicerentur sibi placere. Neque cuiquam Bono satis justa Excusatio visa est. *Hispani*, qui ut Pace uterentur, Vim Argenteam dederant, Paci ac Tranquillitati consulendum putarunt; & *Ioannem Mendozam, Sangermani Marchionem, ad deprecandam Iram Regis, & petendam veniam Excusationis, si non Iusta, saltem Probabilis, in Britanniam miserunt*; Sperantes hominem Splendidum, & gratiosum, gratijs agendis, & gratulationibus habendis, aliquid Momenti facturum; & Offensionem, magis à Zelotypiâ, quàm ab Injuriâ natam obliteraturum. *Is amplissimis verbis perniciosam Conjurationem concitatam, faustè, feliciter, prosperèque evenisse Regi gratulatur: Ovenium, & Balduinum, propter Romanam Religionem Exules, restitui non posse, benignè respondit, sive periculo Offensionis Pontificis, Populiquè; in longinquum Exilium ablegare decrevisse Regem; ne repentè in medio cursu Amicitiam captam justa Offensione disrumperet.* Jacobus antè providerat, ne animus ab Iracundiâ occuparetur; *nihil tàm deforme reputans, quàm ad summum Imperium, Acerbitatem Naturæ adjungere*; Excusatione acceptâ, Offensionem conniventibus Palpebris prætermisit. *Dona tulit Regi Sex Phaleratos Equos; Reginæ pallam pictam, & Tunicam Purpuream* Succino madentem.

Cæterùm actum in Senatu, ut Ærarium, importunis flagitationibus exhaustum, omni ratione suppleretur. Senatores adjuvandos Principis reditus censuerunt. Sed Arbitrio *Procerum, & Procuratorum Civitatum*, in legitimo totius Regni Consilio, ubi dies venit, *qui fuit 22 Ianuarij*, Proboulos publicam *Paupertatem Questus, Civium* imploravit Auxilium, *ut Inopiam Fisci juvarent, & sublevarent Subsidio rei Nummariæ.* Comes *Dorsetciæ, publici ærarij sibi commissi studiosè rationem reddidit.* Simulquè disseruit, Regias Opes sumptibus impares; *Onera reip: Annuos Census bis Centenis Millibus librarum excedere.* Patrimonium publicum angustius, prudentissimis Procerum Consilijs supplendum. Tum *Cæcilius* multa de Munificentiâ, in Primordio Principatus Regi necessariâ, & Ærarij Inopiâ locutus, vehementer petere instituit, non sufficiente Ærario, *ut, in Subsidium, leve Tributum indiceretur.* Verùm, in pecuniâ præstandâ; non eâdem facilitate in Consilio Ordinum obtemperatum. *Proceres Regni & Ecclesiæ, proprijs Opibus juvare facilè consenserunt. Procuratores Civitatum, & Primores Equitum, exemplum, in posterum magis, quàm præsens detrimentum metuentes, Tributa, Collationesquè pecuniæ detrectarunt, Deplorantes bonis exui Plebem, Ærarium publicum exhauriri, ut Pauci Sumptuosi magnificè excolantur.* Henricus *Telvertonius, Iuris Municipalis peritus*, qui in Judicijs, Causisque orandis advocari solebat, *Orationem habuit in Comitijs de Miserijs & Calamitatibus Plebis.* Urbanam, nomine Vectigalium, nomine Subsidij, Tributis Annuis, ac Exactionibus, alijs super alias, extremâ inopiâ confectam; *Agrestem*, Provincialibus Ministerijs, & omni genere extorquendæ Pecuniæ, *à Coactoribus vexatam*; Pecus, Pabulum, & magnam Commeatuum partem, quæ *in Regis usum* colligebatur, *in Privatos usus aversam.* Tandem demisissimè postulavit, ut laboranti reip: subvenirent; auditis tenuiorum querelis, Subsidia, gravescentibus malis publicis, pararent. Itum igitur ad *Regem.* agunt de Collationibus abrogandis; rogant, ut Oneribus, quæ ultrà ferri non possent, levarentur. *Rex benignè respondit*,

malle se potiùs omnia Prædia rustica distrahere, & Regium Patrimonium omne oppignorare, ad reip: onera sustinenda, quàm aut Plebem iniquis Collationibus vexare; aut intolerabilia Tributa, in ejus perniciem excogitare. Verùm temporibus parendum esse. Debita, Remunerationes, tot Largitiones, & Necessitates reip:, subsidio rei Nummariæ, necessariò indigere. Vrgente Necessitate, cum pecunia in Ærario non sit, Sumptus & Tributa æqualiter toleranda esse. Nullam in Collationibus ejus Culpam; plerasquè à Majoribus Regibus Angliæ, Consensu Ordinum, constitutas; per multos Annos, sinè querelâ, toleratas. Provisurum se, ne Novis Oneribus, turbarentur; coërciturumquè Coactorum Cupidines, Suadetquè, ut Veteres Collationes, sinè Avaritiâ, aut Crudelitate Coactorum, tolerent. Hâc Oratione *Rex* non leviter animos commotos inflexit. Et maximè movit *Proceres*; Consensum Procerum *Equester Ordo* est secutus; Equestris Ordinis, Procuratores Plebis, Subsidium, *ex Censu Cives*; *ex Decimis, Sacerdotes* ultrò contulerunt. 1605.

His Comitijs, ad æternam Sceleris Ignominiam, *Dies Quintus Novembris, Comitiali Auctoritate, Sacer decretus.* Qui dies Solennis in posterum, servatus *per universam Britanniam. Theatralis licentia in Numinis Injuriam erumpens, publico Decreto coërcita est.* & Prorogatus Conventus Ordinum, *in 18 Novemb: Anni insequentis.* Eo fortè tempore, *Ovenus, Garneti famulus, statim moriendi impetum capit*, ut Ignominiæ se, ac Supplicio subtraheret, & Damnationem anteverteret, *Scalpro obtuso ventrem suffodit, nec factum peregit*; irrumpentibus, ad primum genitum, Custodibus, inventus graviter saucius; modò celans, modò detegens Plagam. *Præfectus Turris* inhiberi Mortem imperat, oblatâ mitiore spe; Chirurgi, Serviquè curant Vulnus, premunt Sanguinem. Ille non tàm Pœnitentiâ Facti, quàm Præfecti Obtestatione, & blandimentis Vitæ victus, colligari, curariquè se passus, *eodem die exanimatus est. Corpus Furcæ datum.*

Tam suspensæ, ac sollicitæ Civitati Fama incerta attulit, *Regem in venationum Apparatu, perijsse* ex Insidijs. Vanus rumor absumpti Regis, Proceres in Regiam accivit. Varij animorum habitus, satis dici narrariquè non possunt. Equidem credibile non est, quanta formido, funesto eo die. Senatores à Curiâ, atquè Regis Liberis non abscessêre; divisis per itinera Equitibus, qui obvium quenquè percontarentur, magnâ Consternatione. *Populus non antè flere destitit*, quàm unus & alter *non modò visum à se Regem, sed salvum & Incolumem confirmarent.* Tanto certamine, ac tumultu Populi, ad fores Regiæ concursum, ut adire Nuncius non posset; trahereturquè à Percunctantibus de salute, ac Incolumitate Principis. *Ipsum deindè Regem appropinquare allatum est.* Hinc omnis ætas currere obviam. Circumfusus omnis generis hominum, videre cupientium, frequentiâ, in Regiam pervenit. *Proceres, genibus ipsius advolvuntur, Dextram Osculis Fatigant. Montgomerius* certo jam gaudio, *Lachrimis & Lamentationibus* non continuit. *Magnus tum Clamore Plausus Populi est ortus, multotiesquè repetitus. Omnes Cives, cum Proceribus, Salutem, Incolumitatem, Reditum gratulantur*: precantes Deum, ut diu Incolumem, florentemquè præstaret. *Celebratior is propè dies,* favore hominum, & Veneratione fuit, *quàm quo primùm urbem Triumphans est ingressus.* Postero die, *Certamen gymnicum Anniversarium aderat.* Semper quidem, & aliàs frequens, cum propter Spectaculorum studium, insitum genti; tum propter Salutem *Optimi Principis*, Theatra Multitudo innumera complevit, visendi cupidine, aut Officio in Regem.

In *Vlteriore Britanniâ*, hoc Anno constitutâ ad Arbitrium Rep: & *Ecclesiasticâ hierarchiâ stabilitâ*, ut nihil inter Subditos, vel ad Corporis Tranquillitatem, vel Animi Salutem, ulterius desideretur; magnum autem studium, non solùm conservandæ, sed etiam amplificandæ Religionis in universâ Insulâ; *Delegati Regis, in Synodo Andripolitanâ* vehementer contendere cæperunt, ut *Purioris Religionis Professores*, Antistitum *Auctoritatem in Sacris agnoscerent.* Instante acriter, ut id fieret, *Davide Moravio Seonano ex Apolectis Regijs.* post longam Disceptationem, responsum à Ministris, *Paucos in præsentiâ adesse suorum; nec eos posse cogere Absentes, ut à se Decreta confirmarent. Ob eam rem Regis postulata differenda; donec Provincialis Scotiæ Synodus celebraretur.* Superiore Anno, inconsultis Apolectis, quibus internuncijs de Synodi Actis Rex certior fieri solitus est. *spretâ Imperij Majestate, Abredoniæ Synodus habita.* Hoc Anno, Ministri qui Regio Edicto inhiberi non potuére, frequenti Procerum Consilio arguuntur. Illi Contumaciâ indurati, in eo obstinate perstant, *Nihil à se, nisi Iure, & Ordine, in Conventu legitimo actum. In re profanâ, Civiliq́; se in Regis potestate esse; Verùm in Sacro, Ecclesiasticoq́; Iure, Authorem Principem non agnoscere respondens; nec Superiorem, præter Deum.* Ingerentes identidem, *ut quæ Dei sunt Deo; quæ Regis Regi darentur.* Rex Contumaciâ responsi, Injuriâ, Indignitateque lacessitus, *in universum Ministrorum Ordinem exarsit*; Regum Majestatem, Juraquè Præsulum tutatus est. Ac non multò post, *Sex Ministri*, magnæ Auctoritatis inter suos, qui turbandarum rerum Auctores extiterant, *Limnuchi, Majestatis* insimulati; *quod sinè Imperio Principis, Synodum Abredoniæ celebrassent; ac damnati.* Aquâ & Igni in perpetuum interdicti, *in Franciam, aut Belgium* concesserunt. *Cæteri exauctorati veniam, Impunitatemq́;, infimis* precibus impetrarunt. Totaquè *Britannia* famâ exilij repleta, variè affecta est. *Extorres à sua partis Popularibus, velut Martyres, in Concionibus laudati; ab Inimicis, tanquàm Seditionum, Tumultuum, & factionum fomites exagitati.* Rex id indignum ratus, *inimicæ factionis Capita, de Imperio cum Præsulibus certantia*, in Aulam evocavit; & partim in *Angliâ detinuit*; partim domum remissos, *Parœciæ suæ finibus continuit*; multosquè Decreto *exauctoravit.* Non aliud *Optimo Principi* propositum fuit, quàm ut gloriam Dei, quibus posset rationibus, promoveret, & amplificaret; afflictam Scismate, nutantemquè Ecclesiam stabiliret primò, deindè ornaret. Cæterùm, *Robertus Bru-*

Ministrorum imminuta potentia.

1605. *tim, longè maximus omnium sua ætatis Concionatorum, relegatus in Rosiam*, Agrestes & Barbaros à ferâ, Sylvestrique vitâ, ad pium Numinis cultum, Auctoritate, Exemplo, traduxit: plurimumquè religionem promovit, ignotam ad id tempus barbaris, docendo, monendo privatim, castigando publicè Errores, Vitia, Voluptates: eam partem *Britanniæ* Humanitati assuefecit.

Has Ecclesiæ procellas *Barodunis Comes*, Auctoritate Jurisdictionis sibi mandatæ, sedavit. Operæpretium videtur, digredi paululùm, ad enarrandum hujus viri Opes, Potentiam; & quomodò usus sit. *Georgius Humius, familia Manderstonia*, homo durus Oratione & Moribus, Pecuniæ, Potentiæ, quàm famæ apud Posteros avidior, e mediocri fortunâ *irrepsit in Procerum Ordinem, Barodunis Comes appellatus*, vel juxtà vulgarem Dialectum, *Dunbarri Comes.* Is in Superiores Contumax; in æquos & Pares fastidiosus; in Humiliores superbus, ac crudelis, non modò sermone, sed conspectu ipso; Congressuquè Colloquentibus Amicis difficilis; vix Notis familiariter arridere solitus; in Procerum Cætu, Colloquioque, gravem Vultum præ se ferens, *similis Catoni consedit; Sed magis similis bruto.* Minimè ambiguâ Silentij causâ. *Publici Ærarij in Anglia Subquæstor*, prolatis rationum Libellis, fide implicitâ, subscripsit; nam si fidiculæ torquerent, latinum verbum exprimere non potuit. Cæterùm nimiæ fortunæ suæ indulgentiâ fascinatus, ædem magnificentissimam, gloriæ suæ æternum testem, *Berviti* figere statuit. Sed Numen, ut Vanitatis humanæ moneret homines, hisce tàm magnificis ædibus tectum prohibuit. *Domus, in medio surgentis gloriæ progressu, evanuit.* At ut magnitudinem Fortunæ, obeundis negotijs retineret, procuratis à Rege mandatis, ad Turbas, & Latrocinia *in Scotiâ* coërcenda, rebus *Scoticis* se immiscuit, *Scotis* omnibus formidolosus; quippè res, Fama, Vitaquè Popularium penè in ejus potestate; magno semper Comitatu, suprà Privati sortem, processit in publicum; plerumquè *duobus Millibus Equitum stipatus.* Cum ad fines *Regni Scotici* pervenisset, Quadrigisquè equorum vectus, cum venisset *Edinburgum* præstò ei Magistratus fuerunt, Conventusquè Civium; & ingens totâ urbe metus. *Limitaneos latrones* severissimè coërcuit: mixtis cum *Cumbriæ Comite* mandatis, ut alter in *Scotiæ finibus, alter in Cumbriâ & Northumbriâ*, prædones persequeretur. Ex his multi *priùs Laqueo suspensi conspiciebantur, quàm rei fuisse audiebantur.* Ipse potentiâ, & Auctoritate quotidie invaluit; sed *Levitatis infamiâ* aspersus est, ut nec Sibi, nec Alijs, quinam homo esset, satis constaret. Veterum Amicitiarum satietatem sensim cæpit; indè novis Amicitijs indulgere incæpit. Collegarum quoquè *Alex: Setoni Prætoris, & Iacobi Elphingstoni, Curiæ Præsidis*, qui unicè illi dediti fuerant, elevavit Amicitias, remissione usus; & utrumque vehementissimè vexatum, multis & varijs injurijs, dijcere honore conatus est. *Prætor* conservavit suam Auctoritatem, ad vitæ finem. *Elphingstonius*, vir egregius, Scelere istius, posteà subversus est, ut à me, suo in loco, dicetur. Jam iste, ut publicè quoquè quæ vellet in *Comitijs* efficeret, init Consilium, statuitquè *Numerum Procerum augendum, quos dicto audientes fore putaret.* Rex approbat Consilium; dicit ita fieri oportere, ne Priscæ Nobilitatis Proceres obstare possent. Itaque *Numerus Procerum, apud Scotos, in infinitum ferè excrevit.* Ministri Aulici, ipse *Humius, Areskinus Ramsæus, Hajus, Elphingstonus, Brutius*, primùm honoribus aucti. Deindè familiarum Principes, *Moravius Tillibardinus, Baclenchius, Burleus, Cranstonus.* Multi secundi Ordinis, Primæ Nobilitatis facti sunt, *Alex: Humius Familiæ Princeps, Flaminius, Glamius, Dromenius, Setonus, Fivianus, Abbates Passlettensis & Noabotelius. Barodunis Comes*, turbidis Ministris Regno expulsis, & repressis magnâ ex parte Prædonibus, ad *Regem* reversus, *ulteriorem Britanniam* in Pace reliquit.

Attentiore curâ nostra commemoravimus, nunc Externa, & aliena narrabimus. *Ignatiani in Franciâ*, inflammati scelere, furore, Crudelitate, Numen fraudibus, Sceleribusquè contaminarunt; *in Henricum Tertium primùm perfidiosè conjurarunt. Indè per Crudelissimum Carnificem suæ factionis, trucidarunt*; Pravis Superstitionibus captas mentes, velut furialibus stimulis, ad omne scelus & flagitium concitarunt. Religionem immanibus moribus prætendentes, re verâ *Hæredipetæ, inhiantes Locupletum fortunis*; consultantesquè de suâ Salute, ac aliorum pernicie; Divites Orbos, deliros Senes, Superstitiosas Anus, Imperitos Adolescentulos Sacramento initiatos, repentè, velut Circæo Poculo, immutarunt; & Specie Charitatis, quam suis Maleficijs obtendunt, miserorum sanguinem & Censum, Sanguinariæ Hirudines exsorbuerunt. *Vbi ferocium Iuvenum facinoribus Manus, imbecilles Mentes fraudibus imbuerunt, statim ad Scelera, Parricidia, & Conjurationes dimittunt.* Testis, in Primordio Regni *Henrici Quarti*, feralis casus: & Consimilis exitus, *à Ioanne Chastelio, Sicario hujus Ordinis, Optimi Regis sanctissimum Os vulneratum Cultro, adversus dens Ictu excussus, cum Iugulum appeteret. singulare hoc facinus, invidiosissimum Nomen Iesuitarum reddidit.* Sicario trucidato, paterni Penates ab imis fundamentis eruti sunt; quo recentis Sceleris Infamia, ad Posteros perveniret, Parietum, Tectorumquè ruinis. *Curia Parisiensis* propter *unius Chastelij scelus*, justo Odio in *universam eam Societatem exarsit.* Senatus sententiâ cautum est, ad ignominiam sempiternam *Ne Ignatiani, majore quàm debuit Patientiâ tolerati, non modò Sicarij, sed Parricidæ, Corruptores Iuventutis, Proditores Patriæ, Tranquillitatis, Pacis, & Otij inimici; omnis divini humaniq; Iuris expertes, Parisijs, nevè in Franciâ essent.* Extare etiam voluerunt prudentissimi viri, *Inditium Odij Publici adversùs eos, & furoris Iesuitici Sempiternum Monumentum, ac Testimonium Sceleris*, ad Memoriam omnium gentium, *Signum Marmoreum in Areâ ædis dirutæ, atquè in pulcherrimo urbis loco, juxtà Palatium defixum.* in oculis Civitatis, quæ res unquàm gloriosior? Quæ commendatior hominum Memoriæ sempiternæ? Sed non diu duravit *hoc Ornamentum urbis*,

Inditium

Iuditium Sceleris, Testimonium Crudelitatis Iesuitarum. Profugi homines, gratuitæ doctrinæ Professione 1605. vulgò commendati, re verâ gratuitò Mali, *Clementis Romani Pontificis* gratiâ ac Auctoritate, *Ignatij, & Coxonei* infimis precibus, *Francici Regis* Clementiâ, sibi fatali, in publicum exitiosâ, fremente Plebe, *adversante Senatu, & Curiâ Parisiensi*, Veniam, Impunitatemque impetrarunt. Ab Exilio reversi, *Eversionem Pyramidis occultè medicantur; ne Flagitium coargueret; aut Senatus Decretum, Aureis Literis basi inscriptum, Posteris proderet.* Quia nondùm ad evertendam Memoriam Sceleris satis virium erat, in Speculis steterant, Occasionem expectantes; Quâ oblatâ, *Palatinum Obeliscum, furoris Pontificij, & Sceleris Ignatiani Monumentum*; dolis non dolabris disturbarent. Principio hujus Anni concutiunt, subruunt, & tandem ut funditùs labefactetur, petunt à Rege vehementissimè, impetrantquè. Præcipitur, & Negotium datur *Præfecto Vrbis, & Ædilibus*, ut Molem palàm diruerent. Clauduntur urbis aditus; Armati ex *Coborte Prætoriâ* in Præsidijs, multis in locis, collocantur; ne quid periculi, aut Tumultus intereà oriretur, cum Plebs demolientes *Pyramidem* ac Vectibus labefactantes cerneret. Die operis, Milites, velut Præsidio Militari, majore Metu, quàm periculo, stetêre. Etenim *Plebs* nihil commoverat; Vicissitudines rerum humanarum secùm reputans. Urbani homines, facetis Versibus irridebant, *Pessimi Facinoris pulcherrimum Monumentum, nimiâ Principis Indulgentiâ subrui; Dente nondùm recepto, aut ductâ Cicatrice.* Prudentes, tacitas hominum Cogitationes Marmora, & Nefarij Sceleris æterna Monumenta futura providebant; ex Quatuor Columnis Pyramidem sustinentibus, Justitiæ Simulachrum è Marmore positum, primò labare, adnotabant. Ita Barbari Opifices, Mercede acceptâ, *Signum illud in Vrbis pulcherrimo loco collocatum, brevi tempore sustulerunt.* Intempestiva Clementia Regia, *Iesuitarum Crudelitatem* à Membris, Visceribusquè non avertit; quâ si usus non fuisset, nihil ei tale, in exitu vitæ, accidere potuisset. Tantum Præjuditium, ex isto Facinore, hominum mentes occupavit, ut *quacunquè accidat Principi injusta Nex, Scelere Iesuitarum evenire videatur.*

In Belgio *Mauritius Imperator*, maximo & fortissimo exercitu, nequè minore Consilio & virtute, *Antverpiam, urbem Flandriæ celeberrimam, in Ditionem, Imperiumquè Batavorum redigere intendit*, & Cogitationes, Curasquè in Oppugnationem vertit. Exercitum in duas partes divisit. Ipse unam, secundùm *Fluvium Scaldim, ad Eckeram Pagum* duxit; & ibi Castris positis consedit. Alteram partem *Ernesto Comiti*, in Flandriam transvehendam attribuit. Is Navium Multitudine *Scaldin* replevit. Conspectu Classis ingens pavor in urbe fuit; ad Arma est conclamatum; Armati in Muris dispositi, Vigiliæquè, & Stationes. Quâ re cognitâ, *Archidux*, recreandæ Civitati, *Ivachum Borgiam, Antverpiensis Præsidij Præfectum*, celeriter misit; qui Milites in Stationibus, locis idoneis disposuit, Necubi *Batavi* Copias exponerent. Tempestate conflictata Classis, & vehementi Vento jactata, Copias in terram exponere non potuit, sine trepidatione & Tumultu. Simul *Borgia* crebris Tormentorum ictibus, Naves disjecit; turbavitquè glandibus milites egredientes ex Navibus. *Ernestus*, vehementissimè vexatus Ventis & fluctibus, alium Navibus Accessum petijt; & Scaphis *Trecentos Milites* in terram exposuit, *ut perfoderent Aggerem Ripæ*; obruerentquè Fluctibus hostilem terram. *Batica Cohortes*, in ripâ fluminis dispositæ, in *Batavos, egressos in Vallum*, & opus molientes, Silentio Noctis, inciderunt. *Centum* in ipso Certamine occiderunt; *Octoginta captos* abduxerunt; Cæterosquè cæcâ formidine perculsos insecuti, ad Naves usquè compulerunt. *Dorpius Nobilis Tribunus*, hostium accursu penè circumventus, se è Vallo præcipitavit in flumen; ibi fermè gurgite haustus, in Navem ægrè evasit. Ipse *Ernestus*, ubi propinquis hostibus, & Exploratoribus dispositis, *Exscensionem in Flandriam facere non potuit*, in adversam *Brabantiæ* ripam, Copias omnes navibus transvexit; & cum *Mauritij Copijs* conjunxit. Expositis Copijs, Classem ad *Bergamopsouam* reduxit; & hostium Munimenta, in ripâ Fluminis oppositâ, glandibus ac Missili igne eminùs incessit; interfecto *Ordami Præfecto*. Contrà Propugnatores, dispositi ad id ipsum, Fulgentes armis, Faces & globos in Classem, ingenti fragore, jaculantur. At *Mauritius*, veritus ne Copiæ suæ diuturnitate Obsidionis consumerentur; incipere Oppugnationem munitissimæ urbis, arduum & anceps ratus, Copias cum omnibus Impedimentis, reduxit. Et mox, reducto exercitu, *Vondam Arcem*, tutam loco, ac Præsidio militum, Obsidione cinxit. quæ parvâ dimicatione, in Ditionem ejus concessit. Ac ne intolerandus Sumptus in irritum caderet; Neu majorem Æstatis partem inutili cunctatione extraheret, trajecto rursùs in Flandriam Exercitu, *Copias ad Isendicam exposuit*; vicina loca Præsidijs firmavit; & Castra, loco idoneo propè *Vaterfletum Pagum*, metatus est. *Marchio Spinola, longè maximus Baticorum ducum*, comperto Itinere hostium, & quid *Mauritius* pararet, celeriter effecto Ponte, Legionibusquè ex Brabantiâ traductis, Castra Castris objecit; & munire Castra fossâ ac vallo, Propinquis hostibus, placuit; *Mauritiusquè* Munimenta sua auxit; ac Propugnacula addidit, quò facilius *Hispanorum* repentinos Impetus sustineret. Cum *Mauritius & Spinola* Castris assiderent, *Bucquojus*, contractis Copijs, & trajecto Rheno, *Oldensilium, Lingam, Vachtendoncum, urbes satis munitas, cepit*; *Cracoviam* quoquè Arcem in potestatem redegit; ac Agros circà vastavit. Quibus rebus cognitis, *Mauritius, Ernestum Agnatum*, cum Armatis Cohortibus, & *Henricum Fratrem*, Nobilem Juvenem, cum Equite misit, ilicò, *ut Alter Bucquojum persequeretur; Alter Rhiubercam tueretur.* Ipse, firmatis in *Flandriâ* Præsidijs, reliquas Copias, cum Impedimentis, in hostem duxit.

Si mihi nunc de rebus gestis *Batici Exercitus, Imperatorisquè Mauritij* esset dicendum, plurima

Prælia,

1605. Prælia, hoc Anno commissa, commemorare possum. *Sed illa tantùm attingo, in quibus Virtus enituit egregia Anglorum, & Scotorum.* Ex omnibus Pugnis acerrima mihi videtur illa, quæ cum *Iberis ad Rura confluentem* commissa est. Ibi duo Equestrium Turmarum Duces, parenti Campo congressi sunt, *Henricus Nassovia Comes*, Juvenis egregius, ac novi Decoris avidus; & *Ludovicus Velascus*, vetere gloriâ insignis. *Nassovius* Iberis adeò improvisus advenit, ut, omisso Pago, *Flumen Ruram Vado transmittere niterentur*. Id conspicatus *Marcellus Baxius*, Alæ Batavicæ Præfectus, acer & impiger, Iter eorum moratur, atquè impedit, undè conversi *Batici equites*, cominùs eminùsquè concurrerunt, *omisso Sclopettorum usu, strictis gladijs rem gesserunt*. Hoc in prælio, *Baxius* manu & voce conspicuus, fortissimi viri specimen dedit. Circumventus plurium accursu, hostium impetum, cum paucis Turmis, diu sustinuit. Atquè ipse *Henricus Nassovius*, in densissimos irrupit, ut hostem deduceret. Sed non ea Constantia Militibus ad prælium, quæ Ducibus erat. *Iberis*, inclinatiore fortunâ, pugnantibus, *Nassoviani* Equites, omisso Ardore pugnæ, metu, locum deseruêre. In extremâ fortunâ, & fugâ, *Horatius Verus*, Tribunus fortissimus, cum Anglis; & *Bacluchius*, cum Scoticis Cohortibus, studio pugnandi flumen transgressi, sese opposuerunt, & *Baticis Equitibus* ingentes hastas intentarunt, quò minùs fugientes persequerentur. Ita *Quinquè aut Sex Britannicarum cohortium* Virtute, coerciti sunt *Iberi*. *Henricus Nassovius*, Consilio, auctoritate, Minis, pulsos Equites redire in Aciem, ac dimicare coëgit; & interventu Tribunorum, Centurionumquè huc illuc ferens arma, *Baxium maximo periculo exemit; qui non multò post, Henricum Comitem, circumventum protexit; Loricamquè hostis equo detrahere, arreptâ fasciâ, conantis, Sclopetri ictu trajecit*. Igitur servati Ducis gloriam meruit. Intereà, cum universo Exercitu, accessit Auxiliator suis laborantibus *Mauritius*; & *Iberos*, prospero prælio cohibuit, interfecto *Theodoro Trivultio, Præfecto* Alæ Equitum. Undè *Batici Equites*, cum undiquè premerentur, latebris, aut sylvis, se discrimine eripuerunt. Hâc re cognitâ, *Spinola* præmetuens suis, *Equitatum omnem, ac Legiones* ex Castris celeriter educit; in hostem proficiscitur. *Mauritius* suos labore, & Spatio pugnæ defatigatos, *Batico exercitui recenti, atquè integro* objicere, haud Imperatorium ratus, Signum receptui cani jussit. Aliquot Equitum Turmas, cum *Marcello Baxio*, Subsidium *Britannicis Cohortibus* misit; quas adversæ pugnæ Fortunam, summâ Contentione restituisse, & *Iberos* coercuisse retulimus. Extemplò *Equites Batavorum, à Baticis, Numero & robore præstantioribus, fusi, Fugatiquè sunt.* Pulso Equitatu, *Iberi* elati Spe celeris Victoriæ, sinè Equitatu deprehensis hostibus, *Britannos* acriter adorti sunt. Qui gloriâ Superiorum temporum adducti, & Novi decoris cupidine incensi, infestis contrà hostes Signis constiterunt, & egregiè pugnarunt; Sequè, cum à fronte & à tergo premerentur, *ad Rura Fluminis alveum recipere cœperunt, integris Ordinibus*. Sed *Iberos* persequentes ferocius, *duæ Gallicæ Cohortes*, crebris machinarum ictibus, tardarunt, & paulùm submoverunt. Quæ ut subvenirent *Britannis*, gradum referentibus, io loco Virgultis impedito, constiterant. Is finis sequendi *Hispanis* fuit; vix tutum videbatur ultrà consectari. Eo die *Milites Batici Quingenti* sunt desiderati; *Mauritiani ducenti*. *Henricus Careus*, nobilis Anglus, in hoc tumultuario prælio captus, redemptusquè à Patre summo pretio. Apud finitimas gentes crevit admiratio *Veri*, rerum gestarum famâ; qui nunquam plùs Militi laboris imposuit, quàm sibi sumpsit, fortis, & fælix. *Mauritius*, Multitudine congregatâ, in Concione *cæcum pavorem, fugamquè Equitum, acerbâ Objurgatione increpuit; fortitudinem Peditum in Cælum laudibus extulit.*

Hoc Anno, *Theodorus Beza*, humanitate, literaturâ, Integritate excellens, *Genevæ mortuus est*; unicum *Ecclesiæ Gallicanæ Lumen*; ac sæculi nostri Ornamentum; etsi à *Pontificiarum* Partium studiosis, quos Malignitas, aut Cæcitas in *Protestantium* Contumelias abripuit, *Calumniosè, ac Invidiosè traductus sit*; tamen ob singularem in humanioribus studijs Eruditionem, passim amatus, laudatusquè fuit. *Itali*, qui se insolenter jactabant, *Musarum Domicilium trans Alpes inclusisse, indè, à Theodoro Bezâ, in Galliam accitas ultrò fatebantur*. Hujus Amicitiam Eruditi omnium gentium, omnium Ordinum homines expetiverunt. Testes infinitæ propè virorum doctrinâ Illustrium ad ipsum Epistolæ; quæ adhuc extant; Ejusquè Responsa, quibus bonos & eruditos coluit, laudavit, & de ijs magnificè semper, cum publicè, tum privatim sensit. Inter cæteros *Davidem Dromenium*, adeò quidem benignè & candidè commendavit, ut nimia in alienas laudes facilitas à quibusdam notaretur. Hunc deniquè Deus Optimus maximus, alterius sæculi æternitate; Orbis universus, hujus Sæculi famâ, & gloriâ beavit, ad sempiternum *Francicæ gentis* honorem.

Eum eodem fato secutus est, *Ioannes Zamoscius, gravissimus Poloniæ Cancellarius*, vir *Præturæ* splendore, *Militiæ* claritate, *Doctrinæ* studijs insignis; Munificentiâ assecutus, ut *studiosorum Patronus* diceretur. Is summo ingenio, Sapientiâ, & Corporis robore, omnes *Sarmatas* superavit. *Annos natus* LXIII *decessit*, superstite filio *Thomâ Zamoscio*, Summæ Spei, & præclaræ Indolis Adolescente.

Obijt eodem Anno *Clemens octavus, Pontifex maximus, Civis Florentinus*, excelsi Animi, summi Consilij, maximi laboris. De cujus Moderatione, Pietate, atque Sapientiâ, *in Pontificum Annalibus* satis memoratum. Quo defuncto, io *Pontificatus* petitione, *à Triginta septem Purpuratis Patribus, renuntiatus est Cardinalis, Baronius*. Qui doctissimis *Annalibus Ecclesiasticis* editis, sempiternam gloriam, Ingenij famâ, adeptus est; & ad *Pontificatum* adipiscendum, Viam. At *Batici Purpurati*, Tractatui *de Siculâ Monarchiâ* infensi, *Authore Avola*, ei summum Sacerdotium inviderunt. Factio ea, in Procerum Ecclesiæ Cœtu plurimum pollens, Suffragia perturbavit omnia, & totam Opinionem Collegij commutavit,

commutavit, sine ullâ apertâ causâ. Nequè Doctrina, nequè Auctoritas gravissimi viri, quicquam 1605.
profuit. Delectus *Mediceus, Etruscus Cardinalis*, Purpuratorum Consensu, *Leonem XI nomen edidit.* Is apud *Francos* summa gratiâ, *ob Conciliatam inter Hispanorum, & Francorum Reges, Vervineo fœdere, Pacem.* Apud omnes homines Authoritate, pro singulari Sapientiâ, ac humanitate; ut & *Hispani & Galli suum existimare possent.* Mox Senio ac Morbis confectâ valitudine, *in operosâ Pompâ inaugurationis exæstuans, diriguit; ac cum febri domum redijt.* Post Vicesimum à designatione diem, *obijt Romæ*; Francis interitu acerbo. Eo defuncto, *Camillus Burgesius, Senensis*, in ejus locum, Sententijs & Suffragijs suffectus, *cum Annum ætatis ageret Quinquagesimum Secundum. Paulus Quintus dictus.* Non diu in tranquillo mansit *Romana Ecclesiæ Navis.* Novis fluctibus atrocibusquè procellis agitari cæpit. *Paulus*, Jure sacrosanctæ potestatis, *Romanæ Sedis hostes judicat Venetos*; qui pro Ecclesiæ gloriâ, Imperio, Incolumitate, vitam Civium suorum toties periculis objecerunt, memores fidei suæ, ac Apostolicæ Sedis. & *ipso die Natalis Servatoris, à sacris, Cætuquè fidelium submovet; quod contrà Libertatem, ac Immunitatem Ecclesiasticam, iniquas ferrent leges; Quod res Iuris Ecclesiastici, suæ Ditionis facerent. Ac Prædia Cleri, Emptione, Donatione, aliovè Titulo, inconsulto Senatu, acquisita, Fisco suo inferrent. Quodquè in Scipionem Saracenum, Canonicum Vicentinum; & Valdemarium foro Iuliensem, Abbatem, manus injecissent.* Extant Reip: *Venetæ Pontificisquè alterna Epistolæ*, Famam mutuò inquinantes. Coacto Dux Senatu, commemorat *Pauli in se, Venetesquè, Novi exempli Decretum*; qui sine lege, sinè Exemplo, *Venetos hostes judicarat, Sacris interdixerat.* Ab Anathemate, tanquàm injusto; & irrito, provocat; causatus, nec Modum rectum, nec Câusam justam. Monet Subditos *Ditionis Venetæ, memores esse fidei suæ, & Majestatis reip:: Pontifici Sacris interdicenti non parere; sed resistere Censuris invalidis.* Quibuscunquè demùm potuit Irritamentis, iras Civium acuit. *Pontificem* interim suppliciter rogat, ne Priscam *Veneti Imperij Libertatem, in Civili Iurisdictione*, profanâque re, invideat; Majorum Mores, Veterum Instituta imminuta velit. Majore accensus Irâ *Pontifex*, leges Clero minùs própitias abrogare, *Canonicum Vicentinum, & Abbatem dimitti jubet; Iudicium Secularium in Clerum invidiosè exagitat. Ne pareant Interdicto, nominatim* execratur. *Veneti* Jus publicum, Libertatem suam, facultates Civium, *rerum Secularium à Deo datam Potestatem, Sacri Iuris obtentu, subverti non patiuntur*; ne quis Tumultus, hâc temporum Perturbatione, oriretur, prospiciunt; & summoperè cavent; *Theologos, & Iuris tùm Pontificij, tùm Cæsarei peritos consulunt*; utque Pontificiorum Scriptiones retundant, suós hortantur, magni propositâ Præmij Spe. *Theologi, & Iurisconsulti Italici generis, in Causâ Venetâ, opponunt se Pontificiæ Potestati*: eamquè nec Sacram, nec Sanctam esse, politissimis Scriptis contendunt, *de Auctoritate Pontificis; de Primatu Sedis Romanæ; de Disciplinâ Majorum infractâ; de Romana Curia Corruptelis: De Divisione Potestatum; de Censuris Ecclesiæ invalidis.* Nunquàm *Luterus* liberius disseruit.

Reges jurà pu loca tenentur custodire.



RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER DECIMUS TERTIUS.



1606. RIOREM Actum Sceleris, suprà memoravi; hoc Anno Posterior peragitur. *Henricus Garnetus, Ignatianæ Societatis Presbiter, Incendiariorum piacularis flagitij Conscius*, ut suprà diximus, *in Prætorio Londinensis Civitatis* arguitur, ut universo Terrarum Orbi innotesceret, *Fraus* ejus in fovendo, *Malignitas* in promovendo, *Impietas* in confirmando Scelere, ab omni hominum Memoriâ maximè nefario. Accusator apponitur *Procurator Regius Cokus*; Qui *Romani Pontificis in abdicandis Regibus injustam Tyrannidem; Venenatam ac pestiferam Æquivocationis doctrinam, cum Iure divino, & Apostolicâ Ecclesiâ pugnantem; Scripturarum Abusum; Iesuitarum immanem Idolatriam; in Reges Perfidiam; Errores, Vitia, acerbissimâ Oratione insectatus est.* Hæc, & his atrociora Reo, magnis clamoribus, objectavit; quæ angustia Historiæ referre non patitur, nec res ipsa exigit. Postremò Crimina rei percensuit; *Duo Pontificis Diplomata illata, ad arcendum Regem Iure hæreditario. In Rudimento Regni, Conjurationem initam cum Ibero, de invadendo Imperio, instruendo Exercitu, & Pecuniâ ad stipendium Militum conferendâ, fulminalem Molitionem conscivisse, exstimulasse, perpetrasse.* Non puduit *Garnetum, Papalem Tyrannidem*, in deponendis Regibus, Judicio Ecclesiæ universæ, juxtà Canonem *Nos sanctorum*, audacter & inpudenter defendere; nec Majores de *Canonis* Acerbitate questos; Ludibria *Æquivocationis* in lucem proferre; & vix Pueris dignas Ambages fallendæ fidei, è Sacris Scripturis exquirere; fraudi ac Mendacijs, Specie Juris patrocinari; exoluendi Jurisjurandi callidas Interpretationes adhibere; Propalàm animos hominum Perjurijs Clandestinis imbuere. Nullus Errorum, quos multos *Pontificis Romani Tyrannis* invexerat in Sanctam Ecclesiam, aut pejor, aut nequior. Ex hâc disciplinâ prodierunt Corruptelæ omnis generis *Regum Cædes; falsi Testes; falsa Signa; Testimoniaquè, & Iudicia.* Dies me deficiet, si fraudes universas colligere velim, quæ Contagione hujus mali irrepserant. Unum insigne Exemplum attingam, indignum & *Nomine Pontificio*, & homine Christiano. *Franciscus Treshamus, Garnetum*, priùs Indicio damnatum, Muliebri consilio, Moriens absoluit; ac in ipso Mortis articulo, *per animæ suæ Salutem protestatus est, Se, Sedecim Annorum intercapedine, Garnetum ne conspexisse quidem.* At ipse *Garnetus*, Quæstione de eâ re habitâ, *fassus & professus est, inter ipsum & Treshamum veterem intercessisse Consuetudinem.* Simul interrogatus, *Quidnam Ille de hâc supremâ Treshami Protestatione sentiret? Deliquisse agnovit; Nisi ipsum Æquivocatio tueretur.* Deindè ad Crimina in Caput intenta, *Fulminalis Conjurationis* Conscientiam, ac Parricidij Infamiam, quovis modò declinans, respondit, *Diplomata Summi Pontificis, quorum Auctoritate, Pontificij Successori alicui Elizabetha (qui morem Romanæ Ecclesiæ non gereret) obtemperare prohibebantur, perpaucis recitasse: Mutatâque Pontificis Sententiâ, rapta igni dedisse. Nec ignarum se Conjurationis Hispanicæ; at non ad conscribendum Exercitum, Pecuniam efflagitasse; Sed ut egeni Catholici sublevarentur. Catesbeum ab ipso Otiosè, in genere, quæsivisse, Vtrùm Insontes cum Sontibus trucidare liceret? Nihil prorsùs de* Sulphureis Artibus enunciasse. *Greinvillum, in Confessione Auriculari, totius rei ordinem, Sociosquè Sceleris nominatim indicasse; se Novitate facinoris velut attonitum, Angore Conscientiæ, animi Inquietudine, Scelerisquè Cruciatu vexatum; Assensu nunquam comprobasse; Sed Greinvillum sedulò monuisse, ut Catesbeum à suscepto, propositoq; Consilio revocaret;* Cælasse verò facinus, fide Sacerdotij, & Sigillo Confessionis reticendum; ob Pænam Revelantibus Confessionum arcana, Canonibus constitutam. *Non inficiari, Leges Civiles, quæ ejusmodi Scelera cælare prohibent, apprimè esse justas, & salutares; Neq; ratione consentaneum, Principis Salutem ab alterius Conscientiâ pendere.* Nec quicquam ampliùs ab eo, ad Criminis purgationem responsum. Loquentis adhuc verba excipit *Sarisburiensis*; laudat quod Conscium se Conjurationis non inficiaretur; & adhortatur, ut Cætera eâdem fide exprimeret. Identidem ingerens, *Molitionibus perditorum Civium, quibuscunq; facem prætulisse; Incendiariorum Antesignanos, Catesbeum, & Greinvillum Ope, Consilioq; juvisse. Funestissimos Conatus tollendi Regem, Memoriamq; Regni; & nefaria Vota, non* ex Confessione Auriculari rescivisse; sed Consilium *ejus, deliberantes Fidissimos Socios exquisivisse. Deniquè Solennem Precationis formam, Scelesti Consilij Indicem & Testem, Letanijs adjecisse, ut tanta, & tàm atrox Conjuratio faustè, feliciter, prosperèque eveniret.*

Gentem

Gentem auferte perfidam 1606.
Credentium de finibus:
Vt Christi laudes debitas,
Persolvamus alacriter.

Revocat ei in memoriam *Literas ad Cresvellum, & Balduinum, Ignatianos, in gratiam Vinteri, Vrightij, Faukcij, suo Chirographo conscriptas. Electum ex Cohorte Diabolicâ Edmundum Bamhamum, idoneum Ministrum, ut Papam de harum rerum statu faceret certiorem.* Cum in arcanis Conscientiæ, Crimen innotuisse adhuc defenderet, *Sarisburiensis,* brevi Interrogatione Sermonem incidit. *Si verum est,* inquit, *quod jactas, interrogo te, Garnete, Cur non pœnam Confessioni rei atrocis, cum Pœnitentia non subijsset, sed Absolutionem extemplò dedisti; quam videbas cum magnâ Reip: pernicie conjunctam? Patere tua Nefaria Consilia non sentis? constrictam jam, omnium Audientium Conscientiâ, teneri Conjurationem non vides? Invitum in Parricidij tui cogitatione diutim versor. Cur hæc? quæ Oratione suâ patefecit Catesbejus, pro Salute Reip: non enunciasti? Cur non nobis, communis Exitij indicia ostendisti? Cur non periculorum signa patefecisti? Consilia certè, Conscientiaque facinorum Supplicio digna sunt. Si Catesbejus sententiam permutavisset, & Consilium patrandi facinoris abjecisset; si Greinvellus, post Absolutionem, ad Portum Pœnitentiæ confugisset, Garneti defensionem cunctis probabilem, & propè veram videri potuisse, disseruit. At ille semper in Proposito, susceptoq́ facinore permansit.* Hic quantum humano Consilio effici poterat, Conjuratorum Conatus promovit, & animos ad arma capienda exacuit; Tu in Scelere perseverantibus, Ope, & Operâ præstò aderas. Etsi *Garnetus* patefactus Indicijs, literis & Confessionibus; tamen se defendere pergit, donec Orationem ejus obruit *Northamptoniæ Comes,* Aureum Orationis flumen fundens; *Pontificisquè Romani Tyrannidem, & Canonem,* Nos sanctorum, *fontem, ex quo Conjurationes scaturiunt,* copiosè ac nervosè excutiens. Mox Reus, Acerbitate Accusationis, Atrocitate Sceleris, & Læsæ Conscientiæ perfossus stimulo, *Numen & Regem supplex oravit, ne privati Maleficij Commune Odium, in totam Cohortem Iesuitarum redundaret.* Tandem convincitur à Testibus *Lokersono, & Fausetto,* in conspectum adductis. Urgetur Confessione suâ, quâ *interrogatus à Grenvello, Quem sibi Ducem nominarent, qui, Rege sublato, Regni Vicarius esset, Populo non ingratus?* Respondit, *Proceribus Regni, ferali Casu superstitibus, fore liberam Eligendi Optionem.* Testimoniorum fide, ac Religione, & Confessione convictus, repentè hæsitans & trepidus, conticuit: *Iuraterumq́ Suffragatione Reus factus est.* Nullæ reliquæ Judicis partes, nisi in condemnando. *Primarius Angliæ Iustitiarius,* Sententiam receptis verbis pronuntiavit, *Vt, More Proditorum, puniretur. Sceleratis Terror omnibus exemplum constitueretur.* Ille in ipso vitæ discrimine, & post damnationem, moderato animi Corporisquè habitu permansit. *Iansenius Germanus,* frigidâ Jejunâque Calumniâ Regi subiniquus; & *Rodolphus Boterejus, Francus,* alienæ Reip: inscitiâ lapsus; *Garnetum,* Odio Ignatianæ Societatis, damnatum referunt. Cum nullum ei periculum *ex Statutis Parlamentarijs,* vel *Diplomatibus Pontificijs,* conflatum esset; quibus *Iacobum* Regni aditu prohibere ausus est; nisi cum nefariâ Incendiariorum colluvie consilia consociasset. Quod mox supremo morientis Judicio comprobatum. *Die Tertio Maij,* ad Supplicium productus, *juxtà Portam Occidentalem Divi Pauli.* Factâ dicendi potestate, *erubuit, expalluit, titubavit,* sollicitudine Conscientiæ, Scelerum, & fraudum suarum Cruciatu quasi attonitus. *Decani sancti Pauli, & Vintoniensis Ecclesiæ,* qui aderant, prudenter, graviter, & animosè hortantur ad Constantiam Mortis; *monentq́, ut publici Iudicij Authoritatem, Confessione Criminis sui comprobaret; Nihil ad Regis Regniquè Salutem necessarium reticeret; Meminisset quoquè nunc, Æquivocationum, & Ineptiarum Deum testem, ac Spectatorem habere.* Ille paratum se mori, æquissimo animo respondet, *nec frangi Spiritu, propter vitæ cupiditatem; quæ maneus, quotidianis conficeret angoribus; dimissa. Molestijs omnibus liberaret.* Oravitquè, *Ne sibi preparato tùm bonis Cogitationibus, tùm rebus ad Tranquilitatem accommodatis, Negotium facesserent.* Tunc Henricus *Montacutus, Civitatis Londinensis Referendarius,* rogavit, *ut sinè dissimulatione, apud Populum verba faceret: apertum suum Scelus antè omnium oculos poneret.* Ille *vires exiles, Vocem summissam, & languentem primùm excusavit;* Inde ijs, qui proximè astiterant in Pegmate dixit, *Consilium fuisse sceleratum; & meditatum Scelus immane. à Catesbejo in genere intellexisse; à Greinvello, in Arcanis Conscientiæ, fide Sacerdotij, & sub Sigillo Confessionis.* Montacutus urget Quatuor Confessionis capita, *Greinvellum rem illi narrasse, non pœnitendi, sed consultandi animo. Catesbejum, & Greinvellum ipsum accessisse, ut in scelere suscepto confirmarentur. Tesmondum, & ipsum, de Sulphureis illis Artibus, in Essexiâ, Sermones habuisse. Grenvellum* interrogasse, *Quis Regni idoneus Protector esset futurus, Rege sublato?* Respondisse illum, *id differendum, donec facinus esset peractum.* Tandem, Confessione suâ convictus, Plebem ita affatus est. *Huc accessi, Die sacrâ Inventioni Sanctæ Crucis, ut finis imponatur omnibus laboribus, & Cruciatibus, quot in hâc miserrimâ vitâ pertuli. Mortis, & Supplicij mei causa vos minimè latere potest; Me in Regem peccasse confiteor; quod malè conscius fuerim in reticendo; Veniamquè cogitati facinoris à Regiâ Majestate, supplex peto. Machinatio certè contrà Regem, & Regnum, sanguinaria erat; quæquè peracta, laudari non poterat. Graviter & iniquo animo fero, Catholicos, Religionis causâ, tàm atrox & immane scelus, à Religione alienissimum, suscepisse. Eosquè exhortor, ne ejusmodi Conjurationibus, & Proditionibus, in posterum, se immisceant.* Hæc locutus, impetratâ orandi Veniâ, summisso animo, atquè humili, multis & supplicibus verbis, Numen veneratus est. Idquè postremum precatus, *ut fidei Catholicæ Cultores omnes, pro se libentissimè supplicarent, pro quibus ipse supplicare non desisterat.* Cum *Garnetus* intermitteret precari,

1606. *Memoria* vitio, *Mortis* terrore, vel *Veniæ* expectatione præpeditus; *Montacutus*, Formidinem ex Vultu conjectans, & Impunitatis Spe torqueri observans; monuit, *Ne ipse sibi, & Animæ suæ Fraudem faceret. Tempusquè esse edocet, de illâ perpetuâ jam, non de hâc exiguâ vitâ cogitare. Mea*, inquit, *Sollicitudinis quàm Primùm finem faciam.* & ad Supplicium se præparans, Scalam conscendit. Jam ad Patibulum, *Deum immortalem precatur, atquè implorat, ut Regiam Majestatem, Regiam Sobolem, Dominos à Sanctiori Consilio, incolumes tueretur. & Cruce se signans, in Nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, simili precatione, supremis verbis usus est, *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu Me à malo protege, & horâ Mortis suscipe. In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum.* Dum hymnum repetit, *Maria Mater gratiæ*, subtracta Scala, resti suspensus, in frusta dissectus est. Vesana *Pontificiorum* multitudo, morte comploratâ, *Garneti Corpus, ut Sanctas reliquias venerabatur, aliquid Vestimenti, Capilli, Barbaquè, atquè adeò Unguium, comparare contendens, ut domesticâ Religione Præsegmina asservarent*, Memoriamquè ejus, animis suis consecratent. Si ejusmodi Consecratio legitima, Quid est, quod profanum in humanis rebus esse potest? Et huic, & Multis alijs *Pontificijs, Mors ob Proditionem habita*, tanto honori fuit, apud suos, *ut Divos existimarent; ac pro causâ religionis mortuos, sanctissimos Martyres prædicarent.*

Hujus quoquè consilij particeps *Ioannes Hallus*, aliàs *Oldcornius Ignatianus*, consimili exitu vitam finivit. Is accusatus, quod, cum *Humfredus Litletonus*, fatali Eventu horrendæ Proditionis fractus animo, Divinum Numen iratum Conjuratis esse diceret; & nefarijs adversùs Remp: Conatibus adversari; contrà disseruisse, *Consilia non ex Eventu, sed ex Voluntate, probari debere; adversa prosperis, ut res humanæ sunt, plerumquè misceri. Undecim Tribus Israëliticas, ab ipso Numine jussas, Benjamitis bellum inferre, bis Acie victas, magnam Cladem accepisse. Sanctum Ludovicum, Francorum Regem, maximum, & fortissimum Exercitum, in Saracenos ducentem, dissipato Exercitu Pestilentiâ interijsse. Denique, Christianos Rhodum propugnantes, à Turcis omnes cæsos; aut in acerbiorem Morte Servitutem, abductos.* Defensor, ac Patronus inhumani Sceleris, summo Cruciatu, Supplicioquè perijt. *Litletonus*, pari supplicio, *in Provinciâ* affectus est; ut justæ Ultionis notitia, *ad Provinciales* perveniret. *Edicta & Decreta omnia in Iesuitas, & Sacrificulos*, meritissimâ ultione, repetuntur; quàm primùm *Angliâ excedere jubentur.* Hinc fuga, & Quiritatio passim facta.

Devonius Hiberniæ Prorex, celebris gloriæ, multiquè Nominis vir, *Tertio & Quadragesimo ætatis Anno*, mortem obijt. Qui Virtute bellicâ, nuper dùm *Hibernia* fureret, *Baticis* gentibus innotuit. Procul dubio summus vir, nisi transversum rapuisset illegitimus Amor, cunctis Affectibus flagrantior. Quippè *ad inconcessam Venerem*, nimio fervore prolapsus, & cæcâ Cupiditate, non sat habuit *alienam Conjugem*, Matremquè jam, ex alio Viro, multorum liberorum, *illexisse in Stuprum*, si non Connubio obstringeret. Nupriæ non diuturnæ fuerunt; erant enim non Matrimonij dignitate, sed fædi Sceleris Societate conjunctæ. Ita foris partam Claritudinem Famæ, domesticâ destruebat Infamiâ. Primariæ Fæminæ Pudorem vulgate, supersedeo; propter generosam Sobolem, pijs Nuptijs procreatam; & propter futuram Nepotum, Pronepotumquè indolem. Ille moriens, Patrimonium amplissimum, quodquè sui Juris erat, liberis in alieno Matrimonio, Teste Terrarum Orbe, procreatis, pessimo exemplo, attribuit. In Cæteris vitæ partibus integer, habuit unicum hoc factum, quod in totâ vitâ reprehenderes. Reprehensione non caruit Mariti Patientia; qui post compertum Adulterium, uxorem inconsultius retinuerat; quasi contentus *Æmulum Tori* habuisse. *Rex* invitus deteriora credens, ubi cognovit, *Devonium alienæ uxoris Matrimonio, se, contrà Ius, fasquè, obstrinxisse*; Castum legitimum fædus, Fidem, Sacramentum, Copulam solvisse; Iratus & offensus ei, etsi Scelus damnaret, tamen, propter Singularem ejus Fortitudinem, & Fidem, quotidiè Iracundiæ remisit. Objurgatione primùm secretâ; Deindè publicâ, à Semitâ Erroris, ad rectum Iter revocare tentavit. Sed ille longius jam progressus est, quàm ut possit verbis sanari, tentanti restitit. *Rex* indè asperè castigavit, sed sinè Irâ. Castigatio excelsum animum altiùs penetravit. Undè *Devonius*, qui omnibus ex rebus Voluptatem, quasi Mercedem, exegit, abjectis vitæ hujus blandimentis, in Complexu charissimæ fæminæ, cum laudibus, & lachrimis, Os Manusquè ejus exosculantis, supremum spiritum exantlavit. Illa, Dolore Luctuquè confecta, non diu supervixit; Pannis pullis, Vittisquè obsita, Noctu, Interdiu, in Thalami sui angulo, humi jacens. Fælices Ambo, si legitimo fædere junctus esset ardens & constans Amor. Funus, mærore Procerum, & Charitate Plebis, celebratum. *Funebria Insignia* viri Militares tulêre. Nihil attinet commemorare, quâ Pompâ corpus delatum, sepultumque. Cadaver inter *Montiojorum Sepulchra* compositum; Fano, ubi *Memoriæ sacrum Monumentum exstructum est magnificum, Ebore atquè Marmore expolitum.* Elogium insuper Versibus Sepulchro insculptum. Eo defuncto, *Cæcilius in Ordinem Periscelidis suffectus, Vinsora, cum Havarto, Bindona Vicecomite, inauguratus est.* Profecta, honoris causâ, ab Urbe, magna pars Procerum, & Primores Equitum. Vulgus observare gestum, Vultum, habitumquè Corporis pusillum, in deterius trahere; nec Convicijs, ac Probris abstinere.

Ver hoc Anno, fuit procellosum, ventis vehementioribus, & immoderatis Tempestatibus. Desinente *Martio*, atrox cum Vento sævo, ac creberrimâ grandine, Tempestas coorta; *in Oceano nostro* rapuit, disjecitquè Naves; maxima ac miserrima *Naufragia* fecit, *Fastigia Templorum* à culminibus abrupta. *In Belgio, & Franciâ, in Germaniâ* quoquè, complura loca *Fulminibus* deformata. *Antverpiæ, Quatuor*

Turres, omnium quæ in urbe essent maximæ atquè altissimæ, dejectæ. Apud nos Pecorum, Tecto- 1606.
rum, Sylvarumquè ingens edita strages; homines labori quotidiano assueti, Tempestatis vi, ac Turbinum, Opere prohibiti sunt; prope Cælesti Numine prohibente.

Cæli intemperiem Tempestas reip: insecuta est. In Aulâ cuncta *Ludicris Certaminibus*, Plausibus, ac lætitiâ perstrepunt. Ut *Regina gravida* voluptate oblectaretur, *Hastici ludi*, celebres denuntiantur, *omnibus, qui intrà Vicesimum diem adesse vellent, à Duce Levinia, Comite Arundelia, & à duobus fratribus Penbrokianis*. Et in eam rem *Hippodromus Vico Viridi magnificè extructus, non procùl à Palatio*. Dies aliquot Equestri Certamine transacti, frequenti ac læto Populi Spectaculo. Hoc tempore *Prodigentia in Victu, Cultuquè corporis*, profusa Luxuries, & cætera Aula in *Choreas, Pompas, Cantus Symphonias*, oriri sueta vitia, indies aucta sunt; quia plerique, quod ex *Regiâ Munificentiâ, & bonis Damnatorum* corraserant, id per Luxuriem, Convivia, & Commessationes effuderunt. *Muliebres Munditias Viri; Colores Meretricios, Matres familiâs sumpserunt*; secus, quàm Matronarum sanctitas postulabat. *Temperati Prædicatores* Majorum Continentiam laudarunt; sui Sæculi Insolentiam vituperarunt. *Aulicorum Avaritiam, Ambitum, Luxum, Sumptus; Mulierum libidines, Amores, Adulteria prætereo*; ne longius progrediar, quàm Historia exigit; aut nè istæ mihi fortè succenseant, cum quibus Inimicitias gerendas nunquàm putavi. Animadverto in quàm periculosum Iter processerim: deformesquè animas in gurgite Turpidinis suæ latere patior; ne si consectari perseveravero illecebras Libidinum, in hos Scopulos impingam. Nam si memorarem, *Qui illustres Viri*, in Cultu, cæterisquè rebus, æquè vanis & inanibus, licentius sibi indulserant; Si coner expromere, Quæ Clarissimæ Fæminæ *Cretam, Cerussam, Unguenta* sumpserant; legentium fastidium expectarem. *Rex*, suoptè ingenio sicut odit privatam Luxuriam, Deliciasquè Adolescentiæ objurgavit; Ita publicam Magnificentiam dilexit, ut omnes Principes æmulos domesticæ gloriæ haberet. Prætereà possum memorare, *qui paulò antè nihil, præter Vestem habebant, Nunc Argenteis cubant lectis; Mensas Auro, Turdis, Ostreis, Boletisquè onerant; greges Servorum alunt*. Sed meipsum revoco, ne vitia, Mores, Tempora, insectari videar, Maledictis petulantis linguæ magis, quàm Annalium fide; & *Scelerata Conjurationis reliquias* persequar.

Mordentius, & Senrconus, priscæ Nobilitatis Proceres, ob *Suspicionem Conjurationis*, in Carcerem conjecti; in *Camerâ Stellatâ* auditi sunt, remissè, leniter, & attente. *Romana Religio* dedit isti Suspicioni causam; & *Catesbeij familiaritas* objecta utriquè est. Respondent Criminibus *rei, ex communi Infamiâ Romanæ Religionis, Invidiam sibi conflatam; Non suis Criminibus, sed Conjuratorum Odio, in Suspicionem vocatos*. Petunt, *ne Aliena Crimina noceant, & Aculei Accusatoris Procuratoris Regij, subtiliter criminantis*. Itaquè Rei infamati magis Inditijs, quàm convicti Probationibus, *grandi pecuniâ, & perpetuâ Custodiâ mulctati sunt*.

Major indignatio *Procerum* adversùs *Northumbrium* erupit. Is ad magna & honorata Ministeria Aulæ provectus, *Conjurationi participasse ibidem arguitur; elaborassequè, ut Britannicum Imperium, vel sibi subjiceret, vel penitùs laceraret*. Ex eo, tractus in Crimen, præcipuè, quod *Thomæ Percio, Conjuratorum Antesignano, Dispensatori suo, nimiùm familiaris fuisset; & in Cohortem Stipendiariorum, sinè fidei Sacramento, ascivisset*. Procurator Regius inflammatus, *Suspiciones, Præsumptiones, & occultum in Pontificios studium*, gravissimè vehementissimèque urgebat, Voce maximâ instabatquè, *Pridie quàm detegeretur Scelus, longum Sermonem, sinè Teste, cum Percio habuisse. Funesto Comitiorum die, præter Consuetudinem, Curiâ Comitiali abstinere decrevisse*. Reus, compositis ad tempus rationibus, depellendi Criminis causâ, magnâ fiduciâ, duo Objecta Crimina purgavit. Quin in Secreto cum *Percio* fuisse, non potuit inficiari; sed disseruit, *nullum omninò cum eo Sermonem fuisse, nisi de re Familiari. Incommodâ valetudine, Comitijs adesse constituisse. Nec ullum esse fundamentum Præsumptionum, ab irato Procuratore temerè Fictarum*. Hæc Purgatio satis infirma; sed Claritudo generis, in Supplementum Probationis, *Fidiculis torqueri* prohibuit. Itaquè *Proceres*, in hâc causa Judices, pro suâ præstanti Prudentiâ, *Reum ab omnibus Officijs Civilibus removerunt; Triginta Mille libris, & perpetuâ Custodiâ mulctarunt*.

Hoc tempore, *Regina vico viridi filiam enixa est; eiquè Sophia nomen inditum*. Filiæ Regiæ partui, funus propè continuatum. Igitur atrato, funestoque Lembo, *adverso Tamesi, Vestmonasterium, Cadaver devehitur; interq; Majorum sepulchra, compositum, Fano Regio*. Ad Exequias cohonestandas, *Proceres Clarissimi, Senatores, & feciales* convenêre.

Rex, ut videretur honorem debitum *Elisabethæ* præstitisse, *Memoriæ vitæ gloriosæ Præclarum Monumentum, Majorum Sepulchris operosius, publicè decernendum, cum Statuâ censuit*; maximâ laude, & gratulatione universi Senatus. Ergò hoc Monumentum *in primariâ urbis Ecclesiâ, D. Petro, Apostolici Cœtus Principi, sacrâ*, ad omnem Memoriam, piè positum; laudesquè Mortuæ incisæ literis Aureis, *Quod Religione instauratâ; Conditione Ecclesiæ pacatâ; Reip: stabilitâ; Academia illustratâ; Rebellione procerum vindicatâ; Galliâ sublevatâ; Belgio sustentato; Baticâ Classe profligatâ; Hibernia defectione sedatâ; Præstantem in Rep: tuendâ curam, atquè Providentiam, adhibuerit; Auctoritatem Senatus, Salutem Reip: Securitatemq; Populi, Vitæ suæ præposuerit*. Reliqua *Elisabethæ* egregia facinora, multis, præclarisquè *Annalium Monumentis*, posteris commendata, omnium Mortalium famâ celebrantur. Multum etiam valuit, ad *Iacobi Regis* honorem, Pietas in Reginam. *Rex* his honoribus habitis *Elizabethæ*, Nicolaum *Molineum*, ob benè gestam *Legationem in Britanniâ*, quò Senatus *Venetus* eum miserat, Equestri dignitate ornavit.

1606. Notetur etiam nefarium inhumanumquè scelus, quod in Suffexiâ accidit. *Impia Mater*, sceleratâ audaciâ, aut desperatione, aut furore, & insaniâ; aut pellicatus Suspicione percita, *Tres liberos fractis Cervicibus, crudeliter interemit. Corpora lacera, atquè lauiata abjecit in fossam.* Cujus teterrimâ Crudelitate, *Maurorum Barbaria* superata est. Deindè, cum in liberos ita sævitum esset, ne in ullâ parte Crudelitas cessaret, *semet Cultro dementi jugulavit.* Quia Cruore liberorum respersa, sibi Manus intulerat, insepulta projecta est, in omnem Memoriam; ut Mortis ignominiosæ infamiâ, & Sepulturæ privatione, aliæ, à tàm fœdo Desperationis, & Impietatis Crimine deterrerentur. Salutaris Severitas ulciscendi Maleficij, benè atque rectè vivendi in Rep:, sæpè disciplina est.

Nunc Avaritiæ, quæ Criminibus infinitis implicata est, exemplum proponam. Hâc Tempestate insatiabilis Cupido divitiarum, & Famæ, nihil invium, nihil remotum fieri sinebat. *Batavi, Decretâ Decennali Societate*, Octo magnarum Navium Classe instructâ, ornatâque, cui præerat *Paulus Cardanus*, in illud Mare navigarunt, quod rebus humanis terminum voluit esse Natura. Ac ultimas Orientis oras, quas visere suprà Spem humanam erat, peragrarunt; *totam Orientis Possessionem Lusitanis eripere tentantes*; Vectigalia perturbarunt; Castella cæperunt; Merces abripuerunt; homines in Servitutem abduxerunt. *Præfectus, Goam primùm, indè Cananorem advectus, hortatur Indorum Regulos, ad Suscipiendum bellum contrà Lusitanos; & ad Amicitiæ fœdus cum Batavis.* Civitatum Principes *Goa, ac Cananoris*, Belgicam Societatem aspernantes, in *Fœdere cum Lusitanis, antè Centum Annos icto*, singulari fide perseverarunt; Commercium *Batavis*, & Humanitatis Officia non negarunt. Indè *Calecutium* delatus, in *Moluccas* iter instituit. *Rex Calecutanus*, semper inimicus Lusitanorum Imperio; *Ternatenses, & Tidorenses Reguli*, spretâ eorum Societate, *Batavis se adjunxerunt.* Maritimas quoquè Opportunitates, Portus, & Stationes ijs præbuerunt; ac magna Auxilia Peditum Equitumque. In illâ Barbarorum defectione, *Batavi nefarium bellum, & Crudele, Lusitanis intulerunt; Commercium Anglorum in Indiâ perturbarunt; & perpetuos defensores Bataviæ, injustè violarunt.* Quippè Cives *Londinenses* avidi pecuniæ, gloriæ, ac opum Orientis, initâ diu anteà Societate, ignoto Oceano, incerto Cursu, ac difficili Navigatione in *Indiam*, procul à Britannicis disjunctam gentibus, pervenerunt; ac non uno genere Morbi afflicti, redierunt. Hoc Anno *Quatuor Naves, Midletono Præfecto, in Indiam missæ sunt.* Eò ut ventum, Contentio orta est. *Batavis* ad se trahentibus *Indorum Regulos*, & Civitates opulentiores; ac nuper partam Societatem retinere cupientibus. *Anglis, circà Moluccas Insulas navigantibus*, ac nihil aliud à gente *Indorum*, quàm liberum Commercium petentibus. *Midletonus*, peractis quæ agenda in *Indiâ* erant, Principio Veris insequentis, prosperam Navigationem emensus, *Londinum rediit*, Tribus Navibus, *Garyophillis, magnâ vi Piperis, ac aliorum Aromatum onustis.* Una, ingentis magnitudinis, *Hector* nomine, onusta Opibus Orientis, Nautis invalidis ad Ministeria, atquè ægris dysenteriâ, in Salo, non sinè Naufragij periculo, fluctuans, cum nequiret regi, in *Britanniam* tamen innoxia, à supervenientibus fortè Mercatoribus, revecta est. Paucos post dies, *Batavi* Classe suâ reversi, *Fœderatas Provincias Orientis Mercibus repleverunt.* Hinc excitatur haud obscurum Odium. *Angli*, libello referto Contumelijs, eos meritò perstringunt, quorum Scelere, ingratè & impiè violati essent: *Batavorum* indomitam Superbiam, ac Arrogantiam, asperioribus verbis exagitant; qui etsi Libertatem, ac Incolumitatem suam, propijs viribus tueri non possent; Immemores tamen maximorum meritorum, Odium pro gratiâ benè merentibus Socijs rependerent. Verior, ne *Plebeja Simultates*, penitùs animis insitæ, quæ nunc tacitis discordijs continentur, quamquàm premantur, tandem erumpant; Quippè insitas Inimicitias istæ gentes habent; & gerent in tempore.

Inter hæc, *Nova Conjuratio contrà Regem*, majore Metu, quàm damno vulgatur. Venit Index ad *Sarisburiensem*, quidam *Neuseus*, obscurus & incertus; qui nuntiavit ei, *Thomam Italici generis, Doctorem Ordinis in Belgio, Proditionibus infamem; & Baalum Centurionem, in Regis Cadem conjurasse; Baticum Legatum hujus quoquè Consilij participem.* Ignis iste, vel à primâ scintillâ, meritò metuendus, in fumum, & Cinerem abijt: aut Temeritate falsi Indicis; aut Numinis Providentiâ, cujus Auspicijs, *Iacobus* tot meditata Facinora evasit. *Legatus* Injuriâ, Ignominiâque accensus, blandâ Oratione purgavit se; non sinè occultâ *Cecilij* insectatione.

Hâc æstate, *Christianus Quartus, Daniæ, & Norvegiæ Rex*, Florens ætate, corporis robore, ac viribus, florens etiam Opibus Paterni Regni, cupiditate visendi Reges, Nepotesque, *Octo Navibus, in Angliam delatus est.* Ad eum excipiendum, prosequendumquè pro Meritis, Angli nihil prætermisêre. *Rex cum Henrico Principe, Augustâ, Sorore Regis Danici*, ac flore Britannicæ Juventutis, excepit eum tanto honore, ut Nemini unquam majorem habitum crediderim. Omnia Humanitatis Officia, Colloquentiumquè verba excipere, literisquè mandare non potui. *Vicum Viridem*, concursu undique facto, est deductus, & ibi ædes, quæ ipsum, comitesquè benignè exciperent, splendidè paratæ. Cum in Convivijs *Symphonia* caneret, *maximisq; Poculis* ministraretur, non *Fores Regiæ modò omnibus apertæ*; sed & Mensæ conquisitissimis Epulis, per varia Triclinia, *Danis* instructæ. In *Theobaldinis ædibus*, elegantiâ, Situ, & Hortorum Amœnitate conspicuis, *Sarisburiensis ab Epistolis*, Magnificentiæ, & Sumptui Epularum, Quatridui Spacio, modum posuit nullum. Spectaculum indè maximum, duorum Nobilissimorum Regum in Urbem introitus. Omnium oculi conspicere ingredientes avent. *Satellites Regij*, Aureo bullatæ vestis Emblemate, primi incedunt; *Tubicines* succedunt, Tunicis variegatis; & *Feciales*. Alibi *Tubicinum* Cantus, Alibi *Tympani* Sonus audiebatur, confusis utriusquè gentis Modulis. *Ministri Regij*, suis Ordinibus subsequuntur.

subsequuntur. Deindè, per illustres *Barones*, *Comites* nobilissimi; Postremò *Reges*, Auro Ostroquè fulgentes; & *Britannica Insula spes*, *Henricus Princeps*, Effigies Patris. Dextrâ, lævâque, Clarissimi *Proceres* comitabantur. Exiguo indè intervallo, *Anna Regina*, in Curru, magnam, decoro habitu corporis, Majestatem præ se ferens. Post Currum, *Turba illustrium fæminarum*, Reginam comitantium, Equis vectabatur. In omnibus Splendoris, Sumptuumquè nullus Modus. *Pectora, & Brachia Margaritis ornata erant*; pendebant ex Auribus insignes Magnitudine gemmæ. *Spectacula*, in transitu edita, referre piget. Ex multis diebus, quos in vitâ lætissimos, celeberrimosquè tulit, lætissimus iste civitati dies, animorum Alacritate illuxit. Dum Principes *Civium Ordines* contemplantur, congratulantiumque Acclamationibus delectantur, Cives magnifico Agminis Regij apparatu oculos suos pascunt. *Montacutus*, *publicus Civitatis Tabellio*, Officiosâ Oratione, linguâ latinâ, Regibus ob exoptatissimum ad urbem Adventum, gratias egit; & publicam Civium omnium lætitiam, quam ex Majestatis conspectu perceperant, paucis quidem, sed per quàm disertis verbis, prædicat. Quâ salutatiunculâ finitâ, *Prætor*, Civium suorum Nomine, Quædam Munuscula protulit, & Regi Daniæ *Aureum Craterem*. Gratiæ à *Regibus* actæ. Tandem, Tædio Pompæ fessi, *Aulam Candidam* progrediuntur. Ubi omni Opulentiâ Convivium exornatur. Postero die circumductus *Danus*, *ut Templa*, *Basilicas*, *Armamentaria publica*, *& Monumenta Marmorea*, totius Occidentis pulcherrima, viseret. Is omni Officiorum genere, à privatis, Magistratibusquè cultus. *Præfectus Turris*, *Vadius*, *& Rogerus*, *Rutlandia Comes*, qui in *Daniâ*, jussu Regis, legatus fuerat, Magnificentiâ & Sumptu Epularum certarunt. *Moratus in Angliâ Triginta haud amplius dies*, Ludicris Certaminibus, Spectaculis, Epulis, Aurium & oculorum delectatione satiatus, & donis honoratus, sui Regni repetendi desiderium cæpit. Ab Aulâ antequàm proficisceretur, *Aureos Torques* Ministris Regijs; ac *Signati Argenti Talenta multa*, *Satellitibus* dedit; *Acinacem* quoquè *Principi* opere mirabili perfectum: cujus ex gemmâ erat *Vagina*; Capulo inseruerat Lapillos, insignes Colore, & Magnitudine. *Sororis Gynaceo* Gemmas Clarissimas, atque Margaritas distribuit. Quâ Benignitate ejus, *Iacobus* mirè lætus, misit ei Munera satis largè, *Equos Phaleratos* ex suis, cum ijsdem Insignibus, quibus assueverant, cum ipsum veherent. Arma Equestria Opulenta, Margaritas, Lapillosquè, ingentis pretij. Nec ab eo abscesserat, donec navem conscenderet. *Chattami*, ubi Naves regiæ subductæ, Convivia ultrò citròque concelebrata, hilarem in modum; invitatis ad Epulas *Regina*, *Principe*, *Regulisquè*. Naves, in Tabernaculorum modum ornatæ, candidis velis, ac aliâ veste preciosâ. Pontes flumine constrati; Tubarum Clangoribus, & Tormentorum fragoribus omnia perstrepebant; Cælum tonitru quasi contremuit. Coivêre Amicis animis, quod Ora, Vultusque indicarunt; sed non sine Lachrimis, & luctu discessêre. Ita *Danus in regnum profectus*. 1606.

Gerardus Ransovius, *Holsatia Vicarius*; *& Ionas Carisius Iurisconsultus*, *in Belgium ad Archiduces Legati missi*; introductiquè in Senatum, questi sunt, *à Dunkircanis passim Rapinas*, *& Maritima Latrocinia*, *in Mari Baltico facta esse*, per summam Injuriam, Ignominiamquè Dani Regis. *Legatis* comiter responsum est. *Archiduces*, ea quæ facta quærantur, nequè scire, nequè si facta sint, Navarchorum Iniquitate, & injuriâ, probare. Si coràm Reos arguere vellent, cognitâ causâ, daturos operam, ut satisfiat. Intereà indicarent Regi suo, quæ *Archiducum* sententia esset. *Ransovius*, *& Carisius*, peractis ijs, quæ agenda in *Belgio* erant, Principio hyemis in *Daniam* redeunt.

Eodem ferè tempore, frequentes *Mercatorum*, *Nautarumquè querela*, *de atrocissimis Iberorum Injurijs*, *ad Britannia Regem delata*. Qui quotidianâ quærimoniâ Subditorum, auxilium justè deprecantium, motus, de tot tantisquè Injurijs, *Carolum Cornvallinum*, *Legatum suum in Hispaniâ*, per literas queri jubet. Is in Senatu *Iberorum* mandata exposuit; Regis sui benefacta in eos vetera, ac nova; ex æquo & bono, non ex Callido versutoquè Jure, in suo cuiquè tribuendo Justitiam observâsse; grati, fidelisquè Principis munere semper functum esse; Pacem cum summâ fide, & Religione coluisse. *Hispanos* è contrà, *in Anglos multa superbè*, *avarè*, *violenter fecisse*; *Fortunas Mercatorum ultrò citròque commeantium direptas esse*; *& quotidiè diripi*; *Naves Britannicas*, *Mercede militantes*, *pretio Servitutis improbissimè fraudari*. *In rebus creditis Fidem*; *in Iudicandis æquitatem non servari*. *Pecunias Civili Actione*, *& privato Iure recuperatas*, *Creditoribus non solvi*; *Decreta Iudicum Executioni non mandari*. Hæc *Cornevallio*, Authore Senatu, scripta Epistola, plena stomachi, & querelarum. Contrà *Iberi questi sunt*, *Anglos*, *ex vesiduâ & vetere Simultate*, *majore numero in Bataviâ*, *quàm in Belgio militare*. *Nova Severitatis Decreta*, *adversùs Pontificios ferre*. *Disseruerunt*q*;*, *si Britanni destinarent*, *potiorem Philippi regis*, *quàm Batavorum Amicitiam habere*, *Philippum quoquè ijs omnia Humanitatis Officia præstare paratum esse*. Legatus non inficiatus est, *apud Batavos majorem numerum Britannorum Tubam*, *Lituumquè sequentium*, *quàm apud Hispano-belgas Mercede militare*; non voluntate Principis, aut publico Consilio; sed Spe honoratioris Militiæ, majoribus stipendijs, aut pari Pietatis cultu inductos. Si in stipendia Militiæ pellicere vellent, benè mærere de *Populo Britannico* in universum oportere; *& Conscientia libertatem*, *non rigidam Servitutem procurare*. Ad hæc disseruit, leges apud *Britannos*, in Pontificios latas, non Sanguinarias, sed Salutares; Nequè aliter Salutis Regis, aut Securitati publici Imperij *Britannici* consuli potuisse. *Supplicia in Angliâ*, *Proditionis*, *ac Perfidia*, *non Religionis ergò constituta*. *Regem nullam Conscientijs vim inferre*; *sed legitimum tantùm Obsequium à Civibus suis exigere*; *non solùm in re profanâ Civiliquè*, *sed & in Iure Sacro*, *Ecclesiasticoquè*. Ita Invidiam, Infamiamquè legum prudenter avertit, in Seditiosissimos

Cives,

1606. Cives, qui Statum reip: conati erant convellere. Quærelæ Quærelis compensantur. Questi quoquè Iberi, *Prædones Britannicos* totam Maritimam oram, Spe rapiendi atquè prædandi, hostiliter Navibus peragrare. *Archipiratam Vardeum, cum grege Prædonum, in Mari Mediterraneo, plenissimis velis navigare.* Rursùm Legatus, *Piratæ*, inquit, *communes sunt hostes generis humani. Si rumpendæ Pacis justas causas præbeant, meminissent, cum Anglis rem esse*; Quorum & vires in bello, & fidem in Pace experti sunt. Cum ijs bellum anceps esse, quàm Pacem mallent, deliberarent. Infensis animis utrinquè decessum. *Plebs Anglica*, contrà Hispanum, infesto animo, bellum suscipere parata, Minas jactat, Pericula intendit. *Rex* gravis semper Amicus, aut Inimicus, nihil temerè aut violenter consulere voluit.

Insitum Plebi furorem auxit Casus. Cum *Mauritius Imperator ad Vesalam* Castra haberet, ut *Rhenum*

Rhinbergæ obsidio. Copias traijceret, anxius, ne si concessisset *Obsidioni Rhinbergensi*, nihil Opis in ipso videretur; si prohiberet; interruptis fluminis Pontibus, præclusoquè Itinere, impeditis locis, sequè & Copias illigaret; statuit postremò Subsidium laborantibus ostendere; Etsi Subsidij Spes erat tardior, quàm tempus postulabat; Tamen *Gallorum, Britannorumq; Cohortes*, Præsidio urbis relictæ, *Spinolam* Fortissimis, præstantissimisquè animis excipiunt, & in Castris adoriuntur. *Edmundus Chiliarcha*, obscuris parentibus apud *Scotos* ortus, sed Militiâ clarus, rebusquè gestis, ingens ipse virium ac animi; & rei Militaris, ut quisquam Tribunus eâ ætate, peritus, Propugnaculum in adversâ Rheni Ripâ, Præsidium urbis, *Iberis* oppositum, & objectum, periculo vitæ suæ defendebat. *Hispano-belgæ* contrà, illud Propugnaculum, omni impetu usi, defensione ejus virum fortissimum deijcere non poterant. Is, More Militiæ, in Stativâ hostium Castra despiciens, quid molirentur, globulo trajectus, exanimis concidit. Cæteris fractus animus, postero die Propugnaculum à Militibus desertum; Neque diu posteà, Oppidum à *Spinolâ* Deditione acceptum. Tulêre corpus *Britannicæ Cohortes*, cum luctu & lachrymis. Irritatus eâ Cæde *Scotus*, vertit Iram in Invidiam, Odiumquè *gentis Batavæ*; Sed non ultrà Minas, ac Formidinem progressus est. *Hispani* minis ac metu modicè commoventur.

Positâ ubiquè belli formidine, *Magistratus Londinenses* Templa Deûm, fana, & Monumenta publica, proprijs pecunijs firmant, ornantquè. Cives divitijs præpollentes, Liberalitate Munificentiâ-

Magnificentia publicorum operum. què certant; & magnas Opes ad Ornatum Urbis, & Posterorum gloriam, conferunt. *Prætor Urbanus Halidajus*, nihil reliquum fecit, quo magis Urbem universam, singulasquè ejus partes augeret, ornaretquè. *Fossas*, Limo, Cænoquè redundantes, purgavit; & Aquis dulcibus replevit. Campum Mori, locum fædum, maculosum, & habitu pernicioso infectum, detersum, *Lateritio Muro* circùm dedit; eleganti Opere, ac summo Artificio excoluit. Ubi anteà Sordes, & Uligines Paludum, ibi nunc Viridaria, Ambitu spectatuquè multò gratissima; Ambulacra Sæpium, Arborumquè ordinibus jucundissima. Cives Amænitate, & salubritate loci capti, dum beneficio fruuntur, Benefactoris insigne factum piè commendant. Accendebantur ad Impensas Civium animi. *Amnis*, multo opere, Majore Sumptu, in Aquilonarem urbis Partem duci, factâ fossâ, cæptus; ad purgandas corruptas, Stagnantibus Aquis in illis partibus, fossas. Quia *Prætor* Oneri ferendo impar, nec suo Sumptu, magnum ac arduum opus obire potuit, multi Magistratus, Civesquè juverunt Opibus *Prætoris Consilium*. Inter quos, *Nicolaus Letus*, opus sedulò promovit; ac magnam Pecuniæ vim dilargitus est. Mole operis, *Ductuquè Aquarum* exhaustis Civibus subvenit Princeps: Preciumquè Agri effossi Dominis tribuit.

Perpetratis quæ ad *Pacem, & Ornatum urbis* pertinebant, de Rep: *& Unione* ad Proceres retulit. In primis ad stabiliendum Regnum pertinere existimavit, *Anglos & Scotos Connubio jungi*. Festis Nativitatis diebus, *Iacobus Hajus*, Urbanitate Gallicâ, Suavitate Humanitatis, & Pietate in Patrem insignis, gratiâ apud Regem pollens, *primus Scotorum Baro Angliæ creatus*, initium & causa Incrementorum Patri, viro optimo, fuit. *Honoram, adultam virginem, unicam filiam Dinei Baronis*, nuper in Procerum Ordinem, Rescripto Principis, adsciti, uxorem duxit, eximiâ Corporis specie, & decore. *Candor Sponsæ, Sponsi Proceritas*, Uultus, oculiquè, intuentes recrearunt. *Hajus* amplissimum Patrimonium, ex eo Matrimonio, & arctissimam *Ceciliorum* Affinitatem consecutus est. Donationis etiam Remuneratoriæ Titulo, *Lacisundia à Rege accepit*. Magnâ indè pompâ, ac celebri Procerum frequentiâ, peractæ Saturnalibus Nuptiæ; plenæ Dignitatis, plenæ Concordiæ. Dona Nuptialia, Regia gaza, ac Gemmæ ingentis precij.

Aquæ magnæ, & Nives, hâc hyeme fuerunt; *flumina* passim inflata, Ripasquè supergressa; *Sabrinaquè* continuis Imbribus, & Ventorum vi, invecto Mari, auctus; *Agrum Somersettensem, & Glocestrensem* in lati æquoris speciem inundavit; cum magnâ strage Provinciæ, Tectorum, Pecorumquè, & hominum pernicie; Turbine, tantâ vi, Aquam rapiente, ut Ope aut consilio humano, resisti non posset. *Multi, improviso Fluminis incremento, in domibus & Cubilibus intercepti*; Alij velut in Naufragio, enare cæperunt; Alij, relictis Campestribus Vicis, *in Iuga Montium* concesserant, ut triste fatum evitarent. In *Cambriâ*, præcipuè in *Agro Monumetensi*, ab illâ *Inundatione* damnum datum; ubi Fana, ac pleræquè domus, & Villæ, vi Torrentium aquarum absorptæ sunt. *Fornicati Pontes passim dejecti*. Campi avulsarum arborum, tignorumquè fragmentis strati, & ea tùm major, & aliquantò longior, quàm unquam aliàs, fuit. *vis Ventorum, Maris furor*, non anteà cognitus; Pias mentes, horrore ruentis cæli, terruit. Proindè *supplicationes factæ*, ad Iram Numinis avertendam. *Inundationem*

Sabrinæ,

Sabrina, *&* *Cladem Monumetensem* solatus est Princeps; & Accolas omni publico munere absoluit; 1606.
quantumquè *Aerario*, *&* *Fisco* pendebant, Subsidij nomine, ad tempus remisit, ut amissa reponerent; instaurataquè sunt complura loca deformata.

18 *Februarij*, *Comitia*, ad eum diem dilata, rursùs inchoantur, communis utilitatis causâ. *Eduardus Philippus*, Equestris Ordinis, *Probonlos lectus*. Cum in Sellâ sedisset, de ratione publici Imperij disserens, patienter auditus est. Indè *Procuratores Civium*, acriter, & cum summâ fide, exposuerunt, Novis Oneribus, & Vectigalibus commentis, maximè oneratam Plebem. *Mittitur ad Regem Probonlos*, Civium desideria secum ferens. Et Veniâ dicendi statim impetratâ, in *Cœtu Procerum*, *Præside Rege*, ornatam & copiosam Orationem habuit, quâ gravescentibus indies totius Reip: Malis, & inprimis *Plebis*, subveniendum putavit; obtestans ut illicita *Monopolia*, *&* *acerbissima Coactorum Exactiones* legibus coërcerentur; *Edicta*, *&* *Constitutiones*, *Regno Populoquè utiles*, quæ jam obsoleverant, renovarentur. Et Capita eorum, quæ emendatione egerent, annotavit; ut Rex, rationem adhibens, Consuetudines Errore introductas, & Corruptelas, ac alia *Nova Onera*, *quæ ad perdendam lacerandamquè Plebem*, *Publicani invenerant*, emendaret. Respondit *Rex*, scire se, multa, superiorum temporum licentiâ, in Moribus, ac Civili Administratione irrepsisse, quæ *Plebem* maximis Oneribus premant: quæquè emendata cupiat. Sed in præsentiâ, cuncta levare non posse. Proindè *quædam Plebis desideria* ad Senatum retulit; eaquè *Cæcilio* tradidit; Qui de ijsdem esset propediem relaturus. Quædam ipse, pro Potestate, concessit: *Coactorum Abusus* Edicto coërcere jussit. His dictis, *Sarisburiensis* assurgens, verbis amplissimis Bonitate, & Clementiâ Regis laudatâ, qui multum de suo, adversùs Subditos, Jure remisisset; inter cætera propensum in Singulos Regni Ordines studium, pro cujusquè dignitate, & humanissimum animum, Summis laudibus ad Cælum extulit; quod Pacem Consilio firmaret; publicæ Tranquillitati prospiceret; & quæ, superiorum temporum vitio, depravata essent, in Civili Administratione, emendare constitueret. His actis, *Philippus*, *Plebis nomine*, *in genua procumbens*, gratias egit.

His Comitijs, visum *Iacobo Regi*, magno periculo vitæ liberato, ut Incolumitati suæ prospiceret; & *Ordinibus Regni*, ut Tranquillitati publicæ consulerent; *Pontificior* (qui justissimam Suspitioni causam dederant, ex Scelere, post Orbem Conditum, atrocissimo) novâ Juramenti Religione, in fide & Obsequio continerent. Edicti, seu Legis Proemium fuit. *Cum jam Experientiâ Quotidianâ compertum sit*, *multos Regiæ Majestatis Subditos*, *ex animo Pontificiæ Religioni adhærentes*, *(partim eâ*, *quam indè hauriant*, *Contagione*; *partim scelerato & Satanico Consilio*, *quod à Iesuitis suggeri solet*, *&* *à Seminariorum Alumnis*, *alijsquè id genus perditis hominibus*, *qui omnes Ecclesiæ*, *Regnoquè huic perniciosi semper sunt habiti) usq*, *adeò perverti indies*, *quod ad Officium attinet*, *&* *Fidelitatem*, *Regiæ Majestati*, *&* *Coronæ suæ debitam*, *ut adhuc Principi periculum*, *Cædemq*, *machinentur*; *ac ad simile Scelus perpetrandum*, *non inviti accederent*, *si Occasio daretur*. *Et ideò ad tales detegendos*, *&* *eorum Mentes in Majestatem Regiam*, *inq*, *communem salutem pessimè affectas*, *fidelitatis Iusjurandum*, *publicâ Ordinum Auctoritate*, *sancitum est*, *&* *Edicto promulgatum*. Juramenti verba fuerunt, *Quod Dominus noster Iacobus*, *sit legitimus & verus Rex Britannici Regni*, *&* *omnium Majestatis suæ Dominiorum*. *Quod Papa*, *nec per se*, *Nec per interpositam Ecclesiæ*, *vel Curiæ Romanæ Auctoritatem*, *Potestatem ullam habeat*, *Regem deponendi*, *Regnum Britanniæ Iuri*, *Ditioniq*, *alterius attribuendi*, *adjudicandiquè*; *vel Subditos à debitâ Obedientiâ exonerandi*; *Seditionem*, *Tumultumvè adversùs Principem*, *&* *Remp: concitandi*. *Item*, *Quod Cives*, *non obstante Sententiâ Excommunicationis*, *vel Absolutionis cujuscunquè*, *Fidem & Reverentiam Regi*, *hæredibus*, *&* *Successoribus suis præstare teneantur*. Deniquè *Quod Papa Potestatem non habeat*, *quenquam hoc Sacramento obstrictum absolvendi*. Adjecta est Sponsio, quâ Opem & Auxilium contrà omnem vim Exteri, vel Principis, vel Potestatis, subditi stipulati sunt. Additæ sunt huic legi *Clausulæ aliquot tristiores in Papanos*; *cum Mulctâ Pecuniariâ* x x *Librarum*, *in Menses singulos*, *qui Sacris interesse pertinaciter recusarent*; *qui Eucharistiæ Sacramento abstinerent*. Et Pœna læsæ Majestatis adjecta, *Si Quis quemquam Papæ reconciliaret*, *Sedivè Romanæ*; *vel abduceret à naturali Obedientiâ Regi debitâ*. Severitatem istam legis, nefaria *Conjuratio Nitrati Pulveris* extorsit. Cæterum ratio publici Imperij, & Temporis, Pontificijs omnem justam Indignandi causam præripuit. *De Iuramento Fidelitatis magna dissensio orta*, *inter Sacrificulos Papanos*, *&* *Ignatianos*. *Sacrificuli* memores fidei suæ, ac Regiæ Majestatis, nec ultrà quid desiderate Regem, quàm Civilem Obedientiam, animadvertentes; in re profanâ, Civiliquè ei obediendum; ac Religionem Majorum, vitæ Integritate, ac non Vi armatâ propagandam censuerunt; Sequè hoc Sacramento piè obstrinxerunt. *Ignatiani*, Romani Pontificis Primatui penitùs addicti, Regis hostes capitales, contrà disseruerunt, *non Civilem Obedientiam modò*, *sed etiam Catholicæ fidei Abnegationem requiri Iuramento*; *Pleraquè in eo Sedis Apostolicæ Authoritati*, *&* *Ecclesiasticæ Libertati contraria contineri*; *Potestatem Pontificis in Principes Christianos aboleri*. *Proindè*, *Pontifici Maximo*, *ac Sanctissimæ Matri Ecclesiæ potiùs*, *quàm hominibus*, *id est Regibus*, *obtemperandum*. Haud facile est, aut ea quæ obijcerentur; aut quæ adversùs ea dicerentur, memoriâ complecti. *Georgius Bladvellus Archipresbiter Regni Angliæ*, homo in Sacerdotio, Clandestinis Leiturgijs, Ceremonijsquè, quibus ultrà x x Annos apud Anglos præerat, diligentissimus, *Iuramenti Concepti formulam*, *tàm æquam*, *tàmquè moderatam*, *non exhorruit*; quæ merè, & solùm ad Civilem Obedientiam, ac temporalem spectaret; qualis Summis Principibus à Subditis deberur; *adjecitquè Calculum Iurijurando*; exemplo suo, æquioribus Pontificijs satisfecit; quibus non esset

1606. ulcerosus animus, aut suppurata fides. *Verè*, inquit, *affirmo, idquè coràm Deo, Iacobum, & ipse Principem legitimum, & pro tali habendum; non obstante Bullâ, seu sententiâ quâvis, quam Papa tulit, feret, poteritvè ferre in posterum. Nec Pontifici Authoritatem ullam esse, aut de Facto, aut de Iure, solvendi Subditos ejus, perpetua fidelitatis Sacramento, quo se obstrinxerunt; Principumquè Supremum Imperium in Sacularium rerum Moderatione, nulli praterquàm Soli Numini, obnoxium. Pro quâcunquè demùm causâ usurpari, prater Ius fasq., à Pontifice Temporalem potestatem Reges deponendi, Regna abrogandi, Iuri, Ditioniq. occupantis adjudicandi.* Ad hæc, hujus Jurisjurandi summam æquitatem, & Jus Regium in rebus Civilibus, *innumeris Scolasticorum Pontificiorum Testimonijs* diligentissimè defendit; *Pontificum temporalem Potestatem in Reges oppugnat, ac evertit.*

Novi Sacramenti fama manavit non solùm per *Franciam, & Germaniam*, verùm etiam *transcendit Alpes in Italiam.* Intercessum est ibi vehementissimè, *Diplomate, à Papâ Paulo Quinto*, Qui præmonuit *Catholicos suos Anglos*, ut à Sacramento præstando omninò caverent; ac *Apostolici dicti* memores, *obedirent potiùs Deo, id est, Pontifici, quàm hominibus, id est, Regibus.*

Catholicis Anglis

Paulus P P. Quintus,

Dilecti filij, salutem & Apostolicam Benedictionem. Magno animi marore nos semper affecerunt Tribulationes, & Calamitates, quas pro retinendâ Catholicâ fide jugiter sustinuistis. Sed cum intelligamus, omnia hoc tempore magis exacerbari, Afflictio nostra mirum in modum aucta est. Accepimus namquè, compelli vos, gravissimis panis propositis, Templa Hæreticorum adire; Cætus eorum frequentare; Concionibus illorum interesse. *Profectò credimus, proculdubio, vos qui tantâ Constantiâ atquè Fortitudine, atrocissimas Persecutiones, infinitas propemodùm Miserias hactenùs perpessi sunt, ut immaculatè ambularent in lege Domini; nunquam commissuros esse*, ut coinquinentur Communione Desertorum divinæ legis. *Nihilominùs Zelo Pastoralis Officij nostri impulsi, & pro Paternâ Sollicitudine, quâ de salute animarum vestrarum assiduè laboramus; cogimur monere vos, atquè obtestari*; ut nullo pacto ad Hæreticorum Templa accedatis, aut eorum Conciones audiatis; vel cum ipsis, in Ritibus communicetis: *ne Dei Iram incurratis. Non enim licet vobis hac facere*, sine detrimento Divini Cultus, ac vestræ Salutis. *Quemadmodum etiam non potestis, absquè evidentissimâ, gravissimâquè Divini honoris Injuriâ, obligare vos Iuramento; Quod similiter, maximo cum Cordis nostri dolore, audivimus propositum vobis fuisse, prastandum. Qua cum ita sint, vobis, ex verbis ipsis, perspicuum esse debet, quod hujusmodi* Juramentum, salvâ fide Catholicâ, & salute animarum vestrarum, præstari non potest; *cum multa contineat, qua fidei ac saluti apertè adversantur. Propterea admonemus vos, ut ab hoc, atquè Similibus Iuramentis prastandis omninò caveatis: quod quidem eo acrim exigimus à vobis, quia experti vestra fidei Constantiam, (qua tanquàm Aurum in Fornace, perpetua Tribulationis igne probata est) pro comperto habemus, vos alacri animo subituros esse, quacunq. atrociora Tormenta, ac Mortem deniq. ipsam constanter appetituros, potiùs quàm Dei Majestatem ullâin re ladatis. Et Fiducia nostra confirmatur ex his, qua Quotidiè nobis afferuntur de egregiâ virtute, atquè Fortitudine; qua, non secùs ac in Ecclesia Primordijs, resplendent, novissimis hisce temporibus*, in Martyribus vestris. *State ergò, succincti lumbos, & induti Loricam Iustitia, sumentes Scutum fidei. Confortamini in Domino, & in potentiâ virtutis ejus; nec quicquam vos detineat. Ipse autem, qui Coronaturus vos, Certamina vestra in Calo intuetur. Bonum opus quod in vobis capit, perficiet. Nostis, quam Discipulis suis pollicitus est, Se nunquam eos relicturum esse Orphanos: fidelis enim est, qui repromisit. Retinete igitur Disciplinam ejus; hoc est, radicati & fundati in Charitate. Quicquid agitis, quicquid conamini, in simplicitate cordis, & in Comitate spiritus, sinè Murmuratione, aut hasitatione, unanimes facite. Siquidem in hoc cognoscunt omnes, quia Discipuli Christi sumus, si dilectionem ad invicem habuerimus. Quaquidem Charitas, cum sit omnibus Christi fidelibus maximè appetenda; vobis certè,* dilectissimi Filij, *prorsùs necessaria est. Hâc enim vestrâ charitate Diaboli potentia infringitur, qui nunc adversùs vos tantoperè insurgit; cum ipsa Contentionibus, atquè dissidijs nostrorum Filiorum pracipuè utatur. Hortamur itaq. vos, per viscera domini Iesu Christi, cujus Charitate è faucibus aterna Mortis erepti sumus, ut antè omnia, mutuam inter vos Charitatem habeatis. Prascripsit sanè vobis pracepta maximè utilia de fraternâ Charitate vicissim exercendâ, felicis recordationis Clemens Papa Octavus, suis literis in formâ brevis, ad dilectum Filium Magistrum Georgium, Archipresbiterum Regni Anglia, datis die Quintâ, Mensis Octobris*, 1604. *Ea igitur diligenter exequimini; & ne ullâ difficultate, aut ambiguitate remoremini. Pracipimus vobis, ut illarum literarum verba ad amussim servetis; & simpliciter*, prout sonant, & jacent, accipiatis, & intelligatis; *sublatâ omni facultate aliter illa interpretandi. Interim nos nunquam cessabimus, Deum, Patrem Misericordiarum, precari, ut Afflictiones, & labores vestros clementer respiciat; ac vos continuâ protectione custodiat, atquè defendat. Quos Apostolicâ Benedictione nostrâ clementer impertimus. Datum Roma, apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, decimo Calend: Octob: 1606, Pontificatus nostri Anno secundo.*

Crudissimum *hoc Diploma, contrà Sacrorum Canonum Ritus; Orthodoxorum Patrum Decreta; rerum sacularium à Deo datam Principibus Potestatem; Britannici Imperij Libertatem; Pacis publica quietem*; Papanorum animos in *Angliâ* variè affecit; ne aut neglecto, Impietatis; aut suscepto, Majestatis arguerentur. Indè orta est dissensio: *Presbiteri*, doctrinâ, & Sanctimoniâ præstantes, *Seminariorum Alumni, & aquiores Pontificij*, Interdictum tanquàm surreptum per fraudem, vel impetratum per Importunitatem,

nitatem, respuerunt; tàm æquum Jusjurandum, tàmque legitimum, non exhorruerunt. *At Iesuitæ, & Pontificij turbulenti*, Pontifici Romano sinè verecundiâ devincti, Jusjurandum detrectarunt. *Brutum hoc fulmen* altiora Tonitrua concitavit; ut suo tempore subijciam. 1606.

Prodigia, hoc Anno, multa nunciata sunt; quæ quò magis credebant *Pontificij*, & Superstitiosi homines eò etiam plura nunciabantur. *Londini* in ipsâ Urbe Regiâ, Septimus Masculus, superstitibus sex fratribus, maximam concitavit famam sui, *Potentiâ Miraculorum*. Vulgatumquè à *Papanis*, divinitùs illi insitam *Peritiam Sanandi Morbos*, vi occultâ Numinis. *Nostri Theologi* differuerunt, *Miraculis* hujusmodi credi non oportere. Puer in ædibus *Episcopi Londinensis* asservari jussus; donec Rumor Populi vanesceret; & *Mendacium* perspicuè pateret: Mox patefactus est totus, *ex fraude & Mendacio* compositus. Affirmarunt Quidam, magis impudenter, *Garneti faciem in Paleâ visam esse*; *Speciesquè hominum circùm eam, cum candidâ veste*; *ex occulto auditas esse voces, quæ Clades Protestantibus denuntiarent*. Imaginationis hoc fuit Mendacium, non Oculorum, aut Aurium, tàm re quàm dictum inopinatum. Vulgus *Portenta & Miracula Papanorum, velut Poëtarum, & Pictorum figmenta irrisit*.

Hoc Anno *Mathew Huttonus, Præsul Eboracensis* mortem obijt; qui moderato ingenio, & ratâ Eruditione excultus, sæpè magno usui Reip: fuit. Nam & *Regina* Præsidibus *Eboracensis* Provinciæ Assessorem dedit; semperquè rebus majoribus interesse voluit. *Tobias Mathæus, Dunelmensis Episcopus*, sui temporis Eloquentissimus, ei successit. Jactatum Exemplar Epistolæ Præsulis, gravi, periculosoquè morbo affecti, ad Regem, extremâ Obtestatione *hortantis, ut Venationes, & Aucupia intermitteret*; vigilantibus curis Reip: consuleret; Auctoritatem Senatus cônfirmaret; salutemquè Populi procuraret, & fausta felicia Regno, Populoquè: eaquè Exhortandi ratio à Majoribus nostris non neglecta est. Siquidem *Præsules*, & Sacerdotio præditi, Remp: Religionis Auctoritate temperarunt. Itemquè rebus majoribus, quæ publicè fierent adhibiti; sapienter monuerunt Regem, Populumquè; pericula belli denuntiarunt; in Rep: tuendâ curam, atquè Prudentiam ostenderunt; perniciosasquè Seditiones Auctoritate represserunt. Cujus generis multa exempla in *Annalium Nostrorum Monumentis* extant. *Edmondus Andersonus, communium Placitorum Iudex æquissimus*, circumacto *Vicesimo Tertio* Officij sui Anno, vi morbi oppressus, decessit. Ejusquè mors consentanea fuit vitæ honestissimè actæ. In defuncti locum suffectus *Franciscus Gadius*; qui brevi post mortuus est. Successit ei *Eduardus Cokus, Procurator Regius*, Orator Causarum copiosus, & elegans; Peritiâ Juris, & Pecuniæ magnitudine notus omnibus. Qui res Judicatas sui temporis, non paucis Membranis complexus, res à Majoribus judicatas sæpenumerò contempsit, fiduciâ ingenij. Is suo magis, quàm alieno Juditio sapiens, in *foro Vestmonasteriensi*, se dubiarum Quæstionum, in litibus & Controversijs, citari Interpretem, & Arbitrum vivus vidit; quod paucis apud Majores contigit. Omnes, ex omni ætate, qui Intelligentiam *Iuris Municipalis* habuerunt, cum *Coko* non sunt comparandi, Opum magnitudine, & admirabili in Casibus recitandis Memoriâ. Reliqua vita ejus, in Contextu Operis, pro merito variè celebratur, arguiturve.

Id est privatarum controversiarum.

In *Vlteriori Britanniâ*, hoc Anno, *Limnuchi Synodus habita*, summo studio *Præsulum, de moderandis Presbiterijs*. Ubi *Cathari* se, suasquè vires Auctoritati Principis opposuerunt; *& Synodum, ut spuriam repudiarunt*. at Consensu Ecclesiæ, in publicas Tabulas redacta, & publico gentis Decreto approbata est. Quantâ verò *Rex* Moderatione usus sit, in illo difficillimo tempore Ecclesiæ, vix enarrare possum. Interpositâ Auctoritate suâ, Consilio, atquè Juditio, liberè *Catharorum Ambitionem* repressit; ac *Populare eorum Imperium* evertit, Coërcitis *Presbiterijs*, Jura Præsulum, & Auctoritatem, incredibili studio, defendit; Potestatem omnem Jurisdictionis Ecclesiasticæ ijs permisit; hujus Ordinis Auctoritatem, Therapeutarum Audaciæ, & impotentiæ opposuit. Undè propter Magnitudinem Potestatis, ac Dignitatis, Episcopatus à Ministris præcipuis, summâ Ambitione contenditur. *Rex* Episcopis imperavit, ut vetere Ecclesiæ instituto, Provincias regendas susciperent; & suæ Jurisdictionis Ministros in Obsequio continerent. Responderuot supplicites *Præsules*, priorum temporum injuriâ, ac publicis Ordinum Decretis, Episcopatuum fructus Ecclesiasticis ereptos; ademptam Dignitatem; sublata in *publico Ordinum Conventu* Suffragia; & de *Iure Præsulum*, velut re Controversi Juris, multos adhuc ambigere. *Rex* itaquè, *indictis Perthum Comitijs*, flagitavit, *Ius Suffragij, Ecclesiasticis, velut Tertio Ordini, Comitiali Auctoritate, restitui*; quoniam è Rep: videbatur. Docuitquè, sibi *Dominatum Catharorum* maximè displicere. Et ad hæc impetranda, Procerum Populiquè voluntate, *Baroduni Comite* ministro usus est. *Perthi*, magnâ animorum Contentione certatum est, *Num Ius fas esset Præsulibus, publicis Regni Comitijs interesse*; *Remp: regere*; *Suffragij Iure uti*; *aut de Causis Civilibus cognoscere?* Baroduni Comes, diligentiam in eâ re adhibuit singularem. *Novorum Procerum*, in omnibus rebus *Regi faventium*, Suffragijs, facilè perfecit, *ut Præsules, & majore Sacerdotio præditi, ad Ius Suffragij, postliminiò admitterentur*; *Decreta omnia, quæ obstarent Ecclesiastici Ordinis Auctoritati, lege latâ abrogarentur*; *Cathari Temerarij atquè audaces, Alij citarentur*; *Alij coërcerentur*; *Alij relegarentur*. Ita *Iacobi* Instituto, *Iurisdictio Spiritualis Præsulum arbitrio reddita*. & Baroduni Comes, re benè & fœliciter gestâ, omnes penè amicos Regis dignatione vicit; multos *Sacerdotijs*, valdè opulentis, augendos curavit. Quam ob causam, ad eum omnes Proceres Regni, & Ecclesiæ, concurrerunt; qui placere studerent Regi, & gratiam temporis expetere vellent.

1606. Hâc Æstate, *in Belgio res turbida.* Spinola in *Hispaniam*, ad *Philippum* profectus, à Rege donis plurimis honoratur; Supplemento Militum, & pecuniâ adiutus, ad bellum gerendum domum regressus, *Lochemum* oppugnare adortus est. Cum ex paucis defendentibus Quotidiè aliqui eorum caderent, Urbem Deditione facilè cæpit. Eâ urbe captâ, oppugnari deindè *Grolla Vrbs* cæpta est. Nihil à Præsidiarijs omissum est, quò posset hostis arceri; Eruptionibus subitis Opera & Stationes perturbarunt. Sed posteà coërciti, ne tàm crebro, nevè tàm impunè erumperent; petitis Conditionibus, se, Urbemquè dediderunt. *Mauritius*, Castris hostium fossâ & Vallo munitis, obviam ire discrimini non potuit. *Spinola*, firmatis Præsidijs, haud ignarus instandum famæ, *Rhinbercam* in potestatem redegit; ut paulò antè memoravi. Exin *Sclusam* inopinanrem tentavit. Ingens *Tirralij Galli* adversùs eam urbem Conatus frustrà fuit; quâ, Vi vel fraude, subactâ, tota pareret *Flandria*. Quibus rebus *Batici Regis* & Nomen auxit, Terroremquè *Batavis* intulit. Qui repressi magis, quàm oppressi, ad confirmandas rationes, & Copias belli, summam diligentiam adhibuerunt.

Eodem Anno, *Classis Batavorum* xx *magnarum navium, Hautenio Præfecto*, Hispaniæ litora appulsa, maritimam Oram vehementissime vexavit. Mitto Navales pugnas; prætereo Expugnationes Navium; & Direptiones Mercium pretiosissimarum; utquè *Promontorium sancti vincentij* circumegerit, Sex majoris famæ Navigijs, sævis Tempestatibus, amissis; ac ibi reditum *Batica Classis ab Occidentali Indiâ* expectarit. Cum *Classis Batica Decem & Octo magnarum navium* propinquaret, mistis alijs minoris formæ Navigijs; adjunctisque *Novem Ludovici Faysardi Triremibus*, quò securior navigaret, *Hautenius* superioris fortunæ memoriâ elatus, hostium naves lacessere ausus est. Prima è *Batavorum* navibus *Propratoria* occurrit; & totum hostium Impetum in se convertit. Quam ut conspexêre *Iberi*, duæ repentè in latera ejus invectæ sunt, in quarum alteram *Hautenius Profectus* magno animo impetum fecit; disjecitquè. Mox *Quinquè Iberorum Triremes* circumsisterunt, & plures superveniunt. Undè *Hautenius*, animo turbatus, se hostibus eripuit; nihil ultrà tentare ausus, Domum redijt. *Propratoria* diffracto Malo, & amissis armamentis, egregiè se ad vesperum usquè defendit; Navesquè hostium Pilis perforavit. *Subprafectus*, aliquot ex suis amissis, & vulneratâ plurimâ parte Sociorum, *Navim Pyrio Pulvere succendit*, ne in hostium veniret potestatem. Ita maxima, instructissimaquè Navis conflagravit. *Classis Indica*, Auro obryso, & Argento pussulato onusta, proximum *Hispania Portum* tenuit; & clarum lætitiæ signum, Tormentorum fragore dedit.

Dum hæc in *Belgio & Hispaniâ* gerebantur, in *Italiâ* quoquè bellum domesticum, triste, ac turbulentum imminebat; quod Calamo & Atramento gestum est, *pro Veneti Imperij Libertate*, ac rerum Sæcularium potestate. *Antonius Quirinus, Senator Venetus; Frater Paulus, Ordinis Servorum Monachus; Ioannes Marsilius, Neopolitanus; & Theologus Anonymus*, adversùs Pontificias Imprecationes, ac diras Devotiones scripsére. *Theologi Galli, Germani*, unanimes Sententijs, ac Suffragijs astipulati. Nec defuerunt *Iurisconsulti*, qui contrà *Brutum Fulmen Pauli Quinti, contrà Edictum Inquisitionis Romana*, strenuè se opponerent. *Pontificij* Juris, & Patrimonij sui defensores, vindicesquè fuêre, *Purpurati Romani Bellarminus, Baronius, & Columna.* Pontifex, Injuriâ indignitatequè Scribentium lacessitus, majore Odio, Irâquè, quàm Consilio, in *Venetos* exarsit; Nihil ad eorum excidium non molitur. *Gladio Plumbeo* jugulatos iri desperans, *Pauli gladium* in eos distringit; Exercitum contrahit *ex Sacrificulis desperatis, ex Rusticis Mendiculis*; urbesquè Juris Sacræ Ecclesiæ, *Anconam, & Ferrariam, proximas Venetis*, firmissimis Præsidijs munit: *Marchionem Trivicianum, Malospinam, & Thomam Spinam*, Clientes suos, in *Belgio* Mercede militantes, spe honoratoris Militiæ, domum revocat; Auxilium ab *Helvetijs, Germanis, Hispanis, Allobrogibus, & Hispano Belgis*, literis petit. Illi magnam spem faciunt; Nequè ab ijs ipsis quicquam præter spem ostenditur. Intereà *Veneti*, cum exploratum haberent, in se bellum à *Pontifice* parari, primo quoquè tempore, *Classem 70 Triremium ornant; mittuntquè in Tiberis Ostium*, si quo usui esset; Exercitumquè maximis instruunt Copijs. Duces belli diligunt *Vandemontij Comitem, Lotaringi Ducis filium, simul & Venetum.* Alteri imperatum, ut *Rhetos Helvetiosquè* scriberet, duceretquè secùm, ad Remp: auxilio juvandum: Alteri, ut *Civium Venetorum, ac Municipum* tumultuarias Cohortes, ac Subitarios Milites, quà iret, scriberet; Urbesquè *Veneta Ditionis* tueretur. Inopia Frumenti in causâ fuit, quo seriùs imperata perficerentur. *Venetorum causa se junxêre Britannia Rex, & faderati Belga*; Hæc sera futura Auxilia erant. Nulla *Pontifici* adversùs *Venetos* subsidij Spes, nisi in *Hispano*, & ipsa propinquior. Concordiâ jam desperatâ, *Legatus Pontificius, Iesuita, Capucini Tolentini, nova Religiosorum Propagines*, hospitesque, pæmtissimo Obsequio Pontificis devincti; ac proindè Politico Regimini minùs obsequentes, injussi *Venetijs* abscesserè. Moderati, ae frugi *Ecclesiastici*, laudabili ac Religioso Obsequio, Officij Christiani partes non deseruerunt; Sacra, Ceremoniasquè celebrarunt. Omnes fere Nationes *Legatos* decernunt. Ab *Hispano Franciscus, Comes de Castro*, in Italiam missus, ut *Venetos* Pontifici conciliaret. Ubi cum summâ veneratione receptus, de Reconciliatione gratiæ in *Senatu* egit. Respondent, *Remp: Venetam nunquàm à Religione Catholicâ, & à Communione Romana Ecclesia defecisse*; quam Majores, ab ipsis cunabulis Imperij, per tot hominum ætates, in perturbato reip: statu, perindè ac florente, sanctissimè coluerunt. *Interdictum iniquissimum*, contrà Veneti Imperij Libertatem, Civium, & Pacis publicæ quietem, Romæ publicatum. Quæ Pontifex fecisset ad Senatum relata. Decreto ejus, *Anathema injustum irritumq; habitum.* Majorum exempla, aliorumquè Regum, contrà infensos, infestosque *Pontifices*, Arma pro salute

communi

communi cœpisse: Pacem non aspernari: eam tamen ab Irato Pontifice, quem nunquàm offendissent, non flagitaturos. 1606.
Non, quin cuperet Senatus Populusquè Venetus discordiarum exitum; at suberat occulta Suspicio, de Pace non cum fide Hispanum agere; sed Moram & dilationes, ad colligendas vires quærere. Francorum Rex, Venetæ Reip: amicissimus, tollere hanc discordiam aggressus est; & Faces, jam accensas ad totius Italiæ Incendium, Europa incredibili lætitiâ, extinxit. Itaquè, literis testatus in Sedem Apostolicam Observantiam; ac in Venetos benevolum animum; à Pontifice paternum affectum, & Discordiarum exitum petit; rogatquè, ut non adhiberet, in Cogitationum suarum Consilium, animi Impetum; neve Occasionem tàm gravis Incendij præberet. à Venetis, ut retinerent, in Apostolica Sedis veneratione, Obedientiam; in Reip: salute, Sapientiam, quam Majores solebant; neu ad pænam, Exitiumquè præcipites ruerent. Postremò, tentatâ Reconciliatione gratiæ, Cardinalem à Ioyeusâ in Italiam, ad bellum ibi domesticum dirimendũ, misit. Is ultrò citròque commeando, omnes Motus belli, Conatusquè prohibuit. Priùs collocutus Legatus cum Duce, Senatuquè Veneto, rogat, ne Spem Concordiæ turbare vellent; funesti belli exitus, Optimatium interitum; certissimam vastitatem florentissimæ Italiæ, ab immanissimis Barbarorum gentibus, ostendit; si in Contumaciâ diutius manserint indurati. Movit maximè Senatum, demonstrando stragem horribilem, Cædemquè Clarissimorum, & optimè meritorum Civium. Ibi cum aliquamdiu secretò locuti essent, nequè Venetorum à Pace abhorrere animus videretur; quæ acta erant Legatus retulit Romam; & ad Regem. Posteà, cum Paulo Pontifice congreditur; orsusquè à Reip: Veneta, Clarissimorum atque optimorum Civium, ergà Sedem Apostolicam meritis, recitavit Decreta Majorum, omnes divinos humanosquè honores complexa; obtestatur respicere Salutem Ecclesiæ, afflictam perniciosis discordijs, & totius Christiani Orbis Commodum; Barbarorum Minas; hostium Ecclesiæ gaudium, & exultationem; ac petijt, ut Iræ finem faceret; daretquè Venetis veniam. Hâc Oratione injecta est Pontifici religio, ulterius adversus eam Remp: sæviendi; quæ, ne Injuriarum quidem acerbitate, à Sedis Romana Reverentiâ absterreri poterat. Batici Purpurati, Obtrectatores Venetorum, atquè Adversarij, ne à Rep: Interdictum removeretur, restiterunt: qui in Conclavi ausi sunt dicere, Ecclesiæ dignitati consulendum, & prospiciendum, interitu Optimatium, Eversioneq́, Reip: veneta. Dissensêre cum Iberis Purpurati Francici. Nequè ullus, hoc Anno, discordiarum exitus, inter Claros & potentes Purpuratos.

Fuit hic Annus, hominum amplissimorum Morte insignis. Obijt apud Lovanienses, in Belgio, Iustus Lipsius; cujus Doctrina, multis præclaris Monumentis, ad omnem Memoriam commendata, hoc Testimonio Annalium non eget. Iosephi Scaligeri, summi Poëtæ, voce laudatus est, quem secuti alij eruditi, grati in ejus Morte honoranda Epicedijs, laudationibus, Epitaphijsquè, Memoriam virtutum Posteris commendarunt. Sed politissimis scriptis, totâ Europâ, majorem laudem est adeptus. hunc namquè Itali, Iberi, Franci, Germani, Britanni, Pannonij, Dani, Daci, ac Sarmatæ, literis, famâ, Nuntijs, quotidiè venerati sunt. Amicitiam, Consuetudinemquè expetiverunt gentium, & Nationum lumina, atquè Ornamenta. Cujus rei Testes locupletissimi sunt, Epistolarum, quæ extant, Centuria Decem. Multum etiam valuit, ad defuncti honorem, Pietas Conjugis, quæ afflicta luctu, nullo Solatio levari potuit; & ad Famam suam attinere existimavit, honorem debitum Marito præstare. Igitur Marmoreum Tumulum, cum Statuâ, in Mortui honorem magnificè excitavit. Senatus verò Populusquè Antverpiensis, Sepulchrum publicè decernendum Iusto Lipsio, censuit, cum hâc Epigraphe

Iusti Lipsi
quod claudi potuit
hic jacet.
S. P. Q. Antverp:
incluti viri
fama, orbi nota,
virtuti Cælo recepta,
H. M. P.

Monumentum interire poterit Tempestate, Vi, Vetustate; Memoriam autem virtutum nulla obscurabit oblivio.

Apud Gallos, Renatus Chopinus, gravi periculosoquè Calculi morbo affectus, vi morbi oppressus, mortem obijt, celeberrimus nostrâ ætate Iurisconsultus; qui Jura Fisci, & Coronæ Francicæ, eruditissimo opere complexus est; cui Titulum fecit de Domanio. Municipales Consuetudines, doctissimo Commentario illustravit. Admirabilem quandam & incredibilem, in Iure Pontificio interpretando, adhibuit scientiam; in Ambiguitatibus, quæ proficiscebantur à legibus, semper æquitatem spectavit. Senatus Parisiensis decrevit honorem Sepulturæ; jussitquè eum quàm amplissimè, supremò die, efferri; qui id de Rep: meritus est, ut cunctis Ornamentis decorari debeat. Die funeris Justitium edixit; Jurisdictionem intermisit; clausit Palarium; Judicia distulit; reddere Chopino vitam non potuit; nec ullam aliam gratiam referre jam potuit, quàm gratam Memoriam.

1607. COmitia hujus Anni non vacant perturbatione & commotione; multa in Regem liberius jactata *(procul à Iove, procul à fulmine)* nec Orationes turbidissimæ habitæ tantùm, sed & crebræ frequentesquè Ordinum coitiones factæ, de summâ Reip:, & Libertate amplissimi Ordinis. *Henricus Telvertonus*, ob gravitatem, Eloquentiamquè, notæ Auctoritatis vir, cuncta contrà leges, Moresquè Majorum gesta percensuit; assiduis, quotidianisquè sermonibus turbavit, miscuitquè omnia. Quem Primores Civium, Equitesquè nonnulli secuti sunt, summo studio. Quâ turbulentissimâ tempestate patefactâ, *Rex* Ordines evocavit. Cum incredibilis in *Leucaulam* Multitudo convenisset, in interiore Ædium parte, luculentâ Oratione fecit fidem, se nihil, nisi Populi utilitatem, & Commodum quærere; idquè non *Procerum* studio; non paucorum gratiâ; sed omnium Ordinum publico Judicio. Eodemquè tempore, *coalescere, jungi, misceriquè duo Regna*, legibus, Moribus, & Institutis, Connubio, & Commercio ad *Populi Britannici* non solùm Commodum, verùm etiam salutem flagitavit; ut discrimine omni sublato, non præcidatur spes *Scoto* quoquè, si dignus summo honore in Rep: esset, adipiscendi summi honoris. Cæterum, se, utilitatis id magis omnium causâ, quàm privatâ Charitate gentilium, orare dixit; *ut Scoti Participes essent publicorum munerum; & Civium, non Peregrinorum Numero censerentur*. Deniquè, in hâc unione disseruit nihil esse mali, quod *Angli* metuerent; Nihil boni, quod non sperarent. Quanquam in eâ re *Proceres Regni* stare, ac sentire cum *Rege* viderentur, Mali quidem nihil indè pertimescendum: tamen, propter insidiosas nonnullorum Simulationes, ac Perturbationem Comitiorum, perfici non potuit; qui ut Populares viderentur, Comitia tacitis susurris, Nugisquè turbarunt; dicentes, *Scotos omnium rerum mox dominos habebimus. Optima leges, Majoribus nostris* vehementer gratæ, funditùs tollentur. Relicto jejuno inopique Solo, in nostris arbustis nidificabant. majore parte Populi, opibus spoliatâ, nos atterent. Hi non modò negando, sed etiam irridendo fortissimam gentem, *Procerum preces, ac Regis postulata* repudiarunt. Nunc sperari *fructus Unionis* non poterit, priusquàm pignore Conjugum, liberorum, charitasquè ipsius Soli, animos eorum consociasset. Etenim, *Iure Regni apud Anglos, Exteri, & Advenæ, acquirere rerum dominia, & testari, probibentur; nisi in Regni Societatem asciti, Privilegio Regnicolatus* (quod vocant Municipales, *Naturalitatis*) *in Comitijs specialiter indulto; aut Principali Diplomate; quo Alienigenæ fiunt Cives Regni, Iure singulari*. Primores *Scotorum*, Regnum incolentes, *Naturalitatis Ius in Comitijs; Plebei Diploma Regium impetrarunt; & Civitatis Iure donati sunt*.

Has undas Comitiorum, quodam quasi æstu efferuescentes, *Inundationes* subsecutæ sunt. Minacibus procellis *inflata Flumina*, apud *Trinobantes, Icenos, & Cantianos*, latè Agros operiebant. Senescentis mundi, & ad Occasum præcipitatis indicia, *frequentes Cataclysmos*, Senes adnotabant. Unum omnes obstupefecerat, quod *Amnis propè Coventriam, Mense Aprili*, subitâ Inundatione, sinè cælestibus aquis, ullâvè causâ aliâ, in Altitudinem insolitam creverat; tantâque violentiâ per subjectas Valles defluxerat, ut diruris ædificijs, Pecoribus submersis, *Civitatem securam hujusmodi Casuum, penè totam submergeret*. Subsecuta *seditio Plebeculæ*, sinè magnâ Cæde, sinè multo sanguine. In *Coritanis, Agrestis Multitudo* ex professo à *Nobilitate* secesserat; quod *Nobiles*, ac locupletes homines, Pecuarij possessiones continuando, & Pauperum Agros emendo, sensim Plebem Agris pellerent; eosquè, majoris Compendij causâ, incultos redderent; importunâ Avaritiâ, miserâquè Cupidine villas everterent; Ædificia diruerent; Arva in Pascua verterent; inopemquè Plebem, servilem in modum haberent. *Northamptonæ*, Audaciæ & Temeritatis initium ortum; Ibiquè *Plebs rustica*, & opifices, simul ad Libertatem, simul ad Arma vocantes, ex omnibus locis concurrunt; Prædia & Oppida vicina, Vicosquè invadunt; Sepimenta Pascuorum Dolabris convellunt; & alia atrociora minaciter moliuntur. In illo summo timore, ac periculo Provinciæ, *Eirenarchæ, & Ministri Regij*, qui *Coritanis* præsidebant, tàm repentino Temeritatis impetu, tantoquè Motu exorto, trepidis Nuncijs, *auxilium à Rege petunt*; & Præsidium Militare opponendum putant. *Rex*, Consilio evocato, edoctoquè palàm Plebem armatam volitare, in præsentiâ leniter agi placuit; quod *Seditio plebeja* adhuc nec Atrox, nec atroci pænâ digna videretur. *Edictum* subindè propositum, ut omisso incæpto, *Coloni ad sanitatem, quotidianumquè laborem, ac Aratrum redirent*. Nihilominùs ferocientes illi, querentesquè se æqua orare, & vulneribus iniustis reip: Medelam, despecto Edicto, turbas non intermittunt. Antequàm latius id malum serperet, ad exstinguendum, opprimendumquè, *Excestriensis Comes*, & Adjutor ei *Cromptonus Baro datus*; cum 500 *Equitibus* ab urbe profecti, & scribere Exercitum jussi, obvios in Agris arma capere, & sequi jubent. Hoc tumultuario dilectu, stupenti *Plebi Northamptoniensi* superveniunt; placidoquè sermone permulcent, percunctantes magis, quæ Causa Iræ, Seditionisquè subitæ esset? quàm Factum accusantes. Sed quia Motus procellam, precibus aut Auctoritate, sedare non poterant; *Agrestium inermem turbam*, tumultuario certamine fuderunt, fugaruntquè. Ex ijs pauci occisi; Alij fuga se, Alij latebris tutantur. Qui *Principes Seditionis* fuerant, capti, resti luerunt; ibiquè pæna constitit, ubi orta Culpa est. Ita paucorum Supplicio vindicata, & pacata tàm fædi exempli defectio. Dimissi deindè in alias *Agri Northamptoniensis* partes, qui vestigarent Seditiosorum Reliquias, & Quæstionem exercerent. Reliquiquè hujus Conjurationis impetus, & Conatus, sunt retardati.

Seditio rusticæ plebis.

Sub idem ferè tempus, & eâdem de causâ, apud *Lincolnienses* tumultuosus Motus factus est; nemine dubitante, quin *Coritanis* se juncturi fuissent, nisi coerciti extitissent priùs. Ubi hujus Tumultus fama atrox invasit, *Excestriẽsis*, sinè Cæde & sanguine, Trepidationẽ compressit: & pacatis duabus Provincijs,

Londinum

Londinum revertit. Fuit huic viro non summa Auctoritas apud milites; non magnus usus in re militari. 1607.
Qui fraternâ gratiâ provectus, salutem communem, periculo suo, fæliciter defendit. *Rex* dignitati serviens, & Reip: consulens, ne Plebei Tumultus orirentur, multum in posterum providit, Nevè Populus *Inopiâ Frumentaria, aut Feneratorum gregibus* premeretur. Cum nimio Pascuorum studio, negligi Arva; vastari Agros feracissimos; dirui Villas; exhauriri Plebem cerneret; & Majorum diligentiam in hâc re, sicut in cæteris reip: partibus recordaretur, edixit, ut *Nobiles*, sinè incommodo Plebis & Calamitate Reip: utilitatem procurarent; publicis Majorum *de Aratoribus Decretis* parerent. Ad Salutem communem omnium civium, Agrorum depopulationem prohibuit; vetuitquè in *Citeriore Britanniâ, fundos circumdare, & sepire Virgultis, aut Spinis; qui Arari & coli ab Agricolis*, antè consueverant. Sed varijs artibus, *à Divitibus leges Agrariæ elusæ sunt*.

Superante in *Angliâ* Multitudine, plerique Inopiâ & Egestate, alij spontè, propagandi *Britannici* nominis cupidine, aut Auctoritate Principis, *ad quærendas Sedes in Occidentalem Indiam* transgressi, *Virginiam* aperuerunt; quò *Ralleus*, multis annis antè, *Coloniam deduxerat*; propter plurimas loci opportunitates, & ut major *Elizabethæ memoriæ* honos haberetur, ita appellare placuerat. *India ea regio est*, totam Maritimam Oram complectens, *inter* XXXIV *&* XLIX *gradum Borealis latitudinis*. Terra feracissima, Temperie Cæli, & Amænitate Soli incredibili, abundantiâquè rerum omnium. Multi hoc Anno Regi supplicarunt, ut in *Virgineam, à Rallejanis Possessoribus desertam, deducere Colonias liceret*. Ille desiderijs bonorum, & precibus Senatus permotus, multis indultis Privilegijs, ut Regiâ Indulgentiâ plures ad talia audenda excitarentur, gratiam fecit; *ut Oram illam Maritimam Novis Colonis occuparent*; & quibuscunque in locis videretur, *Colonias* collocarent. Duas novis legibus, & novis limitibus deducendas censuit; jussitquè priorem *Australem* appellatam, occupare eam Plagam Terræ, quæ est inter XXXIV *&* XLI *latitudinis gradum*, cum Campis, Portibus, Stationibus, fluminibus, Insulis, Fodinis, Oppidis, Municipijs, Munimentisquè firmare. Posteriorem verò *Borealem* appellatam, *inter* XLI *&* XLV *gradum*, sedem sibi diligere. Quâ re, vel ad Religionem augendam; vel ad propagandum Imperium; vel ad Posteritatis Memoriam, excogitari accomodatius nihil potuit. Deduxerunt *Australem Coloniam, Thomas Gatesius; Georgius Seimerius, Equestris ordinis; Neoportus Navarchus; Eduardus Maria, Vingfeildius*, fortissimi atquè Optimi viri; & innumerabiles alij; partim adipiscendæ laudis, partim vitandæ Inopiæ causâ. Hi Principes constituendæ *Australis Coloniæ* numerabantur. Consilio, Commeatibus, & Pecuniâ juvabant *Cives Londinenses*. *Borealem* deduxerunt *Thomas Hamondus, Rallejus Gilbertus; Gulielmus Pacherus, Georgius Pophamus*. Horum Conatus promovebant *Cives Bristollenses, & Excestrienses*. *Ioannes Pophamus*, Senatorij Ordinis, & rerum Criminalium supremus Judex, Patronus, Custos, defensor istius Coloniæ adoptatus est; vir incredibili virtute, animi Magnitudine & Constantiâ. *Ricardus Hacludius*, qui maritimas *Anglorum* Expeditiones ad externas terras, magno Volumine complexus, summam ingenij laudem est consecutus, diligentissimus *Procurator* extitit. *Rex* sedulò cavit, ne *Colonorum dissensio de finibus* oriretur. *Distincta Dominia, & constituti limites, Auctoritate Principis*; quos pro magnitudine Soli, non Terræ, sed Cæli regionibus terminavit. *Tredecim viri* creati, ex Equestri loco, Agro metiendo, dividendo, ac Juri dicendo. Electionem autem *Tredecim virûm*, Jus, Jurisdictionem, Potestatem, & cætera quæ hujus generis erant, Diplomate præscripsit. Eodem Diplomate, *Curatores in Angliâ*, lustrandis, regendisquè Colonijs constituit; *Senatumquè Virginiensem*, ut major honos haberetur, appellare jussit. Illorum omnium dux, atque *Virginiensis Consilij Princeps Thomas Smithus*, Equestris dignitatis; omnes curas & cogitationes intendit, quò *Colonia*, in quæ loca, quo numero *Colonorum* deducenda. Illud etiam specialiter indulsit *Rex*, ut *Liberi eorum Civium loco censerentur; ac posteà, si vellent, Novos Colonos ascribere possent*. Septem *Annorum intercapedine, Tributis, ac Vectigalibus immunes essent*. Auri & Argenti Quinta pars; Cæterorum decema Quinta, Fisco cederet, si quis adversùs ea fecerit. Tunc quicunquè *Magistratus, in eâ Coloniâ*, Juri dicendo præesset, ei de eâ re Jurisdictio, prout è Rep: fidequè suâ videretur. Lege acceptâ, Curatores, qui *Colonijs* deducendis, Agrisquè dandis erant creati; Colonos, qui spontè nomina dederant, colligunt; *Nautas, Milites, Architectos, Fabros, Agricolas, Opificum omne genus conducunt*. Traducti sunt publicâ pecuniâ *Centum & Quinquaginta viri*, à Navarcho *Neoporto*; qui ad quandam Magni fluminis ripam Navi applicuerunt; ibiquè locis idoneis, sinè ullius injuriâ consederunt. Quippè *Campestres Indi* duri, & Agrestes, in proxima Montium Juga receperant sese, *Propugnaculum* quoquè loco opportuno ædificare cæperunt, contrà ferociam *Barbarorum*. *Eduardus Maria Vingfeildius*, Præpositus Agro dividendo, dandoquè, *Novos Colonos ex Britanniâ advectos*, in viridi & opacâ ripâ collocavit; Agri divisionem, ac suæ cuiquè partis assignationem aggressus, ne Ambitione discordes certarent. *Neoportus* Montes & Solitudines scrutatus, Aurum non invenit; sed *Montani Cristalli* copiam. In *Britanniam* Mensis spatio reversus, *Londini* Portum tenuit. Curatores Colonijs constituendis creati, reditu lætati sunt. Posteà adornatâ Classe *decem Navium*, traducti *Mille* conquisiti atquè electi Coloni, *cum fœminis, pueris, Armentis, pecoribus, Sementibusquè*, ad conserendos Agros. *Bermodam Insulam*, opportunissimum nobis Propugnaculum, ad instruendam Classem, occuparunt; Præsidijs firmarunt; uberes Campos, Tectis sedibusquè acceperunt. Ut cum totam Insulam Colonis suis occupatint, in proximam Continentem Colonias deducerent; Castellis, & Præsidijs complerent. Hi, summâ Alimentorum egestate, Baccis arborum, & vario

leguminum

1607. leguminum genere vesci coacti sunt, antequàm fruges ad Spicam pervenirent, & fructus ad maturitatem. Ex hâc longinquâ *Coloniâ*, gloria ingens, fructus major; Quippè *specula Populi Britannici, & Propugnaculum in Americâ, Iberorum Arrogantia oppositum, atquè objectum*; ne liberos populos, Reges, Terrarum deniquè Orbem subjugarent. Soli spes, & jucunditas, in *Britanniâ* ostenditur Descriptione, fructuum magnitudine, fluminum pulchritudine, Aeris Salubritate, omnium rerum copiâ atquè affluentiâ; & multitudo quæritur, quâ illa amæna loca compleantur. De *Colonijs* intereà qui quererentur, *Legatos in Britanniam misit Hispanus.* Ij introducti ad Regem, declarant *Britannos non rectè fecisse, cum in Indiam venerint; Oppida, Vicos, Castella, in alieno Solo ædificare cæperint; orantquè Regem, ut Multitudinem suam domi contineat, degeneraturam tandem in Barbarorum mores, & inertissimum ac desidiosissimum Otium, Naturâ loci, & Consuetudine vitæ.* Huic Orationi *Rex* ita respondit; *superante in Angliâ Multitudine, multos ad quærendas sedes in Indiam navigasse: ubi fundum pulcherrimum, planissimo in loco, viderent; ibi sinè ullius injuriâ consedisse. Oppidum quoquè, ingentibus impensis, ædificare cæpisse; nec ulli Regi vim allaturos venisse. Virginiam, desertam anteà, nullius in possessione, occupantibus, Iure gentium, cessisse. Ex eâ Possessione ita partâ, ita recuperatâ, suos deducere non posse, salvâ Majestate Imperij. Deductam autem, publico consilio, Coloniam, & Sedem urbis inchoatam, ut sentina plebis Britannicæ exhauriretur; & Americæ solitudo frequentaretur; ad propagationem Religionis, & incrementum fidei Christianæ.*

Per hos dies, in *Lothianâ ulterioris Britanniæ Regione, propè Limnuchum, Argentifodina non ignobilis inventa est*, Octoginta Annis, à Germanis antè patefacta, & detecta. In cujus rei testimonium, Amnis præterfluens *Argenteus fluvius appellatus. Thomas Hamiltonius, Procurator Regius*, huic Argentariæ fodinæ continentia quædam Prædia, atquè adjuncta habuit. Is cupiditate inflammatus, extemplò, partim gratiâ *Baroduni Comitis*, partim pretio, Argentaria Metalla in *Scotiâ* conduxit; & magnum Quæstum ex eâ re fecit; reconditam Venam, infinitamquè vim *Argenti rudis* consecutus. Quâ re cognitâ, *Rex* in spem maximam immensarum Opum adductus, jussit, *Hamiltonium*, jam refertum pecuniâ, æstimare *Argentariam*; *Quinquè Mille libris Anglicis ab illo coemit.* Inde *Baroduni Comiti* negotium dedit; qui, adhibitis Fossoribus, *Venam* sagaciter pervestigavit; & magnum infectæ materiæ pondus, *Arci Londinensi* intulit. Quâ perpurgatâ, Uberior spes *divitis Venæ* affulsit; quæ brevi evanuit, & *Vena fæcunda tàm præclari, ac tàm nobilis Argenti, perijt.* Hâc è manibus amissâ, *Rex* dixit, sibi propositum non esse, Operis hominum ad Argentum quærendum abuti; sed Opes quærere, ut hominum egentium Inopiæ subveniret. Posteà omnem pecuniam, *Civibus Londinensibus*, cum medij temporis fænore, persoluit, quam *Elizabetha*, per syngrapham, crediderant. Cum per ejusmodi Sumptus ita exhausisset ærarium, ut præmia servorum, & Annuas pensiones Nobilium differri necesse esset; ac novas conficiendæ pecuniæ rationes comminisci cogeretur; inter alias, *Debita Fisci*, longo neglecta silentio, quæ *Henrici Octavi* fuerant, hoc Anno acrius intentiusquè exigi cæperant. Hæc omnia reperire, ac perscrutari, *Scaccari scriba* docuerant, ubi erant Tabellæ depositæ. Nec cuiquam mirum videatur hoc factum, ab Optimo Principe, inopi ærario, nec Plebe ad Tributum sufficiente; cum Vectigalia omnia maritima, Terrestriaquè, & Opes publicæ, in ordinarios reip: usus erogarentur. Hæc pecuniæ conficiendæ ratio eos præsertim irritavit, quos paverat per aliquot Annos *Publicus Peculatus.* Multa Proceribus gratiosis hoc tempore data, atquè specialiter indulta, quid & quantum Diplomata *Cancellariæ, aut Fisci*, indicant. *Thomas Hovartus, Suffolciensis Comes*, Roberti Cecilij beneficio, omnia ad suam potentiam revocantis, donum universæ Nobilitati permolestum accepit; ut Empta vel Donata à proximis Regibus Prædia urbana, aut Rustica, infrà justum pretium, *Fisco* contribuerentur; aut Possessores cogerentur, suos fundos à Procuratoribus, & Proxinetis ejus, pecuniâ redimere; aut eorum aliquâ parte cedere. *Suffolcius*, à Privatis, cum acerbitate, Mulctam exigere cæpit. Indignabantur jam homines, *Fisci Commoda* non promoveri; sed privatas opes viri Nobilis augeri, jam ad Substructiones ociosas animum adijcientis. At ea indignatio citrà motum constitit, ob Reverentiam *Principis*; Odium publicum in universam eam familiam exarsit, Plebi exitiosam, sibiquè in ædificando damnosiorem. *Rex* modum facere sumptibus in animum induxit, & immanem familiæ luxum, & Prodigentiam imminuere, nisi *Adulatores*, qui id Vitium honestis nominibus Splendoris & Magnificentiæ texerant, attrinuissent honestum Conatum.

Peractis his rebus, *Spectacula* denuò, & Solennes indixit dies. Illis fortè diebus, *Ienvillaus, familiæ Lotaringæ Princeps, in Britanniam appulit.* Cui, pro Necessitudinis Jure, multi & magni honores habiti. Huic Convivium, in urbe Regiâ, apud Prætorem institutum est; ad quod *Rex* quoquè cum *Proceribus* invitatus venit; & in Cohortem *Panneæ Societatis*, antiquitùs institutam, adscitus, homines Nobiles Collegas sibi cooptavit. Mercatorum auctoritas meruit etiam, favore & gratiâ augeri, ob singularem Industriam eorum, in exteris Nationibus. Itaquè ne *Mercatorum Societas, septem Angliæ Regibus, & infinitâ penè summorum Procerum multitudine honorata*, indignaretur, *Henricus Princeps* summa spe & animi, & ingenij, *Socius ac Consors gloriosi Ordinis, spectante Rege, adscitus; & ejusdem Societatis Collega, complures homines Nobiles adsociati.* Rex discedens, dedit negotium Præfecto urbi, cæterisquè Senioribus, uti ea, quæ ad salutem Civitatis, & disciplinam Civium spectarent, curent; ac diligentiam adhibeant, ne negligentiâ *Incendij Casus* oriatur. Datâ ijs pleniore potestate, ad Disciplinæ publicæ emendationem. Pluribus *Incendijs* ortis, edixit, *ne ædes in Vico publico, nisi ex latere &*

Camento

Camento fierent. Præpositis Ædilibus, & spectabili viro, Arundelia Comite, ac severâ interlocutione comminatus est, si quis Edicto non pareret. Basilicam Porticuum & Tricliniorum luxitate ornavit. Fabricavit etiam, ex densis lateribus, domum, Convivijs, Choreis, Spectaculis, cum legatum aliquem invitasset; exstructis sedilibus ligneis, ut spectandi confusissimum morem corrigeret; discretis Procerum locis, & fœminarum, clarissimis personis nuptarum. Nam fœminis, apud Anglos, clarissimam dignitatem Mariti tribuunt; Parentes verò, si fuerint Equestri Ordini, aut plebeio Nuptijs copulatæ. De hujus ædificij spatio, atquè cultu, plura referre non est operæ pretium. 1607.

Hoc Anno, alterum Interdictum Romani Pontificis in Vulgus editum; quo Iuramentum fidelitatis præstare vetuit, multaquè docuit contineri eo, quæ fidei, & Saluti animarum adversarentur. Interdicti verba fuêre. *Dilecti filij, salutem, & Apostolicam benedictionem. Renuntiatum est nobis, reperiri nonnullos apud vos, qui, cum satis declaraverimus per literas nostras, Anno superiore, decimo Calend: Octob: in formâ Brevis, datas; vos tutâ Conscientiâ præstare non posse Iuramentum, quod à vobis tunc exigebatur: & prætereà strictè præceperimus, ne ullo modo illud præstaretis. Nunc dicere audent, hujusmodi literas, de Prohibitione Iuramenti, non ex animi nostri sententiâ, nostrâquè propriâ voluntate, scriptas fuisse; sed potius aliorum intuitu atquè industriâ: eâque de causa ijdem persuadere nituntur, Mandata nostra dictis literis non esse attendenda. Perturbavit sanè nos hic Nuncius; eòque magis, quia experti Obedientiam vestram; (filij nostri unicè dilecti) qui ut huic Sanctæ sedi obediretis, Opes, Facultates, Dignitatem, Libertatem, vitam deniq; ipsam, piè ac generosè nihili fecistis. Nunquàm suspicati essemus, potuisse vocari apud vos in dubium Fidem Literarum nostrarum Apostolicarum; ut hoc prætextu vos ex mandatis nostris eximeretis. Verùm agnoscimus Versutiam atquè fraudem Adversarij humanæ salutis; eiq; potiùs, quàm vestræ voluntati tribuimus hanc renitentiam. Ea propter iterùm ad vos scribere decrevimus; ac denuò vobis significare, literas nostras Apostolicas, Anno præterito, decimo Calend: Octob: datas, de Prohibitione Iuramenti, non solùm Motu proprio, & ex certâ nostrâ scientiâ, verùm etiam post longam & gravem deliberationem, de omnibus quæ in illis continentur, adhibitam, fuisse scriptas; & ob id, teneri vos, illas omninò observare; omni Interpretatione secùs suadente rejectâ. Hæc autem est mera, pura, integraq; voluntas nostra; qui de vestrâ salute solliciti, semper cogitamus ea, quæ magis vobis expediunt; & ut Cogitationes, ac Consilia nostra illuminet is, à quo Christiano gregi custodiendo, nostra fuit præposita humilitas, indesinenter oramus. Quem etiam jugiter precamur, ut in vobis, filijs nostris summoperè dilectis, Fidem, Constantiam, mutuamq; inter vos Charitatem, & Pacem augeat. Quibus omnibus, cum omni Charitatis affectu, peramanter benedicimus. Datum Romæ, apud sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, decimo Calend: Septemb: 1607. Pontificatus nostri Anno Tertio.* Hoc Diploma cum promulgatum esset, novas turbas in Cleri Pontificij animis concivit. Georgius Blacvellus, Archipresbiter, hujus Jurisjurandi æquitatem, & Jus Regium in re Civili, profanâque, innumeris Patrum, & Scolasticorum testimonijs tutatus est; atquè exemplo suo probavit. Bellarminus Cardinalis, literis monuit, ne se illius sacramenti Religione obligaret, quod periculum Conscientiæ, Jacturam Fidei, detrimentum saluti afferret. Ejus literæ in hanc sententiam scriptæ sunt.

Admodùm Reverendo domino
D. Georgio Blacvello Archi-
presbytero Angliæ.
Robertus S. R. E. Cardinalis
Bellarminus. S. D.

Venerabilis in Christo Domine Frater. Anni sunt ferè Quadraginta, quod invicem non vidimus: sed ego tamen veteris nostræ Consuetudinis nunquàm oblitus sum; teq; in vineâ Domini strenuè laborantem, quandò aliter non potui, Orationibus Deo commendare non destiti: me quoq; in tuâ memoriâ, toto hoc tempore, vixisse, & in tuis Orationibus, ad Altare domini, locum aliquem habuisse, non dubito. Ita igitur, ad hoc usq; tempus, non verbis, aut literis, sed Opere, & Veritate, ut Sanctus Joannes loquitur, *alter in alterius dilectione permansimus. Sed hoc Silentium rumpere coëgit Nuncius, qui, diebus istis, de tuis Vinculis & Carcere ad nos venit. Qui quidem Nuncius, etsi tristis videri poterat, ob Iacturam Pastoralis tuæ sollicitudinis, quam Ecclesia ista fecit: tamen lætus quoquè videbatur, quoniam ad Martyrij gloriam (quo dono Dei nullum est fælicius) propinquabas; ut qui tot Annis, gregem tuum verbo, & Doctrinâ pavisses, nunc exemplo Patientiæ gloriosius pasceres. Verùm hanc lætitiam non mediocriter interturbavit, ac ferè corrupit, tristis alius Nuncius, qui de Constantia tuâ,* in recusando illicito Juramento, *ab Adversarijs tentatâ, fortè etiam labefactatâ, & prostratâ, successit. Nequè enim, frater charissime, Iuramentum illud ideò licitum esse potuit, quod aliquo modo temperatum, & modificatum offerebatur. Scis enim, ejusmodi modificationes nihil esse aliud, quàm Satanæ dolos, atq; versutias; ut fides Catholica* de Primatu Sedis Apostolicæ, *vel apertè, vel obscurè petatur: pro quâ Fide, tot inclyti Martyres, in istâ ipsâ Angliâ, ad sanguinem usquè pugnarunt. Certè enim, quibuscunq; verbis Iuramentum ab Adversarijs fidei concipiatur, in Regno isto; eò tendit, ut Auctoritas Capitis Ecclesiæ, à Successore Sancti Petri, ad Successorem Henrici Octavi in Angliâ, transferatur. Quod enim obtenditur, periculo vitæ Regis, si summus Pontifex eam in Angliâ potestatem habeat, quam in alijs omnibus Christianis Regnis habet, inane prorsùs esse, omnes qui sunt aliquâ Prudentiâ præditi, facilè vident. Neq; enim auditum est unquàm, ab initio nascentis Ecclesiæ, usq; ad hæc nostra tempora,* quod ullus Pontifex Maximus, Principem ullum, quamvis hæreticum, quamvis Ethnicum, quamvis persecutorem, cædi mandaverit; aut cædem fortè

1607. ab aliquo patratam probaverit. *Et cur quasò, unus Rex Angliæ timet, quod ex tot Christianis Principibus nullus timet, nullus timuit? Sed, ut dixi, Vani isti Prætextus decipula sunt, & stratagemata Satanæ: qualia non pauca in Historijs veterum temporum inveniuntur. Quæ facilè referre possem, si non Epistolam, sed Librum integrum scribendum suscepissem. Unum tantùm, exempli gratiâ, ad Memoriam tibi revocabo. Scribit Sanctus Gregorius Nazianzenus, in primâ Oratione in Iulianum Imperatorem, Illum, ut simplicibus Christianis imponeret, in Imaginibus Imperatorijs, quas Romani Civili quodam genere honoris, pro More, adorabant, Imagines Deorum falsorum admiscuisse; ut nemo posset Imperatoris Imaginem adorare, quin simul Deorum Simulachris cultum adhiberet. Hinc nimirùm fiebat, ut plurimi deciperentur. Et si qui fortè fraudem subodorati, Imperatoris Imaginem venerari recusarent, ij gravissimè punirentur; ut qui Cæsarem in suâ Imagine contempsissent. Tale aliquid in Iuramento vobis oblato, mihi videre videor: quod eâ fraude compositum est, ut Nemo possit Proditionem in Regem detestari, Civilemq́; Subjectionem profiteri*, quin Primatum Sedis Apostolicæ perfidè abnegare cogatur. *Sed Christi servi, ac præsertim Primarij Domini Sacerdotes, ubi periculum fidei subesse possit, tantùm abesse debent à susceptione Illiciti Iuramenti, ut ab omni etiam Suspicione Simulationis præstiti Iuramenti cavere debeant; ne fidelibus populis ullum prævaricationis exemplum reliquisse videantur. Quod egregiè præstitit insignis ille* Eliazarus; *qui neq́; Porcinas Carnes comedere, neq́; simulare comedisse voluit; quamvis gravissima tormenta sibi cerneret imminere; Ne*, ut ipse ait, in secundo libro Macchabæorum, *multi Iuvenum, per eam Simulationem, ad legis prævaricationem animarentur. Neq́; minùs fortiter*, magnus Basilius, *& exemplo ad res nostras magis accommodato, cum* Valente imperatore, *se gessit. Nam ut in historiâ scribit* Theodoretus, *cum Præfectus Imperatoris hæretici hortaretur* sanctum Basilium, ut non vellet propter parvam Dogmatum subtilitatem, Imperatori resistere, *respondit Vir ille Sanctissimus, & prudentissimus*, Non esse ferendum, ut de Divinis Dogmatibus vel una syllaba corrumpatur; sed potiùs pro eorum defensione, omne genus supplicij amplectendum. *Equidem arbitror, non deesse apud vos, qui Dogmatum subtilitatem esse dicant, quæ in Iuramento Catholicis hominibus proposito continentur: non esse propter rem tàm parvam Regis Imperio reluctandum. Sed non deerunt etiam viri sancti, ac magno Basilio similes, qui palàm affirmabunt, non esse de Divinis Dogmatibus, vel minimam aliquam syllabam corrumpendam; etiamsi Tormenta, & Mors ipsa toleranda proponatur. Inter hos unum, vel potiùs horum Principem, atquè Antesignanum te esse par est. Et quamvis vel inopinata Comprehensio, vel Acerbitas Persequutionis, vel Senectutis imbecillitas, vel quid aliud in causâ fuerit, ut Constantia titubaverit; confidimus tamen de Domini Pietate, & de diuturnâ tuâ virtute, fore, ut qui* Sancti Petri, & Sancti Marcellini Casum aliquâ ex parte imitatus videris, *eorundem fortitudinem, in reparandis viribus, & Veritate asserendâ, fæliciter imiteris. Nam si rem totam diligenter apud te cogitare volueris, videbis profectò, non esse rem parvam, quæ ob Iuramentum istud, in discrimen adducitur*; sed unum ex præcipuis fidei nostræ Capitibus, ac Religionis Catholicæ fundamentis. *Audi enim quid Apostolus vester, magnus Gregorius*, in Epistolâ Quadragesimâ secundâ, libri Undecimi *scribat; Apostolicæ Sedis Reverentia, nullius Præsumptione turbetur. Tunc enim membrorum status integer perseverat, si Caput Fidei nullâ pulsetur injuriâ, Itaquè Sancto Gregorio teste, cum de Primatu Sedis Apostolicæ vel turbando, vel minuendo, vel tollendo satagitur*; de Capite Fidei amputando, ac de totius corporis, omniumquè membrorum statu dissipando, satagitur. *Quod ipsum* sanctus Leo *confirmat, in Sermone tertio, de Assumptione suâ ad Pontificatum, cum ait*, Specialis Cura Petri à Domino suscipitur; & pro Fide Petri propriè supplicatur, tanquàm aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. *Ex quo, idem ipse, in Epistolâ ad Episcopos Viennensis Provinciæ, affirmare non dubitat*, necesse esse exortem illum mysterij esse divini, qui ausus fuerit à Petri soliditate excedere. *Qui rursùm ait*, Quisquis huic Sedi Principatum existimat denegandum, Illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem; sed inflatus Spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit. *Atquè hæc quidem, atq; alia ejusdem generis multa, tibi notissima esse certò scio; qui præter Cæteros libros, visibilem Monarchiam Sanderi tui, scriptoris diligentissimi, & de Ecclesiâ Anglicanâ optimè meriti, sæpè legisti: Quiquè ignorare non potes, sanctissimos viros, eosdemq́; doctissimos*, Joannem Roffensem, & Thomam Morum, *pro hoc uno gravissimo Dogmate duces ad Martyrium plurimis alijs, cum ingenti Anglicæ Nationis gloriâ, nostrâ memoriâ, fuisse. Sed ad memoriam tibi revocare volui, ut colligas te, & Magnitudinem rei considerans, non tuo Iudicio nimiùm fidas; neq́; plùs sapias quàm oportet sapere; & si fortè lapsus tuus non ex Inconsideratione, sed ex Infirmitate humanâ, ex Metu Carceris, & Suppliciorum, profectus est, non anteponas libertatem temporalem Libertati gloriæ filiorum Dei: nequè ob momentaneam, & levem Tribulationem fugiendam, amittere velis æternum gloriæ pondus; quod ipsa Tribulatio operatur in te.* Bonum Certamen diu certasti; Cursum fermè consummasti; fidem tot Annis servasti; *noli igitur tantorum laborum præmia tàm facilè perdere; Noli Coronâ Iustitiæ, quæ tibi jamdudùm paratur, te ipsum privare;* Noli tot Patrum *& filiorum tuorum vultus confundere. In te sunt hoc tempore conjecti Oculi totius Ecclesiæ*; Quinetiam, Spectaculum factus es Mundo, Angelis, & hominibus, *Noli in extremo Actu ita te gerere, ut & tuis luctum, & gaudium hostibus relinquas. Sed contrà potiùs, quod omninò speramus, & pro quo ad Deum nostrum assiduè preces fundimus, Vexillum Fidei gloriosè erigas; & quam contristaveras, lætam facias Ecclesiam: Nec jam solùm Veniam merearis à Domino, sed Coronam. Vale, viriliter age, & confortetur Cor tuum. Romæ, die 28 Septembris 1607.*

Rex tàm æqui Jurisjurandi, tàmque legitimi, Oppugnatione insensus, &, dolore Injuriæ, *Pontificijs* iratus, Monitoriam præfationem *Apologetico Opusculo pro Iuramento fidelitatis* præfixit: in quo Scripturis,

turis, Concilijs, Patribus, varia eruit argumenta, quibus probat, *deberi Regibus Obedientiam, in re* 1607.
Civili, profanâque, à subditis; vel iuvito Poutifice; & ita deberi legis Divina Tabulis, vt Brevi aliquo Papali, Subditi eâ liberari nequeant. Addit, *duo apud Britannos Iuramouta; alterum de Primatu Regio; Alterum, (Decreto Comitiornm nuper propositum) pro Incolumitate Regiâ. Iurameuto hot fidelitatis solam temporalem Obedientiam roquiri. Brevibus Pontificijs, ac Cardinalis Epistolâ, Illam probiberi. Negat Pontifici potestatem, Reges Soli exturbandi; Subditos à debito Obseqnio exonerandi; Proceres fidelitatis Iurejurando solvendi; de Regnis statuendi; leges, Vota, Inramenta abrogandi.* Causa hæc tota tractata à Rege, adeò copiosè, ingeniosè, nervose, ut *nec Papa, nec Cardinalis*, verentibus Articulos & Nervos styli Regij, animus sit redintegrare prælium. In communi Regum causâ, ac rei totius Christianæ, *Rodolphi Cæsaris, Regum, Principumquè Orbis Christiani*, Epistola monitoria invocat Subsidium, contrà injustam Pontificis Tyrannidem. & in hunc modum disserit. *Horrenda illa, & prodigiosa Conjnratio, qua per Tormentarij Pulveris impetum destinabatur; de cujus flagitij Immanitate nulla unquam ætas tontitesset, (quanquàm illius mentio tàm sæpè repetita, mitem ac misericordem Persoui animum perfodiat) non in Me tantùm, Meosquè Posteros inita, publicos etiam Regni Ordines evertere, at delere instituerat: Net alij tanti fatinoris Auctores, quàm Papistæ aliqnot, præpostero suæ Religionis subvebeuda Zelo, ad banc Immanitatem inducti. Ex ijs nouulli, tantâ Pertinaciâ, obstinaverant scelus, ut uec in supremo vitæ articulo detostarentur suum Crimen; supremisq; verbis, & penè supervenieute Morte præcisis, Reos se ullius Flagitij consiters abnuerent; aut petere cogitati facinoris Veniam, nisi priùs Romana Ecclesia, boc tanta Conjurationis consilium, suâ sententiâ damnavisset. Net multò post innotuit, non paucos ex meornm Snbditorum nnmero, qui Romanam religionem profitentur, omnis Conditionis atquè Sexus, alios domi, alios foris, & apud geutes exteras, tonfusâ & obscurâ significatione rtscivisse, magnum aliquid, quo Romana Ecclesia ntilitas promoveretur: in id, Coeuntium Ordinum tempm oomparari; qnanqnam illis (ne vulgata res Secretum omne perderet) destinata rei Modus, ac Consiliorum ratio nequaquàm proderetur. Sed & terta protationum formula concepta, & à multis usurpata; qnibus prosperos Successus tanto, & tàm gravi negotio precabantur. Ipsi quoq; Conjurationis Auctores, atquè Architecti, in Constantiæ sna pignm, & Silentij anctoramentum, sæpius, & multorum Sacerdotum Ministerio, Eucharistiæ Sacramento snmpto, animos snos ad flagitium obfirmarunt. Quidam præterea ex Iesuitarum primarijs, Contagione tanti Sceleris infecti; ex bis aliquot, maturâ ad Exteras gentes fngâ, vim Iudiciorum elnserunt. Intercepti aliquot (inter quos Sanctus ille Garnetus, & Oldcornius) & facinus tonfitentes, Capitis supplicio affecti sunt. Hæc tanta, & tàm atrox Conjnratio, tot Circumstantijs iufamis, Vtrùm illis Regni Ordinibus, in quorum Exitium conflata fuerat, justam Occasionem præbuerit, ut cum primùm deindè convenissent, magno ardentiquè animo omnes vias quærerent, inirentq; qnibus posset deprebendi, An adbuc restarent hîc aliqui, qui tum Conjnratis in tàm immani scelere sentirent? id verò vestri Iudicij sit, quos Deus præcipuos sibi in terris Vicarios, in Administratione Iustitiæ esse jnssit. Inter cætera, quæ ad banc rem facere videbantur, boc etiam Fidelitatis Iusjurandum, quod hodiè tàm indignè, ab iniquis æstimatoribus, carpitur, sancitum; & inter publica Ordinum Decreta relatum est. Quod si tunc leges aliquæ tristiores snnt in Papistas latæ, qui tamen receptis hic anteà legibus minùs audientes erant, sanè Temporis, Lociquè, & hominum deniq; ratio, qni eas ferebant, vobis omnem, seu mirandi, seu indignandi ansam præripiet; cum bæc omnia, Severitatem istam legum in Pontificios, non tàm suaserint, quàm extorserint. Tempus erat, proximm Ordinnm Conventus, post patefactum & illustratum Conjurationis scelns: Locus antem idem ille, in quem parata fuerat Sulpbureorum fulminum immanitas, ut, vel Parietum aspectus ipse, ad tàm recentis Atrocitatis Memoriam intuentes, extitaret. Ipsi qnoqnè bomines non alij, quàm qui publicè ad Celeberrimum illum Conventnm fnerant delegati; quibus nempè tàm cruentum, Funestumq; exitium intentabatnr. Ita tamen animus meus, & institnta administrandarum rerum ratio, ab omni Acerbitate abhorret, ut vix ulla, ad superiores leges, severior accessio, in bunc usq; diem, exetutioni mandata sit. Atquè ut certioribus Inditijs, perditam borum Convitiatorum Malitiam deprebendere possitis, qui boc Insjurandum excogitatum esse impudenter asserunt, ad improvidorum Poutificiorum Conscientias, iu causis fidei, in fraudem illiciendas. rem omnem paucis expediam. Ea pars Publicorum Ordinum, quæ inferiore Curiâ tontinetur (inferiorem Domum Parliamenti votant) cum primùm conciperetur Iurisjurandi formula, Clausnlam inseruerat, quâ Pontifici Excommunicandi mei potestas adimebatur. Sed banc Clausulam induci protinùs, at deleri volui, ut vis alia hnjus Iurisjurandi non esset, qnàm Excommnnicationem Pontificis, jnstam ac legitimam causam meis Snbditis ministrare uon posse, ut quicqnam apertis, aut clandestinis Consilijs, in Me, Meumvè Imperium moltautur. Qui Abdicandorum Regum Ius, nnllo legitimo, modo Pontifici quæsitum esse tenseam: & bant injustam Paparum usurpationem, & vsolentiam Sæcularem Excommunicationis, quæ Spiritualis Censnra est, fines longè latèqne excedere arbitrer: tanto stndio, tantâqne sollicitudine tavebam, ne quitquàm boc Inrejurando contineretur, præter Fidelitatis illius, Civilisqnè & temporalis Obedientiæ professionem, qnam ipsa Natura, omnibus snb Regno nascentibus, præscribit: additâ sponsione, qnâ Opem & Anxilinm contrà omnem vim, debitæ fidei adversam, à Subditis stipulabar. Hoc igitur Iusjurandum tantis tàmquè justis rationibus snbnixum, tàm æquâ tàmq; moderatâ formnlâ conceptum; cujus unus ille Finis erat, nt Pontificij, nequaquàm turbulenti, cæteriquè boni Cives, ab eis dignoscerentnr, qnorum animis Opiniones illæ furiosa & sanguinaria inbæserant, quæ* Conjurationem Nitrati Pulveris *pepererunt: boc, inquam, Iusjurandum, cum promnlgatum esset, positnmquè jam in nsu, tantum Turbarum in* Pontificis, Clericquè Pontificij *animis contrit, ut instar undarum undas snpervenieutium*, ipsa Brevia in Angliam certatim advolarent;

quibus

1607. *quibus interdicebatur Catholicis, ne se illius Sacramenti Religione obligarent*; rem esse fidei contrariam; quamquè ipsi sinè jacturâ animarum, admittere non possent. *Cardinalis quoquè* Bellarmini literæ ad Blacuellum *allata sunt, in eandem Sententiam quidem scripta, sed quibus prolixius de hoc Iurejurando differebatur. Hic ego tàm aqui Iurisjurandi, tàmque legitimi càm injustam oppugnationem mecùm perpendere; hîc metuere, ne Sophistarum illorum Calumnys, & Argutijs, rudes simplicioris Vulgi animi, Religionis & Conscientia obtentu, in fraudem inducerentur. Visum itaquè è re esse*, ut hujus Jurisjurandi Apologiam ederem. *In quâ suscipiebam probandum, nihil in eo contineri, nisi quod ad Obedientiam merè Civilem, ac temporalem spectat; qualis summis Principibus à Subditis debetur. Huic autem aquissima legi Controversiam non aliundè esse motam, quàm ab Ambitiosâ Pontificum Tyrannide, quam illi contrà Auctoritatem Scripturarum, contrà Conciliorum, Antiquorumquè Patrum mentem, sibi in Temporalia Regum Iura, & Auctoritatem injustè usurparunt: in quâ quidem Regum Auctoritate asserendâ, totam meam Apologiam impendi.*

Mox in *Authorem Apologia* summissus est *Matheus Tortus, Papiensis, Presbeter, Cardinali Bellarmino à Satellis*; Rabula inurbanus, immodestus, totus in Convitijs, ad unius Episcopi Romani Dominatum omnia revocans; *deponere, disponere, invadendi, tumultuandi, vim afferendi Authoritatem dare*; decus Regium Maledictis invidiosissimè vellicans. *Iacobus Apologeticâ epistolâ* se ulciscitur, *suum & Commune Regum omnium Ius, contrà Paulum Pontificem, ac Cardinalem mordicùs tuetur*; contumeliosum Rabulam, propter animi acerbitatem, ac inusitatam rabiem, exagitat. *Lancelotus Andreas, Cicestriensis, Britannorum Antistitum literatissimus*, Serenissimæ Majestati à Sacris, ab Elemosynis, pro gloriâ & dignitate Regis, *excepit Sacellanum, & Tortum miserè torquet*. Adversùs *Apologiam* scripsêre, *Bellarminus, Becanus, Eudaimon, Passeninus, Costeus*. Precones, Vindicesquè fuêre *Lancelotus Andreas, Rob: Abbotus, Petrus Molinaus*.

Per hos dies, *Thomas Knevetus, & Gervasius Cliftonus*, ex Equestri familiâ orti, vetere ex More, *Barones creati*; primordium honorum, sententiæquè in Comitijs dicendæ, *Principali Rescripto* impetrarunt. Hic *Margaritam*, unicam gnatam suam *Esmao Stuarto, Levinij ducis fratri*, puellaribus annis, despondit, in spem maximam fortunæ. Ille longissimum ævum peregit, & sinè liberis decessit. Hoc exemplo permotus *Sussexius*, Proavo clarus, *Elizabetham* filiam suam Nobili, & in Aulâ gratiosissimo Juveni, *Ioanni Ramsao, Hadingtona Vicecomiti*, Uxorem dedit. Celebratæ Nuptiæ gratulatione, donisquè innumerabilium Procerum. Hunc *Rex* Urbanis Rusticisquè prædijs, Pascuis, ac Sylvis, variâ cum Multitudine ferarum locupletatum, *Annuâ pensione Sexcentarum librarum*, ex Ærario beavit; collaudans amplissimis verbis, in asserendâ vitâ suâ Fortitudinem. Hoc quoquè adjecit, ut æs alienum ejus cum fide persolueretur. Nam *cujus operâ, in Gaurianâ Conjuratione, vitam servavit, ejus dignitatem Paupertate collabi indignum, sibiquè deforme arbitrabatur*. Convivæ, Epularum hilaritate, ac Vino largiore provecti, ad Spectacula concurrunt. Appetente jam Nocte, universa Regia Symphonijs perstrepebat; *Augusta*, quæ spectaculorum & Assiduitate, & Varietate, omnes Majores antecessit, *Personata exquisito genere vestis*, eodemquè habitu Quinquè Clarissimæ fœminæ, in Cætum Principum Matronarum, Virorumquè Claræ stirpis, præsidente Rege, prodeunt; *Triginta duobus Nobilium liberis* lichnuchos gestantibus, adhibito Francici Tibicinis concentu, *Choreas pedibus plaudunt, fescennino Carmine modulantes*. Regina decoro motu corporis, omnium oculos in se averterat; non Magnificentiam tantùm, & lautitiam, sed Prudentiam ejus in dando spectaculo, spectantium turba admirata est.

Nunc ut à ludicris, ad Magistratuum severitatem transgrediar, operæpetium videtur. *Thomas Foulerus*, forensis Advocatus, Audaciâ promptus, postulatur sermonis Contumeliosi, in Comitijs liberius habiti, *adversùs Ecclesiasticam Authoritatem, & Sacerdotalem Iurisdictionem*. Ille spretâ *potentiâ Cleri, ad Curiam Regiam provocare* ausus est. Unicum in *Angliâ* remedium, à Majoribus inventum; si quandò Jurisdictione legitimâ Ecclesiastici abuterentur. In *Curiâ verò Regiâ*, causa publicè disceptata: ibi actitatum, *Clericis*, Cognitionem, sinè consilio; pænam, sinè Provocatione; Animadversionem, sinè auxilio, non dari; proindè Appellationem Rei, Jure interpositam. Quæ res offendit animos majoris partis *Ecclesiasticorum*.

Bancum Regis.

Per idem tempus salutarunt Carceres refractarij *Purioris religionis Professores*, dùm non satis, pro Officij ratione, *Episcopis* responderent; Sed dimissi tamen post. Impetus Offensionis languescere non potuit. Paucis post diebus, *Piterrinus* protervus Juvenis, *Bancroftium Archiepiscopum Cantuariensem*, famoso Epigrammate perstrinxerat; addideratquè quædam contumeliosius, quàm par erat; tractusquè in Judicium *Camera stellata*; perorante majore acerbitate, quàm Eloquentiâ *Prasule*, se Convitia passum, accusatur. Reus, non infracto animo, adseverabat Innocentem se. Sed Probrosi Carminis, apud Proceres, publico Juditio damnatus, in Exilium pellitur: ubi fato functus est. *Alter Purioris Religionis Professor*, tanquàm flagitiorum *Piterini* gnarus, Tumultus, & turbatæ Ecclesiæ, arcessitur, *furca ac perpetui Carceris* discrimen adijt. Sed, Misericordia Principis, *Infamia exemit*. Legatum, ex Testimento Viduæ, Exauctoratis, decreto *Prasulum*, Ministris relictum, *Prætoriano Iuditio* irritum factum, improbatumquè exemplum; idquè in Pauperum usus erogatum, non sinè fremitu *Catharorum*.

Exin *Rex* summam diligentiam adhibuit, in amplificandis Pratis, Arvis, & Prædijs, *qua erant Prædicantium, Peregrinorum, & Pauperum usibus, publicè consecrata*. Quia pristinus donandi ardor, qui

Ecclesiam

Ecclesiam adolescentem,& pias Christianorum mentes,antiquitùs occupaverat, paulatim deferbuit; 1607. ipsaquè Charitas, nostro sæculo, frigere cæpit. Sed *Ioannis Elmerij, Londinensis Episcopi*; *& Elizabethæ, Salopiensis Dotariæ* Pietas, Charitatem penè collapsam, bono exemplo refocillavit; & ardorem subveniendi *egenis Ecclesiæ Ministris*, in aliorum mentibus excitavit. Civitas quoque religiosa, *Quinq; dierum Alimenta præbuit, singulis ad D: Pauli Crucem prædicantibus*. Huic *Prætoris Vrbani*,& Seniorum Munificentiæ, multi privati æmuli inter se per Benevolentiam, Charitatis opera superaddidêre; ad fovendam inchoatam Pietatem, ne deficeret. Tum *Rex* Catharos, *Præsulum Auctoritatem aspernantes*, & Judicum severitatem incessentes, levibus & frivolis dicterijs, coërcuit. *Ebriosos, publico Ordinum Decreto, refrænavit*. Pari Ignominiâ intemperantes Viros, & impudicas Mulieres affecit. Additur *Edictum*, ut gravi pænâ tenerentur, *qui pecunias ad externas terras transtulissent*. Quod Mercatores, Opes spectantes, non Patriæ charitatem, mox varijs artibus eluserant. *Comitia, propter Saturnalia, in decimum diem Februarij prorogantur*.

Charitas civium

Georgius Humius, Baroduni Comes, præpotens, venalis, & nimiâ fortunâ vecors, Opes, potentiam Dominatum concupivit; non Civium charitatem, aut gloriam. Igitur varijs inimicorum Criminationibus petitus; quòd ultrà privatum modum divitias augeret: Quodquè Ærarium, ædificandi Magnificentiâ, exhauriret. Fortunæ rotam pertimescens, ad quietè vivendum se contulit. Intereà, Criminantium haud ignatus, *Proquesturâ* se abdicavit; quam in *Iulium Cæsarem*, studio Juris Civilis clarum, transtulit; & grande hujus rei pretium ab illo exegit; nullis Reip: negotijs posteà permixtus, oblectamentis Principis,& Aulicis officijs vacavit. Ita potentiam retinere,ac minui posse sibi Invidiam, existimavit. At cum non ignoraret, qui animorum habitus essent in Regiâ, qui de se *Vulgi* rumores; quæ Invidia *Procerum*; quæ indignatio *Plebis*, ad prorogandam potentiam, ac dignitatem, omnia circumspexit. Stirpe virili extinctâ, *Annam, filiam majorem natu, Humio Coldinovesio* collocavit; *Elizabetham* minorem, *Theophilo Havarto*, Suffolciæ Comitis filio despondit; cum multis fructuosis Prædijs in *Northumbriâ*; ut partam potentiam Affinitate, & Amicitiâ hujus Illustris familiæ, firmaret. Apud Majores magna *Havartorum* Auctoritas, inter *Anglorum* Proceres, erat. Hâc etiam tempestate aucta est familia, Cognationibus primùm, tùm Affinitatibus; deindè Amicitijs; post Opibus. Quatuor simul opulentissimi unius gentis Comites, *Arundeliæ, Nottingamiæ, Northamptoniæ, Suffolciæ; præter Bindonæ Vicecomitem, Barones*, & complures Equites, haud minùs Illustres. Casuum nos contemplemur varietatem. Hanc familiam fortuna, domina rerum humanarum, inter Ornamenta sua & ludibria, alternâ vice, versavit. Adversa, summis honoribus Damnationem; Secunda, Damnationi summos honores adjecit. *Henricus, & Thomas*, viri Nobilissimi, cum publico Judicio Paterna Bona Ærario addicta essent, læriore vultu Regis, Prædia sub *Henrico Octavo, & Elizabethâ*, Regni Jure adempta, Principali Diplomate recuperarunt; Senatores etiam creati, precibus *Cæcilij, Henricus Custodiam Privati Sigilli*, ac Oræ Maritimæ curam; *Thomas* Cubiculo præpositus, floruit Opibus, Auctoritate, Affinitatibus, Amicitijs. Florentem fortunam cum afflictâ Patris conferre licet.

Havartorum familia potentissima.

Hyems, hoc Anno, gelida, ac Nivosa; & ea tùm aliquantò, quàm aliàs, longior fuit. *Vites & Arbores* novellæ, frigoribus obnoxiæ, in tanto terræ rigore durare non potuerunt. Aves, & Feras exanimavit frigorum vis insolita. Homines, ultrò citròque commeantes, pertulêre Torpedinem, Algorem, Lassitudinem, Desperationem. Multorum ambusti Artus torpebant: si Tuguria Rusticorum celeriter adire potuerunt, tùm demùm, vitali Calore moto, Membris aliquis redibat Vigor. *Fluviorum Cursus*, & Perennitates Fontium præcludebat Hyemis sævitia. *Tamesis, tàm alto gelu concrevit*, ut non modò Vulgus promiscuum intrepidè medium pedibus calcaret; sed & *Plaustra, & Currus* Onerarios sustineret. Inter *Vestmonasterium, & Lambetham*, glaciei Nive superadditâ, Callis, triturâ pedum factus est. *Popina, Tabernæ, passim in ipso flumine strata*. Voluptatis exercendæ causâ, Plebs concursat circà Tabernas, Tabernaculaquè. Cum instaret ingens metus Pontis Accolis, à strage & ruinâ, *initio Februarij*, resolutus repente *Tamesis*, sinè noxâ mortalium, glacies incredibili lenitate, sinè periculo soluta est. *Vere insequenti*, Arbores fructuosæ proventum angustiorem habuerunt; & *Aves Canoræ* passim desideratæ sunt.

Cum jam in exitu Annus esset, Anniversario More, admissis, per ludi speciem, equis, Aulici hastati concurrerunt. *Robertus Carus, Ricardum Prestonum*, nobilissimum virum (Nobilis & ipse Adolescens, Equestri loco in *Scotiâ* ortus, ex Cohorte Regiorum puerorum, qui apud *Scotos* ex Procerum liberis, ad Ministerium Principis electi, inter Epulas sunt Ministri) honoris causâ comitabatur. in hoc ludicro, prolapso equo, ipse Casu, & Onere Equi super eum ruentis, Crus fregit. Haud multùm abfuit, quin exanimaretur, majore periculo turbæ, quàm Vulnere affectus. *Rex* graviter indoluit Adolescentuli casum; asseditquè mistim lecto, in quo cubabat æger, casu debilitatus, viribus admodùm attenuatis. Omni curâ, & Sollicitudine, ac Medelâ salutari, reficiebatur. Devinctus erat Fascijs, & multis Medicamentis delibutus. Hæc charitas *Principis*, multùm animis hominum & fiduciæ, & Speì adjecit, futuri incrementi; adeò, ut florentissimam fortunam, in quam postea Principali gratiâ ascendit *Carus*, in illo discrimine ominati sint Prudentiores. *Periti Matheseos consulti*, responderunt, eum Clarissimum Britanniæ, haud diuturnâ cum fortunâ, fore; & ad summa Regni munia perventurum. Nec Eventus defuit. Eodem penè momento, & ipse Spem novam Fortunæ

1607. cæpit; magnam quidem ex gratiâ Regis, & Significatione benevolentiæ; sed aliquantò majorem, *ex Affirmatione Inglesij Mathematici*. Instituta prioris vitæ commutavit, in Veste, ac cætero corporis cultu; licentius sibi indulsit. Verùm aliquamdiu *Londini* retentus, periculosâ & difficili Curatatione, recuperatâ Valetudine, ut tutò primùm potuit, in Aulam profectus est. Aulici, post complexum, gratulantur; quod, Providentiâ Numinis, tantum discrimeo effugisset. *Rex* in primis amore, charumquè, habere cæpit; & *Chirurgos*, qui principes fuerunt conservandæ salutis, muneribus percoluit. *Carus*, ut se charum esse domino, & diligi prospexit, ex habitu novæ fortunæ novum ingenium induit, Animumquè, Regis liberalitati congruentem; secundum gradum Dignitatum ascendit; Posteris Nobilitatis initium, & Inconstantiæ rerum Mortalium, exemplum fuit. His Cunabulis Auctoritas initiata, in tantum accrevit, honorum atquè Opum magnitudine, ut nihil fælicitati ejus deesset, nisi Moderatio animi. In primordio Dignitatis modestè egit; ut dignus fávore, & Auctoritate, & sentiretur, & ore Vulgi prædicaretur. Ampla præmia, quæ acceperat, noo fortunæ, & Temporum, sed Virtutis, & Ingenij esse demonstravit. Hæc Incrementa & Rudimenta blandientis Fortunæ, *Humius, & Cacilius* ægris oculis inspexére; sed obstare palàm, aut obtrectare, ne verbo quidem inclementiori, ausi sunt; occultantes Invidiam fallacibus blanditijs.

Cæterùm, Regi, urbe in ipsâ, animum remittenti, Ludisquè & Epulis oblectanti, aderant *Legati Belgici, Ioannes Bercius, Syndicus Dordracensis, plurimorum negotiorum usu probatus; & Iacobus Maldreus, Equestris Ordinis, Zelandia Procurator diligentissimus*. Tempus sermoni orantes, acceptoque, omnia Belli, Pacisquè Consilia cum Rege communicarunt; ac secreta Postulata *Batavorum* ediderunt; *Quomodò Militiâ fessi, Pacem cum Iberis, ex infimo pectore, anhelarent; & Otium post labores; cum belli Clades ultrà sustinere non possint*. Rex rem Senatui permisit. diversa ibi *Procerum* studia, & Fautorum utriusquè Partis Certamina; Quorum *aliqui, Batavis palàm iniqui, liberius insectati sunt, quod à Rege suo defecerant*; idquè Vulgò improbabatur. Alij Odio *Batica gentis, immodico honore prosecuti sunt. Proceres*, & Senatores prudentiores, consulentes Securitati Imperij, *Neutram partem volebant potentiorem, alterâ oppressâ fieri; sed illibatis potiùs viribus, Vtriusquè partis, Pacem fieri cum Batavis, tanquàm liberis Provincijs, Populisq;*. Rex, quid præsens conditio posceret, *Legatis* aperuit; *ac Ratione, Consilio, & amplissimis mandatis instruxit*. Pacis hujus Originem & Eventum, infrà in *rebus Belgicis*, paucis expediam. Hæc, hoc Anno, in *Citeriore Britanniâ* gesta.

In ulteriore Insulæ parte, *Comitia Edinburgi capta, & Perthi peracta*. Multæ ibi parvæ disceptationes jactabantur: una orta est inter Proceres Regni, & Ecclesiæ, *de Ordine sedendi in Comitijs*. Barones, avelli velut à corpore suo Comites, ægrè patiebantur. Sed instantibus *Episcopis*, ut ad Consilium omnium Ordinum Controversia referretur, permissum est. Placuit, Veteri More, locum dignitatemquè Præsulum conservare, *& proprium Ordinem assignare*. Quo Decreto nullum præstabilius, aut *falici Iacobi Imperio* dignius; qui Ecclesiam, magnâ ex parte, jam stabilivit. Perculsis *Catharis*, facile fuit *Presbiteriorum Auctoritatem imminuere, & Ecclesiastici Politeumatis apud Anglos, formam introducere*. Ac ne Ministrorum copia deficeret, qui curam animarum agerent; nihil potiore studio gessit, quàm ut *Pralati, & Ministri*, Altari servientes, haberent unde se alere, & exhibere possint. Sed difficulter reformantur Mores publici, qui diuturniore Impunitate, in proclivia vitiorum incubuerunt. Ætatis nostræ corruptelâ, *Canobiorum proventus, fructusquè Patrimonij Ecclesiastici, Proceribus Regni, Iure hareditario, erogati; & res Divini Iuris, Humani facta sunt*. Etsi nec facile, nec tutum fuit, Priscam beneficiorum Politiam renovare; tamen *Offensionem Procerum*, pro Jure Ecclesiæ, non expavit; & Beneficia, quibus, Coronæ Jure, potitus est, præter *Fermelinodum Canobium*, Ecclesiasticis contribuit; ut Imitationis ardorem in Procerum animis accenderet. Nequè repertus est quisquam, qui exemplum æmularetur, prævalente Avaritiâ. *Rex* ubi Consensui Procerum se imparem vidit, *Ecclesiasticos* suâ Liberalitate impeosius fovit. Quia *Proceres* datis à se Muneribus exuere non potuit, commodius visum est, pro Conditione temporis, *ex Ecclesiasticis beneficiis, Annuas Pensiones Ministris Provinciatim constituere*; & quicquid ubiquè rerum sacrarum esset, ad *certam Stipendiorum formulam* redigere: *ne ex Penuriâ Cleri vilitas; & ex Mendicitate, Contemptus oriretur*. Pudet referre *Proceres, & Comarchos*, qui ditiores spectantur *Beneficijs, & Decimis, quàm Villis & Pradijs*. Quid iniquius, aut indignius cogitari potest; quàm *ut Ecclesia Proventus, fructusquè, Patrimonij vice, cederent ijs, qui nihil in eam labore suo conferrent?* Multò tolerabilius, si per Procuratores Fisci administrarentur; & in Ærarium reciperentur.

Sacerdotij proventus hareditarij facti.

Hâc tempestate, quoquè *David Lindesius, filius Crafordia Comitis*, Parricidio, & Prodigentiâ, sibi & florenti familiæ exitium attulit. Incidit *inter Comitem, & Valterum Lindesium, Cognatum, Equestris Ordinis, Contentio de re privatâ*, quæ animos nonnihil alienavit. Filius indignabundus, & ad Vindictam pronus, *Valterum, Cognatum suum*, exactæ ætatis, inopinantem, & inermem interfecit. Idquè Patris consilio factum esse, vulgatum est. Juvenis pænâ affectus est, pro Maleficio; ejectusque io exilium. Verùm, *Aquila Comarchus, Valteri Nepos*, legitimâ pænâ damnati, & Exulis, non contentus, indignissimæ Cædis acerrimus ultro extitit; & *Davidem Lindesium, Familia Principem*, meritâ ultione, interficere destinavit. Nec ultrà mora. *Aquila*, pervectis clàm *Edinburgum* Clientelis, & Servitijs, dùm Ultioni occasionem reperiret, delituit. Incautus Juvenis, nihil metuens

ab urbanis

ab urbanis Insidijs, cum Epulandi causâ Vesperè discurreret, Inimicorum fraude circumven- 1607.
tus est, Animo promptus, sed numero invalidus; & præcipuus in Comitatu *Spineus*, *Avunculus utriusquè*, clarus atquè innocens, orto tumultu, Neputi a Nepote parari Cædem, ad commune Familiæ dedecus, haud occultum; & Salus utriusquè Avunculo, ex æquo, curæ fuit. Tamen, favore *Principis familia*, gladium distrinxit; & advenientes *Aquila* Satellites propulit; qui nimiâ cupiditate ulciscendi, inimicum provecti, *Spineum*, in primâ Juventâ, Regis præcipua in Charitate, crudelissimè occiderunt. *Crasfordia Comitis filius* graviter vulneratus, actusquè præceps in Cellam vinariam; à Mulieribus difficulter servatus est; Quippe Percussores adversùs mulieres quoquè gladios distrinxerant; quasi parùm Cædibus Virorum satiati. Iste, quanquam vulnere aggravante, propè per singulas noctes, commutare latebras coactus est; sequè ab Inquisitoribus pecuniâ redimere; quia Cædis, perpetratæ in *Valterum*, Abolitionem nondùm impetraverat. Hæc clades totam *Lindesiorum* clarissimam familiam, sæpè de *re Scoticâ* benè meritam, graviter afflixit. *Spinei suum* perluctuosum fuit. *Erat in Militari Vexille ipse depictus, lethali vulnere saucius; & juxtà filius Iuvenis; Parricidij vindictam à Deo suppliciter exposcens.* Intereà *Crafordia filius*, curato immani vulnere, ut suam & Patrui Injuriam ulcisceretur, statim struere & moliri cæpit Insidias Cognato, cum vagus & Exsul erraret. Postquàm explere Ulrionem nequiverat, mortuo Patre, ad Otium, luxum, & Malas artes transijt; quibus se, & florentissimam familiam, brevi pessum dedit vir dissolutissimus; concessitquè vitâ in Carcere, inops, & desertus ab amicis. Non alia familia Plebem majore Miseratione affecit; cum in Memoriam revocaret, qualis Splendor inesset; quanta Ornamenta; quæ dignitas apud Majores, longa decora præferentes; quæ gratia apud Reges; à quibus ampla quidem, ob Merita virtutis, præmia acceperant.

Inter hæc, *Maxvallius*, familiæ Princeps, ingenio turbidus, propter animi ferociam, *in Arcem Edinburgensem* conjectus est, additâ liberali custodiâ, *Maria Comitis*, Arcis Præfecti indulgentiâ, qui validissimè favit Nobilitati. Is temerario ausu, Custodes Januæ Vi adortus, intento ferro disjecit, erupitquè, & *Iacobum Maconelium*, *Æbudum Regulum*, ob flagrantissima flagitia in Carcerem trusum, eripuit ex Custodiâ. Quo tandem metu adductus, tantum in se facinus suscipere ausus est, haud scio. *Maconelij* consilio factum mihi videtur. Captivorum fugâ intellectâ, *Edictum in Vlteriore Britanniâ, ne quis Vrbe, Tecto, Mensâ, Lare, reciperet, sinè periculo capitis.* Simile Edictum in *Citeriore Britanniâ* propositum; ne qua Spes esset, intrà fines Imperij *Britannici*, impunè peccandi; utque hi, quibus *Scotia* interdiceretur, Regiâ quoquè, & *Angliâ* summoverentur: Quippè *Iacobus*, cum summum rectè factis præmium, tùm certa Maleficijs supplicia, proposuit. Citatus ad diem certum *Maxvallius*, Judicio abesse, quàm Securitati suæ deesse maluit; pænæ metus in fugam, atquè latebras compulit; donec Iræ æstus morâ deserbuisset. Igitur nemo recipere Tecto; nemo audire; nemo alloqui; nemo aspicere ausus est, propter metum *Baroduni Comitis*; qui fures, Abigeos, Maleficos, & Receptores eorum, tormentis omnibus vehementissimis vexavit; Amicos, hospites, & servos *Maxvallij*, Spe & Metu tentavit, ut Salutem domini proderent. ij in fide perstiterunt; nequè quicquam se scire dixerunt. Supersedeo referre superbiam, sævitiam, atquè Impotentiam hujus hominis; quomodo finium Accolas occiderit; in Exilium egerit; bonis mulctarit; Proceres priscæ Nobilitatis contempserit; Senatorum potentiam infregerit; per Procuratores suos rem Scoticam administrarit; jusserit, vetuerit; Ministri personam exuerit; suprà Proceres ascenderit; Agtia, Prædijs, hortis, immensâ gratiâ, innumerâ pecuniâ.

Nunc haud memorabilem rem per se, nisi Documentum esset Posteris Inconstantiæ rerum humanarum, ac fortunæ blandientis, referam. Erat *uxor Ioannis Buchanani*, *Margarita Hartesidia*, Muliercula inops, sordidæ originis apud *Scotos*, per munia, haud multùm servilibus Ministerijs abhorrentia; *in Augusta gratiam irrepsit.* Magnis opibus, ex Regiâ Liberalitate, & largitionibus undiquè corrasis, *Scotiam*, ut fundos emeret, repetit. Ibi novâ felicitate elata, prioris Conditioni statum oblita, *Quadrigis Alberum Equorum*, per Suburbana incedit. Hunc tàm superbum apparatum, & fortunæ mutationem, Morum mutario secuta est; Contemptus omniũ hominum; superbæ aures; contumeliosa dicta; Avaritia inexplebilis: in summâ Invidiâ omnium Ordinum vixit; ac in varios Vulgi sermones incidit. Cum Alij & fortunæ ludibrium mirarentur, Alij gravioribus Convitijs onerarent, in Aulâ Curiales, varijs Criminationibus, adoriuntur; Ordinemquè totius vitæ invidiosè infamant. Summissæ per *Ioannam Dromeniam*, potentiæ æmulam, Ancillæ, quæ Convitia, & Contumelias in Patronam renuntiarunt. *Regina* indignatione accensa, & ad ultionem excitata, jussit, ut lege cum improbâ, atquè importunâ muliere ageretur, procedereturquè ad pænam. *Cancellarius, fidelis Regina servus*, multis Criminationibus oneratam, in Carcerem conjecit, ingenti Popularium gaudio. Paucis interjectis diebus, ad Judicis tracta Subsellia, extremâ fortunâ stetit. Ministris *Dromenia* furti ream agere placuit; & constituta *Quastio de furto*; propter ingentes opes, lato fænore exuberantes. Accusavit *Hamiltonius Procurator Regius*, ingenio, Naturâ, usuquè callido, & Criminibus terruit. Precante reâ, *ut Reginam conveniret*, ac coràm arguerentur suspiciones Ancillarum; aspernata est preces *Augusta*. Furti accusata, cum defensionem cæptaret, non occultavit, cujus Irâ, & fallacijs premeretur; furti crimine absoluitur; rerum fraudulenter motarum, gemmarum, ac mundi muliebris, haud dubiè convincitur. Obruerant ream *malè parta, malè dicta, malè retenta.* tum in *Orcades* pellitur;

ubi

1607. ubi diuturnum exilium toleravit; Ignominiâ ejus ferè nemo indoluit. Ancillis, quæ secretis Criminationibus incusaverant, levis gratia rependitur.

Cum hæc in *Vlteriore*, *Citerioreque Britanniâ* gerentur; Authore Rege, missi in *Hiberniam* Apolecti, ad dirimendas Controversias de Possessionum terminis; quæ *Tironio* cum finitimis *Regulis* essent. Data discedentibus occulta mandata, ad muniendas validis Præsidijs maritimas urbes, Oppida, Castellaquè Agri Vltoniensis; quæ aut opportuna Commoditate, aut suspecta perfidiâ crederentur. *Tironius* suspitiosus, pavorem injectum, adventu Anglorum, dissimulare non potuit; & ad externum terrorem, interna Conscientiæ vis accessit; haud dubius, quin rebellandum esset, si vires Conjurationi adjecisset: sed quia immaturæ erant, in fide perstitit. Inter eum, & Ultoniæ Accolas, magnæ Contentiones, de finibus fuêre; nunciantes, se jam ultrà Superbiam, Vim, Crudelitatemquè & Avaritiam ejus pati non posse; suspectumquè novarum rerum, & Criminum Capitalium facientes; simul repetentes Agros, qui Majorum suorum fuissent; vel ut ex æquo apud Judices, quid cujusquè esset, disceptaret. *Tironius* se causâ, Jurisdictione, & Possessione superiorem contendebat; nullumquè, præterquàm suæ libidinis Arbitrio, finem facturum. Apolecti parùm tutum existimantes suscipere Cognitionem, & suam Auctoritatem interponere *factionibus Vltoniensium*, rem distulerunt totam, & *ad Regem ac Senatum* remiserunt, ut ibi arguerent. Quibus illi rebus permoti, universi *Regem* adierunt; palàmque de ejus Injurijs questi sunt; undè res integra ad *Senatum* rejecta est. *Vltonienses* introducti in Senatum, lachrymantes procubuerunt, stratiquè humi, questi sunt *Tironij Injurias*, Vim, & Contumelias, quibus vexati, oppressiquè erant. eripi domos; abstrahi Pecora, specie Juris, & diripi Bona; belli quoquè Consilia inire, secretis Criminationibus incusarunt. Unde timor *Senatui* de ejus fide. Ille *Supplicibus libellis* deprecatur Regem, ne Inimicis falsò criminantibus crederet. Evocari *Tironium* placuit; interrogatiquè, Quid ad objecta responderet? Sed sivè metu periculi perculsus, sivè Conscientiâ Scelerum perterritus, cedere tempori, ac fortunæ statuit; & spectare jam Exilium, ac fugam cæpit. *Mercatorem Hibernicum*, cui nota *Francia* Ora erat, quia Mercaturas in eâ regione exercuerat, accersivit, & fugæ consilium ei aperuit. Primis tenebris Vectoriæ Navi imposuit, quæ ad usum necessaria erant; detulitquè pecuniam, quanta clàm deferri poterat. Præparatis jam omnibus ad fugam, ipse cum *Dungannano Barone*, *Primogenito Terconeliæ Comite*, Liberis, Propinquis, Affinibus, ignaris Consilij profectus, Navem in Oltio fluminis paratam, instructamque nactus, Nocte conscendit; & in *Neustriam*, cum Comitibus trajecit. Ex Rumore fama orta, *visum in Normaniâ Tironium*. Britannicus Legatus, in Senatu exposuit, *Conscientiâ noxa fugam conscisse, nec debere impunè esse, Iure gentium*. *Franci* responderunt, *quod æquum videretur facturos esse*. Ille veritus Legatum Regium, expostulantem, Jure Exulantem non posse piè consolari; aut finibus recipi; ad *Archiduces in Flandriam* concessit. Qui summo honore prosecuti sunt. Paucos ibi moratus dies, *Alpes transgressus*, *in Italiam penetravit*, quocunquè perrexit, famâ fortitudinis in *bello Hibernico, ac studio Romanæ Religionis*, receptum magnificum invenit; *Romam ipsam* implevit nominis sui famâ, atquè ibi Larem fixit, à *Pontifice* amplissimis muneribus cultus. Non satis constat, cur honoribus & præmijs auctus, novum bellum moliretur; sed evidenter apparuit, Spe alieni magis auxilij, quàm viribus fretum suis; Quippè nihil jam movere poterat, nisi externa vis quæsita esset. Ipse jam exactæ ætatis, ad munia belli, longâ Senectâ, invalidus, languori se, desidiæquè dedit. Cognito *Tironij ex Hiberniâ discessu*, de Hibernicis rebus in Senatu actum, præsente Rege. Alij censuerunt, *Regnum Hiberniæ* sinè Exercitu obtineri non posse; ac *Hibernes* haud quieturos aliter, nisi daret frænos indomitæ genti; Authoresquè fuerunt *Regi*, supplementum in *Hiberniam* mittendi. Alij contendere cæperunt, Defectionis in *Vltoniâ* antè finem non fore, quàm omnes *Vltonienses*, aut in Ultima *Momonia* exturbarentur; aut traducti, publico sumptu, ad exteras nationes forent. *Rex* id anceps ratus, ne omnium *Hibernorum* animos irritaret, si Terram, in quâ geniti essent, cogerentur relinquere *Vltonienses*, huic sententiæ vehementer restitit; erat enim & iniqua, & nova. Hâc Controversiâ usquè ad noctem ductâ, ob immodicas Altercationes disceptantium, Senatus est dimissus. *Rex* loca in *Hiberniâ* Exscensioni hostium opportuna, pro cujusque commoditate communit, aut Præsidijs firmat. Comprehensi deindè quidam *Hiberni*, qui in Suspicionem tàm atrocis rei venerunt, & in Vincula conjecti. *Tironius & Tirconelius*, de quorum fugâ causâque fugæ antè dictum est, inter cætera Vana temere vulgaverunt, *se Avitæ religionis metu, in quâ imbuti atquè educati; & lite Novâ de parte finium constitutâ, perterritos, fugam conscivisse*. Hæc Calumnia exire, atquè emanare in Vulgus non potuit, inscio Rege. Quâ cognitâ, adeò exarsit Ita, *ut manus ad Cælum tendens, Deum testem ingrati ac perfidi animi Proditorum invocaret*, ac adversùs eos *libello edito*, quò facilius de singulari eorum Impudentiâ homines existimarent, ita disseruit; *Tironium & Tirconelium profugos, impios, sacrilegos, nullâ commendatione Majorum, nullis in remp: meritis, præstantissimisvè rebus gestis, gratiam & gloriam à superiore Reginâ & se consecutos; sed Reip: causâ, & arcano Imperij, provectos; Principibus viris potentiâ, gloriâ, dignitate, Imperio, æquatos; cum quibus generis splendore, Virtute, Meritis, æquari non poterant; non tàm memores beneficij, quàm Regni Anglici infensos inimicos. Quid sub* Elizabethâ *consciverint, ausi sint, perpetrarine, universo Orbi Terrarum notum: Tironium, supremo Reginæ sapientissimæ Iudicio, Majestatis damnatum, communis Concordiæ causâ, à se, præter Impunitatem & Culpæ veniam; sua omnia Pænitendo impetrasse. Nunc Pontificem, & Exteros clàm literis, Nuntijsq; sollicitasse, ut rursùs in Hiberniam Exercitum transmitterent*;

transmitterent; timore ex Conscientiâ peccatorum exorto profugisse; Romanam Religionem immanibus scelevibus, Monstra, Portentaquè hominum prætendere; inter omnes constare, gravissimas Injurias voluntariâ oblivione abolitas. Tamen ne Simplices homines Misericordiâ, Improbos Seditiososq́; Calumnijs moverent; ac ut infringatur insignis eorum Improbitas, se, Regiâ fide interpositâ, sanctissimè affirmare, nunquam sibi in mentem venisse, illis Religionis ergò periculum facessere. Quæ enim Religio in portentosis hominibus, Naturâ & moribus *barbaris, esse potuit? Qui nec Cædem pro Maleficio, nec Matrimonium pro laudabili Consuetudine existimarent? Sed Connubia promiscua, ferarum ritu, vulgarent? Nec eum pro viro bono honestoquè haberent, qui non de Cædibus, Rapinis, & Latrocinijs insolenter gloriaretur? Imperitissimè facturum (suo quidem Judicio) qui animis omnis Divini humaniq́; Juris expertibus, Cultum Numinis, & puram Religionem inculcare, aut Conscientijs eorum, qui rasas antè habent, imperare conetur.* Inde vanum metum futuri Mali discussit; ne in *Controversiâ de parto finium* cum Vicinis, se minùs æquum, aut minùs justum Judicem experirentur: disseruitquè, *veteris eorum Contumeliæ penitùs oblitum; omnemq́; sensum publicè privatimquè deposuisse; Æquitatem ac Moderationem in Inditando, neminem unquàm Civium desiderasse; posse illos ipsos Testès Justitiæ appellare; quibus, præter Abolitionem, sua omnia cum fide restituit. Recentium autem Injuriarum in finitimos, non in fide Clientelari, sed in Servitute, crudeli Dominatu habitos; & nuper initæ Conjurationis, ut Hiberniam externo Jugo subijcerent; Memoriam deponere non posse.* Proindè hortari *Clarissimos Reges, Proceresquè Europæ, ne hominum perditissimorum Perfidiâ, & Iniquitate decipiantur; sed ut Improbos, Perfidos hostes tàm hominibus quàm Deo immortali, ac Rebellionis reos detestentur, & Perfidiæ pœnas exigant.* Hæc summa *libelli Regij.*

1607.

Hoc Anno *in Belgio Archidux Albertus*, fessus tædio luctuosi belli, cum & *pecunia sæpè in stipendium Militum, & Commeatus deessent*, animum ad respiciendum *domestica Belgij mala* convertit; *lentas Oppugnationes urbium*, Obsidentibus sæpius, quàm Obsessis exitium afferentes. *Invidiam, & Obtrectationem Civium* adversùs militantes; *frequentes seditiones Militum*: Inopiam publicam; Malignitatem conferendi ex privato; luctum bonorum; Provincialium gemitum, Captivitates, Cladesquè, & dira omnia; versâ subitò voluntate, *rogavit, atq́; oravit Hispaniæ Regem, ut Pacem, si posset; sin minùs, Inducias faceret.* Iberi quoquè, Senatorij Ordinis, fessi diuturnitate, & gravitate funesti belli, tædio laborum, & periculorum, non solùm in *Belgio*; *sed in utrâque Indiâ, & Hispaniâ*; disseruerunt, *Belgium vile pretium pro tot Classibus victis; tot Exercitibus fusis; tot tàmquè egregijs amissis Ducibus.* Itaquè facere quod è suâ, *Hispaniarumq́;* dignitate esse crederet, *Archiduci* permiserunt. Indè *Albertus, Ioannem Najum, Franciscanorum Præpositum* nactus, expertusquè ingenij solertiam, levioribus Ministerijs, *Hagam Comitis Pacis Nuntium*, cum Mandatis mittit. Instruit etiam Secretis literis, per quas haud dubiè agnoscerent *Batavi* sua Mandata esse. Et primò in Circulis, Compitisquè celebratâ causâ Adventus, Alij fessi gravitate Tributorum, alacres & læti Spe pacis oblatâ, disserebant, contrà Regem tàm validum ac potentem, bellum gerentes experiundo didicisse, quanta esset vis *Imperij Batavi*; quantum ex Metallis *Indicis* vectigal; quot legiones, Classes, Stipendia, Armamentaria. Alij servitutem timentes, & de simulatæ Pacis periculis disserentes contrà censebant, *Iberos* nihil aliud, quàm Moras & dilationes, ad colligendas vires quærere; ut sub durum Servitutis Jugum missis *Batavis, Orbis Terrarum Monarchiam* pariant; quam jam diu parturiunt. Perseverandum igitur in bello esse; nunquam, nisi armis, tutum Libertatem Belgij fore; ad hæc, *Speculatorem, Proditoremquè, non Legatum venisse*; jubendum Bataviâ excedere. Seniores gratiâ & Authoritate impetrarunt, ut daretur Consilium. *Admissus Pacificator Najus*, rogatusquè in Senatu, *quâ de causâ venisset?* Scriptum edidit; respondituè intrepidè ab *Archiduce se missum, ad Ordines mandata habere; Pacem sincerè expetere Archiducem, quæ impetrata, gloriæ sibi, non Pudori sit; universo Belgio utilis; & Toti Christiano Orbi necessaria.* Ad hæc *Mauritius*, & Seniores; *Si sibi Albertus gloriosum, Belgis utilè censeret, Ordines, fœderatasq́; Provincias, pro liberis gentibus, & Populis habere, pacisci posse. Sin repetere in veterem Servitutem Batavos, per multos Annos, nullo ambigente, libertate fruentes, in animo haberet; renuntiaret suis, eos Libertatem (quâ nihil est dulcius) Vi & Armis partam, eâdem virtute vindicaturos; & in ipsâ Vindictâ mortem oppetituros; at supersederent de Pace agere, nisi Conditioni annuerent.* Nos verò, inquit Mauritius, *nec volumus, nec possumus pacisci quicquam, quo communis libertas, Decreto publico universi Populi confirmata, imminuatur. Hanc Conditionem legite; aut de Pactione Servitutis agere supersedete, quâ nihil Populo libero fœdius. Hoc animo scitote esse omnes Batavos, ut Mortem Servituti anteponant.* Tum *Najus* deprecari *Mauritium*, & Senatores institit, *ut & Tempus sibi ad deliberandum cum Civibus sumerent; & Archiduci ad cogitandum darent.* Cum renunciata Conditio esset, *impetraturum se, Pacis & Concordiæ causâ, respondet.* Ita integra dilata res est. Indè *Monachus* conciliandæ Pacis cupidus, *per Antverpiam Bruxellas*, incredibili celeritate, redijt. In Senatum introductus, quæ *Batavorum* de Bello, aut Pace sententia esset, *Archiducibus* exposuit: adjecitquè Spem Pacis, *si prius Archiduces, Ordines, Fœderatasq́; Vrbes, & Provincias, pro liberis haberent, ac sui Juris Dominijquè censerent; alioqui Batavos susceptum semel Patrocinium Libertatis non neglecturos.* Monuitquè, ne bellum continuarent; quo turbaturi Orbem terrarum essent. Utquè viderent, quid super eâ re fieri vellent. Nec gravatè *Archiduces annuerunt, ut Najus & Verrecus, Socius legationis, cum Batavis, Sociabusquè Provincijs*, tanquàm liberis Populis, *de Pace, vel Inducijs, in plures Annos disceptarent.* Cum hæc conscripta, consignataquè accepisset, *Hagam* statim reversus, modestè exposuit, *nihil aliud sibi mandatum esse, quàm ut Bello, Belgij Cladibus insigni, finem imponeret; idquè facilè factu, si Batavorum animi*

Liberum belli & pacis arbitrium Alberto Archiduci permissum.

1607. *non abhorrerent à Quietis Consilijs; Neque petere Pacem propter Metum, sed propter communem utilitatem. Si potior ijs Honesti, quàm Vtilis Cura, quid honestius, quàm omnes fœderatas Provincias, in Majorum Philippi potestate*, liberas Diplomate publico confirmare? *Quid utilius, quàm bellum funestum*, à Quadraginta fermè Annis *inceptum, omittere; ut Pace & Otio frui plebs posset?* Post longam & acrem disceptationem, de Pace dilata Consultatio in *Consilium Ordinum*; Concilioque ei & locus, & Dies certa indicta est. Interim *Octo Mensium pacta Induciæ*, donec Hispaniarum Regis voluntas explorari posset; nam neque, sinè Authoritate ejus, quicquam eorum quæ cum *Batavis* pepigissent *Archiduces*, ratum esse potuit. Additum *Induciarum Pacto, ut utriquè Partium res sua salva maneant; ac Oppida, Munimenta, Castella, uti possiderent; ita possideant; ab omni Vi, Dolo, & Insidijs, sivè externis, sivè domesticis abstineant.* In Mari, ubi *Batavi*, plùs poterant, Induciarum nulla facta mentio.

Nec dùm dies exierat, cum *Batavi Classe Quinquaginta Navium*, per littora, Portusquè *Lusitaniæ* navigantes, Classem Bæticam, in *Freto Gaditano*, ex Alto repentè aggressæ sunt. Ibi fit pugna atrox, & anceps; Naves aliquot *Iberorum* disjectæ in Alto, facibusquè injectis aliquot incensæ. *Alvarosius de Avilâ*, qui Classi præerat, in æstu pugnæ necatus; nec Sors æquior *Iacobo Hemskirkio Batavorum Præfecto*. Sine publicâ fraude facinus; nec *Induciarum* fidem, nec Consilium *Pacis* turbavit.

Senatu indè advocato, *Archiduces*, homines idoneos *ad Philippum in Hispaniam* mittunt, qui nunciarent, *Mensium Octo Inducias* impetratas; ac Pacem fieri posse, æquis Conditionibus, si eam à Servitute sejungeret; & Conditionem *Liberæ Reip:* non aspernaretur *Philippus*. Non diffidere cætera cum *Batavis* conventura. Quanquàm durum videbatur, *Belgium*, in diuturnâ possessione Regni Bætici, ex Avi Successione, de Jure nullo unquàm ambigente, *Liberum Decreto suo declarare*. Tamen, Concordiæ causâ, in Sententiam *Archiducum* concessit, & *Inducias*, Pactumquè appositum Diplomate confirmavit, ac promulgavit. Quod ut satis apparuit *Batavis*, jàm Pacis quàm Belli avidioribus; tædere quoque belli *Hispanum*, & Juri asserendi eos posteà in Servitutem renunciasse; in Colloquium venerunt, ac Legationem admiserunt. *Verrecen, & Najus*, Principes legationis, *Diploma Philippi Regis* conscriptum, consignatumq; *Delegatis Ordinum* exhibuerunt, ut Omnia Acta *Induciarum* rata essent. De *Diplomate* magna altercatio orta, penè sinè exitu fuit. *Batavi* arguebant, de Pace non cùm fide *Philippum* agere, sed in Diplomate *Libertati insidiari*; & captare Compendium. *Verrecen*, Pacis conciliandæ percupidus, ne tempus altercandò tereretur, & ut aliquis finis Contentioni imponi posset, *Bruxellas* se rediturum dixit; & cum *Archiducibus* deliberaturum. Omnia suspensa usquè ad ejus reditum. *Diploma*, adhibitâ interpretatione, in quibusdam *Capitibus* correctum, ampliatum; ac iterùm *Ordinibus* exhibitum, magnam ad Cætera peragenda Facilitatem attulit. Exin crebriora Colloquia, per utriusquè Partis Delegatos, ut Pax pia & æterna esset. *Archidux, Ambrosium Spinolam*, Italici generis ducem insignem, cum Regio Comitatu, *Hagam* misit, ad istam Pacem conciliandam. Socij Legationis erant, *Mancididorus, Hispaniarum Regi ab Epistolis; Ricardotus, Præses Senatus; qui multis fœderibus interfuerat. Najus, & Verrecus, non procul Hagâ Comitis, Mauritium*, & cum eo *Principes Nassoviorum*, opperientes invenit. Congressi sunt comiter, suæ ætatis maximi Duces, mutuâ admiratione attoniti conticuêre. Initium Sermonis ab Officijs humanitatis, Tubarum clangore, Cantu Tibiarum, Nocturnisquè Convivijs tota *Haga* perstrepuit. Indè cum *Gulielmo Nassoviæ Comite*, & Delegatis Ordinum, de Conditionibus Pacis agi cæptum. Tum Legationes circà vicinas gentes missæ; literas Legatis ferendas dederant *Batavi*; in literis eadem sententia ad omnes erat, qui Pecunias, qui Arma, contrà commune Incendium contulerunt, *Colloqui se cùm Archiducum Legatis; confidere Pacem futuram; orare ut, per Oratores suos, negotium adjuvarent.* Fama de inchoatæ cum *Philippo* Conditionibus Pacis, *totam Europam, Africamq;* pervagata est. Omnes Reges, Civitatesque Occidentis, in eam curam animos converterunt. Ipsius *Rodolphi Imperatoris* animus, ad Pacem inclinatior erat. Sed neque sinè Authoritate suâ, quicquam eorum, quæ cum *Rege & Archiducibus* pepigissent *Batavi*, ratum esse volebat; neque illis valdè favebat. *Liberæ Germaniæ Civitates, Populiq;*, evidenter *Batavorum* partis erant. *Francus*, per suos Oratores, *Ianinum, Parisiensis Curiæ Præsidem; & Busenvallium* monuit, ne fraude *Batici regis* caperentur; *Hispanos* nunc specie Pacis, propalàm *Belgium* in Servitutem repetere, & *Libertati insidiari*. Omnia tradenda superbis dominis esse, si absistant bello; si coacti Injurijs, perseverarent, Auxilia; sin Pacem mallent, quæ nihil Insidiarum habitura sit, omnem operam, Curam, ac Cogitationem in eam pollicetur. Magis literæ, & verba *Legatorum Francici Regis* benignè sunt audita, quàm momentum, ad mutandos *Batavorum* animos, habuerunt. *Britanniæ Rex*, Authoribus *Batavis*, misit legatos *Ricardum Spenserium, & Rodolphum Viuvodium*, ad res inspiciendas, componendasque. Cum cæterorum interesse existimans, *tùm præcipuè Britannorum, ne Belgij Imperium ad Iberos perveniret*. Hæc Legatio magnum, ad conciliandam Pacem, momentum attulit. Etsi *Daniæ Rex* fecerat, cur suspectus esset potiùs *Batavis*, quàm satis statuerat, utram partem foveret; tamen Legari ad eum missi, ut communi Consilio Pacis negotium administraret. Quos *Rex* muneribus & honoribus percoluit; misitque Hagam *Iacobum Vlfeldium*, Senatorij Ordinis; & *Ioannem Cariseum*, Jurisconsultum; ut *Batavorum* Dignitati, & Securitati consulerent; ac summam Pacis rationem haberent. Legatione Pacis auditâ, *Brandeburgicus, & Palatinus Rheni*, omnia officia amicitiæ, per Oratores, *Batavis* polliciti sunt. Fecerunt idem *reliqui Germaniæ Principes*; qui in eâdem causâ erant; & propter Religionis dissidium,

dissidium, alienati ab *Iberis* putabantur. Hoc Congressu res exitum non invenit, sed tota penè fluctuavit. 1607.

Ad Annalium munus pertinere arbitror, Mortes Illustrium; ut Posteritatis Memoriam, vel Infamiam consequantur. Eodem Anno, in *Franciâ Beleureus* missus à Rege, ad animos *Helvetiorum* perspiciendos, liberorumquè Populorum. Munus pro Rep: susceptum explevit. Exploratâ ejus Fide, & gravitate, in tanto Officio, tantoquè munere, ad *Pratura dignitatem* provectus, semper studuit æquitati magis, quàm Juris Civilis Subtilitati; qui vi Morbi, & Senio confectus, vitam amisit; honoribus magis, quàm Opibus cumulatus. Is vir in Legationibus, & Magistratibus, magno usui Reip: fuit, in quâ tuendâ Curam atque Providentiam singularem adhibuit. Pro sapientiâ, ac luce dignitatis suæ, & pro ingentibus Meritis, ampla præmia accepit; ejusquè Mors, vitæ consentanea, magnum dolorem, & desiderium *Gallis* attulit. In publico luctu, ad Exequias cohonestandas, Funusquè decorandum, Clarissimi viri Principes, Senatus Parisiensis, Pullo amictu convenerunt. *Martia Pruneria*, fidelissima Conjunx, liberiquè afflicti luctu, honorem debitum Patri præstiterunt; præclarumquè *Monumentum Marmoreum*, ad Memoriam vitæ gloriosæ, piè posuerunt. Noteturetiam *Henrici Regis egregium dictum*; cui cum *Beleurenm*, Authorem Senatus, extinctum referretur; & *Curia Præsides de Præturâ contenderent*, prompto animo respondit, *eum adhuc vivere apud Verum*; *Effigiem Morum, Doctrinæ, Pietatis, Virtutis, Ingenij*. Quo Dicto, illum ad hujus Officij magnitudinem adhibuit; ac publicum luctum, hujus Viri honore, levavit; cui nullus honor tribui non debitus poterat, ob singularem Industriam, Fidem, Gravitatem, Constantiam.

In *Britanniâ*, *Maria Regis filia*, subitò erepta, Regiam Familiam debilitatem reliquit. *Dolore quoq; Calculi, obijt Ioannes Pophamus*, rerum Criminalium Judex; homo & honoribus *Iuris Municipalis* ornatus, & summâ virtute præditus, cum depravatis Moribus bellum gessit; Majorum Continentiam dilexit; hujus Sæculi Insolentiam asperè increpuit; *Calamistratos, & Comatos, qui Crines Flexos, per totos humeros effuderant, quoties sibi occurrerent, adhibito Tonsore, & Capite raso deturpavit*: Effractores Fures, latrones, & receptores eorum, severissimè coërcuit. Æde expilatâ, pecuniâ ablatâ, hominibus occisis, apertè reos Spe & Metu tentavit, ut Conscios ederent, qui affines Sceleribus fuerant; & illicitas Societates facinorosorum: unde multos à Socijs indicatos, nihil ejusmodi cogitantes, comprehendi, & in Carcerem duci jussit. Cæterum *Virginea Borealem Coloniam*, operâ ac Consilio fundavit; & *Populi Britannici* nomeo auxit; cujus Authoritate, & Exemplo, nunquam intermissa à liberis, Amicisque, fundamenta firmissima illius *Coloniæ*; qui grati in ejus Morte decorandâ, *Statuam & Monumentum* posuerunt, ad Paternæ virtutis memoriam. Mors verò ejus, non privato Statuæ monumento, sed magis funere publico, ornamentoquè quàm amplissimo, ad Memoriam Posteritatis sempiternam, fuit honoranda; cum ita de Rep: meritus sit, Sapientiâ, ac incredibili, in Legibus interpretandis, Æquitate, ut quàm amplissimè decorari debeat. In ejus locum, *Baroduni* Comitis precibus, suffectus est *Flaminius*, cum *Pophamo* intelligentia Juris non comparandus. *Ioannes Fortescutus* (de cujus doctrinâ sæpè retuli) Senectâ invalidus, gravi fortiquè *Apoplexiâ* excessit è vitâ.

Ioannes Reginaldus, homo doctissimus, in maximo *Academia* munere, *Oxoniæ* mortuus est. Omnium mortalium fama celebravit summum ingenium ejus, summamquè doctrinam, in notandis perversæ atquè impiæ Religionis Erroribus; & Acumine scribendi, *adversùs Bellarminum*; ac singularem Modestiam, Constantiam, Pietatem, Morum, vitæquè Integritatem. Is vir de re Literariâ optimè meritus, humeris quasi universæ *Academiæ* elatus est; certantibus inter se Studiosis, ut extremum illud Præceptori optimo Pietatis Officium præstarent. In primariâ urbis Basilicâ, beatæ Mariæ sacrâ, *Isacus Vacus*, *Academiæ Orator*, *defunctum funebri laudatione* prosecutus est, pro dignitate summi viri. *Clerus Romanus*, infensus gloriæ viri, extinctum latè atquè insolenter tulit.

Penelope, *Essexij Soror*, insignis formâ fœmina, cui omnes Corporis, Animiquè dotes contigerant, præter Pudicitiam, in ipsâ curâ, ac meditatione *Devonij Conjugis*, decessit; in quo ab Adolescentiâ summa fortitudo, eximia virtus, singularis Humanitas fuit; & mansura hæc, nisi infaustum Matrimonium cum alienâ Conjuge contraxisset; Jus Matrimonij castum & legitimum violasset; Nobilissimam familiam disturbasset; ac Sobolem in alieno Matrimonio conceptam, in suam familiam inseruisset, propter Similitudioem Oris, ac totius corporis. Hoc Impudentiæ genus non est ferendum publicè, aut privatim, ne latiùs serpat Contagio mali, traheturquè in Exemplum, contrà *Iuris Ecclesiastici* rationem. Crediderunt plerique, *Penelopen* morientem, Filiam, & Natos ejus priori Marito commendasse; ac Prolem suam unicuiquè tribuisse.

RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER DECIMVS QVARTVS.



1608. HOC Anno, *Rex* horrendæ & prodigiosæ Conjurationis memor, *Georgium Gervasium*, Seminarij Alumnum, deprehensum, Supplicio affici jussit, pœnasquè, *Iesuitarum periculi metu*, exegit; ac severo & minaci Edicto, *Papanos sacrificulos Britanniâ expulit*. Scrutatores Portibus ac stationibus appositos monuit, ut peregrè proficiscentes, & redeuntes, aliquâ Suspicione injectâ, *fidelitatis Sacramentum* præstare compellerent; maximè, discendi causâ, peregrinantes. *Romanam Religionem*, diræ Superstitionis, Civibus suis interdixit. Judicibus, Juris reddendi causâ, recepto more, circuituris, in mandatis dedit, ut sinè morâ, sinè metu, sinè largitione, ex æquo bonoquè Jus dicerent; adversùs *pervicaces Pontificios* (qui vulgò *Recusantes* nominantur) vim legum intenderent, ne crescant, aut insolenter glorientur.

Ubi Proceres, & Plebeij in unum convenêre, ut inter se de cunctis negotijs disceptarent, *duo Regna insolubili copulâ conglutinare* perseveravit. *Scotos* gentiles ad Unionem invitavit; qui metuentes, ne antiquum Regnum in Provinciæ formam redigeretur, publicis literis testati sunt, nolle se absolutæ, liberæquè Monarchiæ honore excidere; aut vetusta Regni sui Privilegia penitùs abolere. Cætera æquis Conditionibus conventura, arbitratu Regis. Is fide, & Obsequio gentis mirè lætatus est. Verùm *Procuratores Civitatum, & multi leguli*, nescio quo errore mentis, *Regnorum sacra Unioni* pertinacibus animis restiterunt; injectis ambiguis disceptationibus, & scrupulosis de *Iure Municipali, ac Prærogativâ, seu absolutâ Regis Potestate*: & Scotos illiberali Cavillatione abalienarunt. At in *Comitijs Scoticis* nemo unquam repertus est, qui *Anglicæ genti* petulantius Convitium dixerat; cuncta ibi inimica, hostilia, penitùs abolita, Reverentia *Principis*. Rex maximâ indignatione motus, quod nec Auctoritate, nec gratiâ, scrupulosos homines, decertantes flectere posset; *Prætorem* virum peritissimum Privati Juris, ac publici, & Judices *Quadruplicis fori*, ad Disceptandum in re præsenti vocavit; *Quid agendum esset, ut Unione potiretur, & deferret Scotis Ius Civitatis, & Regni Privilegia, quæ nimiùm pertinaciter negabantur, ob exitiabiles inter gentes discordias?* Respondit, *Iure Regni, apud Anglos, Regem Munera, Honores, ac Beneficia omnia conferre; Comitia convocare; Proceres & Plebem ad Comitia vocare; Peregrinæ conditionis homines Civitatis Iure donare; Naturalitatis autem Ius, ad Principis Prærogativam non pertinere; sed Comitiali Auctoritate præstari solere.* Consuluit, ut quæreretur, *An Iure, & legibus Angliæ, Scoti post Successionem Regni nati, Cives, vel Peregrinæ Conditionis homines essent? ac definitivè Veritas judicaretur.* Hæc Forensis disputatio magis è dignitate Regis visa est, quàm in Comitijs, verbis disceptare. Placuit Juris disceptatio. Causa, Exempli Raritate, Juris ambiguitate, & Judicij magnitudine, fuit illustris; quâ *Ricardus Colvillus*, cum in Scotiâ natus esset, post susceptum à Rege Imperium, Bona immobilia, *Londini* sita, petijt. *Ioannes Bingleus, & Ricardus Griffinus*, contenderunt, Petitioni Actoris locum non esse; nec Alienigenam, Jure communi, Indigenam, Actione in rem convenire posse; vel usurpare Anglica Jura. Omnis ferè Disceptatio, Contentioquè erat, *An Actor in Scotiâ natus, gente dissonâ legibus, Moribus, Institutis, & sub Ditione Regis Scotiæ, Ius legitimum persequendi Hæreditatem, in Angliâ haberet?* Lis contestata fuit, *Alienigenam non esse, in Regno regiæ Ditionis ortum*; & in utramquè partem magnâ Contentione dicendi agitata. Consederunt *Iudices Quatuor Curiarum Prætorij Vestmonasteriensis, in Scaccario*. Ingens utrinquè Advocatio, numerosa Subsellia, & densa circumstantium turba. Tandem ubi Silentium, per Præconem, factum est, Judices, aliquot dierum spatio, eleganter disseruerunt; *ex utrâque gente, Edicto Regis, in Primordijs Regni, unum Populum, & Regnum unum factum totius Britanniæ; ac Insulam universam in Unius Regis Imperium, rarâ fælicitate, recidisse. Quæ edixit, quæ decrevit Princeps non parvi momenti ducenda. Scotos ideò, in Ditione Regis Angliæ sub communi Domino natos, Subditos, non Peregrinos censendos; danda ijs Regni Privilegia, Amicitiæ, societatis Iura; ita Regna coalescere Concordiâ, & Charitate posse.* Contrà disputabant consultissimi viri, Anglici Juris, & Antiquitatis, Judicum fidem elevantes; *Nullam Postnatorum rationem habendam esse: nec communicanda ijs Regni munia, priusquàm Iura, & omnia Regnorum Instituta coalescerent.* Negabantq; *sub Ditione Regis Angli Postnatos nunc nasci, licet Scotia Imperij pars esset.* Res acta est concertione in disputando pertinaci;

pertinaci; subtili Distinctione *Ligeantiæ Regis Angliæ & Scotiæ*; Argumentis plurimis; & mirâ domesticæ Eloquentiæ varietate; & diversitate rationum; quas acri magnoque Judicio Præsides ab origine, causisque primis repetunt, pensant, & diligentissimè perpendunt. Causâ cognitâ, Eventus Judicij fuit, *ut Postnati Civium numero censerentur; in adeundis hæreditatibus; cunctis Regni Privilegijs fruerentur; agerentque promiscuè tàm in Rem, quàm in Personam. Antè verò Nati, in pristinâ status Conditione manerent.* In hanc Judicum sententiam, *Prætor* quoquè maxime inclinavit Audientium animos, luculentâ Oratione, quæ impressa extat, legitur, describitur; asseveravitquè, inspectis rationibus, *nihil Petitori Peregrinitatem obstetisse; seque ejus rei, qua peteretur inprimis, Actionem esse daturum in Cancellariâ. deindè Sententiam Definitivam in favorem Postnatorum.* Quod factum est sollicitè; hodièque idem Jus usurpatur; daturque ijs in Rem Actio, nec pœnitet. Quæ acta gestaq; sunt à Judicibus, ut major Auctoritas haberetur, *Rex* comprobavit, non suâ voce, sed *Prætoris* constantis & recti Judicis suffragio. Congruens erat, meo judicio, *eandem Immunitatem Antenatis simul & pariter indulgere.* Cur enim liberis amplior honor, quàm Parentibus haberetur, non video. *Naturalitatis* tamen illis *Privilegium* concessum non est; posteaquè cæpit, pro Beneficio, dari *Principis* familiarissimis, Comitiali Auctoritate. *Comitiorum* tempore *Ioannes Covellus, inprimis peritus Iuris Cæsarij, & Municipalis, de Verborum significatione, librum edidit*, qui inscribitur *Interpres*; & velut Cunabula Juris *Anglici* continet. Qui liber *Ordinibus* parùm gratus videbatur; quasi in verbo *Rex*, & verbo *Prærogativa*, Comitiorum Auctoritatem enervaret; ac Regis solutam legibus potestatem suprà modum extolleret. Eâ velut Contumeliâ tacti Ordines, *Covellum* accusarunt, ut parùm integrè, atque inconsideratè scribentem, & objurgarunt ut Errantem. *Rex* pariter offensus culpâ atque indignitate scribentis, in asserendâ libertate dispensatoris Regni, in verbo *Oeconomus, suam quoque de libro Censuram*, per Quæstorem *Sarisburiensem*, Ordinibus exposuit; posteà Edicto prohibiturus. Author offensas æquo animo tulit, ac conscribendis libris operam dedit; *Institutionesque Iuris Municipalis*, sermone Latino, primus composuit, *ad Methodum Institutionum Iustinianearum*; & universum *Ius Municipale* in Artem redigere, juxtà *Pandectarum* Ordinem, animo intendit. Egregium certè opus, & *Augusti Iacobi nostri* sæculo dignum, si perfectum reliquisset.

Hoc Vere, *Oppidum sancti Edmundi, apud Icenos*, inopinato Incendio afflictum est. Nam ignis, seu fortuitus, seu culpâ inhabitantium, seu fraude humanâ, conflatus, horreum corripuit; undè vastissimum Incendium, violentiâ Ventorum, latius sparsum; ad proximam usquè lucem, in Tecta & domos passim sævijt, cunctâ latè depopulans, *stragem 160 ædificiorum edidit*; multaquè bona privatorum mobilia absumpsit. Cives, pretiocissimam partem fortunarum suarum, *in Puteos* conjecerunt; undè *Aquæ inopia* Incendio arcendo. evocati *inquilini*, ut Flammam vel Mercede, vel gratiâ extinguerent. ex *Vicis* undiquè ad compescendum Incendij casum concursus fuit, cum *hamis, & Dolabris*; neque extingui potuit, solertiâ hominum, Aquâ, aut alio humore, donec residentibus Ventis, suâ sponte placatum est. Asperrimus casus, *Plebejorum* Misericordiam, Studia *Procerum*, largitionem *Principis* facilè commovit. *Rex*, inspectis ædificijs, præcipuâ charitate adversum Casum solatus est; *Quingentos Carros, lignis & Sarmentis onustos, misit, ad reficiendas Privatorum domos*; *Tributa ad tempus remisit*; *Afflictis specialiter Diplomate indulsit.* & Finitimas Provincias, ad subveniendum, honestissimo exemplo excitavit; Nemo simulatione Inopiæ usus est. *Contermini Equites, locupletesquè generosi, tanti mali Spectatores, damna Incendij, ruinasquè, liberali Collatione pecuniæ refoverunt.* Civitas Regia plurimùm in Afflictos Misericordiæ effudit, Subsidiaquè rei pecuniariæ contulit, permotis Civium animis, vel spontè ad ferendam opem inclinantibus: insuper id omnes, promptissimis animis, præstiterunt. *Iacobus Montacutus, Capellæ Regiæ Decanus*, Aulicâ gratiâ florens, *in Præsulis Bathoniensis defuncti locum suffectus*, posteà ad *Vintoniensem Episcopatum* pervenit. Is *Lambetha, à Cantuariensi consecratus*, Epularum Magnificentiâ, aut verius immoderatâ Luxuriâ, bonorum animos graviter offendit; quoniam Modestiam, quæ in *Præsulum Convivijs* versari solebat, non servavit; & inchoatam à se Lautitiam Posteris exemplum reliquit. Interfuêre huic Convivio *Henricus Princeps, Carolus Dux Eboracensis*, unàque discubêre *multi Aulæ Proceres*: proindè Epulæ illius diei, sumptu & curâ majore apparatæ. Itaquè nonnulli in Convivium adhibiti, non se *Antistitis* Convivium, sed *Satrapæ* videre arbitrabantur.

Richardus Nelus, primùm *Roffiensis Episcopus* electus; deindè *Sarisburiensis*, gratiâ *Caventriensis, & Leichfeildiensis*, designatus; mox in *Lincolniensis Præsulis* mortui locum suffectus; posteà brevi ad *Dunelmensem Episcopatum* ascendit. Quæ res magnam ei Invidiam conflavit. Ille fretus Aulicâ potentiâ, & Obsequio, hominum ex inferiore Ordine Odium contempsit; non minùs in domesticis sumptibus parcus, quàm in reparandis Ecclesiæ ruinis profusus.

Libet nunc *Comitis Dorsettensis, Quæstoris*, mentionem facere; qui jam grandis natu, & ferè *Annorum* LXX, non vulgari genere mortis absumptus est. Is namquè Auctoritate, & Prudentiâ præstans, sed *Ioannis Leusoni Equitis* odio ardens, eum Accusatione gravi perdere intendit; magnâ expectatione Senatus, & cupiditate audiendi, quid hic vel ille diceret. Secutus est memorabilis eventus. Cum *Quæstor* acturus, ea quæ secum commentatus esset, in Scripto Libello, Memoriæ causâ, animo intento legeret, ac Vocem præpararet, *ortâ Caligine, subitaneo morbo correptus, & subindè collapsus, crebro anhelitu in Senatu expiravit*; jacuitquè immobilis, & extentus sine Mente, ac sine ullo Sensu, ut ego

 conijcio,

1608. conijcio, Spiritu obstructo: multùm gaudente *Leusono*, quod ex vultu notari poterat. Itaquè fuit exitus ejusmodi; Ingens Silentium in Senatu factum; trepidatum à Circumstantibus; de Reo nihil pronuntiatum; fragilitatis humanæ meminisse exemplum admonet; & minore studio retinendam vitam, cujus tàm caduca possessio, varijs discriminibus exposita est. Exanimis, inter servorum manus, in Cubiculum delatus; ubi *adhibiti Medici*, ut experirentur, si fortè *Apoplexiâ* tentaretur, nullâ humanâ ope convalescere potuit. Tumultuoso Nuntio exciti Cæteri domestici, cum ululatu & Clamore concurrunt, stupent, Novitate rei attoniti; lugent Mortem domini Senis; Pavor, Consternatio, & acerbissimus luctus in familiâ.

Defuncto Patri *filius Robertus Sacuilus, Buchurstia Baro*, in Patrimonium amplissimum successit; qui honorem debitum Patri præstitit, in ejus morte decorandâ. Ipse paulò post obijt, relicto filio *Ricardo*, omni & Virtute, & Humanitate ornato Adolescente. Qui adultus, *Annam Cliffordam, Georgij Cambriæ Comitis, sinè virili Prole extincti, filiam unicam, duxit uxorem. Sarisburiensis*, magni in Aulâ nominis, exindè *Ærarij Quæstor* à Rege designatus. Postero die, ingenti Procerum cætu comitatus, *Vestmonasterium* vectus est, ad spectaculum intentis omnium oculis. Apparatæ, celebratæquè ejus diei Epulæ sunt, profusissimo Opsoniorum apparatu, pinguisquè ferinæ copiâ. Ex his *Dorsettensis peritior Sarisburiense habitus; Sarisburiensis Eloquentior Dorsettensi fuit.* Hoc Votum ejus ab Adolescentiâ, ut publico Ærario præficeretur. Qui, *Iacobi* Auspicijs, jam Voti compos, & ultrà Votum rerum gubernacula consecutus, magnifica opera exædificari atquè effici curavit. Coactis Fabris, Operisquè, pretio conductis, *antè Ædem Præsulis Dunelmensis*, in aperto ac propatulo loco, *pulcherrimum Peristylium*, ornandæ Urbis gratiâ, (quod Vulgo *novum Excambium* dicitur, ad Veteris differentiam) Sumptu suo inchoavit; magnâ indignatione Civium, metuentium, ne Commercium omne à veteri celeberrimo *Excambio* eò averteret; quod destinavit etiam avidâ Cupiditate lucri; de quâ re plurimi Versus, qui in illius Cupiditatem facti sunt, totâ Angliâ percelebrantur; quos fiduciâ suâ, & Contemptu Plebis aspernatus est. Sed fefellit eum Spes; at Intentione frustratus, communi Vituperatione non caruit, quod *Vetus Excambium* quæstuosum, inutile ut redderet, tentasset. Fuit ipse *Gulielmus Cecilius filius, Cranburna Vicecomes, qui Catarinam Havartam, facie eximiâ, Suffolciæ Comitis filiam, uxorem duxit.* Hæ Nuptiæ incremento *Suffolcio* fuerunt, *Havartorum* numero & potentiâ ita indies crescente, ut palàm loquerentur homines invidiosè. *Henricus Havartus Northamptoniæ Comes, Privati Sigilli honore auctus*; & quartum dignitatis locum, antiquâ lege, inter Proceres adeptus; haud procul ab Aulâ, *Basilicam lateritiam pulcherrimam, atquè ornatissimam, de suâ pecuniâ ædificavit; & Sanctæ Trinitati consecravit.* Cæterum, pro facultate, quisquè *Suburbium* excoluit; imperante Rege, ut, pro Majestate Imperij, certatim adornarent.

Mox ad Religionem conversus, non solùm observandæ, sed etiam amplificandæ studium ostendit; & præcipitantem Ecclesiam, velut sufflaminavit. In *primis Regni Comitijs*, Nundinationem Aulicam repressit; *antiquato Sceptri Privilegio in Prædia Ecclesiastica, statuit, ne quid sibi, suprà Vulgus, in Sacrum Patrimonium liceret*; & genus illud Lucri è manibus Aulicorum eripuit; Ministris Reginæ, Possessione expulsis. Nunquàm, ex quo gubernacula Regni suscepit, *Ecclesiarum Census*, vacante Sede, in Fiscum, per Procuratores, referri passus est; sed velut *fide commissarius*, Præsulibus suffectis in defunctorum locum, intactos reliquit; cessitquè Jure suo, ut illi Agrorum spatijs ditescerent; idquè cum insigni Proventuum Regiorum damno. Ecclesiam pacatam *eadem Rituum sacrarum formâ* ornavit; unde contumaces *Catharos* coërcuit; dubios confirmavit; benemerentibus gratiam retulit; *Præsules* creavit Justitiâ & Pietate insignes; præter paucos *qui redemerant pretio Ecclesiasticos honores*: proximum Deo Immortali, & summis Proceribus honorem, Præsulibus habuit; eorum Dignitatem, & Commoda, omni Occasione promovit; *Iurisdictionemq́; Ecclesiasticam* labantem confirmavit. Undè vehementissimæ *Contentiones inter Clerum, & Iudices sæculares* extiterunt. *Bancroftius, Archiepiscopus Cantuariensis, Primas Angliæ*, cum Sacerdotum frequenti globo, Regem adijt; qui unus in eâ causâ Judex esse poterat; palàmquè *questus est, sacram Iurisdictionem ad Regia Tribunalia dilapsam; vetusta Ecclesiæ Iura violari; ac multa universo Regno damnosa, per Sæculares Iudices agitari. & penès illos Sacrarum profanarumq́; rerum potestatem esse sinè More, sinè Exemplo.* Respondit Rex, *Iura Ecclesiæ sibi curæ fore, & in tàm justâ causâ non iniquum Iudicem futurum.* Ex Decreto Consilij, diem dixit, ut de Quærimonijs ad se delatis cognosceret. Res summâ Contentione acta est, per Triduum, in frequentissimo Senatu. *Ioannes Bennetus, Equestris Ordinis, & Cantuariensis Præsulis Officialis, Ecclesiasticam potestatem tutatus est*; disseruitquè, Causas sacras, inter profanas lites cognosci, dijudicariquè; & ab *Ecclesiastico Foro ad Sæculare*, Interdictis (*Prohibitiones* vulgò indigitant) avocari; Jura Ecclesiæ, per tot hominum sæcula, tot Regum ætates, inviolata servata, nunc labefactari. Qui satis æquo animo est auditus. *Pro Regiorum Tribunalium Iurisdictione Eduardus Cookus, communium Placitorum Curiæ Iudex, verba fecit*; questusquè est, *Episcopos*, reliquosque Judices Ecclesiasticos, *Iurisdictionem suam*, contrà Jus, legesquè, nimis dilatare; Regiam imminuere; Jus Municipale, fulcrum Coronæ, columen Civium, subruere. Impetus, Contentioquè dicendi hominem vehementem longius tulit. Interrogatus à Rege de *Iure Municipali*, ejus sensu, & Potestate, *An à communi Sensu, & ratione abhorreret?* Stultâ Arrogantiâ exultans homo amentissimus, Contumaciter disseruit, *Anglicam Iurisprudentiam*, Misterium, Jurisperitis solis pervium; & Artem Vulgo ignotam, salubriter propter utilitatem hominum introductam.

Crescente Irâ, quæ animi Judicium solet pervertere, quasdam verborum faces admovens, *Regem* 1608.
Contumaciâ responsi irritavit; qui *Coke* ostensus, propter crebras Contradictiones, Arrogantiam Oris, & Contumacem animum, graviter exarsit; asserens, in Ambiguitatibus, quæ ex legibus, aut rebus judicatis proficiscuntur, omnem interpretationem Adulterinam, quæ à Communi sensu, aut ratione abhorreret. Et instititit coercere, palàm objurgans, magno Senatus pavore, ac silentio; minans etiam, si in Conspectum suum posteà veniret. Tum demùm *Cokus*, hâc voce Regis perturbatus, illam suam singularem Impudentiam introspexit, Flexitquè Cervicem, & genua; confessus imprudenter se lapsum; ut ignosceret, suppliciter postulavit. Oratio fuit summissa, & infracta. *Sarisburiensis, Northamptonius*, multiquè alij Proceres, qui gratiâ plurimùm poterant, *Regem* obtestati sunt, ut Misericordiam caperet Erroris magis, quàm culpæ. *Rex* eorum precibus permotus, veniam dedit expectanti Exilium, aut Carcerem. Priore Actione nihil constitutum est; rem distulit totam in magis idoneum tempus. Judices *Iuris Municipalis* secretò castigavit, quod Limites Jurisdictionis suæ, quæstu aut Ambitu, transilirent; ac Judicia Ecclesiastica, crebris prohibitionibus, contrà Jus Fasquè, turbarent; monuitquè *Præsules*, ne Curijs Regijs quicquam derogarent. Id si in animum inducerent, ex præteritis suis Officijs reliqua sperarent.

Eodem tempore, *Cognitio de Incesto Flagitio, in Foro Ecclesiastico suscepta*; quia, Jure Regni, *Incesta Sororum, & Filiarum, supremo supplicio non coërcentur*. Filia *Grangei Eirenarchæ*, Patrem funestæ libidinis apud Pontifices invidiosè insimulavit. Causâ cognitâ, Decreto eorum, *Incesti crimine liberatus est Pater*. Nescio an innocens evasit. Filia jussa est Sacris abstinere; & apud D: Pauli Crucem, Pænitentiam maximæ culpæ profiteri; Tunicâ albâ, accensâ tædâ, ac frequenti Concione, à Numine, & Patre suo quoquè veniam poscere, maximo clamore, atquè Convitio nonnunquàm Plebis.

Hoc etiam tempore, multi *Angli, Batavi, Dani*, maritimi Prædones, barbari naturâ & moribus, in *Africam* delati, cum *Turcicâ gente* efferatâ Arma impiè consociarant. Mercatores, à Piratarum metu, & suspicione alienissimos, invaserant; & Christianis Commercium *Maris Mediterranei* ademerant; multos Captivos in *Algira* optimum tutissimumquè Portum, abduxerant; fiduciâ virium, *Hispaniæ* littus latrocinijs immaniter fædaverant; non tàm hostes hominibus, quàm Deo immortali. *Vardem, Exul Anglus*, egestate coactus, in ea *Africæ* ora Piraticam fecit, ex eâque Opes summas nactus, oram *Phocensis Provinciæ, Hispaniæ, Italiæ, Insulasquè Inferi Maris*, excursionibus, & maritimis latrocinijs infestas reddidit; *totam Europam* terrore sui nominis implevit; & *Christianos*, expilatis mercibus, acerbissimâ morte, crudelissimâque servitute afflixit. Iste tantâ prædâ auctus, Mancipijs, Auro, Argento, multò diligentior ad Classem ornandam, Prædonesquè alendos esse cœpit. Quibus rebus permoti *Iberi, Itali, Franci*, de ejus injurijs questi sunt. *Rex* maritimis latrocinijs infensus, Edicto adversùs Prædones proposito, *Archipiratam proscripsit*, nisi animo Quæstuquè illo deposito, Pænitentiam prioris vitæ profiteretur. *Mercatores Anglos* coegit, Sponsionem facere, ne clandestino Commercio cum Prædonibus inito, Quæstum facerent. Intereà virium accessio Spem majorem Piratis adjecit. *Franciscus Verneus*, Equestris Ordinis de honestamentum, exhaustus, atquè egens, discedere à Patriâ, & novam tentare fortunam constituit; & cum paucis, quos sui Consilij participes fecit, *ad Vardeum trajecit*; sequè illi conjunxit. Posteà Conscientiâ sceleris, & furore ex Maleficijs concepto, *à Christianâ Religione defecit*; & Maritimi Imperij partem obtinuit. Quâ tàm impiâ, tàmquè probrosâ defectione, se æternâ Infamiâ commaculavit. In tanto *Prædonum* latrocinio, tantoquè periculo, Ludovicus *Faxadus, Philippi Regis Præfectus*, & Oræ maritimæ Curator, ad Piraticum furorem armis coërcendum missus; repentè per Speculatorem cognoscit, *Piraticam Classem*, aut totam, aut magnam ejus partem, esse in *Portu Goletta, haud procul à Tuneto*. Indè consilium cœpit *Classis improvisò absumenda*. Post Solis Occasum, *Tunetum* occultè petit; ne Prædonibus metum afferret, noctè intempestâ *Golettam* appulit; *ac xx eorum Naves, Pice & Sulphure, in Portu Tunetano, incendit*; Oculosquè Prædonum terrore noctu micantis flammæ perstrinxit. Ex illo Numero reliqui metu affecti, celerrimè effugerunt. *Vardem Archipirata*, qui illis Navibus Præpositus fuerat, cum se circumventum cerneret, Classe amissâ, effugit. Qui elapsus ex *Iberorum* manibus, *Turcas secutus, & Mohometis Sectam* diræ Superstitionis professus, adversùs *Christianos* magno ijs usui fuit, peritus maritimarum rerum, *Portuumquè Africæ, & Europæ*.

Quod posteà quàm *Iacobus Rex* cognovit, in severitatis tenore perseveravit, & *Piratorum* rationem habere cœpit. *Iouingum, Prædonem, in Hiberniâ*, à Tomuntiæ comite comprehensum, & *Novemdecim Prædones*, Africanæ direptionis participes deprehensos, convictosquè criminibus, & testimonijs, *suspendi jussit*; ut Spem salutis in eo numero reliquis demeret, si deprehenderentur. Nec diu superfuit, *Vardem Prædonum dux*; & selectæ defectionis ultorem habuit Deum. Nec *Verneus* meliore famâ aut Fortunâ fuit. *Philippus*, devictis Prædonibus, pacatoquè *Mediterraneo Mari*, quantas maximas potuit, gratias egit *Britannico Regi*, quod ejus maximâ operâ, & singulari Prudentiâ, Prædandi licentia severè coercita esset, & Prædonum improbissimorum Societas.

Iacobus, cum de consilij sententiâ, Edicta hoc Anno promulganda curasset, ut in Annonæ difficultate, summâque Inopiâ rei frumentariæ, Alimentorum pretia imminuerentur; & Comitia comperindinarentur, tantùm valuit utriusq; Edicti auctoritas, quantùm debuit; ac carissimam Annonam repentè,

1608. repentè, nec opinata Vilitas consecuta est; Civesquè magnam frumenti Copiam advexêre, *Sarmatiâ Londinum.* Ex decreto Senatus, & Auctoritate Judicum, *ædificandi quoquè licentiam in Suburbijs* coërcuit, velut Civitati damnosam, ac causam subitæ Caritatis: & *Popinarum frequentiam* per Provincias; ne Effractoribus, Furibus, raptoribus hospitia præbeant. jussit per Eirenarchos huic rei consuli; minatus, si qui in Officio deliquerint, ab ipsis rationem & vindictam exigendam. Alimento ignis accessit etiam pretium. Itaquè *labenti Sylvarum honori, novo Edicto consuluit.* Nam Sylvarum decus tueri, nulli magis credidit convenire, quàm sibi; ob Navium tutelam, Necessitatem Reip:, & Voluptatem Ferarum Silvestrium.

Georgium Huminm, Baroduni; & Philippum Harbertum, Mongomeriæ, Comites, Amicorum intimos, fidissimosquè, in *Periscelidis Ordinem* ascivit; qui quidem hanc Benevolentiam Aulicis Ministerijs meruerunt; huic Assensione *Favoris*; illi fremitu *Invidiâ* obstrepente Plebe: namquè *Herbartus* à primordijs Regni, nullum ergà *Regem* amoris inditium omisit. Grata erat *Regi* Pietas ejus, Civibus innoxia.

Eodem Anno, XIX *Februarij*, Tamesis, contrà Oceani naturam, statâ vice decrescens, invehi cæpit, & intumescere, ac paulò post reciprocare, aquis in Mare recurrentibus. Ibi paulùm retentus, rursùs exæstuans impelli cæpit, & Æstus est secutus; bis in horâ, alternis auctibus, & diminutionibus, crevit decrevitquc Fluvius. Visum est id palàm, & cum summâ Admiratione spectanrium miram mutati Æstus naturam, vicibus alternis. Plerìquè cernere ipsos crediderunt Iræ Numinis inditium. Sed ubi rursùs flumen exæstuare cæpit, statam servavit vicem. Scrutari ignotam vulgò Oceani naturam, nolo, aut causas adversantes ventos, obviumquè æstum, quæ tantum Miraculum effecerant. Quæstionem altissimâ indagine dignissimam, rerum Naturalium Speculatoribus relinquo. Mihi abundè est satis expressisse, quod factum est.

Potest & *Martini Bondi*, Portam Civitatis Orientalem, vetustate dilapsam, publicâ impensâ reparantis, Casus videri memorabilis; *Qui in Ruderibus Muri, fortè antiquos Romanorum Cæsarum Nummos invenit*; in cujus rei Memoriam, fecit Monumentum, *pulcherrimum Aquaductum*, ex Quadrato *lapide*, Inditium *Numismatum*: cujus in fronte, non longè à Portâ, *Imagines Cæsarum*, cælatas opere eleganti, ac summâ Arte, *Nomina Imperatorum* literis Aureis inscripsit, *Clodij, Albini, Vespasiani, Domitiani, Carausij, Trajani, Valentiniani*; ut de Inventione *Numismatum* nemini dubium esse posset; ac præfuisse huic Negotio publicè *Bondum*.

In *ulteriore Britanniâ, Matthæus Tortus, Author Libelli contrà Apologiam serenissimi potentissimiq́; Regis,* Occasionem dedit, occulti cujusdem Maleficij eruendi, & puniendi. Qui suffusus Malevolentiâ, effutijt, *scriptas à Rege ad Clementem Octavum, Pontificem Maximum, & Purpuratos, Aldobrandinum, ac Bellarminum, literas, plenas Officij, & Humanitatis.* *Rex* ubi videt istius culpæ Crimen; vituperationemquè Inconstantiæ; init Consilium, acrius in eam rem inquirendi; suboletquè fraudem sibi factam, ab *Iacobo Elphingstono, domino Balmerinocho, in ulteriore Britanniâ, à Secretis.* Quod propenderet animo ad Religionem Romanam; quod Naturâ esset cupidissimus; & suspectus antè hujus Sceleris, defunctæ Reginæ literis, eum ad se vocari jubet. Ille ab Amicis certior factus, haud ignarus, quam ob causam accerseretur, in Aulam venit; *interrogatusquè à Rege de literis*, inficiatione occulti Criminis se defendit. *Rex* Dissimulationis facinus aversatus, rogat, ut id facere desistat; ad Culpæ Confessionem confugiat, quasi ad Veniam; Conscientiam suam exoneret; & Regij Nominis honori consulat; admonetquè, ipsam Negationem, inficiationemquè facti, ei nullo adjumento futuram; & Causam esse dicendam. Jam iste hoc Remedio, multis in rebus, usus, & testem sui sceleris nullum arbitratus, in Negatione perseveravit. *Rex* itaquè non ultrà interpellandum ratus, dimisit; advocavitquè omnium Secretorum arbitrum, *Sarisburiensem*; quem *Elphingstonus* nimiâ jactatione ingenij, & avidâ Spe incrementi, offenderat, cum *Erpete* laboraret. Nam providens homo, *morte Cæcilij, Primarij Secretarij locum se acquisiturum speravit. Sarisburiensis*, atrocissimi ingenij, non ulteriorem opprimendi Æmuli Occasionem exspectandam ratus, machinas omnes, ad eum subvertendum, admovet; approbat Consilium Regis; dicit vitâ esse privandum, & ita fieri oportere; sic Famæ rationes ferre, ac postulare; acrius inquirendum suadet. Idem Senatus censet. Igitur *Elphingstonus in Quæstionem vocatus, de literis.* Posteaquàm multis Indicijs convincitur; & frustrà se obniti videt; nec ultrà Crimen sustinere ullo modo posse, Confessionis gloriam amplectitur; & totius rei seriem exponit; *se scilicet, ut Episcopum Vasionensem, gente Scotum, ad Purpuram promoveret, ac Cardinalis potestatem, honorem, Auctoritatem; surrepsisse Regi literas ad Pontificem, & Cardinales; ac Regia Manus subscriptionem, callidâ Arte elicuisse; cum literas multas obsignaret. Eduardum Dromenium Equitem, totius culpæ causam; Titulum Sanctitatis, & cætera Solennia Pontificia Potestatis posteà apposuisse; ne moveret suspicionem Regi, cum Chartam haberet in manibus.* Ita *Iacobus Elphingstonus*, homo alioqui solertissimus, in has Angustias se conjecit; & honoratiorem locum appetendo, proprium amisit. Remoto atquè ablegato *Secretario*, hanc sibi Provinciam poposcit *Alex: Hajus*, Juris & legum ignarus; qui suffragatione *Dunbarri Comitis*, in ejus locum suffectus; & tantâ potestate instructus, hebescere cæpit, Negotiorum multitudine in diversas trahente partes; & minore gratiâ fuit apud Plebem, propter Juris Civilis imperitiam, & ingenij tarditatem. *Dunbarrius* posteà, quod factum suum fædum malignis literis carpsisset, ita Minis perterruit, ut is locum suum, *interpositâ pactione cum Thomâ Hamiltonio*, viro ingenij acrimoniâ, ac rerum Civilium

scientiâ

scientiâ præstante, commutaret. *Elphingstonus* domum remissus ad alios Quæsitores, aliaquè Subsellia, sine Præjuditio causam dixit. Aderat *Dunbarrius*, ut contrà *Reum*, si opus esset, testificatione suâ uteretur. *Reus* jam intellexit, defensionem causæ sibi nihil profuturam; proinde Confessionem suam agnovit, in Tabulas relatam, & Consiliariorum Signis obsignatam. Expensâ Confessione, ad Fanum Reguli, Judicum Sententijs, *Majestatis damnatus, Securè percussus* non est. *Rex Elphingstoni misertus*, mitius cum eo agere cœpit; in Arce suâ servari jussus; & posteà laxius habitus, in suis Prædijs, Hortis, Pomarijs, adhibitis domesticis Ministris, ubi vitam cum Morte mutavit. Homo domi suæ clarus, & Nobilis, nisi Ingenij famam, & familiæ gloriam, *Avaritia Crimine* obruisset. In quo tantum animi fuit, ut *Dunbarrium* liberè læderet; & Auctoritatem ejus sperneret, cum præsideret Senatui; fiscum & Patrimonium publicum procuraret; ac omnem rerum Administrationem ad se traheret. Subverso *Elphingstono*, & rebus ex animi sententiâ procedentibus, jam iste liberius quàm antè Potestate usus est; ut publicè quæ vellet literis juberet, & paulò solutiore animo cuncta gereret. Unus *Alex. Setonas, Fermilinoduni Comes, & Regni Cancellarius*, istius conatibus tacitus obstitit, quantum adversari aut poterat, aut audebat; qui Plebem universam beneficijs multis devinxerat. Itaquè excogitat rem singularem *Dunbarrius*, ut Popularem gratiam *Cancellarij* imminueret; Cives *Edinburgenos* Prætorem Urbanum, majore suo honore, Beneficioquè, eligere; eiquè parere jubet, atquè imperat. Illi *Fermilinoduni Comitem Præfectum habebant*; ejusque moderato Imperio, regimineque læti, alium eligere abnuebant. Cum non satis pro Officij ratione responderent Cives, immoderatiusquè loquerentur, mutationis impatientiâ; præmonebat *Cancellarius*, suam Contumeliam prudenter dissimulans, ut modestiores essent; & *Civi Prætoris Mercatorum potestatem ac Auctoritatem darent*, ne Regis Offensionem Contumaciâ provocarent. Gratum hoc *Dunbarrio*. à Magistratu Populoquè probatus *Ioannes Arnetus, Civis ipse Edinburgensis*; dignior isto Magistratu nemo fuit, Officijs, Fide, Cognatione.

Hoc etiam tempore, *Maxvallius Baro*, qui in *Arce Edinburgenâ* asservatus, effracto Carcere erupit; & in Solitudine latuit. Ibi vetera Odia retrectans, Vindictam paternæ Cædis cogitare secùm occæpit: & ad *Iacobum Iohnstonium*, virum manu strenuum, subvertendum incubuit. Sed cum *Vi* apertâ nihil ad versùs eum proficeret, *Dolo* aggressus est. Misso *Roberto Maxvallio, Nobili Equite, qui Sororem Iohnstonij in Matrimonio habuerat*, ut coràm eo de Concordiâ ageretur, oravit, *ut sibi Iohnstonij conveniendi copia fieret*; ac Conditiones non incommodas, Inimicitias inter Familias crudeliter exercitas finiendi, comminiscerentur, veterum discordiarum accisis radicibus. *Iohnstonius*, firmatâ per Affinitatem cum *Maxvallio Heresiano* gratiâ, omni Observantiâ placare *Baronem*, acerrimum atquè infestissimum hostem, optavit. Sed de Congressu, Colloquioquè dubitavit; ne Juvenis ardens cupidine Ultionis, inopinato Inimici aspectu turbaretur. Neque judicare potuit, quâ mente reconciliatio peteretur. Quæ Amicis suspitiosa videbatur. *Robertus Maxvallius* memorans *Baronis* fidem, Amicitiam, & pronum ad Concordiam animum, vehementer instando pervicit, *ut in Anandiâ, uno comite, Inermi, de Concordiâ acturi, congrederentur*. Fide datâ, & acceptâ, uterquè ad constitutum locum venit, pari Comitatu, & Comitate. Credulitas, quæ in optimi cujusquè mentem facillimè irrepit, *Iohnstonium* minùs sagacem fecit, adversùs fraudem Colloquij. Confirmavit enim Doli Suspicionem Casus insequens. *Carolus Maxvallius*, Juvenis ferox, *Baronis Comes*, cum viri primarij placidè colloquerentur, *Gulielmum Iohnstonum, Lokerbium Philarchi Comitem*, subitò Sclopetti ictu occidere tentavit, qui sibi in discrimine vitæ non defuit. Quandò in utriusquè oculis res gereretur, *Iohnstonius*, ad flammam & Sonum repentinum, erectus, *Proditionem prorlamavit*, & ad defensionem se paravit. *Maxvallius Baro* purgavit se ignaro id factum; in ipso reprehensionem nullam dixit. Finis jurgio quia absentibus ducibus imponi non poterat, convenit, ut uterquè iret, lenire dissidium. *Iohnstonus* concitato equo paulò præcessit. *Maxvallius* aversum statim glande plumbeâ per Renes trajecit, & ictu ferè exanimavit. Ipse ex equo desilijt moribundus; ac genibus innixus, salutis suæ rationem, multis precibus Benignitati Numinis commendavit; & placidum vitæ finem habuit. Potest calamitosus Casus præbere documentum, *Inimicis parùm fidendum*. *Robertus Maxvallius*, cujus fide in Colloquium descenderat, cum Affinem in fraudem deductum, & cæsum videret, incredibili dolore correptus, in *Baronem* mirum in modum excanduit; proclamavitquè, *ubi fides? ubi Religio? ubi pactionis sanctitas?* Quæ à scelere revocare debuit? Ille perpetrato facinore, è conspectu avolavit. Ita *Iacobus Iohnstonius*, familiæ suæ Princeps, ob eximiam fortitudinem multis periculis cognitam & gratiam magnis meritis collectam, Principi & Patriæ charus, circumventus est. Nuntij statim in Aulam missi, qui divulgarent, *Iohnstonium à Maxvallio crudelicer erucidatum*. Rex acerrimus funesti Casus ultor exstitit. *Maxvallius*, destitutus à suis, trepidus ac anxius, latebras circumspicere cœpit. Sed cum nusquàm in *Britanniâ* à Regis irâ fore tutum cerneret; ultrò exulavit, & in *Franciam profugit*. Hæc in Britanniâ, hoc Anno gesta.

In *Vltoniâ* tumultuatum, non tàm inquieto ingenio gentis, quàm Contumeliâ *Georgij Paulette, Equitis Anglicani, Præfecti urbis Deriensis, in Odocotreum Regulum*, qui multis, & varijs Præfecti injurijs accensus, & stultâ ac barbarâ Arrogantiâ elatus, audaci facinore, & *Præfecti* insolentiam compescere, ac suam Injuriam ulcisci decrevit. Igitur ubi primùm visa est Occasio, noctu factâ manu, & convocatis suis Clientibus, desperatis hominibus, Rebellionem cæptavit; repentè, præter spem, effractis Valuis, *Vrbem Deriensem* interceptam, expilatis ædibus, incendit; Militesquè Præsidiarios

1608. obsistere conantes, & in his *Pauletum Præfectum* interfecit, quia ei non mediocriter minatus est Bonorum direptionem, & supplicium. *Culmoram* Oppidum, ubi etiam *Præsidium Anglorum* erat, diripuit; ad prædam suis permisit, ac Odio hostili incendi, inflammariquè jussit. Pluribus simol locis Incendia fecit. Affertur gravis hujus mali nuncius Dublinum; & Calamitatem acceptam, & periculum reliquum, è scelere istius, significans. In tanto tumultu, & tàm gravi Nùncio, ad Arma concurritur; & *Deriensis periculi* similitudo, versatur antè oculos omnium. Fidissimi Subditi, de Pecore, Pecunia, fortunisquè omnibus pertimescunt. *Odocotrem*, audito apparatu *Cicestrensis Proregis*, cum vires ad rebellandum deessent, ex Comitum sententiâ, in propinquas sylvas properè discessit, ubi nefarius Proditor, Author defectionis, in primo Proditionis Actu cæsus; Pænas luit sceleris, Audaciæ, Crudelitatis, & Majestatis imminutæ; & Provincia, istius sceleratissimi Cæde, pacata. Qui Ministri sævitiæ ejus fuerant, supplicio affecti sunt. Itaquè à *Cicestrensi Prorege* præclarè defensa Provincia est, ingenio ferox; neque bellum diu posteà, nequè Belli periculum in *Hiberniâ* fuit. Quippè ab illo provisum est, ne quod esset; hominibus partim *Barbariæ*, partim *Romanæ Superstitionis studio*, in Rebellionem pronis, expulsis. Quietâ *Hiberniâ*; *Vltoniensi Tumultu* in ipso Conatu oppresso; & cæsis vel pulsis *Regulis*, ejecto, fugatoquè *Tironio*; Solitudo in Vicis, vastitas in Agris, fuga Aratorum, deserta, inculta, relicta Arva. Cum crebris Rebellionibus meruissent *Vltonienses*, ut eorum Agros funditùs *Britanni* evertere vellent; atquè ad id exequendum, *Cicestrensis Prorex* paratus, structusquè esset: *Rex* unicum remedium arbitratus est, ad ejusmodi statum, vel constituendum, aut retinendum, *Vltoniam Præsidijs confirmare, Colonijs occupare*, omnibus Vinculis coërcere; rem ad Senatum remisit. Ibi diu deliberatum, *Interesset nè Reip: ut Colonia deducatur in eum locum, necne?* Verissimum *Regis* Judicium confirmat Senatus; comprobat universus Populus; omnes *Britanni* unâ mente consentiunt. *Coloniæ in Agrum Vltoniensem deductæ sunt*, pari numero Anglorum & Scotorum, quò erat multis ante Annis deducta, à *Ricardo Duce Eboracensi*. Agro deserto à *Regulis*, dividendo, dandoquè delegati à Senatu dati; qui *Colonias* idoneis in locis, contrà suspicionem periculi collocarunt: & viros Militares, *Militesquè Anglos* deduxerunt in Agros, qui proximè *Tironij & Tercouelij* fuerant: ac in reliquas innumerabiles Possessiones, abscedentibus *Regulis*, & Agrestibus exactis. *Rex Cicestrensi Proregi*, & summis ducibus, quorum operâ *Regina* omnibus *Hibernicis* bellis usa est, fructuosa Prædia, & amplissimos Magistratus dedit. *Baronibus Tria Millia Iugerum*; Viris Equestris Ordinis *Duo* divisit; Singulari virtute Centuriones, *Ducena, aut Trecena* acceperunt. *Novi Coloni* Oppida, Vicos, Castella, Propugnacula Regni ædificarunt, & Pascua sepserunt. Hoc tempore quàm plurimi *Scoti* eò immigrarunt; Alij sponte, & bonitate Agrorum; Alij Auctoritate Regis adducti, in *Vltoniam*, brevi interjecto Navigationis spatio, trajecerunt; & ibi Sedes fixerunt. Est operæpretium diligentiam eorum recordari, in Provinciâ ordinandâ, Tectis ac Sedibus collocandis. *Hamiltonius Abercornia Comes*, propter virtutem apud omnes in honore, multos *Tribules* secùm advexit, & haud procul *Baunâ flumine* consedit. *Burlaus Baro* occupavit *partem Pharmanachæ*; *& in Macguiri quondam Solo ædificavit Castellum*. Complures Equestris Ordinis, vacuos Agros acceperunt; & Multitudini *Scoticæ*, ad habitandum, viritim diviserunt; qui Cæli clementiâ, & Soli abundantiâ, frequenter ad traijciendum impulsi sunt, cum liberis, Conjugibusquè. Ita *Rex* illam *Vltoniensium* intolerandam ferociam, ratione & Consilio ad Otium, & Quietem perduxit; ac multùm, in posterum, *Securitati Hiberniæ* providit; & permisit delegatis, ut in omnes Provincias, in omnes sedes Rebellium *Colonos* deducerent, ijsquè Agrum darent. *Angli, Scotiquè ejusdem Iuris, Conditionisq;*, in Ultoniensium Regulorum Prædia, fundos, Insulas, Lares, longè lateque diffusi, Communicatione Imperij *coaluerunt, in Vnum Populi corpus*; & Ultoniam, semper antè infidam, aut inquietam domesticis Seditionibus, *Regis Ditioni*, ac potestati subjecerunt.

Item, in *superiorem Clandebojam, & Ardeam, Colonia Scotorum* anteà deducta fuit. *Hugo Mongomerius, & Iacobus Hamiltonius*, Equestris dignitatis, Provinciæ præpositi, propter ubertatem terræ, *eò Coloniam deduxerunt*, quo *Thomas Smithus, Elizabethæ ab Epistolis*, antè deduxerat, duce notho filio: qui Provinciam ingenio *Barbarorum* ferocem, & rebellatricem, subjugere Armis non potuit; irritavit magis, quàm perdomuit animos *Barbarorum*. Isto à ferocissimo hoste *Nealo Briano Arto*, improvisò oppresso, & obtruncato, ea Expeditio velut vana, & sinè effectu fuit. Posteà Ager divisus est, inter *Mongomerium, & Hamiltonium*, qui *Coni Onelij* fuerat. Traducti sunt, eorum sumptu, *Scoti duri atquè Agrestes, cum fæminis, Puerisquè, & multis Iumentis*; ut Culturâ, ac magno labore, terram subigerent. Post paucos dies, quàm maximas potuerunt pecunias mutuati, *Ardeam Peninsulam, & Clandebojam suis Colonis* occuparunt: *Agrestes Hibernos* Agris & Vicis decedere jusserunt; aut abirè quò Terrarum vellent, nisi in Jus Ditionemque venirent. Postquàm vires ad rebellandum non erant, inviti paruerunt. Agrestibus *Clandeboiâ, & Ardeâ* expulsis, *multitudinem Scoticam* in eorum sedibus collocarunt; Provinciam Tectis, ac Hortis exornarunt. Quæ res magnam *Barbaris* Offensionem attulit. Proindè petitus dolo Agrestium *Mongomerius*, Vir fortis, partim trucidavit, partim in proximas Sylvas & Solitudines submovit.

Interim *Gulielmus Smithus*, qui in hæreditatem *Thomæ* successerat, cum pacatam *Ardeam* cerneret, *Scotorum* forti diligentiquè operâ, plùs ex Conditione temporis, & gratiâ Amicorum, quàm ex Jure, ex longo Intervallo repetito, Spei nactus, advolutus genibus Regis, *Ardeam* restitui sibi suppliciter oravit.

Odocotreus fugatur, occiditur.

oravit. *Iacobus Hamiltonius*, prudens & sagax in hâc causá, se acerrimum defensorem ostendit, 1608. cum in Regiâ, tum in Senatu; arguitquè, Jus, propter belli mala, prætermissum in Adventum *Regis*, jam repetendum non esse. *Quo Iure Smithus repeteret Ardeam; eodem etiam Essexiæ Comitem Clandebojam* repetere posse. Et utramque Donationem irritam, propter Conditiones adjectas, *si Armis recuperarent*; Ideoquè *Smithum, suo in Ardeam Iure, suâ culpâ* excidisse. *Rex* primò rem permisit arbitrio *Apolectorum Nottingamiæ, & Devoniæ Comitum*; ubi *Petitor* repulsam tulit. Dein, literis ad *Hiberniæ Proregem* testatus est, *meliorem causam Possidentium Hamiltonij, & Mongomerij, quàm Petentis*. Etsi id difficilius visum est, *Smithus* nihilominùs paravit se, ad petendum rursùs in Senatu, & in Foro. Ubi *Hamiltonius* non minore studio, nequè Contentione causam egit. Disseruit, rem ordinarij Juris, non Cognitionis esse. Hinc Causa ad Judices, legesquè reijcitur. Ex Juditio in Juditium, pari eventu, transitur; & jam *Petenti tertiùm negatur Ardea*.

Dum oppugnatur *Smithus, Mongomerius*, in Agro *Superioris Clandeboja* dividendo, dandoquè *Colonis*, quos traduxerat, Sibi Suisquè liberaliter consuluit; frustrà contradicentibus viris ab *Hamiltonio* datis; quorum ex Consilio divideret. *Hamiltonius*, finitâ Litis Controversiâ, & prope infinito lobore suscepto, non sinè jacturâ rei Pecuniariæ, & temporis, instructus liberaliter, *Dublinum* transiniſit; inde in *Vltoniam* perrexit. Venienti *Mongomerius* obviam, magno comitatu, processit; gratulatusquè est, quod communem causam egregiè defendisset. Ambo Agros inter Populares divisos, Pascua, Sylvas contemplati, cum summâ Concordiâ aliquamdiu egerunt. Verùm ex Copiâ Agrorum, atquè omnium rerum affluentiâ, de Agri Divisione orta inter eos Contentio: pertinacius publico incommodo progressa est. Ubi diffiderent, Arbiter inter eos Finium constituendorum, convenit *Abercorniæ Comes*, omni & virtute, & Humanitate ornatus; coràm quo de Agri Divisione, & terminis disceptarunt. Is utrumquè separatim monuit, ut, omissâ Cupiditate, Controversias finirent. Postquàm non potuit dirimere Contentionem Auctoritate suâ; additis, vel detractis Agris, per Mensores, ut ipsi terminaverant, Adjudicatione Controversiam diremit; & discordes Ambitione, ac vetera Odia retractantes, in distinctis Dominijs, (novis finibus inter Fundos constitutis) collocavit. Utraquè pars, Auctoritate viri mota, aliquamdiu conquievit. Sed certamen acrius mox exarsit; nec Auctoritate Regiâ sisti potuit; donec infinito sumptu coacti, in gratiam redierunt.

Rex quoquè providentiæ suæ oculos in *Hiberniæ Ecclesiam miseram*, neglectamquè convertit; reformatoquè ejus statu, *Præsulibus* non modò antiqua Prædia restituit, sed & Præmia magna adjecit; locupletesquè ex Egentibus effecit; atquè eos in Senatum legendos curavit. *Georgio Mongomerio, Hugonis fratri*, singulari virtute homini, *Ecclesiasticos honores* amplissimos mandavit. Is propter virtutem, non solùm apud *Regem* in honore erat, sed etiam apud *Episcopos reliquos*. *Rex*, nec minore curâ, tenuiora Beneficia, *Scholas, & Ptochodochia, in Hiberniæ regno*, respexit. & cum esset ad se delatum, de Temeritate eorum, qui *Clero*, specie legum, negotium facesserent, Calumnias ex Jure sustulit; ac *Clerum* legis præsidio defendit.

Dum hæc in *Hiberniá* geruntur, *Reguli qui Vltoniâ discesserant*, omnia sua secùm portantes, gravem Temeritatis mercedem tulerunt. Nam cum *Francos, deindè Belgas* adissent, errore longo, Spe vanâ Subsidij, adversùs Ereptores terrarum; aut ad bellum instruendum; aut ad *novos Colonos* Tectis ac sedibus suis expellendos; *Tirconelius*, gravitate Cæli, in periculosum morbum incidit, ex quo non convaluit. *Tironius*, fretus Amicitiâ *Pontificis*, Agros ademptos recuperare; nullis Auxilijs adjutus, in alieno Solo, procul à domo, consenuit, ac Numine plectente, pœnas Immanitatis, Cæcitate exoluit. ad belli munia diutius inutilis, Romæ receptum tutum, Perfugiumquè invenit. Ita impia Proditio Cæcitatis pænâ vindicata est; quam *Pontifex Romanus* nequè probare potuit; nequè damnare voluit: Comitesquè ejus contempti, atquè abjecti oberrarunt, *fugitivi atquè Exules domi nominati*, ob recens Rebellionis Crimen. Expulsis *Regulis*; ejectis ac dissipatis Agrestibus, nequandò exurgere atquè erigere se possent; Novis Colonis missis; nihil diu in eâ Provinciâ, contrà Imperium *Anglicum* factum, aut excogitatum est. Sed non ingenerantur hominibus Mores, tàm à stirpe generis ac Seminis, quàm à Naturâ Cæli Soliquè, & à Vitæ Consuetudine. Proindè *degenerant plerumq. Novi Coloni, in Accolarum Mores, si veteribus Incolis Affinitate, atq. indè Cognatione jungantur; depositâ, exolescenteq. stirpis Memoriâ*.

Hoc Anno, *in Belgio ex Inducijs in Spem Pacis inter Iberos & Batavos ventum est*. Cum Ordines inter se, & Delegati, pari utrinquè numero, in commune consulerent, incidit longa *Altercatio de Libertate, Religione, Indico Commercio, & Ditionis terminis*. Obstrepuêre *Batavi* turbulentis clamoribus, *se non tanquàm Cives, ac Subditos cum Domino, & legitimo Principe, fœdus facere; sed liberas Provincias cum Rege Externo, & hoste, in Pacem atquè Amicitiam venire*: nec ullam Pacificationis formulam admittere, quâ Libertas arctaretur; aut aliqua de Imperio imminutio fieret. Has voces cum audirent Principes Regiæ legationis *Philippi, Archiducisquè*, Auctoritate pronuntiarunt, *Batavos liberos atquè immunes futuros, si Romanum Cultum in Ditione suâ custodirent, servarentquè; & ab Indicâ Navigatione abstinerent*. Illi Præpotentes jam Terrâ, Mariquè; & *utriquè Indiâ*, ac fructuosissimis Insulis Orientis, Classibus imminentes, responderunt non obscurè, *id minimè convenire Libertati, Commercium liberum prohibere; & utramquè Indiam Præsidijs, & Colonijs interclusam tenere; nec Romanæ Religionis mentionem faciendam esse hominibus, in defensione Instauratæ totis viribus perituris. Monueruntquè Congressum Colloquiumquè Pacis, Societatisquè, abrumpendum, si Ius aut Religionem imminuerent*;

1608. *Libertatem, Armis partam, enervare tentarent. Philippus & Archiducis Oratores*, hæc Postulata prætermittere coacti, aliquantum temporis triverunt. Intereà *Induciæ prorogatæ*, dum res ad finem aliquem deduceretur. *Legati, qui à Britanno, Franco, Dano, venerant, cum Batavis seriò egerunt; ne suâ Pertinaciâ, Violentiâ, ac Licentiâ, propinquam Spem Pacis turbarent*; & coràm de Conditionibus honestis disputarent. Authoresque fuerunt, *ut Inducias in aliquot Annos facerent.* Annuerunt *Batavi*, Inducias fieri posse XV *aut* XX *Annorum*: & res, ex Partis utriusquè commodo, componi his legibus, *Si Philippus Rex, per Conventionem, Batavos, gentem Liberam absolutè agnosceret: Instauratam Religionem, & Navigationem in utramquè Indiam permitteret.* Etsi iniqua hæc Postulata videbantur, extràquè fines Legationis suæ præscriptos, tamen *Spinola, & Ricardotus, Principes Baticæ legationis*, Patrem *Najum*, ad explorandum *Philippi Regis* animum, extemplò miserunt. Iste in *Hispaniam* quà proximum fuit pervenit; & in Aulam accersitus ad res edisserendas, Conditiones Amicitiæ renuntiavit. *Rex*, temporis causâ; *Postulata Batavorum* ad Consilium publicum retulit. Ibi plures, intentis oculis omnes Reip: partes intuentes, censuerunt, *nequè ex Dignitate, nec Amplitudine, nequè ex utilitate Catholici Regis esse, permittere Batavis, ut liberi solutiquè Imperio, rebus bello partis fruerentur; Indicâ, & Peruvianâ Navigatione uterentur; Romanam Religionem abolerent.* Alij, Pacis studio, & diutini belli tædio, salva tranquillaquè omnia concupiverunt, iniquis indecorisquè Conditionibus: *Philippum* ratione & Consilio in suam sententiam perduxerunt, *ut permitteret Archiducibus leges Pacis, quas vellent.*

Najus in Belgium cum responso remissus, nuntiavit, *Archiducibus arbitrium Pacis & belli permissum.* Intereà Oratores Regij Expectatione suspensi, præteritorum commemorationi subjecerunt, *ut Mattiaci, Zelandiæ ac Holandiæ Regionum finibus contenti, Brabantiæ, & Flandriæ oppidis Præsidia deducerent; Vrbes Continentis, Philippi, Regniq; ejus essent.* Fremitus indignantium in Curiâ est ortus; *id auditu indignum acclamaverunt Civitatum Principes, Vrbes Armis partas, & Belli Iure captas, in Regiam Ditionem, ac potestatem tradere; ut ipsam Bataviam suis Præsidijs obsideret, atquè occuparet: Aut consultare de ullâ re, quæ ad imminuendum Ordinum Imperium pertineret.* Magnâ Contentione res acta est; & de die in diem prolata. Mitto innumerabiles, & incredibiles *Concertationes de Pace, & Inducijs.* Disceptatio diu mentes dubias tenuit, rebusquè componendis longam & anxiam moram interposuit; quæ mox in Altercationem versa est. Itaquè, cum *à Viâ Concordiæ tàm vehementer abhorrerent Batavi; & Archiducum Oratores nihil proficerent, Veniam redeundi flagitarunt.* Qui benigne & humaniter, re infectâ, dimissi, iter ingressi sunt. *Mauritius*, magno comitatu, *Risvicum* deduxit. Indè digredientes comiter salutavit; & dedit qui prosequerentur; Itineraquè cum curâ demoustrarent. Ad id celerrimæ Naves delectæ, ac *dominus Liranus, & Duvenvordius Præfectus Maris*, qui præessent, missi. Legati, Comitesquè eorum *Dodracum* prætervecti, cum jam Altum tenerent, lævâ Tempestate conflictati, *Lillonm* septum Batavorum præsidijs appulerunt. Indè *Antverpiam*, nobilissimam Civitatem petentes, *Bruxellas* redierunt; deductiquè ad *Archiduces*, de Pacis Conditionibus disseruerunt, in Conventu Procerum: multisquè verbis ostenderunt. *Batavos à Pace vehementer abhorrere, injectâ mentione Cultus Romani.* Deligentia, fidesque *Legatorum* approbata.

Rebus in hoc statu relictis, *Ianinius Præses*, Bataviâ discedens, ad *Francum* retulit, qui status rerum in *Holandiâ* esset. In hanc *Pacificationem* omnes Reges, gentesquè finitimæ, animos intenderant, inter quos potissimùm *Francorum Rex*; cui *Ianinium Præsidem redire in Bataviam placuit, ut cum Ordinum Primoribus aliquam rationem comminisceretur, quâ hæc Discordia Conditionibus honestis consopiretur; graviterquè per Literas increpuit Batavorum Obstinationem, quod Disceptationem de Pace tàm pertinaciter defugerent.* Janinius ad *Hagam* Ducis reversus, inito cum *Britanniæ Regis* Legatis Colloquio, ut unà Paci reconciliandæ operam darent, *Ordines*, inter se dissidentes, ad Concordiam prudenti Moderatione flecterent, ac ad studium Pacis ratione & Consilio inclinarent. Primùm animos *Batavorum*, ad respicienda domestica mala, convertit; ac petijt intereà, *ut Induciæ paucorum dierum renoventur*, dum Controversias dirimendi rationem inveniret. *In Inducias iterùm utrinquè consensum*, Spe Concordiæ restituendæ. *Oratores Francici, & Britannici, Antverpiam, per Præsidia Batica profecti*; ut ibi Paci pro virili consulerent, & cum Apolectis Archiducum, eò evocatis, sermonem conferrent. Qui paucis antè diebus, ijsdem de rebus *Hagæ* disseruerunt. *Batavi* quoquè eò Delectos à Consilio Ordinum miserunt, qui rebus componendis ab initio dati erant. Hi collocuti inter se, quantum ex diuturnitate belli discrimen *universo Belgio* immineret; initoquè cum *Apolectis Baticis* Colloquio, versis subitò voluntatibus, in viam Concordiæ anteà propositam redierunt; ac de *Inducijs longi temporis* rursùs mentionem facere cæpêre, ad *Belgij* salutem conservandam. Apolectis in Consultatione Pacis perseverantibus, iste Annus est finitus.

1609. PRoximi Veris initio, ex Legatorum sententiâ, & Apolectorum utriusquè partis Decreto, *inter Philippum, Archiduces, Batavosquè, gentem liberam, his legibus & Conditionibus, Duodecim Annorum pactæ Induciæ, ut funestum bellum, Cædibus, Incendijs, ruinis, direptionibus Civium finirent; Ditionisquè suæ Terminis se continerent. Ex eâ die, quâ editæ Induciæ essent, Cives ac Inquilini Commercia, Amicitiam, Societatemquè inter se mutuò servarent; abolitâ veterum Simultatum memoriâ. Controversias inter se Iure & Iuditio disceptarent; Vrbes, Agros, Vicos, Castella, quæ antè Inducias, Iure belli, tenuerant, eodem retinerent. Captivos hinc indè redderent. Exulibus reditum in Civitates suas pateret. Prædia Ecclesiastica omnia,*

quæ

quæ comparerent, quaquè ad quemq; pertinerent, Cænobiarchis, & dominis rectè redderentur. Batavi Instaurata Religione uterentur. Per fines Regni Philippi, in Europâ, Mercaturam facerent. Pari cum Britannis Immunitate, ac Negotiandi causâ, in utramquè Indiam navigarent: Commerciumquè cum quibus Regibus placeret, exercerent. Ab Asianis verò gentibus, & Insulis, quæ sub Imperio Philippi, in Oriente essent, Sequè Suosq; abstinerent, nisi licentiâ ejus impetratâ. Arbitri, ex voluntate Partium, darentur, qui Vectigalium impositorum Acerbitatem, utrinq; ex æquo temperarent. Idem Batavi Philippo, ijsquè qui sub Ditione ejus essent, præstarent; eodem Tenore Fœderis semper servato. Multaquè hinc indè, quæ censerent publicè vel privatim utilia, vetita, aut permissa; *Ne manentibus Inducijs, Repræsalia pro Injurijs ac damnis cuiquam, nisi cognitâ causâ, concederentur. Neu alia belli causa quæreretur. Nevè nova Munitiones, in Belgio exstruerentur. Vel Naves bellicæ plures quàm Quinquè, nisi sævâ Tempestate conflictata, ad Iberorum Portus, & stationes accederent. Sed Oneraria Portibus reciperentur; Commeatibus adjuventur.* Additum Induciarum Pactis, *ut Arausionensis familiæ Domini, Comites, & Posteri eorum, per Duodecim Annorum Inducias, Vrbium, Prædiorum, Agrorum, intrà fines Ditionis Batica, fructus omnes perciperent. Si quid Belli jure ijs ablatum sit, conquirendi repetendiq; Ius item esset. Deniquè ut ex eâ die, intrà Quintum diem, ab Archiducibus Induciæ; Auctoritate Philippi, intrà Tres Menses, confirmarentur.* In has Conditiones Concordia stabilita, promulgata quoquè Voce Præconis, sincerum gaudium præbuit. Læta Civitas *Antverpia, celeberrimum Convivium paravit*, adhibitis Legatis, Apolectisquè Ordinum. *Valuitquè apud Philippum pacta cum Batavis Induciarum fides.* Testata posteà per Civitates, Urbesquè Ordinum, clangore Tubarum, *Batavorum Libertas*, ingenti Audientium lætitiâ, quæ causa bellandi cum *Philippo* fuerat. Ita *Batavi* laudem suam omnibus vicinis Regionibus, causam verò *Ibero hosti* approbarunt. Legatos *Britannicos, & Francicos*, pro singulari fide, in præcipuo honore habuerunt; Muneraquè magna ijs tribuerunt. Legati haud dubij, quin *pacati Belgij* penes se gloria esset, domum redierunt. 1609.

Vixdùm peractis *Inducijs*, secuta est alia Contentio. *Clivia & Iulia dux*, animum Deo placidè reddidit; *nullis liberis superstitibus; de Successione disceptatum inter Germania Proceres.* Ex æmulâ Principum cupiditate Incendium excitatum, non sinè motu magno Christiani Orbis, & pernicie *Germaniæ*, ut suo loco referam. Cum hoc maximè pacto in *Belgio* transactum esset.

Iacobus Rex, Henrico Principi, quò celerius publicis negotijs asuesceret, quoquè partem administrandæ Reip: caperet, Senatui interesse permisit: sed *Honorem Præsidis Consilij* decerni ei passus non est, suffragante *Caro* in Petitione. Quidam putant retentum à *Sarisburiense*, admonente, ne honores nimios Adolescenti decerneret. Moderationem, Patientiamquè in administratione Reip: incredibilem exhibuit: *Præsules* adeuntes se, & in *querelâ de Interdictis Iudicum* perseverantes, honorificentissimis verbis excepit. Qui per Triduum auditi *de Iure Ecclesiæ*, cum fori Judicibus disceptantes. *Cokus*, post impetratam veniam consideratius locutus est. Ejus impotentiam imitari nemo ausus. Inter cætera, propter Ecclesiæ dignitatem, *Præsules*, Indulgentiâ Regis, & Auctoritate, obtinuêre, *ut Causa Decumana à foro Ecclesiastico parciùs avocarentur, Interdictis, aut Prohibitionibus:* Judices contenti rerum Sæcularium potestate, intrà suæ Jurisdictionis fines se continerent; ac res merè Civiles administrarent. Curam & Imperium coërcendi Judices, *Prætori Egertonio* demandavit. Hic graviter increpitos Officij admonuit; denuntiavitquè, ne perseverarent *in Licentiâ Prohibendi.* Cujus asperrimæ Orationi, *Cokus* nil veritus Majestatem viri, non minore acerbitate respondit, *Iure licere prohibere; & extare Exempla eorum, qui frequenter prohibuerint.* Rex vultu ostendit, sibi displicere Altercationem, & Impotentiæ voces, Neutri satis decoras; pronuntiavitquè, *ut abstineant illicitis Prohibitionibus.* Posteà Principali Sententiâ lectâ, *Præsules* pro meritis in universam Ecclesiam gratias egerunt; *cæterique Sacerdotes* multas & supplices preces, pro Salute Regis obtulerunt; quod *Ecclesiasticos* tantâ semper Comitate, Indulgentiâque tractaret; Numerum, Dignitatem eorum, & Commoda augeret; Regniquè sui opes, Subsidia firma Ecclesiæ assiduè putaret.

Prohibitiones.

Post hanc Disceptationem, Rei Navalis, Nautarumquè intensissimam curam egit. Classem, multis locis, sed in primis *Roffa*, instructam ornatamque habuit. *Carolum Havartum Notingamium*, ex cunctis Proceribus *ab Elizabethâ electum, ut Classi præesset*, ob hanc causam in eodem honore habuit. Is *Roberto Mansfeildio, & Ioanni Trevero*, Equestris dignitatis, secundam post se potestatem commisit. Qui in Classe instruendâ adhibuêre summam diligentiam. Sed efficere non potuerunt, quò minùs criminarentur. Quam ob causam, in Crimen & Invidiam, *in Villâ Regiâ (Vico-viridi nomen est) à Northamptoniensi Comite* vocatur, & accusantur rem Navalem malè administrasse: *Classis nomine*, per magnam pecuniam corrasisse; Viatque Imperio Nautas & Negotiatores afflixisse; stipendiumquè eorum fraudasse. *Rex*, paucis Senatorum adhibitis adjutoribus, præsedit per aliquot dies, verùm tacitus, magnâ gravitate, ac Constantiâ; & Equites rationem villicationis reddentes audivit. Affuit & Clientibus suis *Carolus Havartus Præfectus Maris.* Princeps hujus Accusationis *Henricus Havartus, Northamptoniensis*, Naturâ vehementior; non honori suo, non Familiæ dignitati consulens; Crimina in Reos impudentissimè collegit, ex literis, & multorum Testimonijs; quæ in *Carolum Havartum Præfectum Classis* collecta videbantur, ut ex omni Curatione rei Maritimæ depelleretur; cujus singularem virtutem *Iberi*; Humanitatem, & Magnificentiam *cæteri Britanni* perspexerunt. *Rex Reis non succensuit*; neque ijs suam purgationem eripuit. Qui sui Juris, Dignitatisquè memores, hâc defensione verecundè usi sunt, *Se nihil ab invitis, per Vim & Metum exegisse; Officio, à voluntate*

1609. *dantium Præmia accepisse. In hoc delicto, culpam fuisse maximam. Northamptonius* commotus, violentius se gessit; & *Reos* verbis vehementioribus prosecutus, *Turpitudinem, & largitionem* inter cætera Crimina objecit: arguitquè vafrè & Malitiosè, *prædatos esse; Classicos, Imperio, Vi, Metu, Injurijs coactos, pecuniam dedisse; vel evidenti fraude circumventos.* Idemquè ejus Comites, & Amici, vultu, Voce, fecerunt. Erat hominum Conventus maximus, summa Expectatio, quònam Cognitio esset eruptura. Dicta per Triduum causa. *Rei, omnibus sententijs, absoluti sunt; quòd magis invidioso Crimine, quàm vero arcesserentur.* Rex eos secretò castigavit, *quod Nantas Quæstui haberent; monuitquè, ut probè se gererent circà Officium suum; & Muneribus temperarent.* Northamptonium quoquè indignantem revocavit ab Iracundiâ; nec quicquam posteà inquiri voluit. Accusatoris Sedulitas, insidiosa plerisquè visa, aut impudens; quâ *Thomæ Havarto Suffolciano*, viam ad Præfecturam Classis impetrandam, munivit. Quod cum *Henricus Princeps Clarissimus*, non solùm suspicaretur, sed planè cerneret, Conatibus ejus enixè obstitit; *& Fratrem suum, Carolum Eboracensem, Præfecto Maris Successorem dari*, decreto consilij curavit.

Sarisburiensis Quæstor, & Northamptonius, Privati Sigilli honore auctus, cæcâ Ambitione velut temulenti, & in simulatione Officij latentes, summâ Ambitione contenderunt, Uter Remp: administraret. Ex quo fonte manarunt perniciosæ Simultates, occultum & intestinum Odium. *Hi Protei* se varias in formas, fallendi causâ, verterunt; & acerbissimum Livorem dissimulatione, ac Taciturnitate texerunt. *Istius* effrenatum animum, importunamquè naturam, *Ille* ad fraudes callidus, facilè cavendo vitavit. *Rex* Munificentiâ, per Occasiones, in Exteros, & Domesticos, exhaustus; propter angustias Ærarij, Prædia vendenda censuit. *Quæstor* metuens Invidiam *attriti Patrimonij Regij*, non vendidit. Data igitur Delegatis potestas, ex Senatusconsulto, ut Agros æstimarent, & ijs vendendi copia fieret, quibus vellent. Hi honunes Auctoritate tenui, *Ministri, & Satellites Quæstoris dominantis*, Agros jucundos, & fertiles, Molas aquaticas, & *permultas Villas venales proposuerunt*, Multitudine Ædificiorum, & Pulchritudine inprimis nobiles. Multi privati, qui Agrum habere, quàm Pecuniam maluerunt, Conditionem accepêre.

Sarisburiensis, Artificio, Potentiâ, gratiâ, præcipuam Auctoritatem in Senatu, in Judicijs, in omni Rep: constituendâ retinuit, cùm vix Ærarium sufficeret solvendo æri alieno, in præsentiâ; augendi Ærarij, & Pecuniæ conficiendæ Novam singularemquè rationem moliri cæpit: Quæ mox in *Rei Pecuniariæ summam Inopiam* erupit; & incidit Nervos *fisci*. Nam *pro excudendâ Librâ Auri*, quæcumquè ex *Barbariâ Africanâ* advecta fuerat, *Quadraginta Solidos* exegit. *Batavi Rei Nummariæ, & coacervandæ Pecuniæ peritissimi Artifices*, aucto apud nos pretio, veterem Cudendi Consuetudinem servarunt; *& Typi nomine, Sex Solidos, veteri More, acceperunt.* Undè Aurum nostrum ad eos pervenit; nequè relatum est ad nos. Intereà *Batavi*, amplissimæ pecuniæ domini, omnibus rebus & modis, constructo ac coacervato Auro prospexerunt, quomodò retineri optimè posset. *Aurei pluris æstimari jussi, quàm quanti in Britanniâ essent, ne referrentur.* Serò documentis apparuit, hæc Inopiæ publicæ esse causa. Cum, sæpè anteà, Majores, tùm *Rex* gravissimo sanxit Edicto, *ne ex Britanniâ Aurum exportare liceret; cum Quotannis anteà Amsterodamum asportari soleret.* & tamen inhibere Mercatorum Avaritiam non potuit; privatum Quæstum publicæ utilitati præferentium; *quorum cupiditati nimiùm angustus Vetus Orbis Terrarum fuit.* In tantâ publicâ egestate, hâc tempestate, privata Opulentia incredibilis extitit. Quippè *Mercatorum* Industria, tantam Copiam Rei Nummariæ in Civitate effecit, ut plurimùm Rusticorum Prædiorum pretijs accesserit; ac urbanorum ædificiorum Magnificentiæ, quæ evidentibus signis apparuit. *Elizabetha* Pecunias à Civibus frequenter mutuata est: sed diversæ summæ. Modò *Decem*; modò x x; semel, *Anno* 1587, *Sexaginta Millia Librarum*, cum Bæticum bellum magnâ Classe, magnisquè Exercitibus gerendum esset. Eo Anno Cives Senatum adierunt, de Inopiâ quærentes: Pecuniaquè *ex Bonis Pupillorum*, in Thesauris reposita, ægrè suppeditata est. *Rex* à publicis Vectigalibus Præpositis *Centum & x x Millia Librarum*, ad certum tempus, accepit! Quibus Pecuniam, quam mutuam dederant, cum fœnore restituit. Hoc Anno quoquè, Civibus non reposcentibus; nec in Ærario credentibus, undè ipsis in præsentiâ salueretur, *Septuaginta Millia librarum, & medij temporis usuras persoluit.* Quo facto se bonæ fidei Principem esse ostendit.

Ijsdem diebus, *Londini* edixit, denuntiavitquè, *Ne Exteri ad Littus Maris Britannici, Insularumquè circumjacentium, accederent, Piscandi causâ; nisi petitâ licentiâ ab hominibus idoneis, Londini, aut Edinburgi specialiter delectis. Id eos ut prohiberent, Monsonio, & Præfectis Navium in Angustijs freti Britannici, est mandatum; aut, si vi armatâ prohibendi essent, Senatum certiorem facerent. Galli*, Verno tempore, ad *littus Britannicum* traijcientes Piscari, *Licentiam Piscandi postularunt, impetraruntquè. Batavi, Terrâ & Mari potentes, libertate partâ, longi Temporis Præscriptione, se frui putarunt oportere; Imperium & Edictum neglexerunt*; Potestatem Piscandi in Mari, Jure Naturali, & gentium, concessam, Principum Edictis prohiberi non posse, asserentes. Hi virium fiduciâ freti, Æstivo tempore, Navicularum ingenti multitudine, *ad Haleces piscandas*, veteri More, *Orcadas* petierunt; & ut anteà, Sale condierunt. Quo Piscatu, Exercitus, ac Præsidia Oppidorum aluerunt; publicos Reip: Sumptus sustentarunt; magnam Annonæ partem pararunt; & invictissimam se palàm gentem prædicarunt. Denique *hac Piscatio Bataeis subsidium belli, adversùs Iberos; Fundamentum*

mentum

1609.

mentum Vectigalium; *Commeatus Militum*; *Solatium Annonæ*; *fons innumerabilis Pecuniæ, atquè immensi Quæstus*. Ex hâc Copiâ nata est illa Arrogantia, *qua Edictum contempsit*; & Abolitionem ejus pertinaciter postulavit. *Batavi* haud recordantes, aut dissimulantes *Licentiam Piscandi, Diplomate Iacobi in Scotiâ ijs specialiter indultam*; Librum extemplò ediderunt, qui inscribitur *Mare liberum*, & dilucidè docet Naturali Jure, ac gentium, Mare omnium commune; *Nec posse ibi aliquem Piscatu, aut licitâ Negotiatione prohiberi*. Sed contraria sententia eorum magis probanda, qui existimant, *Iure gentium, in Mari distincta esse Dominia*; *& Piscationem in Oceano prohiberi posse*. Quæ sententia astipulatores habet, præter Lumina Juris, *Geographos omnes, cuiquè Regioni proximum Mare assignantes*; *ut Gallicum, Germanicum, Britannicum, Ægyptium, Creticum, Arabicum*. Cujus Controversiæ si Decisionem exponere velim, immemor sim propositi. *Batavi*, ubi notas irritati Regis perspexerunt, honoris ejus causâ, *miserunt in Britanniam Oratores*, ut si quid secùs factum sit, quàm debuerint, excusarent. *De inhibendo Piscatu nihil ultrà constitutum*; quia Possessione dimovere *nec facilè, nec tutum erat*; ne ad Potentissimi Regis Obsequium relaberentur, cujus Jugum Cervicibus excusserant.

Ad hunc modum Maritimis rebus administratis, Novum & inusitatum *Spectaculum Leonum, & feri Vrsi, in Areâ Turris*, hâc Occasione, edidit. *Vrsus immanis*, spectaculis asservatus, *Puerum* primæ teneritudinis crudeliter *discerpsit, & dilaceravit*. Ubi Rex compererat Facinoris atrocitatem, *cum Leonibus objici jussit*, in Areâ Turris; quò laxius dimicaretur. Ipse cum Conjuge, Principe, Eboracensi, ac frequenti Nobilitate, ex superiore loco spectavit. *Vrsus* ad spectaculum productus, visis *Leonibus*, cavato Solo ad Certamen se composuit; sed *Leones domiti*, fractiquè Claustris, immanis belluæ speciem exhorruêre, & *in sua Claustra aufugere voluerunt*. Ferarum Curatores, cum consternatos metu *Leonum* animos roborare nullo modo possent, *Sonipedem immiserunt*; hujus vim ut ostenderent similiter *Regi*. Iste cum videret bestias, *Leones, & Vrsum*, in medio stetit, ac pugnam detrectavit. Tum *Bestiarij*, qui Ferarum ministerijs assueverant, *sex Canes Molossos* admoverunt acres, & ad vim promptos. Qui primò conspecto Equo, eum invaserunt; non segniter Dentibus inhærentes, & expediti ad Cædem. Quâ de causâ, *Tres Vrsorum custodes*, per mediam Arenam impavidè progressi, *Canes inhibere, & avellere cœperunt*; & ægrè eorum pertinaciam vicerunt. *Rex* confusissimo Spectaculo peracto, feritate Facinoris adhùc incensus, *Vrsum vicatim circumduci, & coràm Populo, discerpi à Canibus imperavit*. Mox in Theatro Spectaculo promiscuè præbito, laniandus absumendusquè *Canibus objectus est*. Nequè anteà satiatus est Populus, quàm membra & Artus, & Viscera feræ, publico spectaculo, laniata vidissent. *Rex* statim à Spectaculo, *Matri laniati Pueri amplissima præmia*, de pecunijs collatis decrevit.

Conversus hinc ad augendas *Fisci sui* opes, Vectigalia Regni non solùm *Portorijs maritimis* auxit; sed oneravit etiam *Merces peregrinas*, quæ ad Luxum magis, quàm Necessitatem pertinerent; ut *Aromata, Vnguenta, Margaritas, Pannos sericos, & Auro intextos*. item pretiosæ vestis usum civibus ademit, nisi per festos dies. Innumeras *Moros* eximias, ex transmarinis regionibus advexit, *quibus Bombices aluntur*, & vivunt; divisitquè in plurimas & fertilissimas *Britanniæ* Provincias. *Vermiculos, tenuissima fila ducentes, in villâ suâ vico viridi, alendos curavit*; subditi serica stamina, ex Bombicum lanificio, texere asuescerent; ac Pecunias in hostiles terras, mercandi causâ, posteà non transferrent.

Præter hanc Artem, nova ac magnifica Artificia salubriter indies destinavit; non minore gloriæ, quàm Compendij Spe. Temporibus *Elisabethæ, Cornelius Vous*, peregrinæ Conditionis homo, *Artem conficiendi Cuprini liquoris, ex Ære, ad tingendas lanas idonei*; *& Aluminis, in Britanniam primus intulit*. Ac nostris exemplo fuit, ad imitandum; sed imperfectum reliquit. Posteà magis ac magis Cura Artis increvit. *Iacobus quoquè Author faciendi Aluminis fuit*; & in varias Provincias studium Artis penetravit; quod maxime in *Agro Eboracensi* inchoatum à Mercatoribus prædivitibus; ac propter difficultatem Operis aliquamdiu intermissum, Mercatores in summâ pauperie, & penè inopiâ, discedere, ac novam tentare Fortunam constituerunt. Tandem, præter Opinionem omnium, à *Germanicis Opificibus* perfectum est. Mercatorum cuiquè, pro operâ & Sumptu, magnam dedit Mercedem, locupletesquè ex Egenis effecit. *Shefeildium*, clarissimum quidem virum, *Thomam Chalcnorum, & Davidem Foulisium*, Equestris dignitatis, Socios gloriosi operis, donis & Pensione Annuâ ex *Aluminis* pecuniâ, impertiendos putavit; ut cæteri Proceres, ac ipsi primores Equitum, nova Artificia pro facultate excogitarent. Multaquè à multis inventa egregia: Sicut *Tapetes*, & cætera opulentissima Auro Argentovè intexta. Edixitquè hoc Anno, *ne Cives, ex Italiâ, advectitio Alumine uterentur, suppetente domi* Copiâ.

In cæteris Reip: partibus, operæpretium est diligentiam ejus recordari, augendæ propagandæquè Mercaturæ causâ. *Negotiatoribus Indicæ Societatis, Privilegia ab Elizabethâ, 15 Annorum intervallo indulta, perpetuo Diplomate confirmavit*. Convehendis *ex Arabiâ & Indiâ* Mercibus, Naves, Mercaturæ causâ, fabricantibus, magna præmia proposuit. *Thomam Smithum*, notissimum Equitum, ob egregiam Industriam, Societatis negotijs, *Elisabethæ* arbitratu præpositum, in eâdem dignatione suâ retinuit; reputans, periculosum, illam curam plurium arbitrio committere. Qui in Navium fabricationes magnos sumptus fecit; multas eximiâ magnitudine ædificavit. Sed unam maximam, pulcherrimam, atquè ornatissimam, communi Societatis pecuniâ, in Navalibus *Depfordiæ* extruxit. Quâ

perfecta,

1609. perfectâ, ac in *Tamesim* deductâ, *Regem, Henricum Principem*, & Nobilissimum quemquè, ad solenne Epulum in eâ invitavit. Item Comitibus, pro Conditione cujusquè, passim & viritim, in Transtris Convivium præbuit; permisitquè, ut servi, Clientesquè *Vasa Operis Chinici* diriperent, sibiquè haberent; neque Magnificentiæ occasionem ullam prætermisit. *Rex* Navem confectam atquè instructam, *Mercaturæ Incrementum* appellavit; agenti *Smitho* gratias, Torquem aureum, cum Effigie suâ pretiosissimâ donavit; supplicantes Socios, & prostratos, supplicandi causâ, ad genua admisit; pro dignitate Imperij, & Mercaturæ incremento susceptos labores collaudavit; hortando, rogandoquè ad Mercaturam exercendam omnes provocavit. Unde *Nobilissimi Proceres, & Primores Equitum in hanc Societatem coierunt*, vario animo, ac eventu; quidam Titulo tenùs, ad tuendos Socios, prosequendosquè; quibus *Custos Societatis* prægrandem pecuniam pro Patrocinio dilargitus est; Plures opibus & Copijs affluentes, Lucri spe, huic Cupiditatis oculos adjecerunt. *Quæ cæteris Urbanis Societatibus obfuit*, & multiplici flagravit Invidiâ. *Una enim hæc Societas, cæteras antiquas, & legitimas pervertit, Muscoviticam, Turcicam, Barbaricam; ac in perniciem publicam, rerum Indicarum advectione, duravit.* Quippè multæ Naves eximiæ magnitudinis, quæ per *Mauritania, Getuliaquè Oceanum*, ad incognitas gentes, atquè Regiones mittebantur, Mari atquè undis absorptæ sunt; in quibus complures Nautæ perierunt; *pauca Pipere, Garyophillis, & Cinnamis onusta Londinum reverterunt*; ejusmodiquè Mercibus *Indicis* Britanniam referserunt; & Civitatem locupletarunt. Mercatores jacturam Navium, & Nautarum, convectarum Mercium compendijs solari sunt, Civibus passim venditantes; Nobilium fæminarum mundum, Gemmis atquè Margaritis magnoperè auxerunt; quas ab *Indicis populis* mercati sunt. Rumor Vulgi perstrinxit institutæ nuper Societatis incommoda; iniquè, an Jure, eventus probabit. *Smithus* Sociorum Jura tutatus est, & in Navibus parandis, atquè instruendis, magnam diligentiam adhibuit.

Iacobus, Pacis ornamentum, qui Regnum Britannia sæculo suo maximum reddidit, Author & aliarum rerum fuit. *Prætori Urbano*, & Magistratibus urbicis imperavit, ut *Vltoniæ Solitudines* numero Civium frequentarent; Tectis, ac Sedibus exornarent; operibusquè publicis excolerent. *Londinenses*, Decreto *Prætoris*, rem susceperunt. *Coactis Fabris, Trecentisquè Opificibus transvectis*, & Commeatu omnis generis, Sedem sibi *circà Bannam fluvium, Salmonum Piscatu celebrem*, delegerunt. *Derium Oppidum, in ripâ lacus Foylensis, ab Odocotreo, in Vltoniensi Tumultu nuper incensum, ac direptum, sumptu publico restituerunt*; ut esset Propugnaculum *Vltoniæ*, adversùs Rebelles; *Novum Londinum appellantes.* Et multas pecunias in novum opus erogantes, magnam multitudinem, auctâ sobole, in una Mœnia contraxerunt; & cuiquè, pro Conditione, *Odocotrianos* Agros, ædificia, locus, Stagna, possessiones diviserunt. Cupido inde alijs Civibus incessit, *in Vltoniam cum familijs transfretandi*; audientibus quanta ubertas ejus terræ esset; & quàm copiosa *Salmonum Piscatio.* Quarè quamplurimi eò immigrarunt, novâ spe allecti; qui *Colonias* idoneis in locis collocarunt, Oppida condere, ac terram colere cæperunt. Jam ad aliquod externum bellum Agrestes, qui *Novis Colonis* graves supererant, abducendi erant. *Robertus Stuartus, Ortas*, eam sibi Provinciam poposcit; ut educere liceret *è finibus Hiberniæ, in Sueviam*, perditissimorum hominum manum. Rex suprâ *Suevi* Aurum, permagnam Pecuniam ei contulit, in stipendium horum Militum. Id eo consilio factum videri poterat, ut *Coloni* tutò Agros colerent; manerentquè quieti in Possessionibus, cum Conjugibus, ac liberis. Ad hunc modum ordinata *Vltonia*.

Nunc de ornandâ, instruendâque *Virgineâ*, (de quâ suprà sermonem feci) ampliandoquè in eâ Provinciâ *Colonorum* numero, plura destinavit; & *Centum Quinquaginta* homines insuper adjecit; qui ferè omnes Opifices fuère. Utquè perpetuò sumptus necessarij, ad tuendos *Colonos* suppeterent, *Novam Societatem, & Ærarium*, Decreto Senatus, instituit, concesso genere suffragiorum. Undè *Plebiscito*, ac Commendatione publicâ, *Virginea Societatis Baro, Lavaram Coloniæ Præfectus constitutus, in Americam tribus Navibus delatus*; Oramquè ejus Regionis, & *Permodas Insulam*, in conspectu littoris, habitatorum numero frequentavit; modicaquè Præsidia, ad tutelam, idoneis in locis collocavit. Relicto indè ad *Permodas*, Præsidio, novam Urbem inchoatam, propè fluvium, *Iacobopolin* appellari jussit; & *Britannici Regis signa intulit.* Dum hæc in *Virgineâ* geruntur, *Hispaniæ Rex*, per Legatos queritur apud *Britanniæ Regem, Americæ litora, Regionesquè, ab Anglis possideri; quas, nemine ambigente, reperissent Majores sui; Oceanum Occiduum, antè omnes alios Principes, Classibus percurrentes.* Cui ita respondit Rex, *Quæ nullius fuerint in bonis, Occupantium fieri, qui eas primi invenissent. Suos nulli esse injurios, si desertas Solitudines labore & studio incoluerint.* Itaquè convenit, *ut ea Americæ pars, citrà Trigesimum Latitudinis gradum, Britanniæ Regibus cederet; Quæ ad Meridiem, ultrà Iacobopolin vergeret, Batiçè Regis censeretur.* Turbavit ea res *Hispanos* omnes, *Americam* incolentes; ob Suspicionem periculi; cum primò pauci, deinde plures, indies traijcerent; abundanti *Britannica* Multitudinis Sobole, & Damnatorum numero. *Rex*, Civibus tenuioris fortunæ, in *transmarinas Colonias* distributis, Reip: curam sollicitissimè egit; nisus omni modo, ut salva & sospes permaneret.

Inter cætera *Regia Iura, apud Anglos antiquitùs instituta, servitus Prædijs Rusticis adjuncta hodiè servatur; quâ domini Feudi hâc lege Agros acceperunt, ut si Princeps Balteo Militari decoretur, Regi, supremo domino, per æstimationem Avitarum Possessionum, subvenirent.* Memoria ejus legis prope erat abolita, Regiæ stirpis defectu. *Rex* autem admonitus à *Fisci Procuratoribus*, Ærarij commoda promoventibus,

prægrandem

1609.

prægrandem pecuniam, legis beneficio, corradi posse; Præscriptum legis secutus, Crediti magis servandi causâ, quàm pecuniæ cupiditate, duritiam ejus, ex bono & æquo, moderatus est; ac disjectâ veterum Tabularum Ratione, sanxit, *Ne quis ex Censûs modo, sed ex Arbitrio suo, Coactoribus satisfaceret.* Ita media pars *debiti*, *Fisci Subsidij* deperibat; Amor Civium crescebat, cum agi secùm ita præclarè viderent; majorque ergà *Principem* reverentia erat.

Fortunati Patris præclara soboles *Henricus Princeps*, teneris adhuc Annis, ad studium Armorum conversus, è Proceribus, & Nobilissimâ Juventute, *Levinia ducem*, *Necessitudine junctum*, *Arundeliæ, & Southamptoniæ Comites*; *Hajum Baronem*; *Thomam Somersettum*; *& Ruardum Pristonum*, Equites splendidos, Commilitones ascivit. Reliquam Nobilitatem, ad ostentationem virium, provocavit; hortatusquè ut auderent; pollicitus est, post editam operam, cuique pro singulari virtute dignum præmium. *Ludicrum Certamen*, ad imaginem bellicam, institutum, magnâ Nobilium frequentiâ, *in Camerâ Convivali*, *Londini*, *in Palatio*, celebratum; cum propter spectandi studium, innatum Anglicæ genti; tùm propter Spem futuræ fortitudinis, Principis nostri. *Rex & Pater* spectator, Moderatorquè ineuntium Certamina Nobilium, præsedit; juxtàque se *Reginam* collocavit; ac *Iberorum*, *& Venetorum Legatos* ad spectandum induxit; *Amicis* sellam suam circumstantibus; circumfusàque *Procerum* turbâ ad dextram lævamquè. *Fœminæ claræ stirpis*, in Subsellijs publicè spectarunt. Negotium *Atriensibus* dedit, ne quem paterentur ingredi, præter *Senatores*, *Equites & Clientes* suos; quibus ex superiore loco spectare concessit. Ubi consederunt omnes, *Princeps* è Tentorio suo prosiluit; progressusquè in mediam Cameram armatus, convertit omnium oculos fulgore Armorum; sequè, ut filium decuit, *præsidenti Patri ad genua submisit*. Casside deductâ, *Matrem quoquè*, haud procul gemmis conspicuam, *adoravit*; magnâ Obsequij gloriâ, magnoquè omnium favore. Assumpti *Proceres* in laborum, Armorumque consortium, vigentes Corpore & animo, ijsdem gestibus *Reges venerati sunt*. Deindè 53 *Nobiles*, decoriquè Juvenes, in robore, vel flore ætatis, *Mongomerio* duce, ad pugnam processerunt; & *ad Pedes Regis se prostraverunt*; ab illo benevolè, & humaniter excepti, ex Imperij Majestate. Postremò, *signo Tubâ dato*, Militaris Certaminis Simulachrum commissum, gravioris pugnæ specie; ferociter, per vices, eminùs Hastis, cominùs Gladijs certatum. *Princeps* nunc *Lanceam* librans, nunc vibrans *Ensem*, cum pluribus semper Victor dimicavit. Indomitus semper, indefessusquè pugnæ labore, Spectantium oculos voluptate perfudit; Alacer, lætus, & fidens animo, quoties Galeæ aut Loricæ gravior ictus incideret; solatium fessis tulit; & Sociosmadentes Sudore, Imitationis ardore accendit. Intererat huic Certamini *Ioannes Sarisburiensis*, Eques fortissimus, ob egregiam famam virium pernotus; qui cum *Ricardo Prestono*, Nobili Juvene, labore pugnæ fatigato, congressus, Spectantium animos expectatione suspenderat. Etsi cum eo congredi Temeritas credebatur, ob eximiam Corporis Amplitudinem, & celebratam vulgò Fortitudinem: tamen *Prestonus*, robore non conferendus, *Lanceâ depugnavit*, *Gladioquè*, *& utroq; Telo Victor evasit*. Certaminis Eventus iste fuit. Pars ea, quæ sub *Principe* erat, cum pluribus dimicans, longè superior evasit: Pugnæ laus, de quâ fortissimus quisquè contenderat, Spectatorum consensu, penès ipsum fuit. Ludicro peracto, postero die, *Commilitones & Antagonistas* ad Epulas comiter invitavit, ac Virgines Claræ stirpis, ac Hæroinas, *in Pallatio sancti Iacobi*. In illo Convivio splendorem, ac Magnificentiam, decoro More, ostendit; unàquè discubuit. Invitatio benigna, & Hilaritas universos ad lætitiam traxit. Novissimè, Præmia validioribus Adversarijs, *Philippo Harbarto Mongomeriæ Comiti*, ex nobilissimâ Penbrochianâ familiâ; *Thomæ Darcæo*, claræ stirpis Juveni; *& Roberto Gordonio*, Equiti Galovidiano, ob prosperam pugnam, divisit. Consortes Armorum, pro Merito & gradu cujusquè, honoravit, & maximè *Levinia ducem*, *Ricardum Prestonum*, gratum sibi Armorum commercio, ad Campestres Exercitationes suas semper admisit; re familiari destitutum, singulari Præmiorum formâ astrinxit, ut Sumptus suppeterent; quos pro gloriâ Regni suscepit, ac in petitione dignitatis, suffragatione suâ, juvit.

Paucis interjectis diebus, *Rex legatis Francorum, Venetorumq; exornari Convivium jussit*; nequè Magnificentiæ, nequè Comitatis exhibendæ Occasionem ullam prætermisit. *Iucidit Commemoratio ibi Certaminis Ludicri*; quomodò Princeps ingens gloriâ, ingens famâ, nunc *cominùs gladium vibravit*, nunc exiguâ Corporis declinatione, *Lanceas vitavit*. Hujus facti fama, vicina Regna, atquè ultimas Terras pervasit. Hæc apud Exteros veneratio, parta meditatione Campestri, apud Cives cum Juventâ ac robore accrevit. Omnes Claræ Stirpis Imitationis ardor accendit.

Sed citò studium armorum, ab oculis & voluptate, ad manus translatum est. *Georgius Vhartonus*, *& Iacobus Stuartus Blantgrew*, Clientes Regij, è Nobilissimâ Juventute, privatâ Contumeliâ, & Vindictæ cupidine accensi, ad ultionem procurrerunt. *Explorantes se invicem*, *& prætentantes Sinus*, *propè Islingtonum Vicum*, ferro ferociter dimicarunt; ac acri Duello conserto, nullâ vitandi, aut inferendi Ictus curâ, mutuis vulneribus confossi, pares corruerunt. Postquàm *Rex* compererat acerbum casum, graviter tulit; & sinè morâ, ambobus *communem Tumulum* perfici jussit. Proindè *eodem Tumulo conditi*, mixtis Cineribus conquievêre. Spectaculum acerbum & miserum, non *Plebi* modò, sed etiam *Regi* fuit. Verius de illis, quàm de *Gladiatoribus Domitiani*, *Martialis Epigramma* usurpari poterit.

1609. Contigit hoc raro, nisi te sub Priocipe, Cæsar;
Cum Duo pugnarent, *Victor* uterquè fuit.

Per eosdem dies, *Arbella Stuarta*, Regij generis Claritudine, ac Pudiciriâ insignis, muliebri indignatione, Miserias suas graviter, invidioseque deplorabat; & Cælibi vitæ intooabat; *orabatquè dare Conjugem dignaretur, ad Matrimonij Solatium.* Undè orta miseratio *Regi*, ob communem familiam (nam *Arbella ex Carolo Patruo erat*) & post Regiam Sobolem *Regni Hares.* Qui ad querelas sedandas, & ad ejus Dolorem leniendum, ne longius efferretur, pro Conditione sustinuit, ac fovit, certam Pecuniam Quotannis numerari constituit. Adhibitis Principibus viris, statuit, *Maritum diligi oportere pro Nobilitate, & Claritudine Sanguinis.* Nequè tamen repertus est Procerum quisquàm, talis Matrimonij cupidus, ob metum periculi. Illa sui Matrimooij incerta, reconditâ Indignatione, *Nuptias Gulielmi Seimori, Nepotis, Hertfordia Comitis*, concupivit; qui ex *Catarinâ Grajâ*, infaustâ stirpe, *Suffolciensi* genitus erat. Hæ Nuptiæ, sinè pernicie publicâ, perpetrari vix poterant. Mox Juvenis, illecebris ejus pellectus in amorem, Cupiditate potentiæ, *Officium Nuptiarum clàm celebravit.* Pactum *inter Arbellam & Seymorum Matrimonium*, & licentiâ Conjugali consumatum, in Civitate, Vulgi sermone, percrebuit; præbuitquè *Rex* aures rumori; & comperto *Matrimonio*, imminenti periculo obviam ivit. *Seymorum* accersi statim, ac in *Arcem Loudinensem*, Decreto Senatus, duci jussit. Idem fit *Arbella*, ad avertendum periculum. Quæ in Carcerem coojecta, non abnuere suas Nuptias, *& legitimos Liberos procreaudi desiderium*; Preces miscere, *ut daret veniam Conjugij*; redderet Maritum dignum suo Matrimonio; ac *Muliebris Impotentia voces* propalàm edere. Sed Rex non ignarus, quantum ex his Nuptijs Reip: damnum immineret; post multas & Supplices preces, merentem in Carcere reliquit; nec gravius punijt.

Forte istis diebus, *Robertus Allylem*, Furti accusatus, mutus stetit, nequè verbum fecit. Judices, legis præscriptum secuti, pronuntiarunt, Patriæ more, *pragrandi pondere superimposito, obrui oportere.* Itaquè pro damnato Reus haberi cæptus, *Lictorquè manus colligare capit.* Sed dùm obligarentur, rabie furens, *Lictorem Calcibus, Manibusq; concidit; in Consessu Iudicum.* Res atrox, & invidiosa visa. Judices admirati hominis Amentiam, & Actionem stultissimam, revocarunt ad Tribunal. Cum priore Juditio damnatum, & in Tabulas Damnatorum relatum ex Actis comperissent, Vi atquè virtute prioris Juditij, nullâ novâ re allatâ, nullâ Defensionè auditâ, *procidendam Manum, & abscissâ, Laqueo suspendendum* graviter severèque decreverunt; non obstante Abolitionis Diplomate Regio; quod irritum interpretabantur; quia eâ Conditione concessum, ut ergà omnes Subditos benè & moderatè se gereret. Undè annotatum, Remp: salubriter administrari sinè Metu, & Severitate non posse; & apud *Regem* plùs valuisse Utilitatem, salutemquè Regni, quàm Diplomatis sui Auctoritatem.

Comitijs revocatis, ut Fisco Ære alieno laboranti subsidium pararetur, *Idibus Februarij*, in Consilium publicum gentis, frequentes convenerunt *Proceres ac Cives*, expectatione erecti. In eo nihil actum, nisi de Communi Britanniæ salute; utilitatequè; ac Rei Nummariæ Subsidio. *Sarisburiensis Quæstor*, ad inferiorem Consessum, cum Primoribus Procerum missus, disseruit, Regni Reditus, Vectigalia, Tributa, tot Impendijs, tot Erogationibus, tot Necessitatibus Reip: noo sufficere; multasquè pecunias publicè erogatas, non por Luxum & Lasciviam, sed Munificentiam, Regi, in Primordijs Regni, necessariam; Ærarium alieno ære laborare; Regiam digniratem inopiâ periclitari. Proinde *Regem Subsidio egere*, si ipsum onera Regni sustinere velint. Idem *Proceres*, cæteriquè Aulæ domestici Ministri, maximè Reip: expedire, summâ Ambirione contenderunt. Permovit multos *Sarisburiensis* facundia: sed multò plures fuêre, qui Onera (quæ *Gravamina* appellarunt) violentius detrectarunt, quàm qui exigi voluerunt. *Abnuebant Civitatum Procuratores, ac Primores Equitum*; & Populi miserias deplorabant; Onera ingentia sibi injuncta, contrà Leges, Mores, atquè Instituta Majorum, gravissimis verbis conquerebantur. Voces solutæ Metu fuêre, & plenæ Expostulationum, querentes de Inopiâ Pecuniæ, cum superflueret ad Quæstum, & Fænerationem; *Efflagisantesquè, ut Provisores Commeatuum, & Coactores, in ordinem redigerentur; Navis Oneribus levarentur; & Rex æquitatem postulatorum cognosceret.* Deindè, reliquis diebus jactatæ sunt querelæ, de acerbissimâ Servitute Rusticorum Prædiorum; de Miserijs Nobilium Puerorum, mortuis parentibus, ad Vicesimum primum usquè Annum; Illustribus familijs, ad Interitum, *Tutelæ specie*, redactis. Has autem *Tutelas*, vel ut Vulgò loquuntur *Custodias*, permagnâ pecuniâ comparare voluerunt; & pro numero Jugerum, pecuniarum summas Vicatim describere; ut ex Venditione Lucrum ad Regem, ex Emptione Libertas ad Pupillos, mortuis Parentibus, perveniret. Post longam eâ de re Altercationem, *Sarisburiensis (penès quem Pupillorum, eâ tempestate, Custodia)* maximè succlamavit, *Regem Tutelis Adolescentium Nobilium carere non posse; nec Tutelas esse inutiles Nobilitati; benè merenti plerumquè dari suetas.* Quantâ iste subtilitate, quâ fraude, hujus generis Querelas exagitarit, supervacuum est referre. Postremò, *Apolecti supremi Commissarij* vocati in Crimen, quod potestate suâ abuterentur; Jura omnia Officij, humanitatisquè violarent; cum de Reip: malis, quæ dolerent *Plebei*, Procuratores affectibus concitati, violentius quererentur, *Rex* graviter increpitos admoneri jussit, *aliud Sceptrum, aliud Plectrum reminiscerentur: Ne res, peculiari Iure ad Sceptrum spectantes, tractarent; Ne Privilegia, sibi & Majoribus, Auctoritate Comitiorum indulta, velut Pupillorum Tutelam, Commeatuum Praemptionem, & alias Prærogativas, propter*

Corona

Corona utilitatem introductas, temerè vellitarent; ac inter Gravamina recenserent; Ne eâdem Licentiâ, Iura Ecclesiæ, per tot Regum ætates illibata, mutare, & convellere tentarent, propter Facta, dictaquè paucorum Commissariorum, Potestate abutentium, in rerum Ecclesiasticarum Administratione. Justas Querelas, in *Comitijs* pro Rep: susceptas, magnoperè laudavit: ac Vulnera Reip: modestè percenseri jussit; ut salutaria remedia Comitiali Auctoritate adhiberentur. 1609.

Stephanus Procterus Equestris Ordinis dehonestamentum, inexpiabilem sibi Invidiam conflavit, quoniam *Pœnales leges in Plebem acerbè exercuit.* Honorificentissimo Decreto damnatus est Perfidiæ, ac Sceleris. *Rex* Plebejo Ordini injurias Populi persequenti, in petitione Ultionis suffragator fuit.

Deniquè censuit cognoscendum de ijs, *qui in Comitijs Seditiosè loquerentur*, contrà Majorum institutum; *aut inter cætera Gravamina, injustas Querelas, seu potiùs Famosos Libellos, ad infamiam suam, sub alieno nomine, ederent.* Hâc Moderatione permotus *Plebejus Ordo*, indecoras Querelas, face subditâ, concremavit. Quâ re cognitâ, per *Cancellarium suum*, per Eundem gratias egit; & remunerandi Occasione oblatâ, memorem se illius Officij fore pollicitus est. Adeuntes se posteà *Procuratores Civium*, familiari vultu excepit. *Telvertonus, & Foulerus, Defensores communis causæ*, superiore Consessu, studium publicæ Salutis vehementer & impotenter ostentarunt: in hoc Conventu palàm fecerunt, non se publicum Emolumentum, sed gratiam & Potentiam spectasse; mutatæ voluntatis, haud obscura Inditia fuère, quæ latuerunt diu Simulatione Officij. Quis tàm Amicus Dominationi fuit? Quis tàm Subsidij ferendi cupidus? quam *Telvertonus?* Cum anteà, immoderatâ libertate, contrà infinitam & absolutam Potestatem, ac Novum Pecuniæ Aucupium, uteretur; diceretquè, nec Spes, nec Metus, nec Promissa, nec Minæ, à publicâ Salute avertent; cæpit jam clàm palàmque dicere, *date victum Rugienti Leoni; date Cæsari quæ Cæsaris sunt. Reddite Tributum Oceano, undè privatæ Opes, velut flumina emanarunt.* Hæc Oratio visa est aspera, & à multis conclamatum est, *non esse Telvertonum eum, qui priore Conventu, Populi Querelas longâ Oratione exposuit.* Is ubi Orationem suam invidiosam sensit, & infructuosam, *non quemadmodùm diceret, sed quemadmodùm taceret*, deliberavit. Etsi summæ rei, causæquè prodesse nihil posset, multis Collationem detrectantibus, ei posteà Præmia tamen *Rex* liberaliter tribuit, *Suffolcio* submonente; & pro Procuratore suo habuit, qui Principis Patronis annumeratus, magnam laudem Eloquentiæ tulit. Piget dicta quorundam referre, qui *libertatem vehementis Spiritus*, in Comitijs, testari ausi sunt. Quidam è Numero Civium, cavere monuit, *ne Nimiâ liberalitate, & Indulgentiâ in Regem, jugulos suos domi apud Plebem periclitarentur.* Alius rubore non perfusus, dixit, *Edinburgi Auri Argentivè superfluere copiam, ad usuram & Fœnerationem; Londini verò decrescere.* Ejusmodi dicta, ut impudenter ficta, & temerè prodita prætermitto.

Intereà, in hoc tanto *motu Comitiorum, Iacobus*, cui non sinè causâ plurimum sempee, & *Vulgi & Procerum* juditio, tributum; pro summâ Prudentiâ, multâ etiam doctrinâ, plurimo rerum usu, *apud gentis Proceres, & Plebis Procuratores*, hæc, Facundâ Oratione, in Regiâ præmisit. *Sibi esse in animo Speculum eorum oculis objicere, in quo non Vultum ac figuram Corporis specularentur, sed Cor Regis, ac figuram Animi magis, quàm Corporis intuerentur: ut Cor ejus, quod in manu Domini est, in Oculis Populi constitueretur, ad perpetuam Memoriam dictorum, & factorum*; sequè adversùs Obtrectatorum falsas Querelas, & graves Criminationes, generosâ ratione dicendi, ac ardenti motu, gestuquè purgavit; Contumelias graviter exprobravit; & adversùs Authores Libertatem exercere non dubitavit. *Alterum, minitantem à Plebe perniciem Subsidium offerentibus, vanum Augurem appellare; Alterum, objicientem magnam Edinburgi Auri Argentiquè copiam esse*, Voto punire satis habuit, *Velim, inquit, ut ex talis Opulentiæ Fœnore, ibi vitam toleraret.* Deindè, de Inopiâ publicâ gravissimè conquerens, universos vehementer rogavit, cùm ad Sumptus Opes publicæ non sufficerent, ut *Ærarium exhaustum Munificentiâ, initio Principatus; funere Reginæ; Inauguratione suâ, & Conjugis; Transmarinis Colonijs, Castrensi Sumptu, fiduciarum urbium Vlissinga, Brilla, ac publicorum munerum Impensâ.* Instare etiam ostendit nova Onera *belli Clivensis*, propter commune Religionis vinculum; & Securitatem Regni suscepti; ut Incendium in ipso ortu extingueret. Et Inaugurationis Principis Impendia, ad quæ sustinenda Patrimonium publicum angustius esse, Quæstor Commentarijs suis Impensarum testatus est. Deniquè vehementer petere institit, ut Censu habito, *suâ sponte Tributa per Provincias indicerent; nec imperata detrectarent*; ne Exteri, ex Speculis prospectantes, quemadmodùm unusquisquè Civium ergà Principem se gereret, dissipatâ Domi forisquè publicæ Inopiæ famâ, ac difficili Remedio, Rempublicam hostiliter opprimant. *Posteà verò seram Medicinam Negligentiæ, & Pertinaciæ fore.* Non cessavit *in totâ Oratione*, ad Religionis cultum, & Reip: curam, Audientium animos acuere; & magnâ Acerbitate perstringere, *homines in publicis Necessitatibus parcos; in Domesticis voluptatibus profusos*; quæ ab ipso, ad verbum, edita extat, in *Libro Operum publicato*, sententijs acutis, & crebris, ac Eloquentiâ splendens, quâ Majorum gloriam æquavit, si non superavit. Proceres, & Primores Civium, tempore ad deliberandum impetrato, mox libentes unum integrum Subsidium, pro facultate cujusquè obtulerunt; *& universi Ecclesiastici*, ne ergà *Regem* tàm benevolum ingrati viderentur, summam pecuniæ grandem contulerunt. Pro quibus Meritis, *Decreto Comitiorum*, non solùm generalem Veniam, & Criminum Abolitionem largitus est; sed multa specialiter indulsit; ac plura in publicum utiliter constituit. *Thomam Ereskinum, Prætorianæ Cohortis Præfectum, Fentonæ Vice-comitem creavit*; in Senatum legendum

curavit;

1609. curavit; & ejus suffragatione, *numerum, ac Stipendia Pretorianorum auxit*. Is Moderatione, Clementiâque, civilis animi laudem est assecutus. Similiter *Scotos*, ære alieno laborantes levavit; & Operam ergà eum allegantes, Præmijs ingentibus ornavit.

Sed antè omnes, cum ingenti favore respexit *Robertum Carum*, à Pueritiâ in Aulâ educatum; cui Honorem Equestrem largitus est; ac Agros optimos & fertiles, qui *Baronis Maxvalliy* fuerant; deindè Opibus & fortunis locupletavit, Sumptum ex Ærario suppeditavit, ad Splendorem, & Magnificentiam. *Cecilim*, & Havarti, Affinitate impliciti, & amplissimâ potestate instructi, Incrementum ejus molestè tulerunt, & secretum nacti, Sermonem de minuendâ potentiâ injecerunt. *Carus* Insidiarum haud inscius, cum intelligeret, ad ipsius Potentiam evertendam machinam occultè comparari, ad Dignitatem suam tuendam animum convertit; subnixus gratiâ Regis, restitit Consilijs Inimicorum; Conatus omnes perrupit; majorem ad Spem se accinxit; Adolescentia non obstitit, quò minùs Senator fieret, Regni atque Imperij Munera obiret. Ac jam rebus gerendis adhibitus, Specimen sui dedit. Erat in Aulâ *Thomas Overberim* quidam, Minister Regius, turbidus Juvenis, quem *Carus*, florente fortunâ, Collegam elegit; ut ejus Consilijs niteretur; & subindè obvium complexus, intimis Consilijs, cum Claris, decorisquè Nobilibus adhibuit. Hujus fuit singulare Consilium *Havartorum Opes evertere*. Nec alienus Consilij credibatur *Henricus Nevillus, Eques*, Gallicâ legatione, & meritorum Memoriâ cognitus, vel privato in *Havartos* Odio, aut *Carum* benevolentiâ, persuasus. Hæc ad *Havartos* perlata, perculerunt animos Suspicione talium Consiliorum. Verùm in præsentiâ patienter tulerunt, ne quàm manifesti Diffidij causam præberent. & obvium sibi *Carum* arctius complectentes, blandâ Oratione salutarunt. *Overberim* non præmijs modò ingentibus ornatus, sed ad honorata Ministeria, *Cari Amicitiâ* provectus, non magnos ex eâ fructus percepit, ut Eventus docebit.

Dum hæc in Aulâ geruntur, in *Vlteriore Britanniâ, Barodnni Comes, rebus Scoticis ordinandis* præpositus, fisci commoda nonnihil auxit. Juris dicendi causâ, in causis Capitalibus, Regni fines obivit; Judicum Provincialium Corruptelas emendavit. Cui, vehiculo Provincias peragranti, Amiciatquè Proceres, ingeniti sanguinis obliti, Officia, More Clientum, præstiterunt. *Maxvallium* exulantem citari jussit. Die dictâ, ad quam non affuerat, absentem reum Majestatis, Comitiali Auctoritate, damnavit; *Bona & Possessiones in Fiscum redegit*; ut inter eos partiretur, quorum operâ in coërcendis Latronibus usus esset. Ecclesia, aliquâ ex parte suâ diligentiâ, ac vigilantiâ constituta; furta, Scelera, flagitia Prædonum cohibuit, diligentiamquè adhibuit in eâ re singularem, ut *Tindalia, & Riddisdalia*, fundis pacatè frueretur: facinorosis sublatis, aut coërcitis Carcere, Vinculis, Exilio. Ubi *Cari* gratiam, & dignitatem cognovit, in Aulam redijt, ad potentiam ejus infringendam, ratione, Consilioquè, sinè Contentione, & Certamine. Junctâ cum *Havartis* Affinitate; *filiâquè Theophilo* elocatâ, *Suffolcia Comitis filio*, Agrum *Berricensem*, ac invidiosas Possessiones in *Northumbriâ*, in Dotem Puellæ contulit. Id Matrimonium non parvam accessionem ad Familiæ Incrementum adjecit. Reversus omne studium adhibuit, ut Affines magno in honore apud Regem essent, & Auctoritate Potentiâquè pollerent. Reditus in Aulam *Barodnni Comitis*, aliter aliorum animos affecit, pro cujusquè Amore, vel Odio in partes; & Vulgo variam materiam rumorum præbuit. *Havarti* haud dubiè inflatiores, magnâ parte Nobilitatis Affinitate connexâ, fuerunt; multaquè de *Caro*, tanquàm rerum Civilium, propter Adolescentiam, imperito, questi sunt apud eum. At *Carus* Potentiæ securus, & flagranti gratiâ subnixus, Inimicorum Criminationes, adversæ factionis vires, contempsit; ac familiares suos amplis præmijs donavit.

Hoc tempore delatum est, *Ioannem Hamiltonium, Presbiterum Romanum* turbidum & profligatum, apud hominem Nobilem *Ioannem Ogilvium in Angusiâ abditum latere*. Ad eum comprehendendũ Equites missi, ex Cohorte Regiâ. Nocte intempestâ aditus omnes obsident, fores effringunt. Intereà tumultu excitatus, tenebrarum & parietum custodijs tegere se noluit, sed surrexit, telumquè arripuit, & defensionem tentavit; qui cum impetui venientium resistere non posset, capitur, & in *Arcem Londinensem* abducitur, ubi confectus Senectute, aliquamdiu vitam prolatavit, Miseratione Regis, adhibentis in hominis fortunâ Misericordiam, ob egregia Nepotis Merita, in Rep: constituendâ, qui remissionem pœnæ Patruo impetravit: Ibiquè mortuus est, assidente *Andreâ Melvino*, qui florenti haud Concors, ob Religionis diffidium, interfuit supremis Sermonibus ejus; suasitquè, *non Meritis nostris, sed Christi, vitam æternam quærendam*. Animo per Superstitionem Romanam corrupto, piæ hortationes irritæ fuêre. Nunc *de Mortui Crimine* dicam; ac de Clarissimi *Præsidis Brissoni* Morte. *Hamiltonius*, Plebejum furorem Parisijs secutus, noctu factâ manu Armatorum, convulsis repagulis, effractisquè Valuis, *Brissonium, Principem Senatus Parisiensis*, domo extraxit, & in celeberrimo *Lutetiæ* loco jugulatum priùs, Cruci suffixit, *Solem Literarum, & Abyssum Antiquitatis*. Damnavit memoriam ejus *Senatus Parisiensis*, ob Improbitatem, & Audaciam Sceleris, quod in Clarissimum virum perpetravit. Quare Exul, & damnatus, desperatione rerum Suarum coactus, *in Belgium confugit*; deindè *in Scotiam*: ubi captus, *Londini* in Carcere expiravit.

Hoc Anno quoquè *Franciscus Verus* decessit, vir fortissimus, Clarissimus, & de Patriâ optimè meritus; cum in *Belgio* magnâ manu Popularium militaret; & domi *Portsmouthum*, Oppidum validum

Præsidio teneret. Inimici ejus dixerunt, obtrectare alienæ gloriæ solitum, sinè Juditio, aut prudentiâ; Præferocem fuisse in Milites; Dicacem in Pares; acrioris fuisse ingenij virum, & linguæ immodicè liberæ, ne Amici quidem negarunt, Naturæ Vitium excusantes. Talis ille fuit in re Militari; & ita de Patriâ meritus, ut Posteris commendatus esse debeat, ob Vigilantiam, Diligentiam, *Defensionemquè Batavorum.* In Occidentali urbis Monasterio habet Tumulum, Monumentumquè ex suâ pecuniâ extructum; *& Simulachrum è Marmore pulcherrimè factum, ac Militum* humeris sustentatum; propter singularem ejus honorem, famamquè, ut omnes Cives, & Advenæ, tanti Imperatoris formam, Virtutem, ac Amplitudinem, possent non solùm visere oculis; verùm etiam figuram Mentis magis, quàm Corporis, contemplari animo. 1609.

Isto quoquè tempore, *Ioannes Spenserius, Prætor Vrbanus*, cum famâ dives, tùm Copijs, vitæ spatium peregit; superstite unicâ filia; quam *Cromptonus, Baro* Nobilis, in Matrimonio habuit. Qui repentè dives factus, vel Nitore fortunæ præsentis, vel Cælesti calamitate, *furore alienatæ Mentis* subitò correptus, humanæ Imbicillitatis magnum documentum dedit. *Havartus Suffolciensis*, propter *Cecilij Quæstoris* Familiaritatem, & Affinitatem, Opibus inhians, Tutelam ejus impetravit; ac per Salutis speciem, diligentius custodiri, & Vinculis coërceri jussit; *servilemquè in modum cruciavit*; ut quivis facilè perspiceret, id ab eo actum esse, *ut Æger & furens intervallis quibusdam, Tragico Oreste dementior evaderet.* Merces immensi pretij, omne Aurum, & Argentum in Commentarijs annotavit. Fit in Civitate gemitus omnium, & Clamor; Exemplum ejusmodi acerbum, indignum atquè intolerandum omnibus videtur, tùm propter Iniquitatem rei, tùm etiam propter Nobilis hominis Dignitatem, tali loco orti, ut à suis in propriâ domo custodiatur. *Rex* intellectâ Invidiâ, quò famam averteret, imperat; ut remissius custodiretur, Victu, cæterisquè rebus commodissimè tractaretur; potestas aspiciendi Amicis, Propinquisquè fieret. Æger autem, per multos asservatus, curatusquè dies, paulatim convalescere cæpit; & tandem *Sanitati Mentis restitutus*, incolumis ad suos redijt; *summam Cambriæ Præfecturam* posteà est assecutus.

Deniquè obijt *Eliensis Episcopus.* Illo mortuo, in ejus locum suffectus est *Lancelotus Andreas, ab Elemosynis*; rerum divinarum, & humanarum scientiâ plurimùm præstans.

Georgius Abbotus quoquè, gravissimus & Sanctissimus vir; *Coventriensis Episcopi* honorem, mox *Londinensis* consecutus; in Sacerdotio, Ecclesijsquè, quibus præerat, diligentissimum se gubernatorem præbuit. Ob quam Diligentiam, Prudentiamquè, permissa est ei posteà *Cantuariensis Ecclesia.*

Harsenetus acutus ille, & ingeniosus Prædicator, ad Cicestrensis Præsulis honorem ascendit; qui tùm unà cum cæteris, pari dignitate præditis, Salutem Ecclesiæ defendit, *contrà Catharos*, non mediocriter labefactantes statum ejus. Quos acrioribus remedijs coërcuit, scilicet Custodiâ, Carcere; & Sacerdotio privavit, in Provinciâ suâ; ad tutelam & Securitatem Ecclesiæ.

HOc Anno, in *Franciâ* tetrum, nefarium, Crudele Scelus in urbe Regiâ perpetratur. *Ravillacus, è Plebe, ferox Sicarius*, ad multò antè præcogitatum facinus, temerario impetu animi revolutus; vel *Fraude Ignatianorum*, ut creditur, inductus, *Henricum Gallorum Regem fortissimum*, cum Carpento per urbem veheretur, in angusto Vico, *Cultro infrà brachium lethaliter vulnerat; illicòque alio vulnere latus transfodit; atquè ita duabus Plagis confossus, exanimis Luparam relatus est.* Atrocitas facinoris magnum *Papanis* dedecus, magnum *Franciæ* vulnus inflixit; & inexpiabilem Invidiam *Ignatianis*, apud omnes, & inprimis apud *Britannos* conflavit; ut vulgò eos, velut *Parricidas* execrarentur. Erepto Patre, *filius in Pueritiâ relictus, ad Regni gubernaculum est admotus, appellatusquè Ludovicus* XIII. Cum finitimis Regibus, Populisquè, Fædera antè facta confirmavit. Summam rerum, omnemquè Jurisdictionem in Cives, *Impubere Rege, Mater, demandatam supremâ Mariti voluntate, habuit.* Quæ, Quæstione de Cæde Regis habitâ, *Percussorem exquisito Supplicio punivit.* 1610.

Maximum ea Cædes mærorem, ac luctum, in *totâ Britanniâ* fecit. *Rex, Augusta, Princeps, Dux Eboracensis, Senatus, & Proceres atrati*, lamentis lachrimisquè miserandum casum defleverunt. Cum Cædem factam esse constaret, *Ordines Regni*, prospicientes animis Exitium *incauti à fraude Ignatianâ Regis*, satis longâ Oratione hortati sunt, ut Securitati omni, honestâ ratione, expediendæ salutis consuleret; à crudelissimis hostibus caveret; sequè Insidijs Latronum subtraheret. è Rep: quoquè esse decreverunt, *ut Pontificij ad Reverentiam, & Obsequium Iurejurando adigerentur.* Undè *Proceres Regni, & Ecclesiæ, Primores Equitum, & Procuratores Civitatum*, non modò ipsi juraverant; sed cæteris etiam omnibus, Magistratus & Ecclesiæ Munia capessentibus, verba præjerant. Jusjurandum *Pontificijs* delatum est; qui nihil reveriti Fidem Juramenti, *per Æquivocationes, Callidas Interpretationes*, & varias artes irritum fecerunt; semper aliquam Perfidiæ speciem Religionis imponentes. Hæc ludibria Pietatis, non puduit *Iesuitas, Duces perdendæ Christianæ Reip:*, in lucem proferre; & vix Pueris dignas ambages fallendæ fidei docere. *Rex*, cum indies magis cerneret *Improbitatem Ignatianorum, & Sacrificulorum, Regicidas in Catalogo Sanctorum collocantium*, Assensione universi *Conventus Ordinum*, edixit, *Vt intrà Quartum diem Iulij, Britannia excederent; adjectâ gravis pœnæ comminatione, si reverterentur: denuntiavitquè pro Perduellibus se habiturum. Papani quoquè jussi urbe excedere; & Aulâ abstinere, nisi Veniâ impetratâ.* Deincepsquè post *Inaugurationem Principis*, cunctis in urbem redire permisit; exceptis

1610. duntaxat paucis; quos ab agnitæ Veritatis Professione, vel Indignatio, vel audacia abripuit. Adversæ Religionis sævitiam non sustinuit imitari. Deniquè *Covells librum*, parùm integrâ veritate compositum, prohibere maluit, quàm ulcisci in eo, Quæ adversùs Majestatem Imperij, ac Legum dignitatem acerbius dicerentur; quem vetuit publicari, Edicto gravi admodùm, & severo.

Cæterum *Henricus Princeps*, & militaris virtutis Tirocinio, & Indole præclarâ, omnium Ordinum hominibus juxtà charus, summo Procerum, Populiquè consensu, *Valliæ Princeps, Decimo septimo Ætatis Anno, designatur*; aliaquè cuncta ad honorem ejus decernuntur, propter Spem futuri temporis, ut *Cambriæ Principatus*, velut Omen Regni, post mortem Patris esset. *Londini Inauguratio peracta est*, magnâ celebritate, ac frequenti *Procerum* cætu; ipse *Ricamontij* per aliquot dies commoratus, donec Cæremoniæ ordinarentur, repetit Civitatem Vectoriâ nave. *Civitatis Prætor, Magistratusquè Londinenses*, Purpurâ fulgentes; Mercatores torquati, Magistri è Plebe cujusquè Societatis electi, Insignibus velati, Naviculas, vexillis versicoloribus exornatas, conscendunt; & *Chelcea, quod Municipium abest Londino Millia Passuum circiter duo*, Adventum ejus operiuntur. Ubi *Princeps* cum inclytarum familiarum Adolescentibus magnæ spei, totâque Familiæ Nobilissimâ Juventute comitatus, lætis faustisquè omnibus excipitur, & Epulis Spectaculisquè recreatur. *Prætori* primò ad genua accedenti Dextram porrexit; allevatumquè humanissimè respexit. Dein cæteros, Manum, More Patrio, deosculantes, Majestate atquè Mansuetudine exhilaravit. Mox *Lembo aurato*, Buccinis concinentibus, & præcedente Prætoriâ naviculâ, cæteris decoro ordine in Cymbis prosequentibus, *Tamesi devectus est*, avente Plebe visere. Quis tunc quantâcunque ætate, aut Valetudine, lecto suo non exiluit? Quis tantam Frequentiam, in utrâque ripâ Tamesis? Quis tantum *concursum Angliæ totius, Ordinumq́ omnium* vidit? Ergò non ætas quemquam, non Valetudo, non Sexus retardavit, quò minùs oculos insignis spectaculi gaudio impleret. Postremò *ad Pontem* appulit. Tunc *Prætor*, Magistratusquè, petitâ veniâ, discesserunt; ingredientem Curiam *Eques Martialis, & Supremus Ianitor*, Officiosè exceperunt. Reliqui Ministri Regij proprios ordines servarunt. *Quæstor, & Censor domus Regiæ*, cum Clientibus in Atrio; *Prætorianorum Præfectus*, in magnâ Camerâ; *Cubiculo Præpositus*, in Camerâ Præsentiæ; Rex, Regina, Frater, Soror quoquè, in privatâ Camerâ occurrerunt, cunctis honoribus prosequentes. Postridiè ejus diei, suis Clientibus addidit gloriam, *& Equestrem Ordinem Balnei* XXV *Liberis Procerum, è nobilissimâ Inventute delectu, decernendum curavit*; ac binos Armigeros singulis adjunxit; qui Prisci Ordinis Ornamenta, *habitum, vestitumquè Eremiticum, in Palatio Præsulis Dunelmensis, singulari Cæremoniâ, receperunt*. Ibi per Biduum loti, re divinâ factâ, protinùs *Violaceam Togam, Fasciasquè induerunt*; ac præcedentibus *Fecialibus*, cum Tubarum clangore, & Pueris Enses ac Insignia gentilitia præferentibus, decoro more, Equis Phaleratis bini transvecti, Curiam ingressi sunt; exceptiquè *à Rege* honorificè, ac *Militari Balteo* ornati. In *Sacello Regio* fidei Jusjurandum præstiterunt. & *Decanus* unumquenquè Equitum, Votum facere coegit, *pro Libertate Ecclesiæ, Salute Regis, Regniquè mortem oppetiturum, quoties Occasio daretur*. Mox redeundi gratiam fecit. Illi eodem transvectionis ordine servato, à Meridie redierunt. Insequenti die, *Henricus Principalibus Ornamentis insignis, Purpureâq; Clamyde*, comitante *Equitum Balnei* Agmine, in Cymbis, *Vestmonasterium* advectus est. *Rex* triumphalibus Ornamentis, circumfusus undiquè Senatus & Procerum flore, in *Comitiali Camerâ* consedit; *Legatos exterarum gentium* secundo post se Subsellio collocavit; *Senioribus Civitatis* proprium spectandi locum assignavit; *fœminis Clarissimis*, ex superiore loco, in Theatro spectare concessit; *Procuratoribus Civitatum, & Equestris Ordinis flori*, promiscuè interesse permisit. Incedentibus ordine *Principis* Clientibus sericatis, ipse medius inter *Proceres*, Comitialibus Ornamentis fulgentes: ubi Tribunali astitit, *Patrem prostratus veneratus est*, exceptusquè à Rege, magnâ omnium Ordinum, hominumquè Lætitiâ. Perlecto Diplomate, *Pater Principalia Ornamenta dedit, Purpuream togam, Ensem, Pileum, Corollam, Virgam, & Annulum*; Proceribus Supremi Ordinis singula ferentibus, summâ cum gloriâ, Celebritatequè. *Deniquè exosculatus, juxtà se à Sinistrâ in Subsellio collocavit*, & omnibus conspiciendum præbuit. Lætissimusquè is profectò dies *Comitijs* fuit. Peractâ Inauguratione, Splendorem suum promiscuis Civibus in *Areâ Palatij* ostendit. Oppletæ undiquè viæ Concursu, studioquè videndi; quarè cum Patre, Navem Vectoriam conscendit, infinitâ hominum multitudine, in Cymbis prosequente. In Curiam redijt, inter Acclamationes Exultationesquè Populi: Ibi incredibile dictu, quantum gaudium eorum, qui primi *salutarunt Principem Cambriæ, Cornubiæ, & Rothsaiæ ducem, Cestriæ Comitem*; quam peculiaris voluptas *Heroinarum, & Virginum*, è fenestris Regiæ spectantium. Conversus hinc ad Pompam, abundantissimum Epulum *Senatui, Proceribus, Equitibusquè Balnei*, separatim in Atrio domus dedit; ubi ipse discubuit, Illustresquè viri *Trabeati* (sicut erant) *cum Corollis consederunt*: Quos ad hilaritatem hortatus est. Post Crepusculum, *Regina fulgens Cultu, gemmis, Vnionumquè Conchis, ut lætitiam publicam augeret, exhibuit Choreas, comitante filiâ Elizabethâ, rutilante Comâ, & pretiosissimis Margariteis adornatâ; ac Agmine Illustrium fœminarum, Virginumquè, è Nobilissimâ Iuventute, in modum Nympharum excultâ*. Regia Cantu, & Cymbalis perstrepuit, inspectante Rege Pompam, & exultante Spectantium turbâ, in distinctis, & instructis, pro cujusquè dignitate, Subsellijs. In quibus Illustres, Nobilesquè fœminæ sederunt.

Rex

Rex quoquè in honorem Triumphi, Convivia celebravit; *invitatis Sociarum gentium Legatis*; & 1610.
Spectaculorum varietatem, ad lumina edidit. In *Ripâ Tamesis, altissimam Turrem excitavit*, cum supellectili, in Præmium Victoriæ. Vespertino tempore, *Artifitiosus Ignis in Tamesi repentè emicuit*, qui Spectantium oculos, Siderum specie, perstrinxerat. *Exhibuit quoquè expugnationem, direptionemquè Castelli*, ad Imaginem bellicam; Obsidentesquè, ardentis Turris supellectilem, primo statim conatu, diripuerunt; & locupletes abierunt. Item *Simulachrum Navalis Prælij*; directâ Acie, quâ *Classis Christiana & Turcita*, præfixâ in Triremium puppe *Lunæ crescentis specie*, infestis animis concurrerunt, & plerique è Regiæ fastigio spectantium, justum Prælium crediderunt; *Christianiquè* victoriâ, Telis Machinisquè potiti sunt. Et super Naumachiam, *Hasticos ludos edidit*; turmâ Procerum armatâ, in *Catadromo*, concurrente, Phaleratis equis; & Heroinarum innumerâ turbâ, pro ordinis dignitate, tabulata diluculo occupante. Ita *Dies Inaugurationis* debitâ lætitiâ celebratus est. *Festi Nativitatis dies*, eâdem Celebritate peracti, repetitis Ludis, Spectaculisquè.

Princeps indies Juventâ, robore, & suprà ætatem, animi Magnitudine invaluit, maximam de se Popularium Spem conceptam auxit; *Patrem* venerabundus suspexit. Mox omnem curam, ad domum suam ordinandam convertit. *Habitavit Hyeme in Palatio Sancti Iacobi; æstate, Ricomontij*; quod ornavit Porticibus, Imaginibus, Signis, atquè Aquæductibus; Item Saltum, Pascuis equorum, magnâquè multitudine omnis generis ferarum; & ad summam gloriam Obsequio pervenit. Paruit filius Patri; Princeps Regi; Subditus Principi; cum ingenti favore Vulgi. Quodcunquè munus *Pater* injunxerat, Modestiâ, labore, Industriâ subivit. Mirâ disciplinâ, & quàm minimâ Impensâ Familiam, Fortunamquè moderatus est; monitis sæpè *Procuratoribus*, ut cum modo, Mensurâquè Redituum, ratio sumptuum congrueret; adhibitâ Cautione, *ne quid de honore suo minuerent*. Optimum quemquè & fidelissimum Comitum, ad domestica munia legit; ac nonullos ex Equestri Ordine assumpsit, ad laborum & curarum Consortium. *Thomam Chalenorum* Cubiculo præposuit. In quo eximia virtus, ac singularis Humanitas fuit. *Carolum Cornvallium*, pari dignitate præditum, Quæstorem; *Ioannem Hallesium*, Censorem, gubernatoremquè domus creavit. Comites, Servosquè, honestissimos viros, propriâ voluntate, proprio Juditio, non alienâ Commendatione, ascivit. Nullum Officij genus, in Clientes, publicè privatimvè omisit. *Annuum Stipendium Centum Librarum* præcipuis Ministris, viritim, dono dedit. Alijs *Quinquaginta*; Alij *Quadraginta libras*, in Annos singulos, Pensionis nomine, præbuit. Equites, Cæterorumquè Ordinum homines, concussi Litibus, Cupiditate, aut Metu potentiorum, in ejus sinum confugerunt; ut *Principali Auctoritate* suum Jus, suam Dignationem tenerent; effecitquè *Auctoritate*, ut Potentiores Litibus & Judicijs abstinerent; aut Negotium ex æquo bonoquè componerent. Ob quas eximias virtutes, tantus amor Servorum, tantaque Civium in *Novum Principem* reverentia, quantam pauci Juvenes anteà consecuti sunt. Hæc Incunabula, & Rudimenta Imperij, apud Exteros Admirationem pepererunt. Sed quantam Dignitatem ei apud Cæteros mortales, tantam Invidiam apud *Iberos* conciliabant; *prævalente apud eum Batavorum gratiâ*; *qui Arma pro Libertate ceperunt*.

Inter hæc, *Rex* unà cum Senatu, Salutem Reip: procuravit; *& de supplendo bellicarum numero Navium cogitavit*. Navem magni, & immensi operis fabricare cæpit, quà nullam nostra ætas in *Oceano Septentrionali* capaciorem viderat. *Carina ejus erat* C X I V *Pedum*; tantaquè laxitas, ut Porticus, & Cænationes haberet, cælato opere ornatas. Hanc absolutam, & in Mare deductam, *Henrito Printipi* dono dedit, qui Nomine suo insignivit; rebus ad Navigationem necessarijs instruxit; & Expeditionis Maritimæ Impetum cæpit, ut se Acrem & Magnanimum Principem ostenderet; ac Religionem, vel Capitis periculo defenderet.

Superiore Anno, ut antè retuli, *Onerariarum Navium* numerus auctus est. Hoc Anno, *magna Oneraria à Smitho fabricata*, cum Tribus minoris formæ Navigijs, Præfecto *Henrito Midletono* Equite, in *Indiam*, ad Mercaturam exercendam, publicè missa est. Quæ longinquitatem Itineris, Navigationisquè tædium, atquè pericula eluctata, cum ad *Bantamum, Iavæ Majoris Oppidum* processisset, tempestate conflictatâ, & Ventorum Contumeliâ littori impacta, Fusis Armamentis, amissa est. quâ in Navi complures Mercatores, ac Nautæ perierunt; & *Midletonus*, Præfectus hujus Expeditionis, Mari atquè undis absorptus est; magna etiam pars Mercium demersa, ac deperdita. Hoc Naufragium *in Indiâ*, Negotiantium animos infregit. Exhausti igitur, atquè egentes, novam tentare fortunam constituerunt, ad prædandi licentiam converterunt animos; & invectis Urbi *Orientis spolijs, Pipere, & Cinamo*, Cellas repleverunt. Aliqui inserti Societatis numero, propter Navigationis nauseam, atquè pericula in *Africa Asiaquè* Circuitu, *Expeditiones in Indiam* magnoperè dissuaserunt. Reliqui tamen perseverare decreverunt; certum habentes, posse Navigationis tædium, labores, atquè Damna, utilitate quandòque compensari. *Societatis Ærarium ampliarunt*; & Trajectitiam pecuniam suppleverunt, ut plures *Oneraria Naves* ad Mercaturam exercendam, eò mitterentur.

Per eosdem dies, etsi pacata ubiquè esset *Britannia*, tamen *Regia Civitas* rei Militaris studium, per longam intercapedinem intermissum, non neglexit. *Prochodochij Sanctæ Mariæ Antistes*, Campum extrà *Portam Episcopalem*, Militiæ rebusquè bellicis dedicavit; ut Juvenes *Tormentis*, ex ære fusili, quibus Muri Oppidorum concutiuntur; ac *Fistulis ferreis*, quibus glandes plumbeæ, magnâ vi *Nitrati*

Pulveris,

1610. *Pulveris*, excutiuntur, in eo loco uterentur; qui *Hortus Tormentarius* hodiè appellatur. In quem *Philippus Hudsonus*, peritissimos rei Militaris Juvenes, undiquè conquisitos, & Procerissimum quemquè, ad exercenda Arma vocavit; ac nonnullos ex Principibus legit, qui Juventutem instituerent, imbuerentquè Disciplinâ Armorum. Petijt ut id sibi facere, Senatus voluntate, liceret. Eâ de re consultus Senatus, censuit, uti *Puberes* ei Artificio asuescerent; id satius dictitans, quàm intempestiva Convivia, Popinas, Theatra, & Amænos urbis Secessus celebrare. Repetitis Militaribus Exercitijs, *Puberes loricati* non Corpora modò, sed & Animos firmarunt; ut Reip:, ingruente Necessitate, suppeterent. Vulgus, Militare Munus detrectantibus, Timiditatem & Ignaviam exprobravit.

Frumentaria publica.

Hâc Æstate, multa à multis Publica Opera ædificata sunt. *Northamptonus*, jam senior, Majorum Patrimonio magnâ ex parte, insuper Prædijs, atquè Pascuis locupletatus, inchoavit Domum juxtà Regiam; quàm hoc Anno absoluit; absolutamquè *Summæ Trinitati dedicavit*. *Magistratus Londinenses* & cæteri Principes cives, in adornandâ, ampliandâquè Civitate, Monumentis certarunt. Inprimis *Horrea publica* magno sumptu, *juxtà Tamesim* extruxerunt. Cautumquè, ut in Annonæ difficultatibus, ac magna Sterilitate, Frumentum huc, publicâ pecuniâ, inferrent; quod minore pretio, Populo, querenti de Inopiâ, & Caritate, venderent. Perfectis *horreis*, *Domicilium immensæ Magnitudinis, conservandis Carbonibus, Pauperum usui destinatis*, contrà vim frigorum, si forte acrior hyems ingrueret, aut perpetuo Nivium rigore *Tamesis congelaret*. Data *Lemano*, *Seniori Civitatis*, perficiendorum Operum cura; qui adhibuit summam diligentiam, laudans promptos in Opere, castigans Segnes. Multi è Plebe Pecuniæ fructum non alium existimarunt, quàm Donationes in publicos, & pios usus; & pro facultate ædes sacras Vetustate collabentes, suâ pecuniâ refecerunt. *Georgius Palinus*, super *terna Millia Librarum* publicè erogavit; in *utramq; Academiam*, Mille Ducenas: in *Valetudinariam*, Noningentas, unâ donatione contulit. Reliquas Opes in Pias causas legavit, instituitquè ut Annui Magistratus, è Plebe cujusquè Societatis electi, *Templa*, *Fora*, *Basilicas* reficerent; aut *pro facultate Legati*, adornarent. Debetur Authori boni operis *Merces apud Deum* ipsum; grata Memoria apud Posteros, ob opulentissima dona. Hæc *Londini* gesta.

Extant & alibi, per Provincias, *Pietatis Monumenta*. *Thomas Teasdalus*, *Oxoniensis*, Provinciali Parcimoniâ dives, saluberrimo exemplo, in *Collegium Balleoli*, *antiquitùs Oxoniæ institutum*, *Quinquè Millia Librarum liberaliter contulit*. *Numerum Sociorum, ac Scolasticorum auxit*; & opulentissimis donis adornavit. Quinetiam *Hypodidascalum Municipali Scolæ Abingdonensi addidit*; quem Annuo stipendio locupletavit, quo libentius Impuberum Pueritiam institueret, imbueretquè literis; ac Liberalium Artium studijs, Adolescentiam prepararet. Sanxitquè, *Ne quis de Coborte Candidatorum, Sociorum numero, suâ liberalitate aucto, insereretur; nisi Contubernalis illius Scolæ; aut Abingdonensis Municipalis*. Itaquè *Balcoli Collegium*, Munificentiam ejus, per Occasiones, Orationibus celebrat. Nec minore Commendatione, in *Annalium Monumentis*, Liberalitas in *Academicos* commemorata est.

Marmaducus Dorellus, Equestris Ordinis, & domus regiæ Proquæstor, *Fulmeræ, in Bucingamiâ, Templum extruxit*. Cujus extruendi causa fuit hominum Multitudo. Perfectâ sacrâ æde, *Barlous Lincolniensis Episcopus*, singulari Cæremoniâ consecravit; ut in eâ publicæ Conciones, & Dispensationes Sacramentorum fierent. Queri de me *Populus Londinensis* potest, qui in augendâ re familiari, non Avaritiæ prædam, non amplificandi Patrimonij cupiditatem secutus est; sed Instrumentum Charitatis, & incredibilis Benignitatis, ad Memoriam Civitatis sempiternam; quòd singulorum Munificentiam dignis laudibus non prosequar, qui Immortalitatem Nominis meruerunt. *Basilicæ, Porticus, Templa, & Fora, Nova, vel refecta*, complura & egregia, *liberalitatis amplissima Testimonia sunt*, hominibus non iniquis; ut Commemorationi vacare supervacaneum sit.

Per hos dies, *Laverdinus*, *Tribunus Franciæ*, atratus in *Britanniam* venit. Ubi exceptus est honore, Splendori *Francici Nominis* debito. *Penbrochiæ Comes*, Naturâ ipsâ duce, Nobilissimus, *Procerum* turbâ, Purpurâ, Coccoquè fulgente, ei venienti obviam profectus est; *Regisquè* nomine, salutatum excepit; eumquè mox ad *Lambetham*, *Cantuariensis Præsulis Palatium*, regalibus Ornamentis excultum, multis Carrucis, Auro litis, deduxit, mirante obviâ turbâ. Posteà ad *Regem* introductus, causam veniendi sibi esse dixit, *ut Fœdus à prioribus Regibus inter Francos, Brittonesquè factum, Novo fidei Sacramento renovaretur*. Memoriæ fortissimi, & Maximi Regis, ac Dignitati Francici Nominis, datum est. Quare *Rex Britannus*, die Dominico insequenti, qui *Vigesimus septimus Ianuarij fuit*, *ad Aram accessit*, *& fœdus Iurejurando confirmavit*. Legatus voti compos factus, Spectaculis, Venationibus, Anglicæquè Aulæ delicijs, mirificè exhilaratus. Civitatem indè invisens, omniaquè Palatia in *ripâ Tamesis*, à Proceribus extructa; ædium aspectu, & fluminis Amænitate delectatus est. Quoad is in *Britanniâ* fuit, *ei, Comitibusquè, Sexcenti Auri diurni erogati sunt*; Abeuntiquè Munera data. digrediens *Regi* egit gratias; quod tam liberaliter, tantisquè honoribus susceptus fuisset; & in *Franciam* redijt. *Missus Legatus Eduardus Vitsonus, Baro*, cum Nobilissimâ Juventute *Cantianâ*, ac phaleratâ turbâ Cursorum, *ut mutuam Sacramenti Fidem à Rege Francorum, & Matre, quæ Regnum, ejus nomine, procurabat, exigeret*. *Regina*, ut quàm maximi ei haberentur honores, diligentiam adhibuit: separatim primò, deindè publico in Consilio salutavit; *Fidemquè Novi fœderis inviolatam fore, sanctissimè juravit*.

Hoc

1610. Hoc tempore, *Rex*, deficiente belli materiâ, & superante in *Britanniâ* multitudine egente, *in Terram à Sebastiano Caboto* nuper repertam, ad quærendam Sedem, *Novam Coloniam* traijci jussit. Deducendæ *Coloniæ* potestatem, *Henrico Northamptoniæ Comiti*; *Laurentio Tanfeldio*, Ordinis Equestris, Primario Scaccarij Baroni; *Ioanni Doderigo*, Equiti, Municipalis Juris peritissimo; *Francisco Bacono*, Procuratori; *& Danieli Duno*, Supplicum Libellorum Magistro; ac Socijs gloriosi operis, *Diplomate* concessit. Hi *Ioannem Gujum*, *Civem Bristolensem*, *Magistrum deducendæ Coloniæ constituerunt*. Qui munus, delatum ab universis, libenter recepit. *Præmisso numero Colonorum, cum Gallinis, Columbis, Cuniculis, Capris, Vaccis*, cum Spe magnâ, Insulam ingressus est. Et ijs Agros in *Australi Plagâ assignavit, inter 46 & 52 gradus latitudinis*: ut Præsidio essent *Britannicis Piscatoribus*, singulis Annis ad *Asellos piscandos* eò venientibus; quorum ibi Piscatio copiosissima est. Tota Terra Nova, humano cultu vacua, Natali & ingenitâ sterilitate affecta, Sentes atquè Dumos creat. Sola Maritima Ora, nostris *Colonis* exculta, eorum cultu *fruges ac Legumina* gignit. *Gujus*, laborum & Vigiliarum suarum voluptatem cæpit majorem, quàm fructum; crebrasquè Munitiones in Littore instituit; ac omnem illam Oram tutiorem reddidit. Nec intereà Principes, & Participes *Novæ Coloniæ*, sustentare *Colonos* suos unquam destiterunt Commeatu, & rebus necessarijs.

Rex post hæc, *legibus* aliquot promulgandis operam dedit; quæ *leges* impressæ extant, in *Actis Ordinum*; & *Comitia*, toties prorogata, Edicto libens dimisit, *Consilio ejus de bello Clivensi approbato*; *&, in Subsidium, levi Tributo impetrato*. Ab *Angliâ* deindè in *Scotiam* conversus, & ad Curam Ecclesiæ. In *Synodo Glascuæ habitâ*, in Spiritualem Præsulum Jurisdictionem, *Ministrorum Assensum*, non difficulter obtinuit, Auctoritate, ac gratiâ; omnes enim qui interfuerant, consenserunt, suam Pertinaciam pertæsi; *Tribus refragantibus*, pristino animorum ardore, & falso atquè inani Motu. Cum tanto dissidio *Triginta Annis* perculsa, atquè quassata Ecclesia, multa perdidisset, & Ornamenta Dignitatis, & Præsidia Stabilitatis suæ; omnia ejus Vulnera curanda sibi proposuit; *revocanda Privilegia Præsulum*; *Comprimenda* Presbiteria; propagandam fidem; abolenda omnia Dominationis instrumenta, *quæ Cathari sibi impetu vendicarant, in Presbiterijs, & Synodis*, contrà Mores, *&* Instituta veteris Ecclesiæ. Deniquè diuturno Operi tandem aliquandò finem imposuit; reformatoquè ibi Cleri statu, *Georgio Abboto adjuvante*, & alijs amplissimis Doctoribus, qui Dignitatem Præsulum, *Humio* depr●cante, posteà consecuti sunt; Author fuit, ut *Ecclesiastica Politia Harmonia in utroquè Regno congrueret*. Cæremonias etiam transferre ex *Angliâ* paulatim conatus est. Itaquè *Infulati Præsules, Londinensis, Eliensis, Vorcestrensis, & Roffiensis, Ioannem Spotisvodium, Archiepiscopum Glascuensem, Gavinum Hamiltonium, Episcopum Gallovidianum*; *Andream Lambum, Brechinensem*; *Rege jubente, Singulari Cæremoniâ adhibitâ, sacrarunt. Vt ipsi posteà, domi, ita Præsules ordinarent*. Hoc maximè Pacto Consecrationis Solennitas, sub Synodis interdicta, apud *Scotos* interùm invaluit, *Antboritate potiùs, ac Metu*; *quàm Cupiditate Civium, Presbiteria fulcientium*. Contumaces *Ministri*, assiduè tumultuantes, *nihilò meliorem Præsulum Conditionem prædicarunt, vetere Consecrationis Cæremoniâ adhibitâ*. Sed *Rex* Ecclesiam, Episcoporum arbitrio, administravit; Viros idoneos *Præsules ordinavit*; quibus imperavit, *ut Instituto veteris Ecclesiæ, Provincias susciperent*; *ac suæ Ditionis Sacerdotes in Officio continerent*; *aut exauctorarent*; *Opes Ecclesiasticas, fraudulenter Ecclesiæ ereptas, sibi vendicarent: ad sobriam, frugalemquè vitam instituendam, Ordine suo dignam, non ad luxum & Opprobrium*. *Episcopi*, spe & fiduciâ moti, Provincias, *Presbiteria & Scholas literarum ad suam curam transtulerunt*. *Potestatem designandi Ministros, quos vellent, ad se revocarunt*; ut Contumaces *Catharos, Iurisdictioni eorum se subtrahentes, coërcerent*; *de Præsulum Ordine benè meritis gratiam remunerando referrent*. Mox Nova Ecclesiæ facies, per totam *Scotiam* oritur, rebus omnibus Sacris ad Præsulum potestatem revocatis; & vetere Disciplinâ instauratâ; ut Nemo ad *Ecclesiasticum Munus*, *nisi ab Episcopis* admitteretur, brevi sibi Imperium in *Clorum* vendicarunt. *Cathari* quidam, tantam, & tàm liberè instructam Potestatem ferre non poterant; qui effrænatâ licentiâ in *Præsulum Ordinem, Comitiali Auctoritate Anno* 1606, *& Decretis Synodalibus restitutum*, acerbè debacchati, in Crimen Perduellionis, inconsultâ Dicacitate, cum Insolentiâ conjunctâ, inciderunt; ac suâ Pertinaciâ *vitam, & fortunas amiserunt*. Sed *Mitis Princeps* acerbè *declamantes in Concionibus* ad Plebem, partim in *Carcerem* duci jussit; partim *Paræciæ suæ finibus conclusit*; partim *Regno* expulit; ut Cæteri Maledicendi Libidine temperarent, ac Modestiæ assuescerent. *Ministri boni, & docti, prædicarunt Præsulum Ordinem sacrosanctum esse, Deo soli & Principi obnoxium: nec hominibus, ex inferiore Ordine, in eos esse Iurisdictionem, aut Imperium permissum*; frustrà fremente adversâ factione instauratæ Ecclesiæ, Jura, & recentia Comitiorum statuta violari, & penès Præsules Sacrarum rerum Potestatem esse. *Rex* cum Præterita emendare arduum perspiceret, ad Securitatem futuri temporis, *non Alios ad Ministerij honorem pervenire passus est, quàm qui pepigissent, defensuros se Præsulum Dignitatem, potestatemquè*; *abjectâ Æqualitatis ratione*. Multosquè in suam Sententiam pertraxit Liberalitate, & favore. Frustrà *Princeps*, Religione neglectâ, Rempublicam tuetur; quòd Occasus Ecclesiæ, Occasum Imperij accelerare solet.

Hoc in statu cum in *Britanniâ* res Ecclesiastica esset, *de Ditione Clivensi, & Iuliacensi Contentio exorta est, Ioanne Duce, sinè Liberis extincto*. Competitores extiterunt homines, summæ domi potentiæ, *Sigismundus Marchio Brandeburgicus*; *Gulielmus, Comes Palatinus, Neoburgicus*; *Christianus Secundus Elector Saxonicus*; *& Leopoldus Austriacæ stirpis* Surculus. *Brandeburgicus* se ex *majore Natu filiâ* ortum,

1610. gentilitate & Jure hæreditario priorem contendit. Neoburgicus, in pari Propinquitatis gradu, sed ex Minore genitus, Jure suo Brandeburgico cessit; & Sponte à Ducatus petitione destitit. Elector Saxonicus, duplici Jure sibi vendicat, Donatione Frederici Tertij Imperatoris; & Pactis Dotalibus. Leopoldus contendit, Feudum Masculinum, quod de Cæsare tenetur, in Muliebrem Sexum non cadere. Proindè arbitrij Cæsaris Ducatum Iuliacensem esse; in cujus Clientelâ antiquitùs fuerat: de Jure litigantium Proceres Germaniæ non posse dijudicare; Potestatem verò Judicandi summam Imperatori tribuendam; ut eo Judice, ex æquo & bono res ageretur. Igitur, cum Controversia aliter finiri non posset, Matthias Cæsar respondere cœpit, Beneficiario, sine liberis Masculis, defuncto, feudum ad supremum dominum revolutum; ac sui Arbitrij esse, quem hæredem instituerit. & re cognitâ, Ducatum Leopoldo, Consanguineo suo adjudicavit. Ac super eâ re Diploma publicavit. Brandeburgicus adversùs Rescriptum Cæsaris provocavit, ad Ipsum, & Electos Imperij Proceres. Provocatio facta est. Ius Cæsareæ Potestatis in Controversiâ versabatur. His erat inter se de Ducatu Contentio, & exitiabilis discordia. Leopoldus, Austriacâ familiâ subnixus, sedulò agitat, quomodò Vrbem Iuliam suæ ditionis faceret. Promissis ingentibus à Civibus exprimit, ut in verba Cæsaris jurarent, & in Ditionem ejus venirent. Ducatu in duas factiones diviso, pro Leopoldo Iberi, pro Brandeburgico Batavi, summis opibus certaverant, & ob partium potentiam, totus Occidens in factiones decesserat. Brandeburgicus viribus suis tanti belli molem sustinere se posse diffidens, externam Opem implorare coactus, Auxilium Francici Regis imploravit. Anhaltinus Princeps rei militaris scientiâ clarus, fœderatorum Germaniæ Procerum suffragijs electus, & legatus ad Francos, & Britannos missus. Ubi Lutetiam venit, comperit Nomen Batavum Invidiâ laborare; atquè Henricum Regem, incrementa Philippi Regis potentissimi, horrere; Ideoquè ad opem ferendam facilè exulceratum animum incitavit. Nec multos post dies, Henricus in apparatu belli, à Nefario Parricidâ, Cultro confossus est. Nec iccircò promissum Auxilium omissum. Ludovicus filius, misit cum Copijs Castrorum Tribunum, virum bello clarum.

Indè Anhaltinus Britanniam ingressus; & in Aulam accersitus, Regem in Societatem armorum invitavit. Qui & excepit benignè, & prosecutus est multo honore, ac Indulgentiâ. Secundùm hæc, visendæ Urbis gratiâ, circumductus est. Magistratus, cum Insignibus, ei venienti obviam profecti sunt; Conviviumque in Basilicâ præbuerunt. Ille laudabat, mirabaturque sinè Assentatione, immensum D. Pauli Templum, Aquæductus, & Delubra cætera; XII Veteres Societates, Civitatis opes, Potentiam, Magnificentiam, & Instituta. Postremò, impetratis auxilijs, cum Regem, & simili reverentiâ Principem salutasset, in Germaniam redijt. Itaquè non tàm pro gloriâ, quàm pro Religione, ac Salute communi, Iuliacensis Provinciæ Patrocinium susceptum. Ferocissimi Agrestes telis & Loricis armantur. & ambigitur quis præficeretur. Omnium ore Horatius Verus, Tribunus celebratur. Cui Nobilitas ex Oxoniensi familiâ; fama fortitudinis pugnâ Neoportensi, & Mauritij Imperatoris disciplinâ parta. Tandem electus Præfectus Regius, Cecilius Tribunus Militum; in gratiam Roberti Patrui, Quæstoris. Principioquè æstatis, Tyrones in armis exercuit; & Mercenarios milites, spectatæ virtutis, qui in Belgio meruissent, in Iuliacensem Agrum ducere properavit.

Germani, Vicinitate periculi adducti, Anhaltinum cum Copijs, ad Iuliacense bellum miserunt. Cuncta externa Auxilia, Consilijs, ductuquè Mauritij Imperatoris regebantur. Qui magno Exercitu, ad coercendam Leopoldi Insolentiam, furoremquè, profectus, Dusseldorpum Castra movit; & in Itinere Brandeburgicum, eo progressum Germanorum manu, obvium habuit; cujus causâ hoc bellum gerebatur. Indè maturato Itinere, Castris locum cœpit. Infessam à Cæsarianis urbem Iuliam obsedit; Arma, viros, Tormenta, idoneis locis disposuit; Castra Fossis, Vallis, Turribus munivit. Non tàm hostium Manus, quàm Insidias metuens, ne eorum dolis circumveniretur, Comitem Gulielmum Nassovium, in ripâ Rheni, cum validissimo Præsidio reliquit. Expugnatis Propugnaculis labore ingenti, periculoquè Anglorum, & Scotorum, ipsam urbem, tutam Præsidio militum, Arcemquè invasit; indomitus semper, indefessusquè, Rhenum, ac Mosam, & proximos Campos, Admiratione virtutis implevit. Inter quæ, Francici Regis Præfectus Castrorum, cum Decem Mille Peditibus, & XII Turmis Equitum, in Castra venit. Ibi ei præstò fuit Mauritius Princeps, & idoneum ad oppugnandum locum, Copijs Gallicis asservatum, assignavit. Præsidijs Præfectus erat Ioannes Russenburgensis, fiduciâ loci, ingeniquè ferox. Denuntiari ei Mauritius jusserat, Vrbem Brandeburgico ereptam, justo domino redderet: Ne Iram, Indignationemquè hostilem provocaret, & gravem Temeritatis mercedem. Non paruit dicto, tàm ferox animus; urbem Romani Imperij dictitans; Sequè in Præsidio credita urbe moriturum. Quandò neque Auctoritate, neque Minis adduci posset, operibus, Machinamentis, Cuniculis, & omni Astu militari expugnare urbem instituit; mirâ constantiâ ferociam, Superbiamquè Præfecti coercuit. Nec arduum putavit exscindere urbem, interceptis Munimentis; & exclusâ omni Spe Opis externæ. Præfectus cum indies arctius obsideretur; neque effugere diutius posset, quin jam, jam, vi hostium expugnaretur, venit cum Mauritio in Colloquium, de Deditione. & his Conditionibus transegit, ut Impedimenta relinqueret, & Exercitum educeret. Reliquæ Arces in Ducatu occupatæ, & Præsidijs Cæsareis firmatæ, Brandeburgici potestati, fideiquè se permisêre. Ita subacta Provincia; & extortâ Cæsari urbe Iuliâ, fœderatorum armis, Mauritius veram & solidam gloriam reportavit; & in Bataviam regressus est, ut terrorem hostibus, suisquè fiduciam adderet; ac ex Occasione omni quæreret Triumphos. His rebus confectis, Castrorum Tribunus, in Franciam redijt. Cecilius, relicto Belgio, in Britanniam trajecit.

Provincia

Provincia Iuliacensis in Ditione Marchionis mansit, ab omni onere immunis. *Austriaci* nullam Occasionem *Ducatus recuperandi* omiserunt. Sed Conatus omnes ad nihilum tedierunt, per adversæ Factionis potentiam. Posteà de Jure Litigantium Conventus, Coloniam, indictus; adhibitis *Austriacis* legatis; si Contentio transigi Pactione posset. Hâc actione nihil constitutum, ob exitiabiles inter partes discordias. 1610.

Hoc Anno, *Georgius Humius, Baroduni Comes*, magnus, memorandusquè, febrim nactus, Mortem obijt. Is Pecuniæ, Potentiæ, quàm honestæ Famæ avidior, ex tenebris, fortunæ Indulgentiâ, emersit; & gratiâ ac Auctoritate apud *Principem* feliciter floruit, ob Taciturnitatem, & Obsequium; minore Popularium favore, ob Timorem, Formidinemquè animi, in Consilijs capiendis; Tarditatem, Negligentiamquè in perficiendis; Cædem *Limitaneorum*; Multationem Civium; Procerumquè injurias, qui in illum omnia Humanitatis Officia contulerant, ac ad omnes ejus Nutus præstò fuerant, Spe Patrimonij amplificandi, in summis opibus, summâque fortunâ. Veteres Amicos, impensis, atquè Jacturis lapsos, nullâ fide, nullâ liberalitate fulsit, aut sustinuit; sed corruere passus est. *Marrium, Elphingstonum, Moravium, Sconanum, Kinlossensem*, observantes sui, ac in negotijs gerendis probatos, non deseruit modò, sed etiam dolosis Consilijs pervertere tentavit. Qui subitâ ejus Alienatione perculsi, tempori ac fortunæ cedentes, tractandis rebus abstinuerunt. Mors variè, pro cujusquè favore, aut Odio ergà eum, celebrata est. & *non sinè Suspicione Veneni* extinctus creditur; sed incerto magis Vulgi rumore, quàm Signis, aut Inditijs. *Iacobus Humius, Coldimovesius, Majoris filiæ Maritus, in Lothiana, & Mercia pinguissima Arva Scotica Ditionis successit*; qui intrà paucos Annos, libidine, Vino, & Indicræ Artis amore, cum totâ familiâ corruit. Magnum exemplum Posteris. Nec deerant, qui *Infaustas Baroduni Opes*, Calamitatem illius familiæ extitisse, interpretarentur. *Theophilus Havartus, Suffolcij filius, & Baroduni Gener*, amplissimam hæreditatem in *Norchumbriâ*, & Agro *Berricensi*, Jure uxorio, adivit. *Suffolcius*, magnis Opibus, & Prædijs auctus, funebrem Pompam curavit; nec multos post dies, solenni Funere elatus est; traductusquè per urbem ad *Vestmonasterium*, Senatu prosequente, Nobilibusquè Atratis. Die funeris, *Abbotus Londinensis Præsul*, à primo originis die, ad ultimum usquè vitæ tempus, Indulgentiam fortunæ, & gratiam *Principis* commemoravit. Adjecit laudes virtutum ejus, ac animi dotes, *ancipiti assensu Audientium, & Minore apud Populares fide*. Hanc Humanitati *Deprecatoris sui*, Benignitatiquè gratiam retulit, juxtà usum, Munusquè funebris Laudationis. Invidiæ Suspicionem non vereor, nam nullæ mihi cum Mortuo, nisi quæ publicæ, Inimicitiæ sunt. Nec hominem persequor, aut flagitia, quæ abscondi oportet. *Ex hujus Morte magna lætitia ad totam Scotiam pervenit*; nullus gemitus, nullus fletus, nisi *filiæ, & generi*.

Bancroftius Præsul Cantuariensis, in dies singulos *Dolore Calculi* magis magisquè distractus, decessit. Qui ex Conditione abjectâ, atquè humili, gradibus Beneficiorum ad *Cantuariensis Ecclesiæ* fastigium ascendit, nunquam cessante Indulgentiâ *Hattoni*, temporibus *Elizabethæ*; & *Cecilij*, sæculo nostro. Validior ætas *Episcopatum Londinensem* rexit; Senectus in *altissimo Britannia Sacerdotio* fulsit. *Harsnetum* sibi à sacris ascivit; Ecclesiæ fluctus repressit; & *Purioris Religionis Ministros* compescuit. Undè *Cathari* Irâ perciti, ordinem totius vitæ, ab Adolescentiâ, infamarunt; & collegerunt permulta ita fœda, ita flagitiosa, ita obscæna, ut relatu quoquè videantur turpia.



RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER DECIMUS QUINTUS.

1611. NNo insequenti, *Barodunii Comite* extincto, *Robertus Carus* Equestri dignitate ornatus, florenti & incolumi *Humio* proximus; absumpto illo, præcipuus in gratiâ *Principis*; non solùm in suâ gente, sed apud finitimas etiam Regiones, ingenti famâ celebratur; ilicò festinatis honoribus extollitur; & amplis Præmijs donatur; atque ad *Roffiensis Vicecomitis dignitatem, ac Periscelidis Ordinem*, summorum Procerum Ornamentum, Indulgentiâ Domini, promovetur. Is primus Juvenis honos, Posteris Nobilitatis incrementum fuit. *Rex* in Senatu, *Carum* voce suâ magnis laudibus ornavit, summo consensu Audientium; gubernaculumquè Reip: secùm ei detulit, sinè fremitu indignantium. Suffragio ejus, vel studio, honores, Officia, Immunitates largitus est; ejus favor Petentibus aut profuit, aut nocuit. Honores auspicatus, tantâ Moderatione egit in Voce, in Vultu, ut plerosquè ex decretis honoribus in Curiâ, in Senatu, crederetur noluisse decerni. Eodem temperamento, & *Fisco, & Ærario* consuluit; Sumptibusquè publicis adhibuit modum, & Immodicis largitionibus; *querente Quæstore de Fisci Inopiâ*. Indignos Equestribus Ornamentis ornari passus non est. Consilium, affectus gloriæ, & Auctoritas Juveni affuerunt; Qui *Samuelem Danielem, Scriptorem rerum Britannicarum, à Gulielmi ducis Normaniæ temporibus*, præmijs prosecutus est; ejus promptâ laudatione, ac Operis accuratâ Dedicatione delectatus. His rebus permoti plerìquè honorati Adolescentes, petiêre ultrò ejus Amicitiam, atque Benevolentiam; ejusquè gratiâ à Rege sperarunt Opes, Præfecturas, honores; nec dedecus inter Comites aspici, qui plurimi è Nobilissimâ Juventute erant. Ex quibus præcipuè respexit *Thomam Overburium*; & fiduciâ motus, hunc arctè, familiariterquè dilexit. Cum eo Seria, ludos, Jocosquè miscuit. Iste innatâ ingenio violentiâ ferox, ac *Havartorum* potentiam infensè atrociterquè infringere cupiens, eò furoris, Insolentiæquè processerat fastidio, ut Superbiâ Iram summorum Procerum, Indignationemquè mereretur, quorum tutius erat Favorem, melius Charitatem merere. Hujus Insolentiæ, quanquàm multùm reluctata est *Havarta domus*, rerum tunc potiens; tandem tamen cessit Tempori, & Fortunæ; ne Contumaciâ nimiâ exitium totius familiæ provocaret. *Overberius* Equestrem honorem adeptus, *prono tunc Principe ad Roffiensis Clientes*, honoribus aut Muneribus ornandos, in Societatem ascivit *Southamptoniæ Comitem*, fortissimum hominem, Offensiunculâ acceptâ *Havartis infensum*; & proindè suis Consilijs peridoneum. Is Secretum nactus, *Roffiensi* se nunquàm defuturum; ac quamcunquè fortunam cùm illo libentissimè subiturum, pollicitus est, usquè ad extremum. *Roffiensis* lætari se plurimùm Amicitiâ, Societatequè ejus respondit; firmoremquè multò contrà *Havartos* sese factum confirmavit. Hanc rerum vicissitudinem *Sarisburiensis Quæstor* fronte apertâ, pectore anxio excepit; & *Havartos Affines* ad curam suam transtulit; ac omne studium adhibuit, ut Auctoritate, Potentiâquè pollerent. *Roffiensi*, æmulatione, Invidiâquè potentiæ infensus, quòd ab eo apud *Regem* anteiretur; gratiam, Viresquè apud *Reginam & Principem* paravit; ac pervertere Æmulum callidis artibus tentavit; quas ille, Odij, Invidiæquè adversùs se haud ignarus, sedulò vitavit, & in dies Favorem, dignitatemquè apud *Principem* auxit.

Per hos dies *petere institit à Patre Henricus Princeps, ut, Decreto Senatus, Consilio præsideret; ac censentes Consiliarios interrogaret*, uti dictum est. Quo tempore *Roffiensis* petitionem Principis adjuvit, oravitquè *Regem*, perferre desideria filij ad *Senatum*, adhibitis principibus Consiliarijs. *Sarisburiensis* ab Epistolis, à Rationibus, ingenio ad fallendum satis accommodato, summam diligentiam adhibuit, ut quæ à *Roffiensi* publicè procurabantur, ea illi omnia in Contrariam partem cederent. Nec multò post rogarus sententiam, *utrùm Filium Senatui præsidere, publicè expediret?* disseruit, *Communicare Imperium, & filium Patris Majestate ornare, formidolosum sibi videri; æquare, ancept.* Improbavitquè Consilium, ut exitiosum in publicum. Cum plures Sententiæ dicerenrur, ea vicit, *quæ non communicandum cum Filio Imperium censuit*; periculi metu. Itaque *Cecilius*, rerum Civilium peritiâ celebris, Secretum nactus, miseratusquè Conditionem suam, auribus Principis insusurravit, *Roffiensem solum in Rigiâ dominari, ejusquè Conatibus clàm adversari.* Princeps honori suo negata Suffragia, & Laborum, Curarumquè consortium, ægrè tulit. Quamobrem paulò post, *Roffiensis, intellectâ Invidiâ, & Calumniâ sibi*

sibi à Cecilio apud Principem conflatâ, se ad Henricum, purgandi sui causâ, contulit. Princeps Juvenili Fer- 1611.
vore percitus, in Salutatione aversatus est; nequè preces supplices se excusantis audire sustinuit, aut mitigantis Iram. *Regina* etiam, Naturâ præceps, recentem Iracundiam tegere non potuit, donec Favor elanguesceret. Sed à Conspectu suo indignissimè repulit, confestimquè excogitare cæpit, *quomodò ejus potentiam minueret.* At ille, gratiâ subnixus, & Charitate domini, contumacem ejus animum insectatur; & insidiosas *Sarisburiensis* Simulationes exagitat impotentius. *Cecilius*, multis negotijs exercitus, ne Criminationibus subdolè confictis circumveniretur, aut clandestinis Susurris abrogaretur *Quæstura*, & Civilium rerum decus, *Roistoni Venationibus vacavit, domumquè ibi fabricavit*, ex quâ Cursum, Canes, & Equos prospectavit; credentibus cunctis lassum Reip: curis Senatorium virum, renovare gaudia, redintegrare lætitiam. Hæc persuasio plerisquè erat; Prudentiores tamen non tàm Voluptate *Venationis*, quàm Metu amittendæ potentiæ, factum arbitrabantur. *Roffiensis* intereà securus potentiæ, mansit interritus: & amplissimos reditus fundavit ad Sumptum, & Magnificentiam. Sed nimia diviriarum cupido incubuit; querente Plebe de Fisci Inopiâ, Pecuniam Regiam æquius fuit turbæ servientium in Curiâ, quàm sibi numerari.

Equestris Nobilitas, hâc tempestate, non vulgatur, sed *illustratur à Principe*, & Juvenibus clarissimæ stirpis præmium strenuæ operæ datur; *honor honore petitur.* Accensa hinc Nobilissima Juventus ad æmulandum *Castrenses virtutes*, frenandum cupiditates, honorem industriè appetendum magis suo Merito, quàm fortunæ beneficio. *Senatoria* quoquè dignitas parcius indulta, nisi Summis Proceribus. *Rex Penbrochiæ Comitem*, ob decus vetustæ Originis, ac præclaram Indolem, utilissimum Reip: *Senatorem legit*: qui cum Spe magnâ honores auspicatus est; & exsequi, usquè ad extremum, perseveravit.

Jam quæ in *Abbotum* ampla Sacerdotia congesta sunt, suprà memoravi. hoc tempore, absumpto *Bancroftio*, *Cantuariensis Archiepiscopus*, *& Primas totius Angliæ creatus est.* Vir omnibus numeris virtutum, Gravitate, Sanctitate, & Theologiæ studijs insignis; qui non Dignitate magis, quàm bonis Artibus inclaruit. Cum inauguraretur, invitatis ad Epulas Illustrioribus Regni, & Ecclesiæ Proceribus; largissimum Prandium, trinis ferculis, summâ Comitate dedit: quo *Togati*, *Palliatiquè inter Choros, & Symphonias discubuerunt.* Deniquè Convivas ad Hilaritatem provocavit. Versus hinc ad Ecclesiæ curam, & consueta *Archiepiscopis* munia, *Luxum, Adulteria, & Catharorum licentiam* severissimè compescuit; *Clero* conservavit Privilegia, & ampliavit.

Londinensi Sedi vacuæ tùm, Abboti translatione, Ioannes Regius impositus est; non modò temporibus nostris, sed futuris etiam, *Operibus editis*, ornamentum. Mira huic viro Probitas, vivus & ingenuus animus; Os facundum; Vox virilis; magnum Ingenium; Juditium par. Hi duo, summâ Concordiâ, ad Ecclesiam decorandam incubuerunt; ut ad studium Æmulationis cæteri provocarentur. *Magnam quorundam Præsulum, fædamquè Avaritiam, Negligentiam parem*, suâ Integritate, & diligentiâ texerunt. Officiorum varietate, in cooptandis Sacerdotibus, maximam laudem Justitiæ, & Prudentiæ consecuti sunt. Eâdemquè firmitate animi vitia infregerunt.

Hâc tempestate multis Nobilibus dedecori fuit, *aliena uxor inconsultius assumpta; aut Concubina pertinacius retenta*; & puduit excusationem Turpitudini obtendere. *Iurisdictionem Ecclesiasticam* in urbe, delegatis Judicibus; per Provincias, viris idoneis, ad *Ecclesiasticum statum* ordinandum, demandarunt: commonito in *Concionibus* Populo, *ut circà Cæremonias intempestivum dissidium cohiberet; Præsulibusquè pareret.* Seorsùm *Professores Puriorum Religionis* allocuti, ostenderunt, quantum universis discrimen, ex mutuâ inter ipsos Contentione, à *Pontificijs* impenderet; utrisquè pariter infestis. Hi conquesti sunt, *ditiores Curiones suum Munus fastidire; & Pensione annuâ Pauperes Ministros conducere, qui vice ipsorum fungerentur, ad paucas Conciones, Singulis Annis, habendas; at multa universa Ecclesiæ damnosa per eos agitari.* Nec minùs fremebat ea Factio, *quæ Sacerdotia complura Prece, aut Pretio impetraverat.* Hi omnes *Catharos* Maledictis onerant, *esse homines turbulentos, ignavissimos, & ad nullam Ecclesiæ partem capessendam idoneos*, fulminant. *Archiepiscopus* cæpit cum *Catharis inturbidis* mitius agere, qui Doctrinâ, & exemplo gregi utiles erant. Ita per *Abbotum, & Regium Ecclesiastica Auctoritas stetit: & à Rege Ecclesiæ dignitas est sustentata.*

Hoc etiam tempore, *Arbella Stuarta*, in Custodiâ Regiâ fuit; quæ ætatis suæ fæminas Claritudine Ingenij supergressa, Regiæ stirpis Nobilitatem virtute, & Pudicitiâ superavit. *Salopiensis Avia* hoc opus; quæ ita à Pueritiâ imbuit, ita instituit ad rectè vivendum. eadem, Modica cultu, *Civilis* incessu, velatâ parte Oris, festos dies celebravit. Desperatâ Spe fruendi Matrimonij, cum Squalorem Carceris, & Violentiam Amoris diutius ferre non posset, struere, & moliri cæpit, quonam pacto Custodiâ erumperet. Igitur Marito conscio, ac fugæ Comite, & uno ex Servis, *Virili Cultu, in Puerilem habitum circumtonsa*, sopitis Vigilibus, noctu aufugit. Traijcere in *Belgium* fuit propositum. Fugâ postridiè cognitâ, publicatoquè Regis Edicto, de comprehendendis fugitivis, missi in omnes partes Custodes Regij, qui præerant Custodiæ Turris, ut investigarent. egregiâ eorum operâ, atquè infinito labore, cum Vaga & Exul erraret, cognita, & ex itinere retracta, priori Custodiæ mandata est. Nequè posteà in publicum prodeundi facultas data; nequè potestas adspiciendi cuiquam facta est. Satellites Carceris intentiorem custodiam agere jussi, ne Internuntij ad illam clàm venirent; nevè iterùm, rupto Carcere, aufugeret. Maritus pernicitate equi, & festinatione continuâ, per

1611. *fretum Oceani, ad Archiducem pervasit.* Ubi cognito Casu, comiter exceptus est, & ad mortem Conjugis, tranquillè, securequè egit. Credidére pleriquè, Authorem fugæ *Salopiensis Comitis uxorem, Arbella consobrinam*, ferocem & impotentem Mulierem, ad fraudem callidam: quæ in Senatu convicta, *Havartorum*, & aliorum sententiâ, quasi non aliena Consilij, Turris mænibus coerceri jubetur. Illa furens, *Havartorum* potentiam, Superbiamquè magno animo increpuit; Claustris indomita, de *Overberij morte* Quæstionem instituit; & incredibili Sagacitate flagitium investigavit; quod eorum domum concussit, & penè funditùs pervertit, ut suo loco tradam.

Intereà *Rex*, nihil intermissâ Reip: curâ, *res Civium, & negotia Sociorum*, pari Comitate tractavit; edixitquè, ut *Coloni in Agrum Vltoniensem, à se datum, proficiscerentur. Baronem Careum*, studio Antiquitatis, & re Militari celebrem, ad spectandum *Hibernia statum* misit; Mandatisquè cavit, *ut Vltoniensem Provinciam viseret*; & quid de *Regulis*, qui fidem non exuerant; ac nuper deductarum *Coloniarum* Industriâ videretur, referret. Qui transvectus, non modò Civium Obsequium intendit; sed *Prafectorum Avaritiam*, Metu legum, & Principali Auctoritate cohibuit. Quâ coercitâ æqualius atque mitius Provinciæ regebantur. Reversus ille, quid de *Prasidibus, Magistratibus, Provincialibus, & Colonorum Industriâ*, animo haberet, exposuit.

Inter hæc *Delavarius Baro, Virginea Colonia Prafectus, Iacobopolim, Henricipolim, & Carolopolim, Muris, propugnaculis, reliquisquè rebus, ad Barbaros repellendos, necessarijs, apprimè communivit.* Idem *Bermodas Insulas* firmavit Præsidio, contrà suspicionem periculi; redegitquè in *Britannicam* Ditionem, & potestatem, Provinciam amplissimam, atquè ornatissimam. Dux Argolius, ingenio peracri, Oram Maritimam, & Oceani Sinus perlustravit. *Francorum Propugnaculum*, in alieno Solo ædificatum, Solo æquatum, delevit. Ingentem undiquè, omni illo in Mari, *Barbaris* formidinem incussit; & *Colonis* Victum suppeditavit. *Thomas Gatesius, illius Colonia legatus*, in Angliam revehitur, *ut magnum hominum numerum, cum Vxoribus, & liberis*, ad incolendum, traduceret. *Thomas Datus*, Equestris Ordinis, *Colonia Tribunus* militaris, Tribus cum navibus profectus, *Trecentos homines, cum re Annonariâ in Virgineam deduxit*; Subsidium adversùs *Barbaros. Gatesius* eòdem rediens, *Ducentos Octoginta homines, & Viginti mulieres, augenda Sobolis causa, suis navibus imposuit*; cum magnâ multitudine *Armentorum, ac Suum.* Ejusmodique rebus onustus in *Coloniam* revertit. Ubi ægros & afflictos *Colonos*, tædio Frumenti, quod *Maizem Indi appellant*, utiliore victu recreavit; eosque ad Spem multò fælicioris Conditionis excitavit. In hâc deducenda *Coloniâ*, sicut in cæteris Reip: partibus, operæpretium est, *Procerum Northamptonij, Penbrochij, Pageti, Cavendisij, Haringtoni; & Equitum, Thoma Smithi, Roberti Mansvelij, Eduini Sandesij; & Civium Londinensium* Industriam, ac vigilantiam recordari; Qui, quoad *Coloni* per se vitam tueri possent, & quæ sibi usui essent ad Victum quærere, omnium rerum quæ natura desiderat, Abundantiam, & Copiam Sumptu suo suppeditarunt. *Thomas Smithus, Patronus, defensor, gubernator Societatis*, pecuniam in Colonorum usum sepositam, tractavit; ac erogandam in Necessitatem, aut utilitatem decrevit. Multi, etiam privati, novâ Spe illecti, Opes suas contulerunt. Quidam *Plebei* exhausti, atquè egentes, cum Conjugibus, Commeatu omnis generis, ac fortunis reliquis, illuc commigrarunt, Spem habentes non defuturam inceptis fortunam. & *Bermodas Insulas, truncatis arboribus, colere caperunt.* Quarum una ingentis magnitudinis, propter Soli ubertatem, *in Octo Tribus divisa est, Penbrochianam, Northamptonianam, Pagetanam, Cavenditianam, Haringtonianam, Smithianam, Mansvelianam, Sandesianam, denominatas*; qui sibi, Posterisquè, eam Insulam, à Socijs gloriosi Operis, impetrarant; & *Iacobi Diplomate Donationem confirmarant.* Novi Coloni, nova litora, novos Portus, novas Terras, aperuerunt; quas homines incolebant feri trucesquè; qui deseruerant sedes, & in Solitudines aufugerant. *Fumosam Nicotianam* in hortis, & Arvis severunt. Mox in *Britanniam, & reliquas Europa partes convecturi*: ut in posterùm *Cives Londinenses* parcius ab *Hispanis* mercarentur *herbam Barbaricam*, voluptati magis, quàm usui idoneam.

Sub id tempus, Rex regni sui firmandi, & augendi ærarij memor, comitante Procerum Agmine, *Basilicam in Occidente Regia urbis, & Iustitia Tribunalia Pratoris; rerum Capitalium Supremi Quastoris; & Communium Placitorum Iudicis; Fisci quoquè Scaccarium, Baronibus, ac Auditoribus Summarum, Locum attributum*, animo atquè oculis perlustravit; ac quodam Miraculo sui spectantes affecit. *Princeps* quoquè *Tribunalia Iudicum, Litigantium multitudine circumsepta, & Curiarum discrimina avidè spectavit; Indole animi verè Regij*; Speque futuri Principatus Mortales commovit. Mox in *Camerâ Stellatâ, in quâ publica Iudicia, sinè Provocatione, exercebantur*, frequenti Procerum consilio, & Cætu Judicum.

E re universæ *Britannia* visum, *Monetarium Pyxidem*, velut coràm explorare, si Aurum & Argentum justum Pondus & Pretium retineret. Id Quotannis semel fieri solebat, sed alio loco. *Monetales Triumviri aderant, Thomas Knevetus Baro, Eduardus Dubledeus, & Ricardus Martinus*; ne Malitia, fraus, Calliditas, Captio obreperet: Hiquè *Nummularijs, & Moneta omnis generis Cusoribus, praerant.* Rex ibi Monetæ curam acriter egit, Nummariam rem constituit; providitquè, ut Pecunia Pura Putaquè, *in Officinâ Moneta* cuderetur; Auri Argentiquè pretium congrueret. Eâ curâ transfertur *ad Sedecim Aurifabros, rei Nummaria peritissimos*; ut *Monetalium* Præstigijs, & fallacijs, studiosâ diligentiâ occurrerent, ac referrent, quid quisquè commiserit. Hi operam Reip: sedulò navarunt. Iterùm Edicto

palàm

palàm proposito cavit, *Ne Pecunia ad transmarinas Provincias subveheretur*; dissolutionem Imperij identidem ostentans, *si Nervi*, quibus Resp: sustentaretur, inciderentur. Mandavitquè, ut *Procuratores Fisci, & Publicani* adverterent, si quis id admiserit; & Leges anteà latas, adversùs tale facinus perpetrantes, exercerent. Edicti terrore, & captarum pecuniarum metu, *Mercatorum Avaritia* non est coercita. Quare aliud Remedium adhibitum, ut Pecunia quibus posset modis domi servaretur; *Auriquè pretium auctum est*; quod asperius duriusquè Plebi videbatur; sed singulorum incommodum utilitate publicâ compensatum est. 1611.

Crebris Magistratuum flagitationibus, publicè querentium, *confluere tantum hominum numerum in Civitatem*, permotus, alio quoquè *Edicto vetuit*, *Ne Londini, aut in Suburbijs, plures domos ædificarent; ruinosas non nisi Latere, aut quadrato lapide continuarent, ob lignorum inopiam, ne fædâ vastitate Silva procumberet.* Unde contigit intueri formam ædificiorum Urbis novam, & pulcherrimas ædes lateritias. Magnum hoc *Regis* non *ergà Cives* modò, sed *ergà Tecta* meritum. Tanta Benignitas Principis, tanta Tranquillitas temporum, variam multitudinem in urbem amplissimam, atquè ornatissimam confluere fecit; quæ res metum injecit, exhauriri Provincias, Municipia, Rura, translatis illuc opibus Regni; everti Villas, Horrea, & Subsidia Annonæ, nisi Rusticorum Multitudo suis in Sedibus se contineret, & Semina Arvis inserret.

Rebus Civilibus tàm prosperè constitutis, Deo immortali habitus honos; Statutumquè, *ne Die Dominico Senatus haberetur, aut Imperij Negotia tractarentur; sicut antè per multos Annos observatum erat.* Hæc Pietas Regi reverentiam, & Obsequium apud Subditos; gloriam apud Exteros peperit.

Sub idem tempus *Suffolciæ Comes*, in Agro *Trinobantum*, haud procul à *Croceâ Valdonâ*, pulcherrimas ædes, circumseptas Horto, Saltu, Pascuis, Silvisquè, ædificavit; ornavitquè eâ Magnificentiâ, ut immensæ Posterorum opes ab interitu vendicare magis, quàm augere possent: quarum Spatium atquè cultum satius est Spectantium intentis oculis relinquere, quàm referre. Ampliando Saltui, variâ multitudine Ferarum, exturbatis multis Colonis, Agros ab invitis vicinis emit; qui libenter vendiderunt Possessiones, quas vix retinere potuerant.

Baroduni Comes, ut suprà memoravi, nullâ in re damnosior, quàm in ædificando fuit; quippè immanium transvectione Saxorum, Pontem, & Urbis *Bervicensis* Tecta concussit. *Palatium* ibi magno sumptu inchoatum, imperfectum reliquit, Morte præventus; quod ad *Suffolcij* filium, Nuptijs pervenit. *Suffolcius* repentè totum diruit; *Marmoreas Columnas, Tabulas Eburneas*, & optima quæquè Ornamenta usibus suis asportavit, ac ad domum suam absolvendam, Navibus subvexit. Cum haberet supervacua multa, Tabulâ rerum venalium palàm propositâ, vendidit. Operis demolitio, atquè asportatio perdifficilis fuit; in demoliendo permultis hominibus, sinè intermissione, operantibus. Itaquè quod prius Domicilium Præpotentis viri fuerat, nunc nudatum Solum est.

Sarisburiensis quoquè, apud *Hertfordienses*, *Hatfeildium Prædium*, ex Patrimonio Regis, in suum dominium, permutatione *Theobaldinarum ædium*, transtulit; ibiquè Ædes Regias non instauravit, sed Domum eâ Arte, Sumptuquè extruxit, ut mirentur homines, Ædes aliquandò dominas, Sedesquè magni *Eliensis Præsulis*, servientis Cupiditati sufficere non potuisse. Nimium mihi diu videor in Narratione publicorum operum versari; sentio occurrendum esse Satietati legentium; eorum Magnificentia me breviter perstringere non sivit.

Ab *Emanuele Allobrogum Duce*, Oratores missi venêre, *ut cum Rege Britanniæ, de Nuptijs Elizabethæ filiæ, ac Insubriæ Principis agerent*; Quæ concedi non poterant; *quia Pater Comiti Palatino*, VII *viro, ob communem Religionis cultum desponderat.* Ij humaniter excepti, cultiquè perpetuis Benevolentiæ Officijs; *Necessitudinem, & Affinitatem*, cujus causâ venerant, consecuti non sunt; nullâ Spe potiundi, irriti ad suos rediêre; cum Donis tamen, & literis, vicissim à *Rege* ad ipsorum Ducem datis; plenis Humanitatis ac Officij; *quibus gratam sibi Allobrogis voluntatem ostendit: sed ejusdem Religionis Commercio, Palatinum prælatum Cæteris.*

Eodem tempore, *Ottho, Mauritij Landgravij Hassiæ filius, ex Germaniâ in Britanniam venit*, magno comitatu. Reges, & Principem salutatum se venisse dixit. *Rex* subinde obvium sibi Juvenem arctius complexus est. Is per aliquot dies comiter cultus; non multò post circumductus, ut viseret *utramq; Academiam*, & ædes regias. *Academici*, quoad *Oxonia*, aut *Cantabrigia* fuit, ipsum Comitesquè benignè exceperunt, sumptumquè præbuerunt. quâ Benignitate mirè lætus, Itineri se dedit. In digressu præcipui Comites *militari Balteo* cincti, in *Germaniam* redierunt. Quantâ curâ *Rex*, & Indulgentiâ, Amicorum liberos tractaret, hoc facto insigne documentum dedit.

Ijsdem diebus, *Thomas Bestius Præfectus, cum Navibus Quatuor, provisu Indicæ Societatis*, superato *Bonæ Spei promontorio*, ad Insulam *Sancti Laurentij* Naves appulit. Indè, secundis ventis ad *Cambajæ* otam maritimam est delatus; ut Commercium cum *Magno Mogore* exerceret. *Postulavit deindè à Mogore Rege, ut liceret sibi relinquere aliquem Cambajæ, qui Societatis Negotia procuraret.* Magno illius Commodo, assensit *Rex*. Intellecta Regis voluntate, *Paulum Canningum* apud illum reliquit. Intereà *Lusitani* animum Regis Calumnijs, Maledictisquè in nostros incendunt; Insidias struunt, & moliuntur. *Goæ Prorex*, instructâ Classe, in Insulâ *Oceani Indici*, Quatuor majorum *Triremium, &* XXVI *Minoris formæ*, ac Tormentis, Machinisquè dispositis, *Bestium* improviso aggressus est; Isquè Navi

Prætoriâ,

1611. Prætoriâ, *Draconis* nomine inſignitâ, impetum *Thiremium*, ſuprà fidem, ſuſtinuit; ac crebris Ictibus magnam *Luſitanorum* ſtragem fecit. Ingenti undiquè illo in Mari Formidine illis incuſsâ, *Mille Ducentos* interfecit; & *Claſſem eorum* diſturbavit. *Indi admirati ſunt Britannorum fortitudinem, & Luſitanorum Ignaviam.* Præfectus *Beſtus* cum Rege Amicitiâ, Fædereque inito, omnia, quæ ei in Navigatione, & in *Induâ* acciderant, per Nuntium *Societati* indicavit; qui *terreſti Itinere* multas emenſus Regiones, & varijs Caſibus jactatus, tandem *Londinum* venit; *& literas à Præfecto Societati miſſas, Smitho tradidit.* Qui coacto *Senatu Indicæ ſocietatis*, de ſtatu Regni *Mogoris*, & Imperio, de Lucro, & Compendio *Aromatum* diſſeruit. Ingenti gaudio univerſam *Societatem* cumulavit. & quàm fortiter ſe defendit Præfectus contrà *Luſitanorum* Inſidias expoſuit. Interim *Canbajâ digreſſus Beſtus*, curſum versùs *Orientem* tenuit; & *Bantami*, *in Iavâ Inſulâ*, Naves *Pipere*, *ac Aromatibus* oneravit.

Princeps jam armorum peritus, ad rei militaris capeſſendas rationes converſus, non modò equitare, haſtam, galeam, loricam geſtare, vibrare Enſem, modò Equitem, modò Peditem agere didicerat; ſed etiam gravioris pugnæ ſpeciem, cum Militaribus viris, publico Certamine exercuerat. *Nam & Cataphracto Equiti, in Hypodromo concurrebat*, gloriæ causâ, & virtutis oſtentandæ. Impetum equi, quo vehebatur, tempeſtivè retinebat. Hæc Campeſtris Exercitario armorum, favorem Populi, Urbiumquè, magis magiſquè in eum inclinavit; gloriamquè apud Exteros peperit. Pari ſtudio Pacis munia obivit. Opibus, quas *Pater* dederat, ſimul prudenter, ſimul Magnificè uſus; nihil cuiquam nequè vi, neque clàm eripuit. *Ricamonij* hinc Porticus, indè Aquæductus mirà celeritate præperavit; Magnitudini fortunæ ſemper animum æquavit; Servos, atque Amicos ſummâ Charitate tractavit; Præmiaquè, proportione fortunæ ſuæ, quiſquè accepit; Juſtitiæ & Æquitatis rariſſimam laudem, ſinè Aſſentatione, comparavit; Miſeris ſuum ſinum pateſecit. Ergò *Raleius*, de cujus Damnatione ſuprà retuli, multis Promiſſis Juvenilem animum fatigavit; ſcripſitquè ad illum, *magnam ſe Auri vim ex Americâ allaturum, ſi brevem Carceris veniam impetraviſſet.* Princeps ſpectatâ rei Navalis Peritiâ, ad Spem haud dubiam tractus, *Patrem* orare, atquè obſecrare inſtitit, ut Ille Carcere liberaretur; qui datis dilectis Navigijs, *Barbaris* inſerret bellum per *Americam*; & partam Prædam, ex promiſſo, adveheret. De tuendo, ampliandoquè Regno, & Defenſione Inſtauratæ Religionis indies meditantem, *immaniſſima Mors prævenit.* Longiſſimum illi ævum vota publica optarunt; ſed non impetrarunt, Fati iniquitate.

Hoc tempore, *Roffienſis Periſcelidis Ornamento auctus*; Prædijſquè amplis locupletatus, gradatim à magnis ad majora aſcendit; quid cuique Mortalium dandum foret, velut ſuo ore pronuntiavit. Parùm tempeſtivè adeuntes ſe, inſolenti vultu reſpexit. ſubitam ſui Oblivionem induxit nimia fælicitas; & Levitas nova Conſilia inchoavit; omnia repagula Juris, ac Officij convulſit; *alio vultu, alio Vocis Sono, alio Cultu inceſſit.* Epiſtolam divulgavit, ac multis dedit deſcribendam, quâ *ſe Anglicæ Originis publicè teſtatus eſt*, ut gentem eâ re demereretur. Excanduerunt *Scoti gentiles*, & *Epigrammata*, Vitia ac Mores convulnerantia, compoſuerunt; inexpiabilem ſibi Invidiam, hinc maximè, in Curiâ conflavit. Adjecit ad tàm inſignem gentis Contumeliam, multò flagitioſius factum. Nam ad Luxuriam Libidinemquè verſus, Muliebres cætus, Oſcula, Complexus, locis æmenis, & ab Arbitris remotis, frequentavit. Suprà omnes Mulieres, *Franciſcam Havartam, Suffolcij filiam, cui Matrimonium cum Eſſexia Comite fuerat*, impotenter amare cæpit; ſimul donis, Beneficijſquè plurimis, in Amorem ſui pellexit. *Overberius*, ejus familiariſſimus, Juvenis acer & vehemens, in *Havartos* ſemper Contumelioſus, auſus eſt Domini libidini clariſſimâ voce adverſari; ac renuntiare Familiæ apertas Inimicitias; Nuptæ amorem infauſtum, ac illicitum; ſi Juvenili fervore impulſus, carere non poſſet, ſatius eſſe *in Concubinatu, quàm in Matrimonio retinere*, quod ſinè Infamia, & pernicie perpetrari non poterat. Ita Contumaciâ, ac Faſtidio, Fatum provocavit, & exitium ſuum acceleravit. *Roffienſis* ferociâ Amici, ac Violentiâ territus, & Amore incenſus, Contubernio & Curiâ expellere ſtatuit; excogitatquè rem ſingularem, *ut Overberius*, Specie honoris, Beneficijquè, *ablegaretur in Belgium.* Ipſi autem, remoto atquè ablegato tàm moleſto Interpellatore, ſolutiore ac liberiore animo agerent. Res in Senatu acta eſt, expectatione ſummâ. *Overberius* Inſidiarum primò neſcius, mox proſpiciens animo, ſe, Specie honoris, pelli; ut infauſto Conjugio locus pateſieret; *legationis Munus recuſarit* ferocius; ſe imparem tanto Oneri excuſans, Obtentu Valetudinis, & Negotiorum ſuorum, aut Amicorum; quæ non liberum erat, inchoata relinquere. Hæ recuſandi præcipuæ rationes; & *non placuit ex Britanniâ exire*. Senatores Intentionis arcanæ ignari, firmarunt Alloquio; & precati ſunt, ut Privatas res, ac Neceſſitudines, publicis poſtponeret. At ille, inſitâ ingenio Contumaciâ, Senatus Auctoritati imprudenter obſtitit; intemperanti Libertate Impotentiæ voces ſecretò edidit, *eſſe Roffienſem Conſervatorem Inimicorum, Deſertorem Amicorum, ac Southamptonij, adversùs Havartos tàm enixè defendentis.* eâdem licentiâ, ſpretâ potentiâ, Facta, Dictaquè ejus acerbè redarguit; atque linguæ Temeritate præcipitavit vitam ſuam. *Roffienſis*, non minùs familiari vultu reſpexit, ſed ſolitâ Indulgentiâ tractavit, Conſilioquè ejus, ſicut antè conſueverat, uti ſimulavit; ut præriperet facultatem nocendi. generoſa Conſilia mihi magis probantur, quàm Aſtuta & Callida. *Roffienſis* Legationem recuſantem ſecretis Criminationibus inſectatur; Contumaciam ejus, & tumidum Spiritum apud Regem, multâ acerbitate, incuſat; & Factionem Procerum in Aulâ concitare arguit. *Rex* fraudis ignarus, Conſilij ſententiâ

atripi

arripi hominem, ducique in Turrem jussit; ubi non diu effugit Exitium. *Roffiensis* digredientem læto vultu prosecutus, *brevem fore Carceris moram pollicitus est*; ne Crudelitatis ac Perfidiæ Infamiam subiret, deserendo causam Amici, atque Clientis. Cum esset Juvenis in tenebris, in Carcere, in Squalore; Pater, exactâ ætate, adeundi filium miserum potestatem impetravit. & Sex illis Mensibus, quibus fuit in Carcere, sæpè supplex *Roffiensem* oravit, atque obsecravit, *ut aliquandò ille Miser Calamitate liberaretur*; dissimulans cujus Irâ premeretur. Ille, qui Piratas, suâ sponte, omni supplicio liberavit, graviter severèque respondit, *Remp: administrari sine Formidine, ac Severitate non posse; nec posse se repentè Iudicium Senatus rescindere. Idcircò constitutum, ut Cæteris Contumacibus exempla periculorum proponerentur.* Post multas irritas preces Patris, filius impatiens dilationum, ad *Roffiensem* scripsit, exprobranti, quàm Supplicanti propior: *Nihil se miserum fecisse; nihil commisisse, ut tàm acerbâ Injuriâ afficeretur.* Sed neque Amicitia filij, neque lachrymæ Patris prævaluêre. Libertus, ex Secretioribus Ministris, missus ad placandum Juvenis animum; additâ in Mandatis Spe propinquæ libertatis. Intereà *Essexij uxor*, Mulier ferox, Spem nullam Matrimonij sui superesse, nisi in flagitio rata, *Overbertum Nuptijs suis adversantem* Veneno aggressa est. Corrupta ad scelus, *Turnerij Medici Vidua*, decora & procax; cujus operâ, & Consilio paratum Venenum. In Ministerium assumptus *Vestus*, Custos in Carcere appositus; per quem *in Placentâ datum est: ita confusum, ut secerni nullo modo posset; & lentum, ut facilius falleret, & tardius in Venas permanaret.* Commesâ Placentâ, excruciatus doloribus in Morbum incidit; quem ad Infamiam traxerunt Inimici, in devexando nihil pensi habentes; & *lue vereneâ laborare* impudentissimè mentiti sunt; ad occultandam facinoris Invidiam. Per aliquot dies ægrotans, exanimatus est; *pertenus Suspicione de Crimine Veneni*; humili viridiquè stragulo contectus, subitoquè funere elatus, *raptim levi Cespite obrutus est.* Inimici Cæde non satiati, contumeliosis verbis mortuum insectati sunt. Quemadmodum, post Mortem, ordo sceleris patefactus est, Consilio per Conscios parùm cælato; & Quomodò *Roffiensis* insimulatus est Capitalis, atquè Invidiosi Criminis, in suum tempus distuli. *Post Mortem ejus, Nefaria Mulier Nuptias moliri cæpit.*

Per idem tempus, *Legatus Baticus* in Senatu acerbè questus est, *Sarisburiensem, Spe & Præmijs tentatum, potiorem Batavorum, quàm Philippi Regis Amicitiam habuisse; Nuptiasquè Regiæ Puellæ, Henrico Principi oblatas, sprevisse; quæ duo potentissima Occidentis Regna conjungerent. Magnam vim Auri, Argentiquè appendi ei Quotannis à Batavis, ut Consilia Batica, arcanasq; res enuntiaret.* Responsum est à Rege, *damnari, sinè defensione, non oportere Ministrum intimum, absentem. Cum Valetudinis causâ abesset, ubi convaluisset, si coràm eum arguere vellet Fraudis, Perfidiæ, Sceleris; daturum se operam, ut Iure in eum animadverteretur.*

Cæcilius Quæstor, petitum se Criminationibus gnarus, spretâ potentiâ *Philippi*, æquiorem se *Batavis*, quàm *Iberis*, Reip: amore, professus est; & hanc rem nec Invidiæ, nec Crimini sibi esse oportere, defendit. Objecta Crimina inficiando diluit, cum summâ fiduciâ Innocentiæ. An ægrè tulerit, *Roffiensem Iuvenem, apud Regem sibi favore & gratiâ prælatum, explorati nihil habeo.* Multi certè crediderunt, in dies singulos, ejus rei mærore, magis magisquè distractum. Itaquè *Cacochymiâ* tentari cæpit; & satis vehementer, diuquè ægrotare; ut non facile extrà tectum quisquam videret. Morbo affectus, ut valitudinem curaret, *Meyerno Franco, Medico Regio usus est valdè familiariter*: cujus singulare Consilium, diligentiam, vigilantiam sæpe anteà expertus est. Qui contrà vim Morbi *Sanguinis missionem* elegit; quæ in *Britanniâ* non est tàm necessaria, quàm in *Fraucià*; ubi Alimenti, Cæliquè naturâ, omnes ferè Morbi ex calescentibus humoribus gignuntur. Adversùs quos præclarum hoc Remedium est. Sed in putrescentibus Humoribus non est æquè salutare. Crescente indies Morbo, ut eum nemo extrà lectum videret; *Butlerus quoquè Medicus doctus, juxtà Galeni rationem, ac disciplinam*, adhibendo remedio dilectus. Qui libertati propior, quàm Servituti; veritati, quàm Simulationi; *cum ægrotus convalescere se putaret*, ex Pulsus differentiâ, Spiritu, Multisquè alijs Signis, *prædixit, Mense Majo moriturum*; monuitquè, ut res suas ordinaret. Nec defuit Eventus. Ægrotus admonentem *Butlerum irrisit; & ut falsum Vatem aspernatus est. Meyeruum assidentem, Officij causâ, præmijs rei Pecuniariæ magnis donavit.* De hoc *Butlero, & Diogene Cynico*, ob Similitudinem Morum, paria Vulgò referuntur.

Sarisburiensis, pravis humoribus torpescens, urbe digreditur, mæstâ circà Lecticam familiâ obequitante; & ut Valetudinem recuperaret, *Thermas Bathonianas, Mephitim exhalantes*, se contulit. *Rex* de valetudine ægri magnoperè anxius, crebrò per Nuntios invisit; & *Medicorum* primos, Symptomata variantis Morbi, per dispositos Cursores, nuntiari jussit. Nihil vis humana intentatum reliquit; sed rapida potentia Morbi, omnem operam, Peritiamque Medentium elusit; & *Conjecturam Cynici*, Mortem ex multis Signis præsentientis, confirmavit.

Hoc Anno, quoquè in *Scotiâ* Pecunia à Negotiatione legitimâ translata, ad Uberiorem *Quæstum, & Fænerationem* illicitam. Ubi plures *Centesimis usuris* non contenti, non modò magnum, sed etiam *iniquissimum fænus* exercuerunt; & *Vsurarum Vsuras*. Quæ hoc Anno severe coercitæ; cautumquè, *ne Suprà permissum legibus Modum, Vsuras quis exigeret. Burlaus Baro* adhibendo remedio dilectus, impetravit *Mulctam immodicè Fænerantium*. Multi pro modo Delicti mulctati. Ex his Incommodis se Pecuniâ liberarunt. Iste asperior in *Fænore coercendo* habitus, sui Quæstus gratiâ, omnibus pecuniosis metum injecit. Quo facto in Multitudinis acerbissimum Odium incidit. In timore *Civitas* [illegible]n-

1611. *burgena* fuit, ne Quæstio in optimi cujusquè fortunas erumperet, Calumnijs, Rapinisquè *Burlai*; qui Quæstioni severius præerat. *Rex* Quæsitoris Avaritiam sagacissimè odoratus, Furorem mitigavit, constituitquè, *ut impunè esset ijs, quibus Delator deesset*. Cæteri illicitè fænerare *convicti, virorum bonorum testimonijs, iniquissimo fœnore abstinere cogerentur; ademptâ parte bonorum; & interpositâ* Cautione, ad Securitatem futuri temporis. Verùm, non inutilis *legitima Vsura stipulatio* facta est; *cum Decima pars Sortis, Vsura nomine, quot annis exigeretur*. Majus legibus Fænus prohibitum, *in Obligationis, Pignoris, vel Hypotheca Conditione.*

Eodem Anno, *Bartolomeus, Legatus Arianus*, qui *Divinam Salvatoris Naturam obstinatè negaverat*, coactâ frequenti Sacerdotum multitudine, Impietatis convictus Verbo Dei, abreptus à Tribunali, *in Vincula conjectus est*; ut eum Ineptiarum suarum pæniteret. Interrogatusquè, *ecquid pæniteret? Numine fecisse se, Authore, respondit; Cujus Auctoritatis neminem posset pænitere.* & cum summâ verborum acerbitate intonuit. Quamobrem, *è Carcere ad Palum, atquè Ignem productus, Londini, in Campo Fabrili pænam quæ tanto facinori deberetur, simplici Morte subivit.*

Similiter *Eduardus Vightmanus*, furore ex impurissimo Phantasmate concepto, summâ hominum frequentiâ dixit, *Se esse Spiritum Sanctum; & Æternitatem, Immortalitatemquè, inauditâ Vecordiâ, ac abominandis Convitijs, sibi vendicavit.* Ideò *Lichfeildensis Ecclesiæ Præsul*, in Carcerem condi imperavit. Ubi Nequè Charitate à nefariâ Opinione deterreri poterat; sed contumaciter in Impietate perseverabat. *Ecclesiæ Inditio condemnatus, Lichfeildiæ*, inspectante penè totâ Civitate, gravissimas pænas Opinionis impurissimæ sustinuit, *Restim, flammam, ac fumum.* Ut alijs delirantibus, formidinis similium *Phantasmatum*, atquè exempla suppliciorum proponerentur. Cum jam *Tortor atquè Tormenta adhiberentur, tùm demùm se Mortalem sensit.* Nemo non illum perhorruit, quasi tetram & immanem belluam; Nemo Impietatem vindicatam severè existimavit; cum graviora Supplicia sint in Impios, More Majorum, constituta.

Dum hæc in *Britanniâ* geruntur, in *Bataviâ Conradus Vorstius, Theologiam Lugduni Batavorum publicè profiteri cæpit; & maxima Dignationis apud Batavos haberi.* Cui in eâ urbe Domus data est, & Stipendium; quò facilius vacare studijs posset; ac conscribendis libris operam daret. Is *Tractatum Theologicum de Deo, Anno 1610 composuit; & hoc Anno Exegesim Apologeticam Fœderatis Ordinibus dedicavit.* In quibus *libellis*, Ingenij levitate, & doctrinæ fiduciâ, in Mysterijs *de Divinâ Essentiâ, de summâ Trinitate, de Vnione hypostaticâ &c*, plurima temerè innovavit; & ab Ecclesiæ Interpretatione aberravit. *Eius Libri, Autumni tempore, ad Regem perlati sunt*, cum avocaretur studijs; & Regni Provincias, de More, lustrans, daret se labori atquè Itineribus. Quibus in Secessu raptim perlectis, complura, & memorabilia *Parodoxa*, hæresi propiora, quàm Religioni annotavit: *Deum esse corporeum; Essentiam, & Substantiam, cum hypostasi confundi; Deum Quantum, & Qualem; Æternitatem cum Æviternitate in promiscuo esse*; ac alia atrociora, quæ scelus est dicere, & horror audire. Protinùs divinæ gloriæ zelus, Regis animum penitùs inflammavit, & incredibilis hominis Perversitas, hostis Deo Immortali, sic commovit, ut literas, in hanc sententiam, *ad Legatum suum Vinvodium, Hagæ commorantem*, mitteret. *Fidelis & Dilecte. Quàm potes festinè Ordines convenito, ut illis, nostro nomine, significes, nihil dubitare nos, quin per suos Legatos, quos jam antè Biennium dimisimus, moniti à nobis fuerint, ut providerent*, ne Hæreticos, & Seditiosos Concionatores, *in Remp. paterentur irrepere. Notabamus præcipuè Arminium; qui etsi paulò antè excesserat è vivis, Discipulos tamen multos superstites reliquit. Nunc, pro perpetuâ nostrâ in eorum Remp: curâ, omittere non potuimus, quin novâ causâ subortâ, eos de integro moneamus. Venit nuper in Manus nostras cujusdam Vorstij, Sacræ Theologiæ Doctoris liber, Atheismo & Blasphemijs ita refertus, ut pro eâ sollicitudine, quâ Christianum Principem, & Defensorem fidei, (quales semper nos fuimus) ergà Ecclesiam affici oportet, non modò Librum Flammis censeamus urendum; sed Auctorem quoquè ipsum gravissimâ pænâ multandum. Hæc cum ita sint, tantùm abest ut hoc Ecclesiæ Scandalo indoluerint Ordines; ut hominem ad Theologicam Cathedram, in Academiam Lugdunensem crebris suffragijs vocaverint; quem locum non multò illo melior* Arminius, *cujus adhuc durat in multorum animis Aculeus, nuperrimè tenuit. Cum igitur appetat S: Michaëlis dies, Electioni destinatus, & è Dignitate nostrâ, & Conscientiâ esse arbitremur, huic Pesti (quantùm in nobis est) occurrere*; qui Illustrissimis Ordinibus, *propter Religionis Communionem nunquàm antehàc defuimus; volumus nunc ex te resciant, nihil posse Nobis accidere ingratius*, quàm si Monstrum illud hominis, ad tantum in Ecclesiâ honorem evexerint. *Quod si prætendant, hominem, retractatis jam Erroribus, Professoriæ Dignitatis capacem factum: respondebis, tantum delictum eâ Palinodiâ leviter nimis expiari. & si nos audiant, gravius propterea puniendum. Nedùm ut eo Nomine, tantum honorem mereatur. Et quanquàm ferè nobis persuasum sit*, Fœderatos Provinciarum Ordines, *ab hâc Viperâ (undè & Schismata in Ecclesiâ, & dissidia in Rep: eveniunt) satis sibi per se ipsos cavere; si tamen primum de illo promovendo Consilium mutare noluerint; tunc illis, Nostro nomine, denunciabis*, Orbem Terrarum Scripto Publico certiorem facturos nos, *quanto Odio Hæreses illas, earumq; Defensores persequamur. Atquè ut* Illustrissimi Ordines, *rectius intelligant, quibus nostra Monitio fundamentis nitatur; teterrimorum Errorum, quibus nulla Libri Pagina vacat, unà cum his* Catalogum *accipe*; & vale. *Legatus* publicè dixit, sese à suo *Rege* hæc habere Mandata, ut *Ordines* adiret; eosquè periculi moneret, communi utriusquè gentis Religioni imminentis, si tanta Impietas, scelere istius conflata, mentes hominum occuparet; & hujus mali Contagio latius serperet. Hâc suâ flagitatione id saltem perfecit, *ut Responsum in hanc*

Sententiam

1611

Sententiam impetraret. Perceptis, quæ Serenißimi Britanniarum Regis legatus, & Consiliarius in Conventu Ordinum, x 1 Kalend: Octob: scripta exhibuit; & rei Summâ prolixe disceptatâ, officiose & submisse à Serenißimo Rege contendunt, ut sibi persuadeat, Fœderatarum Provinciarum Ordines, cum contrà Iujustitiam, & Tyrannidem, & Carnificinam Hispanicam, quæ in corpora, fortunas, & Conscientias multis Annis grassata erat; frustrà jàm omnia Supplicationum, Precum, diuturnæquè Patientiæ remedia tentassent; tandem ad Libertatem suam, & Privilegia tuenda compulsos fuisse ad Arma: & Serenißimi Regis, aliorumq; Principum & Rerump: implorato auxilio, bellum ex eo diuturnum, difficile, & Sumptuosum; memorabiles terrâ mariq; pugnas; Vrbium Obsidiones, & Ruinas. Regionum, & Civitatum Vastitates; aliaquè omnia Belli incommoda, summâ in utrâque fortunâ Constantiâ, animiquè Moderatione pertulisse: Principem autem suscepti, gestiquè Belli causam illis fuisse, Crudele illud in hominum Corpora, Fortunas, & Animas, Hispanicæ Inquisitionis Iugum; quo majore nunc Obsequio se Serenißimo Regi sentiunt devinctos; qui, post tot Amoris, Consilij, & Auxilij documenta, Paternâ adhuc eos prosequatur curâ; ac dùm Puritati Christianæ, Reformatæquè Religionis in nostris Ecclesijs, & Scholis conservandæ, tàm sollicitè incumbit, fidem faciat duraturi Affectus; quo nomine Illius Majestati gratias agunt, quantas mente complecti valent: & Piæ sinceræquè Monitioni ita se audientes fore spondent, ne posßit indè ulla Querelæ materia oriri. Quod ad Doctoris Vorstij negotium attinet, hæc se comperisse. Academiæ Leidensis Curatores, quum pro Officio suo, & perpetuâ Academiæ Consuetudine, Doctorem Theologiæ exquirerent, qui in Cathedram vacuam succederet; inaudivisse, Steinfurti, sub Comitibus Bentimiensibus (qui primi in Germaniâ, Superstitione & Idolatriâ Papatus rejectâ, synceram Religionem, quam etiamnùm retinent, amplexi sunt) quendam Doctorem, Conradum Vorstium, jam Decimum Quintum Professionis Theologiæ, & Ministerij Divini verbi Annum agere; Virum, ob singularem Eruditionem & alias animi dotes, à domino Mauricio, Hassiæ Lantgavio, Professorem Theologiæ expetitum; & Controversijs adversùs famosum Jesuitam Bellarminum, Christianâ Modestiâ disceptatis, etiam eorum Iudicio olim laudatum, qui nunc se Capitales illius hostes profitentur. His de causis, illum à Curatoribus Academiæ, initio Mensis Julij, Anno 1610, indè excitum, missis ad Comites Bentenienses Illustrißimi Principis Mauritij, & Dominorum Holandiæ & Vest-Frisiæ literis; Cui Vocationi ab hominibus, quorum ea res nihil intererat, Mense Augusto obviam itum est. Cum igitur Vorstius Hæreseos insimularetur, visum fuisse Curatoribus (nec ipse refragabatur) ut tùm Hagæ, tùm Leidæ se sisteret; & objecta, quà posset, dilueret: neminem tamen vel hìc, vel illic inventum, qui quicquam adversùs eum diceret. At Majo sequente, à sex Ministris accusatum fuisse. Quibus, in pleno Conventu dominorum Hollandiæ, & Vest-frisiæ, auditis; cum adessent Curatores, & Sex prætereà Concionatores; Auditis quoquè Vorstij ad singula Responsis; & causâ utrinq; fusè disceptatâ, Dominos, post maturam Deliberationem, adhibitis quoquè in Consilium (pro illius Conventus more) Concionatoribus; nihil causæ invenisse, cur rescinderent, aut morarentur, quod à Curatoribus legitimè, atquè ordine factum esset. Augusto proximo, nova Accusationis Capita contrà Vorstium excusa, & in Populum vulgata, novæ Consultationi causam præbuisse: in quâ, juxtà divina & humana Iura, & Patriam Consuetudinem, decretum est, ut his quoquè Accusatoribus Vorstius de integro responderet. quo in Conventu Ordines Hollandiæ & Vest-frisiæ, cum Curatoribus Academiæ, & Consulibus Urbis Leidensis, contestatos fuisse, nunquàm sibi in mentem venisse, aliam à Reformatâ Religione in Scholis admittere; nec Vorstio illic locum fore, si vel unius ex objectis Erroribus peragerctur reus. Ideoquè confidere Ordines Hollandiæ, & Vestfrisiæ, magnæ Britanniæ Regem de toto negotio, ejusquè Circumstantijs, & bonâ eorum mente plenè edoctum, pro singulari suâ Sapientiâ, & Prudentiâ, & Benignitate, quæ ab ipsis facta essent omnia æqui boniquè consulturum; præsertim cum à Delegatis Spes facta sit, nihil ab Hollandiæ & Vest-frisiæ Ordinibus, hoc negotio, vel alio quocunq;, agendum, nisi cum debitâ Serenißimi Regis, ejusq; Monitionis reverentiâ. Vniversos intereà Ordines seriò à Domino legato petere, ut apud Regiam Majestatem responso huic gratiam conciliet.

Dat: Hagæ in Conventu Ordinum Kalend: Octobr: 1611.

Rex cum Contagio non solùm Socios vexaret, pravâ Religione imbutâ totâ ferè Bataviâ, sed sui quoquè Subditi periclitarentur, impios Vorstij libros in Cænotaphio D. Pauli, & in utrâque Academiâ, Foculo in Foro posito, adhibitoquè Magistratu, publicè concremari jussit. Quid de hoc Ordinum responso, & Vorstij causâ sentiret, alijs literis significavit; quas ad eos deferendas Legato dedit; qui reddidit Hagæ, Nonis Novemb: in omnium Ordinum Conventu. Ubi literæ in hanc sententiam perlectæ erant. Illustrissimi, & Potentißimi Domini. Cum ex Responso ad proxima nostra Postulata, certiores facti essemus, vobis esse in animo, Comitijs Novembre habendis, de illo Vorstio certi aliquid statuere, quanquam antè per Legatum nostra Mens vobis satis innotuerit; non abs re tamen visum est, & ut Pietatis in Deum, & synceræ in vos Charitatis Officio fungeremur, vestram hisce literis Memoriam refricare. Satis arbitramur vobis constare, nullâ humanâ ratione induci nos, ut in hujusmodi negotio vobis Negotium facessamus; sed quicquid hujus factum est, id Divinæ gloriæ zelo, & Scandali omnis ex reformatâ ecclesiâ purgandi studio, factum esse. Quod homini corruptißimo in Vrbe celeberrimâ domicilium concesseritis, non possumus non mirari. quod verò Apologiam illam, vobis inscriptam, in quâ priorum omnium Blasphemiarum Impietatem recoxit, permiseritis apud vos excudi, & in Populo vulgari; longè præter nostram Expectationem accidit. Nos à proximis literis ad Legatum nostrum datis, duos illos Vorstij libros, Priorem Hassiæ Lantgravio, Posteriorem vobis inscriptum (ne de re ignotâ judicare videamur) legimus, quanquàm non sinè horrore; & relegimus. Spes erat, ex vitioso illo Semine,

1611. quod Dei hostis Arminius inter vos seminaverat, (undè permagna vobis Messis nunc metitur) adversùs ejusmodi hominum Pestes vos factos cautiores; præsertim cùm indè inter vos Schisma exortum sit; cui nisi obviam eatur, Reip: vestra salus, quæ, secundùm Deum, Solâ nititur Concordiâ, in præsentissimo discrimine versatur. verùm quidem est, nullam hujus Arminij ad nos famam priùs venisse, quàm è vitâ excessisset: at dissidio, quod in vestrâ Rep: moriens reliquerat, tandem, sed serò intellecto, legatis vestris, qui eâ tempestate Extraordinary nobiscùm erant, quid maximè foret è Rep: vestrâ, sinè morâ, indicavimus. nec dubito, quin, bonâ fide, meo apud vos Mandato defuncti fuerint. At quorsùm est opus, de Hæreticorum inter vos, aut Atheorum Arrogantiâ porrò inquirere? cum unus e Leidensibus vestris, infamem librum (de Apostasiâ sanctorum) non contentus vulgare, eo porrò Impudentiæ processerit, ut illum nostro Archiepiscopo Cantuariensi, Muneri miserit; adjunctis etiam literis, quibus, ut & in ipso libro, affirmare non erubuit, nihil ibi reperiri, quod cum receptâ Angliæ Doctrinâ pugnaret. Æquissima igitur causa subest, cur ejusmodi hæreses extinctas velimus in herbâ; ne si creverint, & Divinam Iram, & Christiani Orbis Infamiam, & vestram, per schismata, secùm trahant ruinam. Quod miser hic Vorstius, Atheismum, & Hæreses, quas jam publicavit, aut inficiatione à se amoverit; aut Æquivocatione mollierit; hoc illi forsàn apud vos proderit, ne Igne luat scelus; (quod genus pœnæ, an quisquam hæreticorum magis aliquandò meruerit, vestrum nunc est judicium) at ut in vestrâ Rep: vivat, aut doceat, quicquid demùm vel abnegaverit, vel defenderit: id quidem flagitiosius est, quàm ut vobis in mentem unquàm suspicemur venturum. licet enim ex objectis pleraquè, aut omnia dilueret (quod profectò nunquàm poterit) nihilominùs propter scandali labem, & perennem hominis inustam Notam, satis superq; causa est, ut Solum vertat. Cæsari satis non erat, si uxor Probro careret; nisi etiam vacaret Probri suspicione. Quantò æquius est, vos in re tanta, ubi Dei honos agitur, & vestra & Populi vestri Salus, & Reip: vestræ incolumitas, majore uti cautione? nec sub Cinere Scintillas fovere, tandem aliquandò in flammam erupturas. Cogitatu non est difficile, hominem vel Metu supplicij, vel horrore flagitij, quibuscunquè modis daturum operam, ut Virus, quo illi præcordia coquuntur, celet, & supprimat. Nam quid ille non negabit, qui Dei Omnipotentiam negavit, & Æternitatem? sit ille, si lubet, innoxius; at viris Probis, & eruditis non ita destituta est Ecclesia, ut hunc admittere necesse sit, omni Scandalo & Ignominiâ maculosum; nec nisi multorum Annorum Examine, & Pænitentiâ repurgandum. Cæterùm, ut ista sint, vobis etiam atq; etiam prospiciendum est, ne Iuventutem vestram, in loco tàm celebri, Ignominioso dedatis Magistro; qui ut primum illic pedem fixerit rediturus est ad Vomitum. Quod reliquum est, velim vobis persuasum esse, ingenuam hanc nostram Monitionem, non aliundè, quàm à syncero vestræ Reip: amore profectam esse. Speramus autem, sicut nos ipsi optimo in his Conscientiæ fruimur testimonio; ita Vos, singulis æquâ lance expensis, gravissimum hoc Negotium, ad Dei gloriam, vestram dignitatem, & salutem; nascentis Atheismi interitum; nostrumq;, & Ecclesiæ mærentis Votum, expedituros. Sin verò (quod Deus avertat) nos frustrà habueritis, & ejusmodi Sectarijs non locum modò inter vos; verùm etiam Veniam dederitis, ut exoletas & damnatas Hæreses ab Inferis revocent, novas autem, & Catholicæ Ecclesiæ adversas cudant; cogemur sanè inviti, & cum ingenti animi mærore, adversus profanas Novitates protestari: ac pro Titulo, quo nos Deus ornavit, fidei defensoris, ab Hæreticis primùm secedere; deindè, convocatis (si fieri possit) in Consilium Reformatis Ecclesijs, in commune consulere, quâ ratione teterrimæ hæreses possint extingui; & ad Inferos, undè emerserunt, relegari. Deniq;, & Iuventuti nostræ severè edicere, ut ab Academiâ Leidensi, & cæteris novarum Opinionum Peste infectis, abstineant. Sed meliora & ominamur, & speramus. Nec enim Deus Opt: Max: qui vobis contrà externos hostes tamdiu adfuit; & Remp: ex vestro, nostroq; Voto (qui in nullo periculo vobis defuimus) jàm firmare cœpit; vos animarum vestrarum hostibus, qui nihil nisi vestrum interitum inhiant, exponet Præda. Quâ freti fiduciâ, vos, vestraq; omnia Divinæ commendamus tutelæ, vobis ut antè.

Amiciss:
Iacobus Rex
data ex Regiâ nostrâ Vestmonasteriensi,
Pridiè Nonas Octob: Anni 1611.

Legato quoquè suo Mandata in hæc verba dedit. Cum ex Responso Ordinum ad nostra in Vorstium postulata, diem Cognitionis protractum intelligeremus; & potentiores esse istius hominis Patronos, quàm optandum erat, ex multis verisimile esset; visum est per literas nostras, prolixas satis & serias, priorem apud illos Monitionem repetere. Has cum illis in Consilio exhibueris, quantùm potes, nostro Nomine, contende, ut hæreticus ille, ex tot Blasphemijs confutus, exigatur in Exilium; & effrænis hæc disputandi licentia, & Leidæ, & alibi coerceatur: & vanissimarum Quæstionum, quibus ipsa Theologiæ Fundamenta convelluntur, tandem aliquandò inveniatur finis. Quod ut fidentius postules, en tibi brevi in Indice, Impietatis, quâ totus ejus liber refertus est, præcipua Capita. Quod si nullâ prece adduci poterunt, ut Reformatæ Ecclesiæ desiderio satisfaciant (quod nobis præter Opinionem eveniet) tùm verò id solum tibi agendum supererit, ut Protestationem nostram, cum prioribus literis ad te missam, illis notam facias; & primo quoquè tempore denuncies, nos eorum, quos suo in sinu fovent, à verâ fide Apostasiam, Christiano Orbi vulgaturos. Hoc nos ut paulò asperius, cum needum cætera remedia sint deplorata, per literas illis significare noluimus. Sed optamus, & speramus meliora.

Theobalda è Regiâ nostrâ, Pridiè
Nonas Octob. Anni 1611

Cum hæc Mandata à Rege accepisset, literas cum Errorum Indice, in hanc sententiam præmisit.

Si de

1611. Si de vestrâ Rep: magna Britannia Rex, dominus meus, benè unquàm meruerit, Viri Illustrissimi, (quàm benè autem, & Consilio & Ope, meruerit, vosipsi grato animo semper agnoscitis) certè hoc tempore optimè videtur mereri; quo per literas, eam inter vos Religionem nititur in tuto locare, quam Reformatæ in Britanniâ, Germaniâ, & Galliâ Ecclesiæ unanimes recepêre. Quid enim Majestatis sua interest, si Professionem Theologicam in Academiâ Leidensi non adeat Vorstius? aut Arminiana hæresis è Templis vestris proscribatur? nisi quod Princeps Christianus, Evangelij propagationi; vester Amicus, Reip: vestra Incolumitati studeat; qua Subditorum ejus sanguine fundata est; nec stare diu potest, si Reformata Religio, vobis conscijs, vel Sophistarum fallacijs, elusa fuerit; vel Hæreticorum Scelere depravata. Si igitur Reip: vestræ Palladium est Religio, cujus Puritate nititur vestra Securitas; vos ipsos Testes appello, quo in discrimine res versentur, cum ita dominatur in præcipuis Bataviæ urbibus Arminius: & Vorstius, Leidæ, in ipso Ecclesiæ vestræ Seminario, Vexillum adversùs Deum proponit; novam commentus Sectam, ex antiquis & novis Hæresibus consutam. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. At qui pleno Ore in Deum blasphemias ebuccinat, & sciens volensq; nihil non Impietatis stilo suo permittit; huic præ omnibus hæreticis, qui indè usq; ab exorto Evangelij lumine è tenebris emerserunt, sinè Controversiâ Palmam scias deberi. Sed ne quis Dubitationi supersit locus, accipite, quæ Serenissimus meus dominus, suâ manu, è libris ejus excerpta, vobis in gustum propinat.

Ex Vorstianis Annotationibus.

Cæterùm nihil vetat, Deo etiam Corpus ascribere; si vocabulum Corporis in significatione latiore sumamus. Pag: 210.

Non satis igitur circumspectè loquuntur, qui Deum, ut Essentiâ, sic etiam Voluntate prorsùs immutabilem esse affirmant. Pag: 212.

Nusquàm Scriptum legimus, Dei substantiam simpliciter immensam esse; immò non pauca sunt, quæ contrarium sensum habere videntur. Pag: 232.

Magnitudo nulla actu infinita est. Ergò nec Deus.

Et sanè, si omnia, & singula rerum Eventa, præcisè & ab æterno definita fuissent, nihil opus esset continuâ rerum Inspectione, & Procuratione; quæ tamen Deo passim tribuitur. Pag: 237. Pag: 308.

Plenius tamen respondere videntur, qui certam quidem, in genere, universalem Dei scientiam esse docent. Sed ita tamen, ut plures Certitudinis causas, in Visione Præsentium ac præteritorum, quàm in Visione futurorum Contingentium agnoscant. Pag: 441.

Omnia etiam Decreta, quæ semel apud se præcisè definivit, uno modo, & Actu, post factam definitionem, accuratissimè novit; sed de alijs omnibus, & singulis, quæcunq; sunt, & fiunt, seorsim, & per se consideratis, hoc affirmari non potest; quippè, quæ non modò successivè in tempore, verùm etiam Contingenter, & sæpè Conditionaliter existunt. Pag: 271.

EX APOLOGIA.

Pater peculiarem quandam Entitatem, seu quasi limitatam, & restrictam Essentiam habere putandus est. Pag: 10.

Vnde porrò non difficulter efficitur, etiam interna quædam Accidentia in Deo, hoc est, in ipsâ (ut sic dicere liceat) Proæreticâ Dei mente, ac voluntate, reverà existere. Pag: 41.

In Cap: 16. Periculosè dissentit à receptâ sententiâ Theologorum, de Omni præsentiâ Dei.

In Cap: 19. pag: 99. attribuit Deo Magnitudinem, & Quantitatem.

Talia sunt istius Magni Theologi Dogmata, quem ad primæ Cathedræ honorem, communibus suffragijs accersistis. De quâ Impietate nihil aliud dicturus sum, quàm quod in Simili causâ, à Romano Oratore dictum est; Mala est & impiâ Consuetudo, contrà Deum disputandi; sivè serio id fiat, sivè simulatè. Nunc ut ad vos veniam, Viri Illustrissimi, & Regis, Domini mei Imperium exequar; Ego vos per mutua illius Amicitiæ vinculum, (quo cum illius Ditionibus vestræ Provinciæ hactenùs connexæ fuerunt, quod Ille sartum tectumq; semper præstabit) oro atq; obtestor, ut tandem experrecti, hoc ipso in Conventu videatis, ne quid Resp: detrimenti capiat; quæ certè ocijus proculdubiò evertetur, nisi Pestem hanc, quam in sinu alitis, è Ditionibus vestris, primo quoquè tempore, proscribatis. Ille à Discipulis Socini (cujus Doctrinam penè cum Materno lacte suxit) jam Magister expetitur, & summo desiderio expectatur: Avolet hinc ad Aves concolores. At ex Academiâ vestrâ Leidensi S: Theologiæ studiosi Quinquaginta Sex, à dominis Holandiæ petierunt, ne pro Imperio Professor induceretur, qui Basiliensium, & Heidelbergensium Theologorum literis; & suæ Scriptionis Testimonijs, plurimarum hæreseon compertus esset. Speramus igitur, gravissimis hisce causis æquâ expensis lance; Vorstij multiplici hæresi; Regis æquissimâ postulatione, vestrarum Provinciarum ferè omnium petitione; Ministrorum, quotquot Arminium non spirant, submissâ Supplicatione; facturos Holandiæ dominos, quicquid & Religionis synceritas & Patriæ utilitas præscripserint. Est præterà quod Serenissimi Regis nomine à vobis petam, ut certa fidei Formulâ Provincijs vestris omnibus injunctâ, frænetur nimia hæc disputandi licentia; undè nihil expectetis, nisi Civium dissidia, & distractæ reip: factiones. Illam autem prophetandi libertatem, quam in Antibellarmini sui præfatione, vobis inscriptâ, tantoperè urget Vorstius, penitùs è medio collatis. Vos deniq;, qui jam olim pro Conscientiarum vestrarum libertate arma sumpsistis, bellumq; difficile, & cruentum, Quadraginta Annis, ob Evangelij amorem, pertulistis;

1611. & omnibus Pietatis Officijs hactenùs defuncti estis; orat Serenissimus Rex, ut etiam atquè etiam caveatis, ne Arminiani vestra Cognitionis Prajudicio freti, impiam illam Doctrinam, de Apostasiâ Sanctorum, in Orbem terrarum fidenter evulgent. Quanti semper Majestas sua vestram Amicitiam fecerit, docent Fadera vobiscùm inita; docent crebra ad vos è suis Regnis transmissa Auxilia; docet Sanguis suorum Civium, in vestrâ causâ ubertim profusus. Vnicum hujus Amicitia glutinam est Religionis Communio: cum Defensor fidei ipse sit; quo Titulo magis se astimat, quàm Regno Britannia; Patronum se eorum omnium profitetur, qui se ejusdem Religionis & fidei profitentur Consortes. At si semel vester zelus fervorq; hic intepuerit, vestram pariter ergà se & suos Subditos Amicitiam refrixisse suspicabitur. Hac, Domini mei jussu, ijs addenda erant, quaipse suis ad vos literis complexus est. Vos rem totam eâ, quâ valetis, mentis acie expendite, & quod è Ditionum vestrarum dignitate, & bono esse judicabitis, id bonis avibus definite.

Legatus rogatur, brevem temporis moram æquo animo ferre, dùm inter se Primores de Postulatis conferrent. Verùm identidem Responsum, propè importunâ flagitatione, urgentem, Ordines in hanc ferè sententiam allocuti sunt.

Se, perlectis literis nostris, qua Pridiè Non: Novemb: reddita essent, & ponderatâ Legati Postulatione, gratias nobis agere quàm maximas, quod & Provinciarum, & Religionis Reformata incolumitatem, eâdem semper curâ & sollicitudine prosequeremur. Quod verò ad Articulos illos Vorstio objectos; Academia Leidensis Curatores, post seriam Ordinum consultationem, decrevisse, ut ab omni Professoriâ functione abstineret Vorstius; Leidæ intereà, communi Civium Jure, domicilium haberet. Quod si autè, vel in proximo Dominorum Hollandia & Frisia Conventu, qui proximo Februario futurus esset, ad objecta non responderet Vorstius; tùm verò universos Ordines confidere, ex nostri animi sententiâ dominos Hollandia & Frisia sententiam dicturos; sese intereà, quum absquè Vrbium Principum, & Provinciarum Offensâ, nihil aliud eo tempore fieri posset, à Legato nostro seriò petere, ut de meliore notâ, & prout ipse intelligeret, bono eorum publico maximè conducere, hoc ipsorum Responsum nobis commendet.

Postremò, Legatus, cum frivolum & frigidum Responsum expendisset, istisquè perspicuè intelligeret, suo nondùm Regi satisfactum; peractis cæteris mandatis, Obstinationem graviter increpuit; & ultimum Remedium adhibuit. Protestationem Regis adversùs Vorstium, Cæterosquè, qui ejus causam tuendam susceperant; quam in publico Ordinum Conventu, his verbis denuntiavit.

Neminem esse opinor in hoc Consessu, qui non ulterò agnoscat Regis, Domini mei, in procurandis Ditionum vestrarum Commodis, fraternam Benevolentiam; atq; in hâc Rep: stabiliendâ Paternam Sollicitudinem. Vndè etiam factum est, ut non sinè dolore acceperit, Conradum Vorstium, tàm multiplicis hareseos, testibus omni exceptione majoribus, convictum, ad Professionem Theologicam, Dominorum Hollandia Decreto accersitum; quandò ea res cum manifesto Ecclesia Reformata, & sua Majestatis dedecore conjuncta esset. Itaq; ut innumera, qua insecutura essent mala, maturè satis anteverteret, per literas mihi injunxit (quod x1 Kalend: Octob: exequutus sum) ut suo Nomine vos orarem, ne illum hominem intrà vestros fines unquàm admitteretis. Responsum à vobis est, Negotium illud cum debitâ Majestatis suæ reverentiâ transigendum. Tantum tamen abest, ut ulla apud vos fuerit Regia Petitionis verecundia, ut potiùs de industriâ refragati fueritis. In Academiam invitatus est Vorstius; hospitio comiter exceptus; domicilio, & Professionis dignitate ornatus. Rex, quamvis elusa prima opera, per literas tamen, suâ exaratas manu, zeliq; & Affectus plenissimas, prolixè & graviter dissuasit, ne vestrum, & reformatarum Ecclesiarum honorem, Atheo admisso Theologo laderetis. Eas literas coràm pracipuarum Batavia urbium legatis, in vestro Conventu, Non: Novemb: exhibui, nonnullis quoquè in eam sententiam, Regio jussu, adjectis. Sex Septimanis circiter elapsis, à vobis responsum est; sed adeò confusè, ambiguè ἀπροσδιονύσως; ut facilè appareret, nihil minùs vobis in mentem venisse, quàm Vorstium dimittere, receptum Leida, & Professoriâ dignitate ornatum; fortè, ut Josepho Scaligero succenturiatus, Academia possit esse ornamento; Fortè, ut privatim liberè faciat, quod publicè, præ pudore, non auderet. His de causis, nomine & jussu domini mei, Protestor, recepto in Academiam Leidensem Vorstio, injuriam & Contumeliam Reformatæ Ecclesiæ per vos factam: Protestor, fœdus cum Domino meo initum, (quod Reformatæ Religionis Communione nitebatur) per vos læsum. Quam indignissimam in Deum, & in se Injuriam, quâ sibi, & fœderi Britannico Vorstius prælatus est, ægerrimè se ferre non dissimulat; & nisi maturè resarciatis (resarcire autem nisi dimisso Vorstio non potestis) Protestationem hanc suam Typis se vulgaturum denunciat; ut quantoperè Vorstij Atheismum, & hareses, omnesq; Impietatis ejusce fautores, & Patronos oderit, Christiano Orbi innotescat. Hac habui in Mandatis; qua nisi exequutus fuissem, tùm meo in Deum Officio, cujus hic Causa agitur; tùm Regis Optimi Dignitati defuissem; qui ut Reformata Religionis Puritatem vindicet, nec suo, nec liberorum, aut Subditorum sanguini parciturus est.

Quâ Protestatione interpositâ, Primores Ordinum humanissimis verbis ostenderunt; licet hoc Vorstij Negotium serenissimo Britannia Regi, paulò prater Opinionem, hoc tempore cesserit; non dubitare se tamen, quin 14 Calend: Martias, in Conventu Dominorum Hollandia, res tota ex animi sententiâ foret transigenda.

Summa hujus Responsi literis comprehensa, & ad Regem perlata, Spem fecit, Negotium Vorstij, cum debitâ Majestatis reverentiâ, transigendum. Batavis verò in Pervicaciâ perseverantibus; & Postulatis Regis, varijs frustrationibus, de die in diem prolatis, ad Ecclesiæ salutem servandam, Libellum publicavit, qui Protestatio Antivorstia inscribitur: in quo, divinarum humanarumquè legum

Auctoritate,

Auctoritate, & Argumentis, Impia Dogmata cum lege divinâ, cùm lege Naturæ pugnare, lucu- 1611.
lenter explicat; *nec se Theologicarum Disputationum rudem ostendit.*

Nec verò de *Thomâ Suttono*, opulentissimo viro, silendum arbitror: qui *Knaitha, in Agro Lincolniensi*, honesto loco natus, & educatus, facilè *dives evasit*. Is in Adolescentiâ, *Thomam Havartum, Norfolciæ Ducem*, dominum elegit. Illo oppresso, potentiâ Aulicâ, ad *Ambrosium Dudleum, Comitem Vervicensem, Robertum Leicestrensem fratres*, translatâ; eorum experiri Amicitiam constituit. His domi bellique se Clientem addixit; quorum gratiâ *Tormentariorum Magister Bervici electus*; mox exploratâ ejus fide, & Industriâ, Machinarum bellicarum *Præfectus*, ibidem institutus est. Quibus muneribus quàm maximas potuit divitias comparavit. Ego in hoc vitæ instituto, rationem Officij desidero, quòd *Norfolcij* Sectator, homines illi inimicissimos sectandos elegerit. Perstrinxit Multitudinis rumor, quod Quæstui Milites habuisset; Stipendiumquè avertisset; verènè, an falsò, parùm compertum. Huic viro amplissimæ facultates fuerunt, quibus, *ad Divitis Suttoni Cognomen*, abundaverat. incredibile est dictu, quonam modo tantas Opes congesserit. His cunabulis initiata Opulentia; summâ diligentiâ, domesticâ Parcimoniâ, & tolerabili fænore, indies aucta est. *Suttonus* jam grandis natu, multis coemptis Prædijs, meritam Militibus gratiam, memori mente persolvere; aut animi Conscientiâ fraudata restituere intendit; & abjectâ privatâ Charitate Agnatorum, sua latifundia, & immensas Opes, *in Alimenta Militum, & Puerorum erogare destinavit.* à *Thomâ Havarto Suffolciæ Comite, Carthusianas antiquitùs ædes*, circumjectosquè Hortos, magno pretio coemit: ibiquè *magnificum Gerontocomium*, Monumentum eximiæ Pietatis inchoavit, *alendis Octuaginta invalidis Militibus, & xxxx egenis Scolasticis*; adjecit & Officiales suos, *Præfectum Gerontocomij, Prædicatorem, Procuratorem, Medicum, Chirurgum, Ludimagistrum &c.* stipendiaquè constituit. Sed *Ius Municipale apud Anglos, in Ptochodochia, Orphanotrophia, & Ecclesias Donationes restrinxerat, nisi Authoritate Regiâ interpositâ*, ne Ecclesiastici potiora Regni Prædia occuparent. Legem hanc *Manum mortuam legulei vocarunt*, (ut eorum verbis utar) quod Prædia semel data Religiosis domibus, velut mortua, publicorum onerum, & Vectigalium vacationem haberent. Proinde *Suttonus*, ut major Juris auctoritas Donationi accederet, *à Rege petijt, ut sibi liceret Fundos, Villas, Reditus, Prædia, ædes Carthusianas, & Hortos, Aurum, Argentumquè, atq; alia id genus, in usum pauperum publicare.* Confestim petenti concessum est Privilegium. Quare Solennitate Juris, quæ in *Mortuâ Manu* implendâ solet exigi, consummatâ; & Auctoritate Comitiali firmatâ, Fundos suos, & amplissimum Patrimonium *Ptochodochio* consecravit: quale nec in urbe Regiâ, nec in *ullâ parte Europæ*, antè hoc tempus, quisquam aspexit. Mox facto Testamento, & obsignato, legavit *Gerontocomio* reditum *Sex Millium librarum*. Reliquis Propinquis, Amicisquè, & Pauperibus, ac Domesticis, rei Pecuniariæ *Legata* varia dedit. Supremâ voluntate, *Curatores Ptochodochij hujus viros Clarissimos constituit; Archiepiscopum Cantuariensem; Prætorem; Quæstorem; Præsules, Londinensem, Eliensem; rerum Capitalium, & Communium Placitorum Iudices; Decanum majoris Ecclesiæ, in urbe Regiâ; & Decanum Vestmonasteriensem*; ut inirent rationem, de Commodis Pauperum augendis; darentquè operam, ne quid facerent *Officiales* contrà voluntatem Testatoris. Confecto Testamento vehementer ægrotare cæpit; & obijt in domo suâ, *Hacneja, propè Londinum, Mense Decembri.* Corpus *Londini, in æde Christi* primò sepultum; indè *Gerontocomij sui Sacello* illatum; atquè in Monumento amplissimo, non sinè lachrymis, collocatum. Executores in Pompâ funeris, & in Memoriâ honorandâ, nullum Officium prætermiserunt. Populus liberalem largiendi affectum, fervidam Charitatem, & Amplissimam Donationem gloriâ ingenti celebravit.

HOc Anno, *Bullonius Dux*, celebris gloriæ, multiq; nominis vir, cum *Castilionæo, Tramolia*, & mag- 1612.
no comitatu Procerum, in *Britanniam* venit: Ut Societas cùm *Franco*, arctioribus, si posset, vinculis connecteretur. *Levinia Dux* ei obviam missus, & *Carthusianæ ædes*, ut ipsum Comitesquè reciperent, paratæ, instructæquè lautâ supellectile; Tabulis pictis; Tapetibus, Auro intextis; vasis Argenteis; & multiplici penu. Advenienti, post paucos dies, congressus datus est in Camerâ Convivali. Progredi ad Tribunal, præ turbâ Procerum vix poterat; concursu undiquè facto. Ubi Tribunali appropinquavit, *Regem* officiosè salutavit; consurrexit *Rex*, & ipsi, Comitibusquè dextram porrexit. Sed effulgebant suprà cæteros *Tramolia Adolescens, & Castilionæus*; hic Patrui clarissimi, Ille Avi memoriâ; uterquè suâ, & Instauratæ Religionis famâ. *Rex* introductum indè in Thalamum, considere jussit; interrogavitquè *ecquid venisset?* Respondit, *ut Regis sui animum ergà eum demonstraret; studiumq; Pacis, & Concordiæ perpetuandæ; quam Pater summâ fide & Sanctitate coluit.* Rex certam fiduciam Pacis præbuit; omne officium pollicitus, quod *Principem* pium bonumquè facere decebat, in defuncti Amici Regis Liberos, *si ejusdem Religionis cultores nullis Injurijs afficerentur, nullis novis Oneribus premerentur; sed si fiat, Sortem omnem fortunæ, Regniq; Britannici, cum eorum rebus commiscere velle.* Postremò hortatus est Regem, *nihil in eos, Iuvenili fervore, violenter consulere; nec Calumnijs Adversariorum, subdolè confictis, credere; quibus se, Regnumq; Francicum, in summum discrimen adduceret.* Itaquè *legatus*, cæteris quæ petebat impetratis, *Regis* studium in tuendis Socijs laudavit, *si nihil in Regem, Regnumvè attentarent, morte Henrici, distractum in varias factiones.* Posteà invitatus ad Regem sæpè *legatus*, & Convivijs adhibitus; cum Muneribus dimissus ipse, Comitesquè: Discedens, *Andream*

Melvinum,

1612. *Melvinum*, in Carcerem conjectum, ob famosum Carmen, Præsulum Contumeliâ refertum, *sibi tradi*, summi beneficij loco, postulavit; impetravitquè. Qui in *Galliâ*, non sine honore, consenuit; & Præsulum Injurias *Epigrammatibus, ac Præfationibus*, vindicavit. Nihil de ejus virtute, & doctrinâ dicam; ne Judicium Senatus rescindere videar; sed *Annalium munus* videtur non sinere, occidere eum; *qui Carminibus Posteritatis memoriam meruit*; aliorum famam, cum suâ extendit. Suasit mihi ut *historiam scribere pergerem*, Methodumquè religiosissimè scribendi Carmine præscripsit; meque ad hoc studium literis impulit, Fide, Veritate, & nudâ rerum Narratione captus.

Inter hæc *Robertus Cecilius, Sarisburiensis*, tot Muneribus, & honoribus à Rege auctus, multiplicatusque, *Baro de Essendon, Vicecomes Cranborna, & Comes Sarisburiensis creatus*, & tantæ famæ celebritate natus, nullâ humanâ ope à Languore ad Sanitatem revocari potuit; & *desinente Majo, in Secessu Bathoniensi*, quem firmandæ Valetudinis causâ petierat, *Cynici philosophi Vaticinationem implevit*; filio & filiâ superstitibus; *quam Baroni Cliffordo, Cumbriæ Comitis filio, in Matrimonium collocaverat*, numeratâ ingenti pecuniâ, Dotis nomine. filio non tenuissimum Patrimonium reliquit; Prædia magnifica pluribus in locis; ædes & Hortos; multam & lautam Supellectilem; ac magnam Argenti copiam. Eodem die, per *Veredarios*, Mors nuntiata, variè homines affecit. *Rex* in silentium fixus, speciem doloris fronte gestuque prætulit. *Senatus* animo, vultuque consensit. Vulgatâ morte, *Populus* gaudio exultavit; manente adhuc adversâ famâ *Essexianæ necis*, & Memoriâ Crudelitatis in ejus Clientes; quæ defensa est ab Amicis quasi necessaria; cum tot æmulis conflictaretur. Is vir Virtutibus, Vitijsquè mixtus fuit; Corpore deformis; Sermone, Voce, Vultu venustus; largissimus in Amicos; multa documenta præclari Ingenij dedit; sed nequaquàm *tàm gratum* egregiæ animi dotes, *quàm Invisum* Civibus *Sævitia atq; Avaritia* fecerunt; aliorum fortunas depeculans; aliorum Caput oppugnans. Quæsturam majore favore adeptus est, quam administravit; Quippè urbes, Civitatesquè, auctis multiplicatisquè Vectigalibus, afflixit; *Præpositos, Mancipes, Procuratoresq;* liberiore potestate instruxit, ad exigendum Portoria, vectigaliaque à Mercatoribus invitis, & recusantibus. Author extorquendæ pecuniæ fuit, ab Equestris Ordinis Candidatis, (quos *Baronettas* vulgus vocat) & Illustriores dignitates petentibus; studiumquè cogendæ pecuniæ à Popularibus, pro ipsorum facultatibus, non omisit. Proindè adversâ apud omnes famâ fuit; præcipuâ, apud Vulgus, flagravit variorum dedecorum Infamiâ. Jactabatur enim Vulgò (verene an falsò incertum) prævaricatione Fiscum circumvenisse; in Prædijs publicis distrahendis, magni pretij Fundos, per interpositas personas, minoris comparasse; defunctæ Reginæ pretiosa Ornamenta, Margaritas, Adamantes, Carbunculos, *Regi immenso pretio vendidisse*; ijsque vendendis *Ioannem Spilmanum, Petrum Vanlorum, Batavos, homines* locupletes adhibuisse, propositâ Auctione, Principales res pro suis subjecisse; & augendo pretio, nihil non fraudis, & fallaciæ interposuisse. Cum Ædes magnificas, & Hortos, juxtà *Tamesim* ædificaret, extorsisse Possessoribus proximas domos; aut afflixisse abnuentes, Specie legum. Hæc Vulgò jactata; adjecta his atrociora Carmina, incertis Auctoribus, in istius Improbitatem, & Libidinem facta, totâ *Britanniâ* percelebrantur. Quæ etsi Dicta, Factaque immania, fallaces Amicitias, exitium Innocentium; *Morbo Gallico, vehementi Veneris usu, & Prurigine corporis absumptum*, invidiosis, & petulantibus Jocis objectarunt: Tamen pronis auribus accepta. Post mortem Patris, senescente Invidiâ, filius prosperiore famâ fuit: qui nisi ad Misericordiam *Regis* confugisset, Bonorum Proscriptionem effugere non potuisset; stetitquè *Domus Suffolcij*, Soceri gratiâ; & Decreto Regis, *in Cecilij fortunas inquirere prohibentis*. Corpus à *Thermis, ad Hartfeldianas ædes*, cultu conspicuas, in Agro *Hertfordiensi*, deportarunt famuli; & insigni Monumento intulerunt.

Defuncto *Cecilio*, & *Overberio* parùm feliciter semoto, *Roffensis* nimiâ fortunæ Indulgentiâ cæcus, & Cupidine potentiæ, honoris, Divitiarum incensus, ad capessendam remp: se accinxit; & munia Imperij obivit, ignarus quantum Negotij, Quid Oneris humeris subiret; & quantam Invidiæ flammam accenderet. ô Audaciam immanem! vix hominem esse se meminit; beatamquè somniavit vitam, *Avaritiæ aut Libidini* inserviens. Aula in duas factiones scindebatur; & ambigebatur, quisnam Epistolis præficeretur? Alijs *Nevelium*, legationibus celebrem; Alijs *Laqueum*, peritum rerum Civilium, ad id Munus vocantibus. Uterquè suos fautores habebat: *Nevelius*, *Roffensem*, percupidum sui, & studiosum; *Laqueus*, complures ex Aulicis, ejus virtutem laudibus extollentes, gratiâ, Voce, suffragio; Sed ex omnibus maximè *Fentonum*, hominem Nobilem, & Amicum fidelem. *Roffensis* tum in Aulâ potens, etsi *Nevelium* in Amicis habuerat, tamen ipse avidus Potentiæ, *Secretarij Munus, quod Cecilius obtinuerat, exercuit*; *Nevelium*, dando, & pollicendo multa, in Amicitiâ continuit.

Per eosdem dies, *Gedeonem Moravium, Equestris dignitatis, Avunculum suum, Proquæstorem Scotiæ creavit*; & ordinando ibi Ærario præfecit. Actum inde in Senatu, *de Officio Quæstoris, vacuo morte Cecilij*. Sex viri Clarissimi, amplissimis usi honoribus, à *Rege* creati, quibus *Fisci, & exhausti Ærarij cura demandata*. Hi dispensationem publicæ pecuniæ, in suam curam vertebant; sumptibus Regis ordinandis adhibebant diligentiam; Authores summarum publicæ pecuniæ rationes referre cogebant; omni ratione publicis incommodis mederi studebant; & vulneribus Reip: adhibere salutaria remedia; Neque moliebantur quicquàm, undè nasceretur Occasio Tributorum, & Querelarum.

Nummus

Nummus nullus moveri poterat, sine sex Apolectorum Authoritate, in Scripto; & uti scriptum erat, Nummularij numerarunt. 1612.

Rex ad hunc modum Ærario constituto, non multos post dies, *novam Societatem instituit, qua Compendium via in Orientem inveniret.* Nullus propè antiquorum labor *Britannorum, & Batavorum*, industriam in hâc re æquavit. *Batavi*, Classe comparatâ, in *Ortum Brumalem* conversi, *glacialis Oceani* Sinus penetrare non potuerunt; ad *Alborum Vrsorum terram* naves appulerunt, & in illius Orâ Maritimâ Hyemem consumpserunt; multis Miserijs, suprà humanam fidem conflictari.

Hoc Anno, *Vinvodius, & Hudsonus*, Britannici Præfecti, rei nauticæ periti, mandato *Societatis*, navigationem Solis Ortum versùs instituerunt, & ad *Davisij fretum* delati, infinito labore suscepto, multos dies in *illius Freti Navigatione* consumpserunt; *quà apertam sibi in Orientem* viam, per *Septentrionalia America* crediderunt; sed objecta *glacies* cursum impedivit; & *Fretum Naturâ gelidum* transitum negavit; etiam si in *Australem Oceanum* decurreret. *Vinvodius* crebrò reverberatus, rem inchoatam reliquit; & in *Virginiam* navigavit. Ubi *Novos Colonos* reperit, ædes hortosquè molientes. *Hudsonus* adhuc audendum ratus, quamvis sævis tempestatibus conflictaretur, & Commeatuum Inopiâ premeretur: tamen oculorum fide exploravit, an esset aliquis transitus, Oram *Septentrionalis America* perlustrans. Nautæ, si in Cursu proposito perseveraret, rerum omnium Inopiâ pereundum sibi prospiciebant. Igitur seditione ortâ, *Præfectum in Scapham conjiciebant, & rapidi Pelagi Misericordia permittebant.* Illius comites in *Britanniam* redierunt. Domum reversi, insimulati Capitalis atquè invidiosi Criminis; *Iuratorum Iudicum* sententijs damnari non potuerunt, antequàm de Morte Præfecti constaret. Quippè, *Iure Regni apud Anglos*, in homicidas, nisi perpetratâ Cæde animadvertere non licet. Quamvis *Iure Civili*, in bujusmodi delictis, *Affectus pro Effectu reputetur.* Quamobrem Rei comperendinati in vincula conjecti sunt. Socij posteà modicam *Transitus spem* habere cæperunt; & propè abjecerunt. Nequè propterea *Indici Mercatores* finem progrediendi fecerunt; sed *Bonæ Spei Promontorio* trajecto, ad innumeros Orientis Portus, *Indiciq; Insulas Oceani*, audacissimè, felicissimequè penetrarunt.

Jam verò, quemadmodùm *Londini*, hoc Anno, emendicata fuit, *in auxilium Virginiensis Societatis Sortitio*, operæpretium est cognoscere. *Antonius Copus, Equestris Ordinis, Patronus Coloniæ*, homo ingeniosus, & peracutus, *Sortes* ordinavit, & in *Vrnas* conjecit; *Nomina sortiri profitentium* in Albo describi jussit; demisitquè in Hydrias. Censuit *Prætor Vrbanus* negligendam rem non esse; & Judices delegavit, *ne Sortibus ordinandis præpositi, in sortitione fallerent; neu quid vafrè, aut malitiosè facerent;* quod in tali re fieri solebat. Tanto Mercatu indicto Præconis voce, & *pro æde Divi Pauli*, domo extructâ, ac speciebus rerum *Sorte* ducendarum palàm propositis; ubi dies advenit, quo sese *Sortituros* edixerant, concurritur undiquè ad destinatum locum. Ibi *Sortes*, Judicum monitu, *Pueri manu miscentur*; & mox cætera, quæ erant ad *Sortes* parata, producuntur. numerato pretio, quod pro *Sorte trahendâ* persolui convenerat, Manus ad *Sortiendum* demisêre. *Sortes eductæ plerumq; vacua*; in quibus nihil scriptum, nisi Nomina in Albo *Sortientium*; *ac Rithmi breves Iocosi, aut ambigui.* Raró Sortibus aliquid obtigit, præter *Specula, Pocula, Cochlearea Argentea*, specie, quàm usu potiora; atquè alia id genus, irridentibus Prudentioribus Credulitatem Plebis, & famosum, impudentemquè Quæstum: excusantibus alijs fallaciam, *prætextu Novæ Coloniæ. Shaplisius Sartor maximam Sortem tulit, Argentea vasa Quadringentis Libris empta*; meliorem, nequè pretij majoris nemo habuit. Is lætus reversus est, & locuples præcinentibus Tubis. Cæteri ferè omnes inanes redierunt; ac Imprudentiam suam serò senserunt. Urbem Regiam cæteræ Civitates, ac Provinciæ secutæ: & mox *Plebs Rustica* pecuniam, *eâdem Sortitione* sinè modo profudit; præmiumquè par Stultitiæ tulit. Exteris in Provincijs, *Sortes* jam pridem refrixerunt; apud nos quoquè *hoc genus Aucupij Vulgus explosit*; & Plebs urbana, exploratâ fraude, non expectatâ Prætoris Auctoritate, *domum tumultuosè diruit; ac Sortes expilavit:* nec reverentiâ Magistratuum, ab incepto deterrita est, prævalente jacturæ memoriâ.

Cæterum, *Pietatem, Mansuetudinemq; Iacobi Regis, testatur defunctæ Matri habitus honos maximus.* Ossa ejus, quæ erant *Petroburgi*, in Templo illius Civitatis maximò, condita, ad Urbem Regiam translata; *& honorificè Majorum Mausoleo illata.* Episcopus *Leichfeildiensis*, à Petroburgo usquè ad Suburbium Civitatis, deportavit. Ibi *Archiepiscopus, Prætor Egertonius*, qui plura defunctæ, quàm vivæ præstitit Officia; *Privati Sigilli custos*, & Complures homines Nobilissimi, ac Primarij *Antistites*, multâ face susceperunt: *Templo D: Petri, Fanoq; Henrici Septimi, Avi, ornatissimo, intulerunt.* Extruxit autem *Iacobus*, eo in loco, Monumentum, in honorem Matris, amplissimum; atque *Marmoreo in Sepulchro, suâ impensâ exædificato, condi jussit*; & præposuit Effigiem, præclarè factam, è Marmore: nihilquè prætermisit, quod ad Memoriam ejus excogitari poterat; propter singularem Amorem, & Observantiam. In eo Sacello sunt Monumenta perampla, Complura, in exteris Nationibus celebrata; omni genere Materiæ, & varietate Operum insignia; & Simulachra facta è Marmore; sed duo longè cæteris antecellunt, *Elizabethæ unum, & Alterum Mariæ Stuartæ*, religiosissimæ Principis. Ibi quoquè est ex Ære Monumentum, singulari opere perfectum; omnium illorum, quæ sunt in illo Fano, ornatissimum; & *Simulachrum Henrici Conditoris*, quo non facile quis dixerit se vidisse pulchrius.

Inter hæc *Gulielmus Crichtonus, Sangharius Baro*, ex familiâ antiquâ, & Illustri apud *Scotos*, se ad

1612. *Turnerium Lanistam*, Armorum peritissimum contulit, ut ludicrâ Exercitatione decertaret. Quo quidem in Certamine accidit, ut *Baronis oculus*, gladiatoris ictu erueretur. Homo Nobilis, propter gravem casum, inflammatus furore, acerrime Vindictam cogitavit; & Consilium inijt contrucidandi. Itaquè *Robertum Carlilum, & Iacobum Edninum*, servos suos, ei percussores subornavit. Illi se ostenderunt, quod vellet esse facturos; & *Loudini* compotantem, nihil ejusmodi metuentem, nihil suspicantem, *Sclopetti ictu* trajecerunt; & facinoris ultionem veriti, ex Urbe in *Scotiam aufugerunt*. Author ignorari diu non potuit; fit Clamor maximus, & admurmuratio Populi, vindictam expostulantis; & in *Sangharium* culpam, ne falsò quidem, conferentis. Is quasi in manifesto scelere deprehensus, metu & Conscientiâ flagitij perterritus, in latebras se proripuit. Posteà vagus, & inops Consilij, prehensus, ductusque ad *Cantuariensem Archiepiscopum*. Ubi videt nihil sibi profuturam Inficiationem, incauto consiliò Confessionis decus amplexus, *Turnerium suo dolo casum fatetur*. Quare id fecisset interrogatus? Hoc causæ dicit, quod per Convitia, & petulantes jocos, exsectum Oculum insolenter gloriaretur. Cum acriores Vulgi voces ingruerent, supplicium implorantis, deflexâ omni Acerbitate in *Sangharium*, *Rex* primò recusavit; admonet illud, quod Vulgum fugerat, *in Accessorium non posse animadverti; antequàm Principales Rei in Iudicio constituantur*. Propterea protraxit Quæstionem; deditquè negotium Magistratibus publicis *Scotia*, ut Percussores in vinculis ad se mitterent. Qui, in omnes partes dimisso Equitatu, in Regni finibus profugos comprehenderunt; & deprehensos in Catenis ad Regem deduci jusserunt. In quibus tantum animi fuit, cum de flagitio quæreretur, *ut nullum omninò verbum, quo Domini salus periclitaretur, emiserint, antequàm intelligerent suâ Confessione convictum*; propterèaque Negationem ei nulli adjumento futuram. Producuntur è Carcere Percussores, condemnati *Iuratorum sententiâ*; *& in Fleta plateâ resti* suspenduntur. *Turnerij* uxor, non satiata Supplicio Servorum, Dominum in Quæstionem postulavit. Multi orarunt, *obsecraruntq; Regem, ut Sangbario, homini domi sua Nobili, & Claro, parceretur*. Interrogavit Supplicantes, *Poterone Actores afficere Supplicio, ignoscere Authori, qui Cædem perpetrare jusserat? Dixitq; se statuisse animadvertere in omnes*; ita Reip: rationes, & temporis postulare; ne tumultus actior ingrueret. *Francia Regina petit à Rege, & eum literis rogat, ut ignosceret*. Rex inhiberi nullis precibus potuit, quin *perseveraret in ultione*. Insimulatus itaquè *Sangharius, de Turnerij Cade*, pro Tribunali Regio, concursu magno, frequentiâque hominum, causa agitata. Damnatio modicâ defensione peracta; sententiâ honestorum Civium, non Procerum, criminante Conjuge de Viri Morte. Reus à Tribunali in Carcerem reductus; mox ad supplicium expostulatus est. Nuntiatâ morte, Nuntium libens excepit; atquè advocavit Amicos. Uxor, quæ paulò anteà diverterat, lachrymans in Carcere assedit, Officij causâ; Vultu, Complexu, Colloquio firmavit, adversùs præsentem Mortis formidinem. Ille à Complexu, Osculoquè dimisit; & in Contemplatione vitæ futuræ, diem, Noctemquè egit. Supplicium *Præfecto Iuridico* mandatur; sumiturquè in *amplissimâ Areâ Pretorij Occidentalis Monasterij*, circumstante infinitâ propè Multitudine Civium; *non Securi, sed Laqueo*; Dedecoris causâ. *Vestes magno pretio redimere coacti sunt Amici; ne Lictor in contumeliam* uteretur. Ita *Lanista mors vindicata est* severè, in Metu, periculoquè tumultus. Maluit *Rex* in animadvertendo Severus esse, ad utilitatem, salutemquè Regni; cum administrari sinè Metu, & Severitate non posset: quàm ignoscendo Misericors videri.

Hâc æstate, *Petrus à zunigâ, Hispani Regis Legatus, in Britanniam appulit*. Navem egresso præstò fuit obviam missus *Ludovicus Leucnerus*, Equestris Ordinis; qui *Londinum* perduxit. Advenienti extemplò conveniendi Regem facultas data est. Is retulit Regis sui Nomine, *Dominij Batici maximum semper Præsidium positum esse, in Amicitiâ Regis Britannici; eamq; omni aliâ potiorem Regi suo visam. Plùs enim Regi magna Britannia, quàm omnibus Europa Principibus debere*. Responsum à Rege est salubri Moderatione; *gratum id esse, & magnoperè latari, si quid per se boni, Commodiq;, Hispania Regi accidisset; daturumq; operam, ut omnia Officia, ad ultimum experiatur, qua justum, Bonumq; Principem facere deceat*. Editis mandatis Curiâ excessit; mansitquè *Londini* Speculator rerum, quæ ibi agerentur. Itaquè circumductus, ad ædes regias, in Magnificentiæ admirationem extructas. *Hamptonia* honorificentissimè cultus est; & similiter in *Theobaldinis adibus*. Eam Opinionem de *Philippo* Rex concepit, tanquàm certo Amico, & fido Socio.

Inter multas Regum, Populorumquè legationes, *Robertus ShirlEus, Equestris Ordinis, Persarum Regis legatus*, maximè convertit in se Civitatis oculos. Is natione Anglus, *Syriam, Asiamq;* & varias Orientis Regiones perlustravit, magnâ spe consequendi honores, præmiaquè ab Exteris Regibus. & fide, ac Obsequio, sese in Familiaritatem *Persici Regis* insinuavit. Erant duo *Sherlei fratres*, ejusmodi homines, qui quantum Spes spospondisset, cuperent; & sub Externis Regibus viverent. *Antonius Major natu, in Hispaniam profectus est*, spe honoratioris Militiæ, adversùs communes piorum hostes. Ubi pro Vi, Virtute, & plurimâ rerum Maritimarum experientiâ, apparatè, magnificèquè exceptus, cultusquè, fortiter se gessit. *Minor* nequè fortunâ, nequè Indole magni animi dispar, *legatus est in Britanniam, legatione honorariâ*. Cum haberet Jus Legationis, & *ad Iacobum legatus missus esset, Subditum se meminit*. Qui *Arabum* Mores; qui *Persarum* Victus esset; quæ *Indorum* Merces, exposuit; & *Viam in Magoris regionem, Copiâ Margaritarum, & Aromatum maximè celebrem, aperuit*; ut ad ipsius littora, Onerariæ naves ad Mercaturam exercendam mitterentur. Finito tempore legationis; & uxore Terræsiâ, Muliere Persicâ, ex Puerperio convalescente, *in Persiam rediit*: Muneribus publicè donatus.

Haud

Haud multò post, *Fredericus, Comes Palatinus Rheni*, Majoribus antiquissimis, magno *Germanorum* comitatu stipatus, in *Britanniam transmisit, splendidissimi Conjugij cupidus*. At Rex, ubi nuntiatum est, eum *Gravesendæ* Navi expositum, *Ludovicum Levinia ducem*, Civium gratiâ insignem, misit; qui ei, honoris gratiâ, præstò esset. Raro aliàs quisquam Princeps, aut Privatus, tanto gaudio, tantis honoribus, tanto favore Vulgi, atque Benevolentiâ receptus est. Ipse vectus *Regiâ Biremi, Auro litâ, adverso Tamesi ad urbem subvectus est*, magnâ Procerum, in Cymbis prosequentium, lætitiâ; completis ripis Civium Multitudine, obviam effusâ. *Carolus Eboracensis*, magno electorum Procerum comitatu circumfusus, ingredientem Curiam salutavit; eumquè ad *Legem* deduxit. Adamantes, Torquesquè gemmis clarissimis in Aulâ fulsêre. Stetit Prætoria Cohors, Sagulis Auro distinctis, incedentibus Clientibus, comitibusquè, suis ordinibus, *Ipse Medius inter Proceres Auro, Purpurâquè fulgentes*. Ubi Tribunali appropinquavit, Regem cultu & ornatu conspicuum; Reginam, haud procul Gemmis, Margaretisquè adornatam, Solenni More veneratus est; Proximum his *Henricum Principem* officiosè; Sponsam publicè primò, deindè separarim salutavit, Matronasquè Nobilissimas. *Rex* paulùm progressus, *summittenti se Palatino ejus ad genua, Dexteram porrexit*; Ipsi, Amicis, & Clientibus omnia comiter & hospitaliter præbuit. Paulò post, Proceres ipsum, Comitesquè in *Essexianas ædes*, paratas, instructasquè magnifice deduxerunt. *Londini Fredericus aliquot dies commoratus*, invitatus est ad Prætorem urbanum, & in *Basilicâ urbis* magnificè exceptus est, quâ *Prætores* ad pompam Conviviorum uti solent, in celebri Conventu Civium; circumductusquè summâ Comitate, ut viseret Ornatum urbis, ædesquè sacras, ad famam, Dignitatemquè Civitatis, Imperijquè Britannici nomen, constructas; Forum maximum, ac pulcherrimum; Fontes aquæ dulcis egregios; Palatia Procerum, in *Tamesis* ripâ; Turris molem; & ornatissimum *Peristylium*, copiâ Negotiatorum maximè celebre, apud Nationes exteros; Cæterasquè urbis partes, multis privatis & publicis ædificijs exornatas; qui Moram brevem, præ voluptate spectaculi putavit. *Prætor* discedenti, Civitatis nomine, *Pulcherrima Vasa Argentea dedit*. Is revertens, se honorificè exceptum, & munificè cultum exposuit. *Rex* gavisus est, *Palatino*, Comitibusquè ejus satis jucundum & gratum fuisse Spectaculum. Vocatus posteà Senatus; Consilioquè coacto, quæsitum, *Quis Filiæ Maritus diligeretur; instante Nubili Virginis ætate; multis Regibus, ac potentibus Principibus Nuptias flagitantibus*? Proceres multa super Matrimonio disseruêre; ac prompsêre sententias, magno cum Juvenis honore, *Comitem Palatinum, ob communis Religionis cultum; Amicissimi Patris, honoratiq; Avi, & Clarissimorum Majorum Memoriam, magnaq; Merita, præferendum cæteris opulentissimis, & maximis Regibus*. Nec *Rex* ultrà expectat. *Elizabetham filiam*, formâ eximiâ, miti Ingenio, Modestiâ suprà ætatem, & præclarâ animi Indole, *ei despondet*; ipsumquè Bavaricâ familiâ Clarum, *Periscelidis Ornamentis, & Cæruleâ fasciâ gemmis fulgente, exornat*.

Ejusdem Ordinis dignationem *Mauritio Nassoviæ Comiti* decernit, dignissimo tali decore, ob Imperatoriam Virtutem, verborum Jactantiâ vacuam; *maximumq; in terris Batavorum Nomen*. Hic absens, per *Vinvodium legatum, ac Regem Fecialium*, Periscelidis Insignibus ornatus, gratum sibi, *Batavisq;* donum testatus est.

Ille præsens, omni honore cumulatus est, antè oculos Procerum: ut honores ejus, apud omnes *Germanos*, & Amplitudinem, possent cognoscere. *Pactum inter Palatinum & Puellam Regiam Matrimonium*, juvenili Amore, Donis, Familiaritate, & vitæ Consuetudine confirmatur. Ille promissum Conjugium celebrari postulat; cunctari diutius in cupidine inutile putat; multoquè *Regis* assensu, est auditus.

Sed his tàm lætis magna Tristitia interijcitur, *ex ægritudine Henrici Cambriæ Principis*, omnium suæ ætatis præstantissimi, præclarâ virtutis Indole, magis divinitùs inditâ, quàm labore, diligentiâ, & disciplinâ partâ. Qui cum Juvenili fervore, *in Pilæ lusu*, æstu, Sudorequè sæpè cohorruisset, *circà Festum omnium* Sanctorum, ita Febri correptus est, ut nullis Medicorum Remedijs, Artibusquè revocari potuerit; quia visum est fortunæ sævienti, Indulgentiæ suæ pænitere; & præstantem, florentemquè Principem, magnum futurum Regem, si vita longior contigisset, crudeli rapinâ intercipere. Is, ab ineunte ætate, res maximas gerere, & Sensum veræ gloriæ habere cæpit. Cui contigit Adolescenti, ut esset Senatui, Proceribus, optimo cuiquè, & Populo charissimus; cujus voluntatem charissimam semper habuit; & nihil cum Popularium Benevolentiâ comparandum putavit. Nihil illi Salute Ecclesiæ charius; nihil bonorum virorum Juditio optatius; nullâ, de virtutibus plurimis, Pietate admirabilior; festos enim dies, & omnia Vespertina, Matutinaquè Sacra religiosissimè celebravit. Sed excellens eximiaquè virtus, in progressu sæpè deficit; & gravi fortunâ *Populi Britannici*, Henricus, XVIII Anno, inter prima Incrementa Indolis, extinctus, tantum desiderium sui apud *Britannos* reliquit, ut præter publicum Incommodum, & privatam omnium Jacturam, unusquisque Mæstitiam, & dolorem, Voce, Vultu, lachrymis testaretur. Videor mihi adhuc gemitus, Singultus, fletus Plebis in auribus habere; & effusum in lachrymas Senatum videre. Tribuitur illi Testimonium Virtutis egregiæ, æquale omnium hominum; quoniam tantâ Moderatione animi, in Fervore ætatis, Cupiditates rexit, ut nihil Sermonibus omnia criminantium, insitâ Naturæ libertate, excusatum sit. Sic vixit, ut ad omnium aures Nominis sui fama pervenerit. Suâ virtute perfecit, ut maximum Ornamentum Reip: haberetur, & esset. *Nemo* Potentiam ejus Injurijs sensit; *Multi* Beneficijs Munificentiam experti sunt. Cæterùm quantâ

1612. Molestiâ, quantâ animorum perturbatione, tristes Nuntij de Valitudine ejus, *Scotos* affecerint, vix est credibile, aut memorabile cuiquam; cum recordarentur quali Principe orbati essent. Quàm arduum, & quàm difficile est, dolori eorum paria verba reperire, qui optimum atquè maximum Principem, suarum fortunarum Authorem, Religionis Propugnatorem, Dignitatis, Salutisquè Patronum amiserant? O magnum atquè intolerandum mærorem! ô grave acerbumquè fatum! *Sextus Novembris funestus, ejus Morte, dies, infaustus posteà habitus est.* Numen, ejus interitum, evidentibus Signis, monstravit. Satis constat, priusquàm decumberet, Oculos fuligine inquietatos; idquè desperatæ Valetudinis inditium; *& Noctu, suprà Domum Sancti Iacobi, quâ Principes uti solent, Irim Sereno Cælo plurimos mortales conspexisse; & maximos, Clarissimosq; Ignes, per aliquot Noctes visos*, paulò anteà quàm è vitâ migraret. *Mæernus Medicus Regius judicabat, Irim Selenitìcam velut Omen, & haud obscurum Mortis nuntium.* Extincto Optimo Juvene, qui *Imperij Britannici* columen fuit, ingens luctus per aliquot dies Regiam occupavit. *Palatinus Comes Ricamoutium concessit. Soror*, veste mutatâ, omnem delicatiorem cultum deposuit. moverat Pietas, moverat Germanitas. *Carolus Eboracensis*, fraternè, piequè indoluit. *Rex* recenti mærore confusus, è complexu *Caroli Filij* solatium quæsivit; suffecit fratris oneri; sibi, Subditisquè unicum levamen; confirmavit prostratum ipsius Morte Senatum, afflictos mærentesquè Proceres erexit; à dolore mentem, à fletu Oculos revocavit; Nequè sibi, nequè Filio quicquam, nisi provisu Numinis, accidisse disseruit; sed omnia facta Dei Immortalis juditio, & Voluntate; *Carolo Reip: conservato, nihil timendum; datum ab illo Indolis claræ experimentum; & bonis Artibus institutum, imbutumquè, ad Spem Imperij Britannici.* Ita multum *ad Caroli Venerationem* adjecit; & Memoriam domestici doloris, ac defuncti desiderium in animis audientium lenijt, spe futuri Principatus. Funus singulari Cæremoniâ celebratum; & Mortuo tanti honores parati, quanti parari maximi potuerunt. Officia plena Curæ, plena Pietatis, plena Sanctitatis extiterunt; & justis Manibus peragendis *septimus Decembris dies est dictus, in æde Divi Petri.* Parentalia ubi venerunt, *pullati Mille Quingenti, Pullo amicti habitu, longo ordine incesserunt. Carolus, Peplo luctum amissi fratris testans, funus maximè illustre fecit.* & Germani proceres, cum *Palatino*, atrati comitati sunt. Cives bustum Cadaveris, Effigiemquè Mortui contuentes, ingemuerunt miserandum casum, & ereptam immaturo vitam. *Primores Comitum, corpus ejus Sacello humeris intulerunt, quod Sibi, Posterisq; Henricus Septimus construxerat; & in Mausoleo Avia, cum summo dolore condiderunt.* à Præsulibus supplicatum multis precibus, Anglico ritu sacrorum: *Laudatio à Præsule Cantuariensi* luculenter dicta; Laudatusquè est Exequiarum die, *Quod admodùm Adolescens, rei Militaris scientiam, easquè Virtutes affecutus fuerit, quas pauci, diuturnioris vitæ beneficio, consequi potuerunt. Quod Pietate, Consilio, Ingenio, Probitate, æqui atquè boni Observantiâ, Animi Magnitudine, omni denique genere virtutis, sui avi Principes superarit. Quod summâ Vigilantiâ Familiam administrarit. Quod omnia pericula, omnes subeundos labores existimarit, ut Præsidio Senatui, Populoquè Reiquè pub: esset.* Fletus cum singultu obortus est. *Apricius Theologus*, præter cæteros *Sacellanos* mortui Principis misericordiâ permotus, *in Fano sancti Iacobi* miserandum funus deflevit. Cum diceret, *Quantus Qualisq; Princeps fuerit; Qui Industriæ, non Inertiæ; dignitati, non voluptati; laudi, gloriæ, Æquitati, non Luxui, Somno, aut delicijs sese dederit; Qui nihil unquam fecerit, quod facere non æquissimum fuisset; Qui Patriæ, Qui Civium commoda longè plùs spectarit, quàm sua*; lachrymarum rivus fluere ex omnium oculis cæpit, quæ dicendi tractandiquè facultatem impediverunt. Servorum fletus, Civium gemitus, Legatorum dolor, nunquàm major. Ob tot tantasque virtutes, & maxima merita, *Senatus decrevit Monumentum quàm amplissimum, cum Statuâ locandum, ad Memoriam Posteritatis sempiternam.* & Statuæ subjectum hoc Carmen.

Spes Patris, & Patriæ, Fatorum lege peremptus
antè diem; lachrymas, & inania Vota relinquo.

Reges Amici, atquè Socij Populi, in suo quiquè Regno, Mortem defleverunt. Et in Memoriâ honorandâ, *Academici* lugubri Næniâ certarunt. Arduum deniquè, & perdifficile est, hujus salutaris reip: Principis laudes Oratione complecti; qui omni genere Divinæ virtutis floruit: aut Oratione referre Magnitudinem doloris.

Proximâ hyeme, *Tempestatum vis atquè Imbrium incredibilis fuit.* Fervit æstu Pelagus; nullus ferè dies magnâ, turbulentâque Tempestate vacuus. Passim Arbores radicitùs revulsæ; domus dirutæ; Navesquè fusis Armamentis, & Malis diffractis, absorptæ sunt fluctibus; Mercium magna copia deperdita; *Turbinumquè vi, Centum Naves, onustæ mercibus, perierunt:* quibus in Navibus complures Nautæ, Mercatoresquè sunt amissi. Innumerabilia lacera corpora *litoribus Britanniæ, & Belgij*, impacta; ac latè in Oceano strages edita; *Navesquè aliquot onustæ Pipere, & garyophillis, ejusmodiq; rebus ex Arabiâ, Indiâque convectis, in Portu Amsterodami, opulentissimæ urbis, absorptæ sunt.* Annonæ porrò pretium Venti Tempestatesquè auxerunt. Quamobrem, per omnia Templa Dei Opt: Max:, supplicatum, ut Imbres, sævosquè Turbines moderaretur; quod unicum visum omnium impendentium malorum, in Calamitate fructuum, Remedium. Præter Tempestatum incommodum, Mercatoribus infestum Mare: multæquè Naves Onerariæ *à Prædonibus* captæ, atquè oppressæ sunt. Numine velut ulciscente, *in Portum Veri*, Navis Pyratica ejecta est; omnes in eâ Prædones, fuerunt capti, suppliciòquè affecti sunt *Mediemblicæ*.

1612.

Peractis tristitiæ Cæremonijs, *Palatinus* Amore incensus, celebrari Solennia Nuptiarum flagitat; omnium quæ Cupidinem morarentur intolerans. Victo gemitu, & Mærore publico, tempore languescente, XIV *Februarij Nnptiæ in Regiâ celebrata, ingenti lætitiâ, præsenti Rege, Reginâ, Carolo Principe Adolescentulo*, ac proceribus. *Elizabetha*, quæ tùm primùm luctum amissi fratris, læto cultu mutaverat, Media inter frequentes Proceres, Matronasquè nobilissimas, venerantes, gratantesquè, *promissâ Cæsarie*, pretiosissimis Margaritis adornata, & habitu corporis decoro progrediens, Palatij delubrum adit. Haud procul *Maritus*, Auro, Gemmis, & cultu conspicuus, magnâ cum dignitate formæ, tùm Juventæ flore, Majestatem præseferens incedit. Ubi Sacellum introijt, *Vxor ei data est à Patre Elizabetha*, operante Solennia Nuptiarum *Cantuariensi Archiepiscopo*; Concionem habente *Iacobo Montacuto, Sacelli Regij Decano, & Bathoniensi Præsule*. Quibus in Nuptijs, omnibus rebus instructum & paratum magnifice Convivium. *Vasa Argentta plurima, & pulcherrima; non pauca Pocula ex Auro, gemmis distincta clarissimis; nonnulla ex unâ gemmâ prægrandi; Candelabra Aurea, mirabili opere perfecta. Pugna erat Navalis Batica & Anglica Classis, in Tapetibus picta*, ad laudem populi Britannici. His autem Tapetibus Cameræ Convivalis Parietes vestiebantur, ad inditium Victoriæ; nihil eâ Victoriâ nobilius, quæ exteras Nationes usquè ad ultimas terras pervasit. Trinis diebus antè Solennia sacra Nuptiarum, Tormentorum tonitrua, ac ignes Artificiosi suprà Nubes volitantes; ac Syderum specie rutilantes, Spectaculum hominibus præbuerunt. *Rursùs Ignem, in modum Cervi factum, Canes varij generis persequentes, in Aere discerpserunt*. Postero die, directa Acie, in ripâ fluminis, Machinisquè displosis, *Naumachia inter Triremes Turcicas, & Naves nostras, ad imaginem bellicam, Tamesi commissa*. Summâ cum expectatione concurritur; *Spectante Rege cum Reginâ uxore, filiâ, & Genero: Hoplomachi faces in Triremes; Triarchi, in Naves ardentes tædas jaculabantur. Vna ex Triremibus, igni incensa, conflagravit. Reliqua Algeiram, haud indè procul, se receperunt; Ibi cum acrius oppugnarentur, nullâ salutis Conditione interpositâ, Christianorum Imperio, ac potestati se dediderunt*. Is dies Navali pugnâ consumitur. *Tertio die, captis Triremibus, Algeira Vrbs in ripâ Tamesis extructa, terrâ aquâquè Tormentis ac Machinis oppugnatur; quam Mauri Turcaquè præsidio tuebantur*. Aderat ludicro certamini spectator Populus, hos modò, rursùs illos Clamore & Plausu fovens. *Vrbs de quâ anteà dixi, ut ab hoste, More belli, spoliata, atquè direpta est, Iure victoriæ, Barbari Prædones, in Catenis, ad speciem Triumphi ducti; & Naumacharijs, post editam operam, Præmia divisa*. Conversi hinc ad Aulæ delicias; die ipso Nuptiarum Aulæ Proceres *Equestribus Certaminibus* oobiles, Phaleratis equis, in Hyppodromo concurrerunt. Vespertino tempore, ex supremo Ordine utriusquè Sexus plerique, fovendis Principum sensibus, *saltarunt*; hilaritatem gestu, motuque provocantes. Ac super *Choreas Virginum, Procerumquè Aulicorum*, Juvenes Nobiles procerissimi, è numero Ephoeborum, qui Juri Municipali operam dant, in Aulam ad Pompam evocati. *Lincolnienses, & medij Templarij* admodùm solenni pompâ incesserunt, nostrâ aut patrum nostrorum memoriâ, major non fuit. Postero die, cum advesperasceret, *Interiores Templarij* Cymbis impositi, Regiam ingressi sunt; exceptiquè à *Præfecto Cubicnlariorum, & Proceribus*, qui eis obviam jerant valdè amanter. At Pompam, cujus causa venerant, obire non potuerunt; quoniam tenuiores Nobiles Subsellia in Atrio, loco ad spectandum parata, occuparaot. Non passus est *Rex* multos dies intermitti; operamquè dedit, ut *Spectaculum* sinè cunctatione fieret, cujus gratiâ summo loco Adolescentes evocarat. Qui perinde, atquè fecerant *Medij Templarij*, non usitatas modò Choreas, sed & ex Antiquitate repetitas, exhibuerunt. Inter earum Argumenta *Connubium Rheni & Tamesis repræsentarunt; excitente Mercurio ad Solenne Nuptiarum Naidas, ac Hyadas*; quæ è medio Atrio, per machinas emerserunt; mirantibus cunctis Spectatoribus. Mox ipsi varijs Coloribus adornati, ac Corollis *Solis, lunæ, & Syderum specie micantes*, Spectantium oculos fulgore perstrinxerunt; & priusquàm inciperent, *Regem, Reginam, Sponsum, & Sponsam*, demisso corporis habitu salutarunt. Cum Regia Symphonia, & Cymbalis personaret, vultu, habituquè corporum decora, Aulicis æmulis abundè satisfecerunt. Rex omnes benignè allocutus, honorificentissimè demisit. Tum missa *Munera Aurea, & Argentea Vasa: Adamantes, Carbunculi, Smaragdi, Margaritæ. Prætor, & Cives Londinenses, Torquem gemmis fulgentem*, ex publico, dono dederunt. Ea dona *Principes* gratâ voluntate acceperunt; Nuntiosque muneribus locupletes dimiserunt. *Rex* non modò *Regni Onera, sed & Patris sustinens*, in magnâ Pecuniæ difficultate, *Collationes in Dotem Puellæ* recepit à dominis Rusticorum Prædiorum, quibus hæc Servitus erat antiquitus adjuncta.

In ornatu Urbis nihil prætermisit; & putavit ad laudem suam pertinere, eandem pulchritudinem in Suburbio procurare, publicis & privatis ædificijs. Fundum, subinde in *Sancti Ioannis plateâ*, Primarijs Trinobantum Eirenarchis dono dedit; ut ibi domum ad Jurisdictionem exercendam ædificarent. *Baptista Hiccus*, Equestris Ordinis, qui Mercium pretio, Quæstuquè ad magnas opes pervenit, statim fundamenta jecit; Domum ex latere, diligentissimè perfecit, ad Forum & Carcerem. Opus jam perfectum, elegans & elaboratum, Eirenarchis ad prandium vocatis, publicè dedicavit; Qui in honorem, Memoriamque ejus, *Hicci Atrium* appellarunt; propter ejus summam Liberalitatem, & Humanitatem; Idemque alijs in locis Charitatis opera reliquit. *Camdeni apud Dobunos, Ptochodochium instituit, ubi Sex Viris, totidemq; Mulieribus*, præter ædes, Hortos, & Amictum, Sexaginta libras in Annos singulos, Pensionis nomine, constituit. Vereor ne Pietatis opera nimis augere, atquè ornare videar. Tamen referre libet, ut Commemoratione eorum, Imitandi Consuetudinem inducam.

1612. *Rex* interim Regni negotijs expediendis vacavit. ***Frumenti Subvectionem in exteras terras prohibuit;*** auctis Alimentorum pretijs, ut domi largius uberiusquè esset.

Mense Februario, gravi Edicto Mulcta Pecuniaria indicta fuit, *Si quis Quadragesimalis Iejunij tempore Carnibus vesceretur.* In quo edicendo, publicæ Utilitatis ratio valuit; lege antiquitùs institutâ neglectâ, Civium, & Inquilinorum audaciâ. Artificum fraudes, qui Lanificia exercebant, & tinctorum fallacias, severissime coercuit. Hæc hoc Anno, in *Citeriore Britanniâ* gessit.

In Ulteriore, Comitia indixit, & Civium imploravit Auxilium, ibi in magnâ pecuniæ penuriâ, x x x x *Millia librarum, finè ullâ recusatione, dono dantur; & Orcades Insulæ, Comitiali Auctoritate, Patrimonio publico contribuuntur.* Quia *Orcadum Comes*, magnæ Nobilitatis vir, in Carcerem conjectus, justo Supplicio servatus est. Ferunt *Baroduni Comitem*, cum nutu omnia administraret, Patriæque dominus esset, *Orcadum Insularum cupidum*, Comitem in Custodiam conjecisse; miserandum *Comitis* casum Propinquos ejus, Clientes, & Nothum filium concitasse, ut *Cracoviacam Arcem* in suam potestatem redigerent. Id facinus cum *Rex* rescisset, *Catanesiæ Comitem*, eorum Rebellioni obvium misit; in Castro expugnando ingens labor insumptus. *Rex* captâ Arce, Nothum comprehensum, *&* x x x *Sceleris* participes, per Carnificem strangulavit; magni æstimavit, servare *Comitem*, virum Regij generis, ex Pellice ortum; *Orcadum Ius* Coronæ insolubili copulâ adjudicavit.

Hoc Anno quoquè, *Macgregoriani*, facinorosis spontè occurrentibus, in Spem erecti, vicinas Regiones invaserunt, magnâ hominum pecudumquè strage. Nec id impunè tulêre; quia ad hunc tumultum coercendum, dilectus *Archibaldus Cambellus, Argatheliæ Comes*; qui latebris, in quas confugere consueverant, occupatis, per Sylvas & Solitudines, infinito labore, insecutus, tantam Cædem fecit, ut exolescente ferociâ, Armis se tutari ampliùs non possent. Palantes inventi Resti suspensi sunt; eorum Capita, ad terrendam aliorum Audaciam, fixa. Ita *Prædones* partim capti, interfectiquè sunt; partim *Regis potestati* se dediderunt.

Hâc quoquè tempestate, *Maxvallius Baro* (cujus sæpè memini) à suâ Patriâ relegatus, in *Galliam* profugit: ubi in summâ omnium rerum egestate, ac Inopiâ, diu miseram vitam egit. Tandem pertæsus miseriam suam in terrâ alienâ, *ex Francia in Scotiam redijt Servili habitu*; quò facilius falleret. Ibiquè corpore incultus, Pannis & Illuvie obsitus, Latebris inter ignotos, aut Sylvis, aliquamdiu Supplicio se eripuit; ac insequentes frustratus est. tandem Frigus, famem, Sitim perpessus, in *Catanesiæ Insulâ captus*, cum vagus & exul erraret, & in Carcerem *Edinburgenum* abreptus, Cædem per summum nefas patratam, non diu impunè tulit.

Rex pacato Scotiæ Regno, ad convulsam *Præsulum Auctoritatem* restituendam, ac Disciplinam *Catharorum* licentiâ solutam, ex usu Pietatis conversus, nihil prætermittit, quod ad Ecclesiæ instaurationem pertineret. *Presbiteriorum potestatem abolet*; Juraquè & Immunitates, *Anno* 1592 Conuitiorum Auctoritate concessas; *Acta omnia Synodi Glascnensis*, 1610, Comitiali Auctoritate confirmat: Præsulumquè Jura, quæ per summam Iniquitatem sublata fuerant, sinè ullâ cunctatione restituit; ad eorum *Iurisdictionem*, pro More veteris Ecclesiæ, omnia revocat; *ac se unum, in Terris, Britannicæ Ecclesiæ Caput, in re Sacrâ profanâquè profitetur:* Præsules orat & obsecrat, ut Dei Ecclesiæ prospicerent; tam insigne Munus pro Dignitate tuerentur; devios, Pietatis exemplis, ad Pietatis studium reducerent. Interim verò *Therapeutæ Colloquia inter se habere cœperunt, Quomodo Iura & Immunitates retinerent.* Clamore & Convitijs jactarunt insolentius, *Presbiteriorum Iurisdictionem per summam Iniquitatem sublatam, contrà Decreta Instaurata Ecclesiæ; Acta Ordinum totius Regni; fidem publicè datam; & Promissionis fœdera. omnia Dominationis, & Ambitionis instrumenta ab Episcopis usurpari; Controversias cognosci, dijudicarìquè: eorum cupiditate, & Ambitione sinceram Pietatem labefactari; Presbiteriorum disciplinâ solutâ, urbes, quæ fuerant Castitatis & Sanctimoniæ domilia, Officinas Improbitatis atq; Impudentiæ institui.* In his Altercationibus multi dies consumpti. Indè *Rex* Contumaces, Maledictis *Præsules* lacerantes, *Carcere coercuit; dubios confirmavit; Improbantibus quæ probarant, gratiam, Opes, Honores contulit, & Præsules designavit.*

Gulielmus Couperus, Prædicator Perthensis acerrimus, Initio *Præsulum insectator*, nunc *Catharorum* factione partim pulsâ, partim perculsâ, *Episcoporum Ordinem divinitùs institutum, ex usu Institutoquè Veteris Ecclesiæ, in Concionibus docuit*; summâque diligentiâ, pro eorum Amplitudine & Dignitate certavit. *Mox in defuncti Galovidiani Præsulis locum suffectus*, invidiosis, & petulantibus Plebis jocis petitus est, per Occasionem Inconstantiæ, quod cuncta improbaret, quæ paulò antè probarat. *Rex* in usu honoreque maximo habuit, quoniam in asserendâ Pontificum Authoritate, virtus ejus plurimùm enituit.

Robertus Brucius, Summus Prædicator, si modum Sapientiæ adhibuisset; *Ioannes Hallus*, vir magno, sed præfervido ingenio; *Patricius Simpsonus*, doctus, & sanctus vir; & complures alij, de quorum Moribus, Doctrinâquè anceps erat conjectura, *Causam Catharorum fando, scribendoquè tuendam susceperunt*; ausi apud suos concionari, eosquè adhortari, *ut quæ Dei sunt Deo; quæ Regis Regi darent.* Præsulum *Propugnatores*, omnibus in vitâ *Bonis circumfluentes*, laborum fructum amplissimum perceperunt. *Presbiteriorum Iurisdictionem tutantes*, intemperantiâ linguæ lapsi, *Carcerem, aut Exilio mulctati sunt.* Hæc severitas *Episcoporum* partes magis firmas effecit; *Catharorum* viribus consenescentibus. *Patricius Gallovidius*, qui diu Ecclesiæ Unitatem magnoperè turbavit, se *Episcopis* junxit: Cumquè

eorum Dignitatem enixè tutaretur, *Præsulis honorem oblatum, ut grave Onus detrectavit*; eoquè pacto fidem dictis majorem fecit. 1612.

His Comitijs de Dignitate summæ Contentiones extiterunt, *inter Hamiltonium & Angusium*; *Arrelium Magistrum Equitum, & Comitem Martialem*. Dixit *Angusius, hoc Iure semper Majores suos fuisse, ut nulli unquam cederent*. Respondit *Hamiltonius, se honorario Marchionis Titulo prælatum*. Dissidio nascenti prudenter fuit occursum; ut Neuter Alteri quicquam de Jure suo remitteret; sed *Protestatione interpositâ Ius suum retinerent*. *Arrelius* Magnus Equitum Magister, & *Martialis*, simili Protestatione conquievère. Hanc deindè Consuetudinem reliqui Proceres secuti sunt, vitandæ Contentionis gratiâ.

Hoc Anno vitam morte commutavit, *Rogerus Manerius, Rutlandiæ Comes*, priscæ Nobilitatis, & Danicâ legatione, à nobis commemoratâ, insignis; qui *Franciscum fratrem suum* reliquit hæredem. Hic admodùm Juvenis, gratè pièquè Memoriam defuncti prosecutus est; & in honorem ejus magnâ pompâ funus celebravit; familiæ fortunam Providentiâ auxit; Dignitatisquè gratiâ, *in Ordinem Periscelidis cooptatus est*.

Eodem Anno, obijt vir eruditus apud *Oxonienses*, & honestùs homo, *Thomas Hollandus, in Collegio Exoniensi institutus*; qui maximam scientiam in *Theologiâ* habuit, & publicè profiteri cœpit; successitquè *Laurentio Humfredo*, optimi Doctoris officio defungens; ac in Munere suo assiduus. Hujus Auditores fuerunt complures, qui in Theologiæ studijs plurimum profecerunt. Sed præcipuæ Authoritatis, *Georgius Abbotus, Præsul Cantuariensis*; qui verbo Dominico, ac vitæ exemplo gregem pavit: & *Ioannes Regius Londinensis*, qui in Concionibus intonuit; Ipse autem *Hollandus in Professorio Munere* perseveravit; nec ultrà procedere voluit, cum illi *Cantuariensis* gratiam & Operam offerret. Tandem, multis in *Academia* laboribus defunctus, ad Deum placidè migravit; cum *Annum ætatis septuagesimum Tertium exegisset*. Hujus Monumenta impressa nulla extant, at *Disputationes acutissimæ adversùs Papanos*, inter manus hominum versantur.

INitio Anni insequentis, *Palatinus* urbe inspectâ, Regijsquè Palatijs perlustratis, *postulavit à Socero, ut liceret sibi Conjugem in Germaniam secum abducere*. Rex ejus precibus cessit. Igitur ipse, & Conjunx, in *Belgium* trajicere se compararunt. Discedens, *Aulæ Proceribus* amplissimis verbis gratias egit, quod tàm liberaliter, tantisquè honoribus suscepissent; *Pratori, & Magistratibus urbanis*, quod tàm benevolam in se Civitatis voluntatem invenisset: *Servis Regijs*, qui ei præstò omnibus in locis fuerant, Munera largissimè divisit, Torques, Aurum, & Argentum. *Rex, Regina, & Carolus frater, ad Roffiensem Civitatem usquè deduxerunt*. Non potuit discessus absquè fletu, & lachrymis fieri. *Elizabetha* magno cum dolore à Complexu Parentum divulsa est. *Parentes*, in digressu, claram significationem Amoris dederunt: venusta facies, & amabilis vultus, in Parentum oculis animisquè resedit. *Rex* cum uxore, & filio *Londinum* redijt. *Fredericus, & Elizabetha, Cantuariam versùs iter fecerunt*; fueruntquè ab eâ Civitate solenni pompâ excepti, *in ædibus Archiepiscopi*. Paucis ibi diebus ad Quietem sumptis, discesserunt. *Multi Proceres, & Antistites* in ipsâ viâ adeuntes, eorum manus osculati sunt. Ipsi cum *Ludovico Levinia Duce*; *Arundelia Comite*; *Roberto Sidneo, Insulæ Vicecomite*; *Ioanne Haringtono, Extoniæ Barone*, apud quem *Elizabetha* educata erat; ac Primariâ Nobilitate, Matronisquè Nobilissimis, *Arundelij & Haringtoni Conjugibus*, ac lectissimis Virginibus, in *Portu Margaritano*, Classem Regiam instructam, paratamque conscenderunt. Ibi à *Notingamio Maris Præfecto*, summâ observantiâ excepti; cui trajiciendi munus, pro dignitatis Officio, fuerat demandatum. *Post Biduum Vlissingam*, Matriacorum Portum, jactis Anchoris, tenuerunt. Ubi *Mauritius, & Henricus, Nassoviæ Comites*, Nobilitate, & rerum gestarum gloriâ præclari, qui eò obviam jetant, sine ullâ motâ naves conscenderunt, eorum Manus osculantes gratantesquè. Illi insitam ex eorum Adventu lætitiam significarunt; & utrumquè valdè amanter amplexi sunt. Postero die navi egressi, exceptiquè à Militaribus Cohortibus, in litore, magnâ lætitiâ. Tormentorum fragoribus Cælum & terra intonuerunt. Honorificè *Vlissingæ* accepti, *Medemblicam* profecti sunt. Ubi *Tribus diebus* ad quietem sumptis, omnia ad Victum, Regiumquè luxum necessaria, abundè suppeditata sunt. *Præfectus Maris*, ubi munere defunctus est, salutatis Principibus in *Britanniam* redijt. Mox indè in *Dordracensem urbem*, lentâ Navigatione pervenerunt. Ibi, & *Roterodami*, ac reliquis *Batavorum Oppidis*, admirabilis Civium frequentia illis occurrit; cum incredibili voluptatis significatione; quæ propè in singulis Urbibus adaucta est. *Hagam Comitis tandem, Mense Majo pervenère*. Ubi Urbi cœperunt appropinquare, obviam processit *Mauritius Comes*, Militarium virorum turbâ stipatus, & circumfusus. Undiquè Equestribus Turmis; non minore Agmine *Palatinus & Conjunx* venerunt; cunctis prosequentibus, qui erant, vel Nobilitate, vel dignitate illustres. Ubi appropinquavit, *ex equo dissilut, eorumq; Manus osculatus*; *Elizabetham*, gemmis conspicuam, & frontis Majestate, omnibus humanis congestis honoribus veneratus est. Idem fecerunt *reliqui Nassoviani Proceres, Ordinumquè Dynastæ*. Concurrit ad insigne Spectaculum Populus. Ratò aliàs in *Belgio* quisquam Rex, aut Princeps, tantis honoribus Muneribusquè est cultus. Urbem ingressi, Civium plausu, & faustis Acclamationibus, in *ædes Henrici Comitis* deducti sunt; sumptusque de publico facti; & per continuos *Quinq; dies, spectaculorum varietate* oblectati sunt; & *Munera varia* dono data. *Adamantes* XXX ad ornandum Collum; *Margarita dua*, immensæ magnitudinis;

1611. *& omnibus Pietatis Officijs hactenùs defuncti estis*; *orat* Serenissimus Rex, *ut etiam atquè etiam caveatis, ne* Arminiani *vestra Cognitionis Præjudicio freti, impiam illam Doctrinam*, de Apostasiâ Sanctorum, *in Orbem terrarum fidenter evulgent. Quanti semper Majestas sua vestram Amicitiam fecerit, docent Fœdera vobiscùm inita; docent crebra ad vos è suis Regnis transmissa Auxilia*; docet Sanguis suorum Civium, in vestrâ causâ ubertim profusus. *Vnicum hujus Amicitiæ glutinum est Religionis Communio: cum* Defensor fidei ipse sit; *quo Titulo magis se æstimat, quàm Regno Britanniæ; Patronum se eorum omnium profitetur, qui se ejusdem Religionis & fidei profitentur Consortes. At si semel vester zelus fervorq; hic intepuerit, vestram pariter ergà se & suos Subditos Amicitiam refrixisse suspicabitur. Hæc, Domini mei jussu, ijs addenda erant, quæ ipse suis ad vos literis complexus est. Vos rem totam eâ, quâ valetis, mentis acie expendite, & quod è Ditionum vestrarum dignitate, & bono esse judicabitis, id bonis avibus definite.*

Legatus rogatur, brevem temporis moram æquo animo ferre, dùm inter se Primores de Postulatis conferrent. Verùm identidem Responsum, propè importunâ flagitatione, urgentem, *Ordines* in hanc ferè sententiam allocuti sunt.

Se, perlectis literis nostris, quæ Pridiè Non: Novemb: redditæ essent, & ponderatâ Legati Postulatione, gratias nobis agere quàm maximas, quod & Provinciarum, & Religionis Reformatæ incolumitatem, eâdem semper curâ & sollicitudine prosequeremur. Quod verò ad Articulos illos Vorstio objectos; *Academiæ Leidensis Curatores, post seriam Ordinum consultationem, decrevisse*, ut ab omni Professoriâ functione abstineret Vorstius; Leidæ intereà, communi Civium Jure, domicilium haberet. *Quod si antè, vel in proximo Dominorum Hollandiæ & Frisiæ Conventu, qui proximo Februario futurus esset, ad objecta non responderet* Vorstius; *tùm verò universos Ordines confidere, ex nostri animi sententiâ dominos Hollandiæ & Frisiæ sententiam dicturos; sese intereà, quum absquè Vrbium Principum, & Provinciarum Offensâ, nihil aliud eo tempore fieri posset, à Legato nostro seriò petere, ut de meliore notâ, & prout ipse intelligeret, bono eorum publico maximè conducere, hoc ipsorum Responsum nobis commendet.*

Postremò, *Legatus*, cum frivolum & frigidum Responsum expendisset, satisquè perspicuè intelligeret, suo nondùm *Regi* satisfactum; peractis cæteris mandatis, Obstinationem graviter increpuit; & ultimum Remedium adhibuit. *Protestationem Regis adversùs Vorstium*, Cæterosquè, qui ejus causam tuendam susceperant; quam in publico *Ordinum Conventu*, his verbis denuntiavit.

Neminem esse opinor in hoc Consessu, qui non ultrò agnoscat Regis, Domini mei, in procurandis Ditionum vestrarum Commodis, fraternam Benevolentiam; atq; in hâc Rep: stabiliendâ Paternam Sollicitudinem. Vndè etiam factum est, ut non sinè dolore acceperit, Conradum Vorstium, *tàm multiplicis hæreseos, testibus omni exceptione majoribus, convictum*, ad Professionem Theologicam, *Dominorum Hollandiæ Decreto accersitum; quandò ea res cum manifesto Ecclesiæ Reformatæ, & suæ Majestatis dedecore conjuncta esset. Itaq; ut innumera, quæ insecutura essent mala, maturè satis anteverteret, per literas mihi injunxit (quod x 1 Kalend: Octob: exequutus sum) ut suo Nomine vos orarem*, ne illum hominem intrà vestros fines unquàm admitteretis. *Responsum à vobis est*, Negotium illud cum debitâ Majestatis suæ reverentiâ transigendum. *Tantum tamen abest, ut ulla apud vos fuerit Regiæ Petitionis verecundia, ut potiùs de industriâ refragati fueritis. In Academiam invitatus est* Vorstius; *hospitio comiter exceptus; domicilio, & Professionis dignitate ornatus. Rex, quamvis elusa prima opera, per literas tamen, suâ exaratas manu, zeliq; & Affectus plenissimas, prolixè & graviter dissuasit, ne vestrum, & reformatarum Ecclesiarum honorem*, Atheo admisso Theologo *læderetis. Eas literas coràm præcipuarum Bataviæ urbium legatis, in vestro Conventu, Non: Novemb: exhibui, nonnullis quoquè in eam sententiam, Regio jussu, adjectis. Sex Septimanis circiter elapsis, à vobis responsum est; sed adeò confusè, ambiguè ἀπροσδιονύσως; ut facilè appareret*, nihil minùs vobis in mentem venisse, quàm Vorstium dimittere, *receptum Leidæ, & Professoriâ dignitate ornatum; fortè*, ut Josepho Scaligero succenturiatus, *Academiæ possit esse ornamento; Fortè*, ut privatim liberè faciat, quod publicè, præ pudore, non auderet. *His de causis, nomine & jussu domini mei*, Protestor, recepto in Academiam Leidensem Vorstio, injuriam & Contumeliam Reformatæ Ecclesiæ per vos factam: Protestor, fœdus cum Domino meo initum, (quod Reformatæ Religionis Communione nitebatur) per vos læsum. Quam indignissimam in Deum, & in se Injuriam, quâ sibi, & fœderi Britannico Vorstius prælatus est, ægerrimè se ferre non dissimulat; *& nisi maturè resarciatis (resarcire autem nisi dimisso* Vorstio *non potestis) Protestationem hanc suam Typis se vulgaturum denunciat; ut quantoperè* Vorstij Atheismum, *& hæreses, omnesq; Impietatis ejusce fautores, & Patronos oderit, Christiano Orbi innotescat. Hæc habui in Mandatis; quæ nisi exequutus fuissem, tùm meo in Deum Officio, cujus hic Causa agitur; tùm Regis Optimi Dignitati defuissem; qui ut Reformatæ Religionis Puritatem vindicet, nec suo, nec liberorum, aut Subditorum sanguini parciturus est.*

Quâ *Protestatione* interpositâ, *Primores Ordinum* humanissimis verbis ostenderunt; *licet hoc Vorstij Negotium serenissimo Britanniæ Regi, paulò præter Opinionem, hoc tempore cesserit; non dubitare se tamen, quin 14 Calend: Martias, in Conventu Dominorum Hollandiæ, res tota ex animi sententiâ foret transigenda.*

Summa hujus Responsi literis comprehensa, & ad *Regem* perlata, Spem fecit, Negotium *Vorstij*, cum debitâ Majestatis reverentiâ, transigendum. *Batavis* verò in Pervicaciâ perseverantibus; & *Postulatis Regis*, varijs frustrationibus, de die in diem prolatis, ad Ecclesiæ salutem servandam, *Libellum* publicavit, qui *Protestatio Antivorstia* inscribitur: in quo, divinarum humanarumquè legum Auctoritate,

1611

Auctoritate, & Argumentis, Impia Dogmata cum lege divinâ, cùm lege Naturæ pugnare, luculenter explicat; *nec se Theologicarum Disputationum rudem ostendit.*

Nec verò de *Thomâ Suttono*, opulentissimo viro, silendum arbitror: qui *Knaitha, in Agro Lincolniensi*, honesto loco natus, & educatus, facilè *dives evasit.* Is in Adolescentiâ, *Thomam Havartum, Norfolciæ Ducem*, dominum elegit. Illo oppresso, potentiâ Aulicâ, ad *Ambrosium Dudleum, Comitem Vervicensem, Robertum Leicestrensem fratres*, translatâ; eorum experiri Amicitiam constituit. His domi bellíquè se Clientem addixit; quorum gratiâ *Tormentariorum Magister Bervici electus*; mox exploratâ ejus fide, & Industriâ, Machinarum bellicarum *Præfectus*, ibidem institutus est. Quibus muneribus quàm maximas potuit divitias comparavit. Ego in hoc vitæ instituto, rationem Officij desidero, quòd *Norfolcij* Sectator, homines illi inimicissimos sectandos elegerit. Perstrinxit Multitudinis rumor, quod Quæstui Milites habuisset; Stipendiumquè avertisset; verènè, an falsò, parùm compertum. Huic viro amplissimæ facultates fuerunt, quibus, *ad Divitis Suttoni Cognomen*, abundaverat. incredibile est dictu, quonam modo tantas Opes congesserit. His cunabulis initiata Opulentia; summâ diligentiâ, domesticâ Parcimoniâ, & tolerabili fænore, indies aucta est. *Suttonus* jam grandis natu, multis coemptis Prædijs, meritam Militibus gratiam, memori mente persolvere; aut animi Conscientiâ fraudata restituere intendit; & abjectâ privatâ Charitate Agnatorum, sua latifundia, & immensas Opes, *in Alimenta Militum, & Puerorum erogare destinavit.* à *Thomâ Havarto Suffolciæ Comite, Carthusianas antiquitùs ædes*, circumjectosquè Hortos, magno pretio coemit: ibiquè *magnificum Gerontotomium*, Monumentum eximiæ Pietatis inchoavit, *alendis Octuaginta invalidis Militibus, & xxxx egenis Scolasticis*; adjecit & Officiales suos, *Præfectum Gerontocomij, Prædicatorem, Procuratorem, Medicum, Chirurgum, Ludimagistrum &c.* stipendiaquè constituit. Sed *Ius Municipale apud Anglos, in Ptochodochia, Orphanotrophia, & Ecclesias Donationes restrinxerat, nisi Authoritate Regiâ interpositâ*, ne Ecclesiastici potiora Regni Prædia occuparent. Legem hanc *Manum mortuam leguleı vocarunt*, (ut eorum verbis utar) quod Prædia semel data Religiosis domibus, velut mortua, publicorum onerum, & Vectigalium vacationem haberent. Proinde *Suttonus*, ut major Juris auctoritas Donationi accederet, *à Rege petijt, ut sibi liceret Fundos, Villas, Reditus, Prædia, ædes Carthusianas, & Hortos, Aurum, Argentumquè, atq; alia id genus, in usum pauperum publicare.* Confestim petenti concessum est Privilegium. Quare Solennitate Juris, quæ in *Mortuâ Manu* implendâ solet exigi, consummatâ; & Auctoritate Comitiali firmatâ, Fundos suos, & amplissimum Patrimonium *Ptochodochio* consecravit: quale nec in urbe Regiâ, nec in *ullâ parte Europæ*, antè hoc tempus, quisquam aspexit. Mox facto Testamento, & obsignato, legavit *Gerontocomio* reditum *Sex Millium librarum.* Reliquis Propinquis, Amicisquè, & Pauperibus, ac Domesticis, rei Pecuniariæ *Legata* varia dedit. Supremâ voluntate, *Curatores Ptochodochij hujus viros Clarissimos constituit; Archiepiscopum Cantuariensem; Prætorem; Quæstorem; Præsules, Londinensem, Eliensem; rerum Capitalium, & Communium Placitorum Iudices; Decanum majoris Ecclesiæ, in urbe Regiâ; & Decanum Vestmonasteriensem*; ut inirent rationem, de Commodis Pauperum augendis; darentquè operam, ne quid facerent *Officiales* contrà voluntatem Testatoris. Confecto Testamento vehementer ægrotare cæpit; & obijt in domo suâ, *Hacneja, propè Londinum, Mense Decembri.* Corpus *Londini, in æde Christi* primò sepultum; indè *Gerontocomij sui Sacello* illatum; atquè in Monumento amplissimo, non sinè lachrymis, collocatum. Executores in Pompâ funeris, & in Memoriâ honorandâ, nullum Officium prætermiserunt. Populus liberalem largiendi affectum, fervidam Charitatem, & Amplissimam Donationem gloriâ ingenti celebravit.

1612

HOc Anno, *Bullonius Dux*, celebris gloriæ, multiq; nominis vir, cum *Castilionæo, Tramolia*, & magno comitatu Procerum, in *Britanniam* venit: Ut Societas cùm *Franco*, arctioribus, si posset, vinculis connecteretur. *Levinia Dux* ei obviam missus, & *Carthusianæ ædes*, ut ipsum Comitesquè reciperent, paratæ, instructæquè lautâ supellectile; Tabulis pictis; Tapetibus, Auro intextis; vasis Argenteis; & multiplici penu. Advenienti, post paucos dies, congressus datus est in Camerâ Convivali. Progredi ad Tribunal, præ turbâ Procerum vix poterat; concursu undiquè facto. Ubi Tribunali appropinquavit, *Regem* officiosè salutavit; consurrexit *Rex*, & ipsi, Comitibusquè dextram porrexit. Sed effulgebant suprà cæteros *Tramolia Adolescens, & Castilionæus*; hic Patrui clarissimi, Ille Avi memoriâ; uterquè suâ, & Instauratæ Religionis famâ. *Rex* introductum indè in Thalamum, considere jussit; interrogavitquè *ecquid venisset?* Respondit, *ut Regis sui animum ergà eum demonstraret; studiumq; Pacis, & Concordiæ perpetuandæ; quam Pater summâ fide & Sanctitate coluit.* Rex certam fiduciam Pacis præbuit; omne officium pollicitus, quod *Principem* pium bonumquè facere decebat, in defuncti Amici Regis Liberos, *si ejusdem Religionis cultores nullis Injurijs afficerentur, nullis novis Oneribus premerentur; id si fiat, Sortem omnem fortunæ, Regniq; Britannici, cum eorum rebus commiscere velle.* Postremò hortatus est Regem, *nihil in eos, Iuvenili fervore, violenter consulere; nec Calumnijs Adversariorum, subdolè confictis, credere; quibus se, Regnumq; Francicum, in summum discrimen adduceret.* Itaquè *legatus*, cæteris quæ petebat impetratis, *Regis* studium in tuendis Socijs laudavit, *si nihil in Regem, Regnumvè attentarent, morte Henrici, distractum in varias factiones.* Posteà invitatus ad Regem sæpè *legatus*, & Convivijs adhibitus; cum Muneribus dimissus ipse, Comitesquè: Discedens, *Andream Melvinum*,

1612. *Melvinum*, in Carcerem conjectum, ob famosum Carmen, Præsulum Contumeliâ refertum, *sibi tradi*, summi beneficij loco, postulavit; impetravitquè. Qui in *Galliá*, non sinè honore, consenuit; & Præsulum Injurias *Epigrammatibus*, *ac Præfationibus*, vindicavit. Nihil de ejus virtute, & doctrinâ dicam; ne Judicium Senatus rescindere videar; sed *Annalium munus* videtur non sinere, occidere eum; *qui Carminibus Posteritatis memoriam meruit*; aliorum famam, cum suâ extendit. Suasit mihi ut *historiam scribere pergerem*, Methodumquè religiosissimè scribendi Carmine præscripsit; meque ad hoc studium literis impulit, Fide, Veritate, & nudâ rerum Narratione captus.

Inter hæc *Robertus Cecilius, Sarisburiensis*, tot Muneribus, & honoribus à Rege auctus, multiplicatusquè, *Baro de Essendon*, *Vicecomes Cranborna*, *& Comes Sarisburiensis creatus*, & tantæ famæ celebritate natus, nullâ humanâ ope à Languore ad Sanitatem revocari potuit; & *desinente Majo*, *in Secessu Bathoniensi*, quem firmandæ Valetudinis causâ petierat, *Cynici philosophi Vaticinationem implevit*: filio & filiâ superstitibus; *quam Baroni Cliffordo*, *Cumbriæ Comitis filio*, *in Matrimonium collocaverat*, numeratâ ingenti pecuniâ, Dotis nomine. filio non tenuissimum Patrimonium reliquit; Prædia magnifica plurimis in locis; ædes & Hortos; multam & lautam Supellectilem; ac magnam Argenti copiam. Eodem die, per *Veredarios*, Mors nuntiata, variè homines affecit. *Rex* in silentium fixus, speciem doloris fronte gestuquè prætulit. *Senatus* animo, vultuquè consensit. Vulgatâ morte, *Populus* gaudio exultavit; manente adhuc adversâ famâ *Essexiananecis*, & Memoriâ Crudelitatis in ejus Clientes; quæ defensa est ab Amicis quasi necessaria; cum tot æmulis conflictaretur. Is vir Virtutibus, Vitijsquè mixtus fuit; Corpore deformis; Sermone, Voce, Vultu venustus; largissimus in Amicos; multa documenta præclari Ingenij dedit; sed nequaquàm *tàm gratum* egregiæ animi dotes, *quàm Invisum* Civibus *Savitia atq; Avaritia* fecerunt; aliorum fortunas depeculans; aliorum Caput oppugnans. Quæsturam majore favore adeptus est, quàm administravit; Quippè urbes, Civitatesquè, auctis multiplicatisquè Vectigalibus, afflixit; *Præpositos*, *Mancipes*, *Procuratoresq;* liberiore potestate instruxit, ad exigendum Portoria, vectigaliaque à Mercatoribus invitis, & recusantibus. Author extorquendæ pecuniæ fuit, ab Equestris Ordinis Candidatis, (quos *Baronettas* vulgus vocat) & Illustriores dignitates petentibus; studiumquè cogendæ pecuniæ à Popularibus, pro ipsorum facultatibus, non omisit. Proindè adversâ apud omnes famâ fuit; præcipuâ, apud Vulgus, flagravit variorum dedecorum Infamiâ. Jactabatur enim Vulgò (verene an falsò incertum) prævaricatione Fiscum circumvenisse; in Prædijs publicis distrahendis, magni pretij Fundos, per interpositas personas, minoris comparasse; defunctæ Reginæ pretiosa Ornamenta, Margaritas, Adamantes, Carbunculos, *Regi immensò pretio vendidisse*; ijsque vendendis *Ioannem Spilmanum*, *Petrum Vanlorum*, *Batavos*, *homines* locupletes adhibuisse, propositâ Auctione, Principales res pro suis subjecisse; & augendo pretio, nihil non fraudis, & fallaciæ interposuisse. Cum Ædes magnificas, & Hortos, juxtà *Tamesim* ædificaret, extorsisse Possessoribus proximas domos; aut afflixisse abnuentes, Specie legum. Hæc Vulgò jactata; adjecta his atrociora Carmina, incertis Auctoribus, in istius Improbitatem, & Libidinem facta, totâ *Britanniâ* percelebrantur. Quæ etsi Dicta, Factaquè inimania, fallaces Amicitias, exitium Innocentium; *Morbo Gallico*, *vehementi Veneris usu*, *& Prurigine corporis absumptum*, invidiosis, & petulantibus Jocis objectarunt: Tamen pronis auribus accepta. Post mortem Patris, senescente Invidiâ, filius prosperiore famâ fuit: qui nisi ad Misericordiam *Regis* confugisset, Bonorum Proscriptionem effugere non potuisset; stetitquè *Domus Suffolcij*, Soceri gratiâ; & Decreto Regis, *in Cecilij fortunas inquirere probibentis*. Corpus à *Thermis*, *ad Hartfeildianas ædes*, cultu conspicuas, in Agro *Hertfordiensi*, deportarunt famuli; & insigni Monumento intulerunt.

Defuncto *Cecilio*, & *Overberio* parùm feliciter semoto, *Roffiensis* nimiâ fortunæ Indulgentiâ cæcus, & Cupidine potentiæ, honoris, Divitiarum incensus, ad capessendam remp: se accinxit; & munia Impetij obivit, ignarus quantum Negotij, Quid Oneris humeris subiret; & quantam Invidiæ flammam accenderet. ô Audaciam immanem! vix hominem esse se meminit; beatamquè somniavit vitam, *Avaritiæ aut Libidini* inserviens. Aula in duas factiones scindebatur; & ambigebatur, quisnam Epistolis præficeretur? Alijs *Nevelium*, legationibus celebrem; Alijs *Laqueum*, peritum rerum Civilium, ad id Munus vocantibus. Uterquè suos fautores habebat: *Nevelius*, *Roffiensem*, percupidum sui, & studiosum; *Laqueus*, complures ex Aulicis, ejus virtutem laudibus extollentes, gratiâ, Voce, suffragio; Sed ex omnibus maximè *Fentonum*, hominem Nobilem, & Amicum fidelem. *Roffiensis* tum in Aulâ potens, etsi *Nevelium* in Amicis habuerat, tamen ipse avidus Potentiæ, *Secretarij Munus*, *quod Cecilius obtinuerat*, *exercuit*; *Nevelium*, dando, & pollicendo multa, in Amicitiâ continuit.

Per eosdem dies, *Gedeonem Moravium*, *Equestris dignitatis*, *Avunculum suum*, *Proquæstorem Scotiæ creavit*; & ordinando ibi Ærario præfecit. Actum inde in Senatu, *de Officio Quæstoris*, *vacuo morte Cecilij*. Sex viri Clarissimi, amplissimis usi honoribus, à *Rege* creari, quibus *Fisci*, *& exhausti Ærarij cura demandata*. Hi dispensationem publicæ pecuniæ, in suam curam vertebant; sumptibus Regis ordinandis adhibebant diligentiam; Authores summarum publicæ pecuniæ rationes referre cogebant; omni ratione publicis incommodis mederi studebant; & vulneribus Reip: adhibere salutaria remedia; Neque moliebantur quicquàm, undè nasceretur Occasio Tributorum, & Querelarum.

Nummns nullus moveri poterat, sinè sex Apolectorum Authoritate, in Scripto; & uti scriptum erat, Nummularij numerarunt. 1612.

Rex ad hunc modum Ærario constituto, non multos post dies, *novam Societatem instituit, qua Compendium via in Orientem inveniret.* Nullus propè antiquorum labor *Britannorum, & Batavorum,* industriam in hâc re æquavit. *Batavi,* Classe comparatâ, in *Ortum Brumalem* conversi, *glacialis Oceani* Sinus penetrare non potuerunt; ad *Alborum Vrsorum terram* naves appulerunt; & in illius Orâ Maritimâ Hyemem consumpserunt; multis Miserijs, suprà humanam fidem conflictati.

Hoc Anno, *Vinvodius, & Hudsonus,* Britannici Præfecti, rei nauticæ periti, mandato *Societatis,* navigationem Solis Ortum versùs instituerunt, & ad *Davisij fretum* delati, infinito labore suscepto, multos dies in *illius Freti Navigatione* consumpserunt; *quà apertam sibi in Orientem* viam, per *Septentrionalia America* crediderunt; sed objecta *glacies* cursum impedivit; & *Fretum Naturâ gelidum* transitum negavit; etiam si in *Australem Oceanum* decurreret. *Vinvodius* crebrò reverberatus, rem inchoatam reliquit; & in *Virginiam* navigavit. Ubi *Novos Colonos* reperit, ædes hortosquè molientes. *Hudsonus* adhuc audendum ratus, quamvis sævis tempestatibus conflictaretur, & Commeatuum Inopiâ premeretur: tamen oculorum fide exploravit, an esset aliquis transitus, Oram *Septentrionalis America* perlustrans. Nautæ, si in Cursu proposito perseveraret, rerum omnium Inopiâ pereundum sibi prospiciebant. Igitur seditione ortâ, *Prafectum in Scapham conjiciebant, & rapidi Pelagi Misericordia permittebant.* Illius comites in *Britanniam* redierunt. Domum reversi, insimulati Capitalis atquè invidiosi Criminis; *Iuratorum Iudicum* sententijs damnari non potuerunt, antequàm de Morte Præfecti constaret. Quippè, *Iure Regni apud Anglos,* in homicidas, nisi perpetratâ Cæde animadvertere non licet. Quamvis *Iure Civili,* in hujusmodi delictis, *Affectus pro Effectu reputetur.* Quamobrem Rei comperendinati in vincula conjecti sunt. Socij posteà modicam *Transitus spem* habere cæperunt; & propè abjecerunt. Neque propterea *Indici Mercatores* finem progrediendi fecerunt; sed *Bona Spei Promontorio* trajecto, ad innumeros Orientis Portus, *Indiciq; Insulas Oceani,* audacissimè, felicissimequè penetrarunt.

Jam verò, quemadmodùm *Londini,* hoc Anno, emendicata fuit, *in auxilium Virginiensis Societatis Sortitio,* operæpretium est cognoscere. *Antonius Copus, Equestris Ordinis, Patronus Colonia,* homo ingeniosus, & peracutus, *Sortes* ordinavit, & in *Vrnas* conjecit; *Nomina sortiri profitentium* in Albo describi jussit; demisitquè in Hydrias. Censuit *Prator Vrbanus* negligendam rem non esse; & Judices delegavit, *ne Sortibus ordinandis prepositi, in sortitione fallerent; neu quid vafrè, aut malitiosè facerent;* quod in tali re fieri solebat. Tanto Mercatu indicto Præconis voce, & *pro ade Divi Pauli,* domo extructâ, ac speciebus rerum *Sorte* ducendarum palàm propositis; ubi dies advenit, quo sese *Sortituros* edixerant, concurritur undiquè ad destinatum locum. Ibi *Sortes,* Judicum monitu, *Pueri manu miscentur;* & mox cætera, quæ erant ad *Sortes* parata, producuntur. numerato pretio, quod pro *Sorte trahendâ* persolui convenerat, Manus ad *Sortiendum* demisêre. *Sortes educta plerumq; vacua;* in quibus nihil scriptum, nisi Nomina in Albo *Sortientium; ac Rithmi breves Iocosi, aut ambigui.* Rarò Sortibus aliquid obtigit, præter *Specula, Pocula, Cochlearea Argentea,* specie, quàm usu potiora; atquè alia id genus, irridentibus Prudentioribus Credulitatem Plebis, & famosum, impudentemquè Quæstum: excusantibus alijs fallaciam, *pratextu Nova Colonia. Shaplisius Sartor maximam Sortem tulit, Argentea vasa Quadringentis Libris empta;* meliorem, nequè pretij majoris nemo habuit. Is lætus reversus est, & locuples præcinentibus Tubis. Cæteri ferè omnes inanes redierunt; ac Imprudentiam suam serò senserunt. Urbem Regiam cæteræ Civitates, ac Provinciæ secutæ: & mox *Plebs Rustica* pecuniam, *eâdem Sortitione* sinè modo profudit; præmiumquè par Stultitiæ tulit. Exteris in Provincijs, *Sortes* jam pridem refrixerunt; apud nos quoquè *hoc genus Aucupij Vulgus explosit;* & Plebs urbana, exploratâ fraude, non expectatâ Prætoris Auctoritate, *domum tumultuosè diruit; ac Sortes expilavit:* nec reverentiâ Magistratuum, ab incepto deterrita est, prævalente jacturæ memoriâ.

Cæterum, *Pietatem, Mansuetudinemq; Iacobi Regis, testatur defuncta Matri habitus honos maximus.* Ossa ejus, quæ erant *Petroburgi,* in Templo illius Civitatis maximò, condita, ad Urbem Regiam translata; *& honorificè Majorum Mausoleo illata.* Episcopus *Leichfeildiensis,* à Petroburgo usquè ad Suburbium Civitatis, deportavit. Ibi *Archiepiscopus, Prator Egertonus,* qui plura defunctæ, quàm vivæ præstitit Officia; *Privati Sigilli custos,* & Complures homines Nobilissimi, ac Primarij *Antistites,* multâ face susceperunt: *Templo D: Petri, Fanoq; Henrici Septimi, Avi, ornatissimo, intulerunt.* Extruxit autem *Iacobus,* eo in loco, Monumentum, in honorem Matris, amplissimum; atquè *Marmoreo in Sepulcho, suâ impensâ exadificato, condi jussit;* & præposuit Effigiem, præclarè factam, è Marmore: nihilquè prætermisit, quod ad Memoriam ejus excogitari poterat; propter singularem Amorem, & Observantiam. In eo Sacello sunt Monumenta perampla, Complura, in exteris Nationibus celebrata; omni genere Materiæ, & varietate Operum insignia; & Simulachra facta è Marmore; sed duo longè cæteris antecellunt, *Elizabethanum, & Alterum Maria Stuarta,* religiosissimæ Principis. Ibi quoquè est ex Ære Monumentum, singulari opere perfectum; omnium illorum, quæ sunt in illo Fano, ornatissimum; & *Simulachrum Henrici Conditoris,* quo non facilè quis dixerit se vidisse pulchrius.

Inter hæc *Gulielmus Crichtonus, Sanqharius Baro,* ex familiâ antiquâ, & Illustri apud *Scotos,* se ad

1612. *Turnerium Lanistam*, Armorum peritissimum contulit, ut ludicrâ Exercitatione decertaret. Quo quidem in Certamine accidit, ut *Baronis oculus*, gladiatoris ictu erueretur. Homo Nobilis, propter gravem casum, inflammatus furore, *acerrime* Vindictam cogitavit; & Consilium inijt contrucidandi. Itaquè *Robertum Carlilum, & Iacobum Eduinum*, servos suos, ei percussores subornavit. Illi se ostenderunt, quod vellet esse facturos; & *Londini* compotantem, nihil ejusmodi metuentem, nihil suspicantem, *Sclopetti ictu* trajecerunt; & facinoris ultionem veriti, ex Urbe in *Scotiam aufugerunt.* Author ignorari diu non potuit; fit Clamor maximus, & admurmuratio Populi, vindictam expostulantis; & in *Sangharium* culpam, ne falsò quidem, conferentis. Is quasi in manifesto scelere deprehensus, metu & Conscientiâ flagitij perterritus, in latebras se proripuit. Posteà vagus, & inops Consilij, prehensus, ductusquè ad *Cantuariensem Archiepiscopum*. Ubi videt nihil sibi profuturam Inficiationem, incauto consilio Confessionis decus amplexus, *Turnerium suo dolo casum fatetur*. Quare id fecisset interrogatus? Hoc causæ dicit, quod per Convitia, & petulantes jocos, exsectum Oculum insolenter gloriaretur. Cum acriores Vulgi voces ingruerent, supplicium implorantis, deflexâ omni Acerbitate in *Sangharium*, *Rex* primò recusavit; admonet illud, quod Vulgum fugerat, *in Accessorium non posse animadverti; antequàm Principales Rei in Iuditio constituantur.* Propterea protraxit Quæstionem; deditquè negotium Magistratibus publicis *Scotiæ*, ut Percussores in vinculis ad se mitterent. Qui, in omnes partes dimisso Equitatu, in Regni finibus profugos comprehenderunt; & deprehensos in Catenis ad Regem deduci jusserunt. In quibus tantum animi fuit, cum de flagitio quæreretur, *ut nullum omninò verbum, quo Domini salus periclitaretur, emiserint, antequàm intelligerent suâ Confessione convictum*; proptereàque Negationem ei nulli adjumento futuram. Producuntur è Carcere Percussores, condemnati *Iuratorum sententiâ*; *& in Fleta plateâ resti* suspenduntur. *Turnerij* uxor, non satiata Supplicio Servorum, Dominum in Quæstionem postulavit. Multi orarunt, *obsecraruntq́; Regem, ut Sanghario, homini domi suæ Nobili, & Claro, parceretur.* Interrogavit Supplicantes, *Poteronè Actores afficere Supplicio, ignoscere Authori, qui Cædem perpetrare jusserat? Dixitq́; se statuisse animadvertere in omnes*; ita Reip: rationes, & temporis postulare; ne tumultus acrior ingrueret. *Franciæ Regina petit à Rege, & eum literis rogat, ut ignosceret.* Rex inhiberi nullis precibus potuit, quin *perseveraret in ultione.* Insimulatus itaquè *Sangharius, de Turnerij Cæde*, pro Tribunali Regio, concursu magno, frequentiâque hominum, causa agitata. Damnatio modicâ defensione peracta; sententiâ honestorum Civium, non Procerum, criminante Conjuge de Viri Morte. Reus à Tribunali in Carcerem reductus; mox ad supplicium expostulatus est. Nuntiatâ morte, Nuntium libens excepit; atquè advocavit Amicos. Uxor, quæ paulò anteà diverterat, lachrymans in Carcere assedit, Officij causâ; Vultu, Complexu, Colloquio firmavit, adversùs præsentem Mortis formidinem. Ille à Complexu, Osculoquè dimisit; & in Contemplatione vitæ futuræ, diem, Noctemquè egit. Supplicium *Præfecto Iuridico* mandatur; sumiturquè in *amplissimâ Areâ Prætorij Occidentalis Monasterij*, circumstante infinitâ propè Multitudine Civium; *non Securi, sed Laqueo*; Dedecoris causâ. *Vestes magno pretio redimere coacti sunt Amici; ne Lictor in contumeliam* uteretur. Ita *Lanistæ mors vindicata est* severè, in Metu, periculoquè tumultus. Maluit *Rex* in animadvertendo Severus esse, ad utilitatem, salutemquè Regni; cum administrari sinè Metu, & Severitate non posset: quàm ignoscendo Misericors videri.

Hâc æstate, *Petrus à Zunigâ, Hispani Regis Legatus, in Britanniam appulit.* Navem egresso præstò fuit obviam missus *Ludovicus Leuc̄nerus*, Equestris Ordinis; qui *Londinum* perduxit. Advenienti extemplò conveniendi Regem facultas data est. Is retulit Regis sui Nomine, *Dominij Batici maximum semper Præsidium positum esse, in Amicitiâ Regis Britannici; eamq́; omni aliâ potiorem Regi suo visam. Plùs enim Regi magnæ Britanniæ, quàm omnibus Europæ Principibus debere.* Responsum à Rege est salubri Moderatione; *gratum id esse, & magnoperè lætari, si quid per se boni, Commodiq́;, Hispaniæ Regi accidisset; daturumq́; operam, ut omnia Officia, ad ultimum experiatur, quæ justum, Bonumq́; Principem facere deceat.* Editis mandatis Curiâ excessit; mansitquè *Londini* Speculator rerum, quæ ibi agerentur. Itaquè circumductus, ad ædes regias, in Magnificentiæ admirationem extructus. *Hamptoniæ* honorificentissimè cultus est; & similiter in *Theobaldinis ædibus.* Eam Opinionem de *Philippo* Rex concepit, tanquàm certo Amico, & fido Socio.

Inter multas Regum, Populorumquè legationes, *Robertus Shirlem, Equestris Ordinis, Persarum Regis legatus*, maximè convertit in se Civitatis oculos. Is natione Anglus, *Syriam, Asiamq́;* & varias Orientis Regiones perlustravit, magnâ spe consequendi honores, præmiaquè ab Exteris Regibus. & fide, ac Obsequio, sese in Familiaritatem *Persici Regis* insinuavit. Erant duo *Sherlei fratres*, ejusmodi homines, qui quantum Spes spospondisset, cuperent; & sub Externis Regibus viverent. *Antonius Major natu, in Hispaniam profectus est*, spe honoratioris Militiæ, adversùs communes piorum hostes. Ubi pro Vi, Virtute, & plurimâ rerum Maritimarum experientiâ, apparatè, magnificèquè exceptus, cultusquè, fortiter se gessit. *Minor* nequè fortunâ, nequè Indole magni animi dispar, *legatus est in Britanniam, legatione honorariâ.* Cum haberet Jus Legationis, & *ad Iacobum legatus missus esset, Subditum se meminit.* Qui *Arabum* Mores; qui *Persarum* Victus esset; quæ *Indorum* Merces, exposuit; & *Viam in Magoris regionem, Copiâ Margaritarum, & Aromatum maximè celebrem, aperuit*; ut ad ipsius littora, Onerariæ naves ad Mercaturam exercendam mitterentur. Finito tempore legationis; & uxore Terræsiâ, Muliere Persicâ, ex Puerperio convalescente, *in Persiam rediit:* Muneribus publicè donatus.

Haud

1612. Haud multò post, *Fredericus, Comes Palatinus Rheni*, Majoribus antiquissimis, magno *Germanorum* comitatu stipatus, in *Britanniam transmisit, splendidissimi Conjugij cupidus*. At Rex, ubi nuntiatum est, eum *Gravesendæ* Navi expositum, *Ludovicum Levinia ducem*, Civium gratiâ insignem, misit; qui ei, honoris gratiâ, præstò esset. Raro aliàs quisquam Princeps, aut Privatus, tanto gaudio, tantis honoribus, tanto favore Vulgi, atque Benevolentiâ receptus est. Ipse vectus *Regiâ Birtemi, Auro litâ, adverso Tamesi ad urbem subvectus est*, magnâ Procerum, in Cymbis prosequentium, lætitiâ; completis ripis Civium Multitudine, obviam effusâ. *Carolus Eboracensis*, magno electorum Procerum comitatu circumfusus, ingredientem Curiam salutavit; eumquè ad *Legem* deduxit. Adamantes, Torquesquè gemmis clarissimis in Aulâ fulsêre. Stetit Prætoria Cohots, Sagulis Auro distinctis, incedentibus Clientibus, comitibusquè, suis ordinibus, *Ipse Medius inter Proceres Auro, Purpurâquè fulgentes*. Ubi Tribunali appropinquavit, Regem cultu & ornatu conspicuum; Reginam, haud procul Gemmis, Margaretisquè adornatam, Solenni More veneratus est; Proximum his *Henricum Principem* officiose; Sponsam publicè primò, deindè separatim salutavit, Matronasquè Nobilissimas. *Rex* paulùm progressus, *summittenti se Palatino ejus ad genua, Dexteram porrexit*; Ipsi, Amicis, & Clientibus omnia comiter & hospitaliter præbuit. Paulò post, Proceres ipsum, Comitesquè in *Essexianas ædes*, paratas, instructasquè magnificè deduxerunt. *Londini Fredericus aliquot dies commoratus*, invitatus est ad Prætorem urbanum, & in *Basilicâ urbis* magnificè exceptus est, quâ *Prætores* ad pompam Conviviorum uti solent, in celebri Conventu Civium; circumductusquè summâ Comitate, ut viseret Ornatum urbis, ædesquè sacras, ad famam, Dignitatemquè Civitatis, Imperijquè Britannici nomen, constructas; Forum maximum, ac pulcherrimum; Fontes aquæ dulcis egregios; Palatia Procerum, in *Tamesis* ripâ; Turris molem; & ornatissimum *Peristylium*, copiâ Negotiatorum maximè celebre, apud Nationes exteros; Cæterasquè urbis partes, multis privatis & publicis ædificijs exornatas; qui Moram brevem, præ voluptate spectaculi putavit. *Prætor* discedenti, Civitatis nomine, *Pulcherrima Vasa Argentea dedit*. Is revertens, se honorificè exceptum, & munificè cultum exposuit. *Rex* gavisus est, *Palatino*, Comitibusquè ejus satis jucundum & gratum fuisse Spectaculum. Vocatus posteà Senatus; Consilioquè coacto, quæsitum, *Quis Filia Maritus diligeretur; instante Nubili Virginis ætate; multis Regibus, ac potentibus Principibus Nuptias flagitantibus*? Proceres; multa super Matrimonio disseruêre; ac prompsêre sententias, magno cum Juvenis honore, *Comitem Palatinum, ob communis Religionis cultum; Amicissimi Patris, honoratiq; Avi, & Clarissimorum Majorum Memoriam, magnaq; Merita, præferendum cæteris opulentissimis, & maximis Regibus*. Nec *Rex* ultrà expectat. *Elizabetham filiam*, formâ eximiâ, miti Ingenio, Modestiâ suprà ætatem, & præclarâ animi Indole, *ei despondet*; ipsumquè Bavaricâ familiâ Clarum, *Periscelidis Ornamentis, & Cæruleâ fasciâ gemmis fulgente, exornat*.

Ejusdem Ordinis dignationem *Mauritio Nassovia Comiti* decernit, dignissimo tali decore, ob Imperatoriam Virtutem, verborum Jactantiâ vacuam; *maximumq; in terris Batavorum Nomen*. Hic absens, per *Vinvodium legatum, ac Regem Fecialium*, Periscelidis Insignibus ornatus, gratum sibi, *Batavisq;* donum testatus est.

Ille præsens, omni honore cumulatus est, antè oculos Procerum: ut honores ejus, apud omnes *Germanos*, & Amplitudinem, possent cognoscere. *Pactum inter Palatinum & Puellam Regiam Matrimonium*, juvenili Amore, Donis, Familiaritate, & vitæ Consuetudine confirmatur. Ille promissum Conjugium celebrari postulat; cunctari diutius in cupidine inutile putat; multoquè *Regis* assensu, est auditus.

Sed his tàm lætis magna Tristitia interijcitur, *ex ægritudine Henrici Cambriæ Principis*, omnium suæ ætatis præstantissimi, præclarâ virtutis Indole, magis divinitùs inditâ, quàm labore, diligentiâ, & disciplinâ partâ. Qui cum Juvenili fervore, *in Pilæ lusu*, æstu, Sudorequè sæpè cohortuisset, *circà Festum omnium* Sanctorum, ita Febri correptus est, ut nullis Medicorum Remedijs, Artibusquè revocari potuerit; quia visum est fortunæ sævienti, Indulgentiæ suæ pænitere; & præstantem, florentemquè Principem, magnum futurum Regem, si vita longior contigisset, crudeli rapinâ intercipere. Is, ab ineunte ætate, res maximas gerere, & Sensum veræ gloriæ habere cæpit. Cui contigit Adolescenti, ut esset Senatui, Proceribus, optimo cuiquè, & Populo charissimus; cujus voluntatem charissimam semper habuit; & nihil cum Popularium Benevolentiâ comparandum putavit. Nihil illi Salute Ecclesiæ charius; nihil bonorum virorum Juditio optatius; nullâ, de virtutibus plurimis, Pietate admirabilior; festos enim dies, & omnia Vespertina, Matutinaquè Sacra religiosissimè celebravit. Sed excellens eximiaquè virtus, in progressu sæpè deficit; & gravi fortunâ *Populi Britannici*, Henricus, XVIII Anno, inter prima Incrementa Indolis, extinctus, tantum desiderium sui apud *Britannos* reliquit, ut præter publicum Incommodum, & privatam omnium Jacturam, unusquisque Mæstitiam, & dolorem, Voce, Vultu, lachrymis testaretur. Videor mihi adhuc gemitus, Singultus, fletus Plebis in auribus habere; & effusum in lachrymas Senatum videre. Tribuitur illi Testimonium Virtutis egregiæ, æquale omnium hominum; quoniam tantâ Moderatione animi, in Fervore ætatis, Cupiditates rexit, ut nihil Sermonibus omnia criminantium, insitâ Naturæ libertate, excusatum sit. Sic vixit, ut ad omnium aures Nominis sui fama pervenerit. Suâ virtute perfecit, ut maximum Ornamentum Reip: haberetur, & esset. *Nemo* Potentiam ejus Injurijs sensit; *Multi* Beneficijs Munificentiam experti sunt. Cæterùm quantâ

1612. Molestiâ, quantâ animorum perturbatione, tristes Nuntij de Valitudine ejus, *Scotos* affecerint, vix est credibile, aut memorabile cuiquam; cum recordarentur quali Principe orbati essent. Quàm arduum, & quàm difficile est, dolori eorum paria verba reperire, qui optimum atquè maximum Principem, suarum fortunarum Authorem, Religionis Propugnatorem, Dignitatis, Salutisquè Patronum amiserant? O magnum atquè intolerandum mærorem! ô grave acerbumquè fatum! *Sextus Novembris funestus, ejus Morte, dies, infaustus posteà habitus est.* Numen, ejus interitum, evidentibus Signis, monstravit. Satis constat, priusquàm decumberet, Oculos fuligine inquietatos; idquè desperatæ Valetudinis inditium; *& Noctu, suprà Domum Sancti Iacobi, quâ Principes uti solent, Irim Sereno Cœlo plurimos mortales conspexisse; & maximos, Clarissimosq; Ignes, per aliquot Noctes visos*, paulò anteà quàm è vitâ migraret. *Mayernus Medicus Regius judicabat, Irim Seleniticam velut Omen, & haud obscurum Mortis nuntium.* Extincto Optimo Juvene, qui *Imperij Britannici* columen fuit, ingens luctus per aliquot dies Regiam occupavit. *Palatinus Comes Ricamontium concessit. Soror*, veste mutatâ, omnem delicatiorem cultum deposuit. moverat Pietas, moverat Germanitas. *Carolus Eboracensis*, fraternè, piequè indoluit. *Rex* recenti mærore confusus, è complexu *Caroli Filij* solatium quæsivit; suffecit fratris oneri; sibi, Subditisquè unicum levamen; confirmavit prostratum ipsius Morte Senatum, afflictos mærentesquè Proceres erexit; à dolore mentem, à fletu Oculos revocavit; Nequè sibi, nequè Filio quicquam, nisi provisu Numinis, accidisse disseruit; sed omnia facta Dei Immortalis juditio, & Voluntate; *Carolo Reip: conservato, nihil timendum; datum ab illo Indolis claræ experimentum; & bonis Artibus institutum, imbutumquè, ad Spem Imperij Britannici.* Ita multum *ad Caroli Venerationem* adjecit; & Memoriam domestici doloris, ac defuncti desiderium in animis audientium lenijt, spe futuri Principatus. Funus singulari Cæremoniâ celebratum; & Mortuo tanti honores parati, quanti parari maximi potuerunt. Officia plena Curæ, plena Pietatis, plena Sanctitatis extiterunt; & justis Manibus peragendis *septimus Decembris dies est dictus, in æde Divi Petri.* Parentalia ubi venerunt, *pullati Mille Quingenti, Pullo amicti habitu, longo ordine incesserunt. Carolus, Peplo luctum amissi fratris testans, funus maximè illustre fecit.* & Germani proceres, cum *Palatino*, atrati comitati sunt. Cives bustum Cadaveris, Effigiemquè Mortui contuentes, ingemuerunt miserandum casum, & ereptam immaturo vitam. *Primores Comitum, corpus ejus Sacello humeris intulerunt, quod Sibi, Posterisq; Henricus Septimus construxerat; & in Mausoleo Aviæ, cum summo dolore condiderunt.* à Præsulibus supplicatum multis precibus, Anglico ritu sacrorum: *Laudatio à Præsule Cantuariensi* luculenter dicta; Laudatusquè est Exequiarum die, *Quod admodùm Adolescens, rei Militaris scientiam, easquè Virtutes assecutus fuerit, quas pauci, diuturnioris vitæ beneficio, consequi potuerunt. Quod Pietate, Consilio, Ingenio, Probitate, æqui atquè boni Observantiâ, Animi Magnitudine, omni denique genere virtutis, sui ævi Principes superarit. Quod summâ Vigilantiâ Familiam administrarit. Quod omnia pericula, omnes subeundos labores existimarit, ut Præsidio Senatui, Populoquè Reiquè pub: esset.* Fletus cum singultu obortus est. *Apricius Theologus*, præter cæteros *Sacellanos* mortui Principis misericordiâ permotus, *in Fano sancti Iacobi* miserandum funus deflevit. Cum diceret, *Quantus Qualisq; Princeps fuerit; Qui Industriæ, non Inertiæ; dignitati, non voluptati; laudi, gloriæ, Æquitati, non Luxui, Somno, aut delicijs sese dederit; Qui nihil unquam fecerit, quod facere non æquissimum fuisset; Qui Patriæ, Qui Civium commoda longè plùs spectarit, quàm sua*; lachrymarum rivus fluere ex omnium oculis cæpit, quæ dicendi tractandiquè facultatem impediverunt. Servorum fletus, Civium gemitus, Legatorum dolor, nunquàm major. Ob tot tantasque virtutes, & maxima merita, *Senatus decrevit Monumentum quàm amplissimum, cum Statuâ locandum, ad Memoriam Posteritatis sempiternam.* & Statuæ subjectum hoc Carmen.

Spes Patris, & Patriæ, Fatorum lege peremptus
antè diem; lachrymas, & inania Vota relinquo.

Reges Amici, atquè Socij Populi, in suo quiquè Regno, Mortem defleverunt. Et in Memoriâ honorandâ, *Academici* lugubri Næniâ certarunt. Arduum deniquè, & perdifficile est, hujus salutaris reip: Principis laudes Oratione complecti; qui omni genere Divinæ virtutis floruit: aut Oratione referre Magnitudinem doloris.

Proximâ hyeme, *Tempestatum vis atquè Imbrium incredibilis fuit.* Fervit æstu Pelagus; nullus ferè dies magnâ, turbulentâque Tempestate vacuus. Passim Arbores radicitùs revulsæ; domus dirutæ; Navesquè fusis Armamentis, & Malis diffractis, absorptæ sunt fluctibus; Mercium magna copia deperdita; *Turbinumquè vi, Centum Naves, onustæ mercibus, perierunt:* quibus in Navibus complures Nautæ, Mercatoresquè sunt amissi. Innumerabilia lacera corpora *litoribus Britanniæ, & Belgij*, impacta; ac latè in Oceano strages edita; *Navesquè aliquot onustæ Pipere, & garyophillis, ejusmodiq; rebus ex Arabiâ, Indiâque convectis, in Portu Amsterodami, opulentissimæ urbis, absorptæ sunt.* Annonæ porrò pretium Venti Tempestatesquè auxerunt. Quamobrem, per omnia Templa Dei Opt: Max:, supplicatum, ut Imbres, sævosque Turbines moderaretur; quod unicum visum omnium impendentium malorum, in Calamitate fructuum, Remedium. Præter Tempestatum incommodum, Mercatoribus intutum Mare: multæquè Naves Onerariæ *à Prædonibus* captæ, atquè oppressæ sunt. Numine velut ulciscente, *in Portum Veri*, Navis Pyratica ejecta est; omnes in eâ Prædones, fuerunt capti, supplicioquè affecti sunt *Medemblicæ*.

Peractis

1612. Peractis tristitiæ Cæremonijs, *Palatinus* Amore incensus, celebrari Solennia Nuptiarum flagitat; omnium quæ Cupidinem morarentur intolerans. Victo gemitu, & Mærore publico, tempore languescente, XIV *Februarij Nuptia in Regiâ celebrata, ingenti lætitiâ, præsenti Rege, Reginâ, Carolo Principe Adolescentulo*, ac proceribus. *Elizabetha*, quæ tùm primùm luctum amissi fratris, læto cultu mutaverat, Media inter frequentes Proceres, Matronasquè nobilissimas, venerantes, gratantesquè, *promissâ Cæsarie*, pretiosissimis Margaritis adornata, & habitu corporis decoro progrediens, Palatij delubrum adit. Haud procul *Maritus*, Auro, Gemmis, & cultu conspicuus, magnâ cum dignitate formæ, tùm Juventæ flore, Majestatem præseferens incedit. Ubi Sacellum introijt, *Vxor ei data est à Patre Elizabetha*, operante Solennia Nuptiarum *Cantuariensi Archiepiscopo*; Concionem habente *Iacobo Montacuto, Sacelli Regij Decano, & Bathoniensi Præsule.* Quibus in Nuptijs, omnibus rebus instructum & paratum magnifice Convivium. *Vasa Argentea plurima, & pulcherrima; non pauca Pocula ex Auro, gemmis distincta clarissimis; nonnulla ex unâ gemmâ prægrandi; Candelabra Aurea, mirabili opere perfecta. Pugna erat Navalis Batica & Anglica Classis, in Tapetibus picta*, ad laudem populi Britannici. His autem Tapetibus Cameræ Convivalis Parietes vestiebantur, ad inditium Victoriæ; nihil eâ Victoriâ nobilius, quæ exteras Nationes usquè ad ultimas terras pervasit. Trinis diebus ante Solennia sacra Nuptiarum, Tormentorum tonitrua, ac ignes Artificiosi suprà Nubes volitantes; ac Syderum specie rutilantes, Spectaculum hominibus præbuerunt. *Rursùs Ignem, in modum Cervi factum, Canes varij generis persequentes, in Aere discerpserunt.* Postero die, directa Acie, in ripâ fluminis, Machinisquè displosis, *Naumachia inter Triremes Turcicas, & Naves nostras, ad imaginem bellicam, Tamesi commissa.* Summâ cum expectatione concurritur; *Spectante Rege cum Reginâ uxore, filiâ, & Genero: Hoplomachi faces in Triremes; Triarchi, in Naves ardentes tædas jaculabantur. Vna ex Triremibus, igni incensa, conflagravit. Reliqua Algeiram, haud indè procul, se receperunt; Ibi cum acrius oppugnarentur, nullâ salutis Conditione interpositâ, Christianorum Imperio, ac potestati se dediderunt.* Is dies Navali pugnâ consumitur. *Tertio die, captis Triremibus, Algeira Vrbs in ripâ Tamesis extructa, terrâ aquâquè Tormentis ac Machinis oppugnatur; quam Mauri Turcaquè præsidio tuebantur.* Aderat ludicro certamini spectator Populus, hos modò, rursùs illos Clamore & Plausu fovens. *Vrbs de quâ anteà dixi, ut ab hoste, More belli, spoliata, atquè direpta est, Iure victoriæ, Barbari Pradones, in Catenis, ad speciem Triumphi ducti; & Naumacharijs, post editam operam, Præmia divisa.* Conversi hinc ad Aulæ delicias; die ipso Nuptiarum Aulæ Proceres *Equestribus Certaminibus* nobiles, Phaleratis equis, in Hyppodromo concurrerunt. Vespertino tempore, ex supremo Ordine utriusquè Sexus plerique, fovendis Principum sensibus, *saltarunt*; hilaritatem gestu, motuque provocantes. Ac super *Choreas Virginum, Procerumquè Aulicorum*, Juvenes Nobiles procerissimi, è numero Ephoeborum, qui Juri Municipali operam dant, in Aulam ad Pompam evocati. *Lincolnienses, & medij Templarij* admodùm solenni pompâ incesserunt, nostrâ aut patrum nostrorum memoria, major non fuit. Postero die, cum advesperasceret, *Interiores Templarij* Cymbis impositi, Regiam ingressi sunt; exceptiquè à *Præfecto Cubicülariorum, & Proceribus*, qui eis obviam ierant valdè amanter. At Pompam, cujus causâ venerant, obire non potuerunt; quoniam tenuiores Nobiles Subsellia in Atrio, loco ad spectandum parata, occuparant. Non passus est *Rex* multos dies intermitti; operamquè dedit, ut *Spectaculum* sinè cunctatione fieret, cujus gratiâ summo loco Adolescentes evocarat. Qui perinde, atquè fecerant *Medij Templarij*, non usitatas modò Choreas, sed & ex Antiquitate repetitas, exhibuerunt. Inter earum Argumenta *Connubium Rheni & Tamesis repræsentarunt; exciente Mercurio ad Solenne Nuptiarum Naidas, ac Hyadas*; quæ è medio Atrio, per machinas emerserunt; mirantibus cunctis Spectatoribus. Mox ipsi varijs Coloribus adornati, ac Corollis *Solis, Lunæ, & Syderum specie micantes*, Spectantium oculos fulgore perstrinxerunt; & priusquàm inciperent, *Regem, Reginam, Sponsum, & Sponsam*, demisso corporis habitu salutarunt. Cum Regia Symphonia, & Cymbalis personaret, vultu, habituquè corporum decora, Aulicis æmulis abunde satisfecerunt. Rex omnes benignè allocutus, honorificentissimè demisit. Tum missa *Munera Aurea, & Argentea Vasa: Adamantes, Carbunculi, Smaragdi, Margaritæ. Prætor, & Cives Londinenses, Torquem gemmis fulgentem*, ex publico, dono dederunt. Ea dona *Principes* gratâ voluntate acceperunt; Nuntiosque muneribus locupletes dimiserunt. *Rex* non modò *Regni Onera, sed & Patris sustinens*, in magnâ Pecuniæ difficultate, *Collationes in Dotem Puellæ* recepit à dominis Rusticorum Prædiorum, quibus hæc Servitus erat antiquitus adjuncta.

In ornatu Urbis nihil prætermisit; & putavit ad laudem suam pertinere, eandem pulchritudinem in Suburbio procurare, publicis & privatis ædificijs. Fundum, subinde in *Sancti Ioannis plateâ*, Primarijs Trinobantum Eirenarchis dono dedit; ut ibi domum ad Jurisdictionem exercendam ædificarent. *Baptista Hiccus*, Equestris Ordinis, qui Mercium pretio, Quæstuquè ad magnas opes pervenit, statim fundamenta jecit; Domum ex latere, diligentissimè perfecit, ad Forum & Carcerem. Opus jam perfectum, elegans & elaboratum, Eirenarchis ad prandium vocatis, publicè dedicavit; Qui in honorem, Memoriamque ejus, *Hicci Atrium* appellarunt; propter ejus summam Liberalitatem, & Humanitatem; Idemque alijs in locis Charitatis opera reliquit. *Camdeni apud Dobunos, Ptochodochium instituit, ubi Sex Viris, totidemq; Mulieribus*, præter ædes, Hortos, & Amictum, Sexaginta libras in Annos singulos, Pensionis nomine, constituit. Vereor ne Pietatis opera nimis augere, atquè ornare videar. Tamen referre libet, ut Commemoratione eorum, Imitandi Consuetudinem inducam.

eorum Dignitatem enixè tutaretur, *Præsulis honorem oblatum, ut grave Onus detrectavit*; eoquè pacto 1612. fidem dictis majorem fecit.

His Comitijs de Dignitate summæ Contentiones extiterunt, *inter Hamiltonium & Angusium*; *Arrelium Magistrum Equitum, & Comitem Martialem*. Dixit *Angusius, hoc Iure semper Majores usos fuisse, ut nulli unquam cederent*. Respondit *Hamiltonius, se honorario Marchionis Titulo prælatum*. Dissidio nascenti prudenter fuit occursum; ut Neuter Alteri quicquam de Jure suo remitteret; sed *Protestatione interpositâ Ius suum retinerent*. *Arrelius* Magnus Equitum Magister, & *Martialis*, simili Protestatione conquievêre. Hanc deindè Consuetudinem reliqui Proceres secuti sunt, vitandæ Contentionis gratiâ.

Hoc Anno vitam morte commutavit, *Rogerus Manerius, Rutlandiæ Comes*, priscæ Nobilitatis, & *Danicâ* legatione, à nobis commemoratâ, insignis; qui *Franciscum fratrem suum* reliquit hæredem. Hic admodùm Juvenis, gratè pièquè Memoriam defuncti prosecutus est; & in honorem ejus magnâ pompâ funus celebravit; familiæ fortunam Providentiâ auxit; Dignitatisquè gratiâ, *in Ordinem Periscelidis cooptatus est*.

Eodem Anno, obijt vir eruditus apud *Oxonienses*, & honestus homo, *Thomas Hollandus, in Collegio Exoniensi institutus*; qui maximam scientiam in *Theologia* habuit, & publicè profiteri cæpit; successitquè *Laurentio Humfredo*, optimi Doctoris officio defungens; ac in Munere suo assiduus. Hujus Auditores fuerunt complures, qui in Theologiæ studijs plurimum profecerunt. Sed præcipuæ Authoritatis, *Georgius Abbotus, Præsul Cantuariensis*; qui verbo Dominico, ac vitæ exemplo gregem pavit: & *Ioannes Regius Londinensis*, qui in Concionibus intonuit; Ipse autem *Hollandus in Professorio Munere* perseveravit; nec ultrà procedere voluit, cum illi *Cantuariensis* gratiam & Operam offerret. Tandem, multis in *Academia* laboribus defunctus, ad Deum placidè migravit; cum *Annum ætatis septuagesimum Tertium exegisset*. Hujus Monumenta impressa nulla extant, at *Disputationes acutissimæ adversùs Papanos*, inter manus hominum versantur.

INitio Anni insequentis, *Palatinus* urbe inspectâ, Regijsquè Palatijs perlustratis, *postulavit à Socero, ut liceret sibi Conjugem in Germaniam secùm abducere*. Rex ejus precibus cessit. Igitur ipse, & 1613. Conjunx, in *Belgium* traijcere se compararunt. Discedens, *Aulæ Proceribus* amplissimis verbis gratias egit, quod tàm liberaliter, tantisquè honoribus suscepissent; *Prætori, & Magistratibus urbanis*, quod tàm benevolam in se Civitatis voluntatem invenisset: *Servis Regijs*, qui ei præstò omnibus in locis fuerant, Munera largissimè divisit, Torques, Aurum, & Argentum. *Rex, Regina, & Carolus frater, ad Roffiensem Civitatem usquè deduxerunt*. Non potuit discessus absquè fletu, & lachrymis fieri. *Elizabetha* magno cum dolore à Complexu Parentum divulsa est. *Parentes*, in digressu, claram significationem Amoris dederunt: venusta facies, & amabilis vultus, in Parentum oculis animisquè resedit. *Rex* cum uxore, & filio *Londinum* redijt. *Fredericus, & Elizabetha, Cantuariam versùs iter fecerunt*; fueruntquè ab eâ Civitate solenni pompâ excepti, *in ædibus Archiepiscopi*. Paucis ibi diebus ad Quietem sumptis, discesserunt. *Multi Proceres, & Antistites* in ipsâ viâ adeuntes, eorum manus osculati sunt. Ipsi cum *Ludovico Levinia Duce*; *Arundeliæ Comite*; *Roberto Siduco, Insulæ Vicecomite*; *Ioanno Haringtono, Extoniæ Barone*, apud quem *Elizabetha* educata erat; ac Primariâ Nobilitate, Matronisquè Nobilissimis, *Arundelij & Haringtoni Conjugibus*, ac lectissimis Virginibus, in *Portu Margaritano*, Classem Regiam instructam, paratamquè conscenderunt. Ibi à *Notingamio Maris Præfecto*, summâ observantiâ excepti; cui traijciendi munus, pro dignitatis Officio, fuerat demandatum. *Post Biduum Vlissingam*, Mattiacorum Portum, jactis Anchoris, tenuerunt. Ubi *Mauritius, & Henricus, Nassoviæ Comites*, Nobilitate, & rerum gestarum gloriâ præclari, qui eò obviam ierant, sinè ullâ morâ naves conscenderunt, eorum Manus osculantes gratantesquè. Illi insitam ex eorum Adventu lætitiam significarunt; & utrumquè valdè amanter amplexi sunt. Postero die navi egressi, exceptiquè à Militaribus Cohortibus, in litore, magnâ lætitiâ. Tormentorum fragoribus Cælum & terra intonuerunt. Honorificè *Vlissinga* accepti, *Medemblicam* profecti sunt. Ubi *Tribus diebus* ad quietem sumptis, omnia ad Victum, Regiumquè luxum necessaria, abundè suppeditata sunt. *Præfectus Maris*, ubi munere defunctus est, salutaris Principibus in *Britanniam* redijt. Mox indè in *Dordracensem urbem*, lentâ Navigatione pervenerunt. Ibi, & *Roterodami*, ac reliquis *Batavorum Oppidis*, admirabilis Civium frequentia illis occurrit, cum incredibili voluptatis significatione; quæ prope in singulis Urbibus adaucta est. *Hagam Comitis tandem, Mense Majo pervenêre*. Ubi Urbi cæperunt appropinquare, obviam processit *Mauritius Comes*, Militarium virorum turbâ stipatus, & circumfusus. Undiquè Equestribus Turmis; non minore Agmine *Palatinus & Conjunx* venerunt; cunctis prosequentibus, qui erant, vel Nobilitate, vel dignitate illustres. Ubi appropinquavit, *ex equo desiluit, eorumq; Manus osculatur*; *Elizabetham*, gemmis conspicuam, & frontis Majestate, omnibus humanis congestis honoribus veneratus est. Idem fecerunt *reliqui Nassoviani Proceres, Ordinumquè Dynastæ*. Concurrit ad insigne Spectaculum Populus. Ratò aliàs in *Belgio* quisquam Rex, aut Princeps, tantis honoribus Muneribusquè est cultus. Urbem ingressi, Civium plausu, & faustis Acclamationibus, in *ædes Henrici Comitis* deducti sunt; sumptusquè de publico facti; & per continuos *Quinq; dies, spectaculorum varietate* oblectati sunt; & *Munera varia* dono data. *Adamantes* x x x ad ornandum Collum; *Margaritæ duæ*, immensæ magnitudinis;

1613. magnitudinis; *Tapetes* pulcherrimè facti; quæ Artificio & Elegantiâ formarum delectabant. Hæc & cætera opulentissima Dona, *Decem Mille Libris mercati sunt Ordines*. Magno ea liberalitas *honori Batavis apud Britannos fuit*. Post paucos dies, *Fredericus, ab Hagâ in Palatinatum* concessit; ut pararet omnia, Adventui Conjugis necessaria. Illa interim ad visendas *Batavia* urbes à *Mauritio* circumducta, Quadrijugo Curru *Albentium* equorum. *Lugdunum Batavorum, Harlemum*, deindè lustravit; ubi Magistratibus salutatis, quasdam Humanitatis Notas addidit, Vultus Benignitate. Postremò *Amsterdamum*, Urbem Mari undiquè cinctam, & sitam loco opportuno, *maximam Belgicarum Vrbium, pulcherrimamq; omnium*, Triumphali Pompâ, & apparatu est ingressa, Media inter Procères, Lectissimasquè fæminas: in quâ *Peristyllium* maximum, pulcherrimi Canales, Ornatissima *Ptochodochia, & Nosocomia*, amplissima est Basilica, & complures Ædes sacræ. *Invitatio ibi benigna atq; hospitalis* fuit. *Vltrajecti* item, ac deniquè *Colonia Agrippina*, in Germaniæ finibus; & in *Rheni Ripâ*, à vicinitatis Proceribus summâ Magnificentiâ excepta est; magniquè Sumptus ubiquè ejus gratiâ facti. *Maritus*, circumfusus *Germanorum Procerum* flore, & magno Equitum agmine, Uxori *in Agrum Palatinum* venienti, uberem fertilemquè omni genere frugum, obviam processit; *& eam valdè amanter complexus, Essedo Triumphali imposuit*; Comitesquè humaniter excepit, in omnibus Ditionis suæ Oppidis, *Ludis, Convivijs*, & varij generis *Spectaculis*. Priusquàm appropinquarent *Heidelberga*, effusa Multitudo Obviam, faustis Acclamationibus, prodijt. *Ad Portam Magistratus & Cives*, incredibili voluptate exceperunt. *Pompâ, Ludis, atq; Spectaculis*, in Foro, à Mane usquè ad Vesperam oblectarunt: *fidemq; suam Iurejurando obligarunt*. Reliquæ urbes suo loco, atquè tempore, idem Officium præstiterunt. Cum jam advesperasceret, *Elizabetha*, Magistratibus salutatis, Civium oculos *Benignitatis sua aspectu* recreavit; Spectantium turbam, *Oris Majestate, ac amabili frontis Iucunditate*, exhilaravit; & indè sub *Aureâ Vmbellâ, in Castellum concessit. Vbi accepta est à Socru, lectissimâ fæminâ; Sororibus Mariti; & Clarissimis Matronis, incredibili studio, ac Observantia. Fredericus*, Comites, qui honoris causâ, à *Britanniâ* prosecuti sunt, in omnibus Ditionis suæ locis, satis benignè tractavit. Suprà omnes *Levinia Ducem* multò honorificentissimè respexit. *Certamina deinceps obijt Equestria, cum nonnullis Principibus Germania, in Conspectu Conjugis, & Heroinarum*. Spectaculaquè per aliquot dies varia edidit; interjectâ aliquandò *Venatione*. Post solennes dies, *Britannici Proceres*, Ludis Epulisquè recreati, domum redierunt; retuleruntquè, *Elizabetha*, summâ Populi consensione, Fidem ab omnibus publicè datam. Apolecti, *Ioannes Haringtonus, Baro Extoniensis*; *Henricus Martinus Iurisconsultus*; *& Levinius Munkius*, in Diplomatibus Regijs, Epistolisquè scribendis Clericus, *in Germaniam missi; ut Provinciarum, ac Vrbium Dotalium terminos viserent; & Pactiones Nuptiales conficerent*. Studium ac diligentiam eâ in re adhibuerunt; ut *Dotis* ratio constaret. *Ioannes Haringtonus Baro*, ætate jam gravior, properans festinansquè redire, *in febriculam incidit*; & paulò post *Vormatia* moritur: magnâ apud *Elizabetham* gratiâ, & Auctoritate; quia eum *Rex Moribus filia regendis prafecerat*, ob eximiam Pietatem ac virtutem. Cum animo æquissimo è vitâ discederet, *Ioannem, suum unicum filium, haredem reliquit*; in quo eluxit Paternæ Probitatis, Prudentiæ, Religionis Specimen. Corpus, optimi Filij, fidelissimæquè Conjugis diligentiâ, *in Britanniam* dilatum; & Majorum Sepulchra, *Extonia*, infertur. Ubi ei funus privatim magnificè factum; quod publicè fieri debuit; cum Munus illud, pro Rep: susceptum, ei vitam abstulerit.

Hoc tempore, *Opes atquè Divitia, Britannorum Mores altius infecère*; qui in omnem Luxum domesticum sese effuderunt. *Perdices, Phasiana Aves, Turdi*, lautioresquè Epulæ in usu fuerunt; *Vestesquè ex Auro, Argento, Purpurâ*. Abrupit frænos Modestia. Quippè hâc tempestate, dominante luxuriâ, & per universum Regnum diffusâ, Beati & locupletes Voluptatibus immersi, magnifico *Conviviorum* apparatu, & sumptuosâ *Vestium* Elegantiâ, Familias pessum dedêre; & ut cecinit Poëta

Non Auro, Testisve modus; Mensasquè priores,
aspernata fames.

Ardor animorum, Armorum studium, Labor, Industria, Vigilantia evanuerunt; Artes eruditi Luxus, & delinimenta vitiorum, magno *Corporum*, majore *Patrimoniorum* damno viguerunt. Nunc *Conviviorum* invaluit furor; & fædissimum *Hareditatum exitium Culina*; Cultus corporum nimius; & Formæ cura insolita; Muliebris Modestia in Audaciam, & Impudentiam erupit; *Vetula edentula*, faciei vitia *fuco* occultarunt; & Conjugibus alienis se permiscêre. *Pradicatores frustrà questi sunt, non modò Religioni, sed etiam Rei Militari summam indè Perniciem imminere. Multa in vitâ Inventutis; multa in Moribus, in pejus mutari; regnare Luxum, ac flagitiorum Licentiam; res humanas in deterius volui*. Juventus nihilominùs, Humanitatis specie, & Muliebribus Illecebris inescata, in Incontinentiâ, Intemperantiâquè perseveravit; Opes Paternas immodicâ largitione, labefactavit; Domos evertit. Communis infamia Juventutis, aliquam Invidiam *Hajo*, in isto genere urbanissimo, conflavit; qui Munificentiâ clarus, sed animo prodigus, Elegantiæ & Munditiarum falso nomine, fædissimum vitium promovit; Suavitate *Humanitatis, & Gallica Vrbanitatis*, in præceps rapi se passus est. Tempus jam deficiet, si coner expromere eversos Mores, Libidines, Amores, Calamistratam Comam, Unguentis & odorifero Pulvere affluentem; infecta Croco Collaria, inustaquè Luxu Reip: vulnera. Sed me longius impetus abripuit, superabundante materiâ.

Eodem Anno, *Imperatoris etiam Russiæ Legatus, cum pretiosarum Pellium muneribus, ad Regem venit;* 1613. *& propensam Imperatoris sui voluntatem in eum commemoravit; bellumquè à Sueco inferri, non unis Moscoviæ finibus, Bona diripi, Castella expugnari, conquestus est; Deumquè Injuriæ testem adhibuit; at liberum arbitrium Pacis, Belliquè Britanno permisit.* Legatum *Rex* gratâ voluntate prosecutus, Muneribus ornatum dimisit. Paucis post diebus, *Ioannem Mericum*, ex Equestri Ordine, usu rerum peritum, *ad Moscum Legatum misit*, cum Donis; & in Mandatis dedit, *ut funestum bellum inter Moscovitarum Imperatorem, & Sueviæ Regem finiret.* Is obeundi Negotij causâ *Russiam* celeriter adijt; ibique de Conditionibus Amicitiæ agere cæpit; ac, ut satis apparuit, tædere utrumquè diuturni belli, *Auctoritate Regis Britannici*, inclinavit eos ad Pacem, ac fædus faciendum. *Mericus* legatione, summâ cum Prudentiæ laude, defunctus, cum Donis revertitur: à *Rege* cum multis laudibus acceptus.

Inter hæc crevit *Roffiensis, Titulis*, & Prædijs auctus, longè lateque dispersis. Ineunte hyeme, supremi Ordinis Insignia suscepit; & *Somersettensis Comes* creatus; *Vestmariæ Comitis* latifundijs ditatus, & multiplicatus est; Comitesquè ejus remunerati Titulis, & Ornamentis. Deinde cum publicè Egestas, privatim Opulentia esset; *proprijs Opibus Egestatem Principis juvit*; largiens privatim, quod avidius conquisierat. Cæteri *Proceres* ejus exemplum secuti, Aurum atquè Argentum non cunctanter contulêre. Quâ Munificentiâ *Rex* lætatus est. Per idem tempus, *Novus Comes*, luxuriosâ Adolescentiâ in Aulâ actâ, remoto Pudore, & Metu *Overberij*, fraude ad exitium perducti, in *Franciscâ Havarta* Amorem, promissum Matrimonium flagitantis, ardentius prorupit; ac ad *Nuptias inconcessas*, cum famæ dispendio properavit; quæ *sinè Divortio* perpetrari non poterant; quia hanc Virginem, adultam, formâ excellentem, *Essexius impubes* duxerat. *Francisca* Amore anxia, cum nullam haberet Licentiam migrandi ad aliud Matrimonium, *Essexio Marito Superstite*, ac constante Matrimonio, *nisi mallet ipsa causam Repudij præstare; vel accusare eum Adulterij*, quod probari non poterat; suadente, ut creditur, Matre, excogitavit *prioris Mariti ad Coitum Impotentiam; & in Ecclesiastico Foro, litem de Divortio, obtentu Impotentiæ intendit.* Hinc *Somersettensis*, in summâ fælicitate Immemor Sortis humanæ, & Muliebribus illecebris instinctus, *Regi* per Libellum supplicavit, oravitquè, ut delegaret Judices idoneos, *qui de hâc lite cognoscerent; causâ cognitâ, Contractum inter Essexium & Franciscam Matrimonium, illicitum ac invalidum fuisse declararent.* *Rex* alijs idem istud petentibus non adversatus, supplicanti promptius subvenit; & *Recuperatores* dedit *Præsules Cantuariensem, Londinensem, Vintoniensem, Eliensem, Lincolniensem, Roffiensem; & alios Iuris peritos*, ad hanc litem cognoscendam. Cum Causa coràm Judicibus de die in diem ampliaretur, & *Somersettus* alienæ uxoris cupidine cruciaretur; in re novâ quæsitus Color magis impudens. *Septem Anibus*, Juris Authoritate, *ad Ventrem inspiciendum adhibitis; & Vtero oculis inspecto, Francisca Virgo renuntiatur.* Primò admirantur omnes *Improbitatem Calumniæ*; deindè suspicantur fucum; nec immeritò ita pronuntiasse Prudentioribus sunt visæ *Vetulæ*; quia *Virgo, muliebri fraude, supposita, incorrupta, ac honesto loco nata, Fucum fecit.* Istæ fraude deceptæ, *Virginitatis signa ad Impotentiam traxêre*; Infamiamquè Mariti: in hâc summa Juditij, Causaquè tota constitit. *Divortij Iudices*, hoc Juris colore, in duas partes divisi: quorum alij è *Recuperatorum* numero, *Franciscam Essexij Comitis uxorem esse voluerunt; nec Obtentu Impotentiæ, Præsumptionibus probatæ, Matrimonium legitimum, & ratum, dirimi posse censuerunt; nec ei cum Alio, Iure Divino, Connubium fore, cuicunquè nupserit; quandoquidem conijci posset, Comitem, Maleficio, animum habere desijsse in hanc, quasi in Vxorem; ac Spatio dato, Potentiam experiendi, Cupidinem Conjugalis Officij revertere posse.* Æquis auribus *Cantuariensis, ac Londinensis Primarij Præsules*, & alij Fautores Matrimonij, auditi sunt. *Vintoniensis, Eliensis, Lincolniensis, Roffiensis*, Invidiam non veriti Soluti Matrimonij, quò gratiam *Franciscæ, & Novi Comitis* pararent; ex tempore censuerunt, *Conjugium cum Franciscâ contractum, ab initio nullum, & invalidum fuisse; Iure Divino, ac Canonico, Impotentiâ Comitis, Iure diremptum. Eamquè in Connubio alterius, salvâ Verecundiâ, ac Dignitate, esse posse.* Cæteris invitis, & reclamantibus, rationesquè proferentibus, cur legitimæ Nuptiæ futuræ non essent. Intereà *Essexij* voluntas exquiritur, ne qua Cognitio, eo Absente, de Existimatione constitueretur. Qui respondet, *Nolle Nuptam sibi, quæ Actionem Divortij, ficto Impotentiæ Crimine, intentaret.* Dignum prorsùs Responsum Stirpe Nobili familiæ *Essexianæ*. *Somersettensis*, impatiens Disceptationis, *sibi Nuptam cupit, Divortium urget*, nondùm plenè probatâ Impotentiâ. *Advocati Franciscæ* in Actis testantur, se nihil jam morari Judices, quò minùs Sententiam dicant. Quarè nulla mora fit Juditio. *Apolecti*, singulorum exquisitis Sententijs, atquè suffragijs, *Matrimonium diremerunt; & non adimi cum alio, quocunque, Connubium, pronuntiarunt.* *Cantuariensis, & Londinensis*, Offensionum, pro dignitate Ecclesiæ, haud pavidi, confirmare Sententiam abnuerunt; ac ex animi Conscientiâ, Deo quàm hominibus placere maluerunt. Nequè Libertas noxæ fuit. *Soluti Matrimonij Novitas* omnibus materiam sermonum dedit; quâ Occasione, voces imperitæ Multitudinis, Divortium in pejorem partem rapuerunt; Illius sententiæ Auctores Maledictis incesserunt; Paucorum culpam in omnes *Præsules* contulerunt. Hinc libido ingeniorum procacius erupit; nec *Episcopus Vintoniensis* à rumoribus intactus erat; quod Honores, Divitias, gratiam Aulicam, Juditio posterorum præferret. *Ejus filius, Timotheus Bilsonus*, honore Equestri ornatus, *Nullitatis* nomine, per ludibrium, cæpit vocari, non sinè labe Præsulis, qui *Nullitatis Sententiam* probavit; quam diris Execrationibus Vulgus improbavit. Prudentiores, *Cantuariensem, & Londinensem*, Decreto adversantes, laudibus extulerunt, ut Antecessoribus dignos; rerum Ecclesiasticarum providos;

1613. constantes in periculis. Cæterum, *Novus Comes*, spretis Invidorum rumoribus, *die qui Natalem Christi insecutus est*, maximâ Mortalium turbâ, Vultum atquè Incessum intuentium, *Solennia Nuptiarum celebravit:* ignarus impendentium malorum. Et in magnâ fælicitate, Rotam Fortunæ non pertimescens, *Matrimonium infaustum*, stabilimentum Potentiæ fore existimavit; quod, præter Spem, Procellæ more, quæ in ipsâ Sereni fiduciâ solet emergere, mox in perniciem erupit; Inopinantem, securumquè disjecit. Nota, eo tempore, *Montani*, *Decani Westmonasteriensis*, *Concio*, & famosa fuit, qui *die Nuptiarum*, Textum hunc enucleavit, *Ecce homo*; Sponsæ Maritoquè ejus immensas laudes tribuens; qui super amplissimas *Regis, & Procerum Donationes*, Magistratuum donis, & muneribus affecti sunt. His Nuptijs magnâ parte Nobilitatis Affinitate connexâ, ac totius penè Regni Jurisdictione in se traductâ, extincto *Sarisburiensi*, Potentiæ æmulo, Excubias & Labores pro Incolumitate Principis suscepit; Negotijs tractandis vacavit; Epistolas Principum ad Regem missas, in Senatu, Secretarij vice, recitavit; & Tributorum, Vectigaliumquè rationem ad suam curam transtulit; publica munia Suffragio, & Procerum potentium studio, distribuit; ita tamen, ut in suâ & *Havartorum* manu, duæ partes essent; Clientes, pro Conditione cujusquè, provexit, & fovit; *Pontificatus, aliaquè Primi Nominis Sacerdotia*, Petitoribus, per gratiam, & preces, impetravit; Candidatos *Præsulis Cantuariensis*, Dilstionibus frustratus est, aut palàm restitit; plerisquè judicandi munus obtinuit.

Rex Eduardum Cokum, rerum Criminalium Judicem, & *Thomam Laqueum*, ad quodvis Negorium ingenio, & usu, aptum, ex Equestri Ordine in senatum allegit. Luxum ingravescentem, Moresquè laxos, Severiore disciplinæ & vitæ exemplo, coërcere frustrà conatus est; nihilquè prætermisit, quod ad Ecclesiam ordinandam pertineret. Item multa Edicta Regno salutaria promulgavit. *Monetam Bæticam* in promiscuo usu esse vetuit. *Æneam* quoquè, in gratiam & Quæstum *Heringtonii Baronis*, instituit; ut eâ re commodè posset labanti Rei familiari prospicere. Sed hoc Commentum primò Invidiâ maximâ flagravit. Hanc enim *Novam Monetam aneam*, vulgus *Haringtoniam* appellavit. Deindè re diligentius excussâ, universi Populi inditio, id genus *Numismatis* publico usui, & Permutationi, in rebus levissimis inseruivit; postremò *Pauperum Commoda, & Elemosynas auxit*.

Aliud *Edictum* propositum, cum *Pietate* conjunctum, *ad coercendam Duellorum feritatem*; quæ per licentiam temporis exstiterant; gravi pœnâ adjectâ, si feroces Adolescentes, in posterum, *Monomachiâ* depugnarent; adhibitisquè summis Proceribus *Recuperatoribus*, componendis Injuriarum dissidijs; & gravi Mulctâ propositâ ei, *qui temerè alium ferro decernere provocasset*. Pari pœnâ inflictâ *Provocato* quoquè, Nisi datos à Rege *Recuperatores, de Provocantis nomine certiores fecerit*. Vesania pugnandi olim in *Citeriore Britanniâ* ita invaluit, ut non solùm *Majestatis* postulati, qui Testibus convinci non poterant, Innocentiam suam *Duello* probarent; sed etiam quasdam *Ambigui Iuris Controversias*, non tàm Moribus & Legibus, quàm *ferro dirimere* vellent. hanc Litium expediendarum rationem, *Angli à Saxonibus*, cum Origine traxêre. Verùm, priusquàm *Duella* Edicto interdicerentur, *Essexiæ Comes, & Carolus Havartus, Suffolciensis filius*, pacti sunt *in Belgio ferro decertare*. *Essexio* affuit Commilito Nothus frater, operam ad ultimum fratri præstiturus. *Rex* coguitò *Martis Vadimonio*, quantâ potuit celeritate, homines misit idoneos, quorum Auctoritate ab Armis avocarentur. Pacificator *Iacobus Maxvallius*, intervenit; qui destinata exsequi passus non est. Hujus Edicti æquitatem, & Pietatem cuncti laudarunt. Pauci acres, & expediti ad Cædes, damnarunt; quia *Duellorum* licentiam coercuit, & frenos ferocibus animis injecit.

Pannos, nisi domi tinctos, ad proximas Continentis Regiones transferri prohibuit. *Batavi*, hoc Edicto renuntiato, ita non solùm Commoda, verùm etiam Ordinum salutem oppugnari fremuerunt; *& Pannos nisi Albos*, propter insidiosas Artificum fraudes, *in tingendis lanis*, mercari noluerunt. Undè *Res Pannacea* in extremum discrimen adducta; & Vectigalium rationes imminutæ. *Hoc Edictum* variam materiam *Mercatorum* sermonibus præbuit. Alij Titulo *Collegij Novi* coeuntes, pro communi utilitate, & domestico Quæstu introductum, in Senatu disseruerunt. Alij *Edicto* contradicentes, *Procerum* potentium studio, & paucorum *Mercatorum* gratiâ, editum locuti sunt liberius; & Injuriam factam *Iuri Commercij, ac veteri Pannariorum Societati*, violentius conquesti sunt. *Batavi, in suis Provincijs penè oppidatim Lanificia, communi sumptu instituerunt*.

Denique *Hibernos, de Cicestrensi Prorege malè opinantes*, severissimo Edicto coercuit; quod in *Hiberniâ*, publicavit; & rumores magnâ curâ redarguit; laudatione publicâ ei datâ, in Administratione Æquitatis & Justitiæ. Cui ob singularem fortitudinem, super amplissimum Magistratum, immensos Agros, à Rebellibus captos, in *Vltoniâ* tribuerat.

Hoc eodem tempore, *Britanni* Novis Terris explorandis operam dederunt. *Moscovitica Societatis Mercatores*, cursum in *Russiam* dirigentes, *Cheriam Insulam* aperuerunt; ad quam naves appulerunt; Ibiquè quamplurimos *Boves Marinos* cæperunt, quos Incolæ, populari nomine, appellant *Morsos*, pares terrestribus Magnitudine. Ex quorum *Oleo, & Dentibus*, immensum Quæstum fecerunt. Deindè Insulam, quæ respicit *Groenlandiam*, *quam Regis Iacobi nomine* notandam existimarunt; Ibiquè *Balanarum Armenta* conspexêre, admirandâ quâdam Multitudine, undiquè se attollentium. *Quarum Piscatio* adeò copiosa fuit, ut Quot-Annis multas Naves, earum *Oleo & Pinnis* onerarent, ad usum valdè necessarijs. Hoc Anno, ineunte Vere, *Iberi, Batavi, Franci*, Quæstus studio, cursum ad *Groenlandiam*

landiam direxerunt; *& Insulam, quam appellant Regis Iacobi, Balaenarum facundam.* Indè *Britanni Groenlandiam* cum Classe venerunt; totam ad Imperium *Regis Britannici* adjunctam, commemorantes. *Fremuerunt Batavi, Mare esse liberum; Ibiq; Piscandi publicè Ius esse*, sinè cujusquam Injuriâ. *Britanni* Contumacius parentes dimiserunt, *Retia & alia Instrumenta Piscatoria auferentes*; interminati sunt, si posteà Piscarentur. Alijs vis non affertur; *sed Nemini Piscatio permittitur.* Quibus rebus permoti *Batavi*, revertentes, Ordines adierunt, palamque in Senatu *de Britannorum Injurijs* questi sunt. In *Britanniam* Legati, Deprecatoresquè missi, ad res repetendas; qui cum diu, multumquè disceptavissent, re infectâ, redierunt. Hæc res illis Offensionem attulit; nec ab Instituto Navigationis cursu revocavit, ut *Pistationē illam infestam* redderent, impetratis *Cantabricis* Adjutoribus, ut Anno insequenti referam. 1613.

Post hæc, *Northamptonius* magnis Titulis, fortunæquè bonis illustratus, & Amicitiâ *Somersetti* fretus, occultum studium *Romana Religionis* cælare diutius non sustinuit. Ita *Protestantium* Odium incendit; ac sinistris Vulgi rumoribus Occasionem præbuit; quos ut amoliretur, ac Dignitati simul consuleret, in *Camerâ stellatâ, Authoribus, qui Romanam religionem Vulgò exprobrarent, de Calumniâ litem intendit.* Hi se non Auctores Rumorum; sed *fugitivos Anglos, in Italiâ exulantes*, responderunt. Nihilominùs, quod peregrè prodita temerè domi vulgassent, publico *Procerum* Juditio, mulctati. Idquè factum, ut ambiguis Vulgi rumoribus obviam iretur.

Cæterùm, *Stephanus Procterus*, Eques turbidus, in *Comitijs* Infamiâ notatus, & Criminationibus *Pontificiorum* insuetus; *Gulielmum Ingelbeum*, ejusdem Ordinis virum, *Sulphureæ Conjurationis conscium*, apud Proceres postulavit. Reus etsi à Suspicione remotissimus, tamen fœdissimi facinoris commune Odium, in omnes *Pontifitios* meritò redundavit. *Northamptonius*, vinculo Religionis devinctus, affuit *Reo* periclitanti; ac pro eo intercessit; conquerens Innocentem opprimi; falsis Inimici Criminationibus traduci. Nec defuit Accusationi *Procterus*; sparsisquè in Vulgus rumoribus ambiguis, Plebis Iram in *Northamptonium* inflammavit. Iste ut Calumniæ procellam compesceret, *Procterum postulavit Injuriarum*, apud eosdem Judices, qui Jurisdictione in *Camerâ stellatâ* præerant. Res acta est tumultuosius. Tandem perrogatis Sententijs, decernente *Pratore*, Reus absolutus est, contradicente ferocissimo quoque Havartæ gentis, suffragijs & sententijs. *Absolutio Procteri, Northamptonij potentiam inclinavit*; & ferocem animum exacerbavit Mæstitiâ. *Somersettus*, ad stabiliendum Opes, Potentiam, gratiam, & infaustum Donum Prædiorum *Vestmariæ Comitis* confirmandum, Conventum Ordinum indicendum curavit; & cum Proceribus, Affinitate connexis, egit, ut in Petitione Adjutores essent. Undè ingentem sibi materiam perturbationis fecit; & gaudium *Agri Vestmariani* non diu duravit. Nulli enim Rapina fæliciter cessit. Idem in *Agro Rallejano* evenit.

Hoc quoque Anno, multa fortuita contigerunt. *Adlingtoni, in Comitatu Lancastria, Puella nata est Quatuor pedibus, totidem brachys, Ventre gemino; reliquis Membris nihil à communi hominum forma discrepantibus; exceptâ geminâ facie, Iani Effigiem referente. In utrâque Capitis parte, utriq; Ori eadem ferè Species inerat.* Hoc Monstrum novi generis, pro Miraculo circumlatum. Homines honesti complures viderunt. Scriboquè eò confidentius, ne quis fabulosum aut Commentitium putet.

Incendiaq; compluribus locis orta, culpâ inhabitantium, communi præsidio Hamis, & Dolabris extingui non potuerunt. *Dorcestria*, Municipium florentissimum, *Candelarij sebacei negligentiâ conflagravit.* Indè ortus ignis, propinquas ædes corripuit; Aurum, Argentum, & pretiosam Civium supellectilem absumpsit; fœdavit tecta omnia, *prater pauca ædificia, Templo conjuncta*; quod Divinæ Clementiæ maximo exemplo servatum est.

Rursùs *Londini*, quodam Ludorum Die, consessu frequenti Plebis, ignis fortuitus *Theatrum in Tamesis ripâ succendit*, qui vento latus extingui non potuit, priusquàm totum conflagraret. Consternatus metu Incendij Populus, ægrè evasit. Mox ex lateribus, & lapide Quadrato refici cæpit.

Atquè inter hæc, *toto Autumno, magna Pluvia, ingentiaq; Tonitrua, & crebra Coruscationes extiterunt*; nonulli Fulmine perstricti, aut icti, miserabili Incendio perierunt. Illud etiam memorabile; Apud *Hantonienses*, in Urbiculâ, ab æde Christo sacrâ denominatâ, *Ioannes Hichelius, faber*, cum Infante, in lecto fulmine exanimatus est. Uxor fulgore perstricta, periculo liberata, Maritum eximere frustrà tentavit; priusquàm corpus in Cineres, tristi Spectaculo, redigeretur.

In *Essexia, Suffolcia, Norfolcia, & Lincolnia finibus*, Mare præter Consuetudinem, repentino impetu sævorum Turbinum, inhorruit; & optimam proximi Agri partem, Illuvie, Vastitatequè fœdavit; Regionibus, & Oppidis Maritimis magnum Detrimentum intulit. Terrâ Mariquè *Prodigia, & Fulminum monitu*, Numinis iram evidentibus Signis denuntiarunt.

Paucos antè Annos, in *Agrum Vltomensem deducti à Civibus Londinensibus Coloni*, Oppida condere, & Agros colere cæperunt; idque quò studiosius facerent, *Rex* Prætorem & Magistratus urbicos magnoperè hortatus est. Regis hortatio apud Cives Momenti plurimum habuit. Datum proindè *Curatoribus Colonia* negotium, ut consulerent, quid ipsis, ad Regis postulata, respondendum? Lectiquè urbanis *Comitijs*, *Georgius Smithus*, Senior Civitatis; *& Mathæus Springamus*, honestus Civis; quibus additus *Pantonus, Centurio*; ad visendas Munitiones urbium, nuper exstructarum, *Deria, & Colrani*, in ripâ *Bannæ fluminis*. Hi sinè morâ in *Vltoniam* Mense Julio, profecti, *Coloniam* à Civibus deductam, Ornamentis, Operibusquè, plurifariàm instruxerunt; *Decuriones*què *Colonicos*, de Civitate benè meritos, laudarunt, & Muneribus donarunt; *Coloniæ Privilegia* ampliarunt.

1613. ampliatunt. Quibus rebus confectis, in *Britanniam* redierunt; & in publico Civitatis Consilio, Negotium gestum exposuerunt. *Rex* Munificentiam Civium laudavit; & in ornandâ *Vltoniensi Provinciâ*, diligentiam.

Reges Socios, *Danum, & Suecum*, Odio dissidentes, ac Armis contendentes, per literas ad Pacem & Concordiam sæpè frustrà invitavit. Itaquè *Robertum Austruderium, & Iacobum Spensium*, ex Equestri Ordine, Cubiculi Ministros, mixtis mandatis, ad finiendas Simultates misit. Illè in *Daniam* profectus, cum Rege disseruit, *Bellum inter finitimos periculosum. Martis aleam ancipitem. Pacem ex aquo utilem. Danus* ingenio ferox, victoriæ, quàm Pacis avidior, duras nimiùm, & severas Conditiones proponit; atquè in ijs perseverat. Hic cum *Sueco* congressus, communicat, *sese à suo Rege hac habere Mandata, ut Pacem faceret; & simul de Controversijs statueret.* Ad hæc *Suecus* respondit, *Danum nullâ Injuriâ provocatum, adversùs se totis Regni viribus, & Anglorum auxilijs, Villoubeo duce, advenisse; Irritum Oratorum laborem; ac frustrà operam insumere. Bellum victoriâ, aut Morte finiendum. Spensius*, unum de Comitibus misit ad *Austruderium*, qui pro comperto afferret, *Suecum*, cum de Pace sermones haberentur, *ferscisrem factum*, vanam Pacis fiduciam, & infructuosum laborem. Ille rescripsit, *non desperandum*; sollicitari ad Concordiam posse, ubi impetus Iræ deferbuerit. Quare pari virtutis impetu connisi *Oratores*, acriter institerunt, ad reconciliationem Concordiæ hortari; nequè destiterunt, donec Reges Paci annuerent; & reverentiâ nominis *Iacobi*, Arma abijcerent; eiquè liberum Arbitrium Pacis ac Belli permitterent. Mirantibus cunctis, inter feroces Principes, *tantum Britannicorum legatorum Auctoritatem valuisse. Demùm Pax concelebrata his Conditionibus.* Ut *extemplò bello abstinerent. Castellum, cui Sneburgum nomen, Dania Regi redderetur. Tres Corona, Insignia utriusq; gentis, in promiscuo usu essent. Decies Centum Mille Taleri, à Sueco, Quinq; Annorum intercapedine, rependerentur. Vrbes in Norvegia finibus captas, reddendas curaret: easquè ob res, Danus, Gustavo Adolpho, Suevia Regi, Arces & Vrbes, Belli Iure captas, deductis Præsidijs restitueret.* Legati testes ijs quæ pepigissent, adhibiti; Pace factâ, in *Britanniam* redierunt.

Rex universos *Protestantes* non secùs, quàm Membra, Partesquè Imperij, curæ habuit. *Promptissimus Controversiarum conciliator, inter Telenum & Molineum, duo Ecclesia Gallicana Lumina, de Vnione hypostaticâ.* Misitquè ad suum in *Franciâ legatum*, ut eos admoneret, ne Pietatis studium scrupulosis Quæstionibus restinguerent; Ecclesiamquè instauratam in extremum discrimen, mutui Odij Pertinaciâ, adducerent. Suamquè per literas declaravit Sententiam. Quæ quidem Admonitio, homines Iracundos à Pervicaciâ revocare non potuit. At *Legatus*, uti fuerat jussus, consilium cum *Bullonij Duce* communicat: eosquè Regis nomine orant, obsecrant, & hortantur, *ut Controversias finirent*, in aspero ac difficili Ecclesiæ tempore. Quæ quidem *Hortatio*, ad tranquilliorem Mentis habitum inclinavit.

Negotium *Præsulibus* dedit, & *Apolectis* adjutoribus, *ne quem manifesti Adulterij reum, posthàc, paterentur impunè evadere; sed Causâ diligenter cognitâ, Mulctâ Pecuniariâ, aut Infamiâ notarent.* Multiplici pœnâ coercitis Adulterijs, *Pecsalius Broscasius*, ex Equestri Ordine, sæpè admonitus, à licentiâ peccandi deterreri non potuit. Quare *apud D. Pauli Crucem, veteri Consuetudine, & publico Spectaculo, Pœnitentiam egit.* Plerìquè Equitum, & alij generosæ stirpis, pœnæ ignominiosæ metu conterriti, modestius egerunt.

Eodem Anno, *Executores Testamentarij, Suttoni Gerontocomium*, amplum, & operosum, in ædibus *Carthusianis*, quæ Comitis *Suffolciensis* fuerant, perficere destinarunt: utquè Sumptus, *ad alendos Senes* suppeteret, Prædiorum Censum ampliarunt. Interim proximi defuncti Agnati, & legitimi Hæredes, *Latifundia Ptochodochio Testamento donata, sibi vendicarunt*; quia leges Municipales, *Tertiam Patrimonij partem ad legitimos hæredes pervenire voluerunt.* Nec deerant Aulici, opibus inhiantes, qui specie Juris, & Sacrilegâ Rapacitate, publicam Charitatem subvertere tentaverunt. *Suffolciensis*, ædes *Carthusianas* ad se pertinere arbitratus est; & penès se manere, æquius existimavit, quàm ad Pauperes transferri. Quia in Quæstionibus de æquitate, plerumquè sub Auctoritate Jurisscientiæ perniciosè errant Judices, *Egertonius Prætor*, litem ab ordinario Judice, apud quem inter Hæredes & Executores cæpta est, ad suum Juditium revocavit. Pronuntiavitquè *Donationis vim absolutam, & sinè ullâ Exceptione esse:* admonuitquè *Petitores*, ne ultrà leges Actiones frustrà intenderent. Indignum existimans, tàm insignem Charitatem, à spontaneâ Testatoris Liberalitate profectam, Illecebris, & Dolis labefactari. In hâc Contentione Donationis, hæredes *Regi* supplicarunt, Injuriam sibi factam, quod Testator Memoriam Nominis, Subsidium Familiæ, & Spem Hæredum frustratus esset. *Rex se Pauperum Commodis non minùs, quàm suis moveri* respondit. Hoc quoquè adjecit, *se citius Fisco aliquid detrahi passurum, quàm Ptochodochij Ius violari.* Hoc Responsum, Civilis animi magnum documentum dedit. *Curatores Gerontocomij*, Viri Nobilissimi, constituto Agrorum Censu, ad Victum Vestitumquè necessario; *de Numero, & Conditione eorum, qui eligerentur*, si deessent Milites Senio imbicilles, diu deliberarunt: & plerosquè Civium, attrito Casibus fortuitis Patrimonio, allegerunt; qui rationem vitæ honestæ reddere potuerunt. *Scolamquè* juxtà ædes *Carthusianas* condiderunt; quæ *Suttoni* tulit Cognomen; & idoneum *Magistrum* instituendis, imbuendisquè pueris, ab ætate primâ, præposuerunt. Hoc *Suttoni* factum, Munificentiæ exemplum omnibus hominibus, quibus Pecunia abundaret, dedit. Multaque à multis extructa sunt.

Nicolaus

1613.

Nicolaus Vadhamus, Nobilis vir, ex *Agro Somersettensi*, *& Dorathea* Uxor ejus, æquè Nobilis, *Oxonia Collegium*, suo sumptu perfecerunt. *Præfectum*, *Quindecim Socios*, *totidemq́, Scolasticos*, *instituerunt*. Utquè Sumtus perpetuus ad sustinendos eos suppeteret, *Octingentas libras*, *in Annos singulos*, *reditus nomine*, *constituerunt*. Pro quibus beneficijs, *Collegium Vadhami*, spontè atquè consensu, nuncupatum est.

Per hos dies, *Hugo Midletonus*, *Thomæ Midletoni*, *Prætoris Vrbani electi frater*, inchoatum antè Quinquè Annos à se opus, incredibili Industriâ perfecit; duasquè celeberrimas *Fontium scaturigines*, *Chelavelum*, *& Amuelum*, effossis Canalibus, *à Leâ flumine*, *Varam præterlabente* divertit; quæ perennibus Aquarum Venis, subitò in *Fluviolum* accreverunt. Tum *Factâ inter Varam*, *Civitatemquè fossâ*, per eam, fluvium, ex parte Boreali Civitatis, deduxit; immenso sumptu, infinitisquè difficultatibus superatis, quæ *Aquaductum* impediebant. Opus quoquè Lateritium, juxtà *Islingtonum* Vicum, Aquæ conservandæ superabundante copiâ, extruxit; indè *per Tubos*, *in Vrbem*, *Vicosq́, ac Suburbana* ædificia, vicatim derivavit; & summo pretio Incolis publicè locavit: non sinè Auctoris Memoriâ æternâ, qui *Aquam Midletoniam* induxerat. Nulla domus in *Suburbijs* locuples fuit, quæ non quot annis, pro operâ ejus, pecuniam contulit. *Die festo Sancti Michaëlis*, quo primùm aqua inducta est, *Magistratus*, *Decuriones*, & plerique Civium, faustis Acclamationibus prosecuti sunt.

Atque inter hæc, *Elizabetha*, *Iacobi Regis filia*, *Palatino Rheni jamdudùm nupta*, filium peperit; cui *Henrici Frederici* inditum fuit nomen. Ob id, cum publicum gaudium *Londini*, Vicatim celebraretur, Cives vespertinis ignibus, in Areis Plateisquè accensis, & Campanarum sonitu, suam lætitiam testati sunt. Hujus Nepotis exortu, *Rex* quoquè lætus, ut aliquid ipse ad hanc popularem lætitiam adijceret; *Convivium* apparari, & *Proceres* invitari jussit; quod multo vino, ad serum Noctis productum. Pro salute nati Principis, Templa lustrata, Supplicationes habitæ, & gratulatio facta, voce maximâ, non *Londini* modò, sed per singulas Provincias.

Dum hæc in *Citeriore Britanniâ* agitarentur, in *Vlteriore Maxvallus Baro* in Juditium vocatur; Crimini datur, præter *Iohnstoni* viri Clari Cædem, *Incendium sæpè excitatum*. Respondit, *se justâ Vltione provocatum*, *studium ulciscendi Inimicum deponere non potuisse*. *Incendij Veniam à Rege impetratam*. Procurator Regius, breviter perstrinxit Atrocitatem Criminis. Mox *Procerum Suffragijs* damnatus, in Carcerem retractus est. Is habuit in Matrimonio *Marchionis Hamiltonij*, *hominis Nobilissimi*, *Sororem*, quam Cruciatu Miserrimæ Servitutis, ad Mortem usquè adegit; & se æternâ Infamiâ sceleris commaculavit. *Hamiltonius*, virilis verè ac erecti animi, *Occasionem Vindictæ* Divinitùs oblatam aspernatus est. Nemo magis periclitantem Reum Patrocinio suo protexit. Repentino Calamitatis commotus Nuntio, in Carcere, hilari aspectu invisit; & non secùs ac Necessitudine junctum sibi fovit. *Eo viso Maxvallius turbatus*, & propè attonitus tantâ Humanitate, genibus advolutus veneratus est; ac ignoscere magnoperè oravit. Homo clarus & Nobilis, vix lachrymis abstinere potuit; atquè in animum induxit suum, Amicum Reo agere; magis sollicitus de ejus salute, quàm Sororis suæ atroci Injuriâ. Hoc ejus factum Vulgus comprobavit; & ignotum Posteritati esse noluit. Fit Clamor, & Admiratio Populi, tantam esse in ullo homine Humanitatem, Clementiam, Mansuetudinem. In tantâ Calamitate, Miseriâquè *Baronis*, ejus Propinqui, & Clientes, illi non defuerunt; *qui irritas Conditiones Pacis cum Iohnstonij Conjuge*, *ac liberis tentarunt*; supplicesquè à *Rege* petierunt, ut vetustam familiam ab Interitu liberaret. *Rex* ambitiosius eorum desiderium existimans, quàm Imperij ratio, temporis quies, aut sua Majestas postularet, occidi jussit. Nec multò post, in *Foro Edinburgensi*, *uno ictu Securis necatus est*: *Bona in Fiscum redacta*. Pluribus de Latifundijs concertantibus, arbitrio *Roffiensis* distributa sunt. Ejus Mors vetera, ac insita ferocibus familijs Odia, salutari exemplo sanavit; Alias item Tribus, malè quietas, quæ in *Maxvallij* Clientelâ antiquitùs erant, ad Obsequium redegit. Clade *Orcadianâ*, *& Maxvallianâ*, turbidi Proceres graviter commoventur; & de suis Prædijs fortunisquè omnibus pertimescunt. Periculi Similitudo antè oculos versatur; *Tribules* indoluerunt, familias antiquis opibus fundatas, penitùs eversas; quas servatas fratribus cupierunt; nullis liberis Masculis superstitibus. Prædiorum *Maxvallij*, quæ amplissima erant, maxime pars, ad *Gedeonem*, *Moravium Proquæstorem* pervenerunt; cui Supplicium non modò Voluptati, sed etiam Quæstui fuit. Data ei tot infausta Dona, gratiâ *Somersetti*, cujus ille *Avunculus* erat; quæ posteà exitio fuêre. Hos fructus *Cognationis*, in Nepotis Dominatione, tulit; qui *Iacobum Stuartum Okilerium*, *Arania Comitis filium*, in Altercatione, non secùs ac Avunculum Necessitudine junctum sibi, sustinuit, & fovit; ac propè in perniciem ejus, gratiâ, & Indulgentiâ ornavit. Frater *Maxvallij* defuncto successurus est, Vicissitudine rerum humanarum; quæ quàm volucri orbe circùm agantur, intueri licet. *Rex* singulari Prudentiâ prospexit Securitati Ulterioris Britanniæ, horrendas lanienas compescuit; ac hæreditaria Familiarum Odia extinxit; dedit Pœnas quisquis meruit; *Gramios*, dedentes se, traduxit in *Hiberniam*, atquè in *Vltoniâ* collocavit, mansuros se ibi in fide & Obsequio jurare coegit, ne Vlcinos turbarent.

Somersettus, jam rerum potens, omnia Negotia publica amplexus; Argumentum fælicitatis suæ Occupationem putavit; quâ Arrogantiâ fortunæ se telis exposuit; homines Nobiles in perniciem suam, Spe, Invidiâ, Odio, Metu, concitavit; paucis gratificando Pecuniâ, gratiâ, Potentiâ; lacessendo plures, quorum obsequi studijs magis ex usu fuit: Amicos paucos probos & prudentes admisit,

1613, cum quibus Consilia communicaret; multos Nobiles Juvenes, gratuitam operam impendentes, enixè fovit; & *Regi* diligentissimè commendavit; qui plurimum ab illo electos comprobavit.

Hoc Anno, *Comitia in Hiberniâ turbida:* Religionis dissidium Turbis Occasionem præbuit; *Iacobus Gochus, Eques Momoniensis, Pontificiæ factionis*, in publico gentis Consilio liberius, atquè audacius questus est, *violatum Ius Regnè, à Majoribus receptum; & Libertatem Suffragiorum imminutam, adversùs vetustam Regni Consuetudinem, longo usu probatam. Villis quibusdam Ius Suffragij, publicâ Præsidis Auctoritate, demandatum, quibus Majores nunquàm nomen Burgi indulserant.* Ut attentis auribus accipi Orationem animadvertit, *retineri* peoclamavit *oportere Iura libertatis, & Comitialis Auctoritatis. Vbicunquè violatum Ius Civium sit, adversùs leges & Instituta Majorum, id pertinere ad omnium privatorum Vitam, Famam, & fortunas; ac manifestum periculum totius Regni imminere.* Quare Hibernos etiam atquè etiam monuit, *ne Legum, ne Libertatis, ne Salutis publicæ sibi creditæ oblivíscerentur: sed caverent, ne ullus in Comitijs Ordinum sederet, cui publica Procuratio non esset, Popularium suffragijs probata.* Tum Præfectos Juridicos accusavit, *Quod multos, per seipsos, in Ordines Regni referrent, sinè Civium justis suffragijs. Pontificiæ factionis homines* suæ Sententiæ astipulatores habuit; & quantam apud eos gratiam inierat, tantùm *Præsidis & Anglorum* animos offendebat. Cum diu disceptatum esset in *Conventu Ordinum*, ejus Oratio, ut *publicè exitiosa, & ad Regis Contumeliam vergens arguitur.* In tantis Dissensionibus, cuncti viri boni & prudentes postularunt, ut virum idoneum, omnium suffragijs, eligerent, qui publico Consilio, de More, præsideret. *Angli* suis suffragijs *Ioannem Davisonum, Cognitorem Regium, Plebeij Ordinis Oratorem destinarunt. Hiberni*, irati & infensi hoc facto, indicto inter se Consilio, *Ioannem Everardum*, Equestris Ordinis virum delegerunt; ac in Curiam introductum, Tribunali turbidè ac seditiosè imposuerunt. Indignum id rati *Angli, Taumuntiæ Comitem*, & alios *Anglicæ* originis, Nobilitate insignes, *ad Regem celeriter miserunt*, qui de turbis docerent. Hi, expositis prius, quæ in Comitijs parùm civiliter acta essent, enuntiarunt, *Pontificiorum* tantam Impudentiam esse, ut Tranquillitatem Hiberniæ haud dubiè convellant; moxquè bello arsuram, nisi occulta Consilia prævertantur. Hæc probabilia *Memoria Vltoniensis belli* faciebat. His rebus cognitis, *Pontificiæ factionis* homines decreverunt, ut *Apolecti in Britanniam mitterentur*, qui apud Regem *Provinciæ Præsidem arguerent*; & Suspiciones averterent. Missi *Vicecomes Rochiæ, Iacobus Gochus*, suprà memoratus; *Gulielmus Talbotus*, Jurisconsultus; & complures Equestris Ordinis: *salvam sibi Suffragiorum, ac Avitæ Religionis Libertatem cupientes.* In *Britanniam* venerunt; gentis nomine orantes, *Nihil nisi, ut Securitatem publicam, & Majorum Libertatem, sub tanti Principis umbrâ tueri liceret.* Rex auditis *Pontificiæ* factionis Nuntijs, cum Temperamento disseruit, *de Romanæ Religionis præpostero studio, & Contumaciâ insitâ Plebi; precatusquè est, ut Mens Orationi conveniens esset.* Cæterùm jussit, *ut ad Senatum irent; respenderetquè Senatus ijs, quæ ex dignitate atquè utilitate Reip: responderi possent.* Cætera sibi servavit; ac potiùs Iram premere, quàm sedatum animum habuisse visus est. Quippè ferocia Subditorum ingrata dominantibus. *Apolecti Pontificij* in Senatu auditi, apud Judices infensos Insolentiæ eorum, disseruerunt, *de Cicestrensis Præsidis Injurijs; & Callidis Artibus enervandi Comitiorum Auctoritatem, ac Suffragiorum libertatem; Magnoperè orarunt, ut hâc Occasione frementibus ignoscerent; Hiberniæquè Tranquillitati consulerent. Egertonus Prætor*, gravitate conspicuus, & *Iuris Municipalis* scientiâ clarus, *obtentu publicæ Libertatis, turbidè & seditiosè egisse arguit; Quod leges, Magistratusquè violaverint; Procerum fidem tentaverint; Suffragia corruperint.* Addidit, inter omnes constare, Romanæ Religionis studium, & *Pontificiorum Contumaciam, turbis causam præbuisse; hanc mali radicem stirpitùs esse evellendam.* Id quò magis liqueret, *Talbotum*, virum acri ingenio interrogavit, *de Romani Pontificis Auctoritate*; qui vel Capitis sui periculo, ruentem *Romanam* potentiam, ac pernitiosissimos Errores defendebat. De *Talboto* Consultatione habitâ; & perrogatis sententijs, *Carceris Londinensis* custodiâ coercitus est; quod *de Primatu Pontificis, ac Potestate in re Civili, profanâquè* liberius locutus fuisset. *Gochus*, pro superbâ, insolentiquè *Oratione, in Comitijs habitâ*, in eandem Custodiam traditus est. Reliqui obliquè perstricti, quod *Proregem* suggillare, & ejus Auctoritatem in discrimen vocare ausi essent; ac in *eligendo Plebeij Ordinis Oratore*, sinè lege, sinè More egissent; Provincialiumquè animos, hoc facto, ad turbas concitassent, Authoribus exitio futuras. *Rex Proregis conservavit Auctoritatem*; & tutatus est Innocentiam: *Pontificiorum* Improbitatem gravissimè corripuit. Per Epistolam rescripsit, *Præsidentium Avaritiam causam turbarum non extitisse; sed Romanæ Religionis præposterum studium, apud homines rudes, imperitos, & ingenio inquietos.* Hibernis *Pontificijs* hâc diligentiâ coercitis, Equites claros *in Hiberniam misit, Carolum Cornevallium in Hispaniâ legatum; Rogerum Vilbranum; Georgium Calvertium, Equestris Ordinis*; ijsquè Potestatem fecit, ut lustrato Regno, Subditorum, justè deprecantium, querelas audirent; Controversias Suffragiorum dirimerent; consulerent Populo; facerent quæ è communi Salute censerent esse; ac omnia per seipsos explorata referrent. Curæ, post adventum *Apolectorum* in Hiberniam, in Remp: versæ; *Conventusquè Ordinum, Dublini* peracti; ubi multa salubriter constituta; *Leges Hostica in Scotos lata*, Comitiali Auctoritate abolitæ sunt. Nihil in *Iesuitas, & Sacrificulos* gravius statutum; aut *Laicos, eos foventes*; ita postulante temporis ratione.

Pacatâ

Pacatâ Hiberniâ, *Rex Londinum Comitia* indixit; quæ Anno insequenti turbata sunt, intempestivâ dissentione. 1613.

Eâ tempestate vitâ functus est, in *Citeriore Britanniâ Ioannes Haringtonus*, *Baro*, Integritate, Innocentiâ, Religione, Pietate, Patri similis. Qui maximam de se spem Popularium conceptam auxit: non minore Prudentiâ, quàm Temperantiâ rem Familiarem rexit. Sic autem rei Domesticæ constituendæ invigilavit, ut nunquàm studium Divini Cultus deponeret. Omnia Acta Divina, à Mane ad Vesperam gesta, repetivit; pro quibus meritis immortali memoriâ consecrandus est. *Mater* Mariti, Filijquè casu fracta, non diu superstes, eum honorificè sepeliendum curavit. Fratri, sinè liberis defuncto, successit in Patrimonum immensum, Ære alieno laborans *Lucia Soror*, *Bedfordiæ Comitis uxor*, Magni, præstantisquè animi Mulier; quæ Familiam in præceps ruenrem ab interitu vindicare non potuit. Nulla suâ ætate fæmina, æquè magnum Exemplum Munificentiæ dedit in Miseros, Afflictosquè, in Peregrinos hospites, & Aulicos Proceres; quos Hospitio, aspectu, suavissimisquè sermonibus, ita prudenter, ita blandè excepit, ut jurarent, nihil sese illâ fæminâ munificentius, nihil humanius, nihil admirabilius unquàm vidisse. Sed non ita eluxit in hâc fæminâ Pudicitiæ lumen, sicut cæteræ exculti animi Dotes; etenim hominum rumores, Impudicitiæquè Infamiam effugere non potuit; quam ne Amici quidem negarunt; allegantes, *Maritum nunquàm fuisse ad rem uxoriam idoneum.*



RERUM

RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER DECIMUS SEXTUS.

1614. SOMERSETTUS culmen potentiæ, gloriæquè adeptus, publico Odio conflagravit, ob interiorem Potentiam arroganter habitam; & alieni Sceleris Infamiam. Quippè compluribus *Quæsturam*; petentibus *Ærarij* curam Apolectis abstulit; Dein *Suffolcio, Socero*, Quæstorium Munus, Morte *Cecilij* vacuum, impetravit. Is ignarus quidem certè & imprudens, privatas Patrimonij sui rationes vix conficere, nedùm publici Ærarij potuit. Opes per sordes, & afflictam Plebem malè partas, pejùs per Luxum profudit. Neglectâ publicâ salute, ad Familiæ incrementum versus, nimiâ atquè asperâ Dominatione, omnia pene in exitium traxit, Inscitiâ, Inertiâ, ac Uxoriâ Impotentiâ; quæ Sexum supergressa, viriles curas agitavit, Ærarij, Fisci, & Vectigalium peritiam, *Cecilij* intimâ familiaritate quæsitam, affectavit; omnium Actionum publicarum Marito & Genero adjutrix, qui publicam salutem eâ tempestate procurabant; omnem Jurisdictionem in Cives, cum *Northamptonio*, & paucis Administris parùm idoneis, exercebant. Mulier ferox, Civium animos in *Havarta gentis* Odium inflammavit; & *Somersettus*, non tàm Regis flagrantissimâ gratiâ, dignitatequè aulicâ floruit, quàm Populari Invidiâ deflagravit. Perstrinxit rumor Vulgi, *abductam Essexio, Specie Iuris, uxorem; actum in Exilium, & evolutum Avitis Prædijs Vestmariæ Comitem: Ereptum Hertfordiæ Comiti, honorarium Comitatus Somersettensis Titulum*. Multitudo, Libellis propositis, *Suffolcij* Potentiam, & honores nimios exagitavit; *Catarinæ uxoris Pudorem, & Cecilij Contubernium*, suggillavit; Filiæ, Potentiæ cupiditate, contractum Matrimonium, gravi Opprobrio infamavit. Qui quantò magis Metu Potentiæ supprimebantur, tantò magis inhibiti erumpebant, fulminis more. *Somersetus*, fretus gratiâ, & perpetuæ fœlicitatis spe, cum cuncti desideria sua ad eum referrent, publica munia suæ Factionis hominibus distribuit. Ipse honorem *Præfecti Cubiculi Regij* cæpit. *Rodolfum Vinvodum*, legatione in *Bataviâ* nuper defunctum, pacto pretio, in partem curarum adscivit; *Epistolisquè præposuit*. Qui mox Perniciem ejus acceleravit. *Naulesio, Vallingfordiæ Vicecomiti*, Affinitate conjuncto, *Pupillorum curam, & custodiam* procuravit. Reliquos Amicos, & peculiares Servos, ad varia Munia distributos, tanquàm fautores Potentiæ circà se habuit. Ipse *Cubiculi Præfecturâ* non contentus, cætera Reip: munia ad libidinem tractavit, quæ nisi per Invidiam administrari non poterant. Prosperis rebus elatus, sprevit *veteres* Amicitias, *Novas* quæsivit. Nec *Southamptonius, nec Penbrochius*, Clarissimi viri, Acerbitatem naturæ, & Insolentiam ejus sustinere potuerunt; quorum in Regem Contumaciam Ille clàm suggillavit: & difficilem ijs in congressu Colloquioquè fecit. In Servos humiliores injuriosus, & contumeliosus; ut referre me pudeat Contumeliosa Dicta, & cæteram vitæ Superbiam memorare; cum facta argui possent.

Inter cætera, *Remissionem pœnæ Pyratis Africanis*, maritimis latrocinijs famosis, impetravit; qui recepto Abolitionis Diplomate, paulùm in *Hiberniam* secedere jussi, donec spatio temporis Invidia facinorum evanesceret. Ubi fama rei exierat, *Batavi* permoti, *Lambertum ducem*, arcanis Mandatis onerant; & solerter *Portum* edocent, ubi operiri decreverant. Is diligentissimâ Navigatione in *Hiberniam* trajecit; appulitquè ad ignobilem *Portum*, in quo inopinantes deprehendit; & fugam tentantes interemit; *Mercesquè Civium Londinensium, Pyraticis navibus impositas, diripuit*. Postquàm in *Hiberniâ* mandatis functus est, *Bataviam* repetijt. Ultrò *à Britanniæ stationibus* abstinuit; ne Bella & Clades provocaret. Celeriter hujus rei Famâ *Londinum* perfertur: quâ intellectâ, Cives opulentissimas Merces hostiliter direptas, in Senatu questi sunt; & auctam finitimorum malis *Bataviam; non ultrà ferendam Audaciam; sed Vi, Armisquè premendam Vesaniam; & facinus istud justo bello vindicandum*. *Iacobus* Irâ incensus, cum Patientiam pro Imbecillitate accipi cerneret, vehementem *Querelam de Injuriâ in Hiberniâ perpetratâ instituit: & nisi de damno dato Civibus extemplò satisfiat, ultionem interminatus est*. *Batavi* cum Regem fervore succensum, *Lamberti* Temeritate, comperissent, omnibus eum Conditionibus lenire aggressi sunt. *Pyratas communes humani generis hostes, Iure gentium circumventos*, dictitantes. *Quod suos Cives, in Barbariæ litore expilassent; nec eâ Injuriâ Pacem publicam violatam; nec eorum Cladem justo ferro vindicandam. Ne tamen suis Injurijs Regem acerbius irritarent, Bona Civium Londinensium direpta restituere ultrò obtulerunt, si Rex omnem Offensionem remitteret*. Conditionem cum libenter

Cives

Cives acciperent, *Offensam, Pacis & Concordia causâ, remisit.* Ita *Regis* idoneâ Moderatione, absque 1614.
ferro & Sanguine, motus conquievit.

Somersetius seipsum damnavit, quod Abolitionis Author Regi fuisset. Iste Naturæ vitio ferox, & nimiâ fortunæ Indulgentiâ insolentior factus, non Odium solùm apud Anglos, sed Contemptum etiam inter Populares sibi conflavit; Invidiæquè flammam suâ Insolentiâ indies auxit. Manente adhuc gratiâ, & Authoritate, homines Nobiles adversùs Potentiam & Opes hiscere non audebant. Ægre ferebant Adolescentem, Affinitate subnixum, in Aulâ dominari; Vindictæ tempus ac Occasionem quærebant, Satietatem, aut Pænitentiam operientes. Ille Proceres sibi conjunctos, quibuscunquè poterat Ornamentis, exornavit; ad Summum Potentiæ gradum erexit. At alios, quos animadvertebat, aut parùm observantes esse, aut perniciem in ipsum machinari, non destitit incessere. Postquàm inter omnes excellere suas Opes animadvertit, cæpit agitare animo, ut *Comitiali Auctoritate firmarentur Comitia festinata.* Regni *Proceres, Antistites, & Civitatum Procuratores* evocati, in Speciem causa convocandi jactata, publica Inopia, & Æris alieni magna vis, *Magnificentiâ Regis*, gloriam Liberalitatis affectantis, contracta. Convocatis *Ordinibus*, ut Reip: consulerent, *Rex sedens in Purpurâ cum Coronâ, Sceptro, Alijsq; Insignibus Regijs*, præfatus est, *fide ac Benevolentiâ Popularium, Regnum falix, faustum fortunatumq; esse; nihilquè sibi antiquius, quàm singulorum Salutem, & Securitatem, Parentis affectu tueri; Reip: constituinda, Moribus, atquè Legibus invigilare; gloriam suam, & Majestatem Imperij, Socijs Nationibus ostentare.* Petijt, *ut Proceres, & Plebeij Ordinis Apolecti, Benevolentia in Regem proderent Exemplum; Regno, ac publica Necessitati succurrerent; & grande as alienum, ad Regni Onera sustinenda contractum, solverent. Cui solvendo Vectigalia Annua, & antiqua Corona Possessiones, Pracaris subjecta, vix sufficerent.* Principis verba glomerantia Aures & Animos audientium altiùs penetrarunt. His dictis *Egertonius Prætor* Prudentiâ eximius, magnâ cum gravitate, Regis in omnes Amorem, studium, gratiam, & Merita, immensis laudibus extulit, disseruitquè, *nisi Rei Nummaria subsidium tempestivè prastetur, eum diutius Reip: Onera sustinere non posse. Exiguâ Pecunia Collatione, tanta Securitatis, Latitia, Opulentia Beneficia pensaturos*; Nihilquè prætermisit, quod ad *absolutam Potestatem* asserendam pertineret. *Hanc Sententia à Primoribus Equitum, ac Civitatum Procuratoribus vehementer reclamatum.* Nemo enim eorum quicquam ex Patrijs Institutis labefactari sustinuit. Hinc *Pratoris, & Coki*, rerum Criminalium Judicis, non obscura *Contentio de Prerogativâ Regis*; quam illibatam esse oportere *Prætor* contendit; cum *Populus omnem Potestatem ei*, & in eum, contulerit; & ad *Unius* arbitrium omnia Magistratuum Munia redigi cæperint. Sic disserente *Pratore, Cokus censuit, dignum Majestate Regnantis legibus alligatum se profiteri*; & submittere legibus Principatum. In *Coki* Sententiam multis partibus plures iverunt; & ob id, famâ Vulgi celebratior. Igitur paucos post dies, *Prætor in Plebeij Ordinis Consessu, asperè & acerbè exagitatus est, à libertatis defensoribus*; & in summam Invidiam adductus. Sed animo forti, magnoquè, Impetum levissimi hominis contempsit; Magnitudinemquè animi sui nunquàm inflexit, cujusquàm Injuriâ. *Coki inconsulta Libertas invisa erat Regi; Pratoris Obsequium haud ingratum.*

Magna posteà in *Comitijs* dissentio fuit, *de Electione Thoma Parrei, Senatorij Ordinis; & Valteri Copi, Custodis Pupillorum*, ejusdem Dignitatis. *Vitionè Creati essent, & Ambitu suffragiorum*, in Disquisitionem venit. Videbantur enim *nec Iure electi, nec Auctoritate Plebis, cui Suffragiorum Ius erat.* Proindè Primores Civium, ad Audaciam prolapsi, denuntiabant, *Nullam rem aliam se decerni passuros, in Plebeio Consessu, si nec More Majorum, nec Plebis Suffragijs designati, in Comitijs sederent, ac Sententias dicerent.* Itaquè componendis his fluctibus, placuit, ut viritim sententias perrogarent. *Parreus, & Copus*, ad disquisitionem *Plebeij Ordinis* vocati; perspectâ inclinatione Civium, qui Authoritate plùs valerent, *sese Suffragijs abdicarunt; ne Procella Comitiorum exastuarent.*

Hâc sedatâ Contentione, alia subindè exorta est majoris Momenti, *de Collatione Pecunia in Subsidium Ærarij. Rogerus Ovenus, Eques Cambrensis*, velut Vindex Publicæ Libertatis, acerrimum se Plebis Defensorem ostendit; & questus est, *Ad publica Munia acciri Peregrinos; Vetera Tributa, & Portoria augeri; Nova ac Insolita imposita esse, contrà Consuetudinem Superiorum temporum, Iura, legesq;, culpâ eorum, qui eximium Virtutibus Principem, pessimis Artibus, à Plebis Commodis abalienarent. Simul commutatam rationem Senatus, Iuditiorum, per Vim, gratiam, aut litium frequentiam. & totius ferè Reip: interposuit Querimonias, de Iniquitate Coactorum; Monopolarum cupiditatè, & Avaritiâ. proclamavitq;, Populi onera diutius ferri non posse.* sub hanc vocem fremitus *Plebeij Ordinis* fuit, partim Assentientium, partim succensentium id dicere ausum. Etsi nihil horum docere dilucidè posset; tamen Assensu majoris Partis est adjutus; & locutum plures pro publicâ Utilitate, ex Consilij sententiâ, censuerunt. Itaquè *Plebeij Apolecti*, gratiosi homines, ad *Regem* missi, ut hæc à Populo Incommoda arcerent. Qui ad genua, de More, procumbentes, id modò petierunt, *ne Civitates spoliari, vexariq; à Coactoribus, aut à Publicanis, Vectigalium gravitate premi sineret; nevè Monopolas in Bona savire ulteriùs pateretur; sed Virtutem Majorum suorum amularetur; qui Pace Opibus, Potentiâ, & gloriâ floruerint.* Rex Vectigalium Auctionibus causam prætexuit, *immanes Sumptus; Magnificentiam Regibus necessariam; Molem curarum; Ærarij inopiam, & Onera Regni.* In cætera Monopolia excusavit; alia fecisse se secundùm Decreta Judicum, & Responsa Prudentum, ad quos omnia Desideria Deprecantium relata erânt, Jure nè, ac sinè cujusquàm justâ Querelâ concedi possent. Alia, Auctoritate Senatus, fecisse. *Interposuit & Querelam de*

1614. *Iniquitate querundam, indignè sibi insultantium*; & congestis Probris criminantium, quod Reip: malè consuluerit; leges Pænales acrius exercuerit; licet ex Voluntate Senatus cuncta gereret. Adjecit Notas irritati animi; dicens *Caput à Membris admoneri, & regi non debere; sed Membra à Capite.* Item, *refragari sibi per Speciem Libertatis, qui Ius Regium oppugnarent; & Pœnas legum timerent.* Victus postremò Procellarum Atrocitate ex his Nubibus erumpentium, *pollicitus est, non modò Principis sollicitudinem, sed Parentis Affectum.* Ita miti Responso, suâ Modestiâ, & Orationis lenitate iram *Plebeij Ordinis* permulsit; ac liberius monuit, & persuasit, ut Regis & Regni Dignitati, & Saluti consulerent; & inquietos Mores dediscerent.

His Turbis Prudentiâ, & virtute Regis sedatis, & reconciliatâ Voluntate magnæ Partis *Primorum Plebis*, singulis appellatis rogatisquè, multos ab omni aliâ Cogitatione ad suam dignitatem tuendam traduxit; & Metum injecit imperata recusandi. Sed mox, quorundam intempestivâ Pervicaciâ in Regiâ Causâ, *Ira Plebeij Ordinis acriùs exarsit*, & æstus, Comitiorum validius erupit. *Henricus Vittonus, Equestris Ordinis*, legationibus maximis perfunctus, verbosâ & grandi Oratione palàm egit *Causam Regiam, & Ius Regium*, (*Prærogativam* Vulgus appellat) *acerrimè tutatus est; Arbitrium rerum Divinarum & Humanarum, Rationem summi Imperij, Belli & Pacis, in Regum potestate esse; Publicis Consiliis præsidere; Subditis nihil, nisi Obsequij gloriam, relictum disseruit. Tributa Ducis Etrusci, Veneti, ac Neapolitani Regis, inconsulto ac invito Populo imposita exposuit.* Regis eximiam Prudentiam, & Bonitatem laudavit; Merita in universam *Britanniam*, cæteraquè Officia percensuit. Monuit *Primores Equitum*, Obsequio non Imperio genitos esse. & *Civium Procuratores* vicissim, ut Sceptrorum Libertatem, Sequè omnia Principi suo debere meminisse vellent; Pecuniæ Collatione Reip: Necessitatibus subvenirent, si Salvi esse velint; & Reditus Principis adjuvarent, ita postulante publicâ Ærarij Inopiâ, ac singulorum salute. *Ne Princeps Absoluta Potestatis vim, specie Iuris, intenderet; ne à Lenitate in puniendo, ad Severitatem deflecteret; ne summo Iure magis, quàm Legum & rationis Imperio, cum Civibus ageret.*

Post eum *Vinvodim*, ab Epistolis, mutuam Necessitudinem insinuavit inter Regem ac Subditos; Tributa ac Vectigalia *Batavorum*, ex Censu sponte collata, enumeravit; quæ tolerata fuerant æqualiter per tot Annos, sinè cujusquàm Querelâ; ut Populares exemplò moverentur. Disseruitquè, *Regiam* Potestatem, quæ apud omnes gentes maxima censetur, *in Regno non minorem, quàm Optimatum in Rep: aut Magistratuum Populi, in Populari Regimine.* Verùm nec *Democraticos*, Populari instituto viventes; Neque *Aristocraticos*, Optimatum Statu gaudentes, *consuli, velint nè Remp: Censu & facultatibus adjuvare, quoties Negotia arcana occurrerent, qua nisi Publicis Sumptibus non possent expediri.*

Cum *Thomas Edmundus*, amplissimis Legationibus celebris, *Francorum Collationes, pro Imperij Majestate ac Tutelâ* percensuit; quibus Obsequij Reverentia adductis ad Tributa conferenda, Regis Observantia sufficeret; multisquè rationibus suasit, *Collationes illas Regibus, Iure deberi, & solvere Subditos quod debeant.* Demùm hortatus est, ut respicerent *Batavos, Francos, & cæterorum Onera Populorum.* Huic sententiæ assentiuntur *Consiliarij, & Ministri Regis intimi*; quibus haud ægrè persuasetant. Sed *Provinciarum Procuratores* vehementer dissensetant; & fremitus ingens inter Audientes exorsus est.

In Plebeio Consessu, *Ventuorthus, Heskinus*, Legulei, atquè Alij, Juvenili fervore indignantes audire, *Inconsulto Consilio universa gentis Tributa imperari posse*; Specie Libertatis, *Regij Iuris Authoritatem* (quam *Prærogativam* Municipalium Jurisprudentum *Latinitas* appellat) labefactare, ac convellere tentarunt; ac molestè tulére *Iustitiam Imperij Britanniri, in hominibus in Britanniâ natis*; ubi non propter Ærarij Tenuitatem, sed Belli domestici apparatus necessarios, Tributa & viri indicuntur. Itaquè *placuit, ut breviter sententias, de Subsidio Rei Nummariæ* dicerent. *Ventuorthus, Lincolniensis leguleius*, & illo tempore *Apolectus*, se ad dicendum composuit, haud veritus *Principem* Contumaci Libertate irritare; dixit *à Plebe intolerabilia Onera exigi, nullo impendente Belli discrimine; nec proroganda ultrà.* Liberius exagitavit *Principum Potestatem legibus solutam.* & Exactiones illicitas, *Danielis Testimonio cap: XI versu XX*, Excidium ijs minitantis, qui Potestatis Licentiâ cuncta ex arbitrio gererent; specie Juris, Civium fortunas diriperent. Disseruitquè, *Ius Regium apud Britannos, Populum ad Tributa cogere non posse; Nisi per homines à se delegatos, in publico gentis Consilio, consentiat. Batavos, Superbiâ Violentiâq, & injustâ Dominatione oppressos, domesticis malis Subsidium rei Nummariæ opposuisse; & continuâ Pensitatione Tributorum, Libertatem recuperasse. Francos, Anglicani Belli Cladibus exhaustos, cum obsiderentur Urbes, vastarentur Provinciæ, & Bellum ferale gereretur, suam Operam, suasquè Opes in Ærarium spontè contulisse; ne omnia Divina, & humana, sub nutum Ditionemq, hostium pervenirent. Reges Francorum; confecto bello externo, & ereptâ Anglis Patriâ, Tributo semel exacto abstinere non potuisse; hinc Injuriam & Culpam, satis Ultorem Deum in tempore habituram. Etruscorum, Neapolitanorum, & Cæterorum Onera Populorum, in Consequentiam non trahenda; propter Regionum discrimina, & Iura in Italicis gentibus diversa. degenerasse à Majoribus Italos; & seipsos ad Patientiam Tributorum indurasse. Deniq, legitimum Imperium, & solutam legibus Licentiam differre. Reges vexantes Cives Tributis, alijs super Alia, humani generis Rectoris contrà se Iram accendisse; & alios alio casu perijsse, sub quibus Tributorum Acerbitas viguerit; perituros q, posteà, nisi resipiscerent, & Culpa pænitentiam profiterentur.* Postremò, impetu vehementis Spiritus abreptus, Maledicentiâ temperare non potuit; Memoriam quoquè *Henrici Quarti, Francorum Regis* mortui

mortui contumeliosè insectatus est; non intelligens qualem virum argueret. Pigêt referre quod dixit, *sicut Vitulus trucidatus est.* 1614.

Cæterùm, *Heskinus*, atrociore rabie trusus, procacius se in *Comitijs* gessit; & oblitus Humanitatis ac Officij, Modestiæ limites transiliuit. Is cum uni *Somersettensi* invideret, eximio simul honoribus & Muneribus, ac proindè *gentem Scoticam* odio prosequeretur; *Scotos, ut Alienigenas*, meliore fortunâ, quàm Indigenas agentes, Convitijs & Minis insectatus est; Calumniando omnia, detorquendoquè in pejorem partem, asperè & acerbè tradita *à Cornevallio, & Sharpio*, Magistris suis, cum fænere exposuit; & inter dicendi Contentionem effrenatius evectus, flabellum Seditionis subjecit, *Noctes Siculæ.* Quibus verbis ad Arma inconditam Multitudinem, rabie quâdam concivit, *ut Cædem Scotorum facerent.* Hæc tàm seditiosa vox Perorantis, clamore, Convitijsquè jactata est, in *Comitijs.* Multi insueti Calumnijs criminantium, indignati sunt dicere id ausum; negaruntquè Audaciâ & scelere furentem ultrà audiendum; obstupueruntquè, inprimis Prudentiâ præditi, tantam insitam cuiquam mortalium Vecordiam.

Deniquè *Christophorus Nevillus*, Nobilis Juvenis, infestâ Oratione docuit, *Veterem Nobilitatem conculcatam; non ferendam Novorum hominum Superbiam; exhaustum immodicâ Liberalitate Ærarium; paucorum infinitæ Cupiditati, nec publicas, nec privatas Opes sufficere; Patrimonium publicum in gratiosos homines dividi; Dono dari, nimiâ Principis Indulgentiâ; verâ aut simulatâ Emptione distrahi; Regias Opes, si probè curentur, Sumptibus esse pares; quibus Majores in Bello, in Pace, per tot hominum, tot Superiorum Regum ætates, splendidè vixerunt; & ab Indignis, in quos collata erant, repetendas; Ærarium per Liberalitatem exhaustum, non Tributorum Acerbitate, sed Parcimoniâ Domesticâ supplendum. Ita Regem, suâ privatâ Frugalitate, & Vectigalibus, sinè Civium gravamine, Regni Onera sustinere posse.* Haud perplexè in *Somersettensem*, & *Havartos* dirigebatur Oratio. His, ut *major apud Plebem* charitas, quasi Libertatem, & Leges tuerentur; ita *minor apud Regem* gratia erat, indignantem Merita sua, ac Indulgentiam in Magnates, sermonibus carpi Calumniantium. In ejusmodi tamen Perturbatione rerum, *Rex* multorum Procerum, & Civium in se fidem, & Benevolentiam expertus est, dicentium, *nunquàm rem Britannicam ampliorem, Magnificentioremquè* fuisse.

Nelus Præsul Lincolniensis, in superiore Consessu verba fecit, *& in Plebejum Ordinem asperè invectus*, rationem Imperij à Rege efflagitantem, ac Regnandi formam præscribentem; pro Majestate, & Potestate Principis commodè locutus est; *vituperantium, criminantiumquè occultè Regem sermones, Seditionis arguit.* Hæc vox relata cum magnâ *Plebis* indignatione, altius penetravit animos & Clamor undiquè ortus, *ut Nominatim referret Seditiosos; aut Proceres pro Potestate decernerent, & Invidiosam Calumniam dijudicarent.* Respondent Magnates Querimonijs Plebis, *Præsulem famâ magis, quàm Culpâ prægravari, & de famâ nihil certi statuere posse.* Hinc ardentius accenduntur *Plebeij Ordinis* animi; & in *Præsulem* multâ cum Acerbitate habitæ Orationes; quibus vehementer perculsus est.

Proceres, *cum Plebis Primoribus* Consilia communicarunt, suadere magnoperè tentarunt, ut flagrantium animorum Impetum compescerent; Regis gratiam inirent sponte potiùs quàm coacti. Sed irritæ preces fuêre. Tantus furor illo tempore *Plebejum Ordinem* ad Audaciam, & Contemptum Majestatis exciverat. Spectator Furoris *Proboulos*, in suggestu aderat, nec cohibere poterat. Pauci libertatis anteà duces, & Authores, turbas pertæsi, communem causam deseruerunt. *Henricus Telvertonus* Regiæ nunc haud dubiè partis, oblitus Spirituum, quibus superioribus *Comitijs* intumuit, intonuitquè, pugnavit *pro Regiâ Dignitate, & Prærogativâ*; Regiæquè Amicitiæ indulgentiâ animum mutavit. Plures veriti hos fluctus, exemplum secuti sunt. Unde *Ricardus Martinus, leguleus*, Jocos Serijs miscere solitus, Prævaricatoribus Silentium, & Dissimulationem exprobravit; additâquè Contumeliâ, *Silentes Fratres*, per Vaniloquentiam, vocavit. Intereà *Rex Plebejorum libertatem, & Contumaciam constanter tulit*, sperans ad Pænitentiam mutari posse. Sed cum *Pertinaciam illius Ordinis* indies crescere cerneret, ac omnia Impetu in Comitijs magis quàm Consilio geri; & facilè appareret, *leniter agendo Authoritatem suam tenere non posse*: dimissis *Comitijs*, frequens Consilium adhibuit, *ut inhibendo Paucos præferocis animi, ejusmodi Conatus in posterum comprimeret.* Et cum singulorum sententias exquisisset, Authorite Senatus decrevit, *in Carcere habendas dominatrices linguas*, quæ Comitia pravis Certaminibus propalàm turbaverant. *Venthuorthus, & Heskinus in Turrim conjecti. Nevillus, Adolescens Nobilissimi generis, in Fleta custodiam traditus est. Carolus Cornevallius*, qui, Northamptonij gratiâ, Legationem in *Hispaniam* facile impetraverat; & *Sharpius Theologiæ Doctor, qui turbidis Consilijs Heskinum instruxerant, in Custodiam traditi*; & Cæteri *Procuratores Civium*, metu pænæ, in domos suas, atquè Prædia dilapsi, Pace Libertateque gavisi sunt. Post Castigationem hanc, *Proceres Ecclesiæ Aurum, Argentum, Vasa, Supellectilem, Regi, præ egestate, Oneribus laborantis Reip: impari, contulerunt.* Quia *Rex* Ecclesiasticos Liberalitate cumulavit; causam eorum, Jurisdictionemquè tutatus est; insuper augustiorem gloriam *Præsulum* domi peregreque reddidit.

Hic me turbidus Status non delectat, satius est leni Narrationi vacare. *Ricardus Alanus, Archimimus, omniū personarū Imitator Effictorq; peritissimus*, ludos in Scenâ miscere solitus est, delectationis causâ. Is personâ Regis ferens, imitansq. composito gestu corporis, motuq;, Artifex ejusmodi fuit, ut solus dignus videretur, qui in Scenâ spectetur; ac publicis Spectaculis magnas opes cōparavit. Provectâ ætate,

1614. *Scenicas Artes*, & indecora Senectuti studia, damnavit. & ut *Scena* maculam elueret, proripuit se Spectaculis, *& Ptochodochium Dulvici instituit*; quod ipse regendum præcipuâ curâ suscepit; Reditibusquè ampliavit, *ac* XXIV *Pauperum numero, ex utroq; Sexu*. Præceptorem quoque appofuit Pueris, donec Adolescerent. *Mansit posteà omnibus Ptochodochijs hujus Magistri Alani Cognomen, in propitiam memoriam Autoris*. Hoc factum plùs ei honoris peperit, quàm cæteris omnibus *Scenicis*. Quis enim, præter hunc, facilè inveniri potest, qui Reip: profuit? Reliqui Libidinum exemplis, non modò *Scenam*, sed vitam, etiam communem, infecerunt; ac *Spectaculorum Varietate Civium animos corruperunt*; eaquè res conciliavit Vulgi favorem; bonorum omnium Invidiam concitavit.

Anglia, nostrâ ætate, Ludorum varietate, ac Magnificentiâ, omnes gentes antecessit. Paulatim deinde Ludos, & Epulas Lasciviâ secuta est; demùm *Spectandi scelera Consuetudo, Imitandi licentiam induxit*: non sinè aliquo rubore *Prædicantium*; qui in *Concionibus Theatralem licentiam* reverentiâ ac Metu Numinis reprimere debuerunt. Sed à Luxu, & *Theatrali Licentiâ, ad Militaria instituta transgrediar*. Cives *Londinenses*, repulsâ, Sæculi nostri malo, Inertiâ, impigrè se laboribus, & Exercitationibus *Militiæ*, eo loci, dediderunt, qui hodiè *Tormentorum aneorum hortus* appellatur. Jam urbana Juventus, viribus & robore ætatis præstans, non Animos modò, sed Corpora ipsa Armis exercuit; & *Præfectos* habuit, *Centurionesquè*, ut Castrensi Disciplinâ imbuerent; qui *ut servarent Ordines*, obsequerentur Ducum imperio; Lanceis, ac fistulis ferreis bene uterentur, instituerunt; & ex umbraculis horti, in Solem atque Pulverem, velut in discrimen, Aciemque perduxerunt. Ubi *Lustrationis tempus* venit, deducti Juvenes, Armis fulgentes, in *Campum Hextonum*. Converterunt ad spectaculum Cives, Peregrinosquè. Ibi *structæ Cohortes, Septem Millium* fermè expleverunt numerum; & divisæ bifariàm in duas Acies concurrerunt, ad imaginem belli; nec præter vulnera, quicquam defuit, ad veram prælij speciem. *Carolus Princeps*, Procerum agmine comitatus, Certaminis ludicri spectaculo adfuit; & Concurrentes Acies, tanquàm dimicaretur, prospectavit; Juvenes, fessos Sudore in decursu, Comitate ac benignitàte recreavit; eaque res conciliavit ei Vulgi animos, augurantis ad summum Militaris gloriæ culmen perventurum. Eodemetiam tempore, *Suburbani Iuvenes*, Imitationis ardore accensi, meditatione Campestri Armorum usum perceperunt; Pulverem, Sudoremquè in *Conventuali Horto* miscuerunt. Mox propter hujus loci Angustiam, *Militari horto* exstructo, Armorum tractandorum Disciplina ibi tradita est. *Cohortes sub Centurionibus, Tribunisq;*, armis conspicuæ, intuentium oculos fulgore perstrinxerunt: Artemquè virtuti addiderunt Exercitationibus Campestribus *Veterani Centuriones*, Moderatores astantes; qui alacres virtute Juvenum, quoties *Tela* Arte librarent; vel *Lanceas* vibrarent; aut veloci saltu, & rursùs celeri receptu, vitarent, & inferrent Ictus. Cæteri per Provincias bonum exemplum secuti, *Disciplinam Armorum lapsam, neglectamquè resoverunt*; quæ Militaribus Turmis, & Cohortibus perstrepuerunt, ad tuendas Regiones Maritimas, si vis hostilis ingrueret. Ibi quoque par studium Armorum; & tempus Ebrietati, Libidini, Socordiæ, aut alijs Vitijs anteà impensum, *Exercitationi Campestri Armorum, & Equorum* impendi cœpit. Incunabula hæc, & Rudimenta rei Militaris, proximas Continentis Regiones peragrarunt; Superbiam, ferociamquè hostium contuderunt; effeceruntquè, ut Arma domi parata, instructaquè essent, *in omnem belli Eventum, Principi, Patriæq; Securitatem, ac Pacis Præsidium, si insima Plebs Obsequium exueret. Gens Britannica*, suâ Indole ad Bellum proclivis, famâ Militaris disciplinæ celebratior esse cœpit; & aucta indè in *Principem* reverentia; qui *velut Cæterorum Regum Arbiter* in speculâ stetit. Multi rerum Civilium peritissimi, *adumbrata Prælia damnant*; qui Tubas, Sudorem, Pulverem, nihil prodesse arbitrantur, cum ad verum justumquè Prælium descendimus.

Jam ab Acie, *ad Aulæ Pompam* gradus faciendus est; atque ab Incunabulis summi honoris incipiendum. Per hos dies, *Georgius Villerius*, Adolescens Equestris stirpis, in Aulam venit; statimquè Modestâ Indole, Moribus, Decorâ specie, aut fortunæ beneficio, pronum ad Opes, Potentiam, Honores, ad Amplissimum gradum Dignitatis, Iter invenit. Primùm *à Rege admissus à Poculis*, decorâ Modestiâ, & futuræ Magnitudinis Spe, plurimorum animos sibi conciliavit; & *Regem* etiam sermone, ac Vultu benevolum reddidit. Visa est Fortuna promovere; quia *Somersettus*, ad arbitrium fælix, tristi Arrogantiâ modum Subditi supergressus, multos Principales viros asperâ Dominatione abalienavit: & *Principem* contumaci Libertate, ac Altercationibus insolentissimis irritavit. Indè *Villerij* fama totâ Regiâ personuit; tanta Facilitas in *Pares*, tanta Reverentia in *Magnates*, tanta Indulgentia in *Familiares*, extitit. Ob has animi Dotes, *non minùs Regi charus, quàm Somersettus, brevi evasit*; & Potentiam ejus perculit; ubi Factione satis invaluit. Huic offensus *Somersettus*, haud obscurè indignari ausus est, adductum antè Oculos Æmulum. Errorem, Impetumquè Juvenilem Prudentiores Amici culparunt; quod intempestivâ Pertinaciâ, ac temerariâ sui Fiduciâ *Regem* accenderet; & *Æmulum, ignotum adhuc, Privatumquè*, Contumaciâ foveret, quem Solertiâ, Patientiâquè obruere posset. Sed in hâc Animi Tempestate planè Monitionibus nullum reliquit locum; Consilium aspernans, quod in præsentiâ conduceret. Mediam sententiam secutus, nec Amicum paravit; nec Inimicum prævenit; Se, Factionemquè suam funditùs evertit. Tandem, Fato Potentiæ, Fælicitatem suam ferre diutius non potuit, gravisquè incœpit omnibus *Popularibus* esse; & *Procerum* præcipuè Offensam, superbissimâ vitæ Consuetudine, provocavit; nihilquè *Majestatis* reverentiâ motus, *Regem* Oratione perstrinxit; & Impetu Juvenili abreptus,

1614. abreptus, in apertæ Indignationis verba erupit, *Sentio me, & Villerium non posse simul in Aulâ versari.* Rex Contumaciam lenissimè tulit; & blandè, ut solebat, monuit deflagrare *Iram,* purgari *Suspiciones,* mitigari *Odia* posse. Se quidem, longo tempore, Arcana Imperij ei credidisse; neque ætatem, neque Peregrinitatem, neque Publicam Invidiam Magnitudini fortunæ obstitisse; mansuramque Dignitatem, si Modestiæ assuesceret, & vocibus contumacibus, ac inconsultis temperaret. Hæc Libertas *Somersitti,* Inimicis haud ingrata fuit. *Villerius* facile sese regionibus Officij continuit; anxium *Regem Curis, festivâ Narratione, aut Cantu recreavit;* Spectacula ludorum excogitavit, delectationis causâ; & *Natalem Salvatoris, larvato Tripudio, celebrare instituit.* Hos in honorem suum *Ludos* parari, *Rex* lætatus, non Magnificentiæ, non Pecuniæ pepercit, ut Clari Juvenis Indoles Pompâ notesceret. *Postremum Saturnaliorum dies destinatus Spectaculo, in Camerâ Convivali fuit.* Prætorianæ Cohortes, ad fores Aditusquè dispositæ, ut Populi irruentis impetum cohiberet. Jamquè non *Oratores modò finitimarum gentium* spectatum convenerant; sed & *Proceres, Matronæ, Virginesquè,* ex Nobilissimâ Juventute. *Didacus Sarmienta, legatus Baticus,* intromissus Spectaculo, interesse recusavit, *si Batavorum Orator legati Nomine, & Honore uteretur.* Rex, *Batavorum* dignitatem in Britanniâ collabi, propter vetustam Societatem, indignum putavit; oravitquè Regio vultu, *ne Spectaculum turbaret; Neu se offensum vellet.* Ille Irâ incensus discessit. *Batavorum Orator discedere jussus,* ut Rex ex æquo agere videretur; qui excanduit rei Iniquitate, dicens, *Quo nunc Iure posset Philippus Libertatem Batavis adimere, quibus Fæderis Tabulis concesserat.* Tandem *Rex,* Procerum Aulicorum agmine comitatus, cum Conjuge ad Spectaculum processit. *Somersettus,* Cubiculo præfectus, Lateri proximus erat; cui curam mandavit, ut dispositis *Proceribus, & Clarissimis fæminis,* in Subsellijs, *Plebejos,* Officij sui reverentiâ, arceret. Demum, ejus operâ submota Turba, *Rex Proceresquè* consederunt. *Larvati aulæo degressi,* eum solenni More salutarunt. Deinde cum *Rex* omnes benignè resalutasset, *Georgium* tamen multo honorificentius respexit. Interim percurrerunt Aream *Saltatione venustâ,* ad Fidium præscriptum. *Georgius* præsidentem *Regem,* & Consessum frequentem, gratiâ Oris, ac totius Corporis gestu, & Juvenili Comitate, permulsit. Laudavêre plerique spectantium, *Formam egregiam, decorum corporis habitum, & præcipuè Vultum; Somersetto frustra indignante,* acerrimum sibi *Æmulum* hominum studia, ac Regis gratiam promerere; quem Indignatione reconditâ, fraude, & fædâ Suggillatione pervertere constituit. Hinc *inter Eum & Villerium infensa Æmulatio excitatur,* quæ Simultatum initium fuit. Crescente in dies *Villerij* favore, apud Multitudinem; & gratiâ apud *Regem,* ob Æmuli Superbiam, Negligentiamquè; Certamen ab instinctu Æmulationis profectum, acrius exarsit, Dissimulatione, & Dolis. *Somersettus,* ut ipse, & factio sua, publicam Auctoritatem, ac Splendorem retinerent, quantùm potuit nixus est. *Villerius,* ejus gratiam atquè Potentiam non veritus, oblatam sibi Occasionem conciliandi favoris, ac promerendi Amoris non prætermittebat; Multiquè *Proceres* privatâ Contumeliâ incensi, quotidianis eum sermonibus admonebant, *Somersettum Iuvenem esse Superbum, Avarum, Crudelem; omnes Regni Proceres, omnes Populares illum odisse, rem haud arduam esse, reciprocanti æstu favoris, dignitatis gradu dimovere; atquè in ejus locum adoptari; Si id in animum induceret; sin timidè desisteret, alium in hanc Spem fortunæ oriturum.* Inter Cæteros, præcipui *Arundelius, Penbrochiæ Comes,* ob corporis animiquè virtutes celebris, frater ejusdem dignitatis *Montgomerius, Fentonæ Vicecomes,* gentis Scoticæ, magnæ ob Familiaritatem *Regis* Authoritatis; *Robertus Carus,* Roxburgensis; in ejus perniciem incumbentes, Viam alteri ad futuræ Potentiæ Magnitudinem faciebant. Sibi Adolescens magnopere gratulabatur, tàm eximios *Proceres* esse, quorum operâ, Consilio, studio, ad publicos honores aditus pateret. Cæteri ferè Interiores *Aulici* aderant publicè, vel privatis Affectibus; Spe, aut Cupiditate honorum, Potentiæ, Divitiarum; Quippè nimium jam arrogans *Somersettus;* suæ Originis, ac alienæ Libertatis oblitus, se perditum ibat; & meliora de *Villerio* sperabantur, ob præclaræ Indolis Spem, Mite ingenium, ac animi Moderationem. Multi etiam suâ Levitate, & Mutationis cupidine movebantur. Interim *Somersettus,* cognitis Consilijs, & æstu Adversariorum, Æmuli gratiâ, & Inimicorum Potentiâ anxius, *Havortos* Affinitate innexos, præter *Arundelium,* cæterosquè Clientes sibi fidos, in Consilium adhibuit, de summâ Fortunæ paulatim inclinantis. Ij omnes, unanimi consensu admonuerunt, intempestivum Dissidium; gravioribus apud *Regem* Expostulationibus & Querelis adhibendum temperamentum; ne eum insitâ Ingenio Violentiâ, & adversùs fas nefasquè Irreverentiâ, irritaret; Neu se temere Odij Pertinaciâ everteret; sed cogitaret, Potentiam fortunæ beneficio quæsitam, *Regisquè* Indulgentiâ; non suis viribus stare, sed ex Arbitrio Regis, ac fortunæ Rotâ pendere; & amissâ gratiâ, Inanem Umbram expertem Dignitatis, gloriæque fore. Verùm inconsultus, & præceps animi Impetus, pernicies communis Adolescentum, magis valuit, quàm Consilium Prudens Amicorum. Ille suæ Sortis ignarus, & cui Soli lumen deberet, Sua Merita, sua Officia tumidè percensuit; multaquè turbidè exciderant, quibus deprehenderetur ferox Ingenium, quamvis vultu premeretur. *Rex* Iram pressit, tàm inconditam Superbiam ægrè ferens; & Secretum nactus, deflere apud *Fentonum* fortunam suam cæpit, cui longæ fidei experimento plurimùm credebat. Is *Villerij* partibus favens, ausus est incusare *Somersettum;* & *Regi* Author fuit, ut in fide, atque Officio, Metu contineret; cogeretque oblivisci Spirituum, quibus intumesceret; & formidolosam Potentiam paulatim imminueret. Ea *Fentoni* hortatio apud *Regem* Momenti plurimum habuit. Qui non tantum Silentio, sed etiam Auctoritate, accessit *Villerij* partibus. Cæterùm, paucis alijs communicavit

1614. Consilium, ne in Æmulum aliquâ Arte sæviret Juvenis, retinendæ Potentiæ cupidissimus. *Villerius* familiarissimum habuit *Ioannem Gramum, ex Scotiâ Equitem*, qui domi forisquè Popularium studium in partes traxit, cujus Exemplum plures *Scoti* secuti, *Villerij Conatus* juverant. Nec deerat ipse Comitate, Benignitate, largis Promissis, Aulicorum gratiam elicere. Plerique sincerè obtulêre Fidem, Operam, studiumquè; & ob eam causam, in Consilijs capiendis, inter familiares assumpti. Alij, ut Speculatores missi, ad excipiendas voces, timebântur; ne per Simulationem Amicitiæ Arcana proderent. Inter quæ, *Ioannes Gramus* fastidiosè se gessit. *Somersettum obvium vix salutare dignatus est*; ac Jocosis dictis non destitit incessere. Quibus Contumelijs provocatus, ubi datum Secretum, *Regis* genibus provolutus, spretam suam Dignitatem, & dedecus illatum commemoravit. Hoc quoque allegavit, *Inimicos ad perniciem subornatos, usquè in Sanguinem exarsuros, nisi in Ordinem redigerentur*; ex omnibus *Gramum* maximè gloriæ infensum. *Rex* Injuriæ Querelam audijt, & *Grami* Audaciam detestans, ob Contumacem animum, Aulâ submovit; *Somersettum* dejectum Crudelitate Inimicorum, in Solatia etexit, Largitione, ac Promissis; Spospondit què, in Amicorum Commodis augendis, gratam animi Benevolentiam nunquàm defuturam. Mox *Vintoniensem Episcopum*, hominem cùm Ingenio, tùm Doctrinâ excellentem, in Senatum allegit; qui *in Sententiâ Divortij* Industriam adhibuit singularem. Hinc fœda *Præsulis* Suggillatio, manente adhuc Memoriâ prioris Conjugij, & favore *Essexianæ* familiæ, ob Patris egregia merita. *Somersettus*, his Beneficijs in Tranquilliorem animi habitum mutatus, cohibere impetum cæpit; & profiteri, se Benignitati Regis omnia debere; Neque solùm Ingratum, sed Impium habendum, nisi Veterum & recentium Beneficiorum Memoriam, gratâ recordatione coleret; ac intempestivum Dissidium, ab Æmulatione profectum, Communi utilitati remitteret. Intereà *Villerius* sollicitus erat, quomodò *Gramo* Equiti, optimè merito gratiam referret; quippè indignum sibi existimavit, ejus dignitatem collabi, cujus Amicitiâ & Fide Splendorem suum obtinuerat. Quare, quia nullum aliud Remedium erat, *ad Regis Clementiam, & Misericordiam confugit*; Libello deprecans Contumaciæ pœnam. Cum pro ejus salute vehementer laboraret, tandem Orando, obsecrandoquè Delicti veniam impetravit; *Somersetto* ignaro, aut certè invito. *Gramus* reversus in Regiam, in susceptâ causâ, propositâquè sententiâ, ac dissensione Aulicâ perseveravit. Nulla Contumelia, nulla vis, nullum periculum, potuit à partibus *Villerij* depellere. At apud *Somersettum*, Amicorum fides cum Fortunâ nutavit. Multi præsentem fælicitatem secuti, in periculis dilabentes deseruerunt; pauci gentiles, qui sub ejus Auspicijs creverant, in Procellis fidem servarunt, & bona Exempla Constantiæ Posteris prodiderunt. *Robertus Carus, Ancoranus*; *Iacobus Achterlanius*; *Gulielmus ab Alexandro*; *Iacobus Spensius, probatissimi Equites*, dignitatem ejus enixè defenderunt, dùm posset honestè, vereque defendi. *Henricus Gibius*, Interioris Thalami Minister, quem, rerum potens, ad hoc Munus provexerat, parem gratiam in conservanda dignitate retulit; & Altercatione penè servitium amisit; neque summo periculo, à studio & fide ergà eum deterritus est. Ipse interim imminentium Malorum metu, confusus, Æmuli Potentiam, ac Inimicorum libertatem, finè Altercatione prætermisit; & ingruentem fortunæ vim (cujus inevitabilis Sors est) patienter toleravit; ingerens, Rumoribus intactos nunquàm fore, quibus Resp: commissa esset. Sed ex his Nubibus subita Procella, Anno insequenti erupit, quæ florentem fortunam concussit, & summi loci fastigio dejecit. At interim *Villerius* nunquàm securior, Comitante *Nobilium Choro*, ventitavit in Aulam, de cujus interiore Pontentiâ, gratiâ, & fastigio honorum, suo tempore memorabo.

Hâc æstate, *Rex* Silvestrium ferarum *Venationi*, in Agro *Bedfordiensi*, operam dabat. Perlatâ famâ inopinati *Adventus Daniæ Regis*, cum *Carolo Principe*, Juventutis immenso Procerum agmine, *Londinum* venit, salutandi & visendi studio. Post amplexus, & Cæremonias immodicas, *pauca inter se collocuti Reges*. Hic, Proceres *Daniæ*; Ille, Britanniæ, advolutos genibus admisit. Deindè exultantes, Convivia Epularum, hilaritate ac Vino largiore concelebrabant. Per eos dies, nullum genus publicæ voluptatis prætermissum; *Choreæ lectissimarum famularum*, Musico concentu, in Regiâ celebratæ sunt. *medicati ex Sulphure Ignes*, *Tamesi* micuerunt; & *Ludi* totâ nocte, *Certaminaquè Palæstritarum*, multifariàm edita. Hæc Splendoris Regij Spectacula *Danus* lætus accepit; ac humanissimis verbis gratias egit. Quoties *Reges* ad deliberandum secederent, non propalàm, sed in Arcano Consilio deliberabant. *Quid collocuti essent, nihil sciri quicquam poterat*. *Batavi*, certiores facti de Adventu *Daniæ Regis*, pro Maleficijs suis, ab Inimico sibi periculum metuêre, quem Maritimis Injurijs offenderant. Quicquid *Danum* movisset subitum Iter facere, Sciri non potuit. Ubi repetendi sui Regni desiderium cæpit, *Scaphâ Regiâ* deductus est ad Portum, (quem *Gravesendam* appellant) *à Rege, & Carolo Nepote*; pluribus lembis prosequentibus. Ibi *Prætoria Daniæ Regis* instructa, parataquè in Anchoris stabat; & indè dimitti eum placebat. Personabat toto litore, Navibusquè, *Symphonia Tubarum & Tympanorum*; sed *Danus visendæ iterùm Classis cupidine flagrabat*; utquè sibi liceret, petebat. *Rex* Beneficium modestissimis verbis concessit; & ab arctissimo complexu, multo honore dimisit. *Carolus Princeps* hanc sibi Provinciam poposcit; & *Roffam, in Meduanij ripâ* deduxit, inter tubas Symphoniasquè. *Roffienses* obviam ijs prodierunt, Armis & Sagulis fulgentes. Nautæ quoque parati instructiquè, omnis generis Officia præstitêre, Artis suæ Peritiam ostentantes. *Danus* eo die

à Principe

à Principe circumductus, Classem lustravit, qualem nec in *Europâ*, nec in ullâ parte Orbis quisquam 1614. aspexit. Tandem cum *Principem* in digressu salutasset, & prosequentes Comites, Naves conscendit. *Princeps* reducendi Officio functus, redijt.

Per hos dies, *Rex*, ut se nonminùs propitium *Cantabrigiensibus, quàm Oxoniensibus* præberet, *Cantabrigiensem Academiam*, alterum Citerioris Britanniæ lumen, invisit. Jamque Civium destinati Ordines, composito agmine obviam processerunt; *liberalium Artium Magistri, Infulis dignitatum discreti; Theologia, Medicina, Iurisprudentia Doctores eruditissimi, in Purpurâ; Academia Procuratores, Professores Regij; & Academici omnes, habitu Academico; ac graduum Insignibus ornati, advenienti Regi prastò fuerunt.* Postremò ipse *Procancellarius*, ultimus in honorem incessit. Hi *Regem* facundissimis Orationibus morati, laudibus, gratibusquè venerati sunt. *Rex* vultus, frontis, oculorum mirificâ Serenitate, prima salutantium Officia sibi grata indicavit. Inter hanc Pompam, Medius, juxtàque *Princepe*, inter Proceres, Clientesquè Nobilissimos, urbem ingressus, ad *Templum beata Maria* processit; atquè ibi versus in Contemplationem, Numini pro immensis beneficijs gratias egit. Posterâ die, magnificas *Orationes* de semetipso civiliter audivit. Singula Disputandi, Concionandi, gratulandi Munia; & *Iocis refertam Comadiam* commemorare, supervacuum est; quæ genere Jocandi urbano, ingenioso, faceto, *Leguleiorum* Inscitiam, & Arrogantiam notavit; non sinè occultâ *Cooki insectatione.* Tandem Spectaculorum varietate fessus, *Neagoram*, hibernæ Solitudinis Secessum, repetijt. Ubi Anniversariam *Leporum Venationem* celebravit; non aliàs solutior curis Reip:, strepente circum procaci *Venatorum Choro.* Munia Regni adhuc *Somersettus* obibat, in Securitatem compositus; nequè gestu, nequè vultu mutato, sed animo anxius, futuris Casibus obstare non poterat. *Rex* vacuus curis, adeò studio spectandi, ac voluptate captus est, ut rediret *Cantabrigiam*, delectationis causâ: & iterùm *Comadiam* representare juberet; quæ exhibita, *Aulicorum* animos gesticulatione permulsit. *Cantabrigienses, Ludorum Scenicorum Varietate, ac Magnificentiâ, Oxonienses antecessère; quibus Oxonienses, in liberalium Artium studijs nunquàm cessère; Sacra Theologia Contubernales; in omni denquè Disciplinâ pares.*

Jam *à Comadiâ ad Tragadiam transire* placet. *Palmerius Theologia Doctor* promptissimus, *Connubij inter Seymerum & Arbellam Conciliator*, in Turrim conjectus est; ubi vel Tædio Carceris, vel Mentis rabie ac furore conflictatus, aut certò animi proposito, Solâ morte quod peccavisset expiari posse existimans; *ferro per propria viscera adacto, Tortoris vicem supplevit*; & datum à Numine Spiritum, suâ manu eripuit. In tàm fœdo Desperationis, & Impietatis crimine, Mors ejus infamis, qui Animum suum, inter Extrema, ad Mortis & Vitæ Constantiam salutaribus Documentis firmare debuit. *Voluntarias Mortes* Illustrium virorum, *Catonis, Thrasea, Seneca, Ethnici immodicis laudibus celebrarunt*; qui præclarum ediderunt invictæ Fortitudinis, Constantiæquè exemplum. Sed *Christianis* omninò nefas, Juditium vel Periculum *Voluntariâ* Morte prævertere, *& injussu Divini Numinis, de Prasidio ac Statione vita istius decedere.* Ne *Rhasis* quidem *Iudai* laus in *Macabais* celebrata, recepta est. Ipsi etiam *Poëta Christianorum sententiam* confirmant. *Virgilius 6 Æneidos*

> *Proxima deindè tenent masti loca, qui sibi lethum*
> *insontes peperêre manu; lumenquè perosi*
> *projecêre animas*

& Martialis

> *Nolo virum, facili redimit qui Sanguine famam;*
> *hunc volo laudare, qui sinè Morte potest.*

Inter quæ *Batavi, Britannica Societatis immemores, Meritorumq; in Bataviam, Beneficio Libertatis obnoxiam*, navigavêre in *Groenlandiam, Classe Sedecim Navium*; in quam certo Anni tempore *Balana* frequentes appellunt, & capiuntur. *Londinum* cum esset nuntiatum, *Mercatores* magis injuriâ commoti *Ingrati Populi*, quàm Compendij jacturâ, *Classem Quatuordecim Navium* instruunt, ornantquè, *ut Piscatione illâ prohiberent*, & Pyraticum eorum Furorem compescerent. *Angli*, priores in *Groenlandiam* appulerunt. Tardior fuit *Batavorum* Navigatio, Casibus Maritimis. *Navium Britannicarum Prafectus*, conspectâ Classe *Batavicâ*, pro Muneris sui Auctoritate, *admonuit Batavos, ut praeoccupatis à suis Portubus abstinerent, & indè abscederent; ne daretur Pugna Occasio.* Antè discrimen, formido *Batavis* insaniam excussit; auxit Metum alacritas *Anglorum*, Naviumquè agilitas. Igitur *Certamen non ausi, totâ Classe abierunt à litore, Portubusq; Piscatui commodis, quos Londinenses praoccupaverant; jussiquè ad Occidentem Hibernum, & Occidentem Æstivum, Piscationem non adeò copiosam exercere. Cum viderent se qua destinaverant non posse perficere, imperata fecerunt; identidem ingerentes, se Amicos, & Federibus junctos, non meruisse diripi, aut Piscatione in Mari hyperboreo prohiberi.*

Sed ut *Britanni, Bataviquè* redierunt, ex mutuis Injurijs, Odiorum Semina jacta sunt. Nec defuit Occasioni *Didacus Sarmienta, legatus Baticus*; qui in *Batavos* omnis Maritimi *Latrocinij* causam avertit; Plebem iratam, ad vindictam, Cædem, & Sanguinem armat; multa & præclara Nobilitati pollicetur, si *Fiduciaria urbes Iberis dederentur*; Multorumquè animos à *Batavis* alienavit: Secretumquè nactus apud Regem, disseruit, *Batavos Moribus & Institutis efferaciores, quàm ullos Barbaros; violari, Injurijs eorum, omnes Reges Amicissimos; Nationesquè; Existimationem, atquè Auctoritatem Regis, Populiq;*

1614. *Britannici imminui; Mercatores in Oriente, Occidenteq́, vexari, spoliariquè; Orbem Terrarum ab Armis, finè Batavia Clade, nunquàm conquieturum; unicum in terris Remedium superesse, si Oppignorata Urbes Philippo traderentur.* Hæc falsa, atquè insidiosè ficta, non relata solùm, sed pene credita. Undè *fama emanavit de reddendis Philippo* Urbibus. *Batavi* haud ignari ipsis Pestem ac Perniciem imminere, & cæteris Provincijs arctiorem Servitutem, *si Pignoratitia urbes Vlissinga, Brilla, & arx Ramecana hostibus traderentur*; Potentissimos Aulæ Proceres, precibus ac Donis, aggressi sunt; & postulare cæperunt, *ut repræsentatâ Pecuniâ, qua Pignoris nomine debebatur, fiduciaria urbes bonâ fide restituerentur.* Rex verò Largitionibus exhaustus, *de Restitutione Vrbium* cum Primoribus Senatus egit, Pars Procerum *Batica factionis*, de Damnis datis, & atrocibus Injurijs adversùs *Mercatores* perpetratis disseruerunt; & *Batavorum* Postulationi maximè infensi fuerunt. *Vinvodius, ab Epistolis*, haud dubiè *Batavorum Partis*, manente Memoriâ Legationis, *in Arcano Consilio disseruit, de vetustâ Societate belli; Iure urbium; & Sanctissimis Pactis, in qua conventum fuerat:* Urbes Philippo potentissimo Regi, salvâ fide, ac integrâ dignitate tradi non posse; *multò minùs, cum Securitate, aut utilitate publicâ; nisi Bataviam*, Maris Dominam, & liberorum Populorum Arcem, *sub Imperium, Ditionemque Baticam pervenire vellent; aut Iberorum opes augere; ac publicam fidem prodere.* Quoties res postea acta est in Senatu, semper à Senatu *probata est causa Batavorum*. Inter Paucos, *Penbrochius*, homo & animi generosi, & singularis Prudentiæ, Neutram Sententiam probavit, & Regi Author fuit, *ut Pignoratitias urbes, ad refrænandam Batavorum licentiam, retineret*; sapienter prospiciens, quid Licentiæ, vel potiùs Audaciæ, feroci Populo Restitutio adderet. Melior certè ista sententia judicanda; aliorum Consilijs à communi utilitate aberrantibus. At *Vinvodius*, cæteriquè ejusdem Factionis, *Largitione & Promissis præoccupati*, prævaluerunt; adjuti *Somersetti* gratiâ; *ut Vrbes, solutâ pecuniâ, Batavis, antiquis dominis redderentur.* Qui, impetrato ad Solutionem die, bonâ fide Pecuniam reddiderunt. Hanc *Restitutionem* subsecuti sunt rumores Multitudinis ambigui, qui præcipuè *Vinvodium incesserant, ut Authorem perniciosi Consilij*, ex quo deteriora posteà orirentur. At is, *hâc causâ Belgicâ exceptâ*, cæteris in rebus Reip: Consilium suum, fidemquè approbavit. *Batavi lætantes, Præsidium Anglorum urbibus deduxerunt; & ex suis imposuerunt*; multò sese jam tutiores arbitrantes.

Sequentibus indè diebus, non veriti Majestatem Imperij Britannici, *Pannos tinctos ex Angliâ advehere prohibuerunt; quod Interdictum, Imperij nostri, & Opum fundamentum concussit; cum Panni per Germaniam, & finitimas gentes non distribuerentur; quibus Vectigalia publica, & privata opes nostra creverant.* Damnandi certè *Rustici rigoris Batavi; qui quantum Regi, Populoquè Britannico deberent, obliti sunt.*

Eodem ferè tempore, *Thomas Rom*, Equestris Ordinis, *ad Mogorum Regem legatus missus*, rebus quæ ad Mercaturam exercendam pertinebant, procurandis; eiquè è communi Mercatorum pecuniâ *Salarium* constitutum. Qui plures ibi Annos commoratus, cum Rege Amicitiâ, societatequè initâ, ex usu & utilitate Civium, legatione functus est; impetravitquè, *ut ad Mogorem litora, Britannica naves, ad Mercaturam exercendam* appellerent. *Mogoris Regnum* latissimum est, *inter Indum & Gangem* (ut suprà commemoravi) cui plurimi Reges parent; *& Aromatum Tributa* quotannis pensitant.

Hoc Anno, *Thomas Midletonus, Natione Camber*, in Præturâ suâ urbanâ, plurimùm Auctoritatis habuit. Ejus facta complura, & memorabilia, in coercendo Luxu Civitatis, *Popinis, & Stupris*, extiterunt. In *Basilicâ* Urbis laxiorem exædificavit Cameram, *Senioribus Civitatis*; propter prioris angustiam; pecuniâ publicâ in eam rem decretâ. *Tamesis Alveum* detergendum curavit, effosso Aggere, & Palis erutis; intempestivam *Piscandi Licentiam* cohibuit; & Jurisdictionem in *Piscatores exercuit, à Ponte Civitatis, ad Meducia Confluentem.* Fuit diu inter *Præfectum Maris, & Londinensem Civitatem, de Iurisdictione Tamesis summa Contentio; cum Cives Iurisdictionem suam esse, Diplomatum Beneficio assererent; Præfectus verò Maris, fluminum Æstuaria ad Maritimam Iurisdictionem revocaret.* Nec ullâ ratione fieri potuit, ut *Præfectus Civitati, aut Civitas Præfecto*, quicquam de *Iure suo* dissolutè remitteret. In hâc Altercatione fuêre complures Anni consumpti; quæ superiore Anno, Disceptatione Juris sedata est; & *Carolus Havartus, Præfectus Maris*, splendori honoris par vitæ Magnificentiâ, summâ virtute & Humanitate, *Iurisdictionem Tamesis in Ioannem Suinnertonum Prætorem, Civitatis nomine, transtulit:* quo facto plurimum gaudij Urbi attulit. Hanc deinde Consuetudinem exercendæ *Iurisdictionis* in flumine, *Prætores* Quotannis secuti sunt; Senioresquè Civitatis, in Cymbis lætitiâ ovantes, Ludisquè, & Epulis. *Rex* verò *Thomam Midletonum*, propter ejus summum in Civitatem studium, singularemquè Industriam, *Balteo Militari*, & debitis laudibus ornavit.

Insequenti Hyeme, in contrarium Anni tempora versa, *Hyems Serena*, ac tanquàm Vernâ temperie; adeò ut Hybernis Mensibus, *Avium alta Nidos ponerent; Alta Pullos educarent.* Ver è contrà Nive sævâ, Brumali Pruinâ, & omni tempestatum genere hibernavit. Tantus, tamquè perpetuus Rigor fuit, ac adeò *alta Nives*, ut Pecora frigore obriguerint; Iter facientes, conflictati *Nivium* Altitudine, vitæ discrimen adierint. Itaquè Nive solutâ, *insolita Alluvio* subitò secuta est, ut non modò *Valles demerserit, sed Vicos, Villas, Arces, & complura loca funditùs everterit; homines & Armenta oppresserit.* ambustæ frigore Arbores frugiferæ, & Arva intolerabili tempestate turbata, angustiorem Proventum habuerunt: *Mercatorum Navigatio conquievit.*

Desinente

Desinente Anno, *Henricus Haoartus*, *Northamptonia Comes*, cui Nobilitas & Splendor *Norfolciana* 1614. familiæ, ingenium par, adversâ valetudine afflictus, vitâ functus est, *meliore Literaturâ*, quàm famâ; quippe ingenio suo abusus, & ad pernitiosam *Assentationem* prolapsus, *Professionem Liberalium Artium Adulatorij dedecoris infamiâ fœdavit*. Is moriens, Charitate Invidiam Civium mitigavit. *Arundeliæ Comitem*, spectatissimum Juvenem, propter Propinquam Cognationem, hæredem reliquit. Ita Nomini, Generiquè Majorum consuluit. *Ptochodochia, sivè hospitales Domos tres construxit*, in Pauperum usus; quibus Reditus opimos, & Agros fertiles donavit; & pias aliorum *Procerum* mentes, ad Christianæ Pietatis Monumenta, bono exemplo, accendit. Rumor intereà, defuncto infensum *Instaurata Ecclesia* animum objecit; & perstrinxit, cum Maritimam *Cantij Oram* Imperio teneret, *Iesuitas & Sacrificulos* applicare impunè permisisse. Credo eum *à Pontificiâ Religione* non abhorruisse; quàm, tempore *Elizabetha*, ferventiore studio secutus est. Tradidêre quidam *Romæ sepultum*, antequàm falsi convincerentur, & in *Fano Doverensis Castelli*, humatum constaret, cui præerat.

Ad hunc modum rebus in *Citeriore Britanniâ* administratis, in *Vlteriore* ad suorum laborum fructus pervenit. *Catharos acerrimos*, aut ita domuit, ut quiescerent; aut ita pacavit, ut Imperio *Præsulum* parerent, & Anctoritati cederent; aut ita subegit, ut Solum verterent. *Acerrima Tela Tribunitiæ Potestatis ademit; ac Iuvenes temerè balbutientes, consideratius loqui assuefecit*. Ecclesiâ metu liberatâ, & *Catharorum petulantiæ fræno injecto*, Reip: statum firmavit; leges Regni, quarum potestatem fidei suæ Numen commisit, firmas atque stabiles conservari jussit; Populi luctibus subvenit; monuitquè omnes Magistratus, tàm Militares, quàm Civiles, ut Cædes, lattocinia, Direptiones bonorum, persequerentur; legitimaquè Reis irrogarent supplicia. Qui infinito labore suscepto, Solitudines, & Sylvas peragrarunt; Lattonesquè ita domuerunt, ut vix exstarent. Placuit quoquè *Regi*, affluentem Senatorum numerum ad certam mensuram contrahere; & sapienter cogitavit, *jam indè à Principio Imperij Britannici, Præfectos Iuridicos hæreditarios, Annuos efficere*. Namquè plurimum *Hæreditario illo Munere* in Remp: Iniquitatis, Oneris, & Damni irrepserat. Itaquè sedulò consultavit, quomodò posset laboranti Reip: hâc in re subvenire? & fermè supervacuè. *Quia Comitiali Anctoritate, Præfecturæ Provinciarum Patrimoniales sancita, nisi publico Ordinum Decreto, revocari non poterant*. & ibi Proceres intercedere obstinatè voluerunt, *Præfecturas perpetuas, Annuas fieri, sinè lege, sinè More, sinè Exemplo*. Quare aliam viam aggressus, multos beneficijs in suam sententiam perduxit; qui, communis utilitatis causâ, *Præfecturas reddiderunt; quas Annuas fieri decrevit*. Alij Obstinatione quâdam Beneficia repudiarunt; quàm Sapienter, non arguo. Alij flagitijs se suasquè familias perdiderunt, & *Provinciarum Præfecturas*, Majoribus datas; quæ in Fiscum redactæ, *Annua* decretæ sunt. In hoc Negotio tardius susceptum Reip: munus explevit; & *Orcadum Præfecturam Annuam effecit*; Quippè Comes accusatus, quod *Cracooiacam Arcem* contrà Regem muniendam curasset; eamquè non dedendi, Notho, & Præsidiarijs Author fuisset; sub specie Vectigalium, leges Servitutis Insulanis imposuisset; & Bonorum acerbam, atquè indignam Direptionem exercuisset. Reus, qui Cives Injuriâ affectos, spoliatos, & in vincula conjectos, negare non potuit, *Procerum* Suffragijs damnatus; Bona in Fiscum redacta. *Rex* memor Stirpis, Carcere coercere ferocem virum satis habuit. Verùm, Odium *Somersetti* ei exitio fuisse creditur; ut in amplissimum Patrimonium, & fructuosissimas Insulas succederet; ignorans suam Potentiam à tenuissimo fortunæ filo pendere. *Comes*, Morte propositâ, ad Clementiam Regis confugit; ut ignosceret, oravit; at aliquam parvam Moram supplicij assequi non potuit. Mox in *Foro Edinburgeno*, coacervatâ Multitudine Civium, Supplico affectus, ac necatus est; Circumstantium summâ mæstitiâ, & dolore.

Intereà, dum hæc in *Britanniâ* geruntur, Bellum in *Belgio*, vacuo ab omni Suspicione periculi, renovatum. *Mathias Imperator*, *Aquisgranum*, *Vrbem Imperij*, *Inditio atquè Anthoritate suâ proscripsit*; & Executionem acerbissimæ Proscriptionis *Alberto Fratri* permisit. Bellum hoc *Ambrosio Spinolâ Imperatore* gestum est. Qui hâc Æstate, eductis in campum omnibus Copijs, circà *Aquisgranum* posuit Castra; urbem Obsidione cinxit; per Colloquia, Civium & Magistratuum tentavit animos. Quia Urbem nullum tenebat Præsidium, magnus pavor, ac tumultus, ut in re improvisâ, Oppidanos invasit. Ubi se non pares esse *Iberis* senserunt, intrà paucos dies, *Conditionibus Deditionem fecerunt*. *Spinola* cum Civibus rem esse cernens, *aggredi Vesalam* summâ vi statuit; præmissis Legatis, Tribunisque legionum, *qui tradere urbem juberent*. Responsum tulit, *Cives nihil nisi ex Batavorum Decreto facturos*. Sed cum *Iberi* majore vi Mænia aggrederentur; Oppidani metu perculsi, dicto paruerunt. Ita *Spinola Vesalam, & Aquisgranum, Batica Ditionis fecit*, Imperatorij Juris obtentu; & Imperio parere assuefecit. Indè ad *Vrbes, Vicosquè Iuliacensis Ducatus* penetravit; ut *Neoburgico Comiti*, *Marchionis Brandeburgici Adversario subveniret*. Influentes *Germanorum* Copias repressit; *Duisburgo* Præsidium ex suis imposuit; & totam Provinciam in suam Ditionem redigendam esse duxit. *Mauritius compertâ Conjuratione Iberorum, cum Decem Millibus Peditum, & Tribus Equitum, ad Skinki Propugnaculum, Rheno devectus. Copias exposuit; & sinè trepidatione instruxit; Agrum Iuliacensem peragravit; Embricam obsedit, & in potestatem redegit. Motus indè Signis, Rhesam, in Rheni ripâ, per Colloquium capit*. Reliquum tempus belli curâ absumpsit. Haud procul *Spinola Castris*, in ripâ Rheni, stativa habuit. Quâ se repressit impetum hostium, cum magnâ laude suâ.

Igitur velut necessariâ re coactus, *Rex Britanniæ Henricum Vittonum legatum, in Belgium, ad bellum*

1614. *ibi dirimendum inter Spinolam & Mauritium, misit.* Venienti *Vittono*, *Betunius Francici Regis legatus*, qui paulò antè venerat, obviam processit. Ambo ultrò citròque Conditiones Pacis proposuerunt. *Brandeburgici Electoris, & Neoburgi Comitis, de Iuliacensi Ducatu controversias, summâ cum Concordiâ* composuerunt. Sed *Pekius Archiducum Orator*, omnes Pacis rationes turbavit, & à studio Contentionis deduci non potuit; quæ res auxit Suspicionem *Spinolæ* voluntatis. Laboratur vehementer; sed *Pekius* nec precibus, nec Monitionibus reliquit locum. Indè *Vittonus* Regem certiorem fecit, *nullam Spem Pacis esse.* Literæ mox datæ ad *Archiducem* perferendæ; cum summâ testificatione Officiorum, & Amoris sui. Quæ in eam Opinionem eos adduxerunt, ut Pacem cupere viderentur; & in cæteris rebus, *Iuliacensi causâ exceptâ*, convenirent. Res agitur per eosdem Legatos, per quos antè agebatur. *Pekius, Archiducis legatus*, apertè Malevolentiâ oppugnat; & in Contumaciâ perseverat. Hoc ubi *Regi* nuntiatum est, *ad res Belgicas capessendas se præparat*; Naves ornat, Lustrica Popularium certamina instituit; è dignitate suâ existimans, *Populum afflictum, semel in fidem receptum, non sinere perire.* Sed & propior dolor Regis curam sapienter acuit, *Potentia Hispani invisa, suspectaquè Vicinis omnibus, & maximè timenda Britannico Imperio; Francicâ Affinitate coalescente.* Nulla *Batavis adversùs Hispanum, nisi in Britanno spes*; eum hortari, & orare cæpêre, ad bellum in *Iberos* capessendum. Ille non suæ Pietatis ratus est, *Christianos in Christianos armare*, si Se Reconciliatore uti vellent; operam & studium suum pollicitus, Arma denegavit. Hyemis sævitia bellum diremit. *Hispani*, abducto exercitu *Vesalam*, *Aquisgranum*, & complura Agri *Iuliacensis* ignobilia Oppidula, suæ Ditionis, reliquerunt; Bæticumquè Præsidium imposuerunt. *Mauritius Embricam, Rhesam, Gothum, Gennepum, & Caltar, Ditioni Batavorum falicissimè adjecit; scelus & Perfidiam Iberis exprobrans, qui Induciarum tempore lacessierant.*

1615. HOc Anno, inter *Somersettum & Villerium* infensa Æmulatio pertinacius exarsit. *Rex* adhuc Pervicaciam *Somersetti* simulatione texit, commemoratis plurimis in eum Beneficijs. *Villerium*, in Thalamum interiorem adscitum, *Equestri gradu* ornavit. Celeberrimi *Proceres* in utriusquè vultum intenti, in Altero, fiduciam sui; in Altero, ingenitam Arrogantiam observarunt; arripueruntquè indè Conjecturam, ut Amicitiæ *Villerij* magis fiderent; qui Amicos & Clientes comiter excepit; *Proceres* in honore habuit, traxitque in Partes. Prudentiores futurum exitium evidentibus signis cognovêre; quippè *Somersettus* præferox, contemptior indies, atquè invisior evasit, Acerbitate naturæ, & intolerantiâ Morum; nequè ultrà obstare Æmulo aut obtrectare ausus est. *Villerius* contrà, tenuissimo cuiquè Salutatione redditâ, auxit quotidiè hominum studium, & gratiam, Suavitate sermonum, & Facilitate Morum, undè plures *Villerij* studiosi; prout Amor, Odium, Spes Potentiæ, Metus, aut rerum privatarum ratio, quemquè impellebat. *Somersetto Havarti fautores aderant; Villerio, cæteri ferè omnes Proceres.* Fama verò Discordiæ, inter Factiones tàm potentes, variam sermonum materiem præbuit. Sed *Somersettus* præcipuâ apud *Plebem* flagravit Invidiâ, non sinè occultâ insectatione *Mortis Overberianæ.* Qui ut Inimicorum sermonibus occurreret, & invidorum Calumnias compesceret, *Regem* impensissimis precibus orare cæpit, *ut gratiam Criminum faceret; tamquè Diplomate suo, cui Magnum Sigillium appenderetur, confirmaret.* Nec multò post, Diploma confectum, *& verba adeò generalia hominum Nocentissimorum inserta, ut Sapiens Prætor è dignitate suâ non duceret, Abolitioni sigillum appendere, nisi ad certa Delicta specialiter restringeretur.* Vastus animus Contumeliæ insolens, eâ Conditione recusavit. Quo facto *Prætorem* exacerbavit; atquè inimicis faciliorem Occasionem præbuit, evertendi florentem Potentiam. Varia quoquè Omina, exitium ei portenderant. *Die festo D Georgij*, in Anniversario Convivio, *Polibrum, de More,* (oblitis Ministris) *non est appositum. Arthurus Ignoramus*, qui, Soceri beneficio, in locum Aulæ honorificum irrepserat, exutus, & Officio dejectus est. Aucta etiam indies Suspicio Cædis. Unde non tàm Metu, quàm discrimine, anxiam vitam degebat. Nequè *Nox secura*, nec tranquilla Quies; cum Suspiria Uxoris, flagitij Conscientiâ, erumpentia audiret. Intereà *Rex Fentonum, Præfectum, Villerij studiosiorem; & Naulesium*, Havartis Affinitate connexum, *Periscelidis Ordine* exornavit; ut ex æquo agere videretur. Qui ab *Aulicorum Primoribus*, & Splendidissimo quoquè Equestris Ordinis, *Vinsoram*, specie Triumphi, deducti sunt, propè æquis Partium viribus; *Havartis*, cum Amicis & Clientibus, *Naulesio* adjunctis; *Villerij* autem fautoribus, sc *Fentono* aggregantibus. Ea res ægrum *Somersetti* animum, aliquâ ex parte, erexit; quod à Rege se nondùm desertum crederet. Aliter patuit ijs, qui *Principis* animum altius specularentur. *Villerius*, spe objectâ Principis loci, erectum & fidentem animum ostendit; & pro nihilo habuit Æmuli Indignationem; adversæ factionis Potentiam fractam probè sciens, ac haud procul exitium.

Per idem tempus, *inditium Necis, casu fortuito, erupit. Thomas Overberius*, diu Comiti percharus, (ut suprà retuli) mox graves inter eos Offensiones exarsêre, quia flagrantem cupidinem, à *Nuptijs Franciscæ Havartæ*, alij Matrimonio obstrictæ, deterruerat. Mulier ferox, Occasione ultionis oblatâ, molestum Interpellatorem *Veneno aggressa est*, per Ministrum quendam Custodiæ appositum, cui nomen *Ricardus Vestonus*; *Venenîq, curam Annæ, Viduæ Turnerij, Arte Medicinæ probati, cuicunq, flagitio prompta, mandavit.* Magnum præmium pro navatâ Operâ promisit. Cuncta hæc Taciturnitate cohibita. Fortè ijs diebus, *Salopiensis uxor*, ob contumacem animum, & inconsultas voces, Turri attinebatur.

attinebatur. Ubi allicit, & attrahit ad Amicitiam *Præfecti Turris Conjugem*, incautam, & Insidijs opportunam: ac secretum nacta, aperit. Quæstus suos, Havartorum Injurias; Invalidum legum auxilium; Desiderium Vindictæ, si Occasio daretur. Multi ultrò, citròque Sermones habiti *de Overberij Morte*, & Vulgi Suspicionibus. Tandem, *Præfecti Vxor*, quæstu incensa, *Overberium Veneno* interemptum aperit, jussu *Francisca Havarta*; Servum Custodiæ appositum, ad scelus corruptum; Mariti fidem tentatam; cui aut Præfectura amittenda, aut Conscientia flagitij subeunda; & sceleris occulti Ordinem orditur; nec Nomina Auctorum reticet; Ignara, quod causa exitij Marito foret, ac salutem ejus proderet. Tum *Salopiensis*, Colloquium Mariti exposcit, magnum & atrox facinus comperisse dictitans. *Comes Vinvodium à Secretis*, Consilio adhibuit; in Turrim perrexit. Illa, remotis arbitris, *Vinvodio*, præsente Marito, aperuit ferociter *Francisca Havarta* scelus; & cuncta quæ audierat. Quoniam *Somersetum* nondùm Inditio nominatus, *Vinvodius* fortè tunc infensus ei, (ut memoravi) privatâ de causâ, nihil ad eum opprimendum prætermisit; scelus ex occultis Tenebris in lucem traxit; & Indirium aliquamdiu occultavit. Verùm, ubi pernotuit Ordo Sceleris, ivit properè ad *Regem*, & rem criminose detulit; Ordinemquè Indicij exposuit, quæ delata primùm, quæ deindè à se singulari curâ inquisita essent. Censuit autem *Rex, ut Cocus rerum Criminalium Iudex*, eam rem quocunque discuteret modo; Participes Facinoris conquireret; comprehensosquè ad Quæstionem servaret. *Viuvodius* indè ad *Cocum* se confert; ac ex Auctoritate *Regis*, arbitris remotis, ad eum rem defert. Ergò accitus *Vestonus*; interrogatusquè, de Cæde, & Quid Consilij cum Socijs habuisset? Cnncta dissimulavit; sed dissimulantem coarguit *Vinvodius*. Tùm cuncta patefacta credens, Ordinem sceleris expromit; Sequè Ministrum fassus, in Carcerem rapitur. Paucis interjectis diebus, *in publico urbis Prætorio* postulatur; ubi Seriem facinoris, Ministerijquè sui exposuit; *Overberium Veneno lento, ac tabido necatum*, ad occultandam facinoris Invidiam; *& in Placentâ Virus datum*: Multùm incusatâ *perfidiâ Turneriæ, quæ Venenum paraverat, dilueratquè; & Franclinum consceleratum, talium Artificem, Socium acciverat.* Consensu *Parium* damnatus est; collataquè in Scripta Confessio. Mox *Cocus* recordatus, *Vestoni Inditio Turneriam, ex Catarina Havarta intimâ Sodalitate, & Franclinum infamari*, extemplò misit qui comprehenderent, & inopinantes opprimerent. Adductâ *Turnerâ*, Judex de *Overberij Morte* sermonem instituit. Orat deindè, atquè obsecrat, *ut flagitium expromeret sibi, ac Necis Conscios ederet; si verum dicere induceret in animum, paratam Veniam, & clementiam.* Id ubi audivit, perturbata metu, *negavit se quicquam scire.* Judex accensus Irâ, ait eam cavillari; nihilquè profuturum Silentium, si coarguatur ab alio, *Catarina Havarta Illecebris imbuta perpetrasse facinus*; & paventem à se dimisit. Tùm cognito *Vestoni* Inditio, Mulier haud dubiè rata eum omnia exposuisse, pavore, tremorequè *Conscientiam Sceleris testata est.* Dimissâ *Turneriâ*, cum Custode; *Franclinus* accersitus, & in interiorem ædium partem abductus, *interrogatusq; de Cæde*, rem, uti gesta erat, enunciavit; *sequè Socium à Turneriâ accitum, inter Ministros occidendi Overberij.* Idipsum Judex laudat, *quod se Reum non inficiaretur*; *urgetquè, ut Conscios, pari fide, expromeret.* Ille negavit se ultrà quicquam scire. Indè Judex sermonem de *Præfecto Turris* infert, qui nondùm ab Indicibus nominatus; interrogatquè, *an gnarus Cædis?* Respondit, *Vestonum plura scire quàm ipsum; qui Internuntius inter Turneriam, Præfectumq; erat.* Arrepta hinc suspicio, correptusquè ut facinoris Conscius, *Gervasius Elvisius Præfectus Turris.* Peracto Indicio, *Turneria* coràm Tribunali Regio ad causam dicendam sistitur; *& Veneni Crimen* violenter objicitur. Prolatæ *literæ Havartæ, quibus imperaverat Virus; & de genere Veneni consultaverat*; Impunitatem, & præmia pro navatâ operâ pollicentes. Producti Testes, iterata Testimonia, & repetita, *Vestoni, ac Franclini*, cum Ambo in potestate essent; illa tamen obstinatissimè *in Negatione, Inficiationeq; facti perseveravit.* Perlectæ tùm publicè literæ, *quibus Præfectum Turris monebat, ut à Placentâ caveret, si Saluti consuleret.* Perlectis literis, expositoquè Inditij ordine, flagitij convicta. Deindè defertur *Franclinus, Magicis Artibus famosus*; & Accusatio pari Eventu peracta. Undè *Cocus* commotior, nunquàm deficiente materiâ, citat *Elvisium* ad causam dicendam, quod sciret Crimini datum. *Reus* Conscientiam Sceleris tàm atrocis diluere non potuit; sed Infælicitatem suam detestans, *Sibi perniciem periudè demonstravit, seu proderet facinus, cum Havarti rerum potirentur; seu reticeret*, Damnatusquè est ut sceleris Conscius. Peractâ Accusatione, minores sceleris Ministri, in locum publicis supplicijs sèpositum rapti. *Vestonus Crate tractus*, multiplici percunctatione Nobilium vexatus est. Multi Equites Clari, *Sacuillus, Hallesius, Venvorthus*, novitate sceleris attoniti, & rem propè incredibilem rati, eum hortantur, *ut Nodum hujus facinoris exoluere vellet*; interrogantque *de Conscijs, de Veneno, Vbi, & per Quem datum.* De *Turneriâ* primùm fatetur; quæ pro operâ Impunitatem & præmia promisit; adijcit *Franclinum, Venenarium, facinoris magis gnarum; sequè Ministrum Sceleris, non Authorem; nihil ampliùs scire.* *Francisca* nondùm à conscijs nominata fuit, sed Author diu ignorari non potuit. *Præfectus* Juris jussit, *ut Percunctationes omitterent; & lege ageretur.* Tum jussam pænam subijt. Ubi hæc Vulgi rumore relata, non multò post, Equites in *Camerâ Stellatâ*, Juditio Procerum mulctati; quod morientem *Vestonum* curiosis interogationibus fatigassent. Mox reliqui periêre. *Turneria*, Pænitentiâ ex Maleficio subeunte animum, Veste obsoleti coloris induta, obvoluto Capite, Supplicium subijt; incusans infamem Ævi in Cultu, Ornatuquè corporis luxum. *Elvisius*, in Areâ Turris, cujus quondam Præfectus, Supplicio affectus est. Fit gemitus Civium, & Clamor miserantium Casum Splendidissimi Equitis, *ob Conscientiam Sceleris*

1615. *propè Necessariam damnati*; ac Indignantium, Authores Vitâ, & Impunitate frui. Extincto *Præfecto*; Uxor ejus semet incusavit, quod causa Necis Marito fuisset; haud ambigitur, Inconsiderantia, ac Loquacitate, Perniciem ipsi, Conjugiquè allatam. Nec multò post, *Franclinus, Venerarius*, ordinem facinoris, Ministerijquè sui confessus, *in Mercurio sublimato, Pulvere Adamantino, Offâ Bubonum*, è Carcere ad Supplicium productus est; minore Plebis miseratione. Tradidêre quidam, cum *Venenum* Opinione tardius sortiretur effectum, *Overberium, injecto stragulo in caput, faucesquè Spiritu intercluso, strangulatum*. Sed *Veneno* sublatum convenit, *dato in Placentâ medicatâ*; *aut immisso, per Clysterem, Mercurio sublimato*.

Porrò *Cocus* Quæstionibus perfectis, ac *Somersetto, cum Conjuge*, in tanto scelere deprehensis; Accusationem incipere non ausus, *ignaro Principe*, consulendum suprà eâ re statuit. Fortè illis diebus, *Roystonum petiverat Rex*; quemadmodùm consueverat temporibus hybernis. Eò usque pervectus, *à Regepetijt*, ut sibi alloquendi potestatem faceret. Permisso aditu, exposuit, *Overberium Veneno interemptum*; *Somersettum, cum Conjuge, Conscientiâ nefarij sceleris illigari*; *pænam illorum sibi Invidia, Infamiaquè fore. Quarè postulavit, ut Quæstionem Senatui eâ de re mandaret*. Sed ubi Crimen, & *Authores* nominavit, *Rex* perturbatus Sceleris novitate, *jussit ut anxiè inquireret*; *& Interfectores ulcisceretur, si facinoris coarguerentur*. Aderant Arbitri sermonis, qui *Somersetto* nuntiarunt, *argui eum Necis Overberiana*. Quo ille Nuntio, atquè animi Conscienriâ permotus, *Regem adijt, palàmque de Coci Injurijs questus est. Innoxium se rei Capitalis argui disseruit*; *ac ultionem in Delatores ferociter flagitavit*. Rex, postquàm Crimen, & Authores exposuit, ac famam apud Civitatem perpetratæ Cædis secretò castigavit; monuitquè prudenter, *si consideret Innoxium se argui Cadis*; *iret properè ad Causam dicendam, purgaret suspicionem Homicidij, ac fama sua consuleret*. Ita Judicium subeundi Author fuit, ne subtracto Reo tàm nefandi facinoris, *Iram Plebis* in se converteret. Quâ adhortatione adductus, & se non aliter liberari Sceleris Infamiâ cernens, *Aleam Indutij experiri constituit*; unicum relictum Remedium. *Rex* genibus advolutum à se dimisit; *digredientemquè hilarò prosecutus, bono animo esse jussit*; *& ex suâ Amicitiâ expectare Incolumitatem, gratiamq́, si affinis Noxa non foret*. *Cocus* ad incæptam Accusationem peragendam *Londinum* perrexit. Ubi confirmato animo, *vocari ad se imperavit Comitem, Conjugemq́, ac in Custodiam tradidit*, donec Quæstiones à Senatu perficerentur. Ille *Montano, Decano Vestmonasteriensi* traditur. Illa apud *Naulesium Vicecomitem*, qui Sororem ejus Matrimonio sibi junxerat, asservatur. *Comiti* Custos appositus *Oliverius Sanioannes*, ex Equestri Ordine, qui in Ædem *Decani* deduxit; *& vanitatem Concionis, ipso Nuptiarum die, à Decano habita*, hoc Textu (*Ecce homo*) sæpè repetito, in modum laudantis, gratulantisquè, facetè perstrinxit; *dicens Montano occurrenti, Ecce homo, qui factus est sicut unus de nobis*. Exin *Plebs*, Scelere patefacto, gaudium lætitiamquè agitabat; rerum Criminalium Judicis Providentiam laudibus efferebat; Comitem, Conjugemquè execrabatur, validiores gratiâ dictitans, quàm ut Pænâ afficerentur. Post paucos dehinc dies, deducta in Senatum *Francisca Havarta*, in Perniciem Mariti nupta, *interrogatur minaciter de erepto per Venenum Overberio: de literis*; *postremò quid cum Turneriâ, nuper Veneficij damnatâ, Consilij habuisset*; jussaquè quæ sciret effuntiare, *cuncta abnuit*; *Confessionem Ancilla eludit, Cocum omnibus verborum Contumelijs insectans, Savitia arguit*. *Somersettus*, ad Senatum adductus, interrogatusquè, *objecta denegavit*; & quamvis Reus, inter Senatores *pro Innocentiâ* disseruit. Cum non satis exploratum facinus videretur, *Senatus* Quæstionem, extrà Ordinem, mandavit *Apolectis* integerrimis, *Pratori, Levinio Zouchio, Coco, & Vinvodio ab Epistolis*. Qui rem singulari curâ investigarunt; ac ad Senatum detulerunt. Mox *Proceres censuerunt, Reos Criminis manifestos, in Turrim mittendos*; *honore omni, & Potestate privarunt*. Datum deindè *Georgio Moro, Equiti nobili, in Elvisij Prafecti locum suffecto*, negotium, ut intentiore eos Custodiâ asservaret. Igitur *Francisca* inditur lecticæ, additâ Militari Custodiâ, cum Spiculis, ne Vulgi acrior vis ingrueret; aut ejus manibus discerperetur. Etsi in tuto fuit Præsidio Satellitum, tamen Contumeliosis *Plebis* vocibus excepta est, varijsquè Convitijs. Mox ductus est in Carcerem *Maritus*, non minore *Plebis* Invidiâ, ob Potentiam arroganter habitam. Cum proficisceretur, *Robertum Cotonum*, fidum Equitem appellat, *& Arculam gemmis, ac literis refertam*, ei commendat; defertur & Pecunia, Argentea, ac Aurea vasa, quanta clàm deferri poterant.

Catarina, Conjunx Suffolcij Quastoris, & Somersetti Socrus, infamata magis crebro rumore Vulgi, quàm convicta, infaustum filiæ Matrimonium tùm demùm introspicere cæpit, ac Fortunam suam. Accesserunt aliæ mordacis Sollicitudinis causæ, increbescentes indies rumores mali; probrosa de se, ac filiâ Carmina; deformia Convitia. Ergò in longinqui ruris Secessus se contulit; ut Invidiam, Ignominiamquè Cædis à se quàm longissimè averteret. Ubi non privatam modo, sed trepidam egit vitam, non tàm Metu, quàm discrimine anxia.

Cocus, huic Cognitioni, per multos dies, intentus, Civiles Regij Tribunalis Actiones prætermisit, *ut Comitem, Conjugem, Socrum*, postremò familiares, atquè Notos persequeretur; *Authoremq́, nefanda Cadis protraheret*. Evocavitque in Suspicionem facinoris *Thomam Monsonum*, Equitem Illustrem; ejusquè fratrem, *Gulielmum, Regiarum Navium apud Doroberuam Prafectum*; *utrumquè Suffolcij intimum*. Citatus *Thomas* ad causam dicendam in Curiâ Civitatis; objectaquè atrociter Conscientia sceleris. *Cocus* omnibus verborum Contumelijs *Reum* insectans, in verba stolida ac vana erupit; dicere ausus, *nunquàm tantum malum in Rep: fuisse*; *nec ad plures pertinens*; *gravioremquè Conjurationem hanc*

Sulphureâ

Sulphureâ Proditione; qua flatum totius Regni convellere tentaverat. Quâ Oratione maximè apparuit, delirum Senem furialibus stimulis concitatum, nimium terroris offundere Multitudini. *Reus* in mediâ Curiâ defensionem orsus, *Innoxium se rei Capitalis argui; eantâ vocis ac vultus Securitate, perstitit Innocentiam suam tueri, ut Crimen labaret, & verba irati Iudicis, pro irritis haberentur.* Proindè comperindinatus est Reus, ac tandem Innoxius repertus, Judicis majore dedecore, quàm sui discrimine. 1615.

Deindè *Robertus Cotonus*, egregiâ famâ Eques, in Custodiam traditus est; *cui Somersettus Artulam tum Margaritis; & literas dederat*, quam ille inconsultè Mulieri, Stupro cognitæ, servandam mandaverat. Ergò accita Mulier, *interrogatur de Scrinio, & Literis.* Quæ Vitæ diffidens, prodere rem, quàm periclitari ipsa maluit. *Cocus* cunctâ edoctus, *Scrinium cum literis afferre jussit;* posse etiam *Colonum* subverti ratus; qui postulatus apud Senatum, *Sententiâ Patrum* absolutus est. Grata cunctis ejus Innocentia, ob studiorum Claritudinem. *Cocus* exacerbatus *Absolutione fratrum, & Cotonij*, plures citare destitit, deficiente Probatione. Ita *Catarina, Suffolcij uxor*, Fons Mali hujus, Vulgi rumore, credita, evasit.

Somersettus, Conjuxquè, Carceri traditi, Anno insequenti, *Cadis insimulati, damnatiquè Iudicio Procerum*, More Majorum constituto. Hujus hominis honores, Potentiam, & Exitium non piguit referre; qui maximâ fortunæ Indulgentiâ, aliquamdiu effulsit; sed non statuendo fælicitati modum, nec Avidum domando spiritum, quantò altiùs provectus erat, tantò fædius corruit. Magnum documentum in omnes Casus prosperos, & adversos, à summo Culmine fortunæ, ad vitæ ultimum discrimen dejectus est; florentem gratiam in Superbiam vertens, in voces contumaces, ac inconsultas erupit, *Scotiam nec Parentem, nec Patriam, nec Altricem dictitans.* Hâc Arrogantiâ, Superbiâquè intolerabili, Popularium à se abalienavit animos; vixitquè diu in Carcere invisus, ac detestabilis, velut Ludibrium, & Spectaculum Casuum humanorum, ubi factus est temperantior. Cæterùm, infractâ potentiâ, nulli favor in eum Crimini datum; Comites, Clientesquè, dejecti tanrùm Familiaritate suetâ. *Henricus Gibius*, gratiâ provectus, & reddens vicem, Comitatu Regis prohibitus, mox in integrum restitutus est. *Robertus Carus, Ancoranus Cognatus*, incolumis mansit; viguitquè gratiâ apud *Carolum Principem.*

Depulso *Somersetto*, in *Festo Natalis Salvatoris*, Aula Choreis, Ludisquè perstrepuit. Nobilissimus *Pembrochiæ Comes*, in ejus locum suffectus, Cubiculo præpositus est. *Villerius* spe objectâ Principis loci, Modestiæ finibus se continuit, ac nullam partem, curamvè Reip: attigit; incertâ adhuc futurâ fælicitate. Dubitantem Mater varijs confirmavit Artibus, summam familiæ gloriam portendi, identidem ingerens; & fortunam prosperam, si Occasionem captaret; quam si prætermitteret, cuicunquè alij obviàm futuram, cui spectata fuerit Opportunitas. Ille animo, Cultuquè Magnificus, ac numero Clientum, properè primas gratiæ partes tulit: & præcipuè coluit *Annam Augustam, accensam Odio Somersetti*; cujus plurimum Amicitiâ crevit, & honoribus indies auctus est; quibus impar adhuc ætate, ac rerum Experientiâ. Varius hinc Vulgi sermo, *Somersettum* immensæ Cupiditatis & Arrogantiæ, incolumi graiâ, Munia publica, suo arbitrio, dispertijsse; Nobilitatem, aut Equestrem dignitatem Quæstu, Compendioquè non vulgasse; obstetisse temporis Disciplinam. *Villerium Adolescentem inopem*, cui numerosa per Patrem familia, publicis Opibus inhiare, quæ sibi familiæquè sufficere possent; concitos Propinquos, Affinesquè, adipiscendi spe Procurationes Regni amplissimas, ac Insignia Procerum; assumptum Muliebre Matris consilium, Munia Magistratuum pretio addicentis. Quanquàm ipse præclaræ Indolis Documenta daret, ac unus in omnium Ore esset, pro Pietate in Matrem; Charitate in Fratres, & Sorores; Munificentiâ in Amicos & Affines; cæterùm non diu fefellit Vulgi Opinio; Namquè crescente indies favore, *Matri* quicquid potuit honoris congessit; *Fratres & Sorores* in Aulam adscivit; & Nobilium familijs Matrimonio junxit. Nec minùs ferè *Caros Affines, Cognatosquè* habuit, omni Angliâ in Curiam adscitos. *Rex* liberalitatis gloriam affectans, *Villerium* ad Spem majoris fortunæ paulatim admovit. *Hypparchum*, in locum *Vercestrij Comitis*, viventis, ac ultrò se abdicantis, cooptavit; addito insigni testimonio Pietatis, atquè egregiæ Indolis. Nobilissimum *Comitem*, priùs quàm cederet, *Privati Sigilli dignitate* decoravit; ne expers Muneris ageret. *Hujum*, Nobilitatem *Scoticam* pridem assecutum, Procerum Angliæ Albo intulit; de cujus *Vrbanitate Gallicâ, Obsequio in Regem, Assiduitate Officiorum Aulicorum*, suprà diximus. Quo facto *Ius adipiscendorum in Angliâ honorum, Scotis concessit*; Magistratusquè mandavit, *ut Populi Gentesquè in nomen Britannicum coalescerent*; ac paribus Consilijs Remp: adjuvarent. *Dormerium Indigenam*, Equestris Ordinis, *ad Baronis dignitatem* provexit. Hic primus apertè Honorem pretio consecutus est. *Multos posteà, in Petitione honorum, juvit Opulentia magis, quàm ulla in Remp: merita.* Frustrà indignantibus residuis Nobilium; *quorum Proavi, Atavique, hostiles impetus in Acie contuderant.* Cum de supplendo Senatu consultaretur, *Ioannem Digbeum*, Nobilem Equitem, ob Legationem in Hispaniâ honorificè gestam, in *Ordinem Senatorium* cooptavit; perindè obliterato *Ervrardi Consanguinei* Scelere, ac si nihil perpetrasset.

Accessit ad Procerum, Civiumquè Amorem, Exterorum favor; quoniam Externis quoquè gentibus Quietem dedir. *Procerum tumultus in Galliâ orientes*, impubere Rege, suâ Prudentiâ ac Auctoritate compescuit; magnâ Justitiæ famâ apud finitimas gentes. Nec minore Christianæ Reip: curâ,

1615. *Librum in Belgio editum, de Naturâ Dei*, novis & impijs Dogmatibus refertum, damnavit; *Exemplaria jussit contremari*, cum *in urbe Regiâ*, *tùm in utrâquè Academiâ*. Decretum impigrè Executioni mandatum est, medio ac frequenti die, non sinè *Authoris* Ignominiâ; *qui Religionis hostis judicatus est*. Insuper, *Comicijs Parisijs habitis*, de ordinando Reip: statu, *Plebejus Ordo*, (memor *Henrici Tertij Regis*, crudelissimè per *Fraterculum perempti*; *& Civilis Belli*, atrocissimis *Franciæ* Cladibus accensi; cui Flammam adjecit *dirum Pontificis Fulmen*, Jus Arbitriumquè omnium rerum, *Sacrosanctæ Potestatis obtentu* vendicantis; *Franciæ Proceres Fidelitatis Iurejurando solventis*; *ac Regibus Ius Regni abrogantis*, *quasi id sui Iuris arbitrijquè esset*) flagitavit, ob recentem Cladem *Henrici Quarti*, miserationemque propè afflictæ *Galliæ*; ut Cæteri Regni Ordines Regiæ dignationis Assertores se ostenderent; *Quæ Dei sunt Deo, quæ Regis Regi darent*. Saluti & Securitati ejus consulerent; *Pontificis* injustam Tyrannidem coercerent; & Salutare Remedium serpenti exitio Regni, omniumquè adhiberent. Nec diu cunctatus *Perronius Cardinalis*, summus vir, (si Modum Sapientiæ imposuisset) frequenti *Procerum, Præsulumquè Cætu*, respondit, *Reges Imperio exui posse, ob Hæresim, Apostasiam, Impietatem. Romani Pontificis Auctoritatem, in re Sacrâ, profanâquè, arbitriumquè omnium rerum illi permissum*, *enixè defendit*; *Plebei Ordini sententiam, quæ Sceptra Pontificio Imperio eximeret, Impiæ Hæresis damnavit*; pronuntiavitquè, sibi & Episcopis, pro Libertate Ecclesiæ, omnia genera Cruciatuum potiùs perferenda, quàm eam approbandam; quamvis spontè probasset aliquot antè Annos, *Henrico regnante*. Cumquè id objectum esset, excusavit *se Tempori & fortunæ obsecutum, quò Ecclesia Salus in tuto foret*. Deindè censuit, *labefactatâ Summi Pontificis in Reges Potestate, non Sacrum modò, Pontificiumq; Ius everti, sed Ecclesiæ Auctoritatem, per tot hominum ætates sanctè cultam, enervari; Schisma ac dissidium induci; Sacerdotium sperni; Laicis concedi potestatem ad disceptandas Religionis Controversias; Arcæ manus injici; arripi Thuribulum; multis retrò sæculis nullam Ecclesiam fuisse, sed meram Antichristi Synagogam*; *recitavit Scripturas, Canones, Consilia, Sententias Theologorum, quibus Pontificum in Reges Iurisdictionem tutatus est. Ennumeravit, quot Imperatores, Reges, Ducesquè, Pontificis solâ Auctoritate Regno exuti fuerint: qualemquè exitum habuerint, qui de Sacerdotio victo Palmam & gloriam quæsiverunt*. Postremò nullam Occasionem prætermittens, in testificandâ Solicitudine & Curâ pro Incolumitate Regis, *Plebejum Ordinem Secessionis, ac Impietatis arguit, ac velutì Schismatis Authorem damnavit*. Oravit deniquè, *ut Majorum Pietas emineret; Papæ & Cleri Iudicio starent, nisi Templis arceri, Piorumquè Cætu moveri vellent*. Hâc Oratione *Præsul*, suffragante *Nobilitate*, ac consentiente *Plebejo* Ordine, *Pontificis in Reges Dominatum asseruit*. Quâ re cognitâ, *Pontifex Nobilitati, & Clero Franciæ*, pro fide & Obsequio in se, per literas breves, gratias egit; quod Jura Ecclesiæ hâc Actione auxerint magis, quàm imminuerint.

Hujus rei fama in *Britanniam* penetravit. Ubi *Rex* Odium semper Superstitionis pervicacis, Contemptumquè *Pontificis* præ se ferens, perlectâ Oratione, *in universam Francicam Nobilitatem exarsit; quod Pontifici se velut Manciparet*. Regiâ dignitate immeritò spretâ, *illam in Reges Pontificum Auctoritatem*, Sententiamque *Cardinalis* vehementissimâ Contentione ingenij oppugnavit; & Cæsaribus

Liber pro jure regio

Græcis, ac Romanis, vetere memoriâ, paruisse demonstravit. *Regesquè nulli Potestati in Sacrâ profanâvè re obnoxios*. Sigillatim Argumenta, & Exempla refutavit, *Libello ornatissimo, & gravissimo*; in quo enituit animi virtus, ac ingenij Doctrinæquè florentissima gloria, quam Regnorum Amplitudine & Dignitate vix superavit.

Hoc Anno, inter *Egertonium Prætorem prudentissimum, & Cocum, rerum Criminalium Iudicem*, Municipalis Juris peritissimum, *de Iurisdictione orcum certamen*, acrius exarsit. Efflagitavit Iste, *ut cohiberetur arctius Prætorum Potestas, quam adversùs Iudices solutius exercebant*. *Rex* vocato Senatu, Cognitionem eâ de re ei permisit; ut privatim expenderet *Iurisdictionem Iudicum*; *dequè eâ statueret. Prætori Ius Regium (quod Prærogativam vocant Iurisprudentes) tuenti, nihil derogaret*. Senatus per multos dies, huic Cognitioni intentus, Mandata impigrè executus est. *Comprobavêre Proceres Prætoris causam, incusatâ Coci licentiâ. Simul prohibitus Prætor, Iudicum Decreta convellere, nisi æquitas suaderet*; monitiquè Judices, quæ sua Munia essent, sedulò præstare. *Cocus* peritiâ legum, & Circumforaneâ pecuniâ insignis, minore posteà gratiâ fuit; quod *Princeps* conspexisset, furere eum adversùs *Prætorem*, Fide, Gravitate, Industriâ, & Experientiâ probatum. Qui hâc Hyeme, ægræ Senectæ tormentis, invalidus, Morbo correptus est; quem *Medicorum* ope, qui Curationi præerant, effugit.

Cæterùm, Urbem *Rex* multis in locis exornari fecit, amplioribus Vicis, & latioribus Viarum Spatijs. Edixitquè hoc Anno, *ne qui subitaria ædificia extruerent, quæ Plebem inopem acciperent; sed veteribus fundamentis superstruerent Lateritias ædes, sumptu magnificas*. Quæ passim erectæ, anteriore sui parte *Saxo Quadrato*, decorem Urbi attulerunt. Curam operum publicorum, Viarum, & Alvei *Tamesis*, *Prætori Vrbano*, ac minoribus Magistratibus mandavit. Qui quæ ipsis agenda erant impigrè executi sunt; non in *Vrbe* modò, sed in *Suburbijs*; purgantes *Areas Rufi Regis, ac Campi fabrorum*; purgatasquè suâ pecuniâ exornarunt, velut aperta spatia, Amænitati dicata, & loca ad deambulandum. Cæterùm, *Eirenarchæ Trinobantum*, suo sumptu, extruxerunt *Domum coercendis Mendicis*, patulo urbis loco, haud procul indè, *ubi nunc Ædes sancti Ioannis, hospitalarijs Militibus assignatæ*; ac Annuo proventu ditarunt; ut Multitudinem Inopem acciperet, ac diurno victu, & vestitu sustentaret;

donec

1615. donec fœdam vitæ Mendicationem, Sudore, & labore mutaret. Denique *Pauperum, & Mendicorum Curatoribus*, Annuum salarium *Ducentarum librarum* constituerunt; ut singulis diebus assiderent, exercerentquè in Opere. Cives *Londinenses*, pro cujusquè facultatibus, Urbis Pulchritudinem promoverunt; & *Quingentas libras* contulerunt, ad Novi Operis impensam. *Eirenarcha* non antè destitêre, quàm inchoatum absoluerent opus. *Prætor Vrbanus, Ioannes Iolesius*, animo ac Opibus magnificus; *& Seniores Civitatis*, qui, honoris causâ, ab urbe comitabantur; *ad Roffiensem usquè Civitatem*, progressi, Alveum *Tamesis* dilabentis in Mare spectarunt; ac Aquam, *Piscatorum* licentiâ interceptam, laxarunt; quò largior in Alveum flueret. Judicia, Patrio More, in finitimis *Tamesi* Provincijs, pluribus locis exercuerunt, ad coercenda *delicta, in Alveum Fluminis Ruderibus, Stirpibus, Ædificiorum purgamentis perpetrata*. Instituteruntquè, ut Naves, quæ Merces *Tamesi* subveherent, onustæ Arenâ & Aggere redirent; ac Urbeculæ finitimæ ripam, Alveumque navigabilem tuerentur. Hoc idem fit in reliquis Oppidis. Cum *Cantium, Trinobantumquè* Orientalem Regionem peragrassent, *Londinum* ovantes rediêre. Sed hæc, & alia hujusmodi, fusius persequitur *Londinensis Chronographus, in Diurnis Vrbis actis*, pro debitâ Civium laude.

Inter hæc, altera *Sortitio* promulgata est, *in utilitatem Novæ Coloniæ*. Cui, inveteratâ licentiâ fallendi, complures, Lucri, Compendijquè spe, certatim nomina dedêre; ac sinè morâ, *Vrbana servitia*, pari fiduciâ, *Albo sortientium* subscripsêre. Cunctis præparatis *versatur urna*; incertoquè casu vilissimarum rerum *Sortes* exeunt; nihilque lucrantur præter *Coclearia, Specula, Poteria*, atquè alia hujusmodi. Indè crebri questus. Tota res inventa est fallacijs plena, & ad Quæstum paucorum excogitata, per Speciem publicæ Utilitatis. Vespere fit concursus Multitudinis in Vicis, Jacturâ instigante. Audacissimus quisquè coit, *domumquè Sortibus paratam* pro foribus *Templi Paulini* circumsistunt. Magistratus tumultuoso sonitu exciti, sinè morâ occurrunt; & *Præfecti Iuridici*, cum Cohorte Satellitum superveniunt, fando permulcentes. Eâ mente perditissimi quiquè Opifices, & desperati Juvenes, fraude circumventi, convenerant, ne blandâ Oratione permulsi, Impetum vesanæ turbæ languescere sinerent. Qui, dato signo, domum adorti, diruunt; foribus effractis, res ad Sortes præparatas diripiunt; omnia miscent; *Vrnas evertunt*; sortes dissipant. Magistratus ad vim Munerum conversi, tumultum reprimere, intento ferro, non potuêre; Nox interjecta diremit. Postero die, Senatus, ubi ea patrata cognovit, jussu Regis, censuit negligendam rem non esse, sed vindicandam, comprehendendos duces Multitudinis acerrimos; & in vincula conijciendos. Hoc *Senatus consulto* perterriti *Prætor, & Seniores Civitatis*, Senatum circumsistunt; orant atquè obsecrant, ut Saluti Civitatis consulat; neu se à disperatis Juvenibus diripi patiatur; detquè operam, ne quid, fraude Noxiorum, periculi & Tumultus oriatur. Quorum precibus permotus, & metu gravioris tumultus, si Supplicio afficerentur, Multitudini ignovit; & duces, sinè Absolutione, prætermisit. Magistratibus mandatum, ut prævenirent posteà Conatus Tumultuosorum: *Vetitiquè Sortium lusus*, Spem Inopum frustrari soliti.

Exin Cives *Societatis Indicæ*, quibus amplæ facultates fuerunt, *Sex magnarum Navium Classem*, mercandi gratiâ, instruunt, Auro, Argento, Mercibus, Nautisquè; & *Benjaminum Iosephum*, rei Nauticæ peritum, præficiunt. Qui multas emensus Oras, *Promontorium Bonæ Spei* superavit; ac in *Indiam* quo missus erat, penetravit. Reliquæ *Mercatorum Societates*, cum parcius, angustiusquè mercarentur, deficerentquè magni Quæstus, qui Civitatem opulentam reddiderunt; haud mediocrem ægrimoniam contraxerunt: *infamaruntq; Indicam Navigationem, ut publicè exitiosam, & infructuosam; Quod pecuniâ numeratâ negotiaretur; Nautarum, Epibatarumquè numerum indies imminueret; convectarum ex Arabiâ Indiâque rerum pretia augeret; ac carius venderet Aromata, quàm cum Veneti adveherent Alexandriâ Londinum; aut Lusitani per Mauritania, Getuliaq; Oceanum ex Indiâ, & Orientis Insulis convehere, Olisipponem.* Idem Vulgi rumores coarguerunt. *Collegæ Indicæ Societatis*, refutare & arguere Adversarios Falsi non destiterunt. *Rex huic Societati* ita addictus, ut Cæteris anteferret: *Proceres*, quorum fidem Muneribus & Promissis attentarunt, Authoritatem *Societatis*, Ope, gratiâ, studio sustentarunt. *Ita stetit, majore nè damno, an Commodo Reip:, incertum.*

Multa, hoc Anno, proposuit *Rex* Edicta, non mediocri laude digna. *Quadrantes Æneos* instituit; jussitquè ut in promiscuo usu essent; interdixitquè, *ne Plumbeis Tesseris Ementes Vendentesquè posteà uterentur.* Auctor aliarum rerum fuit; ut *Proceres, Equites, Eirenarcha*, in Provincias mitterentur, ac *festo Natalium Vicinos lautius invitarent*, quia multos Urbis Amœnitas tenuit, ut pro *fano & Stipulâ*, quæ publicè erogari solebant, certa quot annis pecunia constitueretur. Multa severè coercuit; interdixitque, *ne Mercatores Britannici Merces peregrinis Navibus subveherent; Neu in externas gentes transferrent.* Adversùs *falsarios lanæ*, vetera Ordinum Decreta revocata; *ne Panni, nisi probi, conficerentur; neu vanis signis venderentur.*

In Supplicijs dissimulati *Pontificij, & Sacrificuli*, Carcere tantùm, *Visbecha*, coerciti; nemo dubitavit, *Didacum Sarmientam, Hispania legatum*, suis Illecebris prævaluisse, *ut Papani, scelere convicti, non nisi Carceris pœnâ plecterentur; Spe quidem injectâ Nuptiarum Caroli Principis, & Mariæ Austriacæ, Philippo genitæ.* Quibus fautores aderant multi Proceres, penès quos maximè Potentia; Nobilitatem, Juventam, formam ostentantes, dignam tanto Matrimonio. *Baticus legatus suis Artibus Nuptias moliri cæpit*; quas sinè scelere contrahi posse denegavit *Venetus Orator*; *quoniam Cæsaris filio desponderat*

1615. *despouderat Pater*. Sed non præbuit Rex aures Suspicionibus adversùs *Iberos*; Bæticæ Affinitati eâ tempestate promptior; ac Obtrectatoribus ejus infensior. *Legatus* in dies gratiæ, Benignitatisquè Regiæ multa & magna documenta expertus est. *Balluinum Iesuitam, Sulphureæ Conjurationis conscium, Veniâ ac Incolumitate douatum, iu Belgium remisit*; reclamantibus cunctis Instauratæ Religionis cultoribus. Obtinuitquè, *ne Iudices ultrà in Poutificios violentius inquirereut*. Quos indies salutavit suo, *Philippiquè* nomine; & Officij causâ frequentavit; ac præsens consolando *revotavit ad Spem majoris libertatis*. Quâ Comitate apud *Papanos* magnam sibi gloriam peperit; at apud *Purioris Religionis Professores*, de eâ re conquerentes vehementer, non minorem sibi Invidiam conflavit; frustrà indignante Plebe. Nunquàm anteà *Proceres* ab externis Legatis, nisi in Curiâ salutari solitos.

Fine Anni, *Arbella Stuarta*, paternâ Nobilitate Regij generis fæmina, diuturni Carceris tædio, & mærore extincta, Civitati grande desiderium sui reliquit; ob Memoriam præstantis Doctrinæ, & Ingenij, Summæ Prudentiæ, eximiæ virtutis, singularis Humanitatis; quibus generis Claritudinem superavit. Huic, clàm *Gulielmo Seymero* nubenti, infælix fuit Matrimonium; quod, intrà paucos dies, divulgatum, primo Nuptiarum inditio, subitò evocata, & in Turrim deducta; ubi nihil nisi luctuosum sensit; interdicto Mariti Contubernio; Undè mæroris impatiens, detonsa, ac virili habitu, in dissimulationem sui, culta evasit; profugitquè ab urbe. Paucis interjectis diebus, ex fugâ retracta; rursùsquè in Turrim conjecta, miserabilem vitam egit. Acerbior Custodia, & Mariti absentia, veterem Molestiam renovavit; quâ victa, debilitataquè, postremò Morte liberata est. Huic fæminæ clarissimæ, ab ineunte ætate, aliquid fortuna semper injecit acerbi; nullum ferè tempus transegit, sinè Molestiâ, sinè Dolore; tandemquè Solatium ærumnosæ vitæ in Morte invenit.

Eodem Anno, in *ulteriore Britauuiâ*, *Iacobus Macouelius*, *Æbudanus*, hostilem in modum, seditiosus, Rapinis ac direptionibus *Iusulanorum* intendit animum; trajecitquè in proximam Continentem *Kinteram*, quam Cæde & Sanguine peragravit. Ob quæ facinora, subitò ex Insulis evocatus, in *Artem Edinburgenam* conjectus est. Verùm ille, Custodijs deceptis, elapsus, capitalem fraudem admisit; & *Æbudas*, ad concitandos suos Tribules, Clientesquè, profectus, plùs timoris, quàm periculi effecit. Ad hunc furorem comprimendum, & *Matonelium* comprehendendum, *Argathelia Comes* missus, Solertiâ & Industriâ summâ usus est terrâ; duæ Regiæ Naves, Mari omnes angustias obsederunt. Ille destitutus à suis, egens inopsquè, occultè fugæ consilium cæpit; & Lembum nactus, in *Belgium* noctu profugit. Ubi extrema omnia perpessus, tandem Inopiâ coactus, Regis gratiam, Clementiamque experiri statuit. Indè reversus, *Hamiltonium* Deprecatorem apud *Regem* nactus, Abolitionem criminum obtinuit; ac *Annuam Pensiouem Sextentarum librarum*.

Purioris Religionis Ministri, vel exauctorati; vel in Exilium pulsi; vel in Carterem ducti, qui Regiam Auctoritatem contumacius spreverant. Ita *Præsules*, Catharorum vires paulatim infregerunt; *Ministrorum* Auctoritatem imminuerunt; & Ecclesiasticarum rerum arbitrium, ad sua Tribunalia revocarunt. Insontes, & de Ecclesiâ bene meriti, æquabili gratiâ, & Auctoritate, *apud Plebem*, & *Præsules* viguerunt.

1616. PRincipio hujus Anni, *Overberij* Pater in preces lachrimasquè effusus, crebris libellis Regis auribus obstrepuit; legum & Judicum Præsidium implorans, multum incusatâ *Somersetti* Perfidiâ, qui Filio optimè de ipso merito talem gratiam retulisset. *Rex* indulgere solitus, subditis, auxilium justè deprecantibus, supplicanti fecit potestatem inquirendi in Reos; & Quæstionem *Egertonio Prætori*, ac primarijs Proceribus publico Diplomate mandavit. *Frautisca Havarta*, *Somersetti uxor*, ad causam dicendam, in Jus vocata apud Proceres, publicè constitutos ad Quæstionem cognoscendam, accusatur. *Batonus, Cognitor Regius*, omnibus ordine expositis, quæ relata primâ Actione in Commentaria publica; deinde quæ à *Coko criminalium rerum Iudice*, singulari curâ inquisita essent, ad Proceres defert; *Overberium Veneuo sublatum*; *Franciscam Noxa affinem*; *torruptam ad Scelus Turneriam*; *datam Vestono interfectori ejus, pro uavatâ operâ, pecuniam*. *Overberij* Pater ultor aderat, Deum testem advocabat; & multas probabiles causas *Veneni* adferebat. Illa respondit, *nequè sciente, nequè Iubente se, occisum Overberium*. Sed cum objecta Crimina purgare non posset, spontè Confessionis gloriam amplexa est; nec Defensionem ultrà tentavit; quia Ope & Consilio suo perpetratum scelus abnuere non potuit. *Confessione Culpæ*, Invidiam facinoris aliquantulùm declinavit; flexitquè Circumstantes decoro habitu, modesto vultu, ac crebrâ Oris confusione. Interrogatis *Proceribus*, ut Sententiam expromerent; certatim omnes, ut rogabantur, extemplò *Ream judicant*, pronuntiant, decernunt; ejusquè fortunam (Irâ in Misericordiam versâ) lamentantur. Peracto Judicio, *Procurator Regius* Ream bonum animum habere jussit; multorum Procerum Casibus, cognitam *Iacobi Regis Clementiam*, dictitans; quæ non modò Spem, sed propè certam fiduciam Salutis ac Dignitatis præberet. Mox summos *Proceres* Deprecatores periculi habuit. Quorum precibus mansit posteà incolumis. Dimisso Consilio, cura tutè deducendi, *Satellitibus Regijs* demandata est.

Postero die *Somersettus*, ad causam dicendam, Crimenquè diluendum, productus est. *Advotatio Regia* modesta in Reum, (ne conviciari potiùs, quàm accusare argueretur) flagitij Ordinem luculentâ Oratione

1616. Oratione exposuit. *Baconus omnia Interrogata, Responsa, Dictaquè Testium*, brevi narratione complexus est. *Rem* enixè defendit, *nec Literis, nec Testibus planum fieri posse, sese affinem Noxa antè factum; aut facinoris Authorem fuisse. Negavitquè in hoc Maleficio quicquàm vel operâ sua, vel Ope, vel Mandato, vel Consilio factum esse, quo Overberij salus laderetur. Reticentiam, in Vxoris crimine, muliebri Amoris impotentiâ, perpetrato, Marito nunquàm fraudi fuisse.* Multa deniquè dixit, depellendi Criminis gratiâ; fidemquè Testium elevavit. Causæ Cardo in hoc versatur. *Advocatio Regia* protulit literas; subjecit Suspiciones violentas, & omnia adminicula causæ. *Rem* ignarus legum, & rudis in *Iure Municipali*, vulgatis Epistolis, ad extremum Spei per Inopiam Consilij redactus, adeò frigidè respondit, ut Suspectum se redderet. *Anceps aliquamdiu Iudicium Procerum, inter Damnationem atquè Absolutionem.* Ubi ad Disquisitionem ventum est, *Prætor* Paribus permisit, ut in Crimine præsenti statuerent, uti è fide suâ esse, atquè Dignitate censerent; & solenni More, Ordinequè, Sententijs perrogatis, causâ liquidè compertâ & cognitâ, *Reum nefariæ Cædis pronuntiavit.*

Rex assiduis Procerum precibus victus; *Franciscam*, quamvis gravius mereretur, Noxæ exemit, & *Veniali Diplomate* gratiam delicti fecit. *Maritum* pari Clementiâ servavit, sed sinè Abolitione Criminis, in Carcere. Cui nihil ereptum præter potentiam avarè habitam; & *Avitum Vestmariæ Comitis Patrimonium.* Damnatus *Ordinem Periscelidis retinuit*; quod Jura, legesquè neminem illius *Ordinis* dolosi Homicidij reum fore augurarentur. Intempestiva Indulgentia *Principis* severioribus visa est. Moderatiores Regem pro suâ Clementiâ probarunt. Quamvis *Abolitio Reorum*, quæ publicè indulgetur, ad hoc genus Criminis non pertineret. Ita *Somersettus, Nuptijs illicitis, & Affinitate exitiosâ, Potentiam perverterat.*

Villerius hipparchus Vicecomitis honore; & mox Butingamij Comitis Titulo auctus; in Periscelidis etiam Ordinem, & Senatorium adscitus, nondùm Senatoriâ ætate; suæ factionis hominibus *Curiam* implet; familiam Opibus Regni explet; crescit indies *Cognationibus* primùm; deindè *Amicitijs*; demùm *Affinitatibus* cum Proceribus. Amicorum Primoribus quotidiana incrementa suspecta fuerant; maximè omnium *Pembrochio; Fentono, Prætorianorum Præfecto; Laqueo, ab Epistolis*, fautoribus Potentiæ, quorum præcipuâ operâ *Æmulum* impugnaverat; qui præcibus contenderunt, ut Invidiæ, & malè consulentibus se subtraheret; fælicitatiquè suæ modum statueret: Neu *Patrimonium Principis, & opes Regni concupisceret.* Nemo Amicorum ejus tantæ Auctoritatis erat, ut Monita ejus magni penderentur. *Novus Comes*, recentis gratiæ accessione ingens, cultu Comitatuquè ad præsentem fortunam comparato, *Munia Aulæ, ac Officia publica ad se trahit*, nullo adversante, aut æquas partes Potentiæ sibi vindicante. Cum *Somersettus* Violentiâ ingenij exitium provocasset; ita qui incipiente Potentiâ, commodis fuerat Moribus, gratiâ, Auctoritate, & prosperis rebus immutatus, *veteres Amicitias spernit*; novis indulget; & Auctoritatem suam domesticis viribus confirmat. *Ioannem fratrem*, hominem propè stupidum; ac *Eduardum*, eodem Patre genitum, *in Aulam evocat*, & amplis Præmijs donat. Ut quisquè ei Agnatione, Cognatione, aut Affinitate proximus, ita *Amicitiâ Regis* viguit, floruitquè. Hæc cum ei Vulgò objicerentur, acriterquè increparetur, quod tàm citò à superioris vitæ Moderatione deflexisset; spretis vulgi rumoribus, in incepto cursu perseveravit. Ruunt in Servitium, & Clientelam *Novi Proceres, Auliciq; egentes.*

Rex *Carolum filium* suis incrementis auget; *Cambriæ Principem*, singulari curâ, Cæremoniâquè, creat. In Sumptum Splendoremque Magnificentiæ multa largitur. *Ducem Cornubiæ, ac Cestriæ Comitem dicit*, & in Possessionem mittit; magno omnium Ordinum consensu. *Viginti Quinquè Nobilissimos Iuvenes, è filijs Procerum, Balnei Equites salutat*, Officij aut Humanitatis causâ. Instante *Bucingamio*, ut Primores *Equitum* in Album *Procerum* ascriberentur, *Ioannem Roperium, Cantianum; & Ioannem Hallesium, Noringamiensem*, Equestris Ordinis viros, in Procerum numerum allegit; ac mox *Prætorem, Vicecomitis Braclensis; Knoulesium, Valingfordiensis dignitate decoravit: Philippum Stanhopium, Equestri familiâ, Baronem Shelfordiæ publicè appellari curavit.* Nullus posteà adhibitus Dilectus, aut Modus creandi quoscunque, Pecuniâ, Ambitu, aut gratiâ. *Tulit perindignè Vetus Nobilitas, quod Equites Titulis sibi Æquarentur*; monstravitquè *Regi*, non debere talia Præmia tribui, nisi summis viris, de Rep: optimè meritis in negotijs publicis.

Rex statim ab Inauguratione, ad Munia publica redijt. *Fœminarum Luxum*, in cultu ingravescentem, & per universum Regnum diffusum, Edicto coercere frustrà penè conatus est. *Coki rerum Criminalium Iudicis*, (de quo sæpe memoravi) *& Egertonij Prætoris Contentio, de Iurisdictione Tribunalium, acrius exarsit*; Fremente *Coko*, Actionem ex antiquâ formulâ (*præmunire*) adversùs *Cancellariæ Assessores* dari debere; & gravissimi Delicti Invidiam summo Judici imponente. Duæ res, quæ languorem afferunt cæteris, *Prætorem acuebant; Imbecillitas valetudinis, & senectus*; qui confectus Senio, ad Simultatem usquè processit, questuquè est in Senatu Regij Tribunalis, *Iudicem Supremæ Curiæ, Iurisdictionem infamare; & Regiam Authoritatem tacitè convellere, Prærogativam* vulgò vocitant. Ibi audita vox Regis, Alterius Acerbitati infensi, *Parem vim habendam rerum à Prætore judicatarum, ac si ipse statuisset.* Ac ne fortuitò prolapsus videretur, Celeberrimam Orationem habuit, *in Camerâ stellatâ*, XII *Iulij*; quâ in animis Audientium venerationem, Admirationemque sui excitavit. *Omnes Iustos legitimosquè Reges decet, nulli rei magis, quàm Integritati, & Iustitiæ operam dare, ut Deum Christumquè, in gratiâ & Charitate imitentur; Pietati verò ac Prudentiæ, ut Davidem & Salomonem; apud Posteros memorabiles, ac*

1616. *Imitatione dignissimos.* Disseruitquè, *duas esse firmissimas Regnorum Columnas, Pietatem, & Iustitiam. Pietatem, esse fontem undè scateant Rivuli cæterarum virtutum. Ejus Germanam, ac quasi Geminam, Iustitiam, Pietatem, & Integritatem vitæ, Nobis inservire, ac ad Cælum Iter pandere; Iustitiam verò Alijs; hominesquè legum ac Institutorum vinculis consociare. Reges Divinitùs institutos, ut Dei gloriosissimi vice, Munerequè, in terris fungerentur; Reip: Saluti, Commodisq; prospicerent; ac in commune consulerent; sed tanto Oneri impares, vetere Exemplo Mosis & Iethronis repetito, Iurisdictionem Magistratibus ac Iudicibus demandare, ne quod Maleficium impunè elaberetur. Summum Imperium, Potestatemquè penès se retinere. Regibus Administrationis suæ rationem Deo Authori reddendam; Iudicibus, Numini & Regi.* Indè arripuit Occasionem, exquisitius differendi, Primùm *de Iustitiâ & Iure Municipali. Cum Iustitia ea sit Animi dos, quæ universâ Vtilitate conservatâ, suum Vnicuiq; tribuit. Dein de Iurisdictione Tribunalium, & omnium Iudicum. Quos hortatus est, castè integrèq; Ius dicere, non diligentiâ modò summâ, sed & Æquitate: Nihil Temerè, nihil præproperè definire. Et dare operam, ut probi Mores vigeant; Fides, Pudor, Modestia colantur; Patrimonium cujusq; ac Facultates incolumes serventur; Ius Æquabile Civibus reddatur; singulæ Curiæ sua Iurisdictionis finibus circumscribantur; Regiæ Potestatis Iura non imminuantur.* Postremò, *Egertonium, Principem in Foro locum, studio Iuris, adsecutum, laudibus extollit; Prætoriam Iurisdictionem ab Injuriâ vindicat; Cancellariam, cæteris Curijs antecellere, Æquitate in decernendo contendit; à quâ reliquæ æquitatem petant; ad eam Supremam Iurisdictionem referant; Seq; ejus Administras, Comitesq; profiteantur.* Deniquè, *Iudices ijsdem Artibus præcellentes, ad mutuum Amorem, Concordiamquè provocavit.* Hæc Oratio Regem Subditis charum, acceptumquè effecit; & Amorem apud Cives, apud Exteros conciliavit. Sed *Cokus* in Contumaciâ perseveravit; *& publicæ libertatis vindex haberi maluit, quàm gratiam Obsequio parare*; & quoties in *Prærogativa, seu summæ Potestatis* mentionem incidit, *Regum absolutam Potestatem pro supervacaneâ elevavit*; ac insuper Atrocitate verborum insectari solitus est; Jurisdionemquè sui Tribunalis ampliorem magnificentioremquè efficere tentavit; nunquàm augustiorem *Regij Tribunalis* gloriam, quàm se Judice, dictitans. Quâ Pertinaciâ commotus *Rex*, spiritum, Ferociamquè ejus coercuit; Munere, ac omni Potestate privavit; Palatio, ac Albo Judicum submovit; verbis ejus, ac Violentiâ incensus. Uxor, *Excestriæ Comite genita*, quæ florenti Marito haud concors, Calamitatibus ejus ad Misericordiam conversa, sociam se cujuscunquè fortunæ, ac Comitem exitij obtulit.

Exuto Coko suffectus Montacutus, Equestri familiâ; qui fratris *Vintoniensis Præsulis* Auctoritate, gratiam *Principis* adeptus est. Tribunal ascendenti, data à *Prætore* mandata, *ut Regiam Auctoritatem tueretur; Ius ex æquo bonoq; Civibus redderet*; Orationisquè præcipua Materia *in laudem Principis* versa; summâ facundiâ, nec minore *Adulatione*, prævalido jam ac adulto vitio; quod acrioribus remedijs restinguendum erat. Nec multos post dies, splendidissimus *Prætor*, qui per omnes Togæ gradus ad Præturam ascendit, extremâ senectâ invalidus, & Curis obrutus, in magnis Opibus supremum diem explevit. *Oratione funebri*, Cæterisquè solennibus funus cohonestatum. Mors ejus multo apud Vulgum rumore fuit; præcipuè, quia cum multi *Proceres* Claritudine insignes, *Oxoniensis Academiæ Præturam* ambirent, *Pembrochiæ Comitem* cum honore nominavit. Quod Civiliter acceptum. Rex prædicavit illum ita Officio functum, ut cæteros Judices sua Munia implere pari Industriâ velit. Tulit Ista Ætas *duo simul Iuris lumina*; Altero jam extincto, mansit Alterum, famâ, quàm fortunâ celebratius. Post ejus mortem, *Ioannes filius unicus*, in ampla Prædia, magnasquè opes successit.

Franciscus Baconus, Procurator Regius, Bucingamij gratiâ Custos Sigilli institutus; & Consiliarius in Negotijs publicis, non diu infrà *Præturam* stetit, & *Prætoris* partes sustinuit Opibus, Domo, & Clientum numero. Cui illusit mox fortuna, per Vanitatem ipsius, & Servorum Ambitum, ac Avaritiam; quorum profusas cupidines coërcere non potuit. *Telvertonus*, Scientiâ Juris clarus, in *Baconi* locum lectus. *Thomas Coventrius, Civitatis Syndicus*, in ejus locum suffectus, ad pecuniosam Senectam pervenit.

Bucingamius, gratiam, Potentiam, Opes assecutus, Munia Pacis ac Belli administravit; Præmia & Honores Amicis, ac familiaribus obtinuit, pro dignitate cujusquè; *Præfecturam Bucingamiæ Comitatus, Sibi*; Equestrem Ordinem, *Ioanni, & Eduardo fratribus*; *Christophorum adhuc Impuberem, non minore Charitate dilexit.* Non deerant, qui arguerent, *Nequicquàm Somersettum abdicatum, atquè sepositum; graviorem multò Britanniæ potentiæ æmulum Bucingamium, Iuvenilis luxu, Avaritiâ in rapinis, Superbiâ in Contumelijs*, Quæstus Ministerio. Non posse Remp: incolumem esse, quoad *Ignatiani & Sacrificuli Papani in Angliâ essent*: Scelera eorum, Fraudibus & illecebris *Batiri legati*, impunita esse. Ad diluendam hanc Calumniam, Offensamquè, de *Maxfeildio Presbytero* supplicium sumptum; atquè eo Vulgi Criminationibus obviam itum.

Rex Vlissingâ, & Brillâ, fiduciarijs Vrbibus, Præsidia Anglorum deduxit; & cum Fide Fœderatis Batavis restitui curavit; quæ Ordinum Decreto, & fœdere, Elisabethæ oppignorata sunt, Anno Salutis 1585.

Iacobum Hajum, Baronem Saliensem, comissioris animi, Urbanioris què vitæ Virum, *in Galliam legavit, ad visendas res; componendasq; tumultuantium Procerum Simultates.* Ibi honores immodici ei habiti; *Ioinvilleo Principe* cum Primoribus Procerum, ad *fanum Dionisij* obviam misso. Post congressum maximâ cum Cæremoniâ; & longiores sermones, magnifico apparatu, Tibicinum Concentu, Cultusquè gemmati elegantiâ insignes, urbem introivêre, inter exultationes, Succlamationesq; frequentes Populi.

Populi. Dein postero die, *à Duce Guisio deductus in Luparam*, Triumphantis habitu; dispositis in Areâ Regiæ Prætorianis Cohortibus, inter Signa militaria, atque Vexilla incessit. Perductus indè ad Regem, circumfusum frequenti Procerum Agmine, Dextram exosculatus reverentissimè, Mandata exponit, affectans cultum effusiorem in verbis, ad quem erat Naturâ ac Arte compositus. Familiaribus Epulis adhibitus est. Nequè Magnificentius, nequè Benignius haberi coliquè *Legatus* potuit, quàm hic cultus est, *quamdiu in Galliâ fuit*. 1616

Intereà atrox Tumultus exarsit. *Princeps Condeus*, quasi Molitor novarum rerum, *in Luparâ captus*, & Militari Custodiâ septus, in Carcerem tractus est; adempto sermonis & Colloquij usu. Hoc Casu detecto, *Vindocensis* profugit, ne par periculum subiret. Summi Proceres, *Mainius*, *Bullioneus*, exacerbati Injuriâ, in *Suessionum Oppidum* anxiè confluxerant; Armis vindicaturi, si quid gravius in *Condæum* decerneretur. Similiter *Guisius*, *& Princeps Iojavilleus*, relictâ Aulâ, sinè morâ discesserunt; Amicis procul, & occultè sequentibus. Anxius hâc re *Hajus*, Regem Matremquè exorare frustrà tentavit. Operitur Turbarum exitum, quæ sinè aliquâ illustri Cæde sopitæ sunt. *Ancborani Tribuni Militum ades*, *Spolijs Civium adornatæ*, *direptâ Supellectile*, *à Plebe dirutæ sunt*. Populus quantum potuit Prædæ & Rapinarum avexit. *Rex Londini*, de Motu Galliarum cognovit. Quo audito, Tristitiæ & Iræ signa dedit.

Non immeritò, inter cætera, *Ioannis Tindalij Equitis Prætoriani Assessoris Necem retulerim*, *ab Ioanne Bertramo sceleratè perpetratam*. Iste Septuagenarius, in ultionem suæ Injuriæ, interficiendi *Tindalij* animum sumpsit; Consilium occultavit; Sclopetum clàm paravit; Insidijs mortem ei maturavit: ac in *Collegio Lincolniensi*, globo trajecit. Ubi sinè ullâ trepidatione arreptus, in Carcerem ductus est. Ibi mortem *Tindalij* sibi exitiabilem intellexit. Fingit Vulgus, Injurias suas ultum Interfectorem; *& Iure cæsum Tindalium*, *ob Iniquitatem in decernendo*. Rex talem rumorem ad Invidiam Judicum spectare advertens, Causæ Cognitionem Primarijs Jurisconsultis, & alijs Adjutoribus demandavit. Re perpensâ exactâ Consultatione, deprehensum est, multâ Injuriâ provocatum; sed furiosâ Rabie incensum, *Prætoriano Assessori*, per Insidias exitium destinasse; decretumquè, pro Magnitudine delicti, juxtà leges, Institutaquè Majorum, Pænam statui par esse. Eâ re territus, ut primum impendentibus malis se eriperet, *Vim vitæ suæ laqueo attulit*, *antè sententiam*; & graviorem pænam morte voluntariâ vitavit; non sinè Miseratione imperitæ Plebis, falsos rumores fingere non erubescentis; *an suâ*, *an Alienâ manu perierit*, *dubitantis*. Sed ceptâ luce, *pendens fune*, *Collo deligato*, *repertus* est. Amici, & familiores *Tindalij*, libellum vulgaverunt, quo Veritatem Causæ, & Innocentiam interfecti enixè defenderunt, contrà Vulgi rumores; Malitiam, & Atrocitatem Interfectoris, non sinè Acerbitate verborum insectati sunt. Utriusquè Mors vario apud vulgum rumore celebrata fuit.

Cæterùm non alienum erit, *Marci Antonij de Dominis*, *Spalatensis Archiepiscopi*, *in Angliam adventum referre*; qui Odium, Contemtumquè *Pontificis* præ se ferens, in *Britanniam* ultrò venit. *Et suæ Profectionis Consilium*, *libello ultrò edito* exposuit, in quo *Romanæ Curiæ* Mores, & pernitiosissimos Errores, Commentaquè Avaritiæ, & *Dominationis Pontificia* acerbè convellit. *Præsul Cantuariensis*, accitum in Palatium suum hospitio excepit, *ignorans se serpentem in sinu fovere*. Rex, misericordiâ viri correptus, *Vinsorensis Decanatus honore*, *& Præfecturâ Ptochodochij Allobrogum donavit*. Undè Otium ab alijs curis nactus, *Decem de Rep: Ecclesiasticâ libros edidit*, ad ulciscendam Pontificum Tyrannidem; insigni testimonio Pietatis, ac Doctrinæ.

Ortum inter Aulicos interiores Certamen, *Quam diligerent Uxorem Carolo Iuveni*, *gloriosoq; Principi? Laqueum ab Epistolis*, Stirpem Nobilem familiæ *Austriacæ* Cæteris prætulit; quoniam ea Necessitudo apud *Gallos* levis ducitur. Obtinuitquè, ut *Rossia Baro*, cui filiam suam in Matrimonio collaverat, *in Hispaniam legaretur*; qui de fædere servando, ac contrahendâ Affinitate ageret. Item *Nuptias Caroli*, *ac Mariæ Austriacæ moliretur*, ad retinendam *Philippi* Amicitiam, ac Necessitudinem. Is cum exposuisset, nullam nequè Justiorem, nequè Meliorem causam Necessitudinis posse reperiri, quàm *Connubium*, quod Posteros conjungeret. Respondit, *Matrimonium cum Britannis gloriosum*, *& utile fore*; *verùm rem esse Spei incertæ*, *ac laboris diuturnioris*, *propter diversum Religionis cultum*. Etsi *Hispanus* hoc responso *magis ducere Promissis Britannum*, *quàm de Affinitate & Connubio seriò velle transigere videretur*; tamen hæc Actio non fuit penitùs dirempta. *Philippus*, *Madriti Legatum invitavit*, *ad solennia Convivia*; ac in digressu Muneribus prosecutus est, Gemmis, & rebus pretiosissimis locupletatum demisit. Hinc Urbe repetitâ, accitus in Aulam, Rege coràm & quibusdam Proceribus, *de ratione ac difficultate Nuptiarum disseruit*, *ob Cultus differentiam*. Rex cuncta ita lentè & securè audivit, *ut gaudentis quoquè speciem præberet*. Nonnulli qui aderant, fore prædicarunt, *ut quandòque Promissis Iberorum deciperetur*. Verùm, fide *Didaci Sarmienta*, *Batici legati*, *fretus*, *non modò Spem*, *sed certam propè fiduciam Nuptiarum habere capit*; ut non dubitaverit, inter familiares dicere, *se Matrimonij certum*. *Rossæus*, reversus *Hispaniâ*, inquietam vitam egit; quia *Uxor* primâ juventâ decora, & procax, Consuetudinem ejus, Matris consilio, aspernata; *Avia*, *Comitis Excestria Conjugis*, Amorem, ad Infamiam traxit; ut Invidiâ Maritum oneraret, divexaretquè. *Comitis uxor* Maledicta, Convicia, Probra, & Invidiam falsi Criminis indignissimè tulit. *Laqueum ab Epistolis*, Conjugem, & filiam, Affinitate Abneptem, in *Camerâ Stellatâ* postulavit; *Regem* libello deprecata est, ne sibi *beneficium Iuris* denegaretur; sed ut Cognitio Calumniæ Proceribus permitteretur. *Rex* cum obstinatius agi omnia cerneret,

1616. *Bucingamio*, & paucis Amicorum adhibitis, *dicta Accusantis Nobilissima femina, & Laquei Defensionem audivit*; Causamquè integram ad Proceres remisit. *Laqueus* alioqui circumspectus, & sagax, Minis ac Violentiâ Uxoris suæ territus, & adversùs *Generum*, charitate filiæ, pronior, se cum Conjuge inconsultius consociavit, & coojunxit, ut suo loco dicemus. *Bucingamius* Odium adversùs eum detexit, ne ejus Consilijs regi videretur; & ut ipse Reip: negotijs asuesceret.

Rex, Otio ab alijs curis impetrato, de coostituendâ *Hiberniâ* vehementius sibi cogitandum existimavit. Feris ac infestis hominibus coercitis, *Langfordia Comitatum* emeritis Militibus distribuit. Simul idoneos homines ex *ulteriore Britanniâ* asumpsit, qui *Patrios Mores, Cultumq́, Britannicum, ac domesticam disciplinam Aratorum, ac Negotiantium, intulerunt. Henrico Dacreo*, Equestris Ordinis viro, bello & periculis cognito, *Questuram ærarij* demandavit. *Arthurum Savagium*, ejusdem Ordinis, *Proquæstorem* dilegit; oullum Officiorum genus, in viros Militares, ad se commeantes, omisit. *Præfecturam Hibernia, Olivario S: Ioanni, notissimo Equiti, destinavit*; *Arthuro Cicestrensi*, ultrà septennium Præfecto, in extremam *Vltonia* urbem, Fergusij Scopulum, extracto; ut regimen *Vltoniensium susciperet*. Numerum Militum *imminuit*, retento necessario ad tuendam Provinciam Præsidio; nullâ existente Belli Occasione; infestis ac ferocibus *Regulis* subactis; ut publicum & privatum sumptum, Militumque laborem sublevaret; ac *Hiberni* darent experimentum, *An, amotu Custodibus, Obsequium in Principem retinerent.*

Inde Civibus Urbanis æmulandi amor, ut *Apolectos* ad explorandum statum *Coloniarum in Vltoniâ* decreverint. Placuitquè, ut mittereot *Petrum Probum, Seniorem Civitatis*; *Matheum Springhamum, Mercatorem*; *& Clementem Mosseum, Syndicum*, ad lustrandum *Colonias, novum Londinum, atquè Colranam*, Disciplinâ Cultuquè *Britannico* institutas, ornatasquè. Qui summâ fide, & Industriâ, flumina, Lacus, Portus, & Agros vectigales *Civium Londinensium* lustrarunt; *Colonos*, legibus, Moribus, Institutis, ad humaniorem vitæ cultum traduxeruot; *Præfectis Novi Londini, & Coltrana, gladij Ius, Civium Londinensium nomine, concesserunt*; ut uterentur Imperio in flagitijs probrosos, & opertos infamiâ; singulorum disciplinam susciperent; providerentquè, ne impunè peccaretur; sed delicta pænæ sequerentur, ad Securitatem futuri temporis; obligaruntquè *Colonicos Magistratus* Jurejurando, *ne in Locatione Agrorum, aut Novorum Vectigalium, immoderatius licitarentur*. Ad hunc modum *urbanis Colonijs* administratis, *Londinum* redierunt, non sine Commendatione publicâ cujusquè civis.

Annus hic rebus externis ioturbidus; domi magna *Lascivia*; *Aula symphoniacis, Saltationibus*, ac Nocturnis illecebris perstrepuit. *In Saturnalibus, Vrbana Servitia vicatim Ganeas, Popinas, Lupanaria, tumultuosius diruerunt, diripueruntquè ad Venditionem exposita*. & simili licentiâ, *Theatrum in Lincolniensibus Campis* ouper extructum invaserunt. Prætoriani milites *Theatro* assidere jussi; & *fautores Histrionum*, Servos viso tentantes lapidibus ac stipitibus, acriter repulerunt; ac velut in prælium converterunt. *Præfecti Iuridici Vrbani, & Trinobantum Eirenarcha*, cum proprijs globis Armatorum Civium accurreotes, tumultuantes & in furorem præcipites, ægrè coercuerunt. Implorato *Senatus* auxilio, id nullo modo tolerandum existimat. Hioc gravioris motus terrore permotus, statuit ut *Vrbici Magistratus, furcâ & ferro, Servos severissimè coercerent; ubi legibus agi non posset*. Illi pæoam dissuadentes, Carceris metu, ac Minis, confluentem multitudinem represserunt. Invalido legum auxilio, hoc Remedium repertum est; & *Servi* in posterum metuentiores fuêre.

Eodem die, vesperè, *Anna Regina largissimum Epulum Regi, Proceribusq́, cum Conjugibus ac liberis, in Palatio Somersettensi præbuit*: & Spectacula varij generis edidit. In hoc Convivio, *Procerum liberi utriusq́, Sexus saltarunt*. Præcipuè *Bucingamius*, ad ictus Symphoniacorum modulantium, eleganter *pedes movit, & Saltatorium Orbem versavit*; Rotam fortunæ ooo pertimescens; omnibusquè Officijs *Reginam* affectatus est, infensam *Somersetto*, quod flagrante gratiâ cunctaotius permoveret desideria sua. *Rex* spectandi voluptate recreatus, *in honorem Regina, ex Daniâ oriunda*, inter Choreas & Symphonias, *Dania domum appellari jussit*; & pro Conditione saltantium, quemquè honoravit. *Anna* Porticuum, ac Tricliniorum laxitate, & Aquæ ductu, privato Sumptu, ornavit, & plurifariàm instruxit.

Conversus hinc ad curam Reip: *Præsulum dignitatem, ac commoda auxit*; Senatum supplèvit; Proceres Regni, & Ecclesiæ, summis honoribus functos, allegit. *Eliensem, & Vintoniensem Præsules*, experientiâ probatos; *Franciscum Baconum, Prætorem*; *Hajum, & Careum, Barones*; *Thomam Edmundum, Equestris Ordinis*, etiam eo honore dignatus est; ob operam in legatione Gallicâ præstitam. Cum his omoibus pepigisse *Bucingamius* Vulgò creditur, ut propugnarent Dignitatem, ac Auctoritatem suam, omni Occasione, ac tempore. Cæterùm, egit cum *Prætore Vrbano, & Annuis Magistratibus*, ut Urbem novis operibus iostruerent, ornarentque; Ipsequè *ulterioris Britannia* amænissimas urbes, magoificis operibus, exornavit; *trans Tuedam Ponte lapideo fabricato, cum anteà Sublicius esset*; *& Tai, rapidissimi fluminis, publico sumptu refecto, ad fanum* sancti Joannis. De ornandâ instrueodâque Patriâ plura destinavit, nisi Moles curarum divertisset. Curam Operum publicorum, & *Alvei Tamesis*, Præfecto urbis commendavit.

Hoc Anno, *Ioannes Limonus, Prætor Vrbanus, antiquam Civitatis Portam, vetustate penè collapsam, privatis opibus extruxit*; *Statuamq́, Regis equo insidentem*, triumphali effigie, superimposuit. Cum plerique inter Vicos, aut inter Vias, præ multitudine *Carrorum*, elisi, exanimatiquè essent; precibus

periclitantium

periclitantium commotus, publicâ Auctoritate *Aurigarios* coercuit; *præscripsitquè formam dirigendorum Curruum*, sinè cujusquam discrimine. 1616. Deniquè, *ad coercendas Inundationes Tamesis, ripas, defixis Palis, munivit*: Multaquè à multis privatis extructa sunt: sicut à *Ioanne Ionesio, Mercatore, Gerontocomium, Monumeti in Cambriâ, fovendis Quadraginta utriusquè Sexus senibus, Morbo, vel ætate invalidis*. & complura alia egregia. *Gymnasium* ibidem, instituendis bonæ spei Adolescentibus è Plebe; Cujusque viciniæ, Magister & hypodidascalus, Pensione Annuâ *Centum librarum* donati: institutumque, ut *Curatores Ecclesiæ*, in singulos Annos electi, reditus administrarent. *Neulandia Quinq; Millia Anglicarum librarum tribuit, ut Prædicatoris Inopiæ, & Pauperum Egestati, ibi succurratur*: distribuitquè *Mille libras, in Ministros Ecclesiæ egenos*: Nec parcius in singula *Nosocomia, Ptochodochia, & Brephotrophia urbana*, Liberalitatem exhibuit; & quosuis tali auxilio dignos. Summa summorum *Octodecim librarum Millia*. Prætereà, *Monetæ, Agrisquè commendis*, peculiares Amicos præposuit; omnium bonorum, quæ in Pauperes distribuerat, curam, societatis suæ consortibus demandavit.

Per hos dies, *Baro Toureus, à Franco in Britanniam Legatus, extrà ordinem decernitur*, annunciaturus quid in *Galliâ* gereretur: ubi honorificè exceptus, cultusquè est, quoad in *Angliâ* esset. *Rex* promptissimus Amicitiæ Conciliator, inter Regem, ætate paruum; & Proceres, Inopiâ, aut Ambitu res novas molientes. Non aliter *Vicinos fæderatos*, quàm Subditos curæ habuit; & Incendium illud *Galliæ*, muliebri dominatione concitatum, sedavit. De isto Sumptu legationum, aut minuendo, aut remittendo cogitavit, nisi *fæderati Principes* idem factitassent.

Inter quæ diu meditato, delatoquè sæpius Profectionis in Scotiam Consilio, quod vehemens & diuturnum desiderium visendi Patriam excitavit, continuæ curæ Gallici tumultus, & Germanicæ Tempestatis inhibuerunt. Præparat se, Comitesquè intimos, ac maxime Necessarios, dilectu habito; quorum alios, ære alieno laborantes, mæritaquè sua ergà ipsum allegantes, sublevavit, cum justas petendi causas probassent. Alios, infinito sumptu subversos, in integrum restituit. *Actum in Senatu, urgente Inopiâ Ærarij, ut à privatis, in Sumptum, mutuum acciperetur; ne Rex Oneri Popularibus, aut Reip: esset*; præpositusquè ei curæ *Suffolciæ Quæstor*; qui in corrogandis pecunijs, ad Iter tàm solenne & necessarium, singularem Industriam adhibuit, minore Civium quàm *Principis* gratiâ; excogitato novo, & inusitato Collationum genere, quas quidam è Plebe homines non approbarunt; hos levi Exilio punire satis habuit. Statim ut publicè innotuit *Profectionis Regiæ consilium*, emerserunt homines curiosi, non tàm veritatis cupidi, quàm Calumniæ avidi, qui proficiscendi causam fuisse calumniati sunt, *ut Regiæ Prærogativæ terminos, & Absolutæ Potestatis Privilegium, in Scotiâ propagaret*. Rex vindex Temeritatis, ne Contagio falsi rumoris latius serperet, literis ad Consilij Assessores datis, demonstravit, quo animo ad Patriam accederet, quarum exemplum hic subjeci. *Non possem nisi iniquissimo animo ferre, si vehemens & diuturnum Patriæ nostræ, & antiquissimi Regni Scotiæ visendi desiderium, torpente & frigido nostrorum subditorum affectu, in adventu compensaretur: idquè per multorum prejudicatas Opiniones, ex falsis rumoribus, vel Malitiâ, vel Errore sparsis, de Adventus nostri Consilio, & Causis. Visa est igitur nobis, ad sinistras hujus Itineris interpretationes præcavendas, commodissima via, si veras illius Occasiones, ingenuâ Confessione, vobis antè notas faciamus. Et primò quidem non pudet fateri, multis ab hinc Annis, flagrasse nos desiderio Patriæ, & Altricis terræ visendæ; qualis Amor Salmonem jam adultum revocat ad natales aquas. Qui instinctus Naturæ, interdiu noctuquè, ne quidem in Somno concessis Inducijs, nos instigabat ad viam; nec Quietis porrò ulla spes erit, donec Deus Opt: Max: nos ad Voti nostri finem perduxerit, & Honorem nostrum testamur, principem hanc nobis fuisse suscipiendi Itineris causam. Comitabatur autem hoc Naturale desiderium, Muneris nostri Regij, quum illic fuerimus, exercendi sollicitudo: ut sic impetu hoc Naturæ, ad Officij functionem uteremur. Quâ in re prima nostra cura erit, Subditorum nostrorum Querelas, quæ quidem nostram Præsentiam exigant, inspicere; & si usus postulet, vindicare. Proxima verò, Corruptelas, quæ nobis absentibus, loco moveri non poterant, auferre. Quod verò ad rerum Mutationem, in Statu Politico & Civili; fatemur quidem nobis illud fore gratissimum, si quæcunquè commodè & utiliter nobis præsentibus fieri possunt, nostrâ ope fiant: vellem tamen omnes, tàm quibus Consilia nostra non sunt ignota, quàm Cæteros fideles & bonos subditos, id sibi de Pudore nostro & Prudentiâ persuasum habere, quod nec optemus istbîc quicquam novari; nisi quod ad Dei gloriam, & Reip: bonum, & Subditorum nostrorum Commodum spectabit. Fortè etiam multa sunt in se quidem justissima; & quæ, salvâ Conscientia lege, à nobis optari possent, quæ nihilominùs propter varia, quæ occurrant, impedimenta, prudentes scientesquè omittemus; non exhibituri Subditis nostris in hujusmodi rebus Negotium; nisi tanto omnium Consensu, quàm Reip: bono, transigi possent. Seriò itaquè vos rogatos volumus, non modò ut ipsimet Prejudicatis, & sinistris de Itinere nostro Opinionibus, non detis locum; verùm etiam Cæteris bonis Subditis nostris mentem nostram faciatis notam; ut ex optatissimo hoc cum ijs Congressu, eâ fruamur lætitiâ, quam semper de illis studebimus mereri. Persuadete igitur vobis, & confidite; nos, quamdiu istbîc erimus, obnixè in eam rem daturos operam, ut omnibus appareat, non defuisse nobis voluntatem, quacunq; poteramus, bona faciendi; quanquàm nihil, nisi cum hâc Moderatione, facturi sumus, ut Populo nostro applaudente, & consentiente fiat.* His literis Calumnias acerbè loquentium discutere maluit, quàm vindicare. & *veras Profectionis causas* palàm professus est. Vehemens & diuturnum *desiderium visendi antiquam Patriam*; quo teneri se nunquàm dissimulavit; ac ordinandi Reip: statum. Adjecit & Regij muneris sollicitudinem, quæ præcipua causa fuit maturandi Itineris. Sed aliquamdiu cunctatus, an se in *Angliâ* contineret,

1616. *ob Galliæ Incendium*; *Germaniæ turbulentam Tempestatem, ex æmulâ Principum Contentione, ob Cliviæ & Iuliæ Possessionem*; *Italiæ deniq; dissidium, concertantibus de finibus, Venetis, & Archiduce Austriaco, Allobrogum Duce, Galliæquè, & Hispaniæ Regibus*; ubi celerius cognosci posset, quid in Regione quâquè gereretur. Tandem *vicit Amor Patriæ*, ne adhortantes, ac jam dudùm operientes *Scotos* destitueret; *& 14 Martij in Theobaldinas ædes progressus*, indè Iter in *Scotiam* facere cæpit, *Anno salutis*, Supputatione Anglicanâ, *M.D.C.XVI.* quæ temporis ratio *Scotis* non congruit, *Annum à Calendis Ianuarijs inchoantibus*: fuitquè hic Annus illis *Decimus septimus*. Quacumquè Iter fecit, jucundissimum Spectaculum Populo exhibuit; quod *duorum Mensium* spatio confecit.

Tyronius, claris Majoribus ortus, qui per tot Annos Potentiam *Anglorum* spreverat, *hoc Anno extorris Patriâ, & luminibus orbatus, in Italiâ perijt.* Insignia, & Ornamenta generis, Nominis, Honoris, occiderunt. Hunc *Hiberni* præcipuo amore, Benevolentiâquè prosecuti, ob animi Magnitudinem in periculis; in rebus gerendis Prudentiam; Charitatem in Patriam; prædicarunt *Vindicem libertatis, Dignitatisq; Nominis Hibernici.* *Angli* contrà, *Rebellis Ignominiâ* & Dedecore infamarunt; *Onelij* filium nequè credi, nequè dici voluerunt; *Matris Ignobilitatem* exprobrantes. Sed fama Fortitudinis, proximas Continentis Provincias pervagata, per *Italiam quoquè & Hispaniam* celebrata est; majore Nominis gloriâ, quàm fortunæ fælicitate. Post paucos dies, filius ejus, qui magnâ Indole fortitudinis, *Triennio, sub Spinolâ Imperatore Tribunus iverat*, miserum vitæ exitum habuit. *Bruxellæ, in Cubiculo trucidatus est, non ferro, non Veneno, sed fracta laqueo gula, suâ an alienâ manu* incertum. Ita *familia Oneliæ* penitùs corruit; cujus potentiam nulla in *Hiberniâ* æquavit.

1617. Scoti in Cultu Numinis nudi sunt, aperti; & Simplices, *omni Ornatu Cæremoniarum*, velut veste detractâ. *Rex qui Anglicanæ Ecclesiæ sacris ritibus, Organis, & Aris, majore pompâ assueverat*, quædam circà Cæremonias commutari jussit; & *Organa Musica in Sacello Sanctæ Crucis collocari, Solenni Cæremoniâ.* Exoptatissimus Princeps, quod Patrio more, & Ecclesiastico ritu fieri non poterat, gratiâ & Auctoritate affecutus est. Id factum, quidam *à Plebe Edinburgenâ* homines indignissimè tulerunt; quasi Sanctitatem & Religionem loci *Pontificijs Purgamentis* polluisset, maculâquè affecisset. At Prudentioribus tolerabilius visum est, *quod ipse in Fano suo duntaxat collocasset.* Posteà rumore percrebuit; *in Templa transferendas Aras, & Vestes sacras; subvertendam penitùs Purioris Religionis gloriam, tot Annis inconcussam.* Urbis Magistratus dolentes, parùm prosperè motos hujusmodi vanos rumores, *Plebejos* graviter increpitos coercuerunt. Post *Regis* discessum, *Londini* percrebuit fama, *migraturum Eboracum*, Domicilium Regni ei Oppido fato antiquitùs destinatum; *translaturum eò regni Opes, Archiva, & Iudicum Tribunalia.* Unde in *Citeriore Britanniâ* Vota passim, Supplicationesquè fiunt, *pro lato Reditu*; in *ulteriore*, pro fælicè *Adventu*. Ut *Londinenses* Discessus ejus afflixit, sic *Edinburgenses*, Adventus levavit. Tandem *Eboracensi Provinciâ*, proximisquè peragratis, *Scotiam* ingressus est. Repentè Rectores cujusquè Provinciæ, ingenti Equitum agmine, & magnâ populi frequentiâ, finibus suis receperunt; fausta omnia precantes, eximias laudes congesserunt. Quâ re suprà modum exhilaratus, *à suis Popularibus aliquandò, suâquè in Patriâ, se salutari.* Inter Turmas equitum, & officia prosequentium *Douglasium* penetravit. Ubi Adventus ejus *Humio* familiæ Principi, & *Tribulibus* gratissimus. Remissis ad hilaritatem, & ad omnem Comitatem animis, Orationem in honorem suum meditatam non gravatè audivit. Convivatum opiparè: *Angli Illustriores, Scotiaquè Proceres*, ijsdem Triclinijs concelebrant Convivia. Nec Irritamenta luxus desunt. *Rex neminem Amicorum Cænæ adhibuit, præter Bucingamium, quem in Itinere sæpè Secreto Sermone detinuit.* Postero die, digredienti *Regi* summam habuit gratiam *Humius*, quod ultimò Abiens, & primò Revertens, ædes suas Præsentiâ Majestatis decorare dignaretur.

Indè Setonum, xv. *Maij*, frequenti Procerum cætu, magnoquè comitatu occurrentium, prosequentiumquè, perrexit; ac ibi *Hospitio filij usus est, sicut Patris ejus consueverat.* ubi nemo *Anglorum*, Hospitem in Epulis Negligentiæ, aut Incivilitatis arguere potuit. Et *Ioannes Gellius, Medicus*, celebravit latinis Carminibus laudes ejus; quæ extant futuris Sæculis. Nonulli Versiculis quoquè exprobrarunt *Anglis*, sinè Invidiâ, fælicitatem, in fruendo optimo Rege; & suam vicem defleverunt, in carendo.

Postero die *Setono* movit; & *Edinburgum versùs*, densissimo Procerum agmine, incessit; magno desiderio *Civitatis*, favore etiam *Vulgi*; erat enim in Ore, in Sermone omnium; Ingredientiquè *Occidentalem Portam*, in maximâ lætitiâ, ac incredibili omnis ætatis, Sexus, & Ordinum gratulatione, *Urbici Magistratus Purpurati, Cives Togati* prodeunt obviam, Regem Augustumquè salutantes, ac fausta omnia apprecantes. *Ioannes Hajus, Syndicus Civitatis*, luculentam Orationem habuit; quâ eximias Animi Corporisquè dotes, Pietatem, Virtutem, Fælicitatem, Æquitatem, Prudentiam, ac Ingenium Eloquentiâ, Doctrinâque præcellens, commendavit; super alia fausta nomina, *Patrem Patriæ, Sæculi sui Ornamentum, & Sidus Septentrionale appellavit*; ac uberimum fructum virtutum prædicavit; per Illum se vivere; Otio, Dignitate, Hilaritate, & fortunis suis, ita, uti vellent, frui. Deniquè immensum Civium amorem, & Subditorum Benevolentiam testatus est. Peractis ibi cæremonijs, inter faustas gratulantium voces, ipse venerabundus *Sancti Ægidij templum*, ædem Sacrarum maximam, adijt, & vota pro Reditu persoluit; quò publicè Pietas emineret;

Numenquè

Numenquè oravit, ut Consilia sua Reip: prospera essent. *Ioannes, Archiepiscopus Andreapolitanus*, Concionem habuit; *exorsus à Populi Israëlitici precatione pro Davide Rege, (ut illius Votis Deus annueret, & Consilia impleret,)* quâ Salutationis formulâ fausta omnia precatus est; incenditquè gaudia hominum, Studiaquè Plebis. Numen veneratus, confestim *in Palatium Sanctæ Crucis* se contulit; ubi divorsatus, nullo genere festivitatis se continuit. Curiæ aditus, *Academici Edinburgeni Musæ*, Carminibus exornarant; laudantes virtutes ejus, gratantesquè. Ipse diem Adventu suo festum lætus celebravit; *Proceribus* Comitatis exquisitissimæ, in conspectu suo Cœnam præbuit, insigni Hilaritate; *& præcipuè Bucingamium respexit*. Cum Convivæ epulari inciperent, *Urbis Magistratus* revertentes, ut publicam lætitiam augerent, splendidissimum quemquè *Equestris Ordinis* invitant; lauto Convivio adhibent; non solùm in publico, sed & de publico. Ubi jam vesperaverat, gratuita illis hospitia decernunt. *Nec parcius Cives Servis Comitibusquè Cœnam tribus ferculis præbuerunt*. Hinc maxime cognitum est, quantum *Iacobus* Amore & Benevolentiâ apud Populares valuerit. Hoc summatim dicam, *nunquàm Illustriora exempla in quoquàm Rege Popularitatis; in Populo Amoris & Officij extitisse: Neminem magis Libidinis, & Avaritiæ notam à se amovisse.* 1617.

Edinburgi per Triduum commoratus, donec *Comitia Regni* ordinarentur (Senatus id Negotium ad Principem retulerat) *Bodotricum Sinum* trajecit; & *Falcolandiam* Avitum Dominatum festinavit; ut Exercitatione *venandi* se Comitesquè oblectaret; tunc *Fifa* ora circuitâ, *Fifani Equites* nullam Occasionem prætermiserunt, in testificandâ suâ lætitiâ; omni officiorum honore grate pieque prosequentes. *Kinardum visit domum*, ad varias voluptatum illecebras instructam: ubi delectationem nullam magnoperè desideravit. *Tajodunum Oppidum* ingressus est, non sinè Commendatione, & Comitate publicâ. Reliqua non adijt, ne Officij causâ inquietaret.

Nec mox Occasio traijciendi in *Lothianam Regionem* defuit; ut Natalem suum, *in Arce Edinburgenâ, ubi natus erat XIX Iunij*, summâ Comitate celebraret. Ibi *Proceres Anglorum* in maximo honore habuit; non minùs facilis & benignus *in Scotos*: qui sponte atquè Consensu hunc diem concelebrarunt. Cives Urbani, reverso liberalitatis, Civilitatis, Observantiæque multa & magna documenta dederunt. Lætissimusquè is præfecto dies Civitati fuit. Hoc die, *Scotorum Procerum Conjuges, liberosquè* splendentes gemmis, Cultuquè, ad festum induxit; existimans Claræ stirpis Sobolem sic notescere, & pro gradu cujusquè in Subsellijs collocavit. Post dimissum Convivium, *Choreis Virginum, Procerumquè*, Tibiarum concentu Arx perstrepuit. Numerosam Cohortem Puellarum, *Bucingamius* invisit. Perstinxit rumor Libines, Amores, Adulteria; *singularum nomina acerbissimè enumerans*. Ferunt hic *multas sollicitasse ad Stuprum; Quasdem corrupisse; donaquè plurima & immensa tribuisse; unam adultam ætate virginem Pensione CC librarum auxisse*; Continentiam neque peregrè, neque domi præstitisse; *Illustrium Matronarum concubitu vix abstinuisse; sumptum effusum cum probro atque dedecore; Notam domesticæ Turpitudinis inustam; pollicitum sæpius Matrimonium suum, si poteretur desiderio.* Auxit hujus rei Rumorem flos Juventæ, in libidinem proclivis; Candor ejus, & Proceritas; vultus, Oculiquè dederunt isti Suspicioni locum.

Versa hinc in Remp: cura. *Comitia Edinburgi habita*, quantâ non aliàs celebritate; *Proceres in Purpurâ clamydati*, equis magnificentissime instratis, incesserunt: *Scoti, Angliq., Supremi Ordinis, mixtis Suffragijs, interfuerunt*. *Rex* celeberrimam Orationem habuit, quâ *Patriæ* visendæ, juvandæquè flagrantissimum desiderium exposuit. Laudavit Amorem benevolentiamquè Civium, pro Adventu tantoperè gratulantium; excusavitquè diutinam Absentiam; & graves Occupationes, quæ ipsi nullam partem, neque Diurnæ, neque Nocturnæ Quietis impertirent; dixitquè amplissimè, quid è Rep: censeret; & quibus remedijs, gliscentibus, absente se, vitijs resisti posset; quæ nondùm prævalida, & adulta, remedium pati possent. De *Regia Potestatis Privilegio* paucissima verba fecit, ne intempestiva mentio plùs Damni, quàm Commodi in Remp: ferret. Simul indecorum putavit rogare atquè orare, quod non impetraretur; aut vetera Regni fundamenta convellere. Deniquè *Iudices* oravit, atquè obsecravit, ut tenuiores multis Injurijs jactatos, atquè agitatos, sublevarent; Vi, fraude, gratiâ circumventos, aut injustè oppressos vindicarent; perditos flagitiososquè punirent; Afflictorum querimonias de Potentiorum Injurijs audirent: in Potentioribus rationem Officij desiderarent; Incolumitati Civium, Paci, Otio, Libertati, consulerent: *Ecclesiæ* Ministris vel Ornamento, vel Præsidio essent; monuitquè omnes Subditos, ut nihil præter æquum atquè fas peterent, aut impetraturos se confiderent; Conditione adjectâ, si criminosè calumniarentur iniqua Judicia, Direptiones Bonorum, Vim, aut Contumeliam, par periculum pœnæ subirent. Quâ Oratione Multitudinis animos ad Benevolentiam sui pertraxit. Hanc verò ipsam, verbis electis graviter ornatèquè pronuntiatam, legere licet *in Operibus Regijs*; quæ quantam Ingenij gloriam literis consecutus fuerit, abundè testantur; Quotquè Orationibus, Subditos, Ministrosquè ad Pietatem, Probitatem, Pudorem, Sanctitatem cohortatus fuerit.

In Comitijs, Patrio More, Apolecti maximâ curâ creari soliti, qui de Negotijs ad publicum gentis Concilium referendis antè consultarent; & Postulata Civium Ordinibus proponerent. Propter Magnitudinem Potestatis, hoc Munus *à Proceribus* ambitiosè contenditur; delecti sunt *Summi Ordinis homines*, ut præcipue suis Cervicibus Munia Reip: sustinerent, in *Apolectorum* numerum. *Sanctioris Consilij Assessores, aut Ministros Regios adscribi non debere, Dunt-pacis Comarchus, audax, & alij ejusdem Ordinis,*

1617. *Ordinis*, pertinacissimè contenderunt, ne cuncta ad libidinem *Principis* agitarentur; & Civitates Vectigalibus premerentur. Sed non prævaluerunt, Contradicentibus pluribus, non esse ullos digniores Senatorij Ordinis viris, & Officialibus Principis. Qui lecti probatiquè *sederunt in Concilio Apolectorum*, quod ex delectis constat viris, *ad inhibendam Postulantium licentiam, nisi preces Iure & aquitate niterentur. Duni-pacius* tantum, & cum eo *Septem Comarchi*, in priore Sententiâ perseverarunt. Nequè ideò *Libertas loquendi* cuiquam in Conventu damno fuit. Primum honorem Numini præstitit, ut à Majoribus suis sapientissimè constitutum. Ad *Divini Cultus* curam conversus, *Præsulibus* Potentiam, Dignitatem, gratiam, *Comitiali Authoritate* restituit; & pro temporis Conditione, hujus Ordinis commoda auxit; non sine *Publici Patrimonij* detrimento. Commendavit illos *Proceribus Regni*, ut eorum Suffragijs suam dignitatem tenerent. Nam Ecclesiam adhuc turbabant *Cathororum reliquiæ*, Ministrorum & Numerum, & Beneficia ampliavit; *Stipendiaq, minima ad Summam Centum Aureorum redegit*; ut Comitialibus Actis continetur. Nonnullos etiam ex Priscis Cæremonijs, Negligentiâ conturbatas & confusas, instaurari curavit: *ut Pelves in Lavacro: Cyathos in Eucharistiâ, proprio ac peculiari Ecclesia usui; cum promiscuè antea quibuscunq, Vasis uterentur.*

Disciplinâ Sacrâ ordinatâ non minore Justitiâ, quàm Pietate, Reip: profuit. *Eirenarchas*, ut Paci & Tranquillitati Regni consulerent, cujusquè Provinciæ negotijs præposuit; ac Conservatores Pacis, *Constabularios Vulgò vocitant*, ex inferiore Censu instituit. Hos quasi Reip: Villicos, non modò in Urbibus omnibus, verùm etiam in Provincijs singulis, vicatim, Cives sibi deligerunt, propulsandis Injurijs, & coercendis ferocioribus ingenijs, quæ nondùm exoleverant; ne quod perspicuum flagitium impunitate, Negligentiâquè elaberetur. Finitimos Consuetudine, Licentiâque inveteratâ per Agros vagantes, succingi ferro, quasi tuendi sui causâ, inhibuit; quos singulos Familiarum Principibus finitimæ cujusquè Provinciæ delegavit; gravi pænâ propositâ, si clàm palàmvè grassarentur. Leges etiam quasdem utilissimas sanxit; uti in Possessione Hæreditariâ 40 *Annorum Præscriptionem*; ne in incerto essent rerum Dominia, & lites immortales; quibus peragendis vix suffectura Litigatorum ætas. Mendicando viventibus modum præscripsit; ut plerique in Parochijs, opibus præstantes, aliquem alerent. Familiarum Principum Consuetudinem acerbissimam, in Mulctatione bonorum, licentiamquè in exigendis Tributis, & Collationibus, ab Agricolis, severissimè cohibuit; cavitquè ut nequè ipsi dùm viverent, nequè insequentium ætatum *Phylarchi Hibernici*, exigerent *Oves aut Boves* à Colonis. Pleraquè in publicis moribus emendare aggressus est. Ab Otio traduxit Plebejos, ad honestas & utiles vitæ artes; & *Præfectos Iuridicos* perpetuos, per gratiam aut preces exorabiles, *Annuos* efficere est conatus; ut Jus æquabile Subditis Provinciatim redderetur, sinè Odio, Irâ, aut Amicitiâ; Debitores Creditoribus satisfacerent, per æstimationem bonorum. Cum autem pleriquè Procerum ære alieno laborantes, *Præfecturas hæreditarias* obtinerent, & eò facilius se obligarent, Author fuit, ut Certa pecunia singulis, *pro hæreditario Munere*, ex Ærario constitueretur, aut Bonis caducis; quâ Conditione emit, alios admisit ad honores, si Præfecturis cederent; hortatusquè est sæpè Cæteros, ut pro bono publico, eorum exempla sequerentur. Deindè, si quos pertinacius resistentes animadvertisset, æquissimo animo tulit; extorquere Possessoribus noluit, ob multa & magna Majorum decora. Præfecturas, quibus pretio, aut gratiâ potitus est, Reip: contribuit; & idoneis viris cujusquè Provinciæ, per vices, delegavit. *Sumptuariam legem* non exercuit, à Comitate sinè Luxuriâ non adversùs. Novis Vectigalibus oneravit Merces peregrinas; ut Divites quoquè frugaliores fierent. Comites, Servosquè, exemplo suo, ad Temperatiorem vitæ rationem, in Victu Cultuquè, traducere est conatus, qui pudendi Luxus arguerentur. *Hajus*, Munditiarum, lautitiarumquè studiosissimus, studio Magnificentiæ, hominum Invidiam sibi conflavit: quod tàm magnificis ædibus, tàm amplâ Supellectili, tantâ cultus elegantiâ, profusissimo in Victu sumptu uteretur; exemplum Luxuriæ, publicè & privatim, dedisset Juventuti, in Vitâ & Moribus; ac imitandi licentiam induxisset, in pernitiem publicam. *Rex* objurgavit *Hajum*, sicut mitissimus Parens, quod, illius Imitatione, *in Luxu* ab omnibus peccaretur. Respondet *Hajus*, se nullâ cupiditate inductum, de viâ decessisse; sed Dignitati & gloriæ *Principis*, *ac Patria* inseruisse, apud Subditos, apud Exteros; sibi ex communi *Luxu* Juventutis Invidiam conflatam; Humanitatis, & Hospitij Officia, publicè aut privatim exitiosa non esse. Objurgatio fuit lenis. Posteà, quotidiano sermone, multa de *Luxu*, Incontinentiâ, Intemperantiâquè disseruit; de Vitijs Juventutis, & Corruptelis; hortatusquè est Comites, Servosquè, ut Moderario in Magnificentiâ, teneretur. Hinc meruit, ut optimi Status Auctor dicatur; Spesquè haud dubia fuit, mansura fundamenta Pietatis, Justitiæ, Ordinis, virtutis, quæ jecit; si futuri *Principes* ijsdem vestigijs niterentur.

Inter tot læta, aliquid forte Adversi accidit. *Batavi* præpotentes Terrâ Mariquè, *Piscatione Maris Britannici*, ad factum, ditati; *se Maris Dominos*, summâ Ambitione prædicarunt; & *Libello edito, Mare liberum* temerè prodiderunt; ignorantes, vel dissimulantes, *Piscatoribus Batavis, & Mattiacis, licentiam Piscandi apud Orcadas Insulas Pisculentas, Diplomate Regio concessam, die Lustrico Henrici Principis*. Quâ freti, in *Mari Scotico*, pluribus Annis *piscati* sunt; & nunc quasi proprium Jus sibi asserere cæperunt. *Rex* prudens moderandi, & gnarus, *Iure gentium distinctum in Mari Dominium*; Superbiam aversatus, *Batavorum* Impetus & Conatus repressit, Auctoritate, Consilio, Prudentiâ; *& Novum Vectigal Maritimum imposuit Piscatoribus, qui apud Orcadas piscarentur.* Quod *Ludovico*, *Leviniæ Duci*,

Diplomate

Diplomate concessit. *Ioannes Brunus*, Servus ejus, Authoritate communitus, hâc Æstate, *apud Orcadas, Piscatores* ad se convocavit; & petere cæpit, *ut Halecum vectigal præstarent*. Illi novo & insolito *vectigali* perculsi, rem *ad Bellicarum Navium Præfectum* detulerant; qui Congressum, Colloquiumquè *Bruni* postulat; & *Diplomatis* Inspectionem. Ait se velle etiam atquè etiam illud considerare. Ille nihil timens, exhibuit. Audax & improbus *Navarchus*, spretâ Diplomatis, & violatâ amicissimi *Regis* Auctoritate, *hominem liberum in Patriam secùm avexit*. Hujus facti fama ad *Regem* pervenit; qui non minùs Auctoritatis Regiæ defensor, quàm suæ salutis, Injuriam tàm acerbam ægrè tulit. *Ordines* homini minari acerrimè cæperunt, cùm audirent violatum Regem, in antiquissimo, & clarissimo Regno suo; *Diplomatis latorem abductum*; decreveruntquè, *non Præfecti solius hoc esse flagitium, sed eorum si approbarent; aut si tantam Injuriam impunitam relinquerent*. Quarè *Brunum* cum Muneribus dimiserunt. Porrò *Præfectum Navis in Regis potestate fore responderunt*. Rex natura lenissimus, atrocem Injuriam publicæ utilitati remisit. 1617.

Peractis Comitijs, Bodotriam iterùm trajecit, prosequente & præparante omnia Senatu. *Fanum sancti Ioannis* invisit; Cives venientem omni ornatu, apparatuquè visendo acceperunt, & prosecuti sunt. Urbis Amænitas, & admiranda Cæli Salubritas, *Regem* Comitesquè recreavit. Ibi Clementiæ, Benignitatisquè Monumentum reliquit. *Pontem Tai, rapidissimi fluminis*, impetu disjectum, publico sumptu refici jussit; majoremquè partem pecuniæ dedit. Inde *Andreapolim* pervenit; & ibi quidem comiter acceptus, faustis Civium Acclamationibus. & universi *Musæ*, Adolescentes humanissimi & doctissimi, meditatis, ad Memoriam virtutum, Carminibus, *Festum diem Adventus ejus celebrarunt*. Præ Verecundiâ omitto *leviores Versiculos*, qui possunt lectitari, indecorâ *Adulatione* expressi; & Orationes, multaquè varij generis solutâ Oratione à doctis hominibus composita. *Academicos disceptantes benignè, patienter, & attentè audivit; non tantùm in Philosophiâ, & Mathematicis Disciplinis; sed in Theologiâ etiam, de Absolutâ Principis Potestate*, cum Modo & Modestiâ: tum vel maximè, cultu Literarum clara præstantiaquè ingenia fovit: *Doctoribus Sapientiæ* in Mensâ, quotidianoquè Convictu familiarissimè usus est: *Bibliothecam Græcis & Latinis Authoribus auxit*. Cum *Septem dies* eâ in urbe consumpsisset, *Sterlinum* redijt; ut Splendorem suum ei Urbi, *in quâ alitus est*, ostenderet. Ubi honorificentissimè cultus, accitos, per Nuntios, *Academicos Edinburgenos*, Philosophicis studijs, atquè optimis Artibus præditos, vehementissimè disputantes peratttente audivit; *eorum Disputationibus mirificè delectatus, Musæum Edinburgenum Regio nomine decoravit*. Hæc quæ longiorem desiderant Narrationem, summatim perscripsi.

Cum *Vrbes* amplissimis honoribus & Præmijs coluissent, *summi Proceres* hospitio amantissimè acceperunt. *Hamiltonius Abercorniæ Comes, & Marchio, familiæ Princeps*, ambo inclyti Nobilitate, & Divitijs, magnifico apparatu, & summâ Comitate prosecuti sunt. Instructæ domus amplâ Supellectili, & rebus omnibus necessarijs ad Convivia, & varias omnium Voluptatum illecebras. Multa *in Marchione Affabilitas, & Humanitas* visa, quæ commendabilia apud *Bucingamium* erant, ob Suavitatem Morum: & in hâc Suavitate, Humanitatis Sodalitas est instituta. Quamobrem à Rege, insinuante *Bucingamio*, invitatur in Aulam, & in Amicorum Cohortem adscitus, eò se libentissime contulit. Ubi aliquot Annos, securè & fæliciter vixit; *nisi quod Bucingamij Familiaritas ei objecta sit*; quanquàm multi Nobiles Adolescentes ex omni Ordine, atquè omni ætate, huic homini studuerunt. Tot igitur Annos versatus in Aulâ est, optimi cujusquè firmus & fidelis Amicus, sinè Suspicione, sinè Infamiâ. Fuit assiduus cum *Pembrochio*, Nobilissimo viro, cum disciplinâ domesticâ, tùm naturali Bonitate; & optimis *Proceribus* se dedidit.

Rex tandem *per Glascuam in Angliam*, magnâ cum Catervâ Amicorum, redire cæpit; & discedens Singulis *Proceribus, ac Magistratibus* valedixit, promiscuis Salutationibus: *Comarchos, & Cives* cum bonâ gratiâ demisit. Difficile dictu est, quàm illum Populares dilexerint; quàm ægrè illo caruerint. *Repentino Discessu indicatum est, quàm Civibus charus fuerit. Tanti fletus, gemitusq; fiebant, ut acerbissimus totâ Scotiâ luctus versaretur*; apertè mærebant, palàmque lamentabantur se miserrimos, *qui Rege tùm caruerint, cùm maximè inciperent frui. Auxêre Virorum mærorem fæminæ, Puerìq;, planctu & lachrymis*. Ipse *Scotos*, suo Discessu mærentes, desolatosquè reliquit; & præmisso Nuntio, lætus *Carleolum* proficiscitur. Ubi Cives, Benevolentiæ testificatione, cum finitimis *Scotis* certaverunt. Inter hæc, *Carus Farnihurstiæ familiæ Nothus*, Naturâ & Moribus inquies, gladio & Sclopeto succinctus, *Patriam Bucingamij* sanguine cruentare destinavit, ut *Somersetti* Propinqui sui Injuriam ulcisceretur, forti ac memorabili facinore. Verùm, facinus suum secùm reputans; vel notabili animi perturbatione, timorem aliquem ex Conscientiâ significavit; vel infido socio nefarium Consilium aperuit; qui Iaditio prævenit Crimen. *Detulit, suis manibus Necem afferre voluisse; Sclopetum quoquè, in Necem Comitis paratum, ostendit*. Cum ista Suspicio *Regi* relata esset, concitatus Irâ, comprehendi *Nothum*, vinctumquè ocyus attrahi ad se jussit. Interrogatusquè, quâ Amentiâ subactus, infandum facinus patrasset? Cum isférociter negaret, vinctus in Carcerem abreptus est. Sed cum Suspitionibus magis, quàm Probationibus premeretur, post diuturnum Carceris Squalorem, Veniâ & Incolumitate donatus est.

Rex multis Provincijs peragratis, *Londinum redijt*. Deus Immortalis, *quàm valdè Cives ejus Reditu læti*, in equis torquati frequentes obviam eunt. Ingressus *Regiam*, Senatum extemplò vocat.

1617. Peractis *Primorum* Salutationibus, & Congratulationis Cætemonijs, revocat se ad curam Reip: tunc *Feltono*, viro docto, de Ecclesiâ benè metenti; *& Montano, Decano VVestmonasteriensi, Aulica pompa dedito, Episcopales honores decernit*: & præclarum Edictum proponit, ad pacandas *Northumbriam, Cumbriam, & VVestmariam*, finitimas Provincias, superiorum temporum Licentiâ turbidas; ut utriquè Regno subveniret; & Latrocinia, ac Direptiones bonorum coerceret, sinè tumultu, ac sinè Armis.

Vetusta Panni Societatis Mercatoribus, peregrè negotiantibus, vetera Privilegia & Immunitates, Edicto restituit. Similiter sanxit, *Ne Subditi Alumine uterentur importato, existente jam summâ domi materia copiâ, in Agro Eboracensi*; quam periti Artifices è terræ Cavernis elicuerunt. Vetuitquè Edicto, *Ne fila Auri aut Argenti importarentur*. Quæ ad Luxum magis, quàm ad *Necessitatem* faciunt. *Magistro Curia Pupillorum, & Assessoribus*, Mandata quàm amplissima dedit; *ut Impuberum, furiosorum, Idiotarum Custodiam, & Tutelam, Matri, aut, eâ mortuâ, proximis Agnatis, modico ex Censu pretio locarent*. Censuitquè, ut omnia, quæ ad Alimoniam necessaria essent, præberentur: impensæquè liberaliter cuiquè, pro dignitate familiæ, præstarentur. Ea *Regis* mandata Nobilitati Populoquè grata fuêre.

Ne Exteri quidem *Regia Humanitatis* expertes fuêre; etenim, nihil æquè sollicitum habuit, *quàm Batavorum salus, & libertas*. Quam cum Religionis dissidio infringi, & imminui videret, se Vindicem & Assertorem professus, *Batavos* literis edocet, *Nihil esse in Rep: tàm diligenter, quàm Religionem retinendum; eam palàm jam ab Erminianis enervatam, & in summum discrimen adductam*; nisi tempestivè remedium adhibeatur. *Dudleus Carletonus, Equestris Ordinis, ejus legatus apud Batavos, optat, ut turbis, ex Religionis dissensione gliscentibus, consulerent; parùm prosperè motas ab Erminianis Religionis Controversias pacarent; revocarent in Memoriam tempora Reip:; Vrbes Cade, & Incendijs liberarent; Subsidia & Officia à Rege suo exspectare jubet, qua à Socio Amicissimo sperare fas esset; propter Veterem Amicitiam, & Conjunctionem*. Haud vilis, levisquè apud Bonos omnes *Legati Auctoritas* fuit; nec defuit in Senatu Approbantium consensus. Missi ad *Erminianos* Nuntij, ut ab illâ mente desisterent; Neu Remp: distraherent. Qui responderunt, Nihil se mutare Sententiæ. Et posteà *Concionibus perniciosis incitarunt Populi animos, ad Seditionem; Maledicta in Mauritium conjecerunt. Vrbes armorum strepitu, & tumultu hostili fremuerunt; furor Cives Amsterdamos, & Roterodamos, ad arma impulit; qui cum urbanis Militibus bellum intestinum conflare voluerunt*. Haud procul aberat fatale exitium; quod, initio belli Civilis, quidam ingeniosus Poeta denuntiavit.

Capit ab irutâ bellorum Plebe tumultus.
Finis, ab iratâ Plebe, tumultus erit.

Fuerat animus *Erminianis*, cuncta conturbare, *Berneveltio Authore, homine gravi, & Cive egregio, nisi Erminiana Secta studium, pessum dedisset*. Concitatione & Seditione nuntiatâ, ex omni Fece Urbium, & Servitijs; *Mauritius*, Vindex Temeritatis, Seditionem Authoritate sedavit. Horum impetus, & Conatus repressit, Magnitudine animi; Consilijs restitit.

Hujus domestici Motus, sivè Amentiæ principium altius repetam. *Arminius, Lugduni Batavorum, Theologia Professor*, vetera Propugnacula, Murosquè Religionis Instauratæ sustulit; & Novas quasdem Opiniones effinxit, *de Pradestinatione divinâ; de Morte Christi; de libero Arbitrio; & Gratiâ; de Modo operationis Gratia divina; de Perseverantiâ Credentium*. Qui istius hominis Sectam atquè Opiniones secuti sunt, *Erminiani, & Remonstrantes* appellari cæperunt: & *Contra-remonstrantes*, sive Purioris Religionis Professores contrariam Sententiam vehementissimè tutati sunt. Flagrantes in Concionibus contumeliosissimis verbis, voce maximâ, & Altercatione indecorâ, eò Contentionis devenêre, *ut Contra-remonstrantes, Remonstrantes de Religione impiè sentire dicerent; & improbis Concionibus Remp: vexare. Erminianorum Opinionem, haud procul à Pontificiorum doctrinâ abhorrere*. Tantis in Naufragijs Civitatum, & periculis Reip: *huic Nova Opinioni, Optimatum Concilium Edictis resistere capit*; & non pati, ad pernitiem Reip: mutare; ac flagrantes audacius in Concionibus *Erminianos, Carcere coërcere*. Qui suos dentes in *Mauritium*, fortissimum Imperatorem, & Optimum quemquè acuebant; eum non Criminibus modò, sed Contumelijs etiam lacerantes. *Mauritius*, ut multa alia sapienter, ita *Convicia Erminianorum* æquo animo tulit. In hoc maximo Motu, *Dudleus Carletonus*, qui præsens erat *in Publico Ordinum Concilio*, exorsus à Muneris sui ratione, ut qui Regiæ voluntatis, & Benevolentiæ apud *Batavos* interpres esset, *petijt ut Pauca sua verba audirent*. Erectis omnibus expectatione, graviter deploravit *Miserias Batavorum, afflictum perditumq; Reip: statum, quem florentissimum docuerat antè Religionis dissidium; turbida Concilia, qua intrà Parietes urbium, in publicam pernitiem inirentur, ut liberam Remp: vel liberis hostibus subijcerent; vel penitùs domesticâ Seditione labefactarent, convellerentquè; Cives conjuratos, cum Armis in Campos deduci; infestaquè Reip: Vulnera, qua sanari non poterant, nisi Ense, vel Carcere. Hortatus est Ordines, in periculo Religionis, ac libertatis, cum fundamenta Ecclesia convelli videant, ferre Opem Religioni; succurrere Saluti, fortunisquè Civium; Virtute, Consilio, Vigilantiâ, Curâ, discrimine Servitutis atq; Interitu liberare Patriam; impios Erminianorum furores Potestate atquè Auctoritate refrænare; qui concitatas Populi mentes penitùs inflammarent. Adjecitquè, in tanto Metu & periculo, unicum in Terris Remedium superesse, Plenarium Provinciarum omnium Concilium; ubi Controversia possent agitari, & finiri,*

1617.

& finiri, re ex utrâquè parte perpensâ. Deniq; Regis sui Mandata, & Consilia Ordinibus edidit; ut viderent ne quid Ecclesia detrimenti caperet, neu quid tumultus oriretur; Synodum indicerent; intercluderent omnes Seditionum vias; Mala quæ impenderent, Belgio arcerent; munirent Præsidia Ecslesiæ, & Reip:; Orbis Christiani Paci & Tranquillitati consulerent, ne in ipsâ Consultatione Negotij opprimerentur. Insuper Commemoratione *Regia* voluntatis ergà *Ordines*, omnes commovit; & Mentionem fecit de literis à Rege Amicissimo, & Socio allatis; quibus significavit, *Batavis* Concordiâ & Conjunctione animorum opus esse, in hâc causâ; in quâ *Hollandiæ* Salus verteretur; rogavitquè, ut quid sui Consilij esset, *Regi* aperirent. In hoc Conventu transigi nihil potuit, cunctante *Ordinum Senatu*; ne planè alienarentur *Erminiani*, si quid durius in eos statueretur. Postero die, *Legatus* in Circulis palàm ab *Erminianis* exagitatus varijs Calumnijs; & *acerbißimo Libello* in summam Invidiam adductus; quæ res acerba, & indigna *Ordinibus* videbatur. Itaque decernunt, *placere, Auctorem reum fieri rerum Capitalium; & Typographum pari pœna obnoxium.* Neque solùm hujus generis publicæ, sed & privatæ Querelæ apud Ordines habitæ. Homines ex cunctis Provincijs, publicè privatimquè venerunt. *Amsterdamum, & Roterodamum,* honestissimæ Civitates, vehementissimè suas Injurias persecutæ sunt; *& Postulata Mauritio ediderunt; quæ non Postulata, sed in Erminianos Crimina videbantur. Istorum Iniquitatem, Crudelitatem & Injurias in Socios ac Cives graviter questa sunt.* Ille consultus & sagax, rem se dignam facturum existimavit, *si pro Batavorum Salute,* Virtute, Consilio, Providentiâ excubaret; & ferocissimorum hominum Conatus reprimeret. Cum itaquè multa fieri in pernitiem publicam animadverteret, *veluti bellicos apparatus contrà Ius & fas*; ac præsagiret Religionis dissidium, turbatum Materiam fore, *Ordines* consuluit de Statu Reip:, veritusquè periculum & tumultum, ex Concitatione animorum, *Contra-remonstrantes adversùs omnem Injuriam, & Vim protegendos suscepit.* Sed dùm ultrò citròque de his rebus Sermones commeant, *Berneveltius, ut Author Contentionis, & Princeps adversæ factionis infamatur.* Ille gnarus quibus Criminationibus peteretur, *Apologiam edidit*; arguens, ab Invidis, atquè Obtrectatoribus has Calumnias confictas; & Merita atquè Officia sua in *Batavos* extollens; haud dubiè *egregius Civis, nisi Erminiarum Partium studium transversum egisset.*

Posteà disceptatum, *Quod Ius in Sacris Ordines obtinerent? Erminiani* responderunt, *Religionis Iudices Ordines esse; & eorum Auctoritati, ac Prudentiæ, Sacra Religionemquè commendari. Instaurata Religionis* Professores decreverunt, *ut ad Ecclesiæ Synodum Religionis Controversiæ referantur. in Conventu Ordinum de Iure Belli ac Pacis statuatur.*

Sed me ab *externis rebus* ad pensum meum revoco. *Cokus foro & Curiâ depulsus*, honore, æquo animo, aliquamdiu caruit. Mox cupidine adipiscendi Potentiam, & *Bucingamij* gratiam, *filiam venustam Virginem, & satis locupletem, Ioanni Villerio, Comitis fratri majori, despondit.* Cum illa quæ agerentur vix sciret, uxor fœmina ferox, in hoc Casu melioris Consilij; quæ providit futura, & iniquam Sortem filiæ, *si Connubio conjungeretur; Maritum orat, ut reddat ærumnosæ Matri filiam; neu exitiosâ Affinitate domum pervertat.* Ille certus Propositi, *invitam Ioanni Villerio in Matrimonium collocavit*; meliore Spe, quàm Eventu. Nuptiæ inter Lachrymas Sponsæ, & gratulationes Aulicorum concelebratæ. Ne sic quidem *Cokus* Potentiam, aut gloriam assequi potuit. Nam nullo, præter *Senatorij Ordinis*, honore impertitus, *mansit infrà Proceres.* Uxor pro despectißimo posteà habuit; contumaciter inurbaneque vexavit, ac Contumelijs in *Bucingamium* vix abstinuit; tàm indignam *Sortem Filiæ palàm detestans.* Quarè ob contumacem & malevolum animum, *in Custodiam Seniori civitatis tradita est.*

Nequè multò post, *Nuptiæ Haij & Luciæ, Northumbriæ Comitis filiæ, celebratæ,* meliorem exitum habuerunt. Eâ tempestate *Vinvodius ab Epistolis,* vitâ functus est. Et *Robertus Nantonus* Equestris Ordinis, Doctrinæ studijs clarus, in ejus locum suffectus, summâ cum Salute Reip:; cui semper erat molestus, *Vndimarinus Comes, legatus Baticus*; quem *Speculatorem potiùs* ad opprimendam, *quàm Legatum* ad conservandam remp: existimavit. Sed iste Ludibria serijs permiscere solitus, tantam Authoritatem apud *Iacobum*, Obsequio, Facetijs; quantam apud suum Regem, Curâ & Industriâ, obtinuit. Et indies urbanâ Dicacitate, ac quotidianis Collocutionibus, *Bucingamio, & multis Proceribus* familiarior extitit. Non tàm dominantibus probatus, quàm Populo Plebiquè invisus, communis Salutis Zelotypiâ. Fuit enim huic viro mira fælicitas, ad res vafrè gerendas; & adjuncta Calliditas, omnium Secreta rimans; quam Servilibus Fallacijs tegebat. Igitur *inter Carolum Principem, & Mariam Austriacam, Nobilitate & formâ insignem, suis Artibus Matrimonium contrahendum sumpsit*; Authorquè fuit, ut *Ioannes Digbeus*, Equestri adhuc loco, *Legatus* iterùm in *Hispaniam* mitteretur. Is missus, *jussusquè, apud Philippum moram trahere; Nuptiasquè Caroli, & Mariæ, Philippi filiæ, moliri acutatißimè.*

At *Roßiæ Baro*, de quo paulò ante memoravi, *Princeps familiæ Ceciliorum*, pænitens Matrimonij sui, Affinitatem *Laquei* diremit; & *Monasticam vitam*, spretâ opimâ hæreditate, clàm amplexus, in *Italiâ* extinctus est. Ejus Mors discordiam inter *Rutlandiæ Comitem, & Cecilium Burlai Baronem* excitavit; utroque *Roßiæ Dominatum* ad se pertinere contendente. Defunctus *Cecilio* genitus, Maternam Originem, & Avitum *Roßiæ Dominatum*, Jure Materno, è familiâ *Rutlandiæ* traxerat. Cæterùm Contentio exorta, facilè Amicorum arbitrio dirempta est.

1617. Posteà *Novus Comes, Marchionis Dignitate auctus*, tantum sibi Auctoritatis in Rep: suscepit, ut nemo, illo invito, Munus publicum consequi, aut retinere posset. *De Parentum, Fratrum, Familiarium, Amicorumquè honore indies cogitavit. Matri, Sorori, Fratribus, Amicis tribuit Agros, Pecunias, Munia; quæ Clientibus Regijs tribui oporteret*. Undè præstanti florentiquè *Marchionis* fortunæ passim invidetur; & Ira Populi adversùs Superbiam, Ambitumquè Matris erumpit; quæ *Regij Diplomatis* beneficio, & inaudito exemplo, *Clarissimarum fœminarum dignitatem* consecuta est. Ubi hujus facti fama Regni Provincias pervasit, *antiquissimorum Comitum Vxores* graviter tulerunt, *Fœminam Equestri Ordine, Regali hoc dono, sibi æquari, præstantiâ Dignitatis, ac fortunâ*. In publicâ egestate, & privatâ hujus Familiæ Opulentiâ, *Quadruplatores* emerserunt; genus hominum Exitio publico repertum. Qui urgente Ærarij Inopiâ, varias conficiendæ pecuniæ vias excogitarunt; & inter cæteras, vafrè ac malitiosè, *Vectigal & Tributum in singulorum Capita, Vulgò Capitationem vocitant*. Hanc *Richardus Secundus, Anglorum Rex*, exegisse dicitur, *Quaternionem videlicet, pro Singulorum Capitibus*. Ingens corrogata pecunia; sed factum impudens, illius temporis Moribus accommodatum. Istam acerbissimam *Exactionem Capitum*, Rex non solùm Justitiâ, sed etiam Misericordiâ adductus, prohibuit; ut levaret Miserijs perditam Plebem, maximè per istiusmodi homines; ac dignitati sui Imperij prospiceret.

Cæterùm, non satis ad gloriam, Nominisquè sui Amplitudinem esse putavit, domesticâ quiete gaudere, nisi universi Orbis Paci consuleret; cujus rei testes locupletissimi sunt, *Induciæ Decennales in Belgio; refocillata inter Daniæ & Sueviæ Reges Amicitia; & Moscovia, funesti belli periculo liberata, per literas, & Mericum, Pacis Interpretem*. Hoc tempore, *legati à Rege Moscorum*, cum pretiosis pellibus *Londinum* venerunt; qui *Regi* pro Officijs gratias egerunt; & cum *Moscoviticâ Societate* locuti sunt, de statu & Conditione *Mercaturæ*. Munera à *Mosco* missa, in Curiam illata, acceptaquè. *Legatis* gratiæ actæ; & digredientibus Præmia data amplissima. *Rex*, legatos *Moscorum* non modò benignè demisit, sed & ipse *Dudleum Digium*, Equestris Ordinis legatum, cum Donis misit; ad commemorandam, renovandamquè Amicitiam, & Quæstuosissimam *Mercaturam*.

Eodem Anno, *Elizabetha, Regis filia*, sobolescens indies, *peperit apud Heidelbergam filium; cui Caroli Ludovici nomen inditum est*, in honorem *Caroli Principis Avunculi*. Lustricus dies jucundus, atquè illustris fuit, *Principum Germaniæ* gratulatione, & Populi lætitiâ.

Atque *Indicæ Negotiationis socij*, Classe Novem navium comparatâ, *Thomam Dalium*, Equitem, præfecerunt, & quid fieri placeret ostenderunt. Qui multas emensus Oceani oras, in *Iavam Insulam Aromatibus divitem*, naves appulit; ut Vectores, *Merces Indicas, Aromata, Ebur, gemmas, & Margaritas* coemerent. Ibi Cives *Londinenses, à Batavis*, nullâ Injuriâ provocatis, crudeliter direpti; Navicularij necati; Mercatores spoliati, Navibus, Nautis, Mercibus ademptis. Tam acerba Supplicia, Civium animos *Britannorum* permoverunt. Non solùm *Mercatores Indicæ Societatis*, homines locupletes atquè honesti, partim *Socios suos*, partim Institores, *à Batavis* spoliatos; *Classiarios* in vincula conjectos; Securi percussos esse, vehementissimè questi, Naves suas Mercesquc repetierunt; sed etiam *Nautarum Vxores* lachrymantes Mortem acerbam, crudelemquè Conjugum defleverunt; *implorantes à Rege auxilium*. Res atrox & invidiosa visa, tulitquè valdè graviter *Rex*. Cum *sensissent Batavi, Britannos Cædem Civium, & Direptionem Bonorum ferre molestè*, veriti, nisi restitutionem impetrassent, planè abalienarentur; vim factam negare non poterant, ubi Cædes, Occisio, & Bonorum direptio; sed dixerunt, *Nihil publicâ Auctoritate perpetratum; Privatos homines, Nautas, & Classiarios, cupiditate prolapsos, vim fecisse. Quarè petierunt Recuperatores dari, qui damna inspicerent, erepta ex æquo æstimarent*. Nequè tùm res confecta est. Sed Voluntas Ordinum perspecta est.

Quinetiam *Ralleus*, crebrâ fortunæ Varietate, ad Memoriam Posteritatis, insignis; qui multas emensus *Occidentalis Oceani* Regiones, iter in *Guianam* exploravit; quam *Margaritis, & Metallorum fodinis* scatere ostentavit; & multos Juvenes ad Spem haud dubiam traxit, *ibi esse fodinam, quâ immensa vis obryssi Auri foderetur, si per Regem liceret*. Imperiti Adolescentes Spem cæperant habere, non defuturam cæptis fortunam, si rem susciperent; Opem, & Operam polliciti sunt. Rumor indies auctus, ad *Regis* aures pervenit; qui novâ Spe allectus, non solùm augendi Imperij, sed multò maximè propagandæ Religionis inter *Barbaros*, Actoris & negotij fide non satis spectatâ, credidit vera esse, quæ asserentur, *& in Guianam Navigationem Diplomate permisit*. *Ralleus* igitur ex Carcere educitur, non impetratâ Criminis Veniâ; ubi Quindecim jam Annos custodiebatur. Mox dilectam Juventutem, Commeatus omnis generis, & Navigia parat; quibus in *Guianam* navigare constituit. *Gandimarius, legatus Baticus, Ralleum ut Piratam, & Prædonem Maritimum publicè insectatur*; incusatquè, istius Scelere vexatam multis anteà annis *Guianam*, spoliatas urbes, Bona direpta. Dicit sese *à suo Rege* hæc habere Mandata, *ut Regem adiret, Fœderis admoneret; maximè de hâc Expeditione quereretur*. Respondit Rex, *Guianam esse Americæ Regionem desertam, ac incultam; ejus incolas, & Habitatores, Barbaros esse, Naturâ & Moribus; non vim, non Cædem, non Bonorum direptionem, Baticis habitatoribus metuendam. Nunc verò, omnium Civium desideria aspernari, & negligere non posse*. Hinc inexpiabilem sibi Invidiam Populi *Legatus* conflavit.

Deniquè, multi privati opulenti, ac potentes Magistratus, *Ædem Divi Pauli*, Monumentum suæ Charitatis esse voluerunt; & grata fore Numini, ac Civibus sua Munera & Dona arbitrati sunt; quæ hominum Avaritia & Cupiditate interversa.

Hoc

Hoc Anno, *Gulielmi Parkeri, Civis Londinensis* Benignitas, Reip: utilis, & sibi gloriosa extitit. 1617. Qui magnam pecuniam in Monumenta Dei Immortalis, & in Urbis Ornamenta contulit; *Mille Libras impendendas in Portam veterem*; quæ, ut memoravi Anno superiore, in *Limoni Ædilitate*, seu Præfecturâ urbanâ, refecta est. *Paulinæ ædis fenestras*, Cleri negligentiâ labentes, magnificentius exornavit; *& Statuas Duodecim Apostolorum*, eleganti Effigie, posuit. Dignus Marmore, publicoquè Monumento; ut insequentum ætatum Cives, ejus exemplo, ad Charitatem Ecclesiæ & Reip: accenderentur; ac Posteri scirent, nostro sterili ævo non defuisse homines, Numinis, Patriæ, ac Posterorum amore flagrantes. Cæterùm *urbici Magistratus*, ex Mulctâ Civium, Præfecturam Juridicam, & Onera Munerum Civilium detrectantium, Civitatis sustinuerunt impendia. *Regum quoquè omnium eximias Statuas*, triumphali Effigie, *in Peristylij Porticu* dedicarunt; maximumquè honorem Memoriæ fortissimorum habuerunt, *qui Imperium Populi Britannici in Galliâ propagassent*. Hujus ego Civitatis disciplinam, non solùm *Britanniæ*, sed cunctis Continentis Urbibus anteponendam puto; ob Religionem, Humanitatem, Mansuetudinemquè Morum, & Instituta; quæ sic gubernatur *Seniorum Consilio*, ut cæteræ Urbes laudare facilius possint ejus Mores, Institutaquè, quàm imitari.



RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER DECIMVS SEPTIMVS.

1618. HOC Anno, ultimâ demùm Necessitate cogente, ***causa publica Inopia*** in Senatu agitatur. ***Suffolcius Quæstor***, de Acerbitate naturæ nihil remittens, queritut, ***Ministros domus Regiæ*** cupidè & avarè agere; Opes Regni dissipare; & maximos Quæstus prædasquè facere. ***Ludovicus, Leviniæ Dux***, charitate ***Regiæ domus*** incensus, quia Præfectus familiæ, ad dignitatem ***Domesticorum Officialium*** defendendam, contrà ***Quæstoris*** violentiam, tenebatur, retulit, ***Regiæ domus Ministros More Majorum se gerere; Fisci Officiales, sinè More, sinè exemplo, apertissimè, & impudentissimè prædari.*** Admurmurante Senatu, & Causam ***Leviniæ Duce*** probante, sinè ullâ Morâ res ad Regis aures pervenit; placuitque, ut in ***Camerâ Stellatâ*** in eos inquireret ***Procurator Regius. Cocus Recuperator***, inter Primores Senatus, datus, quibus ea Quæstio evenerat: Accusationem instituit, scruratur vestigia, atquè persequitur. Inquirit Corruptores, & Testes quærit. Intereà magna vis Accusatorum ***in Ærarij Procuratores*** irrupit. Ipse ***Quæstor*** acerrimè postulatus, quod ***ex Præmijs Servorum Principis, atquè Amicorum, non dubitaverit aliquid auferre.*** Inquisitâ, & compertâ re, ***Prætor*** Proceres consulit, quid fieri placeret? ***Cocus*** animo in Reum inimicissimo, ***Centum Millium Mulctam indixit.*** Cui nulli assensête, magnitudine summæ commoti. Post hunc ***Hubertus***, Communium Placitorum Judex, vit magnæ Auctoritatis, & Scientiâ Juris Municipalis excellens, ***Triginta Millium Mulctam irrogavit.*** Cæteri sapientissimi homines, suo quiquè loco, Sententiam ejus probarunt; Censuram ***Coci***, ut tigidam, duramquè reprehenderunt. Ubi cognitum id Regi, ***Quæstorem Munere privavit.*** Statim ***relictum Suffolcij limen:*** ad cujus fælicitatem paulò antè concurrebatur. Nemo adire, Nemo solari sustinuit, præter liberos, & paucos Propinquos, aut Amicos. ***Exutus Quæstor*** Veniam à Rege concedente petivit, ut in Prædia sua, & Amænos Secessus, Atboribus consitos, digredi liceret; ubi Otium laudavit; & dicere solitus est, ***Benignè sibi factum esse, quod tantâ Procuratione pecunia publica liberatus esset.*** Impetravitquè, ut magna pats imperatæ Mulctæ remitteretur. Dein vocatus in Curiam, ***pariterquè Peculatus damnatus est, Ioannes Bingleus, Monetæ, Publicisq; Ærarij rationibus præpositus***; unoquoquè existimante, optimo illum exemplo, Fortunis provolutum, Rapacitatis pænas pependisse. Post remotos ***Suffolcium, & Bingleum***, Rex Monetæ publicisquè Fisci rationibus ***Cantuariensem Præsulem***, & Summos Proceres præposuit, ad sananda vulnera inulta Reip: qui ***res Fisci, & Regias Opes***, Consilio àc ratione benè administrarunt; & ***Principis*** commoda auxerunt; multisquè mortalibus dignissimi eo Munere visi. Pauci Inopes, publicis Opibus inhiantes, obstare sibi ***Apolectos*** atbitrati sunt; & nisi ***Quæstore*** instituto, obtinere se putarunt non posse Licentiam cupiditatum suarum. ***Hi Quæstorem, Ærarij rectorem, & publici Consilij Authorem, esse habendum duxerunt.*** Intetea Regiæ Opes bonis Custodibus traditæ, creverunt.

Volubilis fortunæ, per hos dies, complura exempla extitêre. Causam dixerunt ***Laqueus ab Epistolis***, de quo sæpè retuli, Uxor ejus, & filia, ***Rossiensi*** nupta. ***Comitis Excestria Vxor***, Fax Accusationis, & Origo, multis & gravibus Ctiminibus Accusationem instruxit. Accusati, in ***Camerâ Stellatâ***, non minùs acritet, quàm defensi Rei, præsente Rege, & majore parte Senatus. Quâ in Censurâ, varia Procerum Juditia, & variæ Voluntates fuerunt, de ***Laquei Absolutione.*** Altum Regis Silentium, qui & Animum & Vocem ab Odio, aut gratiâ continuit: qua quidem Clementiâ & Moderatione, laudem assecutus est. Tandem in hanc Sententiam itum, ***ut Laqueus annuisse Vxoris facinori videretur.*** Uxori & filiæ datum erat Crimini, ***Quod Clarissima fœmina Impudicitiam, & inconcessum Amorem temerè arguerint: largitione, ac Promissis, Ancillas Delationem subire impulerint, sinè fine Convitijs lacerarint.*** Iraquè Sententiâ Procerum condemnantur; & ademptâ parte bonorum, ***in Turrem conijciuntur.*** Rex illustrari Sæculum suum ejusmodi exemplo, lætatus est. Et ***in Laquei locum, Georgium Calvertium, Arcani Consilij Amanuensem, surrogavit.*** In Civitate diversa hominum Juditia fuêre. Nam quibus ***Causa Laquei*** placuit, Sententiam, ut rigidam, duram, reprehenderunt. Sed Sapientissimi Causarum Actores mirè probarunt.

Rossiensis Vidua, formosâ & procax, Impudicitiæ labem, & Infamiam contraxit, ad ***Bucingamium***, per speciem Supplicantis, crebrò ventitando; sed præsetulit factitasse, ut partâ apud eum gratiâ, discrimini

discrimini Parentum subveniret. Posteà liberiore Indignatione questa est, famam perditam, eversam familiam, & Dignitatem Patris proditam, magno Scelere suo; cujus *Matrem* ferocem Vindicem, & *Patrem* rigidum Censorem habuit. Peregrinatus est hujus fœminæ animus in Luxu, & Petulantiâ, non habitavit. Nam procedente tempore, *Lasciviam* exuit; & Conjugali Charitate, modestoquè vitæ genere commutavit; humili Matrimonio fælicior, quàm Illustri. *Pater* fortunæ Impetum invicti animi robore sustinuit. Vix atquè ægrè, *aliquot Millibus*, Se, Conjugemquè Carcere redemit. Ita turbida Tempestas ab utriusquè fortunis depulsa. Complura hujus Notæ exempla supersunt. Sed Satietas legentium vitanda est; & ad alia transgrediendum. 1618.

Clistonus, Novus Baro, vir acer & vehemens, hilarem fortunæ vultum sæpè expertus, ne tristem experire cogeretur, Supplicium à se *voluntariâ Morte* exigere temerè destinavit. Ad ultimum Propositum exequi impetum cæpit; & *Scalpellum, Vnguium resecandorum causâ, poposcit, eoquè se vulneravit; at Ventrem suffodit; & subito vulnere in terram collapsus est*; nemine dubitante, quin *Mors voluntaria* esset, & tempestiva. Ferox enim, & adversùs omne Remedium contumax, Chirurgi Opem in sanando Vulnere, & fomenta aspernatus est; deficientibus viribus decessit: & filiam summæ dignitatis fæminam, superstitem reliquit. Quæ Clarissimis Nuptijs fulgens, ostendit in amisso *Patre*, & comprimendâ ægritudine animi, Prudentiam. Nihil illam à Pietate deterruit; Nihil in Tristitiâ supervacuâ detinuit; Nullis ergà Mortuum Charitatis Officijs abstinuit. Corpus ad Sepulturæ locum, sinè Lamentatione, sinè Planctu funeris, domestico comitatu elatum; adjecto modico Necessariorum Agmine.

Cæterùm, *Ralem*, ingentibus tàm Terrestribus, quàm Navalibus Copijs contractis, secundâ Navigatione, quò destinaverat, *in Guianam* devehitur. Classis in *Amerira Portu* relicta: Ipse hunc vel *illum locum Promissi Auri ostendit, affirmans, posse parvâ molientium operâ, Aurum Obrisum erui*; sequunturquè non modò *Centuriones*, & Milites, sed *Classiarij*, efficiendo operi; nam agrestia Servitia non assumpserat. Ita plures dies efficiendis operibus absumpti. Tandem positâ Simulatione reconditi in terræ Visceribus Auri, misit properè *Georgium Raleum, Tribunum*, virtutis expertæ, cum validâ manu; *& filium suum Cohortis Centurionem*, in ipso Juventutis flore; quibus, contrà fædus, *Oppugnationem Direptionemq; Oppidi Sancti Thomæ*, in mandatis occultis dedit. Consilium Militibus non protulit; sed duntaxat Obsequium imperavit. Horum Cogitatio turbabat exercitum; & tumultuosæ voces referrebantur ad Præfectum, *Regis Mandata digredienti data, & Batici fœderis Pacta violari*; *nullam sibi justam Belli causam videri*. Quibus ille haud motus, in proposito perstitit; *dictitans, Iberos Vrbem Sancti Thomæ, & circumjecta Oppida incolentes, molientium opera impedituros*. Raleus *Tribunus*, Iter per *Guianam* facere cæpit, & apud *Vrbem Sanctæ Thomæ* Castra fecit; eamquè acriter obsedit. In quâ Obsidione, cecidit, cum parte Militum, *Præfecti filius*, Juvenis acer, & ferox. Infensus eâ Cæde *Tribunus*, captam vi Urbem ferro igniquè hostiliter delevit; & quàm potuit maximis Itineribus ad Naves Copias reduxit. *Præfectus* Nece filij dejectus, ut spes quoquè fefellit, Classiariorum fidem labefacere nixus, Prædis Rapinisquè in *Americâ* intendit animum. Milites, Nautæquè, *falsa esse Promissa Ralei*, sequè tùm primùm elusos cernentes, ac Jussa *Principis* magis, quàm Imperia *Præfecti* metuentes, promptius de reditu cogitarunt; ac Obsequium in *Principem*, quàm *Spem prædæ* ac rapinarum sequi maluerunt. *Raleus* inter revertendi, fugiendiquè Consilium fluctuans, *ad Plini fluminis Ostium*, prosperâ Navigatione devectus; ubi fronte lætus, sed Pudore & Metu anxius incessit. Suberat Conscientia, derisui fore *Vanitatem promissæ fodinæ*; & Mendacia sua. *Gundimarius*, rumore & sermone multorum certior factus, *Raleum & Prædatoriam Classem, in sanguinem & Bona Iberorum sævisse*, ad Regem venit; & pertumultuosè nuntiavit *Cædem Civium Baticorum, Bonorum direptionem; Incendium Vrbis Sancti Thomæ, publicamq; Injuriam exultantis Prædonis*; *vim istius Sceleratissimi atquè audacissimi publico Supplicio expiari postulavit*; *tot Subditis Iberis, ferro & igni, crudeliter enectis*. *Addiditquè, tot facinora, quot commiserat, Morte compensare non posse*. Rex, cognitâ causâ, Criminum quæ à Legato objiciebantur, Atrocitatem aversatus; *& falsa Somnia Ralei* secùm reputans, afficere Supplicio destinavit. Interim, *Raleus apud Plini fluminis Ostium operitur*, lætitiam præ se ferens, sed animo anxius, quomodò se impendentibus Malis eriperet; periculum & Metum Carceris, *Simulatione Morbi, aut clandestinâ in Franciam fugâ*, effugere tentavit. *Fuga* destinata non tàm clàm haberi pòtuit, quin ejus inditia quædam ad *Regem* emanarint. Qui mox Custodes adhibuit, ut dicta factaquè ejus specularentur; quorum promptissimus *Ludovicus Stuclew, Equestris Ordinis, Thalassiarchus Devoniensis*, à quo repertus apud *Portum Plini fluminis*; *& Mavourius, Gallus, Medecinæ expertus*, diu Domino fidus, mox pecuniâ aut gratiâ corruptus, ad prodendum Herum. *Raleus* suis periculis anxius, occultè *fugam parat*; id solum salutare in præsens credens. & *Præfectum Navis Gallicæ*, qui Mercaturam in eâ Provinciâ faciebat, emercatus est; ut se in *Galliam* deveheret. Ipse primis tenebris, cum Servis fugæ Conscijs, Scaphâ ad Mare pervenit. Sed Navis non reperta est. Quare aliquamdiu in littore vagatus, in Diversorium redire coactus est. Mox per Præçonem evocatus, ut veniret ad causam dicendam, periculum ac discrimen *Simulatione Morbi* effugere conatur. *Vomere post Cænam velle se apud Commessantes ementitur.* Ministri manu excipiunt, & in Thalamum deducunt. Ubi *Manourius* Secretum nactus, primùm velocissimum, ac præsentaneum Medicamentum diluit; *concitarq; Vomitum*. Deindè *Pustulis lividis*, & innoxijs, faciem ac totum Corpus inquinat. Excitati tumultu, Domestici, in Cubile irrumpunt;

visoquè

1618. visoquè ægroto, gemitus flebiles edunt. *Manourius*, qui Curationi præerat, *Desperationem Salutis tun-ctis Comitibus persuadet; ut fama Mortuum in Vrbem perferret.* Intereà *Stucleus* fomenta corpori admo-vit; & quasi torpentem, *nunc Vini Potu, nunt Aceti Odore* excitavit, & spatium ad colligendas vires concessit, non sinè contemptu, & irrisu *Ralei, & Medici ista confingentis*; cui pro navatâ operâ præ-mium tribuit. *Rex* de adversâ valetudine, & ulcerosâ facie certior factus, Celeritate quâ poterat, *monet Stucleum, ne elabi Reum sineret; sed lento Itinere in urbem traheret.* Ut verò Salubritas corporis, & Vigor animi percipi potuit, *Stucleus* intentiorem Custodiam adhibuit; præbuitquè *Raleo* mate-riam, ut Amicitiæ magis fideret; & fessum Itinere, *Biduum in Villâ suâ, cui Sherburna nomen; deindè, Sarisburia, Quatriduum recreavit; postremò in Vrbem traxit.* Ubi diu meditato, prolatoquè sæpius fugæ Consilio, incepto non destitit; *subditis, qui Navem pararent.* Sed *Stuclei* acre ingenium metuens, quem fallere non poterat, *Conscientiâ fuga* illigare nititur; & Præmijs, pro facultatibus, onerat is pro Pe-cuniâ promittit Operam, & qualiscunquè fortunæ Societatem; adhibetquè in Consilium *Manourium Medicum*: qui aperit, *suâ Operâ Vlcerosam fatiem factam, ac Pustulis interstinctam; & anceps Valetudinis periculum, Medicamento provocatum*; nuntiatquè Quæstus, Temeritatemquè verborum adversus Re-gem; quam Scelesti animi Indicem, ac Testem arguit: eaquè res præbuit Criminandi materiem. *Præcurrit Index ad Regem Stucleus*; commemoratquè *Præstigias Confictì Morbi, & Sermonem adversùs Ma-jestatem habitum; ac fuga destinata præmonere non omittit.* Rex cum fugam Carcere impedire posset, in manifesto Scelere deprehendere maluit. *Ralem*, in liberiore Custodiâ *Londini* habitus, cum parùm precibus, parùm Causâ, aut gratiâ Amicorum proficeret, *ad Gallorum Misericordiam fugere parat, hortante uxore.* In Alveo *Tamesis* navis stabat; deferuntur quæ ad Profectionem erant necessaria; Se Penatibus suis intempestâ Nocte subducit; & in Scapham receptus, in manifesto flagitio deprehen-sus, retractusquè per *Stucleum, in Turrem raptus est.* Ubi cum factum objiceretur, nullam probabilem *causam fuga* offerebat; sed *Stucleum* scelestæ fraudis incusabat, per Speciem Interioris Amicitiæ fal-lentem. Fama in urbe percrebuit, *Raleum*, prudentem Ducem, in omni genere belli, fraude Inimi-corum circumventum, non sinè magno Reip: malo. Ardebat ergò *Stucleus*, & Crudelitatis, & Ini-quitatis infamiâ. Hîc liberè reprehendere, & accusare *Plebis inconsultam Temeritatem* licet. Inditio *Stuclei* audito, *Rex* Irâ concitatus, tantùm morabatur, dùm Judices consulerent; ac summâ cupi-ditate ferebatur, ut quàm celerrimè Supplicio afficeretur Reus. *Indices* interrogati hâc de re Senten-tiam, dixerunt, *Sceleris, Conjurationisq; publico Iuditio damnatum, ulteriorem Cognitionem subire non posse, More Majorum; & Supplicio magis, quàm Crimini Majestatis exemptum, effusâ Clementiâ Principis.* Rex curam cogitandi, vel exequendi Sententiam Judicibus permisit. Qui nihil ultrà scrutantes, *Reum*, paucos post dies, adesse *Tribunali Regio* jusserunt. Nec eo die Tribunal satis quietum erat; concurrente è totâ Urbe in forum Populo; & confusis vocibus obstrepente. Silentio per *Præconem* imperato, jussus est dicere, si quid promptum haberet, *Cur Sententia Majestatis adversùs eum, Clementiâ magis Regis, quàm Merito ejus delata, Executioni mandari non deberet?* Interrogationi cum respondere haud facile esset, conqueritur apud Judices, *Stucleum Accusatorem Capitis sui, at Indicem esse. Legatum Baticum Ne-cem haud obscurè molitum. Diploma Regis, Criminis tacitam Abolitionem fuisse. Oratq; ne ad extremum fi-nem Supplicij tenderent.* Eò infensiores Judices, respondent, *Iustam Regis Iram Oblivione magis, quàm Indulgentiâ pacatam; & Reum varijs frustrationibus periculo exemptum, salvari nisi Veniâ non posse; denuò rupto publico fœdere, recentiq; in Americâ scelere, redintegratam. Non videri è Rep: Sententia Executionem ulterà differre.* Igitur Securem expediri jusserunt. *Reum* nequè Periculi tempestas, Nequè supremæ Necessitatis Juditium labefecit. Missâ Curiâ, *Ralem*, magnâ hominum frequentiâ, magno clamore exceptus est. Fecit eum favorabilem *veteris Aulæ fama, notumq; Expeditionibus nomen.* & in ultimâ Se-nectute quoquè habitus corporis decorus: Mortemquè suam, *Proterum Præsentiâ* clariorem fieri, magni æstimavit; *quos invitavit, ut Mortis spectatores essent.* Productus indè ad Supplicium, *Aciem Se-curis, quâ Noxij jugulantur, veluti Cytharam prætentavit, an sufficeret Ministerio; Morum in animi Devo-tione, & genere Mortis imitatus est.* Non extimescit, non perturbatur; nequè metuit Mortem; non pa-ret Dolori suo; nequè Iracundiæ servit; sed summâ animi Synceritate orditur, *fugam haud spontè, sed doloso Consilio Stuclei captam; subditis, qui per speciem Benevolentia, terrore Carceris, ad fugam impellerent. Queriturquè, Exitium priùs Perfidiâ, deindè Scelere ejus actidisse. Deum hominumquè fidem obtestatur, non se præcipuum Authorem interficiendi Essexij Comitis, ut rumor Vulgi percrebuit; Nequè insolenter de miserando funere ejus gloriatum.* Postremò, ad Preces & Supplicationes versus, cuncta protulit, quæ conciliando favori Multitudinis idonea videbantur; & perfectissimum spectatæ Pietatis exemplum Posteris relin-quens, *Cervicem Securi subjetit*; conclamantibus plerisquè, *ut recepto More, faciem in Orientem verteret, vertit se properè, at recollegit*: novissimamquè Sanctitatem ostendit his verbis, *stat rectum Cor toràm Do-mino.* Cecidit tamen gloriosius, quàm viguit; quia non alium pertinacius ad Pœnam, *Elizabethâ reg-nante*, Plebs flagitavit. Denique summâ Virtute animi, Constantiâquè, exiguam senilemquè san-guinem effudit. De eo, multis post Sententiam Annis, Supplicium sumptum. *In Cartere, totius Mundi historiam, Patrio Sermone, prudentissimè & facundissimè scripsit.* Uxor tumultuario extulit fu-nere; adjecto Necessariorum comitatu. Statim à funere rumor percrebuit, *Calliditate Batici legati, & fraude Stuclei perijsse, non sinè Reip: discrimine; luctum in Britanniâ, lætitiam inter hostes fore.* Licet etiam aliquid de *Ralei* ingenio suspicari, quasi per Religionis Speciem gloriam quæreret. Alij exacerbati

Memoriâ

Memoriâ pristinæ Rapacitatis, in augendâ re, censuêre, divino Consilio extinctum; *Non Coriolanum, non Sertorium, non Spartacum Gladiatorem, perindè Populo Romano metuendos fuisse.* 1618.

Deindè *Stucleus*, Scelere vecors, & Vulgi rumore territus, ut flagrantem Infamiam dilueret, *Apologiam* edidit, in quâ omnium rerum, Verborumquè Contumelijs *Mortuum* insectatus est: *& Meliorem Essexiana cadu* haud obscurè arguit; suaquè in destruendo eo Consilia, arroganter extulit. Eò Impudentiâ, atquè ipso furore pervenit, vt à plurimis *Petulans, aut planè Insanus* haberetur. Crevit igitur Invidia. *Plebs irata detestatur atq; execratur Iberorum genus omne*; incubuitquè præcipua in *Gundimarium Legatum* tempestas, qui prudens moderandi, domi se continuit; nec *Deprecator vitæ, nec Spectator Mortu esse voluit.* Cæterùm, unus è Contubernio ejus, *insidens equo, fastu Hispanico* per urbem spatiabatur; *casu Puer invalidus oberrans, Equi pedibus conculcatus est.* Quo Spectaculo attonitæ mulieres, maximum in Civitate motum, Clamore & gemitu excitarunt. *Servus Legati baud procul exitio aberat, nisi properè fugisset.* Hinc irritatis Plebis animis, urbana Servitia Seditio incessit; quæ eò furoris & Amentiæ venêre, *ut spretâ Auctoritate Pratoris, ac Potestate Magistratuum, in hospitium legati irruperint; & Servum ejus minaciter efflagitarint.* Offensus legatus ad *Pratorem* misit, qui de Injurijs sibi à *Plebe* factis quererentur. Hâc Concitatione, & Seditione nuntiatâ, *Prator advolat; Præfectiquè Iuridici, & Eirenarcha Trinobantum publicè convocati:* Quidnam in tali tempestate faciendum esset, deliberant. Cunctisquè censentibus, *ut ades legati Armis tuerentur*, Seditiosos cum Auctoritate increpant; tùm Oratione mulcent; retinent Singulos; Metum omnibus intendunt; *clamitantquè, inauditum facinus, legatum Potentissimi Regis violare.* Tandem viso *Pratore*, concursuquè bonorum Civium, Minis magis quàm Precibus, in Pænitentiam versi, incepto facinore destitêre. *Prator* paucos, ad terrorem concitatæ Multitudinis, *claudi Carcere, ac Supplicia & Verbera expediri jussit.* Intereà nihil reliqui facit, ut Iram Regis pacaret, & Misericordiam permoveret. *Respondet Rex, ejusmodi scelera aversari Numen, fortioribus Remedijs utendum esse, tollendosquè seditionis Authores.* Et increpat graviter *Vrbanos Magistratus, ac Pratorem*, quod non publicâ Authoritate, Servitia coercuissent. *Legatus* quoquè Moderatione, sapientiâquè usus, Securitati magis in posterum, quàm præsenti Ultioni consuluit; Preces & Obtestationem interposuit, *ut Rex sibi pœnam remitteret, ac Veniam imperitæ Multitudini daret.* Ita Rex tantum facinus ausis Veniam pronuntiavit; & castigandæ Plebi composuit *Edictum*; monuitquè, ut is dies in posterum, Documentum Modestiæ, ac Obsequij præstaret. *Læti Seniores Civitatis*, lætior Populus Clementiâ, & Benignitate *Principis*. Numen *Stucleo* diurnam Impunitatem non concessit. Qui mox eundem *Carcerem Occidentalis Monasterij* intravit, undè ducebatur ad Supplicium *Raleus*: quia Aurum Signatum corroserat, ut Inopiam suam sustentaret: cum Regni legibus omnia perdidisset, gratiâ Regis adjutus, vitam recuperavit; ac *Devoniensem Secessum, infamis, & confusus, petere coactus est.* Tàm subitam Numinis vindictam admiratur Vulgus; exultatquè gaudio.

Nec *Campobellum, Argathelia Comitem* præterire possum, qui *Maconelium* cùm sceleratâ Factione compescuit; *Macgregorianos* repressit; & Insulanorum ferociam fregit. Is fremuit, non esse Præmium pro operâ persolutum: & in *Belgium*, Spe honoratioris Disciplinæ *ad Spinolam*, trajecit. Omnes terras suas, quas in *Scotiâ* possederat, filio permisit; nec tamen à Rege defecit; Nequè Patriam lædere; Nequè fidem violare sustinuit, ne Majorum Memoriam, aut Posterorum gloriam maculâ sempiterni Dedecoris pollueret; quam reliquâ vitâ eluere non possent. Undè posteà *Caroli Regis* gratiam obtinuit; mansitquè incolumis, velut fataliter, Illustris Familia.

Per eosdem dies, *Londini, in Regiâ, sævum Incendium excitatum.* Cinis è favillâ, & Carbonibus, ab Opificibus *in Cameram Convivalem* illatis, digredientibus ijs extinctus creditus, repentè sub Meridiem exarsit, atquè pertinaciter conflagravit. Fracti igne Lateres, & latissimæ flammæ circumvolitarunt. Quo audito, *Pembrochius Cubicularius*, laturus auxilium, properat illuc, totamquè familiam traxit secùm, *& Curam Cubiculi Regij, ac pretiosa Supellectilis sollicitissimè egit.* Sed deficiente domesticâ Multitudine, absente jam Rege, Plebem ex omnibus Vicis subitò convocavit; & ad subveniendum hortatus est, propositâ pro Operâ Mercede. his nuntiatis, *Præfecti Iuridici*, cum Urbanâ Multitudine, *Situlis & Hamis accurrunt*; impellunt obvios, & se, Aliosquè præcipitant. Ita *vastissimum Incendium*, multorum hominum operâ restinctum, antequàm latius spargeretur. Pauci otiosi tanti mali spectatores asteterunt. Post paucos dies, *Camera Incendio absumpta, magnificentius Laxiusquè Quadrato lapide extructa, ne rursùs eveniret quod accidit; & instructa basilicè, Aureis & Sericis Peripetasmatis.*

Cæterùm, *Bucingamius* potens pecuniâ & gratiâ, cui jam Nulla lex erat; Nulli Cupiditatum termini; Nihil nefas, nec in facinore, nec in libidine, *Munia Regni, Fori, & Ecclesiæ*, Arbitrio suo dedit; ademit (Rege Vacationem à Rep: petente) quædam ex dignitate Imperij; pleraquè contrà Decus Reip: ex destinatione Matris, vel Sororis: ut quivis intelligere posset, quod Pecuniam dedissent. Procerum Dignitatem, cæteraquè Insignia summi honoris, quibuscunquè voluit largitus est. *Cavendicium, & Ricium, Pretio; Sidneum, & Comptonum, gratiâ, ex Baronibus Comites creavit.* Artem Saltandi studiosissimè exercuit; ac *Rocloum, fidicinem Gallum*, eximiæ Artis, præcipuè dilexit; ostenditquè in rebus supervacuis operosam Sedulitatem; ac vicinas gentes Potentiæ suæ famâ implevit. Ausus est etiam Judicibus gratiam suam interponere, & litigantes commendare. Eò infensior Populus, clàm

1618. palàmque istius Dominationem detractat, atquè intollerandam Potentiam exagitat; nunquàm *Spenseriorum gratiam* pernitiosiorem fuisse asserit; & quæcunquè acciderent publicè vel privatim Incommoda, ejus Scelere, vel Inscitiâ, evenire credit. Quis enim Clavum tanti Imperij tenere, & gubernacula Reip: tractare posse arbitraretur, Juvenem emersum subitò ex Conditione humili, luxu, Ganeis, Adulterijs circumseptum?

Rex inconsultas Vulgi voces penitùs sprevit, *ad Curam sacrorum, & Ceremoniarum* converso animo, instituit, *ut festis diebus, post Concionem Meridianam, ad Hilaritatem Iuvenes publicè cogerentur; tanquàm necessarium laboribus interponentes temperamentum; & corporis robur, virilem in modum, exercentes, inter lusus Iocosquè.* Hoc Votum erat Præsulum; sed *Ministri Orthodoxi* libertatem, Exultationemquè animorum in Ferijs, oppugnarunt; & Regis Sententiam tacitè improbarunt. *At indulgendum est Ætati; dandumquè subindè Otium à labore, quod rectum, honestumquè, Alimenti ac virium loco sit; non ad lasciviam, aut Ebrietatem deflectat.* Ego verò nequeo judicare, utrùm *Rex* sic multò majorem peccandi Materiem suis attulerit; An fortiores acrioresquè reddiderit. Quia satius est publicos Mores, & adulta vitia placidè ferre, quàm cum Acerbitate repræhendere.

Vide Esajas Cap. 58. vers. 13.

Insuper, *Baconus Prætor, Verolamij Municipij Baro factus*, & protinùs fortunæ indulgentiâ inflatus, pecuniam sine Modo, sinè Juditio dissipavit. Decreta *Egertonij* attentissimâ curâ examinavit, ut Sententiam ejus improbaret; aut Iniquitatem coargueret. Item, Novam rationem improbissimi *Quæstus* excogitavit, *ut Litigatores plerique Servis suis pecuniam numerarent, vel causâ caderent.* Quæ res atrox, acerba, indigna omnibus videbatur. Undè Vulgus veterem illam *Egertonij* gravitatem recordans, intonuit, prædari *Prætorem*; bonis everti litigantes; pelli Possessionibus, Æquitatis obtentu, splendidissimos Equites; & id non modò fieri, sed ita fieri, quasi licitum, concessumquè sit. Non potest dici satis, quantum in illo Vanitatis, quantum Iniquitatis fuerit. De Calumnijs Litium, ac Injustis Juditijs, non est Querela ad Regem delata; quia *Bucingamij* beneficio, ad summum Præturæ honorem ascenderat; quod quidem inprimis à Vulgo observari solebat. Nequè quisquam erat tàm demens, *qui, Vivo Bucingamio, de Bacono, in Foro dominante, quereretur.*

Hâc Hyeme *Portentum* accidit. *Cometa Crine sanguineo fortè effulsit*; secutaquè Vulgi interpretatio, Mutationem rerum, Luctus & funera Regum portendere; magna Bella, pernitiosasquè Seditiones denuntiare; inquè his Vulgi Conjectura *cum Mathematicis, Astrologicarum Prædictionum peritis*, congruebat. Qui ea prædixerunt, quæ intrà paucos dies evenerunt. *Sidus Anna Regina morte expiatum, quæ Otelandia decessit; Carolo Cambriæ Principe superstite; ac filiâ Elisabethâ, Vxore Palatini Comitis; ac ex eâ Nepotibus. Annam, ex sex liberis, ad duos fortuna redegit.* Rex & mortuam deflevit, ac vivam præcipuè respexit; & in funere ornando, ac Memoriâ honestandâ, nullum Pietatis Officium prætermisit. Corpus plurimis pretiosissimis Odoribus refertum; elatumquè publico funere, nullis quæ ad honorem excogitari poterant Cæremonijs omissis; densissimo, ac tristissimo *Procerum Agmine utriusquè Sexus comitante; & Carolo Principe, lugentis habitu, funus ad Sacellum Henrici Septimi prosequente.* Funerata est *Impensâ 50 Mille librarum. Cantuariensis Præsul, cum Infulis, funebrem Concionem habuit*; quâ laudes Mortuæ memoravit. Commemoratione Virtutum, tanti fletus gemitusquè fiebant, ut acerbissimus toto Fano luctus versaretur. Ipse etiam lacbrymis, lamentisquè prosecutus est. Carmina quoquè ad Immortalitatem, & Memoriam consecrata.

Annæ soboles.

Dissidium Religionis intereà in Bohemiâ ortum, Civiles excitavit Seditiones; & Armorum strepitum *in totâ Germaniâ* concivit. Plebs, Proceres, Juvenes, Senes arma rapiunt, *ut Sacra, Ceremoniasquè sub Vtrâq; Specie manu defenderent; delegatiq; x x x Regni Administratores*; incogitantes Quot fluctus subierint, Quot Tempestates in se concitarint. Mutuis Cædibus, & Urbium Excidijs sæviunt; non Sacris, non Profanis abstinent. *Duo Protestantium Agmina incessère; Vnum Turnia Comite duce; Alterum Mansfeldia Comite ductore.* Eos multi fortissimi Milites & Juvenes, genere Clari, secuti sunt. Quo Spectaculo attoniti *Pontificij, ad Mathiam Cæsarem supplices, auxilium implorantes, iverunt.* In Castellum *Pragæ*, publicè *convocati à Cæsare Senatores*, quid in tali Tempestate faciendum esset, deliberabant. *Instaurata Religionis Defensores, validâ manu Pragam ingrediuntur; allectisquè Civium Primoribus ad Societatem, irrumpunt Castellum; ut intertempto Senatu, omnia ad arbitrium agerent; repertosq; ibi Senatores, Præsidem Glabatum, Smesancium, & Philippum Fabricium, ab Epistolis, fenestris exturbant; & in subjectas fossas præcipitant.* Qui casu turbati, non elisi, discrimen mortis latebris vitarunt. Nihil ex his *Mathiæ Cæsari* incognitum. Missusquè ilicò *Dampetra Comes*, cum Equite, & expeditis Cohortibus, adversùs perfidos, & Ruptores Pacis. Qui in *Bohemiam, usq; ad Sasanam flumen* penetravit. Ejus in ripâ, levibus Prælijs, ambiguè certatum. *Turnia, & Mansfeldia Comites,* Popularium duces, contrà hostium impetum strenuam fortemquè operam navarunt. Pulsus intereà *Cæsaris legatus*; cum Imperatorijs Cohortibus & Turmis, vires reparat, & Ordines; ne hostes, pulsos premerent, Cædibusquè insisterent. *Mox Turnia Comes Pilgramum, & cæteras Bohemiæ Vrbes, à legato Cæsaris captas, recuperat*; Igne, & Cædibus *Cæsarianes* ulciscitur. *Ernestus Mansfeldia Comes,* cum suis Copijs, *Pilsnam obsidet,* quæ in Cæsaris fide permanserat; frumentum, atquè Stipendium Militibus Socij præbuerunt.

Ubi *Archiduci* Defectio Bohemorum nuntiatur, rebus eorum turbatis non defuit; *Bucoia Comitem,* cum aliquot Cohortibus, ac delecto equite, misit; ut Imperatorem Consilio ac fortitudine juvaret. Qui in *Bohemiâ* meruit summâ Industriâ, nec minore fortitudine, & famâ; ac præcipuum robur

Cæsarianis adjecit. Ad famam Adventus ejus, *Turnia & Mansfeildia Comites, Moravia, ac Silesia turmis,* 1618. *Batavorum quoquè auxilijs adjuti*, seque Regnumquè *Bohemia* armis tutati sunt. *Bucojus Bohemiam ingressus*, Regionem omnium rerum copiâ abundantem, bellum maturè incipit. *Budovicum* Operibus, Aggeribusquè permunit. *Neubaum, Vicinum Oppidum*, & Castellum urbi impositum, in potestatem redigere intendit. Postquàm armatas in Muris Cohortes sensit, Receptui cecinit; ac ægrè Militem à multâ Cæde defendit; nam *Turnius*, cum Equite, & Armaturâ lævi occurrit; tergaquè hostium invadit; & postremum Agmen carpit. Intentus paratusquè *Bucojus*, Sclopetarios Angustias Silvarum occupare, & proturbare hostem jubet. *Germanicus Miles* dedit impetum in Sylvas, ubi sustinuit *Sclopetarios*, moxquè confertâ pugnâ retrò impulit. *Bucojus* dare in discrimen Exercitum haud è dignitate suâ ratus, Signo receptui dato, in *Budovici* propinqua Munimenta Copias, integris Ordinibus, reduxit. *Hic Receptus Bohemos in Spem Victoria erexit*; cum animadverterent nullum alium Receptum *Bucojum*, Copiasquè, quæ cum eo essent, habere. Iter quæ *Mansfeildius, occiso Dormano, Pilsnensis Præsidij Præfecto*, perruptis & disjectis Munimentis, non sinè Clade, Urbe potitus est; fertilissimisquè Campis, Mænibus subjectis: compescuitquè pari animi Magnitudine Exercitus, Ducesquè Imperatoris. Igitur *Evangelici Administratores, bellum in Austriacos Turnia Comiti mandarunt.* Qui ad testandam animi fortitudinem, *in Austriam irrumpit*, eam Præsidio destitutam populatur; exscindit Vicos; *gravia & sæva damna infert Monachis*, qui repentino adventu ejus territi, *in Turres Templorum fugerunt.* Reductus indè in *Bohemiam* Miles; & Spes tumultuantium, prosperâ Expeditione, aucta. Nec dubium videbatur labare *Cæsarianos*, & indignari *Cæsarem*, se domi ab hoste implacabili peti; ac consilia inire, *ut Civile Incendium in Ortu extingueret. Moguntinus Archiepiscopus, Bavaria dux, Palatinus, & Saxo, componenda Bohemia diliguntur.* Qui haud cunctanter tractant Pacis Consilia; & internis Discordijs remedium frustrà quærunt. Cum interim *proscriberentur Mansfeildia Comes, & Evangelicorum Primores*, Bellum acrius exarsit. Ea Proscriptio *Bohemos* dolore, ac Irâ affecit; qui exacerbati *Atrocitate Edicti*, varijs fluctibus Remp: perturbarunt; ut cum omnibus legibus *Germanicum Imperium* corrueret.

Cæterùm, *Mauritio (jam Aurasionensi Principi, Morte fratris)* haud ingratum accidit, turbari cuncta in *Germaniâ*, internis discordijs; qui stimulos furentibus foris admovit; receptâque ad se domi propè omnium Officiorum curâ, *Arminianos, Neomagi, & Zutphania, magnis Contentionibus Seditionum Motus excitantes, haud cunctanter oppressit; & in his Berneveltium, Hogerbetum, & Grotium, gratiosos homines, Partis adversæ Principes.* Quasi urgente discrimine præparatæ Conjurationis, *Vltrajectum*, indè contendit, diluculo intromissis Militibus; Urbemquè validissimam in suam potestatem redigit. Concussâ ibi *Sceleratâ Remonstrantium factione, Ledemberchium, Civitatis Amanuensem, quas merebatur pœnas, persolvere coegit.* Ostenditquè in periculis à Rep: propulsandis, animi Magnitudinem; & in *Batavorum* Commodis augendis, Industriam nunquàm defuisse. Quibus rebus, in tanto discrimine concitati Populi, Securitati Civium magis consuluit, quàm suæ; quippè plurimum Invidiæ contraxit, multorum Odio in se concitato; ut Statuæ ejus subscriberetur, *Vtinam viveret Brutus*; & atrociter minitarentur. At ille, quantò acriora in ipsum Odia hominum, tantò intentior componendis Religionis dissidijs, Constantiâ, & Moderatione retinuit dignitatem suam. Nec intereà destitit summam Sollicitudinem adhibere; nunc consolando *Orthodoxos* per Edicta; nunc deprimendo adversæ factionis homines; & à publicis Muneribus submovendo. Deniquè Milites omnes, quos *Arminiani* circà se, Præsidij causâ, habuerant, demisit; *Patriam* periculo suo liberavit: *& Synodum Cleri, Dodracum, indixit; Ecclesiastico Ordine ad decernendum invitato. Britannicis Patribus adeundi Consilium potestatem fecit.* His tandem malis *Arminiani* victi, *Contra-remonstrantium* Religionem aut ex animo profiteri, aut saltem callidè simulare cæperunt.

Mathias Imperator, fessus Senio, & Tædio turbarum, fato concessit; etiam post Mortem Seditionum motu permanente. *Has Illustres Mortes, & Seditionum fluctus, Divini Numinis Providentia, non fortuito Cometa Syderis Ortui tribuo.*

HÆc hoc Anno, domi forisquè in *Britanniâ* gesta. Principio insequentis Anni, *jussis Reginæ Manibus peractis*, omnia in Aulâ tristia, lugubriaquè fuerunt. *Finitimi Reges* Clari, & Potentes, 1619. *Regem, Principemq; Cambria*, per Legatos Primarios viros consolati sunt. Quibus ille gratias humanissimis verbis egit; sequè daturum operam dixit, *ut Socios Reges Officij sui non pæniteret.* Illi, *Regis dextram, solenni more, exosculati*, læti hilaresquè discesserunt. Cum autem *Ver* esse inciperet, *Rex Roystonem Vicum repetijt*, ut à sollicitudine intempestivâ, Otio & Venatione animum recrearet. *Vbi Exercitationis vehementiâ in difficilem Morbum incidit*; qui in dies auctus, totum corpus *Cacoexiâ* infecerat; totamquè familiam ad Sollicitudinem deduxerat. *Aditus erat Nemini, nisi qui aut Senator, aut Minister interioris Thalami, aut Medicus esset.* Tantamquè vim Morbi, Curatores Salutis, & præcipuè *Majernus*, Potione Medicatâ expugnare constituerunt. Erat inter Medicos Regios *Macullæus Cynicus, Natione Scotus, qui in Principio à Socijs in curando dissenserat*; & quædam ab ijs constituta mutare voluerat; undè Offensionem mitissimus *Pembrochius, Cubiculo præpositus*, arripuit; quod adversùs peritiores Pervicax, quædam à Cæteris constituta oppugnaret, Rusticitate naturæ; monuitquè, *cum Acerbitas mali cogeret*, tentare remedium; *ut aut Acta Sociorum probaret; aut rationes subijceret, cur Eruditorum Sententiam*

1619. *improbaret*. Ubi in Congressum, Colloquiumquè venit, excellentium *Medicorum* scientiam Imitatione dignam, non Invidiâ putavit; omniaquè dispensatrici Naturæ permisit; & cum Poculo, in quo Medicamentum diluerant, ad Thalamum accedens, *Rex, inquit, aude sanari*. Quo viso, *Iacobus* recreatus, Poculum accepit, & impavidus hausit. Cæterùm, *tanta vis Medicaminis fuit, ut Vigorem animo, Ventriculo robur, & Sanitatem corpori restitueret*. Igitur *Cynicus* gratiam tulit oblati Medicaminis. *Majernus* Medicæ Artis lauream meruit. Cæteris Munera data, *Centum libra Argenti singulis*. Moxquè viribus corporis redintegratis, urbem ingressus est, lætissimo obviorum agmine. *Ubi Vota pro Salute, apud Crucem D: Pauli*, ab Urbano *Præsule suscepta*, erexerunt audientium animos publicâ lætitiâ. Nec minor *Provincialium* cura in testificando studio, de Incolumitate ejus.

Posteà recreatus à Morbo, cum videret fore, ut omnia in *Germaniâ* Bello, & Seditionibus arderent, *Hajum legatum misit, ad disceptandum inter Ferdinandum Austriacum, & Bohemia Proceres, qui Electionem non probarant; Irati ei qui Mathiæ successerat*. Jussitquè adire *Bavariæ ducem, & Germaniæ Principes*, ut quietem & Concordiam suaderet. Is legationem singulari curâ obivit. Per *Bohemiam* petens *Austriam*, ibi tacitum magnarum Contentionum Spectatorem se præbuit; nec moderatis studijs Certamina *Procerum* mitigare potuit; nec *Ferdinandi Iracundiam*.

Item *Southamptonus*, cupientissimâ Plebe, præter Spem suam, *Bouleuta factus est*; Plebs coerceri ab effuso studio nequijt. Idem auctus *honore Senatorij Ordinis*; *Præfecturam Vectis Insulæ obtinuit*: ibi studia hominum, omni genere Popularitatis, incendit.

Suprà memoravi, Quàm palàm, Quàm acerbè, Quàm impudenter, *Indica Societatis bona, per summam Injuriam, direpta sint à Batavis*, velut in bello; Quàm crudeliter Classiarij, Nautæquè trucidati; Quomodò Auctores Injuriæ, Socij Prædæ ac rapinarum, ad Supplicium expostulati. *Ad hæc sananda Vulnera, & sedandas Mercatorum Querelas, missi Londinum legati Batavorum*, perspectæ Prudentiæ, & magnæ Authoritatis viri. Ubi comiter accepti, cultiquè sunt. *Ea Batavorum legatio grata Regi fuit*; decrevitquè, *ut Indicæ Societatis Mercatores, pravâ Æmulatione omissâ, cum Batavis ex æquo & bono transigerent; ac Litium Controversias, in bellum erupturas, finirent*. Cum per aliquot dies, lis tenuisset; *tandem facilè dirempta Controversia est, his Legibus, ut Naves direpta, & Mercium pretium, per viros bonos æstimaretur; ac summâ fide redderetur: Quæq; alia Maritimi Prædones rapuerant, si à se culpam removere vellent, & in Auctores Sceleris avertere*. Batavi abnuebant, *Quicquàm eorum publico Consilio factum; sed pravâ Ambitione inter Nautas admissum, cum quiquè ad se Merces Indicas, & Aromata, cum quæstu, Compendioquè traherent. Id facile scituros esse, si ipsos Batavos percunctarentur, qui in Indiâ fuissent*. Legati *Batavorum* à Colloquio ita digressi sunt, ut præ se ferrent *Cædem Classiariorum, ad Conflictum factam, objiciendam non fuisse, Mercatoribus accusantibus*.

Ubi *Legati in Hollandiam redierunt*, secuta est *Miseria Batavorum Londini habitantium; Delatores transvecti Auri Crimen omnibus Batavis, apud Cameram Stellatam, intendunt*. quod mulctantibus legibus, gravissimè plectitur. *Procurator Regius* evocavit eos ad causam dicendam; placuitquè inprimis *Gulielmum Curtinium*, Opulentum Civem ostendere nocentem. In Cognitione Causæ *Testes producti homines inimici; qui anteà in Perfidiæ Suspicionem venerant, varie Calumniarum genere*, Publicè Testimonium dixerunt, & multos *Reos* peregerunt. Nihilominùs *Batavi, Noelium Caronium, Legatum Ordinarium*, studiosissimum Defensorem, Propugnatoremquè habuerunt. Qui liberius apud *Regem* questus est, quod non ex æquo Disceptatio esset *cum Batavis, qui domicilio sibi delegerant Londinum*. Respondit *Rex, non meliorem Inquilinorum Conditionem in Britanniâ, quàm Civium esse: & Aurum in vicinas Terras transferre, Civibus non licere*. In *Curtinium* præcipuum Onus incubuit; *qui x x Mille Libris mulctatus est*. Cæteri minore summâ, pro facultatibus, mulctati. Absolutus est *Philippus Burlemachius*, Opibus potens, qui multum gratiâ & Auctoritate apud Regios Ministros poterat; *Campsoris Officium* ei præsidio fuit. Hic Judicij exitus; pauci absoluti; plures damnati; & in varias Custodias traditi, donec taxatam pecuniam persoluerent. Ista actio calamitosa *Batavis*, Quæstuosa *Causidicis*, & miseranda *Bonis* videbatur. *Curtinius* damnatus, & in *Fleta* Carcerem trusus, eundem usquè ad extremum pertulit. Posteà Tædio, & sempiterno dolore victus, *Mulctam persoluit*. *Caronius legatus* Viles protexit; pecuniam etiam, quâ *Mulctam* exoluerent, gratuitam dedit. *è Testibus quidam homines, alioqui flagitiosi, Infamiâ Vulgi notati sunt*; quod essent subornati, ut Accusationem inciperent.

Projectores vocabulum non est latinum, sed rerū humanarū inventū.

Cum hâc ratione publicæ Egestati subveniri non posset, *Monopola, & Quadruplatores*, Novas ac inusitatas extorquendæ pecuniæ rationes excogitarunt. *Agrestes*, urbanamquè *Plebem* acerbè vexarunt. Nullum tempus agendi, & cogitandi de Exactione aliquâ, ab ijs prætermittitur. Tùm *Edictum Monetarium* proponitur, ut aliquid indè corradi posset, *aucto Auri pretio*. Coguntur etiam Nummi à *Cauponibus, & Stabularijs*, sinè More, sinè lege. Nam singulis, per universam *Angliam*, Diversorijs, Onus aliquod imponitur, quod in exhaustum Ærarium non confertur; *sed Ægidio Mompersono, Bucingamij Cognato, Diplomate Regio, conceditur*. Hoc prædandi genus à pluribus tentatur; quos *Bucingamius* de se, & gloriâ suâ cogitare putavit. Supersedeo memorare *Venereorum Servorum Prædas ac Rapinas; Clientum Peculatus; ob Ius impetrandum acceptas Pecunias; & Ecclesiæ Dignitates, Mercede, aut turpi Adulatione sæpiùs, quàm Virtute, Ingenio, Diligentiâ comparatas*. Locus intrà *Britanniam* nullus erat, quò non ejusmodi hominum Iniquitas pervaserit. Verùm *Bucingamij*

1619.

ingamij tanta fuit Authoritas, ut Delicta *Observatorum sui* tegere posset. *Plebei* istorum Injurijs exagitati, ac perditi, apud Regem suas miserias deplorarunt; Opem, auxilumquè implorantes; cum ultrà perferre non possent Crudelitatem, Avaritiam, Superbiam *Quadruplatorum*, in Bona sævientium, nisi sublevaret. *Rex* sustinere Supplicantium Luctum, lachrymas, Querimonias vix potuit. Voluit etiam illorum Audaciam, & Injurias, aliquâ ex parte, refrænare; nisi tàm præclaro Conatui *Bucingamius* obstetisset; Crimina objecta diluendo, aut excusando. *Ita derisa Postulata, aut Contempta.* Ille Clientes suos corruere non sivit; Amicos fovit, & sustinuit. Nemo, nisi iniquus, hanc, in tantis Opibus, tantâ fortunâ, Liberalitatem in suos, Charitatem in Parentes, damnavit, *si suâ pecuniâ fulsisset.*

Non immeritò commemorabo, & proferam *Casum singularem cujusdam Hermani, in suspicionem furti vocati*, propter raritatem Exempli, nemini inauditum. Is dives Agris, Pecore, Villis, Pecunijs creditis, *à Colono suo reliquum Reditum indebitè exegit*. Nam, cum *Colonus* frequenti Mercatu rediret, fortè obvium comprehendit; *& Crumenam ei de perâ detraxit; sibiq; debitam pecuniam numeravit.* Res delata ad *Eduardum Villerium, Bucingamij fratrem, eodem Patre genitum.* Injectâ Spe Quæstus, & magnæ pecuniæ, Testes in hunc, & Accusatores comparat. *Hermanus* comprehensus, adductusquè *Londinum*; ubi ei denuntiatum est, ut adesset *Tribunali Regio.* Acta res est, concursu magno, frequentiâquè Conventus. *Rerum Criminalium Clericus accusare Furti capit.* Defendit *Rem*; Numniorum aliquid à Colono suo, vetere Debitore, abstulisse; non furandi animo; & furtum sinè affectu furandi, non committi. *Quid, & Quantum, & Quo animo acceperit*, Juratis pro Tribunali exposuit; multaquè quæ Misericordiam movere possent dixit. *Montacutus, rerum Criminalium Iudex*, in Reum Inquisitionem postulavit; docuitquè, *factum, non Quo animo fecerit, spectandum. Iurati, sibi non liquere de istâ furandi ratione, pronuntiarunt*; quod novum ejusmodi exemplum, ad omnium Civium Vitam, Sanguinem, ac fortunas pertineret. Ubi Juditium parùm processit, *Montacutus* infensus ei, cui Misericordiâ oppitulari debebat, hominem abripi à Tribunali, & in Carcerem conijci jubet; ad Ulteriorem Quæstionem. Cives statim loqui, & mirari cæperunt, hominem miserum tantâ Injuriâ affici, in Carcere, in Squalore, in Sordibus teneri. *Rem* rursùs, *impulsu Villerij*, Furti invidiosè insimulatus; nullâ re novâ allatâ. Ibi omnes aditus Misericordiæ Judicis sibi præclusos sensit; *qui ipsum ostendit Nocentem Capitalis Criminis*, Argumentatione magis, quàm evidenti Probatione; *& Iuratis Inquisitionem permisit.* Qui diu æquitate Causæ permoti, Nequè inflecti gratiâ, nequè infringi Potentiâ potuerunt. *Tandem, Bucingamij Amicis secretò rogantibus, metu coacti, Reum furti damnarunt.* Juditij eventus fuit; *Hermanus*, homo pecuniosus, vitam Fundis, & Fænebri pecuniâ redemit; & ex his incommodis se liberavit. Per istius Exemplum, *omnibus pecuniosis Anglis metus injectus est, similium* Incommodorum. Nequè hoc prædandi genus, ab *Eduardo Villerio*, in isto uno adhibitum. Res percrebuit, in Ore, atquè sermone omnium cæpit esse; *Novum, ac singulare Latrocinium, amplificandi Patrimonij gratiâ, inventum.*

Cum universa *Britannia*, Pacis perfruens bonis, egregiè præsenti statu gauderet; novus quasi Terrarum Motus exortus, multiplici bello *Europam* concussit. *Mors Mathiæ Cæsaris* omnia mutavit. *Tres Archiepiscopi, & Saxo*, quorum præcipua in deligendo Imperatore auctoritas, *Ferdinandum Archiducem Austriæ, & Regem Bohemiæ, Cæsarem salutabant. Bohemi* per Legatos negabant, ejus in *Comitijs* habendam rationem; querebanturquè dirutas Urbes; oppressam Plebem; ademptas, quibus ad eam diem stetisset Regnum, leges; & Religionis libertatem. *Bohemicis legatis adeundi Consilium gentis Potestas non fuit.* Quarè cum Crimina, Querimoniasquè *de Ferdinando* audiri non cernerent; undè discesserant, redierunt; ac Legationem renuntiarunt. Infensi *Bohemi* non factam *Legatis* adeundi *Concilium gentis* Potestatem; & super Cætera sinè responso, aut Spe levandæ Injuriæ dimissos; *convocatis Pragæ Proceribus*, in Arce urbis celeberrimâ, exposuerunt Primores, *nec Iure ullo, nec Exemplo liberæ Electionis, Ferdinandum Bohemiæ Regem designatum.* Censuerunt Frequentes Proceres, *ut Comitia Regis creandi, & in Ferdinandi locum surrogandi, More Majorum, Pragæ celebrarentur*, XXVI *die Augusti.* In eo Conventu, *dejecto Ferdinando, Fredericus Palatinus, singulari omnium studio, à Plebe, & Nobilitate, Rex Bohemiæ, solenni More, salutatur.* Simul Bellum in *Cæsarem* redintegratur. Coërceri Plebs ab effuso studio nequijt. Mox *Legati à Bohemis*, cum literis, & Scriptis Mandatis missi, *Heidelbergam* venerunt; deductiquè ad *Fredericum*, ostenderunt Electionem Procerum, Plebisquè. *Palatinus*, præter Spem suam, & cæterorum, *Rex Bohemiæ creatus, Regnum ultrò delatum non accipit; Sed, convocatis Germaniæ Regulis, Instaurata Religionis, referre se ad eos statuit*; & super recenti Electione consuluit, priusquàm ageret quicquàm. *Saxo*, geminati honoris, & Potentiæ æmulus, iniquo animo tulit, *Fredericum* tantas opes adipisci; Splendoremquè Regij Nominis; & mentis quasi luminibus offecit fortunæ Altitudo, & gloriæ. Is in eâ igitur Sententia fuit, *ne Fredericus Regnum Bohemiæ ultrò oblatum acciperet. Deindè, ut ex Authoritate Electorum id faceret.* Denuntiavitquè instans Malum, & imminens *Germaniæ* periculum; Conatumque ejus in nihil recasurum. Hortatusquè est, ut Commune malum, Communem Metum, Commune periculum spectaret; Neu id consilij caperet, cujus ilicò pæniteret. *Saxonis Vaticinia* funesto eventu approbata sunt. Cæteri Proceres censuerunt, *Electionem cum sibi gloriosam, tùm etiam Ecclesiæ maximè utilem. Cedendum Ordinum Bohemiæ, & universi Populi Suffragijs.* Et Fredericus non ultrà dubitavit, quin Diadema accipiendum esset; Suspicio fuit, Virtute ac

1619. Prudentiâ *Aurasionensis Principis*, *ac Bullonij Ducis*, ad res Bohemicas capessendas evocatum. Vulgus credidit, *Fredericum*, Uxoris stimulis incitatum, jam molestè ferentis, *se Regis filiam, Sororem, Neptem, omninò Comitem salutari.* Sed moderatis studijs, & totius vitæ ordine, Calumniam facilè refutavit. *Novus Rex*, cum Favorem Populi, & Procerum, magis, magisquè in ipsum inclinari cerneret, *Iter in Bohemiam acceleravit*; ut Electionem Præsentiâ suâ comprobaret. *Pragam* Ipse, Uxorquè delati, cum egregio Comitatu, universi Populi Suffragijs inaugurantur, meliore famâ, quàm Eventu; Simulque Jurejurando adigitur *Rex*, antiquissima Regni Jura tutari. Peractis Cæremonijs, *Fredericus gratias Populo, Senatui, Proceribusquè egit*; *Quod tanto studio Se Regem eligere voluissent. Ostenditquè, sibi non esse in animo, studia suorum Civium destituere*; *& nunc se Patriam Bohemiam agnoscere.*

Ingens Certamen fuit *inter Ferdinandum*, *defuncti Mathiæ Cæsaris Patruelem*, *jam Cæsarem*; *& Fredericum Bohemiæ Regem.* Invisa, suspectaquè, *ac formidolosa Ferdinando Cæsari erat Britannia*; *ne in Germaniam irrumperet*, *spe auxilij ferendi Bohemis.* At *Iacobus Rex* dubius, tanquàm non appareret *Regnum Bohemiæ* beneficium Populi esse, & Generum Regem legitimè electum; aut Arbitrum, aut tacitum *Spectatorem Turbarum se præbuit*: *Neque favit Electioni*; *Neque bello eum juvare animo habuit.* Non enim è Conscientiâ, aut è Dignitate suâ ratus est, Pacis Conditiones tranctantem Arma Certantibus interponere: clamitante Vulgo, & magnâ parte Senatus, *meminisse debere, se Patrem Elizabethæ, lectissimæ fœminæ, Reginæ Bohemiæ, esse.* Ne his quidem Sententiâ motus. Quia præsenserat animo, plures Claros ac Præpotentes Principes, Cæsarem, *Hispanum*, *Pontificem*, *Bavarum*, *Saxonem*, conjunctis Copijs, Bohemiæ Regnum recuperaturos. Contentiones inter Competitores acrius exarserunt; in quas omnes finitimi Reges, gentesquè, animos intenderant. *Fredericus* Regno potitus, Accolas *Istri fluminis*, naturâ & Moribus barbaros, sollicitavit, ut in *Hungariam* irrumperent. *Ferdinandus*, ad labefactandam illius dignitatem proclivis, suos hortatus est, *ne finerent exui Regno Bohemiæ*; quod *tot Austriæ Duces*, *tot Cæsares*, *& Prædecessores ipsius Rodolphus*, *& Mathias*, *Iure possedissent*; Neu hanc Injuriam, Ignominiamquè nominis *Austriaci* inultam relinquerent.

Hâc flagranti Contentione, alia subindè majoris Certaminis exorta est. *Bethlem Gabor*, *Princeps Transylvaniæ*, bello inter Cæsarem, Bohemumquè orto, ad fortunam *Frederici* inclinavit; *Legatosq;* ad eum misit; ac ad arma, *Turcarum Multitudinem*, *Istrum Accolentium*, excivit; *Pannoniam utramque, id est Hungariam*, *& Austriam* hostiliter vastavit; *Cassovium* expugnavit, & crudeliter diripuit, *Thracibus* intromissis; relictoquè ibi Præsidio, Cætera ferè *Hungariæ Oppida*, *Cæsariæ Ditionis*, subito impetu occupavit; Procerum, Militumquè cædem fecit: *Turnia Comiti*, adversùs Cæsarem in *Austriâ* bellum gerenti, *Decem Millium* auxilia misit; & *Presburgi Suburbia*, *occisis Mille Cæsarianis*, *subsidio missis*, *diripuit.* Perculsi Oppidani terrore recentis Cædis, & destituti omni Spe auxilij, de Deditione cogitarunt. Ita *totam Hungariam*, *à Tibisco flumine*, *ad Presburgum* in potestatem suam redegit. Furor Militaris Iram effudit *in Religiosos*, *Templa Divorum*, *& Supellectilem Ecclesiæ. Homonojus*, *qui præerat Hungariæ*, jussu Cæsaris, *per Carpathiorum Montium Iuga*, *in Sarmatiam profugit. Ferdinandus* à Palatino Hungariæ certior factus de *superioris Pannoniæ Clade*, *& Austriæ discrimine*, primò adeò perturbatus fuit, ut non Vox, non Vultus ei constarent. Mox, collecto animo, missis per *Germaniam*, qui infirmis adhuc viribus auxilia concirent, *Bucojo* mandat, *ut cum Belgarum Auxilijs in Austriam Iter celeraret*; & irruentes *Thraces*, communes Christiani nominis hostes, Armis coerceret. Ille Mandatum cum omni executus est curâ; cessit *Bohemiâ*; deduxitquè Cohortes; & Præsidia in *Budovici* finibus collocavit. Interim conjunctis *Comitis Dampetræ* Copijs, ad terrorem auxilijs *Thracum* injiciendum, in *Austriam* profectus est. Sed cum *Bohemos*, Multitudine superantes, & Turcarum auxilijs auctos, Armis prohibere non posset; tacito Signo abduxit Exercitum, & paulatim omnes Copias *Viennam* reduxit. Ubi haud procul *ab Istri Ponte* posuit Castra; firmavitquè; impedimentis omnibus, in urbem traductis. *Bohemi* feroces perculsis institère; ne consistere possent in *Germaniâ*; & postero die, instructâ Acie Castra oppugnarunt Tormentis, ac telis. *Turnius ipse*, antè alios, Vallum invasit; cujus eximiâ Virtute exercitus accensus est; Tempestas, cum magnis Procellis vesperè exorta, Prælium diremit. Per Triduum similiter certatum; & *Cæsariani* in interiora Munimenta compulsi, renovant Prælium, velut ex superiore loco. Nec minùs acriter *Turnia Comes* suos adhortatus est; qui intrà Vallum penetraverunt. Hoc tumultuario Certamine, *cecidêre Sexcenti Cæsariani*; *& Bohemorum*, *Sociorumq; duo Millia occisa.* Qui regressi in sua Castra, *cum Auxilijs Thracum*, ad Prædam & Populationem versi, Agros cum magnâ trepidatione Agrestium, populantur; ac spatium confirmandi sese, hostibus dedêre. *Bucojus*, ne Castra posteà oppugnarentur, mirificis Molibus, contrà hostes sepsit; & Præsidijs, Custodijs, Vigilijsquè munivit. *Mansfeldius* interim, *Frederici Regis in Bohemiâ Tribunus Militaris*, nullum tempus in corrahendis Copijs elabi sivit. Ubi satis placuêre vires, *Vinterburgum* ferro flammâquè delevit: *Prabatim* Obsidione cinxit, & expugnavit: *Pissecam* Deditione accepit; Incendium in *Bohemiâ* excitatum, penè alterius partis ruinâ restinxit. *Cæsariani* perterriti metu, fractis animis, in *Hercinam Sylvam* fugerunt; nihil usquàm firmitatis, nisi *in Budovici præsidio*; quod opprimi potuisset, absente *Bucojo*, si opera adhibita esset; ut inopiâ potiùs, quàm Ferro conficeretur. Inter quæ, *Transylvaniæ Princeps*, *Presburgum Conditionibus*

Conditionibus accepit; Hungariæ *Palatinus*, qui Urbi præerat, se suaquè omnia dedidit; & non minùs honoratus mansit apud Hostem, quàm apud *Cæsarem*. *Bethlem Turcica Copias suis conjunxit*; fuit numerus Armatorum, Sociorumque satis frequens. Crebris incursionibus per Equites, quos habuit multos, *Austriam* vastavit; & rursus se in *Pannoniam superiorem* recepit; quod *ea pars Hungariæ* suo Milite occuparetur. Primi Belli eventus, fiduciam *Frederico Regi* addidêre. *Ferdinandus*, Propinquitate, Re, fideque *Iberorum* subnixus, Spem recuperandi adhuc non abjecit; ut ex literis ejus animadverti. Ad *Saxonem*, *Bavarum*, *& Pontificios Regulos* misit, ut Avitam Religionem (quæ quanto in periculo esset, exposuit) ac Majestatem Cæsarei nominis tutarentur. In tantâ rerum perturbatione, & Christianæ Reip: incommodo, idem *Romam* erat nuntiatum; ita persuasum omnibus Pontificijs. *Homonojus*, qui in *Sarmatiam* profugerat, à *Sigismundo Poloniæ Rege*, *Octo Equitum Millibus adjutus*, ut bellum in *Pannoniâ*, adversùs Barbaros renovaret. Itinere facto difficillimo, per Montes, ignotæ anteà Viæ, in *Pannoniam Superiorem* penetravit; ubi Bellum rursùs exarsit. *Rocotius Cassaviensis, Præsidij Præfectus*, hâc re nuntiatâ, cum *Septem Mille Equitibus*, *& aliquot Peditum Cohortibus* expeditis, *Sarmatis* occurrit. *Homonojus*, cum suis Equitibus, hostem invadit, fundit, sternitquè perculsos; fugientes in proximas Sylvas persequitur; Nec plùs quàm *Quatuor Millia Transylvanorum* effugerunt; *Tria Millia cæsa sunt*. *Rocotius* ad Cassovium ægrè pervenit. Indè *Transylvaniæ Principem* certiorem facit, Numerum *Sarmatarum*, & Armatorum, cum *Homonojo* satis frequentem esse; nec sustinere irruentes sese ultrà posse; nec confligere cum ijs, sinè periculo. *Transylvaniæ Princeps* statim Copias *Bohemorum*, auxilio missas, revocavit; ac *Cassovium* præmisit, ne quid detrimenti *Hungaria* caperet. *Rocotius*, refectis à terrore adversæ pugnæ suorum Militum animis, in Spem venit Victoriæ; quod *Sarmatarum Equitatum*, omnibus suis Copijs parem non arbitraretur; & ad delendam recentem Ignominiam, rectà ad hostem tendit. Qui mirantur subitum Adventum; & cum sustinere inferentes sese *Barbaros* non possent, nullâ re pares, intacti abierunt; & in *Sarmatiam* rursùs penetrarunt; itinere multo majore fugientes, quàm hostes sequerentur. *Rocotius*, hoc fortuito Successu contentus, *Cassovium* Copias reduxit. Fugâ *Homonoij*, *Bohemorum* animi recreati, *Cæsarianorum* metu perculsi sunt. Hâc re *Cæsari* nuntiatâ, statim *Octo Millia militum*, *ex Stiriâ*, *ac Carinthiâ*, *Viennam præmisit*. *Bucojus*, eductis omnibus Copijs, Vicos, Castellaquè in ripâ *Istri* fluminis, à *Viennâ ad Presburgum* usquè, in Cæsaream potestatem redegit. In Illo Spes unica retinendæ *Austriæ* fuit. Sæva hyems, cum magnis Procellis, coegit Duces & Exercitus in Hiberna discedere, ac à violentiâ Belli cessare. 1619.

Interim *Fœderibus inter Cæsarem & Fredericum* certatum; cum Hic, *Comitijs Nurimbergæ* habitis, ad se Instauratæ Religionis Principes & Proceres traheret; Ille, *Virtsburgum* convocatis Proceribus, Specie sanandarum Imperij partium, quæ seditionibus convulsæ erant, Pontificiæ partis Reges, Dynastasquè, discrimine *Romanæ Religionis*, *& Cæsareæ Majestatis*, urgeret. *His Comitijs*, Crimina, Querimoniasquè utrinquè ediderunt; quas Neutri Parti satis decoras, memorare supersedeo.

Ijsdem ferè diebus, *Hajus, ex Bohemiâ, literis significavit*, qui Statue rerum ibi esset; Bellum, & Defectionem; *Pannoniam* multis magnisque Cladibus afflictam: & *Fœdus inter Regem Bohemiæ*, *Transylvanumquè* memoravit. Quibus cognitis, *Iacobus*, Pacis semper Author, turbis *Bohemiæ* se non immiscuit; Fortunæ Rotam, ac horrendos Belli eventus pertimescens. *Vetuit, in publicis Ecclesiæ precibus, Mentionem fieri Regij Nominis; sed tantùm Palatini Comitis. Ita ex æquo egit; ut vix, utrius Patris esset, nosci posset.* Quanto, & quàm æquali Amore *Frederici*, *ac Elizabethæ Reginæ*, tota Britannia flagrarit, commemorare vix possum. Non Miles, non Centurio, non Eques, ad *Bohemiæ* Præsidium, Stipendium sibi dari flagitavit; cum exhaustum esset Ærarium, nequè domestico Sumptui sufficeret; Viri atquè fœminæ, ad belli vim sustinendam, Pecuniam promptissimis animis contulerunt: nec ullum Assem, Bello confecto, se petituros professi sunt. Sed habuit hic Obtrectatores *Pontificios*, & Æmulos Potentiæ; qui hujus Negotij exitum suspicandum putarunt, vivente *Cæsare*, florente *Philippo*, Austriacæ Dominationis Auctore.

Gundimarius Legatus questus est graviter, non sinè verborum Atrocitate, *raptum Bohemiæ Diadema*; *Transylvaniæ Principem*, *Byzantini Imperatoris Tributarium*, *à Frederico accersitum*, *in Communem perniciem Christiani generis*, *ac Germanici Imperij*. *Hujus nefariâ Crudelitate, omnem Barbariem superatam*; *abductam Plebem ad Byzantium*, *& venundatam*; *Scelera fœda in Pannoniâ perpetrata à Thracibus*, *& alijs Barbaris*; *Cædem Civium*, *Direptionem Fanorum*, *Stragemq; Austriæ*; *& Irruptionem armatorum in Bucoij Castra*; *ac nunc totâ Hungariâ volitare*; *vagari ad arbitrium*. *Cæsarem Bohemiæ bello detineri*. Commemorat *Casus rerum humanarum esse incertos*; *fortunam totam Victoribus pertimescendam*; *nihil medium inter summum*, *& præcipitium*; *Injuriam ad Cæsarem*, *Exemplum pellendi Reges*, *pertinacis populi Superbiâ*, *ad omnes pertinere*. *Iam vix Consensu*, *& Concordiâ Regum resisti posse*, *nisi Victoriâ*, *aut Pace*, *hæc tempestas Rebellium quieverit*. Rex, ponens antè oculos miseram & flebilem Imperij Speciem, & periculum invicem metuens, respondit, Legatum ad res Germaniæ Bohemiæquè visendas missum; utriusquè Partis voluntate exploratâ, *sibi Pacem & Concordiam placere*; *& securam Christiani Orbis quietem*; *quam nulla Belli cogitatio distrahat*. *Itaquè inter Cæsarem Generumq; sanciendum fœdus esse*; ambos infirmos distractis viribus, & *Turcarum* injurijs obnoxios fore; pacandosquè *Bohemos*, domesticis discordijs incensos. Petijt, ut *Philippus* mitteret legatos ad eos, quorum precibus, aut Minis ab armis avocarentur.

Gundimarius,

1619. *Gundimarius*, fidem, Pietatem, Constantiamquè Regis laudavit; dissimulavitquè animum Pacis. Tum *Bucingamium* rogarunt, ut quid ipse sentiret, expromeret. Ille non multum à Pace abhorrentia disseruit; ne videretur arroganter plùs suo Juditio, quàm experti Regis, & callidi legati tribuisse. Hæc plùs valuêre in *Iacobi* animo, quàm prudentes Amicorum, Sociorumquè Monitiones: qui exposuerunt, *Philippum, Sigismundum Poloniæ Regem, summosquè Duces Saxonem, Bavarumq́, Generum expellere Armis destinasse*. Destitutâ eorum Spe, impelli ad Consilia *Belli Bohemici* non potuit; *Causam Protestantium Procerum non fulsit, aut sustinuit, sed corruere sivit*. Secutæ indies familiarissimæ Collocutiones cum *Gundimario*; Signaquè summæ Benevolentiæ, quæ ingentem fremitum totâ Britanniâ excitarunt. Nequè obscurum erat, concussam *Regis* mentem, Assentatione, & fraude *Legati*, ut Generi honestis Conatibus adversaretur; ac fidelissimorum Sociorum *Germaniæ Principum* fœdus negligeret. At firmi & constantis animi fuit, adversùs sinistros improbi vulgi rumores: *Edictoq́, salubri monuit Plebem, ut Loquacitatem suam posteà contineret*. Interim eum magna cura angebat, ne *Iberi*, Cæteriquè duces, & Exercitus, *Ferdinandum in Bohemiæ Solio locarent, & Generum expellerent*; quod vix salvâ Dignitate ejus contingere poterat. *Legatus* introductus, semper adhibuit aliquam Consolationem in Regio mærore; & hâc perturbatione temporum perditorum.

Pro hoc studio ergà Regem, *Bucingamius* non solùm probavit, sed etiam laudavit Legatum, ut Pacis Authorem; ac honorificè salutavit. Undè posteà majorem habuit fidem *Batico Legato*, quàm antiquissimis Socijs, atquè *Amicis fæderatis Ordinibus*; quibus communis libertatis, communis Religionis cura esset. & ipse haud dubiè indies inflatior, subnixus ergà se Juditio *legati*, laudantis, gratantisquè, eum omnes honores & capere ipsum, ac dare alijs, ad arbitrium. *Minimus ejus frater*, ex utroquè Parente genitus, *Christophorus Villerius*, ad Ministerium Regis provectus, fiducia honorum, Præmiorumquè; qui gratiâ fratris, & Indulgentiâ Principis, ad Comitis honorem posteà pervenit, majore Vulgi invidiâ, quàm famâ. *Maximus natu* horum omnium, *Gulielmus Villerius*, Equestri dignitate, & Paternâ hæreditate contentus, fortunam fratris aspernatus est, crebris Nuntijs incitantis, ut Auctoritatis Potentiæquè partem capesseret, ac Patrimonium amplificaret Prædijs, & pecuniâ; neu *Iohanni, Christophoroq́*, fratribus ætate minoribus, cederet. In eundem modum *Eduardus* frater composuit literas, hortans complecti fortunam, & augere Patrimonium; protulitquè multos testes fraternæ Liberalitatis. Ille Opes, Gloriam, Potentiam erecto animo sprevit. Nec deerant, qui crederent, ætate priorem, & privatis utriusquè rebus superiorem, Invidiâ ac æmulatione fortunam fratris aspernatum. De Judicio animi ejus, ut vult, quisquè sentiat. Ego hanc animi Magnitudinem, in securâ Quiete, tantis fratris Opibus, tot Muneribus, ac Honoribus antepono; credoquè mite ejus ingenium ab Invidiâ & Æmulatione abhorruisse.

Hoc Anno, *Carolus Princeps, in primo flore Iuventæ, armatus per Catadromum decurrens*, excelsam Indolem, & Artis Equestris Peritiam eruditè ostendit. *Batici, & Francici Regis legati*, ad spectaculum Certaminis invitati sunt; ut Juditium facerent, quantum quisquè animi, & Virtutis habere videretur. *Francicus interesse noluit, ne Gundemario, loco, Dignitatevè cederet*. Is Juvenes egregiæ fortitudinis, in Campestribus Exercitijs adversarios habuit; sed talem se in ludicro Certamine præstitit, ut sinè Adulatione, nulli secundus extiterit, cum Equum in cursum admitteret; Hastam in aliquem dirigeret; aut flexis habenis reduceret; lenijt desiderium fratris, hujus Indoles; & major, quàm Ætas pateretur, animi Altitudo, ac Cupido gloriæ. Cumquè mirâ voluptate Spectantium animos, in serum, oblectavisset; discendentem, & genua amplectentem exosculatus est Pater, laudans gratansquè.

Cæterùm, *Legatus Baticus*, Vulgo indies suspectior esse cæpit; omni ope *in Generum* accendens Regem; avertensquè à Consilio Belli, propè necessarij. Hæc res novam velut flammam ejus Invidiæ adjecit; *crevitquè indies Philippi Odium, & gentis*; cum alij Barbaros Mores, & Instituta referrent; alij *fastum Baticum* acribus facetijs incesserent: ita ut ne ipso *Rege* abstinerent. *Iacobus*, cum multa adversùs se gravius dicerentur, inusitatâ bonitate oblivisci maluit, quàm ulcisci. & acerbè loquentibus satis habuit *Edicto* denuntiare, ne perseverarent in verborum petulantiâ. At acrius, in Populi sui ore, Sociorum Regum injurias, quàm suas vindicavit.

Exhaustis Regni opibus, novum Aucupium aggreditur; edixitquè sibi esse in animo, *Possessorum Titulos, in Iure deficientes, adjuvare, ac supplere*; non sinè Spe Quæstus in hâc Nundinatione, ab *Elizabethâ* inchoata; à se auctâ, atquè renovatâ. *Duo Tipperij*, Pater & filius, publico exitio nati, Titulorum defectus acerrimè persecuti sunt; quæsiveruntquè adjutores Consilijs homines gratiosos; qui in *Bucingamio* Spem omnem Dignitatis, ac fortunæ posuerunt. Hi ergò, cum Possessores Prædiorum se vellent defendere aliquo Titulo, nec in promptu Probationes haberent, Mulctam ad arbitrium irrogarunt. Hæc clandestina Consilia Patrimonij amplificandi evanuerunt, sinè magno lucro, Compendiovè.

Posteà, cum *Rex* omnibus verborum Contumelijs, *ac criminosissimo libro, sinè ullo Authoris nomine*, laceratam Existimationem suam cerneret; maximeque Titulus admoneret, quàm essent inimica & inepta, quæ Sacrilego furore objicerentur; graviter ac iniquo animo tulit; intentusquè in Vindictam, Quæsitor, & Punitor acerrimus extitit. Patefactus, & detectus Author, *Legulejus quidam Villiamus*, Perfidiæ & sceleris damnatus, gravi affectus est pænâ. Primò omnium suspensus est, *apud Crucem*

funebrem;

funebrem; deindè Caput à Carnifice amputatum, atquè Os illud infame; Corpus in Quatuor partes dissectum; atquè laceratum. Ex quo Supplicio documentum nos capere fortuna voluit, *quid esset Regi Maledicentibus extimescendum.* 1619.

Inter hæc, *Reges Amici, atquè Socij Populi, Bohemiæ Regi oppitulari, communibus impensis, decreverunt*; communem hostem, communibus auxilijs pellendum arbitrantes. Et adjutus *Bohemus* pecuniâ ac Milite. *Aurasionensis, & Bolonius*, Austriacæ familiæ infensi, multa secùm volutantes, *& Tarditate Iacobi Regis attoniti*, occulta Officia præstiterunt; ac promptissimis studijs *Electionem Palatini* comprobarunt, salutarem ipsi, Patriæquè. Nec deerat spes, subituram *Regi Iacobo* aliquandò Affinitatis memoriam; ac Charitatis in Filiam, Stirpemquè suam. *Huic Spei obstitit Legatus Baticus; omnia moliens, & tentans, ut Frederici Fortunam remoraretur, & is qui apud Regem plurimum poterat.*

Per idem tempus, *Carolus Maxvallius, Iohnstoniana Cædis molitor*, vir acer & fortis, *Robertum Carum*, Equestris Ordinis, & interioris Thalami Principis honoratum Ministrum, *ad Duellum provocavit*; qui longo morbo æger, atquè invalidus, ex quo tùm primùm reficiebatur, consuluit magis Dignitati, quàm Saluti; *ac dimicare non detrectavit.* Sed impetum furentis Inimici sustinuit, non sinè magno suo in conflictu discrimine; nam Corporis declinatione funestum Ictum, primâ sorte, evitavit; & fatigatam Dextram ad majorem impetum paravit. *Maxvallium*, implacabili irâ irruentem, atquè Ictum in pectus iterùm dirigentem, gladio ex adverso trajecit; implicitiquè inter se, ambo concidunt: *Caroquè cadenti superincubuit Maxvallius*, & cruore suo respersit. Haud multum abfuit, quin exanimaretur pondere Inimici, super eum ruentis; diutino morbo viribus admodùm attenuatis. Sed *Maxvallius* sanguine & spiritu deficiens, expiravit; vitamquè suam præcipiti Furore perdidit; & gloriam Certaminis hosti reliquit. *Carus*, Existimationem hominum veritus, animi magis, quàm corporis robore, huic Pugnæ suffecit; & Victoriæ successum moderatus est. Nec multò post, Interfecti Amici, Dolore incensi, eum Legibus aggredi, Reumquè Cædis peragere statuerunt. Ille orare Veniam, vel excusare se, ad Necessitatem Pugnandi coactum, non sustinuit. Sed *Cantabrigia* causam dixit, occurrens unâ voce, *Se Innocentem esse; & Arma necessariò sumpta; quibus Occisi Audaciam refutaret; & omnium Suffragijs absolutus est.* Rex à Cæde & Sanguine alienus, ab Aulâ diu sepofuit. Posteà, multis *Procerum* precibus victus, revocavit; & loco pristino inter Filij sui Ministros, honoravit.

Aurasionensis, sedatis Motibus, qui inter *Batavos* exorti erant, Excubias per Urbes & Præsidia collocavit; ne quis Tumultus posteà exoriretur. *Berneveltium*, ultimæ Senectutis, à se in Custodiam conjectum, *& de nimiâ Potentiâ Principis querentem*, Capitali Animadversione puniri flagitavit. Adducto eo in Curiam, & vocato *generali Batavorum Concilio*, consultari cæptum. Cum ad deliberandum *Ordines Hagæ* consedissent; *literaquè Francici Regis*, Laudationem *Rei*, Amantissimi Patriæ, continentes, à *Legatis* prolatæ essent, procul dubio efficaces futuræ, *si Mauritius annuisset*, Oratores institêre parcendum esse, *ob Memoriam ingentium in Batavos Meritorum; ac per eum salutaria Remedia quærenda esse Præsentium malorum; nec diuturnum Vitæ ejus terminum fore, qui Annum Septuagesimum excesserat*; Orarunt què, ut tàm atrox Religionis dissidium, placidâ tranquillitate componerent. Responderunt *Ordines*, *Reum ingenti Auri summâ à Philippo corruptum; fretumq; Socijs furoris sui Arminianis, turbarum Authorem extitisse. Non aliter quàm per alterius Partis internecionem, Lites constitui posse.* Nec gratia summi Regis Deprecatoris, nec Diligentia Oratorum, Exitio eripi potuit. *Contra-remonstrantes*, quorum in manu Resp: erat, omnes in Supplicium, ac Necem ejus consenserunt. Paucos Memoria pristinæ Potentiæ, aut recordatio Meritorum commovit. Vicit pars cupida Necis. Missiquè *Apolecti* ad causam cognoscendam. Qui causâ cognitâ, *Reum Seditionis & turbarum pronuntiarunt.* Decreveruntquè, ut ad Supplicium & Necem duceretur. *Vir Moderatissimus, & Constantissimus, cum audisset Apolectorum Sententiam, Damnationem quietâ fronte tulit*; ac in Mortis decretæ Solatium, de æternitate cogitavit. In Palatium reductus, secùm reputans proximæ Mortis horrorem, tacitis Votis sic meditatur, *Mortem Naturæ debitum, ærumnarum finem, & Salutis Portum.* Sacrorum Minister *Antonius VVallam* appositus, Immortalitatis admonuit; suasitquè Constantiam Mortis; differens *ipsum jam Senem; omnia summa consecutum; Secundis Adversisq; satiatum; exacta vitæ tempore contentum esse oportere. Nunc Cælum, & beatos Sanctorum Cætus parari, pro incertâ & caducâ vitâ; eximi tantæ Beatitudini unam Noctem; nihil nisi humanum imminere; Novissimum Spiritum per virtutem effundendum.* Postremò hortatur, *ut Memoriam Numinis retineret, & Constantiam animi, quam nunquàm perdidisset; ad Mortem se fortiter accingeret; & ejusmodi terrores abigeret.* Ille Tædio ambiguæ vitæ, Æternitatis Spem anteposuit; & in Extremis Constantiæ laudem quæsivit. *Aurasionensis Princeps*, vocato Senatu, de Supplicij modo consultare cæpit. Magistratus veriti, ne quem tumultum Veneratiò tanti Viri, & magni nominis, Miseratio excitarent; postero die, primâ luce, collocarunt, in Areâ Arcis, *Tres armatas Cohortes, circà adjtus Novem.* Ad triste Spectaculum Cives, Pueri quoquè cum fæminis effusi, confertâ turbâ Iter clauserunt. Armati Milites ægrè summoventes obvios, partem maximam à Spectaculo excluserunt. Damnatus, pullo amictu, & cætero habitu civili, Cubiculo digreditur, magnâ Satellitum turbâ. Præparatis omnibus, ad Scenam moriturus accessit, *vultu gravi, nequè Metu Mortis dejecto.* Sublato Servorum auxilio, exclusis Amicis, famulo unico stipatus,

1619. ibi conspectu Populi, & murmure pavefactus, aut propinquæ Mortis horrore correptus, in languorem incidit. Servus cadentem sustinet, fulcitquè. Ille refectus, conversusquè ad celeberrimum Conventum, nihil aliud locutus est, quàm se non Largitionibus corruptum, ut Batavorum causam oppugnaret. Nec Patriæ hostem; sed Fidelissimum Civem, in asserendâ Libertate fuisse; Batavos liberos esse voluisse; & semper incitasse ad retinendæ Libertatis cupiditatem. Versusquè propere ad preces, invocavit Numen suppliciter; detractumq; digito Annulum Famulo, cum secretis mandatis, dedit. Tùm Servus togam detraxit; Caput obvoluit; valedixit Domino, flens, querensquè discessit. Denuò ad preces revolutus, commendat animam Numini. Precanti à tergo lictor Ultrajectensis, Cervicem abscidit; & Arenam senili sanguine respersit. Cadaver ejus clàm, in locum Damnatorum asportatum; & sine funebri pompâ, Cespide obrutum; minaci Silentio Militum, & miserabili lamentatione Arminianorum; qui Arenas sanguine ejus respersas, Supplicij die, & insequenti, domos deportarunt, ac omnes humanos congesserunt honores. Eversa est sic eximij Civis Potentia.

Hogobertus, & Grotius, Claritate doctrinæ conspicui, in perpetuam Custodiam separatim traditi sunt. Mandatumquè, ne quod ijs Literarum Commertium inter se, communicatiovè Consilij esset. Moorebergenus, in domum suam, propè Ultrajectum, sepositus est. Potentioribus Factiosorum, hâc tempestate, obrutis, & pacatis Provincijs, Arbitrium rerum ad Aurasionensem defertur; qui tumultus, & domesticas Contentiones repressit. Nullam rem potiorem, antiquioremquè Religione habuit; Dodracensi Synodo, Schisma Belgicum, & atrox dissidium, sustulit, impetumq; Furentis Arminianæ Sectæ refrænavit; Remp: propè collapsam, salubri Moderatione, restituit; Ministros Sacrorum complures, discedentes à Sententiâ communis Consilij, exauctoravit; decrevitquè, consulto Senatu, ne Urbibus Batavorum reciperentur. Differens, ijs præsentibus, nunquàm causas Seditionum, & Certaminum defuturas. His auditis, Arminiani exacerbati, Coetum & Consilium, Novo, maloquc exemplo, Dodraci habitum execrantur; indignum Clementiâ, & gravitate Batavorum, Libertate, Dignitare, Opibus florentium, clamitant; Ipsius Aurasionensis Authoritatem, occultâ Suspicionum malignitate convellunt; quasi de suâ unius Sententiâ juberet, non Ordinibus certioribus factis. Etiam plurimi intemperanter ingenijs usi sunt. Ille eorum Suspiciones, ac Malevolentiam contempsit, & integerrimâ Sanctitate imperavit.

1620. CUm autem Ver esse cæperat, Armorum strepitu tota Germania insonuit. Omnes Reges, Liberæ Civitates, Populiquè Europæ, converterant animos ad curam Bohemici belli. Legati Britannici, Vestonus, atquè Conavajus, Equestris dignitatis; Gallicique, in Germaniam ierunt, tàm difficili bello finem Authoritate suâ imposituri. Francici suaserunt Cæsari, ne in Aleam ancipitis belli Se, Imperiumq; daret. Respondit, se nihil indignum Majestate Imperij facturum; & Regno Bohemiæ protinùs cedendum esse, affirmavit; idquè Palatinum apud animum suum statuere debere. Britannici Fredericum orarunt, ne æquas Pacis ac Concordiæ Conditiones recusaret. Irritæ Legatorum preces, Operam & Oleum perdiderunt. Quippè Cæsar, & Fredericus Rex æquos non adhibuerunt animos ad Pacem; & Irâ Numinis, Germanorum in seipsos versus furor. Fredericus, initâ cum Bethlemo Transylvaniæ Principe, Presbargi, Societate; datâque fide ultrò citròque, eosdem Amicos, Inimicosq;, habituros; Privato fæderi publicum quoque adjecit, inter populum Bohemiæ, Moraviæ, Silesiæ, ac incolas Hungariæ, Transylvaniæ, & Austriæ Superioris, in Ditionem Bethlemi redactæ. Ferdinandus, audito Novo fædere, inter Fredericum & Transylvanum, adversùs Cæsaream Dignitatem, literis Monitorijs circà Principes, & liberas Civitates dimissis, denuntiavit, Fredericum Bohemiam, Seditionibus, Religionis causâ, turbatam, vi & armis possedisse; non contentum opulentissimo regno, finitimas Provincias Armis, favore, aut Benevolentiâ occupasse; Turcarum gentem excivisse sedibus suis; traduxisseq; in Hungariam Thraces, piorum omnium, Christiquè hostes. His eum fultum Societatibus, atquè Amicitijs, movere bellum. Nunc Austria, ac Bavaria affectare Possessionem. De his Injurijs satisfacere, & rerum Administratione, Regioquè Nomine abstinere æquum censuit; aut in bello injusto perseverantem, hostem Imperij pronuntiavit; ferro ac Armis persequendum. Executionem Edicti Saxoni, Bavaroquè demandavit. Literæ, & verba Cæsaris, magnum ad mutandos Bohemorum animos Momentum non habuerunt. His literis respondit Bohemiæ Rex, se bonam Causam apud iniquum Iudicem agere. Cæsarem Actoris simul & Iudicis, in causâ propriâ, personam sustinere; Seqoè inauditum, & indefensum, nec Iure, nec Exemplo tolerabili condemnatum. Ferdinandum cogitare debere, Regem tot Provinciarum Unanimi consensu impositum: Regno benè parto, sinè certamine, cedere non posse Alteri, per Vim, ac Injuriam affectanti. Iure gentium licere Arma Armis propulsare; Urbes occupare, Arcibus imponere Præsidia; se Regnumquè suum, Armis lacessitum, justo bello tueri. Turcas, Germaniæ molientes excidium, traduxisse in Hungariam; ibiquè Atrocitatis, Avaritiæ, Libidinis, Impietatis nefanda facinora edidisse, in eâ re Convitiari potiùs, quàm accusare Cæsarem: & verbo objecta, Verbo negare posse. Cum Bethlemo initam Societatem fateri non erubuit: adjecitquè, nihil à se esse commissum, quod Bello & Armis persequendum sit. Hæc quæ objecta sunt à Cæsare, Fredericus, per legatos suos, purgavit sæpè in Conventu Procerum Germaniæ; ubi Disceptatores magis æquos, quàm Ferdinandum, & hostes, habebat.

Cum Mulhusij Consilium esset Cæsareanorum; & Ulmæ, fæderatorum Principum; ut reconciliarent Pacem; Principes, qui Cæsarea Partis erant, Consilium dare Frederico, ut flecti se sineret; sibiquè in Præsentiâ consuleret, & Posteris in futurum; Christiano sanguini parceret; Iugum Turcicum à Cervicibus depelleret; nec

in Casum

1620.

in Casum præcipitem se daret, undè receptum non haberet ad Pœnitentiam; Neu cruentum Diadema gereret sibi privatum, Germaniæ publicè exitiosum. Suadere, unicum impendentium malorum, ac periculorum remedium, si Regno, Pacis causâ, cederet; ac salutem Germaniæ, Commodumq; publicum magis, quàm privatum respiceret. Sed potentior erat partis alterius Authoritas, *ut Vindex Regni, Dignitatisq; suæ esset; pateretur potiùs quicquid Belli casus tulerit, pro dignitate, ac Majestate; quàm exutus Regno, in Exilio, Inopiâquè consenesceret.* Ad hoc Consilium ferocioris Sententiæ proclivior erat Regis animus. Ita Pacem abnuebat, discrimen ac Dedecus præsentiens; & fidem in arbitrio Cæsaris fore, qui Regni æmulum nunquàm privatum pateretur. Per eos dies, *Cautum habentibus Mulhusij Principibus*, & ad Pacem hortantibus, *Rex Bohemiæ* respondit, *nunquàm à Pacis Consilijs abhorruisse animum, si Cæsar honesta Pacis Conditiones concederet. Sed si insitâ Naturæ pervicaciâ, & Ignatianorum Scelere, æquas aspernaretur, Deum immortalem & Moderationis suæ, ac illius Pertinaciæ, si bellare mallet, futurum Testem æternum. Item, adduci non potuisse, ut Regno cederet; eâque causâ, magnam totius Bohemiæ Invidiam subiret, ac Numinis Offensam. Deorum autem voluntatem existimare nos oportere, quæ Populi sit, Summorumq; Procerum.* Ordines *Bohemiæ* haud dissimilia rescripserunt; adjeceruntquè, *si adhuc Optio Domini potioris daretur, sub Rege quàm sub Cæsare malle esse.* Itaquè Justitiâ Imperij ejus capti, ita in eum favore & Benevolentiâ effusi erant, *ut Primogenitum ejus Fredericum Henricum, Annum ætatis Sextum agentem, mortuo Patre, Bohemiæ Regem designarent*: novo quodam & singulari genere studij. Hinc *Cæsari* facilè apparuit, Pacificando dignitatem suam tenere apud *Bohemos* non posse. Quare voluit esse Vindex armatus fortunæ, Majestatisquè suæ; & *Bucojum* in omnia Belli Pacisquè consilia consociavit.

Bethlemus rerum secundarum cursu, ac *Societate Bohemicâ* ferocior factus, non continuit se finibus *Hungariæ*, sed experienda ulteriora censuit. *Fines Austriæ, usquè ad Viennam* pervastavit; Vicos, Villas, Domos incendit; Urbes occupavit; multa libera Capita, multa Millia pecorum abegit. Querela de Immanitate gentis *Turcicæ*, & infestissimo Odio in nomen Christianum, ad Cæsarem delata est. Qui mirificè Miserijs Plebis conturbatus, inter apparatum Belli, in præsentiâ, *necessariam petitionem Induciarum duxit*; & tutum Iter *Legatis* petijt; nihil enim satis paratum, instructumquè ad bellum habebat. *Bethlemus* gravatè, & in magnam gratiam Petentis, *paucorum Mensium Inducias legatis Cæsaris concessit*, tempore alieno; cum omnia parata, provisaquè haberet. *Induciæ* Cæsarianis addidêre animos; ut collectis in Pace viribus, bellum *adversùs Transylvanum, Hungariæ Austriæq; Eversorem*, repararent; Cladesquè acceptas Cæde impiorum vindicarent.

Fredericus, recenti Edicto Cæsaris, *quo hostis Imperij judicatus est*, incitatus ad bellum, Injuriam Cæsaris in se commemoravit, & *Edicti* Iniquitatem; hortans Subditos ad renovandum bellum: qui antè omnia *Edictum Decreto suo damnarunt*; & bellum acrius susceperunt. Ipse *Anhaltinum Principem*, omnibus suis Copijs, ac Auxilijs præposuit; eundum ad Exercitum; nec dandum ultrà spacium cunctandi hostibus censuit. Qui profectus indè, in *Austriâ Inferiore, circà Camum Amnem* posuit Castra. Ubi navandæ Regi operæ, & gloriam ex hoste parandi Occasionem quæsivit. *Cæsariani* non abscedentes à ripâ ejusdem fluminis, in tutiore loco Castra communiverunt. Majores natu censuerunt, *Fredericum*, Imprudentiâ lapsum, rebus suis, hoc facto, malè consuluisse; ac Nobilissimos Duces, qui maximo usui fuerant, neglexisse. Nec minore Temeritate, *Saxonem, Veynarensem Ducem, Illustrem Juvenem ad Batavos misisse, ut Duo Millia Peditum, & Ducentos Equites contraheret.* Is Regij generis ferebatur, Vindex fortunæ, Dignitatisquè amissæ esse volebat. Nam *ejus Majores, Saxoniæ Ducatu, à Carolo Quinto Cæsare spoliati fuerant.* Ipse contractis Copijs, per devios tramites in *Bohemiam* penetravit. & cum eo Duces aliorum Auxiliorum in *Austriam* profecti sunt. Eò jam magnæ *Bohemorum*, Externorumquè Auxiliorum convenerant Copiæ; *Quatuordecim Millia* armatorum fuerunt.

Saxo Elector, imbutus Cæsaris Consilijs, & Invidiâ *Veynarensis* Æmuli accensus, æquo animo non tulit, *Fredericum tantas opes adipisci*, gloriamquè Regij nominis; *Tria Millia Peditum, & Mille Equites armavit*, per speciem tuendæ *Saxoniæ*; Alijs arma insignia; Alijs Equos dono dedit; licet *communis Religio fiduciam præberet conjungi Bohemis potuisse, aut saltem hostibus non adjungi.* *Bavarus*, haud dubiè Cæsarearum Partium, *Romani Pontificis, & Pontificiorum opibus adjutus, Quatuor Millia Peditum, ac Mille Ducentos Equites in Coloniensi Ditione conscripsit*; & Octo, in locis *Bavariæ* subjectis; & Stipendium in singulos Pedites Equitesquè dividendum constituit. *Batavi Coloniensi Præsuli denuntiarunt, non placere Socio Regi bellum fieri.* Leopoldus *Archidux Austriæ*, Injuriam in Cæsarem, sequè ulturus, *Quinq; ferè Millia in Alsatiâ* armaverat, contraxeratquè. *Sigismundus, Poloniæ Rex*, Cæsareæ Societatis, *Cosaccorum Equitum Quatuor Millia Viennam* misit. Venientibus his *Bucojus* profectus obviam, denuntiavit per urbes, Villasquè vicinas viæ, ut Commeatus expedirent, frumentum, Vinum, Pecora præpararent fessis hominibus, equisquè. Satis jam refectos Milites, in Castra ad *Cremsam*, in ripâ *Cami fluminis* duxit. Cum Equitatu, & levi Armaturâ plùs posset, consultat, undè Bellum ordiretur? Castra propiùs hostem movit; & *Anhaltino Principi, ad Egleburgum* stativa habenti, instructâ Acie se objecit; ac levibus prælijs exercuit magis, quàm fatigavit hostes. *Bohemi* instructi, præparatiquè, haud segniter impetum ejus sustinuerunt; Præfectiquè & Centuriones, ad sua quiquè munia discurrentes, Aciem instruxerunt; & Machinas opportunè disposuerunt. Cum pares ferme numero essent, Nequè ab hâc, nequè ab illâ parte ortum est prælium. Tormentorum tonitrua intonuerunt. Hoc per aliquot dies fecerunt. Tandem paucis utrinquè interfectis, in Castra Copias reduxerunt. Indè Prælia ancipitia,

1620. Victoriâ nunc huc, nunc illuc inclinante. Interim placet, ex Cæfareis auxilijs, *Cosaccorum turmas*, cum levi Armaturâ, exire; qui effusi per *Bohemiam*, *Moraviam*, *& Silesiam*, Regiorum Agros vastarunt; & bona diripuerunt.

Cum hic status rerum in *Austriâ* esset, *Fredericus Rex*, cum Procerum ac Satellitum manu, *Moraviam ac Silesiam*, finitimas Provincias, velut festâ Pace obivit; ubi passim à Proceribus, pro Dignitate, ac Majestate cultus est, ac à Civitatibus honorificè, pro facultatibus cujusquè. Ipse, Magistratibus in Convivijs benignè appellatis, gratias egit; ut Opinione Clementiæ, omnes novos Subditos alliceret. Paucos ibi moratus dies, cum audiret vagari *Cosaccos*, effusos per *Bohemiam*; Civium, & Incolarum vastati Agros; flexo itinere *Pragam* rediit. *Cosacci* intereà *Moraviam & Silesiam* incursavêre. Ubi cum Agros effusè popularentur, sæpè palantes, Agrestium concursu, interfecti sunt, aut laqueo suspensi. *Interioris Austriæ* Cives, atquè Incolæ, apud *Cæsarem* graviter questi sunt, acerbam atquè indignam Bonorum direptionem; execrandam *Belgarum*, *& Cosaccorum*, *Cæsari militantium*, *Sævitiam*. *Ferdinandus* Conspectum civium, fletumquè tàm miserabilem ingemuit; *oravitq; Tribunos*, *& Præfectos*, ut Populatores vi aut terrore coercerent. Per idem tempus, Auxilia *Cæsari* ex omnibus undiquè *Germaniæ* Populis convenerunt. Proceres, qui *Regiæ Societatis* erant, *Vlmæ* consultant, Quid agerent, coactis tot Populorum, tot gentium Auxilijs? decreverunt, *Ne quem exercitum, vel externum Militem, qui cum Frederico, Socijsvè ejus bellum gesturus esset, per fines Ditionis suæ transire finerent*; *Neu Commeatu, neu quâ aliâ Ope juvarent*. Jusseruntquè, ut *Georgius*, *Marchio Durlacensis*, *Pontem ad Brisacum occuparet*, *transitumq; prohiberet*. Ipse, Tironibus raptim ad bellum conscriptis, & *Mille delectis equitibus*, *ad Brissacum posuit Castra*, ut hostes ingruentes, in transitu fluminis, aut in Angustijs *Pontis* deleret. Milites à *Leopoldo*, *in Alsatiâ* Mercede conducti, eò primi venerunt; Transitum sinè Injuriâ, & Maleficio flagitantes. *Marchio*, qui potestatem habuit, Signa referre, & redire jussit; Transitum abnuit, nisi *Fæderatorum Procerum* liberum Commeatum impetrassent. *Cæsariani* non abscedentes à ripâ fluminis, instructi, paratiquè steterunt, Nuntijs ultrò, citroquè commeantibus, *inter Cætum Procerum Vlmæ, & Mulhusij habitum*. Constantiâ Principum *Pontificiorum*, monstrantium quanta esset potestas *Electorum*, & vis Imperij *Germanici*, si Bellum esset, *Transitum impetrarunt*; *his Conditionibus*, *ut laxatis Ordinibus*, *manipulatim commearent*: Transgressiquè extemplo alacres integris Ordinibus, sub Signis, Vexillisquè in *Austriam* penetrarunt, ut *Cæsari* operam navarent, si Regij Acie decernere vellent. *Septem Millia Equitum*, *Peditumq;* fuerunt, *Leopoldi* curâ præparata. Postquàm *Viennam*, sinè Clade ventum est, præter ingens gaudium *impetrati Transitus*, quem Armis aperire non poterant, si Acie instructâ obstitisset *Marchio*; contemptus quoquè hostium, loca opportuna ignorantium, accessit, fluctante adhuc *Cæsare* inter spem, Metumquè; Prudentiores, ex hoc quod accidit, Spem futuri animis præcipientes, præjudicatum eventum belli habuerunt. *Hic Transitus Cæsarianis refecit animos*, *& Regios perculit*.

Cum hæc in *Germaniâ* gererentur, *in Bohemiâ*, *Baltasar Hispanus equês*, qui *Budovici* Præsidio, ad tuendam Urbem præerat, trepidationem fecit: *Teicum Oppidum* cæpit, ac diripiendum Militibus concessit. Aliæ vicinæ urbes, metu perculsæ, ne aliquid majus mox auderet; homines idoneos, cum literis *Pragam* miserunt, ad Opem exposcendam. Missus ilicò auxilio *Mansfeldius*; qui assumptis ad eas Copias quas habebat, *duobus Hungarorum Millibus*, *circà Budovici fines Castra posuit*. Ne segnis sederet in hostico Solo, *Coenobium Guldencronium* expugnavit; *vexavitquè Monachos* Incendijs, & trucidationibus; ac impetum *Baltasaris* cohibuit.

Philippus, hoc tempore, *Madrici*, auditis quæ in *Germaniâ* gererentur; cognitoquè ingenti discrimine *Cæsareæ Majestatis*, *præmissis ad Marchionem Spinolam literis*, *ad Palatinatum vi subigendum*, *Exercitum ducere jussit*. Qui consultare cum rei Militaris peritis, quos advocarat in Consilium, de ratione Belli cæpit; & rebus necessarijs præparatis, adultâ æstate, *cum* x x *Mille Peditibus*, *& Quatuor Mille Equitibus*, ad Confluentiam profectus, *Ponte per Rhenum facto*, transgressus cum Exercitu est; ut *Fredericum*, ad sua potissimùm tuenda, averteret.

Iacobus Rex, postquàm profectum *Spinolam* audivit; & adesse ultimum discrimen *Generi* animadvertit; Consilium habuit, *ut Ratio esset Bohemici Belli habenda*. Ubi dictæ sunt à Proceribus acerrimæ, ac fortissimæ Sententiæ. Pauci censuerunt, *non committendum*, *ut in ancipitem Aleam belli sese*, *Regnumquè daret*. *Salutare Remedium tempus*, *diemquè adhibere posse*. Multò plures disseruerunt, *Nobilissimum Bohemiæ Regnum Frederico Divinitùs contigisse*. *è Dignitate*, *ac fide Regis non esse*, *Generum*, *filiamquè destituere*. *Opem*, *Operamquè Senatui Populoquè Britannico gratam esse*, *& fore*. Plurium assensu comprobata est hæc sententia; quam ipse Rex quoquè est secutus. Nec gravatus est, reddere delati auxilij rationem; *tàm Potentibus Regibus Bohemici Regni Dominationem affectantibus*, *& Philippo Rege non obscurè indignante*, *Bohemiam in Generi potestatem redactam*. Nunc autem, cum ab omnibus Vicinis Principibus, & multis externis Regibus *Palatinatui quasi Retia tendantur*, nisi præsidio celerrimè comparato firmaret; *protinùs Copias in Bohemiam transmisit*, pari Anglorum & Scotorum numero, *Duce Grajo Tribuno*; non belli faciendi, *sed tuendi Palatinatus causâ*. Major moles Veteranorum *Horatio Vero*, summo Duci, tradita; qui gloriâ belli *Belgici*, Sanguinisquè Nobilitate præstabat. *Is trajecto Rheno*, *in Palatinatum penetravit*, animo, studioquè *defendendi Provinciam*, *adversùs imminentes Iberos*. Missus quoquè *à Batavis Henricus Nassovia Comes*, *magnâ Equitum manu*; Transitum per Belgium, & Germaniam

niam tutum *Anglis* præstitit; omniaquè consilia cum *Vero* communicavit. Ubi cum Copijs in *Pala-* 1620. *tinatum* advenerunt, adjunctis *Germaniæ fœderatis Proceribus*, *propè Vormatiam Spinolæ objecerunt*, *eiq; Exercitui quem ipse comparavit.* Extemplò apparuit cunctis, non segniter id Bellum gerendum.

Legatus Bæticus vocatus ad Regem, interrogatusquè, *Quandò, aut quâ Viâ intrandus Palatinatus?* incertus quidnam respondendum esset, dixit, *statuisse Spinolam ducere Exercitum in Bohemiam, ac Iter tamùm per Palatinatum facturum, sinè Maleficio, aut Injuriâ.* Rex deprehensâ fraude, *Palatinatus Patrocinium, sine cunctatione, suscepit*; Fœderatos Proceres modicis Copijs, Opibusquè juvit; & adversùs injusta Arma, *Nepotes*, pio justoquè bello, tutatus est. Postquàm apparuit Vi agendum, Belli apparatum non ultrà differendum censuit. *Quatuor legiones conscripsit*; *quibus egregios Proceres, Oxoniæ, Southamptoniæ, Essexiæ Comites, & Villoubeum, Priscæ Nobilitatis Baronem, veluti Tribunos Militum præposuit*; ut primo quoquè tempore in *Hollandiam* deducerent, ac in præsidijs collocarent. *Nassoviæ Comes, & Verus*, peropportunè ad confirmandos Sociorum animos venerunt. *Fœderati Proceres* summâ ope parabant se ad *Palatinatum* defendendum, incolumemquè conservandum. Cumquè, literis multorum, *Regi* nuntiatum esset, *Fœderatos* Copijs suis Viribusquè *Generum* adjuvare; scripsit, *sibi Populoq; Britannico rem gratam fecisse; & eorum Officij non immemorem futurum.*

Spinola interim ab omni parte oppugnare aggressus est. Primùm instructo agmine ad *Francofurtum* incessit; ut incerti fluctuarentur *Fœderatorum* animi; qui in ripâ *Mœni fluminis* Castra habebant, ad omnes Casus & impetus hostium. Priusquàm oppugnaret, *Nuntij ad Mauritium Hassiæ Comitem, & alios fœderatos Proceres missi*, qui monerent, ne Vim experiri vellent; aut Provincias, per vim & Injuriam *Cæsari* ereptas, tutari. Quibus illi satis ferociter responderunt, *ne Spinola consistere posset in Germaniâ, se Operam daturos.* Attonitis mox metu *Fœderatis Proceribus*, & Quorsùm tenderet dubitantibus, *Francofurto abscessit*; *cum Senatus, Civesquè se Cæsaris imperata facturos pacti essent.* Statim Equitatum, cum levi armaturâ, *Moguntiam* præmisit; suumquè Iter eò contulit, *ubi Mœnus incidit Rheno flumini*; atquè ibi trajecto Exercitu, apud *Castellum sancti Martini*, cum omnibus suis Copijs consedit; & decursionibus per Equites vastavit vicina loca. Postero die, *Omblacensis*, *Durlacensis*, *Vittenbergensis*, *Badensis*, *Fœderatorum Primores*, frequenti numero armatorum, *Openhemium* repetierunt, circumacti, ad ulteriorem partem *Palatinatus* defendendam; & *Pontem* ibi peropportunè in *Rheno* stratum. Huc accessit *Spinola*, & ad Murum Castra posuit, ut distineret Proceres à cogitatione aliarum rerum. Paucos ibi moratus dies, Mœnibus abscessit. Credidêre Proceres, Discessum simulare, ut Castris eliceret; Urbi Pontiquè insidias strueret; sed alio spectabat mens *Bætici Ducis*. Ipse, Tribunis cum *Octo delectis Millibus, ac Novem Tormentis Craconacum præmissis*, Deditionem per Nuntium tentavit. Qui præsidio erant, Obsidionem pati, quàm dedere se maluerunt. Tormenta ordine disposita; & crebris ictibus *Turris Arcis altissima*, cum magno fragore corruit, ac Præsidiarijs injecta trepidatio est. Cum resistendi spes nulla esset, Deditio sinè cunctatione facta; impositumquè *Præsidium Bæticum* satis validum. *Alzenam* eâdem Celeritate, voluntate inhabitantium, recepit.

Vagus indè rumor *ab Exploratoribus Spinolæ* dispersus, Impetum eum in *Vormatiæ* fines facturum, ut potiri Oppido possit, Conatibus opportuno. Is in *Fœderatorum Castris* temerè creditus, ingentem tumultum fecit; qui moti periculo Nobilissimæ Urbis, Castra moverunt. *Omblacensis, cum* x x x x *Equitum Turmis, ad urbem* tuendam præcessit. Cæteri Proceres, incensis ad *Openhemium* Castris, facibus Tædisque subjectis, abrupto Ponte, mox insecuti, & Tribuni Militum cum Pedestribus Copijs. *Spinola* cum cognovisset, hostes Castra movisse, ad *Openhemium* iterùm Exercitum admovit; idquè oppugnare improviso adortus est, ratus haud magno certamine capi posse. Nec diu fefellit Opinio. Relicti Oppidani, extemplò in Deditionem venerunt. Contentus repentino Successu, dies paucos *efficiendo Ponti, ad Openhemium* moratus, Urbem novo Aggere communivit. Et Præsidio valido; *struxitquè Pontem ad Transitum Rheni opportunum.* Ibi quendam ex Præfectis Bæticis, cum validâ manu reliquit.

Indè Tribunum, cum duobus Millibus delectorum Militum, *ad obtinendum Baccaracum misit*; jussitquè Arcem Palatinam, in ripâ *Rheni* sitam, tentare. Perculsi Cives repentino ejus adventu, quia vim arcere non poterant, dediderunt sese. *Palatinam propinquam Arcem, Rheni fluminis adpositam*, recepit pari facilitate. Indè ducit ad *Caubium Oppidum* è Regione positum, & terrorem Civibus statim intulit. Præsidiarij in Arcem confugerunt, ac postero die Deditione factâ, pacto salutis se Tribuno permiserunt. *Spinola* cuncta Oppida, inter *Openhemium, ac Coloniam Agrippinam*, in potestatem redigere intendit; & multa armis subegit, aut voluntate incolentium recepit; omniaquè jam *Palatinatus* loca in Cæsareâ potestate erant, præter *Heidelbergam*, *Francandaliam*, *& Manhemium*; quæ frustrà sollicitavit, ut dederent se. *Angli*, qui præsidio erant, obstinati potiùs mori, quàm Deditionem turpiter cogitare; *Frederici Regis, & Conjugis* afflicta fortuna, Dolore & Irâ affecit. Dubitavit indè quidnam agendum esset? utrùm hæ urbes priùs aggrediendæ forent; an ad *Mosellam* flectendum iter? Alijs vim Oppidis adhibendam censentibus, *Anglos* aut terrore, aut exemplo tot Urbium dedentium sese, in Pervicaciâ non mansuros. Alijs differentibus, obstinatius omnia acturos; & quicquid fors belli tulisset, pro fide ergà Regem, & Nepotes, passuros: Hyemem item appropinquare, Obsidioni

1620. atquè Oppugnationi uebium minùs aptam. Ipse censuit, Urbes loco & præsidio validas, proindè ad Obsidionem majore apparatu opus esse; flexoquè veesùs *Mosellam* itinere, multas Utbes, multasquè Arces, & Pagos, vi aut Deditione cæpit. Quibus receptis in *Palatinatum* redijt; & partem Exercitus per Peovinciam distribuit, ut Præsidio captis urbibus esset.

Decretum proscriptionis. Dum hæc gererentur, *Ferdinandus Cæsar, Saxoniæ, & Bavariæ Ducis*, Apolectos suos, Cæsareo Diplomate constituit; *ut Bohemiæ, Austriæ, Moraviæ, Silesiæ, Lusatiæ subditos* ab Obsequium revocarent; in Contumaces animadverterent; ad Pænitentiam flexos in gratiam eeciperent; Victos gravi pænâ afficerent; Igne & Ferro Peefidiam ulciseeentur, nisi Deditionem properarent. Ilicò *Saxo*, omissa omnium aliarum terum cueâ, *Decreti Executionem* adversùs Rebellantes suscepit; & cum Equite, ac Pedestri Exeecitu in *Lusatiam* profectus, Vehicula onusta, Tormenta ænea, globorumquè Missilium ingentem vim secùm vexit. *Fredericus Rex*, extemplò *Marchionem Iagendorfium* certiorem fecit, *Saxonem Electorem* in Lusatiæ fines impetum facturum. Qui summâ Industriâ Opem, Operamquè eo bello peæstitit; ac per *Moraviam*, magnis itineribus, *Budissinum, quod Lusatiæ caput est*, pervenit. Ubi *Duorum Millium* armatorum Præsidio imposito, & in quibusdam alijs *Lusatiæ* Oppidis, peropportunè confirmavit Provincialium animos, ad perseverandum *in Frederici Obsequio*. Eodem *Saxo* cum suis Copijs confestim venit; *Gorlitium*, & circumjecta loca, primo adventu cæpit; *Budissinum* oppugnare coactus, Mænia ab omni parte aggressus est. Qui in præsidio eeant, primum impetum Oppugnationis satis constanter sustinuerunt. Deinde, cum tuentes Muros vulneribus caderent, & domus ardentibus globis incenderentur; Cæteri timidiores facti sunt. Postremò metu coacti, ne victis nulla apud Ducem venia esset, in Deditionem concesserunt. His raptim peractis, *Arces Gradetsensem & Baruteensem*, ac ciecumjectos in Planitie Pagos in potestatem redegit. *Iagendorfius*, viribus impar, *Lusatiâ* abscessit, & in *Silesiam* redijt. Campum *Saxonis Acies* tenuit. Ita revocati *Lusatiæ* Populi, Castigationibus *Cæsaris*, & armis *Saxonis*; ad Obsequium: in Deditionem venientibus parata fuit Clementia. *Lusatiâ* amissâ, quantum detrimenti *Bohemia* acceperit, neminem præterit.

Sub idem tempus, *Bellum Cæsar adversùs Austriacos, Bavaro demandat*. Mox *Maximilianus, Bavariæ Dux*, superiorem *Austriam* cum Exercitu petens, per *Danubium* secundâ Navigatione devehitur; ad ea recipienda Oppida, quæ *Bohemi* per vim occupaverant. Cum audiret *Austriæ Ordines Lintij congregatos*, antequàm hostilia cæptaret, Apolectos misit, *qui nuntiarent fortitudinem Bavicam; Potentiam Cæsaris; Victis graves pœnas; in Deditionem venientibus, paratam Indulgentiam. Hortatusque est, ut Defectionis Pænitentiam agerent. Deditionem properarent; & Clementiam Imperatoris, quàm vim experiri mallent.* Responsum est ab *Ordinibus* satis arroganter; *sibi aut pereundum esse, aut vincendum; Spem in Virtute positam; & in Victoriâ Salutem.* *Bavarus* nihil cunctatus, suis Copijs Arces, Uebes, Vicos adortus, igne & Cædibus defectionem ultus est. Statim quoque Cohortes *Lintium* præmisit, suumquè Iter eò contulit. *Ordines* perculsi inopinato adventu, cum sustinere ejus impetum non possent, nec confligere cum eo, sine periculo; fractis animis, pro Salute, ac Veniâ supplicarunt. Respondit *Bavarus, Arcem, Urbemquè dederent; Milites exauctorarent; ad Obsequium Cæsaris redirent; Vitam & Incolumitatem sibi curæ fore.* Atquè illi Supplices, & nihil abnuentes, Veniam Perfidiæ accepêre.

His peractis, & Præsidijs deditis Oppidis impositis, *se Bucojo conjunxit*. Huc accessit Manus *Dampetræ*; & Numerus Auxiliarium satis frequens, ad omnia discrimina *pro Cæsare* paratus. *Bavarus, & Bucojus*, de summâ belli singulari Concordiâ consultantes, Spem cæperunt potiundæ *Bohemiæ*; & Exercitum eò duxerunt. Ita *Austria* omnis in Jus, Ditionemquè *Ferdinandi* concessit. Et relictus ibi *Dampetra*, ut Peæsidio Uebibus esset; qui mox *in Posonij obsidione* globo traijcitur; & multi Militum circà cecidêee. *Anhaltinus*, cognito hostium Consilio, *à Drossendorpij Obsidione* statim recessit; flexitquè in *Bohemiam* Iter, ad tuendas *Frederici* partes. *Cæsariani*, cum *Pragam* versùs iter facerent, bifariàm divisi. *Bavarus* cum parte Exercitus, *Vodianum* in Deditionem recepit. *Bucojus*, cum Belgis, *Pragadisium* per vim expugnavit, diripuitquè crudeliter. *In primo impetu, Senes Impuberesq; cæsi; mox nulli, nec Pregnanti fæminæ, nec lactanti Proli parsum est.* Qui Cædibus superfueeant, sævitiam Tormentorum experti sunt. Ad *Pissecam* deindè Exercitum, ultionis causâ, admovit; & eam oppugnare aggressus, intrâ Quatriduum, secundâ vice subegit. Præsidiarij, & Cives passim trucidati, velut Perfidi, & Ruptores Sacramenti. Ingens ibi Clades; Cadaveribus, & Armis oppletæ viæ. *Bavarus* interim Excursionibus pee Equites, quos habuit multos, Campestres locos vastavit; & undiquè trepidationem fecit. Haud perinde *Bohemos* Vulnera, Cædes, Urbium Excidia, quàm Excursiones hostium, Dolore affecêre. *Bohemorum Exercitus*, numero Militum impar, ad *Pragam*, Quadrato Agmine incessit, & in itinere *Ducentos Cosaccos*, fortè occurrentes, fudit, fugavitquè; ac duas *Frustenbergij* Cohortes intercepit; & Quindecim Vehicula, Frumento, Alijsquè rebus necessarijs onusta. Pee idem tempus, nova Auxilia, *Saltburgenses, & Herbipolenses Copiæ, in Castra Bavari venerunt; Octo Millia armatorum fuêre.* Armaverat, contraxeratquè eos *Baurius, Tribunus* peritus rei militaris.

Fredericus Rex, Vindex foetunæ Dignitatisquè suæ, literis circà Præfectos dimissis, hoetatur, ut Equitum, Peditumquè Peæsidio Angustias occuparent, obsiderentquè Itinera; & *Cæsareo Agmine*, impedito difficultate, invij soli occurrereut. Qui properè sententiam executi sunt. Juventus armata,

omnia

1620.

omnia opportuna loca, Vada fluminum, Juga Montium, Angustias Sylvarum insedit. Ipse *Rex*,cum Procerum & Satellitum manu, itinere facto difficillimo, in Stativa Castra, *ad Roesaunm* pervenit; ut suorum Militum animos Adventu confirmaret. Ibi verò Clamor exultantium, & gratias pro Comitate reddentium. *Cæsarei* (quia Viæ aperiri non poterant) per Sylvas, & Solitudines, raptim *Pragam* petentes, cum toto Exercitu *Pilsnam* progressi sunt; multa in Itinere Oppida, *in Ditionem Cæsaris* redegerunt. Castris ibi positis, paucos, ad requiem Jumentorum hominumquè, morati dies, ne tentatâ quidem Obsidione, prætergressi; cum & loco, & Præsidio valido inexpugnabilis Urbs esset. Paulatim *Pragæ* appropinquarunt, Signa, & Ordines servantes. *Bohemi*, repentino adventu *Regis* recreati, mox ad *Raconitsium* Castra moverunt. *Cæsariani*, ad lacessendos prælijs hostes, in proximis Sylvis se tenuerunt. *Regijs* præsens pavor demptus erat, in tuto Castra metantibus. Ibi Castra Castris, tàm modico intervallo, objecta sunt, ut globi Tormentis majoribus minoribusvè missi, ad ultimos pervenirent. Non pauci cæsi Partis utriusquè; inter quos *Baro à Donâ, Regius Præfectus*, cecidit: Ipse *Bucojus* milites ad pugnam ciens, vulneratur. Magnus ardor in animis præparatis ad dimicandum utrinquè erat. Sed eo die, diremptum prælium est, æquo Successu. *Bavarus, habito cum Tilio, Baurio, & Tribunis alijs, Consilio*, postquàm communita hostium Castra sensit, & nihil incuriâ eorum remissum, non ulterius institit adsultare Castris; sed *Metropolim* versùs progrediendum rectà censuit. *Regij* quoquè insecuti, Castra propiùs urbem moverunt; & in Tumulo consederunt; ubi operiri hostium Adventum statuunt, & pugnam volunt. Interim Rustici, dolore, Irâ, ac ultimâ desperatione accensi, Arma rapiunt; Milites infensantes Arva & Pabula, sparsos ac dissipatos incursant, turbantquè. Vix ab *incondito Agmine Rusticorum* expedierant se Cohortes, vagantes per Agros, instructæ & præparatæ, multis hinc inde cæsis, ingens vexatio utriusquè partis fuit. *Bavarus*, cum vix Mille Passus abesset à Regijs, ac pari ab Urbe Spatio, *VIII Novemb:, luce primâ*, prægressus cum Equitibus, ac Armaturâ levi, ad Tumulum, pugnæ dilectum, incessit; ac in proximâ Planicie consedit. *Bucojus*, recenti vulnere invalidus, & Pedestres Copiæ subsequebantur. Visis *Bavarorum* Turmis, Speculatores Regij pernicibus equis nuntiavêre, adventare hostem; prægredi *Bavarum*; hinnitum equorum, fremitum hominum audiri. Igitur propinquo Prælij discrimine, *Regij instruxêre suos, circà Tumulum, in Crucis figurâ*; ut prælantibus *Cæsareis* desuper incurrerent. *In primâ Acie, Turrensis Junior*, cum Moravicis Auxilijs; & *Anhaltini Principis filius*, cum delectis Popularium, versabantur. *Mediam Aciem Anhaltinus Princeps, cum Turrense, & Hoheuloo, Comitibus*, tenebat. *Fridericus Rex*, intentus Ordini, Acie paratusquè circumibat Concionabundus, ubi Majestate verecundâ, ac Authoritate Silentium fecit, *hortatus est suos, ut magno animo capesserent pugnam; & quibuscunq; potuit Irritamentis Militum animos acuit; armatquè, pati, quodcunquè Casus belli tulerit. Orat Bohemos, Auctores belli, quibus Religionis, Libertatis, Patriæ cura esset, pro salute suâ, & possessione Bohemiæ, nunc propalàm in Servitutem repetita, Vim Virtutemquè experiri. Admonet Germanos, quorum Majores maximos Reges Ducesquè fuderunt, animum habendum esse in prælio, quem habuerunt Majores eorum; ac ad ardorem pugnæ incitat. Hungarorum Auxilia Spe, Promissisquè ad bellum accendit; Præmia pro forti operâ promittens, Deniquè nullum providi Ducis Officium prætermisit. Cohortatus Milites, Injurias Cæsaris in se, quod Afflicto & Oppresso Populo Opem tulisset, commemoravit.* Secuta est latè Acclamatio Militum, jubentium bonum animum habere; & Spem Victoriæ haud ambiguam. Sic *Regij* constiterant, accensi, & pugnam poscentes. ipse *Fridericus, Anhaltino castris præposito, in urbem profectus est. Bavarus* interim cum Equitatu in Campo patenti stetit; quia *Bucoium* cum Pedestri Acie acceptum vulnus tardaverat. Ubi cum Exercitus robore advenit, Duces de ratione Prælij, adhibitis Tribunis, Præfectisquè, & Primoribus Centurionum, consultant. *Bucojus*, visâ hostium Acie, ac Ordine agminis Regij, *suasit ut pugnâ abstinerent; reciperentquè sese; ac Castra metarent*; ostenditquè, à dextris hostium angustum Pontem interfluentis Rivi, ac uligines Paludum; Exercitum in ipso Transitu opprimi posse. à Sinistris Tormenta opportunè disposita, in perniciem adsultantium. Cunctationem sæpius, quàm Temeritatem in Bello prodesse; multa tempus Occasionemquè offerre posse. *Bavarus*, cupidine pugnandi, impatiens Moræ, *non ultrà differendum ratus, quin Aleam belli tentarent, priusquàm hostes Collem lato Aggere communirent.* Disseruitquè, inchoato Prælio, Spem in Virtute, salutem in Victoriâ esse; Festinationem ipsis utilem, Moram hostibus. Tracto Prælio, pecuniam, & Commeatus procul fore; munire Castra, vicinis jam hostibus, periculosum; nequè indè regredi posse, sinè gravi damno famæ. Incertis Ducibus quid statuerent, *Dominicus, Presbiter Carmelitanus, qui gladium à Pontifice ad Bavarum portaverat*, exstimulator acerrimus Prælij extitit; denuntiavitquè, *Numinis, & Sanctorum omnium Nomine, quorum festum Octo antè dies celebrabatur, certam Victoriam, & non cruentam fore.* Vicit Sententia, quæ tempus Prælij non differebat. *Bavarus* suasor, Auctorque Consilij fuit; nec spontè *Bucoij* properatum. Jussæ armari legiones, repentè Arma induunt; Duces Aciem instruxêre; *In Primâ, Quatuor Peditum legiones, Tisenbachij Cæsarei Tribuni, Tilij Bavari legati, Preuneri Megavij & Valonum Cohortes Auxiliares.* Atquè ita instructâ Peditum Acie, *Tisenbachio dextrum Cornu datum. In Sinistro Tilius consistit; latera, ac Terga immensô Equitum agmine circumdata. Sinistram Alam Bucojus; Dextram regebat Bavarus. In Mediâ Acie, Tres Germanorum Legiones, & Saxonis Auxiliares Cohortes. Equites juncti hinc indè Legionibus, hanc Aciem firmarunt. In Postremâ, Bavarici Milites; ac cætera Sociorum Cohortes. In Dextro, duo Millia Equitum Hungarorum locantur; in Sinistro, totidem Cosaccorum; in ultimis Subsidijs, Mille Equites Croatiæ, & totidem Italici*

generis,

1620. *generis, ad ultimum laboris & discriminis stetêre.* Numerum omnium tùm Equitum, Peditumquè, ferunt *Quinquaginta Millia fuisse; & Bohemorum, Sociorumq; Triginta.* Ita instructâ Acie, Duces cohortantes Milites, ad omnia *pro Cæsare & Germanici Nominis gloriâ* audenda, Signum dedêre. *Tilius* cum Copijs Pontem transgressus, & Uligioe Paludum superatâ, *in Primam hostium Aciem* imperum fecit. Sed Angustijs viarum, & Tormentorum Ictibus conflictatur. Impeditis occursat *Turrensis Iunior,* cum Moravicis Auxilijs; instar perculsis, sternit Obvios; urgebaotur maximè *Valonum Cohortes;* occisi *Megavius Tribunus; Curratius Præfectus Castrorum; Presingus, Donpraus, Præfecti Equitum; & Quatuor Valonum Centuriones; captus Preinerus Tribunus; & complures* labore ac vulneribus fessi. *Tilius,* qui eâ parte præerat, accitis auxilijs, substinuit labentem Aciero Manu, Voce, Vulru; nec restiruere pugnam quivit, impedientibus Tormentorum ictibus. In illâ trepidatione, *Bucojus* fortissimi Ducis Officium præstirit, Vulnere adhuc invalidus. Relicto Carpento equum conscendit, cohortans Milites, ur strage hostium viam aperirent, gloriamquè recuperarent, abolitâ labe prioris Ignominiæ. Cum robore Equitum, Peditumquè, lapsam jam Aciem restituit; *Tiliumq;* periculo exinit; laxat Ordines, & recipir Milires ejus turbaros. Tum composito, instructoquè denso Agmine, rariorem hostium Aciem invadit, *dissipatq; Duo Hungarorum Equitum Millia;* instat cedentibus. Alterâ parte, *Bavarus,* dextra Equitum Alâ lævum hostium Cornu acrius incursat; perturbarquè nutantem Aciem. Pavorem ab *Hungaris* ortum, secuti *Bohemi,* Auctores belli, & Cæteri Socij: *omnes, abjectis armis, effusè fugiunt.* Propinqua Pragæ Mænia, plùs Spei ad effugium, quàm roboris ad resistendum dabant. *Duo Peditum Millia* in propinquum saltum Cæsareum, & amænissimum extrà Urbem ædificium, perfugerunt; qui repentè à Victoribus circumventi, occidi cæpêre; mox Misericordiam implorantes, impetravêre. *Anhaltinus, Turrensis, Hohenlom,* & mulri Nobilium circà, in Urbem profugiunr. Cætera fugieotium turba ruebat. *Regijs sparsis Cæsarei* institêre, obruenres telis, spoliantes, rapienres Arma, Equos, Vexilla abripientes; strage pugnæ gravior fædiorquè fuga fuit. Completur Cæde & Cadaveribus campus, inter locum Prælij, & Muros urbis. Cecidisse eo prælio *Quinquè Bohemorum, & Sociorum Millia ferunt. Duo Hungarorum, tranare Moldavium fluvium conantium, vi fluminis absorpta. Capta Signa Militaria* 135; *Tormenta ænea Decem; & Impedimenta direpta.* Magna ea victoria, & strage Militum, *Bohemis* luctuosa; oequè *Cæsareis* valdè cruenta fuit. Propè *Sexcenti* desiderati dicuntur: *Anhaltini Principis filius,* & multi Centuriones, Præfectiquè captivi abducti sunt. *Hunc exitum Pragensis pugna habuit.* In urbe non luctus solùm ex re malè gestâ, sed timor eriam erat. Cives per Urbem vagantes, ac pavenres, *Imagines Frederici detrahunt, qui Cæsarem paulò antè petulantibus Iurgijs laceraverant.* Nulla in sermone cujusquam ergà Cæsarianos Duces Cootumelia. *Multi errorem, Imperitiamquè Anhaltini principis culpabant; & Frederici Avaritiam;* quod tantis opibus cumulatus, Stipendia militibus parcius distribuisset. *Memoria Sacramenti, & Præsentia Frederici Regis, Deditionem morabantur.* Appropinquante vespero, *Cæsarei milites Pragam sub Signis* & Vexillis pergunt; & Urbem in Deditionem accipere, aut impetu expugnare efflagitant, pro labore, Vulneribus, & Corporibus tanto periculo objectis; antequàm fiducia Urbanis Civibus rediret; aur animus Militibus, ut Mænibus se defenderent. Duces fatigato Militi nocturnam Oppugnationem, Insidijs opportunam demonstant; & expugnatæ Urbis prædam abnuunt; Oppidi situm, Mænium Altitudinem, Propugnacula, Munimenta ostendentes, & potiorem unius Noctis moram; orantquè, ut tanto perfuncti Prælio, noctis insequentis Quietem sibi sumerent, & Cibo Somnoquè vires recrearent; postero die Oppugnationem inchoarent admoris Tormentis, Machinisquè. Fremunt tumulruosè Milites, benè merentibus Decus, & Pretium laborum ereptum; Cras *Opes Pragensium* in hostium fugientium manibus fore. Quatiunt Arma, obstrepunt, insultanrquè Portis, quasi spontè irrupturi, nisi jubeantur. Ægrè Precibus, Promissisquè Ducum mitigati sunt. *Mora ejus diei Saluti fuit Vrbi, atq; Civibus.* Inter hæc *Fredericus* consultat, Quidnam agendum sit? Suadent Proceres, quorum Princeps *Anhaltinus,* fatalis dux Belli, *ut deserta Bohemiâ, in Silesiam transfugiant, sua secùm portantes.* Vitæ tantùm, Libertatisquè consultant, & incruentam Urbem hostibus relinquunt. Verba ejus benignè sunt audita. Igitur extemplò, *cum Conjuge gravidâ, ac liberis, Vehiculisq; pretiosissimis rebus onustis, Silentio Noctis Vrbe excessit; inspectantibus Civibus, quos monuit, ut Memoriam Sacramenti retinerent. Brandisium primùm, indè Vratislaviam profugit. Reginam* nequè viæ labor, nequè periculi timor fatigavit. Mulri Proceres mæsti, & Pedites, Equitesquè sequebantur; *Alij in Agmine, cum Signis Vexillisquè; Alij vagantes per Agros, & Stipendia tumultuosè flagitantes.* Tum Consilij inops, rogavit Centuriones, ut Milites cohiberent. Nec Quisquam adeò Humanitatis expers, quem non commoveret *tanta Calamitas Principis,* nudati Patrimonio, extorrisquè Sede fortunæ, Dignitatisquè suæ. Postremò ne quicquam consultans cum *Silesiæ Proceribus,* perdiram Spem fovere destirir; *hospitiumquè Brandeburgici petiturus Silesiâ decessit; & Berlinum perrexit.* Ubi omnia hospitaliter, publice ac privatim facta. Sic pro Dignitare, ac Majestate, omnem fortunam expertus est; quamvis Inimici sinè Certamine, & Vulnere, Regno cessisse temerè prodiderint.

Eo tempore, quo hæc *Vratislaviæ* agebantur, multum pavoris, tumultusquè *intrà Mænia Pragæ fuit.* in domibus abditi, qui publice aut privatim *Partium Frederici* fuissent; aut Arma *contrà Cæsarem* tulissent, per speciem tuendæ Libertatis. Inturbidi, velamenta pro Muris, ostenrantes, veniam orabant, *Bavari* opem precibus, lachrymisquè invocantes; Vitæ, Libertatisquè fidem efflagitantes. Civium

precibus

1620.

precibus mitigatus est *Bavarus*. *Cæsariani* Milites, ac Præcipuè *Belgæ Auxiliares*, ubi profectum *Fredericum*, & Tumultum ac trepidationem in Urbe cognoverunt, Aviditate prædandi, ad excidium Urbis accensi, Prædam ad se, pro labore, & Vulneribus pertinere clamitant; minitanturquè atrociter irrumpere, & Scalis Muros transcendere, Ductores Tribunosquè aspernantes. Et quidam Centuriones se consilio Militum miscuerant. *Bavarus* stirpe Imperatoriâ ortus, severum & Magnificum se militibus ostentat; & *Germanicum Exercitum* truci voce increpat; Aspectu ac Auctoritate mulcet. *Bucojus* metuens ne sui Milites Urbem diriperent, properè accurrit, *& Belgicas legiones, tumultuantes* ob Prædam, coërcet, ostendens *se vivere, ac imperare*. Sic precibus Minisquè ducum mitigatus est Miles. Medio die, Præsidio satis valido ad Portas relicto, adversùs Militum ferociam, instructâ Acie Urbem intravêre; & gratias Numini, in Æde primariâ egerunt. Juramentum fidei, & Obsequij à Civibus, ac Præsidiarijs Militibus exegerunt; & Cæsaris Imagines, Seditione subversas, in omnibus locis restitui jusserunt. Cæteri Cives, *Bavari gratiâ*, datisquè defensoribus, discrimini exempti; nisi qui Auctores, & Suasores Defectionis, aut in aliquibus Ministerijs Regijs fuissent. Eorum Præda Militibus diripienda data. Qui abdita loca scrutantur; effossâ terrâ defossam Pecuniam eruunt; Bona diripiunt; nihil relictum, quod obscuritas latebrarum occulerat. Præda ingens in urbe parta est, præter Equos, Arma, Cæsorum Spolia, Captivorum pretia. *Cæsaris Praga, ac jam propè tota Bohemia facta est*. Nuntio Victoriæ accepto, *omnes Vrbes Bohemiæ voluntate deditæ; præter Pilsnam, & Taboram, quibus Mansfeldius præerat*; quæ sine Oppugnatione capi non poterant. Complura alia Castella, eodem metu, in potestatem redacta. *Bavarus* misit ilicò, qui præessent, ne qua Injuria deditis fieret.

Duces, paucos dies ibi morati, divisis in hiberna Copijs, per opportunas Urbes; in Arcem Tribunos, Præfectosquè vocaverunt, ut de Urbis Custodia consulerent. Re deliberatâ, *Tilium præfectum* cum Præsidio valido reliquerunt; jussum, inermes Cives continere; & pecuniam ad rem militarem exigere. *Teifenbachium Tribunum*, cum parte Exercitus, ad obtinendam *Moraviam* miserunt. *Bavarus* ipse, firmatis Præsidijs, Victor revertens, Equitum Peditumquè copias in *Bavariam* traduxit. *Bucojus* à Vulneris dolore recreatus, *Iberos, Belgasquè per Bohemiam dimisit*, ut Præsidio Urbibus essent, & hostium reliquias delerent. *Teifenbachius in Moraviam duxit*; ubi crebris incursionibus hostes fatigavit. Dùm res *Bohemiæ* firmarent Victores, *Comitem Piensem, in Austriam, ad Cæsarem*, lætum eâ Victoriâ; *in Belgium, & Hispaniam*, impigros Juvenes pernicibus equis misêre, qui nuntiarent, *collatis Signis cum Frederico pugnasse; Bohemorum Exercitum fusum, fugatumquè, & deletas omnes Copias. Fredericum, post Prælium, cum Conjuge fugisse; maximam vim Auri, atquè Argenti, pulcherrimarumquè rerum reliquisse, urbes omnes Bohemiæ in Cæsaris potestatem venisse*. Qui in *Belgium & Hispaniam* ingenti tandem labore pervenerunt; ibi exponentes *Acta Bohemicæ Expeditionis*, benignè auditi sunt. *Bruxellis* ingens lætitia orta est. Gaudio exultant Cives; Vino & prodigis Epulis bachantur Milites: *Regem* dolent è manibus effugisse. *Nec minor Madrici Exultatio, auditâ Frederici fortunâ, & Exercitus Clade*.

Inter quæ, *Londinum* rumor de adversâ pugnâ affertur. Nec *Pontificij* augendo rumori deerant; & atrociter vulgaverant, victum in Castris; amissis etiam Impedimentis fugisse. Clade vulgatâ, totam urbem implevit luctus, & lugubris lamentatio Plebis, *commemorantis amabilem Elizabethæ pueritiam, & fortunæ atrocem Injuriam; Mariti miserandum casum*; domum, familiam, remquè desperatam, comploratamquè esse. Demùm *literæ legatorum Vestoni, & Conavaij* (qui nihil pacificando profecerant) *ad Regem allatæ*; referentes *Generi Exercitus casum; reliquias tantæ Cladis vix superesse; desertâ Bohemiâ, ad Brandeburgium profugisse; ibi benignè cum Conjuge exceptum, cultumquè*. Rex miserrimum casum graviter tulit. Qui aderant, Concilium extemplò advocandum censuerunt; consulendumquè de Bello magno, ac gravi, Terrâ Mariquè. Ibi inter paucos *Primores* mentionem fecit de literis, quæ à Legatis allatæ essent, *& de Clade Bohemiæ; ac plurium Vrbium in Palatinatu Excidijs*. Ipse anxius de Remedio Mali, Consilium habuit; *ac Senatum in Vltionem Generi, Reiquè publicæ vehementer accendit*. Nihil autem æquè doluit, *quàm Palatinatum Nepotibus ereptum*; discrimen ac Dedecus ostentans. *Multi Spinolam confestim bello persequendum Terrâ Mariquè censuêre; qui inaudito Nefarioq; scelere, Filiæ Dotem, Nepotibus Patrimonium eripuerit. Naves, Nautas, pecuniam, cæteraquè omnia, Comitiali Auctoritate, ad id Bellum comparanda. Non Nuntijs, & Epistolis, sed Manu, & Armis militandum*. Anceps id ratus, ne *Cæsar, Hispanus, Pontifex, & Bavarus cum eo jungerent Copias*, misit ilicò *ad Germaniæ proceres; & filiæ Avunculum, Daniæ Regem, Harbertum Mortonium, Equitem*; cum Mandatis, ut ad Servitutem propulsandam excitaret; & gratias ageret, quod *Palatinatum* Copijs suis, & Opibus defendissent. *Is in Conventu Fœderatorum Procerum, Hailbrunæ, Mandata Regis sui exposuit; & Consilium, Palatinatum quoquo modo recuperandi per Diversionem, Aversionem, Defensionem, Offensionem*. Itemquè *Regi, Populoquè Britannico gratum fecisse, quod Palatinatum copijs suis, opibusquè juvissent: R.P.Q.B eorum Officij immemorem non futurum*. Demùm hortatus est, *ne primâ Plagâ conciderent, sed inchoatum Opus persequerentur; reliquum Palatinatum tuerentur, defenderent, incolumemquè conservarent; pollicens Regem Ope, Operâ, Consilio, Milite, Pecuniâ, ad rem militarem non defuturum*. Negant Consilij rem esse *Proceres Germaniæ; cæsis Frederici Copijs, Pragensi Prælio, ipso expulso, & Spinolâ Palatinatum persultante, audendum atquè agendum jam, non consultandum in tanto discrimine. Ostendit, inutili Cunctatione Britannici Regis*,

 & prapo-

1620. & praepostero Pacis studio, perditam Occasionem rei benè gerendæ. Ruptas Socialis Fœderis Conditiones; Cladem Bohemiæ funestam: Casum Palatinatus tot Civium Cædibus, tot Urbium excidijs, miserandum; Remedia malorum intempestiva. Modicis Britannorum Auxilijs, transitu Rheni Spinolam arceri potuisse; nunc occupatis florentissimis Urbibus, quantum discriminis x x x Millibus armatorum adeundum sit, patere; magno labore, magnis periculis bellum inferendum; nec faciles Transitus in Palatinatum esse. Rex reliquum hyemis in sollicitandis Fœderatis Regibus, Populisquè absumpsit. Ad exequenda quæ statuerat, idonei Ministri electi.

Inter luctum, Cladesquè expugnati Palatinatus, Gundimarius, subdolâ dissimulatione Pacis, Concordiæ compositionis Auctor esse non destitit; & restitutionem Genero spospondit; ac Nuptias Mariæ Sororis Philippi, filio; & Dotales Opes. Cui Spei pronior, Rex defensor Philippi esse cœpit: & Robertum Mansfeildium, Equitem, peritum rei Navalis, cum Classe x x magnarum Navium misit, ad Tutelam maritimæ Oræ Interioris Hispaniæ, quæ ad Oceanum Mediterraneum, & Gades vergit, adversùs Algeira prædones; Qui non tantùm Latrocinijs Mare infestum fecerant, sed etiam omnem Oram Hispaniæ maritimam; ut Agrestes Armenta ex Agris in Urbes compellerent. Is vagus per Africæ oram, multum terroris Mauris intulit; & Classem Pyraticam, Excidio Hispaniæ imminentem, coercuit. Hinc apparuit, quantum Regi Pacis ac Concordiæ studium; qui primò supprimere in occulto ejus Expeditionis Famam conatus est: sed loquacitate Ministrorum in Vulgus emanavit; ac aliter Aliorum animos affecit. Pontificij Iacobum, ut Pacis ac Tranquillitatis publicè, privatimquè Authorem, cum ingenti favore celebrarunt. Puritani, fervente Bello, præposterum in Baticum Regem studium culparunt. Multi Moderatum Principem, & Sanguinis parcum credidêre. Aliud ejus factum, variam hominum Sermonibus materiam præbuit. Gundimarius, manente in speciem Concordiâ, licentiam obtinuit, ut Tormenta Ferrea in exteras terras transferret; & hostiles Naves armaret. Id Factum variè interpretatus est Rumor. Melior interpretatio fuit, Mitem Regem abhorruisse à Cæde & Sanguine; eoq; crebrius cum legato Batico egisse, de Pace, Finiendisquè per Connubium filij, Generi Controversijs. Sed sermo in Circulis, & Convivijs cœperat esse liberior, quod Hispaniæ Oram Classe defendisset; Generum adverso Prælio imminutum deseruisset; & Criminosissimus Libellus, nomine Vox Populi, in Vulgum editus; ac Maledicentissimis Catharorum Carminibus laceratus est. Nec tàm Iacobus, quàm Gundimarius, Maledictis ac Contumelijs probrosis jactatus est, dictitantium Londini, Non Legatum, sed Speculatorem esse; subesse Fraudem subdolæ Affinitatis Consilijs; pulsum è Germaniâ Palatinum: Protritos Subditos; nec Spinolam Authorem ejus Belli, sed Gundemarium esse; cujus fraude coaluerint Pericula filiæ, Ruina Generi, exitium Bohemiæ. Legatus Baticus, ingenio sollers, Voce Populi, quæ infamem invisumquè Plebi fecerat, minimè perturbatus est: non modò Probrum nullum objectum Libello, sed etiam Industriam honestissimam suam, pro salute ac Dignitate Regis sui, ac Patriæ, illustratam arbitratus est. Verùm inexpiabilem ei Invidiam Vox Populi movit, Commemoratione rerum gestarum, & Novam velut flammam adjecit. Prudentioribus nunquàm probari potuit, tàm flagitiosa Maledicendi Consuetudo, quæ cum Probro Principis conjungeret Imperij Dedecus. Eam Sententiam Modestissimus quisque secutus est, & Primores Senatus. Iacobus, firmi & constantis animi adversùs Famosos Libellos, commotus procacibus linguis, Legati Contumeliam suam judicavit; quare Authorem libelli sedulò requisivit; denuntiavitquè exitium. Sed mansit occultatus, ingenti Favore Plebis, & metu gravioris Invidiæ, si quid tristius pateretur. Author diu celari non potuit, in Civitate omnia rimante. Is fuit Thomas Scotus, cui magnum, & liberum Ingenium, cum Acerbitate naturæ conjunctum, quod liberalibus studijs excoluit, non ad Quæstum, & Compendium, sed ad Voluptatem tantùm, & gloriam. Aucto indies Vulgi rumore, Securitati fugâ ad Batavos consuluit, ne pernicies ingrueret, fraude Legati. Ubi Amsterdami Divinam Sapientiam professus, assiduis Concionibus vitam sustinuit; Populum accendens, ut Frederici, ac Conjugis gravem Casum misererentur. Ibi non diuturnam Impunitatem Bilis & Amaritudinis habuit, ut suo loco memorabo: Varijs hominum Sermonibus Ingenij Acumen laudantium, aut Moderationem requirentium.

Fortè sub idem tempus, Rogerus Northus, Nobili familiâ ortus, cum expeditâ Juventutis manu, in Americam navigavit, ad exequenda quæ statuerat in Amazonum flumine, ejusque immenso Ore, ac circumjectis Insulis. Auditâ Expeditione, Iacobus, Northum Sociosq; Navales Edicto cohibuit, & domum revocavit. Qui tardè obtemperavit. Ita Conatus omnes ejus ad nihilum redierunt. Hoc Edictum Civium animos, qui longè alium Expeditionis eventum expectabant, summo dolore affecit. Mox Legatus Baticus, Vulgi maledictis laceratus est. Fuerat Regi animus, Genero opem ferre adversùs vim Baticam; sed exterruit Cæsaris Potentia, Saxonis, & Bavari fides, Consensus Italiæ, Sarmatiæ favor, subvenientis Cæsareo Nomini; & parum Subsidij in fœderatis Germanorum Proceribus. Undè in ancipiti curâ, Pacem magis quàm Bellum adversùs Iberos probavit; ne Se Regnumquè in discrimen daret. Officia indè sua in Hispanos commemoravit, contrà eorum Crudelitatem, omnisq; generis Injurias in Generum, filiam, & innoxios Nepotes. Quæ secuta sunt deindè, fraude legati, & Anxietate Regis, lamentari magis, quàm defendere possum.

Bucingamius, fractâ inimicorum potentiâ, allectisquè in Societatem Proceribus, intumuit Superbiâ, ferociâquè. In Iberis Spem omnem fortunæ, & dignitatis suæ ponere cœpit. Nuptias Mariæ Austriacæ, & Caroli Principis moliri instituit; Aulicos Muneribus, Præmijs, Epulis conciliavit; suos pecuniâ & Donis;

Donis; Advetsatios Clementiæ specie divinxit; deniquè nullâ Posterorum curâ, Opes Regni, Hor- 1620.
tos, domos, Prædia publica invasit; & *Libidinum infamiâ* non caruit, Illustres fæminas stupris polluere creditus. *Tobias Matheus, Eboratensis Præsul*, adverso rumore Vulgi anxius, *misit epistolas ad Bucingamium*, quibus Nuptias cum Iberis publicè exitiosas edocuit; simul hortaos, monensquè, ut incæpto absisteret; Saluti, Securitatique Britanniæ consuleret; *suaderetquè Regi, Spinolam, quiquè ejus teterrimi facinoris Anctores, Socij, Adjntores fuerunt, hostes Regni, Regisq., esse bello persequendos.* Ille aspernantis tale Matrimonium speciem præbuit, *nisi restituere Palatinatum placeret.* Nec temerè committendum confirmavit, ut in Aleam tàm periculosi belli, Rex se Regnumquè daret. Multa remedia diem, tempusquè afferre posse. Undè *Bucingamim* indies suspectior & invisior erat; & Vulgò *ipsum, Fratres, Matremq. execrarentur*; quæ diræ brevi à Numine exauditæ. Nam ejus frater *Ioannes Villerim, Purbechia Vicecomes*, gravi & diuturno morbo implicitus, *ad aquas Spadanas* trajecit. Dein in Aulam reversus, curato utcuoquè corpore, obrutus animus Magnitudine fortunæ, aut Numinis Irâ, *Insaniâ conflictatm est.* Erat Opinio, post indultam dignitatem, Compotem mentis non fuisse; quod affirmare noo possum; sed asseverare audeo, à Dijs quidem Immottalibus non posse majorem infligi pænam, *furore atq. Dementiâ.* Frater nimis severum arbitrabatur, *furentem in Vinculis retineri*; à Medicis mollius Clementiusquè tractari volebat. Nec desperabat Sanitatem posse restitui, Ope Medentium. Ex Urbe tandem *in Villam suam transtulit*; sepsitque Custodiâ Servorum. Ubi sæpè, per intervalla temporum, convaluit. Decumbeoti *Bucingamim* sollicitè assedit, nunc solus, aliquandò *cum Matre, Sorore, & Christophoro Fratre*, imperito Adolescentulo. *Fratris Vxori* secessum præcepit, sinè dubio admonente *Matre*, exercitâ ad omne flagitium. *Purbechim*, Uxoris levamento destitutus, quæ Mentem ac Voluntatem Mariti, Voce & vultu moderari insueverat; nunc solis Servis relictus, *indies Amentior evasit.* Sic lætum *Bucingamium*, atquè fidentem fratris Sobole, fortuna deseruit. Hâc Spe dejectus, *Christophorum fratrem* provehere enixè studuit; *Nuptiasquè ejus, & filia Harvai, Senioris Civitatis* opulentissimi, moliri cæpit. Pater filiæ nondùm nubilem ætatem diu excusavit. Mox suo periculo abnuit. *Bucingamim* repulsam iniquo animo tulit; in eâ suam Injuriam, suam Contumeliam secùm reputans, vindicare constituit; coosultans, quâ ratione id faceret, per Speciem Juris. *Harvam* mox ut Reus in Carcerem ductus, obtentu Criminis, suam Innocentiam ægrè probavit. Noo extimuit *Bucingamim* tumultum Servitiorum, libertatem Senioris pertinaciter flagitantium; non Indignationem Plebis adversùs Superbiam, Avaritiam, Crudelitatemquè suam. Consuetudine dominandi coalita Audacia, & aucta indies potentia, inexpiabilem ei Invidiam conflavêre; *ut non minùs quàm frater furiosus videretur.* Ista verò, & alia hujus facinora, ad Posteritatis memoriam, sunt notanda.

Ad hunc modum *Britannicis rebm* ordinatis, *Rex Hibernia Provincias Langfordiam, & Leitrim*, malè quietas, ad Obsequium redegit; *& Rebelles Agris mulctavit*; in quibus, Senatus consentientis Consilio, & Authoritate, *Anglos Scotosq. cum familijs suis collocavit*; *& Privilegijs amplißimis instruxit*; ad Beneficij sui Memoriam. Ita *Colonias* deduxit novas; veteres firmavit legibus, Moribus, Institutis. *Finitores misit*, qui Terminos Agris constituerent; & homines idoneos, qui ædificia, domos, familias, Arma, Equos, aliudquè bellicum Instrumentum inspicerent. Benè merentibus *Colonis* Equestrem Dignitatem, ex Commendatione publicâ, concessit; ac Arma quibus deerant, dedit. Pro quâ Munificentiâ à Colonis honores habiti sunt, & Reditus geminati. Reversi *Apolecti* renuntiarunt, quantæ Equitum, Peditumquè Copiæ *in Novis Colonijs* essent, quæ se Armis ab hoste externo videbantur defensuræ, si vis ingrueret.

Fædus cum Henrico Quarto, & gente Francorum ictum, *cum Ludovico filio*, exacto Anno ætatis xx1, renovare æquum censuit. Renovandi fæderis causâ, missus est *Legatm*, nomine *Eduardm Harbertm*, Equestri loco, apud *Cambros* ortus; datumquè in Mandatis, *ut Iusjurandum à Franco exigeret.* Qui *Lutetiæ* Regi Francorum occurrit. Ibi *Ludovicus*, circumfuso Procerum agmine, præsente *Legato*, in conspectu omnium *juravit, se mansurum in Pace, & fædere, quod Pater Henricm pepigerat cum Rege, gentequè Britannicâ.* Hujus Societatis, atquè Amicitiæ inter Reges fides, Jurejurando ultrò citròquè dato, firmata est. Verùm, occultiora quædam mandata erant; *Questusquè Britannici legati; ut nuntiaret, Baticum Exercitum intrasse Palatinatum; Cædibus Innocentium, Captivitatibus Vrbium, hostiliter vastasse; adesse discrimen ultimum Frederico, Genero, Francorum Socio, atquè Amico; Terrorem Galliæ. Possessâ Germaniâ, Britannum, Francumquè, velut in eodem Navigio, periculi consortes esse, si Philippus tantas Opes, tantamquè potentiam adipisceretur. Nec procul abesse, quin potiretur Provinciâ opulentißimâ.* Ea querens *Legatus*, oravit *Francum, ut Opem Palatino, in ultimo discrimine fortunarum, ferret*, ac properè subveniret. *Ludovicus*, Æmulatione infensus, *nequè favit victoria Philippi; Nequè ancipiti bello distinuit Conatus; tantum clàm Palatinum Consilijs suis, Opibusquè juvit.* Sed ista Conjunctio duorum Regum suspecta *Hispanis* fuit. *Herbertm* missus à *Iacobo* Legatus, ut Jusjurandum *à Ludovico* exigeret, *Ordinarij Munere apud Francos functm est.*

Eodem quoque tempore, mittendos circà Socios Reges, *in Daniam, ac Suetiam*, legatos decrevit; & communia Mandata, pro Conditione temporis subjecit; ut edocerent, *per Injuriam ereptum Genero Palatinatum; Philippo adjuvante, oppugnatam Germaniam; expugnatam Bohemiam; ejectum Fredericum, cum Conjuge; spoliatos Nepotes. Si Germania subacta foret, proximam Daniam esse; deindè Suetiam.*

1610. *Singulos Baticum Regem aggredi; universos vincere, quod in tempore non consulant.* Jussit providere, ut communi animo, Consilioquè, Principio Veris, *Cæsari bellum inferrent; Spinolam à Palatinatu arcerent; aut perseverantem in Bello injusto, communem ducerent hostem.* Sed mutua inter *duos Reges*, Æmulatione certantes, Odia tardaverant. *Danus* ad inchoandum Bellum promptior, *ob Nepotis Injuriam.* Quia Impensa pecuniæ facienda erat, *per Legatum Stipendium Militibus pactum est.*

Intereà, *Francus*, magnâ frequentiâ prosequentium, finitimas Regni sui Urbes invisit; consulit Prudentes, & rei Militaris peritos, quæ loca Præsidijs occupanda; fidei Sacramentum à Subditis exigit; & Obsides accipit. Cum circumiret ipse *Galliæ Civitates*, in Britanniam *Marchionem Candeletum* misit, ex fidissimis Amicis; cujus frater *Luynus*, interfecto *Anchorano*, in Aulâ dominabatur. Is in *Portu Iccio*, conscensis navibus, trajecit; Comitatu Nobilissimo. *Rex* decrevit, ut ei honores quàm amplissimi haberentur, quoad in *Angliâ* esset. Navem egredienti præstò fuit *Ludovicus Leucnerus, Cæremoniarum Magister*, ut hospitium expediretur tum ipsi, tum toti Comitatui. *Cantuariam* deindè progresso, *Vittonus Baro*, cum agmine Equitum, occurrit; simul *Regis* nomine salutans, publico hospitio eum excepit; & postero die *Grausendam* honorificè deduxit. Ibi ad eum excipiendum, prosequendumquè, *Marchio Hamiltonius, & Arundeliæ Comes operientes, Londinum cymbis perduxerunt*; magnâ prosequentium Procerum catervâ. Atquè eo die *in Palatium defunctæ Reginæ* abductus; ubi ipse, Comitesquè habitare possent. Insequenti, *Levinus, & Bucingamius*, majore solitâ Procerum frequentiâ, *in Aulam deduxerunt*, nullo Britannicæ Humanitatis genere omisso. Eum *Rex* Comitesquè honorificentissimè excepit. Ibi circumfuso agmine Procerum, diu collocuti sunt. *Comitatûs Officia aperta mandata erant*, Verùm, quædam occultiora agebantur, *quæ Instaurata Religionis cultores invisos & suspectos Britanno facerent, velut Proditores, ac hostes atroces Franciæ.* Legatus secretum nactus, de Injuriâ, Superbiâquè *Protestantium* conquestus est; *quod spretâ Regiâ Authoritate, Cætum & Consilium Cleri, Rupellæ habuissent; munitas Vrbes in Aquitaniâ occupassent; per Speciem Religionis, Sollicitatis Plebis animis, bellum intestinum, ac domesticum molirentur. Oravitquè Regem, per suam apud omnes Reges, gentesquè Authoritatem, ne tumultuantibus Subditis opem ferret; sed Reges oppugnantes, communes duceret omnium Regum hostes; qui ne legitimum Imperium tolerarent, Arma induerent, & Rebellionem captarent.* Respondit Rex benignè; *si Francus ejusdem Religionis Cultoribus, contrà Ius & fas, Bellum inferret; & pacatos ad Rebellionem provocaret; se Instaurata Religionis Propugnatorem, ejusdem Religionis Professores Opem, Misericordiam, Fidem implorantes, & communem causam Religionis, destituere non posse. Sin verò, sub Specie Religionis, Conscientiæ culpa perfidiosè rebellarent, & Regis Authoritatem viribus oppugnarent; Nequè favere Rebellioni, Nequè Copijs suis eos juvare in animo habere. Itemquè, omnia sua Consilia, cum Consilijs Francici Regis conjuncta fore, ut ad debitum Obsequium redigerentur.* Ea Regis responsio grata *Candeleto* fuit. Quâ demonstravit, *non placere Protestantibus Bellum fieri; adjunxitquè, Salutem ejus Regis, Regniquè, sibi curæ fore.* Rex tùm ipsi, tùm frequentissimo Comitatui, *Quatuor Mensis* gratuitum victum præbuit; ludis, ac delicijs Aulicis, interjectâ Venatione, recreavit; adjecit Epulas quoquè, paratas magno sumptu & curâ; ac Convivalia *Ludionum* oblectamenta addidit Epulis. *Anglici, Francicíq; Coqui*, miscentes ritus suos, Semina jecerunt futuræ luxuriæ. Discedenti *Legato*, in Æde Comitiuli, largissimum Convivium instruxit; qui honos nemini anteà, nostrâ Memoriâ, contigerat. Spectaculo fuit turbæ, Statuarum, Tabularumquè, Tapetum, & Vasorum ex Auro, Argento, & Gemmis factorum, multitudo.

Rex, Legato benigne dimisso, pro suâ, Regniquè sui Majestate, multis Equestri loco ortis, *Baronum & Vicecomitum dignitatem, in Scotiâ & Hiberniâ*, concessit; ut *Anglos* ad laudem & Amorem earum gentium incitaret. Dignitates in *Angliâ* parcius tribuit; *Bucingamius* potestatem habuit, tribuendi eas Pretio, quibus vellet. *Summa constituta, Decem Millia librarum fuère.* Quare cum dominatu ejus omnia tenerentur, *Montacutus Criminalium rerum Iudex*, summo pretio *Quæstor* designatus est; & *Iacobus Leus*, moderatissimi animi vir, *Bucingamij* beneficio, & Novæ Affinitatis pacto, in ejus locum suffectus. *Leonellum Cranfeildium*, obscuro loco ortum, Socium laborum, & participem Curarum ascivit. Hunc Rex, *Bucingamij* suffragio, provexit; *eiq; Pupillorum Custodiam, & Gazophilacium demandavit.* Is vitio naturæ vehemens, & ferox, ac fortunæ Indulgentiâ elatus, inexpiabilem sibi Invidiam conflavit Atrocitatis, Superbiæ, Avaritiæ. insitâ Naturæ violentiâ ferocior factus, non continuit se horum Munerum finibus; *Præfecturam Ærarij appetit.* ad id Munus obtinendum, vires, Consilia, Conatus intendit; nec frustrà hanc spem concepit.

Intereà *Legati Viennâ reversi, auditiq;, præciderant omnem Spem Pacis, nisi protinùs rerum Administratione Fredericus, Regioq; nomine abstineret. Et positis Armis, Sequè ac Liberos Cæsaris arbitrio permitteret; contineretq; Reges socios, populosq; à vexandâ Germaniâ.* Rex ubi nihil legationibus *ad Ferdinandum* profectum sensit, *Comitia vocare festinavit, & Calendis Februarij Londinum indixit, ut Generum Patrimonio spoliatum, expilatumq; remitterent.* Jam confluxerant, ad constitutam diem, Proceres citati; legatiquè ad res *Bohemiæ* visendas missi; ac Primores Equitum; & Procuratores Civitatum. *His Comitijs Carolus Princeps præsidere dignatus est*; perspexitquè studia Procerum; Animos Civium; Mores, Institutaquè Ordinum; & Opem Sorori malis fessæ imploravit. In primo Consessu, *Rex* cum verecundâ gravitate, congruentia tempori præfatus est. *Indictum hunc Conventum Ordinum, ut de Rep: in communi consulerent; in Tenuitate Ærarij, publicis Necessitatibus prospicerent; spoliatam Filiam,*

ejectum

ejectum Generum, innoxios liberos, & Palatinatus Miseriam, fœditatemq; miserarentur; ac veterem Belli 1620.
gloriam renovarent. Deum Opt: Maximum Mentis, atquè Cogitationis suæ Testem adhibere, se non magnoperè laborare, Bohemiæ Diadema eripi; sed cedere Pacis & Quietis causâ; Miserum & indignum esse Avito Patrimonio Nepotes spoliari. Sequè decrevisse, vel Pacis, vel Belli consilijs, Generum, in repetendâ fortunâ suâ Sede adjuvare; Iberorum vim, atquè Injurias vindicare, si oppugnandi finem non facerent; & Causam Religionis tutari, si Ius & fas non impetraret. Hortatus est Proceres, *ut bellum susciperent, gererentq;; & pecuniam, quæ maximè deerat, suppeditarent.* Secuta est admurmuratio Procerum, indignantium, *Fredericum* Patre, Avo, Majoribus Clarissimis ortum, Nobilissimo Bohemiæ Regno exturbatum; hujus facinoris famam, in ultimas Continentis terras pervenisse; *Nomen Regis, Populiq; Britannici, Odio atquè Invidia vicinis Nationibus esse, quod Injuriam tàm atrocem neglexissent; & nunc non de Regno Bohemiæ, sed de ipsius Palatinatus Possessione, Certamen Hispanum indixisse. Cum Rege, Regnoq; Bohemiæ bellum gerentes Austriacos, speciosum Titulum habuisse; nunc propalàm per Vim & Injuriam Palatinatum in Servitutem petere. Spem Successum rerum augere. Quod si cunctantur abducere Exercitum in Belgium, Bellum necessariò gerendum, ne Fredericus suam Dignitatem, & Patrimonium; ipsi veterem Belli gloriam retinerent.* Merita deinde Regis in *Iberos* commemorarunt, contrà eorum omnis generis *Injurias in Palatinum*, & Subditos ejus; atrocia & nefaria exempla Barbaræ Crudelitatis; lachrymas, gemitusquè incolarum. Facundi Proceres, querentes, summo silentio ac assensu auditi sunt. *Ordines* extemplò *duo Subsidia ad Fredericum sublevandum contulerunt*; quod Regis curâ factum esset, ut Pace externâ, & Otio domestico fruerentur, uberiorem Collationem in tempore facturi, cum vitæ, & fortunarum omnium discrimine. Multi potentes *Proceres*, multi *Privati* opulenti, pecunias pro facultatibus pollicentur, ad bellum. *Rex* cum permoveri *Ordines* videret, ut gratus & memor Beneficij esse videretur, omnibus gratias egit; fecitquè fidem, se nihil nisi Populi utilitatem, & Commodum quæsiturum; studium ergà Subditos, Æquitatem ergà omnes nunquàm defuturam; Religionemque Numinis in primis sibi curæ fore; ut *sua Comitijs Auctoritas* salva esset; *Vetera Privilegia* Subditis sarta tecta servarentur. Postremò Proceribus, Primoribus Equitum, & Procuratoribus Civitatum, *curam Comitialis Authoritatis* permisit, & libertatis plurimo Majorum sudore partæ. *Eduardus Cokus*, Equestris Ordinis vir, sed Auctoritate famâque inter Proceres, leges, & Libertatem acerrimè tuebatur. Ab eo incensus *Plebejus Ordo*, Custos & Vindex vetustæ libertatis, *omnes, Literis, Bucingamij ambitiosis precibus electos, Suffragijs privavit*; & delegit alios, quos maximè Plebis Commodis consulturos putabat; ne Insidias fieri Libertati pateretur, à Majoribus traditæ, insidiosâ nonnullorum Simulatione, Populi non solùm Commoda, verùm etiam Salutem oppugnantium.

In *Superiore Consessu* Certamen incidit, *Questiq; sunt prisci Regni Barones*, quorum Majores sibi Posterisquè gloriam sudore & Sanguine peperissent, *honore pares factos sibi multos, Majorum meritis impares; pretio atquè pecuniâ mercantes Dignitates; & Vicecomites Scotia, ac Hibernia, Mercede provectos, priscis Angliæ Baronibus gloriam eripere.* Rex diuturnis precibus efflagitatus, sententiâ suâ non sublevavit Supplicantes Proceres. *Bucingamius* enim, Suffragator Mercatorum Dignitatum, plùs potuit, quàm universi. Mox, manifestâ Regis voluntate, preces omisêre; ne Iracundiam experirentur. Sermo hominum in Circulis, & Convivijs cæperat esse liberior, Temperamentum Procerum laudantium; aut Majorum animos desiderantium.

Intereà in *Inferiore Consessu*, Primores Equitum, ac Procuratores Civitatum *Monopolia* exagitant, Popinarum, aliarumquè rerum *illicitas Exactiones, & nova Portoria* coercent; ab *Ægidio Momparsono, Bucingamij Cognato* orsi: qui magnum lucrum *ex Diversoriorum Monopolio* fecit, & acerbius exegit. Mox *Eduardum Villerium, fratrem, eodem Patre genitum*, aggrediuntur; qui non minore acerbitate, *Argentearum, & Aurearum fimbriarum Monopolium* exercuit; & infinitam pecuniam indè corrasit. *Momparsonus, cum in Peculatus Quæstionem venisset*, pœnam publici Judicij, ac legis veritus, domo profugit; exilio, & fugâ Securitati prospiciens. *Eduardus Villerius*, gratiâ & Auctoritate fratris fretus, Defensionem paravit. *Ordines*, dubiâ Regis voluntate, & multis Procerum deprecantibus, potentem Reum, & gratiâ validum, sententiâ suâ non onerant; Socium, & Ministrum ejus *Franciscum Michelum*, Equestris Ordinis dehonestamentum, in Turrim conijciunt; ut perditos homines, publico exitio natos, *à Monopolijs, & Tributorum Exactionibus* deterrerent.

Nec minore Acerbitate, *Iudicum Corruptelas exagitant*; & uniuscujusquè vitam, ac famam ponderant. *Cokus* præferox ingenio, ac *Bucingamio* infensus, propter filiæ Injurias, Curam Reip: prætendit, contenditquè, ne dominarentur indigni. Ubi *Plebejum Ordinem* incaluisse videt, à Monopolijs, & varijs prædandi generibus exorsus, fremuit, *non sinè occultâ ejus insectatione, spoliatos, vexatosquè Subditos; Iudicia iniqua, ac flagitiosa fieri; nova & inaudita Monopolia exerceri; Diplomata publicè perniciosa concedi; acerba vulnera Reip: inuri; Hirudines spolijs & sanguine expleri; Civis miserâ, impiâquè Servitute premi. Neq; ista fieri voluntate Egregij Principis, sed fraude dominantis evenire.* Quamobrem Deum, hominesquè testatus, quàm Populum ab Oneribus liberum cuperet, hortari cæpit *Inferiorem Consessum*, spontè suâ exardescentem, ad studium recuperandæ libertatis; ut Populum liberum esse velit; Civibus, in posterum, Metum Injuriarum adimat; vindicet Religionem ab impiâ nefariâquè Superstitione. Sic accensus *Plebejus Ordo*, libertatem, Religionemquè majore animo defendendam suscepit. Missi ilicò ad Proceres *Apolecti*, ut Miserias exponerent; Opem *Plebi* laboranti, Oneribusquè fessæ,

1620. implorarent. Qui Mandata exponentes, cum Assensu auditi sunt. *Cokus per Angliam Libertatis Auctor celebratus est.* Loquendi libertas, Offensæ initium apud *Principem*; & gloriæ fuit apud *Populum.* Prudentiores modum *Libertatis* postulare; Vulgus mirari, tantum vel Animi fuisse in illo homine, vel Solertiæ, in exquirendis *Monopolijs.* Quæ ubi nuntiata *Regi*, graviter exarsit; *dixitq́, hominem proprié Iuris Municipalis peritum, forensibus Consilijs non contentum, rabie furentem foro depulsum, in Aulâ florere voluisse. Cum Conatus parùm succederet, Tribunitiâ potestate instructum, Remp: Consilijs suis conturbare; & Vsu, ac Experientiâ doctum Principem Præceptis imbuere.* Illud affirmare audeo, *nullis Reip: temporibus, Plebejum Ordinem firmiorem atquè fortiorem fuisse.* Permulta tum vehementissimâ Contentione dicta, quæ *Prætorem & Quæstorem* in Suspicionem prædarum, ac rapinarum traxerant. Aguntur Injuriæ Subditorum; agitur Existimatio *Prætoris*, veritasquè Decretorum. Rex Sapientiæ suæ non putavit esse, *Temeritatem Plebei Ordinis* adjuvare; nequè contrà, corruptos & rapaces Judices, ac Magistratus tueri: Qualis ipse in rerum administratione fuerit, exposuit; & Quomodò Supplicantium desideria *ad Referendarios idoneos remiserit*; ut si preces veritate niterentur, ac è Rep: essent, Postulata concederentur; sinè cujusquam publicè vel privatim Injuriâ. Ita Culpam à Conscientiâ suâ removit; & *ad Referendarios* transtulit. Indè in eos accensus *Plebejus Ordo*, nominatim Inquisitionem postulavit. *Telvertonus, Cognitor Regius*, in Comitijs interrogatus de *Diplomate Momparsoni*; respondit, se ad omne *Bucingamij* Mandatum metu coactum; Exigenti magis, quàm Consentienti culpam imputandam. Hinc Invidia exarsit, & inexpiabile in eum Odium. *Rex* existimavit monendos Ordines esse, ne vanos rumores Multitudinis, sinè Authore, Credulitate alerent. Hortatusquè est, non ex Rumusculis Obtrectatorum, temerè calumniantium, statuere; sed Veritate ex Accusatione, & Defensione plenè cognitâ Sententiam ferre. Multi non dubitant *Prætoris* nomen deferre; & dicere ea, quæ paulò antè memoravi; *Spoliatos litigantes*; *Patrimonia direpta*; *Prætorem largitionibus corruptum*; *Illius Socios, Improbitatis Servos*; *Conscios, Corruptelæ Clientes.* Ardebat *Baconus* Injustitiæ, & Iniquitatis Infamiâ, Contumeliâ; & Dedecus magnoperè movebant, *Quid*, *Quantum*, *& Quomodò* acceperit. *Georgius Hastingus*, claro apud Vulgum rumore, multiquè alij fide digni Testes probarunt. *Mos erat in Comitijs, ut si quis Procerum rem postuletur, Cognitio causæ ad Superiorem Consessum referatur.* Cum hic vetustus Mos esset, refertur ad Proceres *de Crimine Prætoris.* In Cætu Procerum *Testes Iurati* nominatim rogantur; præcipuiquè ejus Ministri, in Curiam deducti, interrogantur. *Robertus Philippus*, Equestri loco ortus, Eloquentiâ insignis, *Ordinis sui* potestate instuctus, *Prætoris iniqua Iuditia, ac Corruptelas*, non minùs breviter, quàm diligenter exposuit; *Quid ex quâque re*; *Quid ex quâque Causâ accepisset*. Undè *Prætor* ingenti Invidia conflagravit; dixitquè Causam dolenter & graviter. Atquè ita dùm ille peragitur reus, *Quæstor Montacutus*, sicut implicitus Suspicionibus prædæ, ac rapinarum, ita non satis poterat convinci Probationibus; requè diligenter perpensâ, absolutus est; Nescio an innocens.

Supererant *Minores Rei.* Civitas publicè, multique privati *Eduardum Villerium*, simul Socios, Ministrosquè detulerunt. *Exclamavit Cokus, in Aureis, & Argenteis fimbrijs magnum Crimen, furtum impudens*, Injuriam non ferendam. Nec *Villerij* solùm hoc esse facinus, sed eorum etiam, qui approbarent. Deniquè commodissimum putavit, numerosum Agmen *Monopoliorum* recensere; ut omnia *uno Ordinum* Decreto, rescinderentur. *Procuratores Vrbium* omni ope adnisi sunt, ut id fieret, levandæ Plebis causâ. Itaquè *Plebejus Ordo* decrevit, placere statim, *ut Cokus, perferenda pro se Legationi, ad Proceres mittatur.* Is imploravit suppliciter Procerum Opem, fidem, Misericordiam; & multa *de Plebis Miserijs* graviter ac copiosè dixit: retulitquè acerbissimas *Exactiones Hospitiorum, & Popinarum*; aliaquè Civium Onera; & varia prædandi genera; perpetua futura, nisi tempestivum remedium adhiberent. Nec *Eduardi Villerij* Iniquitatem reticuit, ut eum in perpetuum Modestiorem fecerit; qui fuerat tantâ Insolentia, ut neminem Equestris dignitatis parem duceret. *Proceres*, non solùm Justitiâ Causæ, sed etiam precibus *Plebei Ordinis* permoti, cum in Metu & Periculo Populum cernerent, levandas Plebis Miserias, *& cuncta Monopolia abolenda*, Principali Authoritate imploratâ, decreverunt; pariterquè omnem Improbitatem Patriæ Eversorum delendam censuerunt. Quâ in re, optimè ac benignissimè *Plebis Postulatis* satisfecerunt; Injurias propulsantes, ejusquè fortunas defendentes. *Iure tùm florebat Comitiorum Auctoritas*; *Populi libertas*; *Priscorum Procerum dignitas.* *Cokus* amplissimis verbis collaudatus, ita se gessit *his Comitijs*, ut Consilia sua unicuiquè probaret. Sed non fuit Universæ vitæ, & singularum Actionum æquabilitas, ut suprà memini.

Digbeus ad Philippum, jam antè, legatione functus, nunc missus est *in Germaniam*, cum Mandatis, Epistolisquè *Iacobi*; si Pactis transigi posset, *ut Gener Regio Nomine abstineret; Iure in Regnum Bohemiæ cederet*; *Avito Patrimonio potiretur*; *Salutem & Dignitatem retineret.* Prius *Archiduces*, deindè *Cæsarem* adire jussus, *ut de Injustissimâ Palatinatus Possessione*; *& de Iniquissimo Prosciptionis Edicto, adversùs Fredericum, quereretur*; *ponendisq́, per Conditiones armis agitaret. Si interim Moram Induciarum impetraret, facilius cætera conventura.* Is ad susceptam legationem peragendam *in Belgium* trajecit. *Hispanus, Francus, Archiduces, & pleriq́, Christiani principes, non tàm ipsum Fredericum, quàm Conjugem, Innoxios liberos, & Excidium egregiæ domus miserantes*, tàm atrox dissidium componere susceperunt. Literis & crebris Nuntijs ultrò citròque commeantibus, Commoda Pacis, & discrimina Belli ostentantes, si *Britannus*, *Socijq́, Reges*, justis Armorum causis, ad Bellum luctuosissimum incitarentur. Sed *Ferdinandus*, motus Æmulatione, ac *Odio Frederici*, *ac Religionis Instauratæ*, implacabilem se ostendit;

1620.

Abolitionem Edicti, & Restitutionem Palatinatus poscentibus denegavit. Archiduces æquiore animo Legationem accepére, Pacem & Concordiam suadentes, *ob Iacobi in Cæsarem Pietatem*, & studium. *Ea Philippi apud Cæsarem Authoritas fuit*, ut si denuntiasset, *non placere Palatinatui Bellum fieri, ilicò cessaturus esset; & Spinola, nutu, Exercitum in Belgium abducturus.* Quarè Simulatio prorsùs fuit. Non jam *Ferdinandus Imperator, sed Hispanus, causa belli in Palatinatu erat*; & finem Authoritate suâ imponere poterat, si æquum adhibuisset animum, ad Pacem faciendam.

Inter luctum *Britanniæ*, Cladesquè *Germaniæ*, torbata quoquè *Gallia. Maria Medicea, Regina, Ludovico filio discors*, quod novos homines Sceptro præficeret, adjunctis sibi summis Proceribus, *in Andium fines secessit.* Ibi cunctis honoribusquè culta, per finitimas Provincias, armato agmine incessit. *Rex Matris defectione permotus*, antequàm invicem hostilia cæptarent, Primores Senatus misit, ut Pacem, ac Concordiam suaderent; *Matri* veterem gratiam, ac Authoritatem; *Proceribus* Incolumitatem, ac Securitatem, Fœdere promitterent. Qui sæpè congressi, sub ipsis Mœnibus *Audinæ urbis*, Mandata pro Regni tranquillitate data, exposuerunt. Quorum Auctoritate ab Armis avocati Proceres; ac precibus *mitigata Reginæ Iracundia.* His actis, extemplò redierunt; commemorantes, *turbarum culpam non penès Matrem, sed penès turbidos Concitores Vulgi esse*; qui quantum Spes spospondissent, cuperent. Jam deferbuisse Partium studia; omnia, sanctionem Fœderis, ex utriusquè Partis commodo, spectare. *Rex* de Sententiâ legatorum, res turbatas, ac convulsum Regni statum composuit; destitutâ eorum Spe, qui per publicam Calamitatem Regni clarescere voluerunt: extinctâquè deterrimâ Æmulatione, quasi ex turbidâ Tempestate in Portum Tranquillitatis evasit.

Ijsdem diebus, ecce, nova Procella in *Valle Telinâ, Rhætica Ditionis, erupit. Pontificij, ac Protestantes, fraude, & Factione inter se certantes, excitarunt tumultus Populares.* Nec aliter hoc Incendium, quàm per alterius Partis excidium extingui potuit: litigante Provinciâ, arbitrium ad *Rhætos* defertur, *penès quos Vallis Ius, & Dominum. Illiq; Recuperatores dederunt*; quos Religio *Protestantibus* æquiores fecit. In *Recuperatorio Iuditio*, Pontificios, Cædum ac turbarum Conscios, Carcere, Exilio, Cruciatuum Tormentis, Securi, Cruce, acerbissimis Supplicijs multarunt. Ancipiti motu, multi periculo Mortis territi, in proxima *Mediolanensis Ditionis* Oppida profugerunt. Vindictæ occasionem quærentes, ibi exulantes, sæpè congressi desperatione, Inopiâquè ad Audaciam accenduntur. Trahuntur in partes *Papani, Vallis Incolæ*; disserunt promptissimi *Pontificiorum*, nihil tristius eventurum, quàm quod in præsentiâ paterentur, Mortem ærumnarum requiem. Non ipsis, non Amicis veterum Sacrorum Cultoribus, non Conjugibus, non liberis Securitatem fore, *nisi Vi atq; Armis agerent*; *abolerentquè Sacrorum Novitatem.* Percensueruntquè Atrocia, & nefaria exempla Superbiæ, ac Crudelitatis; & atrociora Quotidiè *Pontificijs* patienda esse, si arreptis Armis, fortia consilia non amplectantur; & non opprimant Religionis Adversarios, antequàm opprimantur. His & talibus incensi Exules, sustulêre animos, *Suasore, Authoreq; Consilij Rubestellso, Equestris Nobilitatis.* Qui insitâ naturæ ferociâ, Memoriâ damnationis, *& Instaurata religionis Odio, Vallem Telinam subitus irrupit*, Cohorte Militum; & cuncta sanguine, ferro, Igniquè miscuit. *Pusciarum Castellum*, opportunè situm, simul *Transitus Alpium* Milite insedit, infestâ Rhætiâ, & ad excidium *Papanorum* arma rapiente. Atquè indè expeditâ manu ad *Tirannum* processit. *Vbi Instaurata Religionis Cultores inermes plerosq; oppressit*; Cæteros ad mutandam Religionem pavore coegit; *Vrbis Præfectum, Rhætica gentis, & Provinciæ Procuratorem*, inclementer ad laqueum damnavit. Posteà *Chiavennam*, magni momenti locum, obtinuit. Tum *Carolus, & Azo Bestia*, Centuriones, diversos Provinciæ aditus invadunt. *Carolus Telium Oppidum*, improvisо impetu, occupavit. *Ibi intercepti in Templo Protestantes, inopinantes Cæsi sunt. Quidam in Campanile refugi, fumo flammâq; suffocati sunt.* Sanctitas Templi inviolatos non servavit; nec Misericordiæ locus, quamvis supplices manus tenderent. Indè *Antonius Paravicinus, Morbegam, Berbanum, Caspanum, Mantellum, Tropanum, & proxima quaquè loca*, partibus adjunxit. Lætus his Cladibus *Rubestellius*, totâ ferè *Valle* potitus, ad *Sonderium, Vrbem primariam*, Vi vel Terrore subigendam, ducit. *Pontificij* advenientem lætis animis exceperunt. *Protestantes* de vitâ, fortunisquè omnibus pertimescunt. *Quibus omnibus Mortem acerbam, crudelemquè inflixit; & nefanda exempla Immanitatis, ac inaudita sævitia edidit.* Implacabili ferociâ *Bona direpta; ædes diruta, aut incensa; Necati Parentes; ejecti liberi, atq; Conjuges; Spoliati Innocentes; Matres ab extremo complexu liberorum exclusa.* Durabit ad Posteros atrox memoria scelerum. Excesserunt Urbe, sub Adventum ejus, quidam, & in Montes sese abdiderunt, ut Barbaram Crudelitatem, Inhumanitatemquè cruentæ Seditionis effugerent. Obscuritas latebrarum paucos texit. Cætera turba flebilis, & inops, *Rhætos* in auxilium advocavit; & *Pontificiorum* defectionem exposuit. *Rubestellius*, acerrimus belli Concitator, consentientibus cunctis, *Vallis Telina Præfectus* recipitur; partim Voluntate, partim Metu. Possessâ Provinciâ, validum *circà Abduæ fluminis Ostium*, Præsidium constituit; simulquè *Transitum Alpium* ita obsepsit, ut omnes *Rhætorum* motus, Conatusquè prohiberet; ne, cum vellent, ad excidium *Pontificiorum*, Exercitum inducerent. Qui, auditis quæ *in Valle* nuper, ingenti motu, facta erant, undiquè ad deliberandum convenerunt. Rem administrandam sinè Morâ, & confestim gerendam decreverunt. *Tres Pagi*, qui aderant, conclamant *se paratos esse miserorum Carnificinam vindicare; & ejusdem Religionis Cultoribus libertatem afferre.* Ilicò dilectu habito, cum *Octo Cohortibus* (quibus Centuriones, *& quadam Cohortes Batavorum, Venecis*

Mercede

1610. *Mercede militantium*, se miscuerant) Montes, & confragosos Saltus transgressi, repentino incursu Stationes hostium invadunt; & levi Prælio Præsidium, *ad Abduæ fluminis Ostium* relictum, fundunt, fugantquè. Adventu deindè *Quatuor Cobortium, ac Helvetiorum auxilijs aucti*, eò properantius Vallo & fossâ *Mantellum Vrbem* circumdant; cui *Guicciardin Centurio* præerat; qui levibus prælijs hostem adortus, Obsidione discedere coegit. *Vlisses interim Salicim, cum Octingentis Rhætis præcipitia Montium funibus transcendens*, & notitiâ locorum, Custodias *Rubestellij* elapsus; occupavit ipso transitu *Sonderium*; & eodem metu, *Vallis proxima quaquè loca.* Cives Militesquè *Pontificij*, re novâ perterriti, per occultos tramites oppido aufugerunt. *Protestantes* prospero rumore latebris exciti, Arma spontè sumpserunt, juvare partes annitentes. Ille vagos, paventesquè, per Cohortes distribuit, apud Signa componit; hostes plurimis locis depellit. Has ad Copias *Rubestellim* nequaquàm par, cum Majores indies per *Alpes* ingruerent, Libertatem præcipiti consilio prodidit; & perpetuam Servitutem suis attulit. Nam *missu ad Feria Ducem, Mediolani Præsidem, literis*, in causâ Religionis auxilium implorat; ne *Cisalpina Provincia*, Insubribus Finitima, & Pontificij cultus Socij, hostium Sævitiæ exponerentur. *Placuit Occasio invadendi Vallem, & auferendi Rhætis* Possessionem. Venêre *Mille Equites, & Viginti duæ Bætica Cohortes*, quæ varijs prælijs exemêre periculo Pontificios. *Rubestellius itaquè, tutus sub Philippi Regis Alis*, Rhætos in ultimum discrimen, Annonæ Inopiâ, ac egestate, adduxit; qui desertâ *Valle*, per Montes turpem fugam consciverunt. Tàm pavidus eorum discessus, addidit animos *Pontificijs*, Metum hostibus. Abducto *Exercitu Rhætico*, Montium aditus *Iberorum* Præsidijs, & Propugnaculis infessi; ne infesta *Rhætia*, accitis *Helvetiorum* auxilijs, novum bellum cieret. Læta ad præsens *Hispanorum Præsidia, quæ Claustra Alpium tuebantur*, Mox in perniciem versa; cum subdolâ Perfidiâ, Valle veluti Aucupio captâ, & Claustris Montium potirentur. Ita formidolosum Occidentis gentibus nomen, fraude, Scelere, Spolijsquè vicinorum, in tantum fastigium excrevit; ipsi Reges, atquè Provinciæ, distractis viribus infirmæ, suam Libertatem spontè illis hominibus prodiderunt. Nondùm enim senserant, *Causam Certaminis, Orbis Terrarum Imperium. Batavi*, Venetiquè, omnibus gentibus Inditia communis Exitij patefecerunt; apertaque *Bæticis legionibus* Alpium Claustra, quæ ex omni Aditu clausa erant: detexeruntquè, Arma *Iberorum*, Servitutem afferre liberis Populis; & his qui sub Regibus viverent. Proindè induxisse se in animos, *Thracibus potiùs Barbaris, quàm Iberis parere.* Interim Amicos, Sociosquè Reges monuerunt, *ne cuiquam Hispanorum fiderent; præcipuè Britannum, ut subdolæ Affinitatis tractationem vitaret.* Fraudis quoquè Inditia ostenderunt; & Insidiarum Signa patefecerunt. Ille non credidit *Fæderatis*, maximè Utilia suadentibus; *sollicitatus à Speculatore rerum, quæ in Britanniâ* agerentur. Hujus Motus causam, atquè Eventus exposui, quia Servitutem *Provinciæ*, Terrorem *Italiæ*, & Finitimis Populis, intulit. Audax facinus penè universi Orbis arma excivit, *Venetos, Allobroges, Helvetios* concivit; cum *Claustra Alpium præsidijs Iberorum teneri*, sequè omnibus Injurijs obnoxios fore cernerent; *& Vallis Incolas* miserrimâ Servitute premi. *Francus* offensus, *Iberos* eò usquè fines proferre, communi eos Bello atquè Consilio expellendos decernit; *Rhætosq;* sublevandos censet; & literis *Philippum* monet, ut Incendij flammam extinguere velit, antequàm proximas Continentis Regiones corriperet; ex cunctis *Vallis Telinæ* locis omnem Belli apparatum, *Militesquè Bæticos* deduceret; Munimenta adversùs *Rhætos* dirueret. Et asperioribus verbis denuntiavit, *se, Venetos, Helvetios, & Rhætos, nunquàm passuros, ut in Bæticam Ditionem Transitus in Germaniam, Galliamquè redigantur. Hispanus Franco bellum minitanti*, ac denuntianti respondit, *se Adversarios Religionis oppressisse; nunquàm in animum induxisse suum, Vallem sui Iuris facere; sed tantùm libertati restituere. Ita Deum, Dominumq; velle, juberequè: patefecitq; Principibus Christianis, Bellum hoc pro Religione susceptum, gestumq; ut à Catholicis novam Tempestatem Tumultus Rhætici averteret.* His igitur atquè alijs Callidæ gentis frustrationibus *irritatus Francus*, Sortem omnem fortunæ, Regniquè sui, *rebus Rhæticis* mox immiscuit; suscepitquè *Pontifex* tollere tàm atrox dissidium, ac sævum Incendium, *Italiæ vicinum*, extinguere.

Per eosdem dies, *Turcæ, Asiæ, Europæ Eversores*, publico Christiani nominis Odio, & privatis stimulis exciti, *Sarmatiæ* nobilissimo Regno moliuntur excidium. *Sigismundus, Poloniæ Rex*, perculsus tanto discrimine, missis ad omnes *Occidentis Reges* legationibus, Auxilium adversùs *Turcas* irruentes postulat, in communi Causâ Numinis. Inter multas legationes, *missus ad Iacobum, Britanniæ Regem, Osilincim, Comes Palatinus*, cum uberioribus mandatis; quem advenientem *Rex*, humaniter excepit; dextram porrexit; diemquè conveniendi sui præstituit; quamvis *Polonum juvisse Partes Cæsaris, Bohemiæ bello, constaret.* Postquàm dies venit, *Osilincius* literas tradit; quibus perlectis, præfatus est in hanc sententiam. *Serenissime Rex. Sacra Regia Poloniæ & Suetiæ Majestas, Dominus meus Clementissimus, integram diuturnamquè valitudinem; fælicissimos Votorum omnium eventus; florens ac tranquillum latissimarum Ditionum Imperium, M. V. precatus, singularem fraterni animi, & rerum M. V. studiosissimi, propensionem, maximâ, quâ potest, particularis ergà M. V. affectus testificatione, declarat; ac his obstringit literis. Quibus prævijs, ut reliqua Legationis meæ expedienti mihi, M. V. benignas aures præbere dignetur, humilimè postulo.* Inde continuâ Oratione mandata exposuit, ac ita exorsus est. *Tandem erupit Ottomanarum, jam diu celatum pectore, virus; & depositâ simulata, multis ab hinc Annis, Amicitiæ larvâ, publico Barbarorum furore, validissimum* Christiani Orbis Antemurale, petitur Polonia. *Perstrepit bellico apparatu Oriens, onerantur Classibus Maria; jungitur Europa Asiæ; Africanarum si quid est virium, in nostram armatur perniciem.*

In Sotie-

1620. In Societatem tanti belli veniunt hereditarij Nominis nostri hostes, Scythæ; venit & uterquè Dacus, Servij, Bulgari, Bosnenses, Illyrij, Thraces, Epirotæ. Quicquid ferarum usquàm est gentium, Vi, Pramijs, Pollicitationibus, Spe præda, Cupiditate vindicta cogitur, pellicitur, accenditur. Paratus nuper lamentabilis cruenta Tragadia prologus; hausit immitis primum Cruorem Dacia; cum perfidus hostis, veterum ac recentium, solenni Inrejurando firmatorum, immemor faderum, innumeris Copijs, Regia Majestatis, domini mei Clementissimi petens Ditiones, oppositam sibi parvam quidem, sed bellicosissimam nostrorum manum cacidit; ingenti Christiana Reip: detrimento. Creverunt etenim eâ Victoriâ Barbari spiritus; & tàm faustis insolentes Primordijs, universam spe concipiunt Europam. Eò provecti vel Arrogantia, vel Amentia, ut nec assentiente quidem Deo, delere gentem nostram se posse arbitrentur. Tanto non suarum duntaxat, sed Christianarum omnium Provinciarum, commota Sacra Regia Majestas, Dominus meus Clementissimus, discrimine; eo fuit animo, ut & reliquos Principes impendentis Metus commonefaceret; & inprimis ad M. V. nullâ interpositâ morâ, referret. Sed ea est M. V. singularis vigilantia, tantum Communis Christianorum boni studium, ut & illos, ad quos ipsa potissimum vel Temporum, vel Locorum ratione pertinent pericula, animadvertat. Antevertit M. V. & hunc Serenissimi Regis mei Nuncium, idquè ultrò præstitit quod postulandum erat; cum eidem hosti se Regiæ M. Domini mei Clementissimi Amicum esse, nec ei ullo in discrimine deesse posse, nunciavit. Quâ in re agnoscit R. M. verè magnum, verè Regium, verè Christianum M. V. animum; agnoscit fraternum ergà se Affectum, quem gratissimi testificatione animi prosequitur; ac profitetur, nihil tàm grave, nihil tàm difficile, nihil tàm periculosum fore, quod vicissim M. V. causâ aggredi recuset. Moveantur utinàm, tàm præclaro M. V. exemplo, reliqui Christianorum Principes; velintquè potiùs tàm gloriosi laboris esse Cooperatores, quàm Segnes, & Otiosi Spectatores alieni periculi, possundaturi quandoquè propria, dùm Vicina negligunt. Id verò Vsu ventro nostro, si Dijs placet, credant Cautiores Exemplo, quos neglecta Græcia, deserta Pannonia, in has conjecit angustias. Et nos quidem eam, quam Cælum tulerit, sortem feremus; renovaturi Saguntinorum fidei, Tyriorum Constantia, & si quid usquàm fortiter actum, Exempla. Caterùm Vicini nostri provideant, quâ ratione animos firmare possint, ad similes, vel (avertant Omen Superi) graviores Casus tolerandos. Nequè putent Tyrannum, cujus animum humiles Sarmatarum Casa ad tàm detestandum impulerunt Perjurium, sanctiora habiturum Vicinitatis Iura, quæ cum eis jecerit, quorum Vrbibus Mercaturâ florentissimis, Opibus præstantissimis, ædificiorum cultu splendidissimis, jamdudùm inhiat. Non detinebunt hæc, sed allicient; non extinguent, sed inflammabunt, Sacrilegam per Nefas propagandi Imperij Sitim. Quis enim non videt, hoc unum Tyrannum intendere, quod in Majorum ejus multo tempore agitatum constet fuisse Consilio; ut occupatâ patentissimâ in omnes Europæ partes Regione, omnis Grani feracissimâ, omnium ad Classem instruendam, armandamquè necessariorum refertissimâ, innumeris suis Copijs opima aperiat Horrea; Navium ingentem præparet copiam, quibus Balthicum occupet Sinum; transiturus in Oceanum; ut sic binis Classibus, velut Alis, ab utroquè Mari, Europam premat, & opprimat; Terrestres Copias, per apertissimos, quà Poloniam spectat, Campos, in Germaniam effundat; quæ euntem non Montium Claustra retinere, non Fluminum rapacitas poterit retardare. Volvebat hæc Solymannus animo; agitabant ejus Posteri; nec ullâ aliâ ab eo Consilio deterritos eos fuisse constat ratione, quàm quod crederent Vniversos conspiraturos Christianos, ad tuendum hoc Regnum: ex cujus Salute totius Europæ pendeat integritas. Nec deerant illo Ævo tàm Magnanimi Principes, qui maluissent Opum, ac Vitæ propria detrimentum facere, quàm Vicini sibi Populi Salutem periclitantem deserere. Hæc, nostrâ ætate, proh dolor! multi non intelligunt; negligunt Nonnulli; & quod dolendum magis, accersunt ultrò, ad Communem omnium perniciem, Perfidum Nominis Christiani hostem; indigni Christiano nomine, Barbaris ipsis execrabiliores. Vnum te habent, Serenissime Rex, hæc nostra tempora, qui pro singulari tuâ Prudentiâ, animadvertisti, & judicasti, per latus Poloniæ Vniversam peti Europam; ac ejus periculum ad omnes pertinere Christianos; Solenne Ottomannorum esse, Bella ex Bellis quærere, & Regna Regnis cumulare. Qui non contenti Asiæ, Africæ, & Majoris Europæ partis Imperio, Quicquid reliquum est Prædæ destinant; nec sibi per Religionem licere aliter posse opinantur. Videt hæc M. V. singula; undè & hanc gloriam est consecuta, ambigentibus cæteris Principibus quid sentirent, solam M. V. quid Christianæ Reip: expediret, maximè & vidisse, & elegisse; Autoremquè reliquis extitisse, ut; dùm licet, mutuis Auxilijs, communibus Subsidijs, tantæ immanissimi hostis obviam eant libidini; cujus Opes, intestinis ipsorum Dissidijs, eò creverunt potentiæ. Perge porrò, Invictissimè Rex; & hanc Dextram non Armis magis, quàm Pietate notam, tuam Fidem imploranti, porrigè Poloniæ. Defensor fidei eis; Commune Numen ne blasphemetur, provide; imitêre Majores tuos; quibus haud grave fuit, è proprijs Barbaros eruere latebris; & ultimæ Syriæ finibus, Britannici Nominis gloriam terminare. Abundè amplissimis Majestatis vestræ Ditionibus suppetunt, Quæcunquè ad reprimendas potissimi hostis vires requiruntur: Procerum Copia; Populi Multitudo; omnis generis Apparatus; vis immensa. Ne patiatur Majestas vestra, peritissimos rei Militaris Anglos, bellicosissimos Scotos, Hibernos ferocissimos, conjunctissimi Majest: vestræ Regis, & amicissimæ gentis, Discrimina spectare otiosos; ac tàm latè serpens Incendium, in propriâ potiùs opperiri domo, quàm in vicinâ, dùm licet, restinguere. In alieno discrimine propria curare pericula, nec Præsentia duntaxat intueri, sed futura prospicere, erit Celebritati Majestatis vestræ Prudentia; erit & Magnanimitatis; quam uterquè admirabitur Orbis; quam sera prædicabit Posteritas; quam servata venerabitur Polonia. Serenissimus verò Rex meus, uti nunc particularem Majestatis vestræ ergà se affectum, quâ potest maximâ animi gratitudine, complectitur; ita in posterum, eum se M. vestra declarabit Amicum,

1620. *qui & Secundis Majestatis vestræ rebus ex animo faveat; & Adversis, si qua impendeant, non secùs quàm proprio commoveatur discrimine.* In Senatu quoquè agitata est *Summa Postulatorum.* Quanquam multi censerent, *non ita meritos Bohemiæ Bello Polonos*, ut Amicorum numero habendi essent: tamen prævaluit Legatus, adjutus *Gundimarij* Illecebris; ut quod rogasset, impetraret. In publicâ Inopiâ, *Decem Millia librarum* dono dare Quæstor jussus; mox præbuit. Sed non deerant, qui crederent *hanc ipsam Legationem, quam gerebat, non accepisse à Rege suo; sed fraude Ignatianorum ementitam; ut Causa proficiscendi in Britanniam honesta quæreretur.* Ipsumquè, ejusdem Sectæ Asseclam, *Iacobi* liberàlitatem, pronumq; ad Pacis studium animum, maximoperè laudavit *Gundimarius*; cujus Astutijs, & fallacijs, mirabitur Posteritas, *expertum Regem in fraudem, deformi Obsequio, impulsum.*

Hoc Anno, *Andreas Melvinus*, imbutus literis, trium Linguarum Peritiâ, & scientiâ Theologiæ, *exulans Sedani moritur.* Qui Disciplinæ *Genevensi*, nudæ sinè Cæremoniarum ritu insuetus, Linea Sacerdotum Ornamenta, Festorum Tempora, & Superstitionum Deliramenta insectatus est; *Præsulum Auctoritatem in Scotiâ evertere, & Presbiteriorum Regimen substituere aggressus*, Seditionem Cleri aluit; Ecclesiæ unitatem labefactavit; *Præsules* probrosis Carminibus infamavit; *Ministris* æqualitatem vendicavit. Sed Incepto eventus defuit; & præceps Consilium, in Carcerem & Exilium versum. *Rex exosus istos Ecclesiæ Emendatores*, favore Vulgi florentes, *Alios Exilio, aut Carcere mulctavit; Alios penitùs exauctoravit*; & primis illis fidei Assertoribus aut fato functis, aut exauctoratis, *Episcoporum politiam, quæ nunc obtinet, restituit.*

Paulus V, Pontifex Maximus, LXVIII *Annum ætatis egressus, Apoplexiâ correptus, expiravit. Ludovicus de Bononiâ in ejus locum suffectus est*: Cardinalis *Burgesij* favore, & Potentiâ, præcipue sublevatus, ob Doctrinæ præstantiam, cum gravitate morum conjunctam, & in dicendâ Sententiâ libertatem. Is Pontifex unanimi consensu renuntiatus, *Gregorius* XV *dici voluit.*



RERUM

RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER DECIMVS OCTAVVS.



ÆSAR, divisis partibus, *Bucojo* mandavit, ut *Moraviæ & Hungariæ* palàm bellum inferret. *Bavaro* Palatinatum Superiorem; *Saxoni*, Silesiam demandavit. Jussus *Herbipolensis Episcopus*, Anhaltino Principi se Viresquè suas opponere. *Bucojus* haud magno certamine *Moraviæ urbes* aliquot cæpit. *Gradiscum* quoquè urbem validam, & ad impediendum incursiones *Hungarorum* opportunam, expugnavit. Terrore famâquè Exercitus sui, totam *Moraviam* in Jus ditionemquè *Cæsaris* redegit. Jamque instructo Exercitu *Hungariam*, finitimam Provinciam, invadere parabat; quæ in magno Terrore erat, propter adventum Novi Ducis; quem cum ingentibus Copijs adventare audiebat. *Moravici Milites*, in partes transgressi, ad belli Munia alacres, *Ratisburgum*, & *Honarifcum* occupavêre. *Ordines Moraviæ*, ad preces lachrymasquè versi, neglectis *Bethlemi* Minis, & *Brandeburgici* precibus, in potestatem sese dedêre. *Cæsar* Apolectos Clementer alloquitur; & bonum animum habere jubet; Authores seditionis culpâ non absolvit; *Cardinalem Dighterstenium* inquirendis primis defectionis Authotibus dilegit. Metum *Hungariæ* possessa *Moravia* intulit; & *Fredericum* perculit. Sed *Bethlemm, at Budianus, Principes gentis, Jægendorfius, & Turnia Comes*, ingruenti per *Hungariam* bello, se suasquè Copias opposuêre. Amissâ *Moraviâ Fredericus excandui*; *& in Moravos invectus est graviter*; quod dubijs rebus, à se, ad Cæsarem defecissent; Scripsitquè multâ Indignatione, *se in Palatinatu suo manere potuisse, quem à Majoribus accepisset, nisi in gratiam levium, ac infidelium Sociorum bellum difficile suscepisset. Pro laboribus & Periculis suis egregiam gratiam relatam; inclinatam & propè jacentem fortunam Socials Perfidiâ relictam.* Item *Silesij*, gentili æmulatione, accensi, quod *Moraviâ* prævenisset, positâ omni ferociâ, Obsequium ergà *Imperatorem* induunt; & Primores Provinciæ, *Saxonis* florentissimi Principis opem implorant; Orantquè ut *Veniæ Deprecator esset*; nec abnuit: Precibusquè Ducis mitigatus est *Cæsar*: quia multum ad Cæteros *Germanos* incitandos exemplum Clementiæ pertinebat, secutæ deindè præcipuæ *Socialis fæderis Civitates, Nurimberga, Vlma, Argentina, suppliciter Defectionis Veniam orarunt.* Vormatia, propinquitate *Fæderatorum Procerum*, & damno rerum suarum attinebatur. Hoc idem aliæ Civitates, metu perculsæ, parabant facere. *Fredericum Regem, in Ditione Brandeburgicâ agentem*, Proditio *Silesiæ*, ac defectio Civitatum afflixêre. 1621.

Inter tot Adversa, quædam prospera acciderunt. *Mansfeildius* in Bohemiâ consuluit, Quid agendum esset? Nunc per se, nunc cum ijs, quos advocaverat in Consilium; *Pilsnam* Milite, ac Commeatu firmavit. Abducto in *Moraviam* Cæsaris Exercitu, moliri cæpit, ut discisceret *Bohemi*, Arma caperent, ac liberarent *Bohemiam* à Cæsaris Imperio: incredibiliquè virtute, & consensu Populi, *Frederici Nomine*, manum ex *Bohemorum* reliquijs, qui belli Cladibus superfuerant, concitavit; ac Belli partem *Francao Tabora Præfecto* delegavit. Qui effusis Populationibus finitimam partem Provinciæ hostiliter vastavit, incensis Vicis, & spoliatis Colonis; ut *Cæsaris Copias* à circumspectione rerum aliarum destineret. Vix quieta erat *Praga* à Seditionibus militum, & Incursionibus hostium. Interim *Mansfeildius*, incredibili curâ ac vigilantiâ, literis circâ Præfectos dimissis, priùs confecit Exercitum, quàm *Cæsar* hoc eum cogitare suspicaretur; & apertè *Bohemiam* oppugnavit; passim comprehensis, trucidatisquè qui ad *Cæsaris* Obsequium redierant. *Monasterium Toepelense* funditùs delevit. Deindè partem Equitum, ad occupandam *Slakenvaldiam*, præmisit. *Tochaviam, Falkenaviam, Elenbogiamq́*, expugnavit, ac Præsidijs munivit. Bona Civium diripuit. Eodem metu perpulit *Ægram urbem*, in Regni finibus conditam, ad Obsequium *Frederici* redire, & imperata facere. Deniquè confudit, miscuitquè omnia in *Bohemiâ*; impetum Armorum, & Incursus ejus, *Cæsareani* fugerunt. Per Occasionem, hostiliter in fines *Germaniæ* Incursionem fecit; partemquè Cæsareæ Ditionis, finitimam *Bohemiæ*, ad exitium ac vastitatem designavit. Unde *Populus Germanicus* magnam spem libertatis, in ejus virtute ac fælicitate, reponere cæpit. *Bohemi* unum virum, Ducemquè laudibus extulerunt; eo gratior Commilitonibus, quia discriminis, vel Victoriæ semper Socius aderat. *Cæsar*, eum nondùm haberet Copias, quas hujus Audaciæ opponeret, *ad Transitionem*, magnæ fortunæ Spe, Promissisquè sollicitavit; ac pecuniam obtulit, si sese, ac Vires suas sibi permitteret. Ille Sacramenti memor,

1621. *& Frederico Regi fidus*, Mercedem Proditionis aspernatus est. Meritò laudandus, quod difficillimo tempoee, se suasquè Copias non tradidit; sed opposuit *Cæsari*; *& Bethlemum* Epistolis in Ultionem *Frederici*, Religionisquè adhortatus est. *Fredericus Berlini* certior factus, *Mansfeldium* admirando reeum Successu, *in Bohemiâ*, Oppida alia Vi, atquè Armis occupasse; Alia voluntate atquè Benevolentiâ complexum; missis literis, fortitudinem ejus, fidem, ac Industeiam, variasquè Expeditiones laudibus cumulat; Urbium, Civitatumquè *Bohemiæ* superesse studia; *nec defuetura Sociorum, Regum, Amicorumq́; auxilia, è Bataviâ, Britanniâque ostendit; quibus adjutus rediret in Bohemiam, magno Inimicorum malo: Eiq́; pro maximis, plurimisq́; Meritis, debitum honorem redderet.* Postremò, incitat ut cæptum bellum continuaret; Militem in Audaciam accingeret; & *Ferdinandum* pertinacibus armis magis placabilem reddeeet.

Cæsari, Viennæ, Bohemiæ defectio tumultuosioribus literis nuntiatur. Is trepidus re subitâ, & anxius propioee *Pannoniæ* discrimine, *Bethlemo* minitante; scripsit ad *Tilium*, *Pragæ Præfectum*, ut Bellum ijs, qui descivissent, indiceret, atquè infeeret; nisi properè ad Obsequium eedirent. Tandem, literis *Cæsaris*, & frequentibus undiquè Nuntijs permotus, *Tormentorum Præfectum*, cum aliquot Cohortibus, & Alâ Equitum expediri jussit; ut *Rebelles* persequeretur; ac ingeuenti Bello occureeret. Mox ipse *Tilius*, *& Baltazar*, *Eques Hispanus*, secuti sunt, Necessitatem non dissimulantes. Præmissus *Tormentorum Præfectus*, *Slakenvaldiam* subitus irrupit, cum Copijs, quas ipse ductaverat. Sed tentaee Aleam Certaminis non est ausus; supeeante hostium Multitudine. Tantum Urbibus *Cæsareæ ditionis* Præsidia, & Commeatus imposuit; ab effusis Populationibus *Mansfeldianos* continuit; donec advenêre *Tilius*, *& Baltazar*.

Sub idem tempus, *Cæsarei Proceres, Augustæ Vindelicorum*; *fæderati Principes, Heilbronnæ, Conventum celebrarunt; ad avertendum Occasum Imperij, pernitiemq́; Germaniæ.* Ubi crebris Nuntijs, Colloquijsquè de Pace, ponendisquè per Condiriones Armis agitavêre. *Mansfeldius* in Germaniam profectus, rectâ *ad fæderatos Proceres* viâ flexit; qui tùm *Heilbronnæ* congregati erant. *Ostendit se Bohemorum Arma egisse; multa Oppida intercepea; occupaeam Slakenvaldiam; postulavitq́;, ut laboranti Bohemiæ opem universi ferrent.* Proceres, inclinatis jàm ad Pacem animis, negarunt se sua deserturos; Nam per eosdem dies, *literæ Cæsareorum Procerum, Heilbronnam allatæ*, Pacem, ac Concordiam suadentes. Nec *Moguntinus* VII *Vir* deerat, partim Aemis, partim Conditionibus, ad Pacem inclinare. Ubi *Mansfeldius comperit, labare fæderatorum Procerum fidem*, animum non despondit; sed expedito agmine incessit; suâ Constantiâ, ac vietute *Frederici* paetes fulsit; ac cum fide sustinuit.

Daniæ Rex, dimissis cieca literis, *ut convenirent Principes inferioris Germaniæ*, cum quibus de Statu rerum consultaret; ac in *Holsatiâ Segeubergum* sibi occurrerent. Eò *Rex Daniæ* venit, cum Regio Comitatu: *ubi Dynastas Inferioris Germaniæ, Brunsuicensem, Luuebergensem, Megalopolitanum, Holsatiæ, & Pomeraniæ Duces* operientes invenit. Eodem *Rex Fredericus*, cum Satellitibus aematis, *ab Hamburgo* venit. *Legati quoq́; à duobus Regibus, Iacobo Britanniæ, & Gustavo Suetiæ, venerunt; Item à Batavis, & Stadensibus, pollicentes Opem ac pecuniam*, cæteraquè omnia, quæ ad bellum gerendum pertinerent. Intee hos, *Britannicus* Peogeessus, nunriavit *Cæsarem abhorrere à finiendo tàm infructuoso, ac difficili Bello; nec Spem esse ullam, ex æquo Pacis patrandæ; Palatinatum iu summo discrimine versari, nisi properè justus Exercitus eò mittatur; & Iberi indè abigantur. Si Palatinatus sublatus foret, proximam Inferiorem Germaniam; deindè Holsaeiam. Quare Reges, & Dynastas, Regis sui nomine, ad Bellum incitavit.* Transactâ consultatione, *Daniæ ac Suetiæ Regum parata Societas, aliorumq́; Principum Inferioris Saxoniæ, ut Palatinatum ab Hispanis vindicarent.* Sed in hoc Consilio diversæ sententiæ eeant, *alij ilicò Bellum gerendum; Alij lieeras tantummodò ad Cæsarem, & Spinolam mittendas censebant.* In hanc sententiam Cæteri Principes, & Legati consenserunt. Intereà occulri dilectus cuea, *Christiano Halberstadiensi Episcopo, Brunsuicensis Reguli fratri*, imposita. Simul Germanica Juventus dedit impigrè nomina.

Conventu indè dimisso, *Daniæ Rex legatos de Pace Viennam ad Cæsarem; lieeras ad Spinolam, Crucenaci hibernantem*, mittit. à Cæsaee exposcens, *ut Palatinum in gratiam reciperet; Hæreditarias ei Regiones restitueret; Proscriptionis Decretum adversùs illum promulgatum aboleret; ac Clarissimum Monumentum Clementiæ suæ Orbi Terrarum daree. Quæ nisi publicè fiant, denunciat acerbissimum Bellum Civile instare; Martem communem esse, & ancipitem belli aleam.* Sed surdæ adversùs preces Cæsaris aures erant. Dimissi legati infectâ Pace. Exacerbavit animum *Regis* ferocia *Cæsaris*; scripsitquè ad *Marchionem Spinolam, Se Sociorum, atquè Amicorum Principum Querelis certiorem factum, quid in Palatinatu egissee; Quomodò multitudinem Iberorum traduxisset; Vrbes, Arces, Castella, per Vim occupasset; Provinciam hostiliter spoliasset, evastassetq́;; ac complura miseræ Germaniæ loca incendissee, diripuissetq́;: gravioraquè finitimis Principibus, quàm Palatinatui minatus fuisset: nuntiavitquè, ut Germaniâ extemplò decederet; Præsidia Iberorum, antè Diem certam, Vrbibus deduceret; omnia Palatinatus Oppida redderet, quæ quondam Ditionis Frederici fuissent; nec diutius consultaret. Cæterùm, si obstinatius Belli causam quæreret, adversùs fæderatos Principes; denuntiavit, forti animo defensurum se, Socios, atq́; Amicos.* Indè facilè apparuit, non dilaturum Regem Bellum, ad ferendam opem *Frederico Nepoti*.

Cæsar curam Pacis, & amoeem Reip: simulans, XII *Apolectos Pragam mittit, ad comprehendendos Perduelles*, qui Populum concitassent. Quorum nomina tradeee non est operæpretium. Erant certè omnes homines Claei. Hi sub Occasum Solis Uebem ingeessi, custodias circà Portas desposuerunt, ne quis

ne quis Reus Urbe egrederetur. Primâ luce, *Authores Defectionis* requiri cæpti; & quidam per Indices delati, sine ullo tumultu comprehensi, ac vincti sunt; donec objecta atrociter Crimina diluerent. Primò quidem *Præsentes Rei deducti in forum, ad causam dicendam, damnati omnes; & traditi ad Supplicium.* Deindè *Absentes*, Perduellionis sunt condemnati. Multi viri insignes, *in foro veteris urbis*, Sanguine luerunt, quod admiserunt, & miserabili exitu perierunt. Citati cæteri Extorres Regno, *voce Præconis*, nominatim, qui Absentes Pœnæ Capitalis reos pronuntiavit. In Urbe per aliquot dies eâ Clade sævitum, quâcunquè de causâ. Multitudo Proscriptorum, & tot Illustrium Cædes, Spectantes afflixerunt, ut ne gemitus quidem exaudiretur, ob Atrocitatem tristis supplicij. *Bona interfectorum in fiscum Imperatoris redacta; Damnatorum liberi Urbe pulsi, tuctiq; inopiâ, & fame. Absentium, & Mortuorum direpta fortuna; adesquè Predâ ac Manubijs adornata. Privilegia, Immunitates, ac Iura antiqua Bohemorum abolita: ipsi in miserabilem Conscientia Servitutem adacti.* Minore Sævitiâ in *Moravos & Silesios* usus est; eorumquè Defectionem unâ aut alterâ Cæde Illustri expiavit. Ad hæc Crudelissimis Edictis detonuit. *Fredericus Rex, Marchio Iagendorfius, Princeps Anhaltinus, & Comes Hohenlous, Principes Amicorum, Divina & humana Majestatis læsa damnantur; quod Sacramenti, ac fidei immemores, in Cæsarem conjurarint; in Austriam, ac Hungariam Excursiones fecerint; perniciosis Bethlemi Consilijs participarint; ac Bohemiam ad seditionem concitarint.* 1621.

Jam *Moraviâ, Silesiâ*, Civium, Sociorumquè Civitatibus disciscentibus; ægrequè *Palatinatu* retento; *Fredericus* sævientis fortunæ procellis conflictatus, *cum Reginâ Conjuge*, ac Satellitum manu, digressus Germaniâ, *in Vestfaliam pervenit*; præmissisquè ad *Aurasionensem* literis, ut aliquot Turmas Equitum mitteret, *qua Bataviam petentem tutarentur*. Missi ilicò Equites *Sexcenti*. Triduo, ipse per Populum, per Urbes, *Sylvam Comitis* profectus est. Advenientem *Princeps Aurasionensis*, legati exterarum gentium, Primores Ordinum, Tribuni, Præfectiquè, & *Britannicus* miles, benigne exceperunt. *Multitudo, ad conspectum Regis, Conjugisq; ingemuit.* Commovit inspectantes Viri dignitas, Conjugis Majestas; quæ, amissâ sede fortunæ suâ, partem laboris & periculi capesseret. *Tum in hospitium Henrici Nassovij Comitis deducti.* Ubi, potiente Regno Patre, per multos Annos habiti, cultiquè summâ *Batavorum* Indulgentiâ; at Patris curâ, & Impensâ.

Iacobus, cum nihil æqui frequentibus legationibus impetrare se jam diu cerneret, aliam ingressus est differendi viam; *Scripsitq; ad Cæsarem, Incolumitatem ejus, Pacem Bohemiæ, Salutem, Securitatemquè Germaniæ diu sibi Cordi fuisse; optasse, ut Gener, vel iniquis Conditionibus, cum Cæsare convenire posset; ultròq; Pacem ab eo peteret; eum Successu inflatum, majore mole bellum parare. Cecidisse in nihilum labores, & Consilia sua, si Genero non de Urbibus Bohemiæ, sed de ipsius Palatinatus Possessione Certamen indiceret; & tanquam Inimicum, ac hostem Publicum insectari pergeret. Vehementer petere, si aliquis esset respectus sui, ut Socij, atq; Amici Regis; ne Generum tantâ dignum Injuriâ judicaret; Orarequè, ut luctuosissimum Bellum, cujus exitium omnes Christiani Principes timerent, Pietate ac Prudentiâ potius extingueret; quàm Vi atquè Armis Imperium Germanicum in ultimum discrimen adduceret. Postremò, si Pacem obtinere non potuerit; decrevisse se, contrà Injustam Vim, Iusta arma opponere.* Hæc Postulata Jacobi Regis. Sociorum Regum preces non deerant; præcipuequè Archiducum. *Cæsar* memor quantâ *Britannus* Moderatione usus sit in illo tetro, misetoquè *Bello Bohemiæ*, ad ejus dolorem leniendum, *duorum Mensium Inducias in Palatinatu concessit*; quo Spatio universalem Pacem meditarentur. Additum *Induciarum Pactis, ut Mansfeldius, & Socij Frederici interim abstinerent bello; Ferdinando, Amicis, Subditis, Exercitibus Securitatem præstarent.* Cæteri *Fæderati Germaniæ Proceres*, diuturni belli tædio fatigati, & *Moguntini Septemviri* precibus expugnati, *sæpè cum Spinolâ, Moguntiæ congressi*, de Conditionibus componendæ Pacis egêre. *Mauritius Hassiæ Comes*, hosti vicinus, & suo discrimine anxius, gratiam apud *Spinolam* paravit. Reliqui æmulatione, ne ab alijs anteirentur, *in Æde Moguntini Præsulis*, pepigêre; spondentis, rata apud *Ferdinandum* fore Pacta Concordiæ. Ibi mutua Convivia, per aliquot dies, concelebrarunt; confluente partim ad gratulationem, partim ad spectaculum Urbanâ Multitudine. *Spinola*, Principibus honorificè dimissis, *& tradito Consalvo Cordubensi Legato Exercitu, indè profectus Bruxellas, ad suos rediijt.*

Dum hæc in *Germaniâ* geruntur, *Dies Induciarum Duodecim Annorum in Belgio exivit.* Antequàm iterùm hostilia cæptarent, *Archidux Albertus Prætorem Brabantiæ, Petrum Pecium, ad Batavos misit*, cum Mandatis de Pace, ac Concordiâ. Is Brabantiâ digressus, cum Comitibus *in Hollandiam* pervenit. Ad primum adventum exasperati Plebis animi, in Itinere *Roterodami, & Delphi, Probra in transeuntem procacius jacta*; licentiâ Vulgi, ut fit, ex diutino Otio collectâ. Postquàm reprehenderent Magistratus, atquè improbarent Convitia hominum; erupit deindè Seditio atrox, *quâ à turbâ concitata, & Servitijs, luto ac lapidibus obrutus esset Internuntius invisæ Pacis*, nisi Primores Civium, qui præerant, properè accurrissent; percunctantes Quæ causa Iræ, subitæquè Seditionis esset? ac pro dignitate Imperij, quod gererent, furêntem Plebem onerassent Catenis, Carcere, Verberibusquè coercuissent. Ægrè summotâ Turbâ, *ductus Sylvam Comitis*, ubi honorificè exceptus est. Postero die Senatus fuit. Factâ dicendi Copiâ, *Legatus à Beneficijs Alberti in Belgium orsus*, disseruit, *Pacem Belgis, Batavisquè ex æquo utilem. Bellum XXXX Annis, majore damno, quàm Emolumento gestum. In eo tumultu Civibus pecunias imperatas, ad Stipendium militum: direptas pulcherrimas urbes; ut sæpè ad ultimum discrimen fortunarum, ipsi Batavi venerint; & Populum Belgicum adduxerint: Itaquè hortatur Ordines, ut deliberarent*

1621. de Statu rerum suarum; ingruenti Bello salutari remedio occurrerent; in Unum Corpus, sub uno Capite coalescerent; florentissimamq; fortunam ex miserrimâ haberent. Tali Oratione ingentem iram Ordinum excitavit. Itaquè alij feroces, sinè Responso dimittendum pronuntiarunt. Majoribus natu leniter agi placuit; Senatusquè placido sermone respondit, libertatem Batavorum suâ virtute defensam, ac justis Armis Provincias retentas; Legatum Libertati insidiari; ac palàm Batavos à libertate in servitutem retrahere, si Superiorem ullum, præter Deum, agnoscerent; aut uni Capiti Principatum subjcerent, à quo perpetuo Divortio recessissent, ob Superbiam, Sævitiamq; Dominationis. Multò iniquioribus animis à Militari consilio, Bello assueto, auditus est. Peccim ignarus, se disceptare cum libero Populo, iterùm oravit, ut sibi conveniendi Senatum potestas fieret. Copia ei facta non est. Indè à Batavis in Brabantiam redijt. Archidux, post reditum ejus, Spe Pacis dejectus, summâ vi paravit Bellum; Arma, Milites, Equos comparavit, cæteraquè quæ Belli usui forent. Batavi quoquè de ratione Belli gerendi consultare cæperunt. Sed Authoritate Legatorum Britannicorum, & Francicorum, Pacificantium, per aliquot dies, ab omni violentiâ Belli cessatum.

Dum hæc geruntur, Comitia Londinum, propter Germanici maximè Belli curam, indicta. Ea sola, quæ ad Remp: pertinerent, acri deliberatione agitarunt; & Censuram severius, quàm anteà exercuerunt. Passim Delationes; Multis Munia publica adempta; inter quos, Ioanni Bennetto, Equestris Ordinis, Cantuariensis Præsulis Officiali, Prærogativa Curia, Comitiali Auctoritate abjudicata; quia Avaritiæ, largitionumquè sordibus infamatus, & convictus est; Quod, eo Judice, nulla Testamenta secura; nullus bonorum status certus foret. Postremò, locupletissimus habitus, ad eas rei familiaris angustias decidit, ut obligatam Creditoribus fidem liberare vix posset. Neque eò minùs Contumelijs obnoxius vixit; semper Adversariorum aliquo pertinacius deferente Avaritiam, & Corruptelas. Baconus quoq; Procurationem Principis, & Præturam adeptus, Avaritiam ac sordes exercuit (ut suprà memoravi) undè non alium vehementius ad Pœnam flagitavêre. Is convictus pecuniam ob res judicatas cepisse, Præturâ motus; ademptum Sigillum; Aulâ prohibitus; & in Carcerem, ad arbitrium Principis conjectus est. Audito Comitiorum Decreto, subsecutus est Populi plausus, concurrentes è totâ Urbe in Templa, & fora. Quarè publico Odio concitato, nihil Contumeliarum defuit. Vulgus Imagunculam ejus Marmoream, apud Effigiem Patris sui, in Æde divi Pauli positam, abscisso femore laceravit. Adscripta Columnis Convitia. Hoc Exemplum Iudicum Ordini metum injecit, & Assessoribus Prætorum; ne perperàm judicarent, aut iniquè referrent. Ordines in coercendis Sordibus perseverarunt. Ne Onera Servitij Populus ultrà perferret, Delatores exagitarunt, quasi Grassatores, & Latrones. Auxerat hoc malum Aulicorum Avaritia; qui Sui profusi, Alieni avidi fuerant. Nihil Seculo dignius, quàm quod contigit intueri Delatorum Solitudinem, demissosq; Vultus; Quos non in præsens tantum, sed in æternum repressêre pœnarum Acerbitate. Dein paucis diebus interjectis, Rex in Cœtum Procerum venit, ut studia Civium eliceret; querens suam Dignitatem, suam Majestatem Monopolijs, & Exactionibus Delatorum violari; Ignorantiamquè facti excusavit; Ultionis Cupidinem ostendens, si rescivisset priùs; ne Plebejo Ordini, aut Proceribus, in vindictæ gloriâ cederet. Instítit ultrò, & admonuit universos, ut capesserent communis Imperij curas; publicis Utilitatibus invigilarent; Civium Desiderijs satisfacerent; Plebis Commodis prospicerent; Reosquè latrocinij, Prædæ, ac Rapacitatis; aut similia quandoquè ausuros, legibus coercerent. Postremò obtulit ultrò, quod non postulabatur, ut Diversoriorum, Popinarum, & Aurearum fimbriarum Exactiones Illicita, Comitiorum Authoritate damnata, Edicto suo abolerentur. Momparsonus, exterris Regno, in perpetuum relegaretur. Ordines hâc Principis Benignitate contenti, quâ Civium, quâ Plebis commodis abundè satisfactum, celebrarunt in Vulgus ejus laudem, & Amorem Reip: Rex Monopolia, & Gravamina Triginta Tria numero, Edicto abolevit: quò Plebi persuaderet, eam rem diu sibi curæ fuisse, Momparsonum in perpetuum relegavit. Frumentum transvehere prohibuit, urgente domi Annona Caritate; Plebem Proceresquè Regni ex æquo curæ habuit. Ordines Regni multa salubriter constituerunt, ut pio justoquè dolori Civium mederentur; totius generis Britannici Securitati consulerent; nihilquè in Hibernia statu convulsum paterentur.

Projectores, publico exitio reperto, acerbius pœnis castigat.

Cokus, libertate, quam Princeps indulserat, constanter usus est; adhortans alios, ut vel Capitis periculo, priscam Comitialem Auctoritatem retinerent. Eduardum Villarium, incubantem publicis thesauris, criminosè exagitavit; ac in summam Invidiam adduxit: Quod alienas pecunias eripuerit; multos Penatibus suis exturbarit; & Delatores assiduè aluerit, foverit, sustentarit; & Plebem Concussionibus perculerit. Is Bucingamij fratris Potentiâ, periculo exemptus est.

Henricus Telvertonus, Cognitor Regius, ut Antiquæ Coronæ Possessiones servarentur; (quem in Comitijs audacter locutum sæpè memoravi) injuriâ graviore Bucingamij provocatus, acerbissimas in eum Contumelias effudit; & Spenserijs, odiosis hominibus, in usurpandâ Regiâ potestate, æquavit; cui plùs Mali imprecari, quàm creare poterat. Huic Simultas cum Bucingamio intercedebat; Quod ille Urbanis, Rusticisquè Prædijs, Saltibus, & Sylvis, cum multitudine ferarum, ædibusquè magnificis, locupletatus; Principis Patrimonio non abstineret, continuis Donationibus attrito: nullâ in re Reip: perniciosior, quàm profusione, sinè absumendi modo. Rex Contumaciæ iratus, in Curiam Comitialem venit; Questusquè est Majestatem læsam; sequè Telvertoni Maledictis, & Convitijs apertè infamatum. Rogavit Quid sibi vellent ejus vulnerantia illa verba, (se Conscientiæ causâ, & Amore Reip: oppressum) ut Principem Invidia objiceret; gratiamq; ex Odio ejus pararet? Nec rejicuit Sævitiam, ac Malignitatem; obliquè

obliquè ac contumeliosè perstrictum Bucingamium, *amplissimi Ordinis virum, Amantissimum Patriæ.* *Proceres in Ultionem sui adhortatus est; postulavitquè pœnam pro Magnitudine delicti statui, Carnificem, & Laqueum.* Nec ultrà Mora. Transactâ raptim Consultatione, censuerunt Proceres, acerrimè increpitum *Telvertonum in Turrim abducendum.* Ubi in arctâ Custodiâ egit duram, ac anxiam vitam. Sed ne temerè, contrà exempla Juditiorum, hominem Innocentem vexisse crederentur, de Reo deliberatum, *an Regis Censura, pro Contumaciâ, ac gravissimâ Contumeliâ, permitteretur? vel Comitiali Auctoritate, Pœna promptim decerneretur? ut Condemnatus Ordinum Decreto, Clementiâ egregij Principis, Morti eximeretur?* More Solenni Suffragia conquisita. Censuit *Arundelius*, (qui nuperrimè Comitis Martialis dignitatem, Bucingamij gratiâ adeptus erat) *ut de manifestè Reo perrogaretur sententia; ac Pœna* constitueretur. *Spenserius Baro* ait, *Inauditum, indefensumquè condemnari non oportere, Exitium ad Telvertonum, Iustitiæ exemplum ad omnes pertinere.* Addiditque, *permirum sibi videri, Nobilissimum Comitem eam Sententiam ferre; præsertim Majoribus ejus, præcipites Procerum sententiâ, damnatis, & Supplicio afflictis; Bonis eorum publicatis.* In quo Certamine, *Arundelius Humilitatem Spenserio, Ovium curam, exprobrans,* dixit, *Majoribus suis Nobilissimis ab Opilione indignè fieri.* Interfatus est *Suffolcius*, se eâdem familiâ ortum, Stipiti proximiorem; *opitulari suis Necessarijs paratum; sed Baronis sententiâ, Majoribus nullam Contumeliam inflictam sibi videri.* Hæ duæ *Havartorum* familiæ, inter se de Potentiâ contendebant, Consanguinitatis, Originisquè immemores. *Spenserius* questus est, *Arundelium, hominem Clarissimum, nullâ Offensione provocatum, immerenti gravissimam Injuriam, non sinè verborum acerbitate, intulisse; & Proceres ad exigendam vindictam incitavit.* Novi Proceres, unâ voce indignantes, libere reprehenderunt *Temeritatem Arundelij*; & censuêre, ut in Turrim mitteretur. Assensêre plures. *Bucingamius*, cum paucis Priscæ Nobilitatis Baronibus, Severitatem decernentium cohibere non potuit. *Arundelius* Sententiam quietâ fronte tulit; eâquè Moderatione magni animi documentum præbuit. His atquè talibus peractis, *plures Sententiam Spenserij Suffragijs probaverant, ut causâ cognitâ statuerent Proceres.* Sed perficere Decretum, inconsulto Rege, noluerunt; qui non modò non prohibuit, *sed licentiam dedit statuendi, ut vellent, è fide, ac Dignitate Principis.* Productus è Custodiâ, ad causam dicendam, in Comitijs *Telvertonus*; ubi Proceres multa ac gravia Crimina objecerunt; *quasi Molitori Exactionum, & Novorum Vectigalium.* Ille magno animo se defendit, *nec Authorem, nec Suffragatorem Rapinarum fuisse: sed è contrà, Reip: dignitatem & Salutem, suis omnibus commodis prætulisse. Personam Patroni, & Cognitoris Regij integrè sustinuisse.* Rerum gestarum rationem palàm reddidit; *editis Mandatis, Epistolis, Testimonijs Delatorum Momparsoni, Emmersoni, & Villarij, Mandatarij.* Proceres benignè, & attentè audiverunt. Interrogatus deindè ab ijs, *Quid facinoris in Patriam, aut adversùs Majestatem Regiam Bucingamius commiserit?* in veritate Crimen, Vim, aut Minas pertimescens, Accusatione abstinuit; ne Petulans, aut planè Insanus crederetur. Dixitquè, se Mente prævidere, si Reum Capitalis Criminis peragerет, etiam evidenter Nocentem gratiâ ereptum fore; proindè cedendum Loco, & Tempori, cum Reip: nihil prodesset. *Reus* verborum libertate, ac Ostentatione Innocentiæ, *Regem* magis irritavit; quem Pietate ac Observantiâ placare debuerat. Defensione peractâ, *Proceres* nec Sententiâ suâ oneraruntі, nequè sublevarunt; sed rursùs in Carcerem abdiderunt. *Rex* Moderationem decernentium laudavit. *Reus* Carceris claustris domitus, fractusque, Exprobranti, quàm Pœnitenti propior, Odium Invidiamquè in *Bucingamium*, Regi gratissimum, concitavit. Ad ejus Invidiam leniendam, paulò post, *in Camera Stellata Inditum productus Reus*; accusatusquè in Cætu ac Consilio Procerum, & Judicum, *malè gesta Procurationis, Quod Mandati fines transgressus, multa Privilegia Civitati Londinensi, Præter Consuetudinem concessisset.* Ille Proceres, Judicesque, priusquàm inciperet, reverentissimè allocutus; Sequè cum Moderatione ac Juditio defendit, *Invitum in Donationes, quas injustè impetratas putaret, consensisse; atquè Crimen in Mandatarios depulit*; quibus aut parendum, aut Procurationis Officium amittendum. Disseruitque, *in Patroni Regij Munere* ita se gessisse, ut optimo cuiquè sua Consilia probaret; *Adversariorum* æmulationem, *Potentiorum* Minas non pertimesceret; non *Aurum*, non *Argentum*, non *Aliena* concupisceret; nec *Clientes* captaret; in omnibus rebus, quid tempora Reip: postularent fieri, observaret; pavidus, & metuens, ne ob delictum submoveretur. Multi, desiderio audiendi virum honestum & desertum, aderant. Res ad Suffragia revocata est. *Proceres & Iudices*, dictis sententijs, censuêre, *adimendam Reo Advocationem Regiam; mulctandumq; Sex Mille libris. Coventrius*, Procuratione proximus, locum ejus inijt, meliore fortunâ, minore Vulgi gratiâ. Ille æquiore Animo recessit à Curiâ, quàm accessit; Magnitudinemquè animi nunquàm flexit. 1621.

Inter quæ, multi *Plebei Ordinis Procuratores*, Palatino prioris fortunæ restitutionem Pacificatione spoponderunt. *Silesiâ Moraviâquè* amissâ, pro ejus dignitate, ac Tutelâ, Opes, Vitam, Sanguinem profundere professi sunt. Alij *ad libertatem Religionis tuendam* paratiores, de dissimulatæ Pacis periculis prolixè disseruerunt: nec solùm ipsius *Palatini* honorem; sed *Instaurata Ecclesia* salutem in discrimine esse ostenderunt: pro Salute ac dignitate ejus, cum multis audacibus & improbis dimicarunt: *Loydum*, per Indicem delatum, *Quod Fredericum, Conjugemquè Maledicè, Contumeliosequè insectatus esset,* damnarunt, *ut aversus in equo circumduceretur; & Caput Furcæ insereretur.* Quò similia ausuros, Severitatis exemplo, cohiberent. *Rex* intercessit *Inferioris Consessus* Decreto: rescripsitquè, *non solitum Plebejum Ordinem Capitales pœnas infligere. Furca Ignominiam Capitalium pœnarum appellatione meritò contineri.* Graviore pœnâ, præter Consuetudinem, affici prohibuit; ne puniendo malum excederent.

Nihilominùs

1621. Nihilominùs Supplicium decernitur, & pæna liberioris linguæ constituta, ad cohibendam improborum Malitiam. *Damnatus, mediâ urbe circumductus, Stigmate notatus est.* Transeuntem Plebs ferociter increpuit; Saxa & lapides minitans; Baculos ac Manus in os intentans. Exin *Villiamus* quidam, incertæ Conditionis, *Fredericum Maledictis & Convitijs lacessivit.* Qui ob linguæ Temeritatem, Servili Supplicio pænas dedit, *& laminâ Candentis ferri in fronte insignitus est.* Exitio horum alij ad præcavendum exterriti. Per idem tempus, expostulatus ad pænam *Eudymion Porterus*, Libertus Principis, ob consimilem verborum Petulantiam. Qui *Bucingamij gratiâ, & Affinitate innixus*, periculo exemptus. Mox auctus pecuniâ & potentiâ, prosperâ fortunâ usus est. *Maledicta & Probra, indigna mihi historiâ videri solent*, quæ ad eum finem memoravi, ut sciant Posteri, graviter offendere animos hominum eos, & planè insanos esse, *qui afflictis Principibus maledicunt.*

Tum in *Comitijs Plebejus Ordo*, levandæ Plebis desiderio, accensus, varia agitavit. Omissa spontè Majorum Vectigalia, magno reip: malo revocata; *Nova Tributa* inventa esse; singulis rebus, quæcunq; venirent, *magna & gravia Portoria imposita*; Maritimam ideò Negotiationem aversam; rapacissimum quemquè *ad Publicanorum Officium* provectum; nequè solùm *de Portorijs, sed etiam de Injurijs Portitorum*, clarâ voce conquesti sunt; & ferventer loqui cæperunt, quâ ratione Publicis Incommodis, levandæ *Plebis* causâ, mederi possent? Nemo *Sandesio & Seldono* in dicendo liberior. Qui omnia consilia ad libertatem Civium tuendam retulerunt. *Ministri Regij*, laudatâ ejus eximiâ Pietate, Prudentiâ, ac Bonitate, disseruerunt, Legationibus mittendis, & Militibus alendis immanes sumptus factos, quibus *Patrimonium Regium*, & Opes publicæ non sufficerent. Scire Regem, Multa, Sæculi vitio, ac temporum licentiâ, irrepsisse, quæ *Plebem* premant, & Reinp: distrahant; ac proindè emendare decrevisse; cum Pacem Armis constituerit; sequè præsentibus difficultatibus liberarit. Igitur vehementer petierunt, *ut Plebejus Ordo*, qui se plurimùm Principi suo debere sciat, *Regi, Regno, publicæ Necessitati, Pecunia Collatione subveniret; Palatinum & Conjugem miseraretur.* Primores Civium, & plerique Equestris Ordinis, in hanc sententiam pedibus ivêre; plures curam *Plebis* præseferentes, Nequè Periculi metus, Nequè honoris Aura potuit sententiâ dimovere. His atquè talibus recitatis, exacerbatus Rex, sinè Indignatione audire relationem non potuit: fremuitquè, pertinere non ad Regni dignitatem tantùm, sed ad singulorum Salutem, *ut Hostium Conatus reprimeretur; antiqua Generi Possessiones serventur; Oppida amissa recuperentur*; Paucos turbidè, ac seditiosè, tàm præclaris Conatibus adversari. Magna ilicò fama surrexit *de Comitiorum missione*; existimabatur paucorum dierum Spatio finiturus; nec daturus in posterum Conveniendi potestatem; nisi meliore Temperamento verba facerent. *Ita Æstivo tempore Conventus dimissus est, ad Principium Februarij.* Quæ res hostibus Regni auxit animos; Regiquè haud mediocrem attulit dolorem; quem supprimere conatus est, adhibitis in Consilium notæ fidei, ac Prudentiæ, hominibus.

Intereà *Arundelius, & Baconus* Carcere liberati, ob libertatem à Rege acceptam gratiam habuerunt. Ea magis irritarunt *Plebem*. Mox, Regio mandato, *Southamptonius Comes Clarissimus*, suspectus Regi, captus, *& Decano Occidentalis Monasterij in Custodiam* traditus. *Eduinus Sandesius*, usu, ingenio, ac gravitate Morum insignis; *Ioannes Seldonus*, studio Juris, & Antiquitatis Peritiâ clarus, comprehensi, & *Præfectis Iuridicis* Civitatis dati; ne quod ijs inter se Colloquium, Communicatiovè Consilij esset. Miserante Plebe eorum Casum, *Seditiosè egisse arguuntur; in Comitijs Turbis causam præbuisse; Plebei Ordinis animos corrupisse; ut Regiam Auctoritatem sperneret; eam culpam toti Ordini probrosam, Auctoribus exitiosam esse debere.* Hæc variè homines affecerant. Multi Proceres opinione tacitâ indignabantur, *Regem* alienâ voluntate impulsum, *optimum Senatorem seposuisse; Minas & Carcerem integerrimis Viris Plebei Ordinis adhibuisse, ad reprimendam Suffragiorum libertatem.* Vulgus interpretabatur hæc, Sinistra *Indicia periculosissimæ Mutationis*. Sapientiores, ad Conjecturam rerum futurarum, temerè prædixerunt, *fore aliquandò, ut à Subditis destitueretur, ac hostium Sævitiæ exponeretur. Southamptonij uxor* in Aulam pergit; & quia aditus Regis prohibebatur, supplex egressus in publicum observat. Quæ infesto vultu excipitur, *monente Bucingamio, Cavendum esse Maritum.* Illa tulit acerbius, Veniam Conjugi Insonti denegari; voce flebili, & Muliebri gemitu *Senatus Cognitionem postulavit, aut Iudicium Procerum, si leges violaverit.* Rex immobilem se precibus ostendit; suggerentibus Inimicis, *Comitem in omnibus suis actionibus Auram quandam Popularem quæsivisse; & Auctorem turbarum in Comitijs extitisse*: ut Naturâ suâ mitis, & indulgens Princeps accenderetur. Frementibus multis, Comitem Patriæ Amantissimum, reversum nuper è Belgio; & Viros bonos, ac Pacis studiosos, tanquàm Quietis publicæ Turbatores, in Carcerem trudi.

Oxoniensis quoquè Comes, Majorum & Meritorum fiduciâ fretus, se ad nullam Curæ publicæ partem recipi, ægrè tulit. *Bucingamium*, Casu obvium, minùs officiosè salutavit; in Congressibus, Colloquijsquè, liberius Dominationem ejus insectatus est. Nec reticuit honorem adeptum, nec debitum Majoribus, nec speratum unquàm sibi. Ad has excipiendas voces, *Speculatores missi*, dicta factaquè exquirentes; quæ per *Indices* delatæ, Materiam præbuerunt criminandi Juvenis nobilissimi. Anxius eâ re *Bucingamius*, velut pro retinendâ Dominatione contendit: omni ope *adversùs Comitem accendit Regem*; atquè Exitium destinavit. Qui mox captus, & Privati Consilij Auctoritate, (ut Juditij aliqua species fieret) in Turrem, sub arcta Custodiâ conjectus est. Cæteri *Proceres*, cum indies magis cernerent, gratiam, Potentiamquè *Bucingamij* crescere; & opes Affinitate aliquâ, aut Propin-

quitate

1621.

quitate conjunctorum, ei se adjungunt. Erant enim plerique *Beneficijs* ejus obligati, vel *Titulis* aucti; vel *Vrbanis*, *Rusticisq́ Prædijs* locupletati. Appellati Proceres hâc tempestate, qui nunquàm *à Reginâ Elizabethâ* Equestrem Dignitatem postulassent. Intereà *Rex* omnia secùm volutans, cum non tutum putaret, *Proceres potentes Carcere coercere*; Nobilium precibus exoratus, liberos dimisit. Nec diu cunctatus, *Sandesio, & Seldono reconciliatus est*. Benignè igitur appellati, & Spes gratiæ proposita, *si Obsequio asuescerent; rursusquè, coactis tribus Ordinibus, Sacerdotio, Nobilitate, Plebe, Subsidium Rei Nummariæ promoverent*. Ad id operam suam pollicentur. Cæterùm, suspicantes *Regis* dolorem potiùs dilatum, quàm positum, magnam sibi Injuriam factam existimant, *quod in Custodiâ, pro Libertate Suffragiorum, habiti fuerint*. Ea tamen horum Calamitas alios retardavit à solitâ, in dicendâ sententiâ, libertate.

Ex Præfecturâ quoquè Classis accrevit *Bucingamio* Invidia, exuto *Carolo Havarto, Nottingamiæ Comite*, jam Sene; qui tùm id Munus obtinebat. Ejus locum inijt, Pensione Annuâ ex Ærario constitutâ. *Comiti, Conjugiq́*, Senatus, Proceres, Populiquè gratulationibùs prosecuti sunt. Multa Carmina *Anglicè, Latinèquè* in laudem ejus meditata, quæ Vulgò innotuerunt, ac velut *Epinicia* cantata; sicut illa.

Bucingamus, jo! Maris est Præfectus; & Idem
qui dominatur *Equis*, jam dominatur *Aquis*.
Inter Cæli colas, tumidas qui temperat *undas*
Neptunus; celeres & moderatur *Equos*.
An jam displiceat Cuiquam geminata potestas?
Exemplum *Superis* cum placuisse videt?

Sub idem tempus, *sex Clericorum domus igne fortuitò conflagravit: Diplomataq́ in eâ, ac Decreta Curiæ Cancellariæ Incendio absumpta*, gravi Populi damno. Quod Rex Edicto solatus est; curavitquè, ut Sex Mensium intercapedine, Exemplaria gratuitò, Posteà Pecuniâ describerentur. Atquè hæc Benignitas *Reip:* utilis fuit; *Regi* gloriosa. Domus magnificentius est restituta, quàm fuit: ut Incendium illud contigisse videatur, quò Ornatior atquè Magnificentior exstrueretur.

Hoc Anno, *Mensis Aprilis* insueto frigore, usquè ad Injuriam Sterilitatis, exaruit: & Terra sæpè *Grandine* incanduit. Undè *Annona quoq́ Caritas* secuta est; & ex *Annona Caritate*, penè fames. Exin *Rex* in Oratione admonuit, *Plebem nec Pacis Commoda; Nec Alimentorum Copiam, constanter ferre posse*.

Inter quæ *Digbius Baro, in Germaniam ad Cæsarem missus, in Britanniam redijt*: retulitquè qui status rerum in *Germaniâ* esset; & accuratum Sermonem habuit cum Rege, *de Spe Pacificationis; & ad Bellum, ac Seditionem omnia spectare*. Virum fortem, & peritum advenientem Rex comiter excepit: *Bina Millia Annua ex Ærario* constituit, ob Præmium navatæ operæ. Ac *Germanici Belli* curam, non nisi Consilio ejus, administravit; ac Præfecti Classis, longè potentissimi.

Ijsdem diebus, *Philippus Tertius Hispaniarum Rex periculoso morbo correptus, decessit*. Qui magnificè non à Subditis modò, sed etiam ab Exteris cultus est. Morte nuntiatâ, *Iacobus* pullo amictu, atratâ circùm familiâ, Triclinio digreditur. Senatus, non secùs atquè in domestico luctu merens, Speciem dolentium præseferebat; *Plebs* sinè mærore publico *occultè lætabatur*. Mors ejus propè *nobis* luctuosior, quàm *Iberis* fuit. Magnifico, suprà fidem, funere extulit *Philippus filius*. *Qui Rex Hispaniarum à Popularibus salutatus, Coronatusq́*, eâdem quâ Pater, Avusquè dignatione, ac Pompâ; de quâ pauca dicere, infrà rei Dignitatem esset.

Inter hæc maximè apparuit *Odium publicum in gentem Bæticam*. Sordida Plebs, & *Muli Mariani* eò furoris, Insolentiæquè processerant, *ut Gundimarium, in Vico obvium, levibus & frivolis dictis incesserent; Carpentum luto inquinarent*. *Iacobus* socij Regis Injuriam tulit gravius, quàm suam. Auctoritas & Majestas *Philippi*, licentiâ Audaciâquè læsa, gravissimam præbuit Offensam. *in Bæticum Oratorem Contumeliosos*, arreptos, & in Carcerem datos, *Virgis cædi jussit, flagellisq́ lacerari*; in metum aliorum. Ergò sustulerunt animos *Servitia Vrbana*. Ille Contumaciam, ferociamquè gravissimâ Voce increpuit; Ultionemquè Magistratibus demandavit; & optavit, ut incitatam Plebem Severitate, & Prudentiâ mitigarent; ac Civitatis amplissimæ dignitati subvenirent. Qui *Disciplinam Servitiorum lapsam* extinctamquè refoverunt.

Coercitâ Audaciâ, Dedignationequè parendi, Militaribus studijs non animos modò Juventutis, sed & Corpora exercuerunt. Nam *Delectus per Britanniam habiti, Supplendis Batavorum legionibus*; donec Victoriâ, aut fœdere, Nova hæc *Belgij* tempestas quiesceret. *Francus quoquè Provincias Vnitas Milite & Annuâ pecuniâ solatus est; Reges Daniæ & Suetiæ, ad Auxilium prompti, de Societate & fœdere egerunt*. Undè extemplò apparuit cunctis, haud segniter Bellum in *Belgio* gerendum; *Batavis* pro Libertate, Armis, Pactisquè fœderis quæsitâ; *Belgis* pro hæreditatiâ *Philippi* Ditione certantibus.

Nec non *Regnum Franciæ* tumultuosius agebat. *Francus* nihil habuit antiquius, *quàm Pontificiam Religionem stabilire; Instauratam opprimere, ac funditùs delere*. *Britannus* tumultuosioribus *Protestantium* literis interpellatus, in re gravi diu considerat; & quosdam è Primoribus evocat. Harum sententia erat, *Francum Excidium Religionis, inexorabili Severitate, agitare. Se esse tàm infirmos, ut sinè externis*

1621. *Auxilijs, Religionis causam tueri non possent. Magnoperè igitur orare Iacobum, ut Religionis Assertorem, Vindicemq; se praberet; ac quàm primùm impendentibus malis eorundem Sacrorum Cultores eriperet.* Rex intereà nihil aliud, quàm Tranquillitatem Christiani Orbis spectans, initio statim Tumultus, *monuit Francum, Socium atquè Amicum, ut tàm pracipiti Consilio abstineret; Neu ex Ruinis Patria, Spolijsq; Civium gloriam quareret. Ita rem Numini acceptissimam, Sibi gloriosam; publicè utilem; Deprecanti gratissimam facturum. Francus*, credens Expeditionem necessariam, *Literis Regis* inhiberi non potuit, quin in Cæpto perseveraret. Dimissisque circà Procerum fidissimis, ad Copias contrahendas; laudatâquè Moderatione *Britannici Regis*, rescripsit, *Sibi Pietatem ejus placere; sed provocatum licentiâ, Audaciâquè Protestantium, pracipuèque Rupellanorum; ad perniciem eorum se coactum; ut Rebellantes ad legitimum Obsequium revocaret; Auctoritatem suam, ac Tranquillitatem publicam, tot Edictis stabilitam, conservaret:* Retulitquè, Multa ab ijs in Remp: *seditiosè*, atrocia, per Provincias, perpetrata; *spreta Mandata sua à Rupellanis*. Jam inde cogitavit, paravitquè quæ bello usui forent; *Pontificios* in Ultionem sui, Religionisquè Avitæ adhortans. Luinæ Ducem Magistrum Equitum creavit.

Tumultus Benarni, Superiore Anno cæptus, repressusquè, gravius nunc erupit, *Duce Marchione Forcio*, qui tùm eam Provinciam obtinebat; *Protestantium* partibus addictus. *Occisi Magistratus Pontificij*, dum Probra in Se, & Seditionem Vulgi coercent. Actum de eâ Seditione in Senatu. *Remedium coercendi Benarni Tumultum Espernonio Duci mandatum*; exutusquè est Imperio *Marchio*, qui statim in *Aquitaniam* digressus est, ad movendas *Protestantium* Offensiones. *Britannus* tumultuosioribus *Rupellanorum* literis commotus, obtestantium, ut Religioni in discrimine subveniret, aleret, confirmaretquè Auctoritate suâ, Rem in Senatu tractavit. Instantibus plerisquè, quorum Consilio Resp: administrabatur, *ut propalàm Patrocinium Religionis susciperet*, se in flammam illorum temporum non conjecit. Etenim non putavit Sapientiæ suæ esse, concitatam Multitudinem, per Speciem tuendæ Religionis, Auctoritate suâ armare. *In Galliam Hajum misit*, ut in his Asperitatibus rerum, & fluctibus, hinc Regem, indè Populum furentem, Moderatione retineret; *ac Protestantium Commodis consuleret.*

Hâc rerum Externarum Cognitione interpositâ, Publica negotia tractavit, & Consilium inijt eligendi creandiquè *Quastoris*; *& in Montacuti locum suffectus est Leonellus Cranfeildius*; ad sananda Vulnera, quæ essent imposita Ærario. *Pecuniâ Montacutus, per Bucingamium, Quastor creatus*, Silentium egit, & obsecutus est Tempestati. Undè mox, Beneficio ejus, *Prases Senatus* declaratus, Opibus ac honoribus auctus est. *Cranfeildius* callidus & versutus, Moribus dominantis obsequendo, in gratiam ejus irrepsit; ex Paupere Dives; ex Institore, Aulicus factus; diligenter obeundis levioribus negotijs, perfecit, ut ad intima Consilia adhiberetur; *Gazaphylacio, & mox Ærario praficeretur.* Prædium *Cranfeildij* nomine, ad Memoriam, Posteritatemquè prodendam, adeptus est; Iste solâ Improbitate, & Audaciâ notus, Rapacitate ac Prædandi licentiâ perinfamis, præcipuum in Aulâ locum tenuit. Nec potuit publicis Opibus profunda ejus gula expleri; qui Naturâ, & priore vitâ suâ, Quæstui, Compendioquè deditus erat. *Bucingamium* Affinitate primùm sibi conjunxit; deindè graviora Regni Negotia, non nisi Consilio, Arbitrioquè ejus, administravit; postremò, ob Superbiam, ferociamque, & Sinistros de se Sermones, Comitiali Auctoritate submovit. Ita qui impotenti animo Exitium alijs intentavit, tandem Sibi reperit; ingenti Plebis lætitiâ, Novi hominis perniciosam Potentiam oppressam exultantis.

Haud piget referre, quibus initijs *Ioannes Villiamus*, Occidentalis Monasterij Decanus, provectus; dein repressus sit. *Hunc, à Sacerdotio, Bucingamius ad Sigilli Custodiam, Spe Affinitatis, provexit.* Alij tradunt, Matrem deprecantem, à filio haud difficulter Munus impetrasse. Evidens fuit, *Bucingamij* gratiâ, *Lincolniensem Prasulem* brevi electum; *& Custodem Sigilli* creatum, Incrementis ejus, quem venerari debuerat, palàm iniquum; & Conaribus, Amore Reip:, sæpè adversatum; prosperâ Populi famâ, sed magno suo discrimine. Nam nulli posteà infensior *Bucingamius*, exacerbatus Contemptu sui, Quod Affinitatem sperneret, & Novam spem ambiret, metu Potentiæ *cedere Pratura* coegit; mox *Senatu movit*, & omni honore Civili privavit. *Ricardum Vestonum*, Equitem, qui Germanicâ Legatione primùm innotuerat, in Societatem Potentiæ adscivit; statimquè *Proquastorem* ordinavit; vaticinante Plebe, tàm crebris mutationibus *aliquandò Quastorem fore*. Quod eventu posteà patuit: Cui, velut Oraculo, ad Vitæ finem acquievit. Nobiles Viros Successores *Hibernia Regnum* regentibus destinavit; sed locupletissimum quemquè, Affinitatis Pacto, aut Mercenario quæstu. Nec *Nobilibus* honores; *Prasulibus* Ecclesiæ Munia; *Reis* Abolitiones vendere veritus est. Causidicorum ditissimum quemquè, in Judicum Ordinem transtulit; quò locupletiores ad eorum Officia proveheret. Omnes, Affinitate, aut sanguine sibi conjunctos, gratuitâ liberalitate solitus est promovere; Alios Nundinatione Aulicâ. Ac Inopiâ Ærarij, multa publicè exitiosa animo agitavit; rebus omnibus tàm Sacris, quàm Profanis, quasi ad Venditionem propositis. Multitudo nullis Edictis cohiberi potuit, quin Iram & Odium, inconsultâ Dicacitate expromeret. *Procacia Carmina, ab incertis Authoribus scripta, & vulgata*, in Superbiam, Avaritiam, Crudelitatem, Libidinemquè ejus; Matrem, totamquè Progeniem infamaverant. Auctores requisivit; sed non invenit. *Histriones, & Popiniones*, qui per Tabernas lascivè decantarunt, Temeritatis pænas luerunt.

Inter hæc, exorta est *Offensio inter Georgium Abbotum, Prasulem Cantuariensem*, virum Doctrinâ, ac

Virtute

Virtute præstantem; *& Ioannem Lincolniensem Præsulem designatum*, Aulicâ tunc gratiâ florentem. 1621. *Hic noluit ab Archiepiscopo consecrari*, donec Lis dijudicaretur, *An perpetrato Homicidio Casuali, posset Archiepiscopi Insignia usurpare; aut ullam Ecclesiastici Muneris partem attingeret* Quippè *Abbotus*, in saltu Ictum in Dorcadem dirigens, *Venatorem casu occidit*. Quæ res variè homines affecit; ac Invidiæ Offensionem excitavit; præcipuè eorum, qui *Honores Ecclesiasticos* pretio redemerant; sibiquè *Regem & Aulicos* Obsequio conciliaverant. Hi omnes in Regiam collecti, *varijs Criminationibus Archiepiscopum adoriuntur*; objicientes *Pietatis laudem sibi soli adsciscere*; *Alios Proceres Ecclesiæ, & Primores Patrum Invidiâ onerare*; *ac probrosam Nundinationem Aulicam exprobrare*; *detractare vim Præfecti Classis, & Equos regentis*; *venditata ab eo Munera Ecclesiæ, ac Reip: calumniari*. *Violatum Venatione Numen*; *Homicidium, contrà Religionem factum, expiandum*. Quæ ubi *Regi* innotuêre, Cognitionem causæ demandavit *Iuris Canonici peritis*; vetuitquè ullam publici Muneris partem attentare; prohibitusquè est Aulâ, ac publicâ salutatione, donec statueretur. Nihil perturbatio animi, aut Iracundia, de Dignitate, vel Gravitate detraxit. *In Cantuariensem Civitatem* secessit; Criminantium haud ignarus, quos ne Voce vulneravit. Reliqui *Præsules*, quibus vitæ Sanctimonia, aut aliqua honesti cura, solati sunt; Affirmantes, Regem in tam justâ causâ non iniquum fore: Adversarij, ut Popularium Benevolentia ergâ *Præsulem* languesceret, *detestati sunt qualemcunq; Necem*; *velut Ecclesiastici Ordinis* labem, ac *Maculam*. Mox homines idonei delecti, qui de Causâ cognoscerent. Erat enim status Causæ, *An Cædes casu facta, Cantuariensem Præsulem, totius Angliæ Primatem, Irregularem redderet*; *& inhabilem ad Beneficia Ecclesiastica, aut consueta Episcoporum Muniar* Re gravi diu consideratâ, Sententiâ Apolectorum *declaratur non incapax Dignitatis, aut Beneficij Ecclesiastici*; *Diplomate Regis Veniali interposito*. Ad ea quæ sui Muneris erant publicè & privatim convertit animum; ingenti Populi gratulatione; minore multò posteà favore & gratiâ apud Regem; *Bucingamio* ei non modò infenso, sed etiam metuente, ne in Ordinem redigeretur, *ob Sacerdotiorum Commercium*. Sed *Archiepiscopus* Potentiæ impar, Quietem prætulit; ne Offensionis causam præberet ei, quem *Rex* in tanto honoris gradu collocaverat. Nemo unquàm tenuissimâ Suspicione, vel sinistro Sermone perstrinxit, quem non perverterit.

Nec multò post, *Equitis Veri literæ* supervenerunt; petentis, *ut Rex Milite & Pecuniâ, Palatinatui, inter Inducias, periclitanti subveniret*; Copias augeret; cum omnia hostiliter circumstreperent. Id Senatui aperit; mittendum Supplementum, mittendam pecuniam, in Stipendium Militum decernit. Mandat, siquid hostile ingruat, Arma opponeret; repeteretquè Urbes vi ablatas. *Digbium Legatum in Germaniam iterùm mittit*, ad Exercitus visendos, & comperta referenda; *qui fidi Reguli*; *Qui ambiguæ fidei*; *Qui aperti hostes*; ut his semel cognitis, certum in futurum Consilium caperet. *Proceribus fœderatis*, ut se auxilijs juvarent, scribit. Is non diu cunctatus, in *Germaniam* profectus est. Ubi omnia ardere Bello sensit: *Mansfeldium* in finibus *Bohemiæ*, ut in limine belli hærere, cum validâ manu; *Fredericiquè Legatum se testari, ad tuendum Palatinatum, si quid hostile Cæsarei tentarent*. Haud procul *Viennâ* aberat, cum audiret *Bavarum in Superiorem Palatinatum Expeditionem parare*, contractis undiquè Copijs. Ad hunc supplendum Exercitum, *Proceres Ecclesiæ certavêre*: *decretumquè Bavaro Æs Militare, in XX Millium armatorum stipendium*. Quorum laudato studio, *Pontifex* propriâ quoquè pecuniâ fovit; Cunctos *Benedictione suâ* prælio firmavit. Inter quæ, *Legatus Viennam ingressus*, cupiens Pacem continuare, exceptus est magnificè, Cæsaris nomine; nuntiatumquè est, *latum gratumquè adventum ejus Imperatori esse*. Petivit, ut in Colloquium veniendi potestatem faceret. Factâ congrediendi copiâ, graviter questus est, *Bavarum Legati Cæsarei Auctoritatem, & privata Mandata accepisse*; *Palatinatum Superiorem Vi & Armis petijsse*; *cum nullam causam Belli haberet, Pactas Inducias interrupisse*; *spretâ Moguntinensi Transactione, & Regum Pacificantium Auctoritate, totius Germaniæ Pacem, Concordiamquè Vi & Armis turbasse*. *Postulavitquè, ut si aliquem respectum Amicitiæ Britannicæ haberet, Nuntios ad Bavarum mitteret, qui denuntiarent, non placere Palatinatui bellum fieri*. *Fredericum, Pacto Obsequij, in fidem acciperet*; *concessione Aviti Patrimonij, Quietem Germaniæ redimeret*; *& videret, in quod discrimen Imperium adduceret, si quid hostile in Palatinatu ingruat, obsistente Mansfeldio, & justa Arma opposituro*; *bellum grave, atquè incommodum Germaniæ incipi*. Responsum à Cæsare Querelis, Postulatisquè Legati, *Mansfeldium, Desertorem, & Prædonem, hostiliter egisse*; *Societatem cum Bethlemo, in perniciem Ecclesiæ junxisse*; *Bohemos ad Defectionem sollicitasse*; *Proceres Imperij ad discordias traxisse*; *Subditis atrox bellum intulisse*; *suam & VII Virorum Auctoritatem sprevisse*. Addiditquè, *Præsulibus Moguntino, & Spirensi, Injurias fieri captas, à Vero, Anglorum Præfecto*; *Agros ferro ignique vastatos*; *Pecora abacta*; *incensa passim Tecta*. *Suâ Contumeliâ, Populiquè damnis provocatum, Bavariæ Duci mandata dedisse, ut Mansfeldium, Germaniam urentem, armis persequeretur*; *& Injuriam à Subditis depelleret*; *cum aut facere, aut pati necesse esset*. *Sequè aliter facere non potuisse, nisi & sui, & suorum oblivisci vellet*. Simul laudibus *Bavarum* cumulavit; Quod Industriâ, vigilantiâquè ejus tanta vis hostium reprimeretur. Re diu disceptatâ, utrinquè infensi discessêre: *datumquè nihil Precibus Legati conquerentis, aut honori Britannici Regis, cui gratissimum esse debuerat, ob plurima Officia*. Sed ita Animum, Vultum, Verba composuit Cæsar, ut Pacem negligere non videretur. Hinc apparuit haud dubiè, Bellum gerendum. Quâ Desperatione subactus *Digbius*, *Regi per literas aperit, Palatinatum armis peti*. Missisquè ad *Mansfeldium* epistolis, hortatur, *ut curam Exercitus teneret*; *augeret vires, Regulos Frederici memores, aut Cæsari infensos, invitaret, ut se Auxilijs juvarent*. Accelerata interim ejus Cœpta, affluentibus undiquè Militibus, ingentes

1621. brevi Copias contraxit. *Octodecim armatorium Millia fuerunt; & in Palatinatum superiorem transgressus, cum Herbipolensi Episcopo, & præmissis Bavaris, variâ fortunâ, conflixit*: infestisque Itineribus, Commeatus complures, qui in Castra comportabantur, & Vehicula pleraquè Tormentario Pulvere, & Plumbo onusta, intercepit. Mediâ nocte profectus, in Castris improvisò aggressus est *Bavaros*. Primæ Stationes, fortuitâ Sclopeti displosione, excitatæ; terrore ac tumultu suo cæteros exciverunt. Irrito hoc Incæpto, ratus Incendio opportuna Castra esse, quod in Sylvâ locarentur, faces, Tædamquè, & Picem parare jussit, ut ardentibus facibus injectis, vasisque Piceis Sylvam accenderent. Verum tantus subitò effusus est Imber, ut nec accendi facilè pateretur, accensamquè extingueret. Contentus fortuito Successu, Copias in Castra reduxit. Nec multò post, ubi conferendi manum cum hoste data est opportunitas, Prælium conseruit; in quo multi hostium cæsi. Inter quos *Baurius Tribunus*, Tormenti ictu cecidit; aliquot capti; Cæteri in fugam versi. Ipse *Bavari* adventum, elatus hoc successu, expectavit.

Cum hæc in *Palatinatu* gererentur, Cæsar dat negotium *Tilio, Bavari Legato*, ut Bohemiæ Urbibus, quæ descivissent, quovis modo potiretur. Duo Agmina properè parantur; quibus ipse *Tilius*, & *Baltazar Eques Hispanus*, virtutis expertæ, præerant. *Saxonum Auxiliares Copiæ* proprium Ducem habebant. *Tilius* validissimas *Bohemiæ* urbes, *Mansfeildij* Præsidijs infessas, *Pilsnam*, *Elembogiamquè* Deditione recepit. *Leningerus*, *qui Pilsnæ præsidio præerat*, *à Mansfeildio Perfidiam suspectante*, *Securi* percussus est. *Baltazar Varlingam*, *& Clingebergam* in ditionem Cæsaris redegit. *Saxones Falconaviam* vi & terrore subegerunt. *Ægram* imperata facere coegerunt. Duæ reliquæ Supererant *Bohemiæ* urbes, *Tabora*, *& Vittengavia*; quæ Belli fortunam experiri, quàm dedere se maluerunt. *Tilius*, & *Baltazar*, assumptis ad eas quas habebant Copias *Saxonum Auxilij*, oppugnare *Taboram* cæperunt. Et opera Milites impigrè perfecerunt. Præsidiarij *per Mensem integrum*, Obsidionem sustinuerunt. Mox fessi corporibus, & animis; ac Inopiâ Annonæ coacti, sese dediderunt. Deindè *Vintengavia*, metu perculsa, idem fecit. *Tilius* Præsidio Urbibus imposito, circà *Castella* misit, percunctatum, utrùm se dedere Cæsari, an Obsidionem pati mallent? Metus prævaluit; Castella omnia dedita, exemplo Urbium dedentium se: *aliaquè Bohemiæ* recepta.

Tilius, compositis rebus *Bohemiæ*, in *Palatinatum Superiorem* duxit, accersente *Bavaro*; & magnum apparatum Tormentorum, Machinarumquè eò transvexit. *Bavarus* quoquè, Copijs ejus ad suas additis, executus est Mandatum Cæsaris, *in Superiore Palatinatu*. Duo opulenta Monasteria, *Vaterbacense*, *& Reicbacense*, in potestatem redegit. *Chamium* inde, Nobilem Urbem, oppugnavit; quæ intrà paucos dies recepta per Deditionem, metum cæteris injecit; seu dignitate Oppidi, seu Opportunitate loci. Itaquè extemplò *Neoburgum*, *Valdmunchium*, *Bleistenium*, *Cammatbum*, *Prestatum*, *Grafenverdam*, aliaquè Oppida ignobilia occupavit. Castella, & Munitiones idoneis locis imponens. *Palatinatus à tribus simul Exercitibus miserè vastatur*. Nam *Mansfeildij* tumultuarius Miles, egestate stipendij, Frumentiquè coactus, perindè ac hostes, afflixerat; *Exercitus Bavari*, & Numero major, & Militum virtute non inferior, Modestius agebat. Propriam manum, *Consalvus Cordubensis, Spinolæ Legatus*, habebat; qui infesta Incolis cuncta fecerat: cum Urbes alias obsideret; Alias denuntiatione armorum, & Minis deterreret. Itaquè Incolæ, cogente metu, *Bavari ducis* Imperio, Consilioquè, *Palatinatum Superiorem* tuendum permiserunt.

Mansfeildius in summo periculo fuit, ac metu; ne intercluderetur à Commeatu; & transitu in *Inferiorem Palatinatum* prohiberetur; nisi callidè *Bavari* animum vanâ Spe, Arma sinè noxâ ponendi, occæcasset. Actæ sunt Conditiones, *ut Pecuniam aliquam præsentem numeraret*; *pecuniâquè acceptâ, ipse cum Exercitu Cæsari militaret*. Frustratio ejus eò spectavit, jam omnia Itinera obsidentibus *Bavaris*, ut fallaci Colloquio tempus tereret, *donec in Palatinatum Inferiorem elabi posset*. Fraus successit. Parte pecuniæ acceptâ, fidem fecit transactæ Pactionis; & Munimentis cessit *Bavaris*, quæ tutari non poterat; sequè futurum in potestate Imperatoris spospondit, si Obsides daret. Interim cum integris Copijs, & Decem Tormentis, *clàm ad tuendum Inferiorem Palatinatum Castra movit*. Liberatus discrimine, *Bavaricis Legatis* Castra sequentibus, & instantibus ut dederet se; Respondit, *displicuisse sibi cum Bavaro pactam Societatem*; *& tractatas Conditiones*; *nec sinè jacturâ Fidei*, *ac Dignitatis transigi posse*. Quod ubi audivêre, indignantes se fallaci Colloquio deceptos, redeunt. Hoc responsum cum pertulissent ad *Bavariæ ducem*, de fraude, & Perfidiâ questus, *Tilium Legatum, cum decem Millibus armatorum, ad persequendum eum misit*. Venienti *Mansfeildio* Præfecti Tribuniquè gratulantes occurrunt, quod prosperè Provinciam intrasset. Nam eodem tempore *Consalvus Cordubensis Francenthalium summâ vi oppugnavit*; ratus haud magno certamine capi posse. Huic Urbi *Ioannes Berrovesius*, Eques Anglicanus, præerat, cum Tribus suæ gentis Cohortibus, & delectis *Germanorum* Auxilijs: qui Eruptiones in Opera crebrò faciebat; nec multum aberat, quin Tormentis hostium potiretur. haud segniter Obsessi, vim ejus arcere parant; faces, glandes, & Missilem ignem adversùs hostes expediunt; temerè Muros subeuntes telis obruunt. Utrinquè Pudor, & gloria militum; hinc *Britannicarum* Cohortium robur, indè *Bæticæ disciplinæ* decus extollentium; sæpiusquè Contumeliosis verbis, quàm laudibus certantium. *Cordubensis*, cum Obsessos ad Belli Munia paucos, fessos vulneribus, aut vigilijs crederet, *institit per Tubicinem, ut dederent se; salutem, Religionis libertatem, & præmia pollicitus*. *Borrevesius Perfidiam hostium incusavit; Quod Inducijs datis, Induciarum tempore ad urbem oppugnandam venissent*, pronuntiavitq;

ferociter,

ferociter, *se in Præsidio credita sibi Vrbis à Vero præfecto moriturum: nec quenquam Militũ Deditionem spectare.* 1621.
Circumsessis, obstinatis muri, affulsit Spes: nam *Mansfeildius, & Verus* moti periculo fortissimorum Militum, ad ferendum auxilium adversùs vim atquè Injuriam *Iberorum* se compararunt. *Cordubensis* deindè appropinquare hostes certior factus, eò redactus est, ut Obsidionem omitteret; & in eas urbes quas per vim ademisset *Frederico*, cum pudore rediret. Postero die, Obsessi vacua Castra invenerunt. *Mansfeildius* ubi pulsum *Cordubensem*, *Steinum* petere accepit, pugnandi ardore insecutus est; non ultrà differendum ratus, quin aleam belli tentaret, si occasio daretur. Sed quia Colle arduo tegebatur, & Castra duplici fossâ, Valloquè munita erant; & nemo hostium extrà Munimenta procedebat; noluit pugnare cum Iniquitate locorum. Duo erant præcipui hujus Expeditionis comites, *Verus, Manhemij & Anglorum Præfectus*, *& Mervim Tribunus, qui Præsidio Heidelbergensi præerat*; in suas urbes revertêre.

Ipse *Mansfeildius*, ut Militem prædandi licentiâ imbueret, Expeditionem subitam *in Spirensem Episcopatum* suscepit. Trifariàm Exercitum divisit, ad populandos Agros; & plures in manus dispersit; præposuitquè Centuriones notæ fortitudinis. Ibi milites omni rapinarum genere grassati sunt; direptis Bonis, vastatis Agris, Vicisquè, cum magno terrore, & pavure Populi. *Episcopus*, missis Epistolis, oravit *Bavariæ ducem, Cæsaris legatum*, ut Præsidium adversùs Populatores mitteret, ac bellum minitaretur; ne majus aliquid mox auderent. His lectis, hortatur *Tilium*, ut ad tuendum *Spirensem Episcopatum* proficiscatur; palantes passim per Agros *Mansfeldianos* opprimat. Qui *Ladenburgio* celeriter occupatu, & tumultuario opere *Ponte per Nicrum facto, Propugnaculum Nicrobusij excitavit*; *Mosbacum, Eberbacum*, *Steinacum*, *Shonaviam, & alia Palatinatus loca occupavit*: ut minùs libera Populatio esset; spoliavitquè opulentissimam *Episcopi Provinciam*, nihilo seciùs, quàm hostes aperti. Incolæ varijs & extraordinarijs Direptionibus vexati, diras Execrationes adversùs vim atquè Injurias utriusquè audacter effuderunt. Ex Campestribus Vicis, Agrisquè frequentes demigrarunt, res suas agentes, ferentesquè, Conjugibus, liberisquè *Spiram*, & in proximas Civitates ablegatis. Vastatis *Spirensium* primùm; deindè *Moguntinorum* Agris, Prædijsquè, *Argentinensem Episcopatum*, *& Alsatiam* hostiliter petivit. Ubi *Haganoam* sinè ullâ militum jacturâ intercepit; impetu magis, quàm Consilio, Cogitationes curasquè in oppugnationem *Alsaticæ urbis* convertit. Oppidani per Nuntios tentati, ut se dederent, Spatium ad deliberandum sumpserunt; unâ tantum Spe *Leopoldi* auxilij freti. Ad quem *Vallis Telina bello occupatum*, Apolectos miserunt. Eodem fortè tempore *Duo Millia Peditum à Leopoldo* venerunt; ut Urbi Præsidio essent. Indè Obsidionem pati, quàm dedere se maluerunt; & ad futurum Impetum se fortiter præpararunt. *Mansfeldius* insolito frigore Obsidionem omittere coactus est; ambiguus Consilij, *nùm omißâ Alsatiâ*, *Palatinatum armis repeteret*. Obsidione frustrà tentatâ, *Vlteriorem Alsatiam* crudeliter ferro, Igniquè de populatus est. Nequè alibi major parta est Præda. Coloni sinè duce relicti, compulsi Vi, aut terrore, Alij in Civitates proximas; Alij in finitimam *Lotharingiam* dilapsi sunt, relictis Villis, Pecoribus, Jumentisquè. Cæsar, auditis quæ in *Alsatiâ* gererentur, accensus Contumaciâ, ferociâque *Mansfeildij*, in se, & *domum Austriacam*; iterùm Diræ *Proscriptionis Edicto* perstrinxit. Qui infensior deinde Cæsareæ Ditionis Pupularibus esse cæpit: & *Alsatiam* sanguinis flumine inundavit. Aliquot ejus Milites vagantes, *Leopoldinorum* concursu interfecti sunt. Interim, cum *Mansfeildius*, Peditum Exercitu, & frequenti agmine Equitum *Palatinatum* peteret, *à Tilio Bavari legato* prævenitur; monente, ne Provinciam tot Cladibus perculsam, bello ultrà inquietaret. Cæterùm, *Tilius* huc Arrogantiæ processerat, *ut Heidelbergam sibi dedi postularet*: conjunctisquè cum *Cordubense* Copijs, Multitudo incondita plurium gentium diu Concors non mansit. Primò Æmulatio, deindè aperta discordia, *Secessionem inter Bavaros & Hispanos fecit*, *& Copias separavit*.

Non aliàs magis *Germanicum Imperium* laboravit. Nam *Mansfeildius*, quocunquè inclinaret, *Cæsarianis* infesta cuncta fecerat, sæpè à tergo, aut à latere. & *Christianus Brunsuicensis, frater Halberstadiensis Episcopus*, contractis in *Bataviâ* Auxilijs, in Palatinatum validam manum duxit, ut *Frederici Regis* Salutem, Patrimoniũnquè defenderet; Provincijsquè Præsidio esset, adversùs acerbitatem, atquè Injurias *Iberorum*, *& Bavarorum*. Per *Hassiæ* fines, in *Moguntinensem Episcopatum* penetravit; & non longè ab *Amaneburgo* Castra metatus, crebris Excursionibus, & Direptionibus, infestam Provinciam reddidit; & *Amaneburgum*, perculsis inopinato adventu Oppidanis, recepit. Indè ad *Neostadium* profectus, in Deditionem redegit; & Agros *Moguntinij Electoris* effusè vastavit. Refecto ibi Milite, in *Hassiam* transgressus, *à Mauritio Langravio Transitum sibi*, *atquè Exercitui suo in Palatinatum postulavit*; aut Bellum funestum minitatus est, si ex adverso Castra obijceret, ne *Palatinatui* Opem ferre posset. *Mauritius* Minis non territus, fidus Cæsari mansit; propriam Manum contraxit, ne Subditorum Agri impunè vastarentur. Obsessis vijs, aditum in Palatinatum eò suis Præsidijs interclusit; *& Legatos ad Cæsarem misit*, qui nuntiarent, *Brunsuicensem Regulum in Germaniam transisse*; *& in Hassiæ fines impetum fecisse*; *Agminis sui terrore metum Moguntino injecisse*. Quæ res *Brunsuicensem* infestiorem fecit; & ad oppugnandam *Hassiam* acrius accendit.

Cæsar cum audiret vagari *Brunsuicensis Milites*, effusos per *Hassiam*; vastatosquè *Moguntinorum* Agros, Cædibus & Incendijs, *Comitem Anholdiensem*, cum Copijs adversùs eum misit. *Is adscitis ad eas quas habebat Copias Iberorum, Bavarorum, Moguntinorum Auxilijs, ad Manum fluvium processit*; *Hassiam*,

1621. *cum exercitu* petens. Hæc relata *Brunsuicensi* cum essent, ipse in *Vallem Baseccensem* progressus, instructâ Acie operiri hostium adventum statuit: quorum Multitudinem non extimuit. Venientes Equestri procellâ repentè adortus, magnum tumultum fecit. Sed cum numero & viribus impar esset, periculosum esse sensit, cum tantâ Militari turbâ cominùs prælium conserere. Itaquè milites referre ad *Ameneburgum* signa jussit; Ipse cum Equitatu, Pedites Vexilla atquè Ordines servantes insecutus, ad Urbem pervenit. Advocato Consilio, cum ex adverso *Lantgravij Hassia* Castra obijcerentur, ne *Palatinatui* opem ferret; ac indies propior ab hoste admoveretur Terror, *Neostadio* Oppido incenso, dirutis multis Castellis, Vicisquè, profectus indè toto Exercitu, *Vestphaliam petens*, magnum tumultum in eâ Provinciâ excitavit. *Lippia* primùm in Dedirionem concessit. *Sasatum* indè oppugnate coactus; quod ingentibus utrinquè animis & Oppugnatum & defensum; mox Metu victum, in Deditionem venit. *Totum Paterburnensem Episcopatam*, primo adventu, occupavit. *Anholdinus*, Auctoritate Cæsareâ interpositâ, non solùm arcuit Prædatione *Moguntinorum*; sed & in *Vestphaliâ* Se Suasquè Copias ejus furori opposuit.

Palatinatus, hoc tempore, non modò *Bavarico & Batico Exercitu* attritus, sed etiam omni Immanitate Barbariæ oppressus, gemitu, Planctuque declaravit, quantum haberet Odium externæ Servitutis, & Desiderium *Frederici Electoris*. *Brunsuicensis*, quamvis sæpius depulsus, tamen reparatis *per Belgium & Germaniam* Auxilijs, infatigabilem laborem sustinuit, ut *Palatinatum* periculo imminenti liberatum videret. Verùm eximia ista ejus Indoles, priusquàm futuris Actis prodesse potuisset, extincta est; ut suo loco memorabo.

In hoc tanto Motu, trepidationequè Germaniæ, in *Pannoniâ Bucojus*, Comitem *Colaltum* cum aliquâ parte Copiarum, *ad tuendam Inferiorem Pannoniam adversùs Budianum* Populatorem, mittit. Ipse cum cætero Exercitu *Posonium* petens, primo adventu recepit. Deindè *Presburgum* omnibus Copijs adortus, Urbem, Pacto Salutis & Impunitatis, in Ditionem Cæsaris redegit. *Arx ita munita*, ut loci fiducia Præsidiarios *Hungaros* ferociores faceret. Itaquè per Octiduum acri utrinquè concursu oppugnata, & defensa est. Præsidiarij labore, Vigilijsquè fessi, abscedere indè cum armis coacti sunt; dimissiquè cum Fide. Hoc idem *Ternavia, Altenberga, ac alia Hungaria urbes*, perculsæ, fecerunt; in antiquam formulam Juris, Ditionisquè Cæsareæ redeuntes.

Hæ Urbes captæ, alij Obsidioni, magis insigni, *in Superiore Pannoniâ* Occasionem dederunt. *Bucojus*, ignarus discriminis sui, cum toto Exercitu, *Neohouselium* pervenit, quod *Hungari* suis Militibus tuebantur. Ubi omnia instructa, parataquè ad Obsidionem arcendam invenit; duplici Vallo & fossâ Castra circumdedit; & admotis Machinis, ingenti terrore Urbem aggressus est. *Turso Comes, Prefectus*, Milites ad defendendam impigrè hortatur, ingerens identidem, *Pradam & Sanguinem ex se, crematâ & dirutâ Urbe, non Victoriam peti. Moriendum Victis in pugnâ, ubi Mars communis; Moriendum Deditis, omnia fœda atquè indigna patienda.* Mittit ad *Pannonica Auxilia* Nuntios, ut Obsidentes à tergo aggrederentur, vi aut fraude circumvenirent. *Cæsarti* rapuerunt pecuniam, missam in Stipendium Oppidi; & Commeatum, interceperunt. Ægrè id passus *Bethlemus*, *decem Millia Hungarorum, cum Tarnia Comite*, & alijs Ducibus, misit, ut *Neohouselium* solverent Obsidione; & Agros circà vastarent. Ibi indies Populatio & Cædes. Nunquàm ab Excursionibus Equitum cessatum est. *Bucojus*, tumultu Equitum excitatus, antè Vallum trepidationem suorum, magnumquè Agmen *Hungarorum*, à Castris in Prælium minaciter ruere vidit, atquè rem esse in summo discrimine; Partem periculi capessendam ratus, ne Clades, Ignominiavè acciperetur. Ac statim *immissâ Germanorum Alâ, Hungaros turbavit*; jussit, plures opportunè ad id positos Equites, pugnando fessis subvenire. Qui antè discrimen feroces, in periculo pavidi, displosis Machinis, nihil jam Ordinum memores, terga verterunt. Cæteri pavorem, Consternationemquè cernentes, vincente Verecundiam timore, passim in fugam effusi sunt. *Bucojus* interim, singulari animi Magnitudine, fugientes Manu, Voce retinuit; obstitit cedentibus; nullum Magni Ducis, aut Strenui Militis Officium prætermisit. Cohortatione Ducis, & pudore, pauci restitēre. Ideoquè in extremo discrimine, ac dimicatione Fortunæ desertus, totum hostium Agmen, acerrimè pugnans, sustinuit. Sed cum Victores undiquè inveherent, *tandem suffosso equo, Tredecim adversis Vulneribus confossus, cecidit Domitor ille Bohemia, & Austria*; Cujus fortitudinem, & excelsam animi Indolem, admirati sunt hostes; & Milites defleverunt. *Marchio Gonsaga* superveniens, in pugnam ruit, ut ducem tanto discrimine eriperet; Victoriam feroci hosti extorquere non potuit; *laniatum Corpus impetu eripuit*; asportavitquè secùm. Fama adversæ pugnæ *Hungaris* aucti, *Cæsarianis* deminuti animi erant. Ita Urbem oppugnatam vehementissimè, *Bethlemus*, Assiduitate, & Consilio, summis Obsidionis periculis liberavit. *Cæsar* Exequias Funeris Pompâ, laudatione, & Mæsto Militum agmine, *in Æde Franciscanorum, Vienna* celebravit. Mortuum summis laudibus, in Senatu, in Oratione, omni rerum, verborumquè honore, ad Cælum extulit; mærentibus publicè cunctis.

Dies Exequijs Clarissimi Comitis funestus, *Nuntio quoq; Mortis Alberti Archiducis, Optimi Principis*, adversus fuit. Cujus Moderatione, & Sapientiâ, non solùm ipsius Dignitas, sed & *Belgij Salus* continebatur, propter multa egregia Merita. *Isabella*, Nobilissima Conjunx, præclari funeris Exequias, magnâ Religione Cæremoniâquè *Bruxelles* duxit, in Æde Sacrarum maximâ: & *Mausoleum piè posuit, cum Indice rerum gestarum.* Die funeris, Populus abunde flebat, veluti in domestico luctu mærens.

Periti

Periti rerum adnotabant, *Quinq̃, Palmites Stirpis Austriacæ*, brevi temporis spatio, præcisos; *Philippum Tertium, Hispaniarum Regem; Ferdinandi Cæsaris Primogenitum; Rodolphum Imperatorem; Maximilianum; & Albertum, Archiduces, ejus fratres.* 1621.

Bethlemus, hoc Successu elatus, ad *Ternaviam* Castra movit; eâque receptâ, *Presburgum* tentavit, loco & Præsidio validum; & obsidere cœpit. In quâ Obsidione, sinè effectu fatigavit suos milites. Cum videret Obsessos instructos, intentosque Propugnationi Urbis, incœpto abstitit. Diuturnâ Obsidione irritatus, partito Exercitu, ad Populationes, Incursionesquè convertit animum, cum magnâ trepidatione Agrestium. *Budianus*, Cæsari Inimicissimus, *cum Hungarorum Equitatu*, & levi Armaturâ, *Austriam cis Danubium hostiliter incursavit*: ignem Villis injecit; ac diruit, quæ Incendio absumi nequeunt. Alij flumen transgressi, *Inermes juxtà atquè Armatos trucidarunt*; diripuerunt, vastaruntquè cuncta, *aut Stupris & Adulterijs* polluerunt. Hinc latè Terror undiquè, Populatio, & Cædes. *Trans-Danubium* plùs Sanguinis, & Prædæ hauserunt, patentibus ad Direptionem domibus. Pauci Salutem, Incolumitatemquè Pecuniâ impetravêre, vel fœdis Pactionibus, cum pecunia deesset. Eadem formido *Moraviam* perculit, nuper à *Bucojo* Sacramento Cæsaris adactam; nunc inclinatam ad *Bethlemum*, operâ *Lagendorfij*. Hinc *Rodolphus Teifenbachius, in Bucoij locum suffectus*, cum valido Exercitu; Inde *Pannonica Ala*, Cohortesquè, & *ipse Bethlemus*, qui constanter servatæ *ergà Fredericum fidei* laudem meruit; *Colaltus, & Valstenius, Comites*, Præfectique Militiæ, Se Suasquè vires Direptoribus opposuerunt. Multæ invicem Clades. *Budianus, & Colaltus*, crebrius infestiusquè concurrerunt, ancipiti Belli aleâ; & ex *alterâ Danubij ripâ, Valstenius Populatoribus* institit.

Bethlemus, cum hostium res augeri indies cerneret, suas imminui; veritus, ne coercitâ Populatione, Obsessis vijs, & intercluso Commeatu, Inopiâ Alimentorum conficeretur; *ad Pacem Concordiamq̃, curam & Cogitationem vertit.* Cum jam consedisset ferocia, Pudore temerè cœptæ Oppugnationis, Consilium cœpit, ut Conditionibus *honestæ Pacis* uteretur; misitquè *ad Cæsarem legatos*, qui Pacem peterent. Sententiâ Senatus, & Cæsaris assensu, facta Spes perpetuæ Pacis: & *Nicolaiburgi, fœdus in has leges sancitum: ut Bethlemus, Transylvaniæ Princeps, Titulo Regio posteà abstineret. Raptum Diadema Cæsari redderet. Urbibus, Agris, Locisquè Hungariæ finitimis cederet. Contrà Ferdinandum Cæsarem, Domumq̃, ejus nihil posthàc moliretur. Titulum Principis Imperij, cum Septem Provincijs, ac Cassoviensi Urbe retineret. Hungaris omnibus generalis Abolitio delictorum fieret.* Famam Pacis vulgatam, *qui Cæsareārum partium erant*, læti accepêre. *à Bethlemo* fœderi ascripti non sunt fidissimi Socij, *Marchio Lagendorfiensis, & Comes Turrensis. Anhaltini Principes, Pater & Filius, à Cæsare Veniam precibus obtinuerunt.*

Dum hæc in *Germaniâ, Bohemiâ, & Hungariâ* gererentur; *in Sarmatiâ Cosacci impetum in Thraciam fecerunt*; & Calamitatibus *Turcarum* explerunt Avaritiam. Irritatus Acerbitate direptionum *Sultanus Osmanus*, vertit Iras in *Sarmatiam*; literisquè circà Præfectos dimissis, *Adrianopolim* Copias omnes contraxit: *Summa omnium*, Vulgi rumore, *Trecenta Millia armata fuêre.* Quo Nuntio allato, *Sigismundus Poloniæ Rex, consultat Versoviæ in Comitijs*, Quid ageret, cum *Osmanus* belli adversùs *Sarmatas* Consilia inisset; Arma, Milites, immensam Pecuniam, & Commeatum comparasset: *Non de Moldaviæ finibus, sed de Sarmatiæ Possessione Certamen indixisset.* Magnoperè hortatur, ut Provincijs tempestivè consulerent. Dilectum Juventutis habere placuit. Milites, Centuriones, Præfectiquè dabant impigrè nomina. Conscripta *Centum & Septuaginta Peditum, Equitumquè Millia. Quibus Vladislaus, Sigismundi filius præerat.* Honor Imperij penès ipsum; vis & Potestas penès Præfectum Militiæ, expertæ virtutis; qui Exercitum in *Moldaviam* duxit, ubi hostem statuit expectandum esse; ac Castra posuit *in ripâ Siberti fluminis; quod Moldaviam à Valachiâ separat*; ut scirent *Turcæ, Sarmatas* non modò non cedere, sed propiùs accedere. In Vado fluminis atrox prælium ortum. *Thraces* qui in Armis erant, ingenti Clamore *Sarmaticos Equites* invaserunt. *Sarmatæ* quieti, intentiquè, impetum fortiter sustinuerunt; & hostes temerè irruentes, densis turmis exceperunt, sueti Armis, & Disciplinâ Militari exerciti. *Thraces, vim Sarmatici Exercitus parùm tolerantes, in fugam sese effuderunt*, consectantibus *Sarmatis*, Accolisquè, abjectis Armis in Sylvas, aut Montes perfugerunt. In hoc Certamine, ut fertur, *Novem Millia Sarmatarum cecidêre. Inter hos Palatinus Varnovius; ac summi Proceres: & hostium Triginta fermè cæsa; aut Altitudine fluminis absorpta; Tormenta capta, & Tentoria direpta.* In hoc Prælio *Vladislai* virtus præcipuè enituit. Undè *Sarmatæ* sub ductu, Auspicijsquè ejus, perpetuam ac singularem fœlicitatem conceperunt. *Osmanus, postquàm in Moldaviâ Sarmatas prosperè pugnasse accepit*, non Mæstitiâ ex re male gestâ dejectus est; sed ad bellandum pronior erat ejus animus. Itaquè, cum per magno Equitatu, & Peditatu tanto, quantum ad maximum bellum mittere solebant Majores, maturè *Adrianopolim* profectus; & indè *ad Danubium* pervenit, cum magnâ *Purpuratorum*, & Satellitum manu. Monuitque *Tartarorum Equitatum*, ut in finibus *Moldaviæ* occurreret. *Sarmatici duces*, cum Equitibus, & levi Armaturâ, illuc usquè progressi, ad lacessendos hostes, multa Secunda Prælia fecerunt, in transitu rapidissimi fluminis. Quamobrem, *Purpurati, Osmanum monere* institerunt, ne Vitam ac Decus Imperij in non necessariam Belli fortunam præcipitaret. Ille Ultionis cupidus, à Pacis consilio abhorruit; *& Injurias Cosaccorum* in se commemoravit. Plures in hanc sententiam concesserant. Silentio Noctis transductis Copijs, transgressus est in *Valachiam*, captis aliquot Exploratoribus. *Sarmatæ deseruêre Danubij ripam, & Valachiam*, irrumpentibus tot infestis Nationibus.

Profectus

1621. Profectus indè toto Exercitu, *Moldaviam petens, ad Niesterem fluvium processit, qui Moldaviam à Poloniâ dividit. Vladislaus*, ubi adesse omnem *Osmani Exercitum* comperit. Castra in *Ulteriore Niesteris ripâ, apud Ouchinum Propugnaculum*, communivit; unde Tormentis, Machinisquè ingruentes hostes propulsarentur; ut pro Munimento flumen haberet, *& Turcas Poloniâ arceret. Sultanus*, conjunctis *Tartarorum* Copijs, Exercitum instituit ad *Ouchinum* ducere; & hostium *Propugnaculum* totis viribus oppugnare. Itaquè eundum ad Castra, nec dandum spatium cunctandi censuit. *Purpurati, Tribuni, Præfectiquè*, cum universo Exercitu præcesserunt: *Tartari*, ducesquè aliorum Auxiliorum subsecuti sunt. Postquàm in tuto collocata animadvertit, & Propugnaculum ita munitum, ut exigua potiundi spes esset, incæptum omisit, rursùs deliberaturus. Interim *Cosaccos advenisse, Mille Passus à Sarmatorum Castris abesse, per Exploratores deprehendit; Sexaginta Millia fuerunt*; fluctuavitquè inter Spem, Metumquè tanti Conatus, *An Castra Sarmatarum aggrederetur? vel Cosaccos incompositos opprimeret?* Incertis ducibus quid consulerent, *Duo Valachi transfugæ, Congressum Sultani poscentes, venerunt; qui Cosaccos Agrestem Aggerem molientes, dispersos in opere, opprimi posse nuntiarunt.* Non ultrà de Prælio dubitatum; nec Quisquam contradicere Sententiæ ausus est. Par, primo Congressu, utrinquè numerus Peditum, Equitumque. Dein plures *Thraces* transgressi, ad subeundum invicem Prælium, ruere impetu cæperunt. *Cosacci*, Irruentes acri concursu, receperunt eminùs Lanceis vulneratos; cominùs gladijs invaserunt; Crura equorum amputarunt; & Ilia suffoderunt. Sed cum Machinis, Missilibusquè in certamine turbarentur, *Septem Millia Germanorum Peditum, de Auxilijs Cæsaris*, parvo Intervallo in Subsidijs collocata, maximo usui fuêre, ut hostes pellerentur; pulsi terga dederunt; fugientes per patentem Campum Victores insecuti sunt. Ita *Cosaccorum* singulari fortitudine, & *Germanorum* virtute repulsi hostes. Is primus Casus *Osmanianas partes* perculit. Nam præter Cladem belli, damnum famæ, in primo Congressu, labefecit. *Vladislaus*, & Præfectus Militum, *Cosaccos* Novis subsidijs firmarunt. Nec *Turcæ* victi quievêre. *Osmanus* flagrans Irâ, & Pudore adversæ pugnæ, redire pulsos, & rursùs tentare Aleam belli coegit: addiditque recentes Copias, robore ac Numero præstantiores, non antè in Aciem deductas. *Cosacci*, quanquàm labore superioris Prælij fatigati, fessi, & Numero pauciores; tamen Novi decoris avidi, cum in conspectu fuerunt hostium, Equites prorupêre, & Prælio commisso, subitâ Clade fuderunt, fugaveruntquè. Quâ Ignominiâ accensus *Osmanus*, non expectavit, dùm perculsi metu Milites animos colligerent; *Die Dominico* insequenti, ut elueret Ignominiam, *Signum pugnæ dedit*: quo major incubuit Suorum Clades. Nam perruptâ Acie, & cæsis ferocioribus, *Thraces in fugam versi sunt*. Atrox ibi Cædes; oppletæ Cadaveribus viæ; Plurima Signa, Vexillaquè rapta; fugientes deleri magnâ ex parte potuerunt, *si Cosacci* vexatis hominibus, Equisquè institissent. Sed *Vladislaus* in Castra venire jussit; ne improvidè sequentes, fessi ab integris circumvenirentur. *Equitatus hostium, quo se invictos arbitrabantur, magnâ ex parte fusus; Capti duo Purpurati; & aliquot Præfecti Turmarum.* Postquàm intravêre Castra *Polonorum Cosacci*, Commilitiones laudantes, gratantesquè, velut *libertatis Auctores* celebrarunt. *Vladislaus, & Magister Militiæ*, pro eximiâ fortitudine, quam in Prælijs præstiterunt, in præcipuo honore habuerunt. *Sultanum* non magis damnum, quàm Dedecus obstupefecerat. Proindè deliberavit, *Quomodò gloriam, superioribus Cladibus amissam, recuperaret?* Cum hac de re consultaret, ausi sunt quidam Amicorum suadere, *ut Saluti suæ, ac Dignitati, Pacis honestæ Conditionibus consuleret; ne inconsultâ fiduciâ virium, suam vitam in discrimen adduceret, & Avitam belli gloriam in irrevocabilem Casum daret.* Multi plures *Purpurati* censuêre, *ut Belli fortunam de integro tentaret; & superante adhuc Multitudine, Castra hostium circumvallaret; Opprobria recentium Cladium aboleret: suam, & Majorum Contumeliam* ulcisceretur. *Osmanus*, in omnibus Consilijs præceps, *recuperare belli gloriam inconsultè properavit*; & immenso opere, Castra sua Castris *Sarmatarum* circumjecit; ut instante hyeme, frigore ac Inopiâ undiquè clausos conficeret. Indies *Thraces, Mesi, Dalmataquè* Castris adsultarunt. Ubi atroces inter se Cædes, & crebra Prælia, multo *Thracum* cruore, temerè subeuntium. Tracto in hyemem Obsidio, Mutationem Cæli Soliquè sensêre Obsidentes; Æstibus domi insueti, & nunc Nivis Altitudine penè obruti. Inopiâ quoquè Commeatuum utrinquè laborari cæptum, frumento undiquè ex Agria convecto. Sed major Penuria incessit Obsessos. Inter quæ, *Supremus Militiæ Præfectus, forti Apoplexiâ correptus, decessit*. Vir Prudens, belliquè *Turcici* peritus. Jam solus *Vladislaus* labore, Algore, Inediâ fatigatos, Auctoritate, Consilio, & exemplo sustinuit; Æmulationem Patientiæ reliquis injecit; *Cosaccorum* gloriâ accendens: Sequè pro Salute Patriæ devovens. Sed surdæ adversùs famem aures. Principis eos Pietas, Numenquè servavit; placabilemquè *Sultanum* fortuna fecit. Nam utrinquè fame domiti, Obsidentes & Obsessi, Numen affuit Consilijs, & Conatibus Christianorum. *Sultanus* fractus Prælijs, & Inopiâ Alimentorum, rebus suis diffidens, per Internuntium egit cum Obsessis; *ut posito Certamine, fœdus in easdem leges renovarent, quibus cum Majoribus pepigissent.* Responderi placuit, *id placere Vladislao, si Sigismundus Rex, Senatusquè Poloniæ comprobarent.* Ijsquè Necessaria visa *Thracum Regis Amicitia*; rebus extremis ultrò oblata. Ita tanta Moles belli, per Tædia & Moras evanuit. *Turcarum Centum Millia cæsa; Sex Purpurati interfecti; duo capti.* Nec Sarmatia quidem incruenta Obsidio; quorum *Duodecim Millia desiderata; duo Tribuni, & Septem Centuriones.* Numerum interfectorum affirmare non audeo: quamvis plerique Auctores, ut suprà retuli, tradiderint. Pactis Conditionibus, *ut Cosacci, qui proximum bellum accenderant, Morem populandi conterminas Provincias finirent: Polonia se Terminis continerent; & Excursionibus*

& Excursionibus abstinerent. Osmanus Adrianopolim, undè profectus èrat, redijt. *Poloni, Cosaccique in* 1621.
Podoliam, & Poloniam læti revertêre. Sed brevis lætitia fuit, *Tartarorum* Perfidiâ & scelere; *qui prætendentes non solutum Stipendium Annuum, quod Sigismundus pactus esset*, in Poloniæ fines impetum fecerunt; Castella, Vicos, Agros diripuerunt: Prædâ omnis generis manus imbuerunt. Missi ad *Vladislaum* Nuntij, ut Populatores ulcisceretur; statimquè immissa *Ala Cosaccorum*. Haud ignari propinqui discriminis *Tartari*, aufugerunt; Plaustra cum pecuniâ, & prædâ omnis generis trahentes. *Opinio erat, non sinè Sultani fraude, & Scelere id factum*: eumquè scisse, non aliâ, quam *per Sarmatiam* redituros *Tartaros*; nec sine Injuriâ, & Maleficio, per Provinciam iter facturos. Hæc subita irruptio Pacem non abrupit; manente recentium Cladum Memoriâ.

Sed in tantâ Colluvie Nationum, *Suetia* nihilo cæteris fælicior, saniorvè exstitit. *Gustavus Suetiæ Rex*, secùm reputans, longè *Sarmatiam*, vicemquè *Sigismundi*; cum Induciarum dies exiret, *& Sarmatæ Turcico Bello* distinerentur, *Livoniam ac Courlandiam*, finitimas Sarmatiæ Provincias, afflixit; *Vrbem Rigam, Livoniæ Caput*, cæpit; Muniriones idoneis locis imponens; & Exercitum per totam Provinciam divisit. Hinc Expugnationes Urbium; Populationes Vicorum; Direptiones Bonorum. Cum ejus impetum *Sarmatæ* cohibere non possent, magnâ parte opulentissimæ Provinciæ potitus est; *ut minor vis posthàc foret Sigismundo, repetendi Suetiæ Regnum; quod Majores ejus Iure possedissent; exutusquè à Carolo, Patruo, Gustavi Patre, amisisset*. Undè æmulatio, Invidia, & apertum Odium, *veterem inter Patrueles Controversiam*, hoc bellum accendebat; exstimulabatquè in mutuas Simultates.

Atroces belli Clades universam ferè *Europam* pervaserunt. *Accendebant Odium Francici Regis in Protestantes Ignatiani; & in Eversionem Instauratæ Religionis impellebant*; Injurias, ac Contumelias commemorantes; *Manifestam defectionem; Conscriptos milites in præsidium Rupellæ, Montis Pessuli, & Montis Albani: Transmarinum Auxilium accersitum; Oppressa Municipia; turbatas florentissimas Provincias, Aquitaniam, Septimaniam, Delphinatum, Phocensem; detestanda Sacrilegia; Spoliata fana, & diruta, Simulachra Divorum sedibus suis avulsa: Eucharistiam conculcatam: Christi Numen violatum*: Signum Crucis equorum Caudis alligatum; *Omnes Sacerdotes accolas, atquè Antistites veterum Sacrorum vi oppressos. aut fraude circumventos*. Flagitantesquè vehementioribus verbis, *ne Querimonias Cleri, Auxilium justè invocantis, aspernaretur, ac negligeret: Ne Sacrorum Vetustatem, Templorum ruinam, Prostratam Christi gloriam, inultam relinqueret. Datum Divinitùs Solium; datum Sceptrum, ut Religionem violatam audacissimorum hominum Supplicio expiaret: Ne accidant publicè & privatim Incommoda, quæ Contemptum Numinis consequi solent. Ac nisi fecerit, Salutis periculum, & Fatalia Mala denuntiarunt. Numinis cultum, & Elemosynam quantumvis copiosam, nequicquàm profuturam. Proindè, vel bellandum adversùs Protestantes, rabie Civilium armorum furentes; aut Vindictam Numinis meritò expectandam, ob neglectam Religionem*. A quibus impulsus Rex, infælici se Bello implicuit; dictitans *potiùs consulendum Animæ Saluti, quàm Regni Securitati*. Quæ vox ejus *Protestantium animos* altiùs penetravit. Literæ *Bullonij Ducis*, & verba summorum Procerum, Salutem Incolumitatemquè eorum Regi commendantiũ, æquis auribus accepta non sunt. Prævaluêre differentes *Regnum Franciæ firmius futurum, Opibus Protestantium eversis. Illos nullo Supplemento, nullâ Ope Germaniæ, aut Britanniæ adjutos, facilè opprimi posse*. Ita *Francia* domesticis malis laborare cæpit; *& vetus inter Pontificios, ac Protestantes Discordia renovata infestiùs quàm anteà*; apertis Criminationibus se invicem infamantes. Igitur *Protestantes*, ne Obsequium legitimi Regis exuere viderentur, fidem & Reverentiam Imperij profitentes, *Romano Pontifici Tyrannidem, & confusum Ecclesiæ Ordinem; Ignatianis, Seditiones, Parricidia, cruenta Consilia, Civilium armorum Incendia, corruptam Iuventutem, & Perfidiam objectarunt: commemorantes, Assertores unicos Dignitatis, ac Potentiæ Pontificiæ semper fuisse. Illis instigantibus, tot Millia innocentissimorum Civium trucidata; tot Illustrium virorum Cædes perpetratas; tot Expugnationes Vrbium, & raptus virginum in Galliâ. Nec reticuerunt Religiosos, qui Cultellos Sanguine Regum impiè cruentarunt. Proindè denuntiarunt, haud posse salvos unà esse in Franciâ Protestantes, & Iesuitas; adeò Violentos ac Contumaces adversùs se, ut Supplicium indies efflagitarent*. Rex minacem *Protestantium* animum, *Iesuitarum* Exilium poscentium, aversatus est. Omnia deindè arbitrio *Ignatianorum* acta: stimulante privato Odio, in publicum Exitium. Sed ipsis *Protestantibus* inerant diversi habitus animorum. *Inturbidi*, Patriæ & Regni vicem indoluerunt; Orantes, *ut fides illæsa maneret; Obsidionem tolerarent; Orientium Civilium malorum faces extinguerent; Plebem ad Arma non vocarent*: Nec Expeditiones, nec Arma tentarent. *Turbulenti*, inchoato jam Incendio faces admoverunt; suadentes, *si perire necesse esset, occurrendum discrimini; ac nisi sibi in tempore consulerent, & imminens Exitium averterent, fore ut funditùs delerentur*.

Nec diutius *Aquitani, & Narbonenses* cunctati, hanc Sententiam comprobarunt: Tormenta, Machinas, Arma, & Equos pararunt: repugnantem Defectioni *Castilionæum exauctorarunt*, fidum Principi, & desciscentibus suspectum; quod melioribus Consilijs moneret tumultuantes; *& Rohanum Regulum sibi Rectorem elegerunt*. Quo duce, aliquot *Aquitaniæ, & Narbonensis Provinciæ Vrbes* defecêre. Hæc licentia proximas Provincias pervasit, *Phocensem, & Delphinatum*; item *Normaniam, Picardiam Campaniam*; ubi *Protestantes* armis mulctati, Exercitatione deinceps militari abstinere jussi. *Normaniam* graviter afflixit *Vatevillæ Centurionis* Temeritas, publicè calamitosa, & ipsi exitiosa. Is juvare *Protestantes Normanorum viribus* statuit; & inconditam ibi Multitudinem contraxit; latebrisquè Sal-

1621. tuum ac Sylvarum texit; aptum tempus Insidijs expectans. Fessus tædio Solitudinis, in proximam Villam, cum Sex Ordinum ductoribus, epulandi causâ divertit. Ubi hospitio exceptus, Suspicionem hospiti intulit, speciosis Armis & Equis. De quâ re certior factus *Tourrilius*, magni animi vir, Diversorium circumdedit, ne effugeret: consociavitquè Audaces xx Numero; & *Vatevillam* per Ministrum Regium accersivit. Qui Salutem Armis tueri destinavit; erumpensque cum Socijs, apertâ vi duos Nobiles, Militemque interfecit. Interim *Tourrilius*, Clientesque ejus, animo prompti, eum trucidarunt. Vulnerati & Comites beneficio Noctis, per occulta Itinera delapsi sunt. *Servus Vatevillæ unus captus est.* Ita *Tourrilius* consuluit Securitati *Neustriæ*, justâ Ultione. Et ad *Senatum Rotomagensem literas misit, de Cade Vatevillæ, Servis, Carcere.*

Rupellana Synodus, opponenda arma *Pontificijs* decernit, pro salute suâ; pro Aris & focis; pro Libertate Religionis. Numen suppliciter precatur, ut propitium se præberet, Arma pro moderatâ sui tutelâ capientibus. Firmandos Præsidijs *Aditus in Aquitaniam*; valida Præsidia in Urbes, Arcesque mittenda. festinandum Pontificijs videbatur, antequam Seditio adhuc invalida adolesceret; & Contagio latius serperet. Jam inde *Francus* cogitavit, paravitquè, quæ bello usui forent: *Pontificios in Ultionem Sui, Religionisquè Avita adhortans.* Contraxit ex omnibus Provincijs Copias; susceptoquè Civili bello, complura *Oppida Protestantium*, partim Metu, partim Vi cæpit; *Pontificiosquè Præfectos* captis imposuit. Exin *Fanum Ioannis Anglici* aggressus, in dedirionem redegit; Muros diruit, fossas ruderibus opplevit; Cives, ad pedes ejus procumbentes, Misericordiam implorant, vitâ omnes donati. Sed Alij Exilio; Alij bonis, pro facultatibus multati.

Tanto ubiquè Successu, perpetuam, singularemquè concepit fælicitatem. *Rupellam* quoquè circumvallari jussit, & Terrâ Mariquè obsideri; ne erumperent Incolæ, & finitimam *Santonum Provinciam* vexarent. *Espernonius* circumvallavit Urbem, crebrisquè Propugnaculis excitatis, cuncta Oppidanis infesta fecit. Mox Rex *Aquitaniam* ingressus, *ut Sedem rebellium* exscinderet; *Protestantes* acriter invasit; melioribus Consilijs ad Obsequium flexos, in fidem accepit; & impensiore curâ fovit; ne discifcentibus aggregarentur; Conscios, & fautores Defectionis revocavit ad Pænitentiam. Universa jam Provincia, dissono Clamore Acclamationum, perstrepuit; hinc *Pontificiorum*, acclamantium (Vivat Rex) Inde *Protestantium*, exhortatione mutuâ vociferantium, (*Vivat Religio.*)

Marchio Forcius, egregius belli dux, & Prapotens inter Benearnos, Bergiraci magnâ Comitate exceptus, ibi Obsidionem toleraturus; repente Discordiâ Civium, Imperium abnuentium, ab Urbe digressus, *Neracum adivit:* statimquè *Caumontium* occupavit. *Mainiædux*, Provinciæ Rector, & *Aquitanici Motus* acerrimus Vindex, prægredi jussus; Rex totâ mole belli secutus est. *Venienti Regi multa urbes cum Clavibus, & precibus occurrerunt, veniam implorantes.* Rex deditas, & Misericordiam deprecantes, in fidem recepit. Relicto *Bergeraco*, Oppidani perculsi, in potestatem *Mainij* extemplò venerunt; & *Neracum* facilè recepit. *Forcius Caumontio trepidè digressus*, suos perculit, Regijs addidit animos. Oppidum, *Mainium* advenientem, benignè accepit. Lento deinde agmine *ad Cleracum* ductus Exercitus. Ubi Regio agmini Præsidiarij Milites, in Angustijs, subitâ Eruprione occurrunt. Ingens ibi vexatio partis utriusquè fuit; varia pugnæ fortuna; multi utrinquè cæsi aut vulnerati. Inter quos *Terminus Præfectus Regius* lethaliter vulneratus, posteà decessit. *Rex* saucios duces circumiens, *Terminum solatus est*; Curam Gregariorum Tribunis, Præfectis, Centurionibusquè demandavit. Plurimum, Morte *Termij*, insignis viri, damni acceptum est. Urbs obsideri cæpta, Vallo, & fossâ circumdata est. Cives feroces, Militesquè Præsidiarij, crebris Eruptionibus, Prælijsquè, fiduciam virium ostentantes, acri Concursu Oppugnantium, semel atquè iterùm repulsi, de Deditione agendi initium fecerunt. Cum cernerent eò jam ventum, ut vi expugnarentur, positâ omni ferociâ, in Regis Clementiâ Spem Salutis, Incolumitatisquè posuerunt. *Prædicator Urbanus*, ad pedes Regis procumbens, Supplicem Orationem habuit; obtestans, ut Ignosceretur, Misericordiamquè ejus dimississimè imploravit; & Iram Pietate, Observantiâquè placavit; cum Proceres, qui aderant, precandi finem non facerent, genua, & vestigia prehensantes, flexêre animum. Impetratâ salutis Spe, *Oppidani Se, Suasquè fortunas Regis Arbitrio permiserunt.* Rex Veniam dedit, his legibus, *ut Auctores Defectionis ad Supplicium dederentur. Civibus, & Militibus, qui arma abijcerent, parceretur.* Tùm primi Authores requiri cæpti; & comprehensi *tres Acerrimi Instigatores Plebis*, Servili Supplicio affecti sunt: Jussiquè Præsidiarij, abjectis armis, per aversam Portam, occultè abire, *Ne à Militibus infensis, ob Cadem Termij fortis & strenui viri, trucidarentur.* Haud ignari discriminis sui Præsidiarij, dilabentes per nota Itinera, *Lotum fluvium, quò Urbs alluitur*, traijcere pararunt. Sed *Pretoriani, furentes Odio Religionis, Præsidiarios obvios inermes obtruncant.* Accurrit *Luynus, Magister Equitum*, Prætorianos, oblitos Officij, Voce, Vultu increpans, *Vociferansq;, non esse à Rege mandatum, ut Inermes trucidarentur; vel in Oppidanos, Præsidiumvè quicquàm durius statueretur.* Addiditquè, *Exemplum in ipsos fortè versurum, si Victis & Deditis Spe Salutis moriendum sit.* Vix Magistri Equitum precibus mitigari potuit Iracundia Militum, furore & rabie sævientium. *Præsidiarij* visò *Pretorianorum* agmine, tumultuosè in Scaphas tuunt; ipsâ trepidatione, & Certamine, multæ Cymbæ depressæ; *Centum & xx Milites flumine hausti; Pauci ferro periêre; Quidam in Ulteriorem Ripam enarunt.* Mox diruta urbis Munimenta; impletæ fossæ; adempta Civibus Arma, Sacra sua reddita. Ira magis publica, quàm privatus Quæstus in deditos sævijt; tantusquè

Terror

Terror *Aquitaniam* invasit, *ut Apropinquanti Regi Vrbes cum Decurionibus, precibus, & Clavibus occurrerent.* 1621. Qui ad *Protestantes* in Officio continendos, valida Præsidia in Oppida, Arcesquè misit; *& in Excidium eorum Pontificios Proceres impulit*; accersita nuper Auxilia externa, & hostilia, *ad Præsidium Rupellæ* referens; *literas quoquè à Rupellanis, ad Britanniæ Regem inventas, Opem & Patrocinium Religionis implorantes*; publicè tamen non adjutos eorum Conatus; privatis & promiscuis Civium Collationibus in præsens sublevatos. Nec jam occultâ Odia, sed apertæ Inimicitiæ, Occasione Civilium armorum, proruperant.

Francus, quo statu Aquitania, Protestantesquè essent; Quasquè ibi res gessisset; & Quid pararet, literis & Nuntijs Præsidi Parisiensis Senatus exposuit. Undè in Sermonibus ubiquè increbuit, *perdomitam Aquitaniam*; *Robanum Regulum, & Fortium in Narbonensem Galliam depulsos*; *excisos propè Protestantes*; *eorum Nomen penitùs extinguendum.* Pro fælicitate Regis, & Exercitus, Numini honos habitus.

Mainius indè ad *Protestantes*, qui nondùm perdomiti erant, sub Jus, ditionemquè redigendos, missus; jussusquè occurrere Regi, cum ad *Montem Albanum* oppugnandum admotus exercitus esset, & suo Agmini conjungi. Cujus ductu, *in Vlteriore Aquitaniâ, & Narbonensi Galliâ*, res egregiæ gestæ: Multa Oppida, partim Voluntate, partim Metu, aut vi, recepta: in quibus omnia Crudelitatis exempla edidit, Cædibus, Incendijs, Ruinis, Direptionibus.

Inter hæc *Rex per Aquitaniam, in Narbonensem Provinciam Exercitum traduxit*; & Cogitationes, curasquè in oppugnationem *Montis Albani* convertit; *ut exscinderet Sedem Protestantium*; qui ex Campestribus, Vicis, Agrisquè eo demigrarunt, cum familijs, Conjugibus, ac liberis. & sub ipsis Mænibus posuit Castra; non priùs indè movere, quàm deditâ Urbe, constituens. Nec in *Maini* Copijs mora, quò minùs repentè adjungerentur. Urbs instructa, & parata erat ad Oppugnationem sustinendam, convectis Alimentis, quæ ad usum longi temporis sufficeret. & ad *Mazerium Allobrogum*, Militiâ clarum, Civium consensu delatum Imperium: qui Benignitate *Sabaudiæ Ducis, Titulum Comitis Boulfrandiæ* consecutus est. *Forcius* peritissimus rei Militaris, qui *ex Clade Aquitanicâ*, cum *Vasconum Iuventute* eò perfugerat, quanquàm de *Protestantibus* benè meritus, in minore apud Plebem gratiâ fuit: quippè *Mazerius, & Chamierus Prædicator, magnæ Auctoritatis apud Oppidanos, pari potestate rexêre*; quâ *hic* in Senatu Urbis, *Ille* in re Militari moderatè usus est. Tribus simul locis, Tormentis, Machinisquè admotis, Urbs oppugnari cæpta. *Magister Equitum*, contemptus invisusquè Exercitui, *ab Occasu* aggreditur; Equitatum in proximâ Planicie reliquit. *Ab Ortu Digierum*, Magistrum militiæ, adjuncto Joinvillæ Principe, subire jubet: & *Mainiæ ducem, à Meridie*, erigere agmen. *Ab eâ parte, quæ in Septentrionem vergeret, claudi non potuit*: unde Exitium Obsidentium. Rex edixit Magistris Militum, Præfectis, Tribunisquè, ut instructi intentiquè essent, quid ubiquè gereretur; simul hostes feroces coercerent. *Mainius in Protestantes odio flagrans*, Obsidentium animos Spe Promissisquè accendit; ab Oppidanis, Perfidiæ, Sævitiæ, Sceleris pænas expetendas commemorat: nefandam Commilitonum Cædem vindicandam: *delendam fundutùs Memoriam hostium Catholicæ religionis.* *Mazerius*, qui Arci & Præsidio præerat, fidens viribus, suos ad defendendam fortiter Urbem hortatur; *& admonet pro Salute, ac Religione Dei Opt: Max: dimicandum*; *ne incensâ, & dirutâ Vrbe, non Viri tantùm, sed fæminæ etiam, Puerique, ultima supplicia, ac omnia nefanda paterentur.* Accenduntur animi exhortatione Ducis, & metu periculi. Crebris Eruptionibus, levibusquè Prælijs fiduciam virium ostentant. Simul concitato Agmine, patentibus Portis, erumpunt; & *Transalpinæ legionis stationem oppositam invadunt, Centurionem, duos Legatos Cohortium, Vexillarium, & aliquot milites, sinè Cæde suorum, trucidant.* Indè apparuit, infestis animis ab Irâ, ab Odio Urbem oppugnandam, defendendamquè. Supervenit *Dux Suilius*, cum dilectâ manu, *ab Henrico Quarto Ærario præpositus*, prosperarum adversarumquè rerum Socius; nullo apud filium honore habitus; Mutationem fortunæ æquo animo tulit; & hoc tempore Regi Operâ, Consilio, labore deesse noluit; oravitquè, ut leniter cum Obsessis ageret; deprecantes in fidem reciperet; suscepitque se persuasurum, ut imperata facerent. Verba ejus æquis auribus accepta. Rex Deum hominesquè testatus, in Deditionem venientibus paratam Clementiam; Obsequium abnuentibus promptum Supplicium. Ire in Urbem, ad leniendam Militum ferociam jubet. *Ille à Protestantium Religione haud alienus*, Urbem ingressus, *non Forcium Præfectum, sed Mazerium, novum Boulfrandiæ Comitem* invenit. Cum *Mazerio, & Chamiero* consilia communicavit; propositamquè à Rege Salutis Spem Deditionem facientibus; obsecravitquè, *ut retinerent Obsequium, liberos, Conjugesquè miserarentur. Non desperandæ Regis Clementiæ sese committerent. Ne justam Vltionem experirentur, ob spretam, Religionis obtentu, Majestatem.* Superbè respondent, *eo Majore animo, ardoreque, Religionis libertatem defendendam, quo graviora Victis Supplicia proposita cernerent. Vulgò jactabatur, Socios imagine Pacis deceptos; trucidatos Inermes juxtà atquè armatos Protestantes: Corpora fœdè laniata, fæminas promiscuè, ac Viros; feritatem, ac sævitiam ad Infantium Cædes prorupisse. Proindè Reconciliatore opus non esse; Mortem in pugnâ obituros. Nihil relicturos, in quod sævire jurati hostes possent.* *Suilius* cum Oppidanorum mentes facundiâ flectere non posset, in Castra redijt; renuntiavitquè, adversùs Summi Imperij Majestatem contumaces; furore & rabie vim atquè Arma spectare; præcisam Spem Pacis. Vix dùm regresso *Suilio*, Præsidiariorum promptissimi, raptis repentè Armis, ferrum Ignemquè in manibus portantes, *faces in Pulverem Tormentarium jecêre*; ac tumultum *in Statione Prætorianorum* excitarunt. Ubi Alij correpti

1621. flammâ; Alij Nidore Pulveris suffocati; Ignisquè *in Ducis Mainia stationes* penetravit. *Marchio Villârim, Præfectus Castrorum, & Comitis Riberaci filius*, miserando Incendio absumpti. Semianima pleraquè Militum jacuerunt corpora, Cremata. Postremò, Oppugnatores Clade miserabili Suorum irritati, diversos Oppidi aditus invadunt. Hinc *Mainius* ferox, ut Necem Illustrium Commilitonum ulcisceretur, *Propugnaculum juxtà Portam Villa Burbonia aggressus est*. Indè *Degierus* Magister militum institit; quo nemo illo tempore rei Militaris peritior habebatur. *Obsessi* progressoa, ac intentos ascendere hastis depellunt; Impetum sustinent; Vulnera inferunt, accipiuntquè, fervente hostium Impressione; *fœmina, Puerique, magno ardore, Propugnantibus tela suppeditant; Cespitem munientibus gerunt; & acuunt animos virorum fortium, Certamine laboris, ac periculi*. Tandem repulsi, disjectiquè Oppugnatores; defessi jam, vulneratiquè cessêre. Hic Receptus Spem quietis Obsessis dedit. Cæterùm *Mainius*, defessis jam vulneratisquè recreatis, Vi majore Urbem aggreditur; ad Munimentum succedit; accendit Milites; qui exhortatione ducis incitati, Impetum fecerunt, in Tela ac Vulnera ruentes. Certatim scandunt, & occupant Vallum. *Marchio Theminius, Præfectus Castrorum, fortissimè pugnans occiditur*. occurrunt promptissimi Propugnatores, *Mazerio duce*, ut Urbem periculo imminenti liberarent. Magno ardore Certamen initum; in Vallum egressos deturbant; Cæteri relicti à Subsidijs summissis, quà cuiquè proximum fuerat, se è Vallo præcipitarunt, & in Castra evadere properarunt. Multi cæsi, Exercitus totius propè *Antesignani* Nobilitate, & animi Indole. In hoc Certamine gloriosè cecidit *Mazerius Urbis Præfectus*, cujus fortitudinem Oppidani admirati sunt. *Mainius* nefas esse duxit Superesse, tot benè merentibus Amicis, qui Vitam periculis toties pro gloriâ ejus objecerant, Mœrorem Ultione solari decrevit. *Progressus deindè ad Munimenta hostium exploranda*, contemplansquè incautè Stationes, Vigilias, & Munitiones, ut impetum pararet, *globo trajicitur: opportunâ Protestantibus Morte, Pontificijs luctuosâ.*

De Interitu ejus fama *Galliam* peragravit. *Lutetia* auditâ Nece, non Senatus modò & Cives, sed Plebs quoquè palàm lamentatur; *Impetum in Protestantes, tacito fœdere, parat. Fremit omnes Proditionis Conscios, & ad perniciem Pontificiorum armari*. Rex discedens, Urbi, ducem *Mombasonum Magistri Equitum Soterum, præfecit; cui Salutem modestorum Protestantium commendavit*. Ille discrimine Urbis, periculo eorum jam anxius, Præfectum Vigilum misit, ut coerceret turbas; protegeret Protestantes; & Vim arceret; libertatem Religionis illibatam præstaret. Is hâc potestate instructus, ivit ut Jussa exequeretur. *Pontificij infima Sortis, revertentibus à Concione Protestantibus, agmine facto occurrerunt*, Probris & Convitija lacessentes. Magnâ ibi Altercatione ortâ, Impetum in eos fecerunt, & Saxa conjecerunt, nudantes gladios. Paucis *Protestantium* manus Ensibus armatæ; qui adversùs furentes districti, cum Moderamine Tutelæ. Undiquè Arma, Minæ, Vulnera. *Præfectus vigilum* ad coercendam concitatam turbam missus, Comitum & Servorum frequentiâ, obsistit ruenti Plebi; & Scelus exprobrat, atroci pœnâ dignum; cujus Ultor foret *Præfectus Regius*; abire properè omnes jubet. Disjectâ Plebe, *vexatis & vulneratis Protestantibus effugium in Urbem dedit*. Qui fugere periculosiua fore arbitrantes, denso agmine *Divi Antonij Portam* petivêre. Ibi orta rursùs Seditio, propè extio fuit. Irruentium Agmen tumultuosè Servi excepêre, in perniciem armati, perditi & temulenti. *Protestantes humiliter interrogantes, Quid Mali meruissent? & affirmantes Edictum Regium per illos irritum esse; Orantesquè Opem*, aversis auribus auditi sunt. Nec illos Religio Numinis; nec Auctoritas Magistratuum, ad spectaculum concurrentium, præsenti exitio subtraxit; sed latebræ in suis, aut Amicorum domibus texêre. *Accensa Plebis impetus, ne foribus quidem Templi ad Carentonum coercitus, quò minùs incenderet: quod propalàm incensum, indefensum conflagravit*. Postero die, *clausa Protestantium domus*. Sollicita Plebs; dejecti Authores tumultus. *Prætor Urbanus, ex Authoritate Senatus Parisiensis decernit, ut in Concitores Vulgi, ac Incendiarios animadverteretur*. Tùm primi Authores requiri cœpti. Paucorum culpa fuit: duorum pœnâ Securitas Regiæ Urbi reddita; & palàm animadversum est, *jussu Mombasonij*; qui Urbem, absentè Rege, fincerè, integrèquè rexit; & concitatam Plebem Voce, Vultuquè temperavit.

Trepidam Civitatem, ac Atrocitatem recentis sceleris secùm reputantem, ingens Incendium exterruit; quod Ultione magis divinâ, quàm fraude humanâ, aut Casu fortuito, accidisse videtur. *Duo insignes in Urbe Pontes Mercatorum, & Campsorum, arsêre*; cum jam nullam Opem ferre possent Cives: *Officinaquè omnes cum Aureis & Argenteis Vasis, maximâ vi Auri atque Argenti, ac magni pretij Mercibus, acerbissimo Incendio absumpta*. Ædificia *Sequanam* ruderibus implevêre. Plebis rumores, per Iram ac levitatem, increbuerunt, *Protestantium Operâ conflatum id Incendium, quod ultione divinâ exarserat, ob Ignem Templo Dei Opt: Max: injectum*. Milites in Castris fremuerunt, *Protestantes alios, velut feras Bestias, per Campos hostiliter vagari, laniare, & obtruncare Pontificios, dissidentes in Religione; Alios ad Lutetiam incendendam profectos; Vestigia Scelerum in celeberrimâ Urbis parte apparere.*

Rex veritus, ne irritis tot Conatibus, *Obsessis* cresceret animus, Milites omnea è Castris excitos, *ire ad oppugnandam Urbem jubet*. Improspera Magistri Equitum fama apud Exercitum fuit. Ipse Rex Testis, Spectatorquè fortitudinis, hortatur suos. *Oppidani*, præsenti, ac minimè perturbato animo, subeuntes omni genere Missilium propulsant. Fœminæ etiam Saxa, facesquè jaculantur; stratæ Cadaveribus fossæ. Tandem fessi Vulneratiquè *Oppugnatores*, Castra repetivêre. *Obsessi* magnâ se Virtute Constantiâquè tutati sunt.

Aderat

1621. Aderat fortè, citus equo, *Huccim Anglus, cum literis & Mandatis ad Obsessos.* Is quasi Munitiones circumspectans, equo incitato, Socijs Consilij ignaris, se subripuit; atque in Urbem, Vallo saltu equi superato, receptus, aperit Oppidanis, *Provinciam Narbonensem*, Eruptionibus, & prosperis eorum Prælijs, sustulisse animos; nullam posteà Urbem hosti cessuram; paucis diebus, *Robani Copias*, cum Commeatu, affuturas: tracto in Autumnum Bello, Obsidentes, nocentes Corporibus Austros, & Mutationem Aeris ægrè toleraturos; Proindè Patientiam, & Moram, ex Authoritate Sociorum, Amicorumquè, suasit; & adventantium Auxiliarium robur laudibus eatulit. Hic Nuntius, Oppidanos tædio fessos recreavit; & languorem in gaudium vertit. Mansitquè apud Obsessos, acerrimus Instigator Belli, adversùs Oppugnatores: haud ignarus, quantum discriminis in regressu adeundum foret. *In Hiccium Rex, ut Concitorem Belli, excanduit*; Malum minitans, si comprehenderet. & inclinatâ ad Suspicionem Mente, *Hajum legatum Britannicum* suspectavit; qui nullam habuit facti Notitiam; haud negaturus si ita fuisset.

Intereà *Robanus* Copias in Auxilium *Montis Albani* contraxit, ne *Obsessi* longiorem Obsidionem, & vim *Regij Exercitus* parùm tolerarent. *Sex Millia Peditum, & Octingenti Equites fuerunt.* Rex *Engeulismensem ducem, distinendis Protestantium Copijs, & vastandis Regionibus, quæ eorum tenebantur Præsidijs, præmiserat.* Qui ad *Tarnm fluvium* progressus est; Prælio certaturus, si Occasio daretur. Pedites Montium Jugis imposuit; & Equites in proximâ Planicie locavit, *ut Transitum Robani arceret.* Ubi certis nuntijs *adventare Engeulismensem* compertum est, *Robanus expediri Itineri Tria Millia dilectorum Peditum, & Quadringentos 50 Equites jussit; quibus Marchionem Maloza, nobilem virum, præfecit.* Is Munimentum, cui *Faucium* nomen erat, oppugnare cæpit, admotis Machinis, Tormentisquè. *Engeulismensis* commotus Audaciâ, Insolentiâquè hostium, Armorum Virorumquè certamen faciendum ratus, ad *Faucium* Castra movit, Copijs ita instructis, ut *levis Armatura* Equites præcederent, *Cataphracti* sequerentur, simul Pedites consectarentur. Hostem petit, nec incogitântem, nequè incautum; qui jam occupaverat Munimentum. Cum in conspectu fuêre *Protestantium Equites*, constitit dux, donec fessi spatio Itineris Pedites assequerentur. Suos ad virtutem, gloriamquè accendit; exhortans, ut magno animo Pugnam capesserent; parem præstantibus factis gratiam, Spem honorationis in posterum Militiæ, Præmiaquè merita expectarent. Signum Pugnæ dedit. Prægressi *levis armatura* Equites; & *Curem*, ducesquè aliarum Turmarum non jam connexis Dolijs, & Vineis Arborum sarmentis circumseptis arcebantur. Nec *Protestantes* sibi, Occasioniquè defuerunt; promptissimos *Pontificiorum* Equitum irruentium interfecêre, relictis *Vineis* cedentes sensim, integris Ordinibus. Postquàm Se Suis Subsidijs adjunxerunt, congredi ausi sunt. Fit Atrox Prælium. In quo *Quadringenti Protestantes*, impigtè pugnantes, cecidêre, & *ducenti Vulnerati*: nec incruentum *Pontificijs* fuit; cum ab utrâquè parte Auxilia subvenirent, incertâ Victoriâ finitum. Remissis ab ardore pugnandi utrinquè animis, *Protestantes* diffidentes paucitati Copiarum, ne vim hostium parùm tolerarent, neu desertis saucijs, Tormentisquè, terga verterent, miserunt Nuntios, Colloquium super Pace petitum; & Pacto salutis pepigêre; *Fauciumquè Castellum* restituerunt. Dilata in *Sex Menses arma*; *ac Iurejurando cautum, ne eo Spatio cum Rege, aut ducibus ejus* pugnarent. Interim *Francus*, quoniam *Robanus* adventare audiebatur, eò intentius omnes Urbis Aditus crebrioribus Præsidijs insedit, ne hostiles turmæ Milite aut Commeatu sublevarent; ac acrius Obsessis institit. Sed *Robanus*, quanquàm Obsessa Juga Montium Peditatu, subjectos Campos equite accepisset; Incepto tamen juvandæ Urbis non destitit. *Beaufortium Tribunum*, cum Commeatu, & Milite, per longinqua & Avia misit, Opem atquè Auxilium ferre. Qui cum ingenti difficultate, per occulta Itinera, *ad Fanum Antonini* irrepsit; haud procul *à Monte Albani*. Ubi certior factus, Urbem crebris Eruptionibus infirmatam, in acriore discrimine esse, nequè clàm irrumpendi Spem esse, periculo fortissimorum Militum commotus, duxit noctu *Duodecem Cohortes, trifariàm divisas*, quasi prælio certaturus. *Quadringentorum Numerum* unum quodquè Agmen expleverat, Tumultus ingens in Castris oboritur. *Quadringenti in Medio Agmine*, perrupcis Munimentis, in Urbem penetrarunt. Reliqui, *in Primo & extremo Agmine*, à Legionibus *Neustriæ, & Helvetiorum*, circumventi, cæsi, disjectiquè sunt. *Trecenti* versi in fugam, *à Regio Equitatu* protriti sunt. Captus *Baufortim Tribunus, & fani Antonini Præfectus*; *Militesquè Centum, & xx.* Quæ res in Urbe *Præsidiariorum* iram accendit, vicem Commilitonum miserantium.

Per eos dies *Momorantius Regulus* in Castra venit, & *Vasconum* auxilia, viribus ac robore ætatis conspicua, *Mille Equites, & Peditum sex Millia erant. Marchio quoquè Vilrojus*, ducesquè aliorum Auxiliorum venerunt. Recentibus Auxilijs aucto Exercitu, *Rex* acrius Obsessos urget; propiùs incedens Munimenta oppugnat. Recentes Milites, qui Mœnia intraverant, Eruptiones crebras in Opera faciebant; & eludebant Oppugnantes, tractu temporis, instante jam hyeme. Vanâ rursùs fiduciâ, & ostentatione virium, *Ioinvilla Princeps*, valentissimum Urbis Propugnaculum oppugnavit; & multâ cum Strage depulsus est. Deindè *Theminius Magister Militum, Villa Burbonia Vallum occupavit*; ibiquè strenuos Milites collocavit; qui, erumpentibus repentè Oppidanis, cæsi, præcipitatiquè è Vallo in fossas sunt. Eodem impetu *Crates*, protegendis Oppugnatoribus paratas, *Vehicula Tormentorum, Missiliumquè, & Pulverem Tormentarium incenderunt.* Postremò, facilè deturbatis qui resisterent, Fossas occuparunt, majore hostium ignominiâ, quàm damno. *Tres Præfecti Castrorum*, cum fortissimo

1621. quoquè Militum, eò progressi, feroces Oppidanos ægrè coercuerunt. In hâc Eruptione desiderati *Regij Milites ducenti; Viginti Octo Primores Cohortium; & Fauconius, Præfectus Castrorum. Propugnatores Quatuor cæsi; duo capti:* Cæteri incolumes fulgentes armis, alacresque in Urbem rediêre. Cum *Rex* videret, tot Eruptionibus, levibusquè Prælijs Propugnatorum obstinatam fiduciam; ægrè patiens, *omnibus Copijs adoriri jussit.* Oppidani, præsenti, & minimè perturbato animo, ad tuendos sese arma acrius expediunt, *& Saxa* obruendis hostibus. Plena Propugnatoribus Mænia, tela vibrantibus. Ingentibus utrinquè animis & oppugnata, & defensa Urbs est. *Scalæ undiq; ad Muros erectæ*; Simul disjecta crebris Tormentorum Ictibus Urbis Mænia, majore vi oppugnata. *Regij Milites* ad subeundum invicem prælium, impigrè succedunt. *Dux Momorantius, cum Vasconum Auxilijs,* Impressionem facit. *Magister Equitum* se hosti à latere ostendit; novum terrorem inijciens. Ex alterâ parte, *Digierus Magister Militum* institit. *Oppidani* non cedunt. Corpora ad Missilium Ictus præbentes. Lanceis Sclopetisquè vulnera inserunt, accipiuntquè; Irruentes sustinent; Saxa ingenti pondere ac fragore devoluunt; *Lapidibus, Tegulisquè, & Facibus*, scandentes integros cum Saucijs prosternunt. Acerrimum fit Certamen, passim Cædes & vulnera. Quâ parte laborare suos *Obsessi* cernunt, eò Armati concurrunt; suos quoquè egregiè tutantur, adversùs *Tribunos, & Magistrum Equitum.* Strenuos laude, Ignavos exemplo, & Cupidine decoris incitant. Cum Oppugnatores acrius à Mænibus vulnerarentur, Exangues, laceri, aut continenti labore fessi, paulatim languere cæperunt; & multo suorum Cruore rediêre. Duces fesso Militi irritas Exhortationes admoverunt. Tàm dirum, tàm anceps Certamen, ita *Oppugnatores* perculit, ut Virtutem Oppidanorum ulterà sibi experiendam non statuerent.

Cæterùm, propinquâ jam hyeme, *Tarnus Amnis, qui Vrbem præterfluebat*, inflatus Aquis; humentes circùm Campi; infecta Virorum Equorumquè tabe humus; excisæ Arbores, atquè fruges consumptæ; Pedites vulneribus, aut insolito labore fatigati; imbecilli Equires, Pabuli egestate; vastatæ, transitu Exercitus, Provinciæ, *Aquitania, & Narbonensis*, angebant *Regem Francum.* Intuta *Obsidio*, quia Urbs ad Inopiam Commeatus redigi non posse videbatur; nec Frumentum usquàm exercitui erat. Dum deliberatur, Quid optimum factu esset? *in Castris exorta Febris contagiosa, Calore, & Siti, non modò gregarios Milites afflixerunt, sed Primores etiam Senatus*, qui Regem, honoris causâ, ab Urbe comitabantur. Decessit *Verus, Lexoviensis Episcopus, Franciæ Procancellarius.* Qui Monumentis insignibus laudem apud Posteros meruit. Et *Cardinalis Guisius*, Natalium splendore insignis, *Febre extinctus est.* Milites crebras mortes suas, & Exercitus pericula conquesti sunt. Adversa *Magistri Equitum* fama apud Exercitum fuit; ob temerè cæptam Oppugnationem. Ad hæc, haud falsò vulgatum, *malè fidas Provincias Aquitaniam & Narbonensem; Delphinatum propè afflictum Incursionibus Moubruni; desciviſſe Aquitaniæ Municipia, Monburium, & Fides Fanum; quæ cæteras Vrbes ad defectionem trahebant. Nusquàm fidem, & Obsequium. Protestantes, Metu, Necessitate, aut Partium studio, huc vel illuc impelli, ob Pervicaciam Religionis.* Rex cum satis virium *Obsessis*, ad tolerandam Obsidionem, superesse cerneret, statuit non ultrà in Obsidione tempus terere; crebrisquè excitatis Castellis, & Parte Copiarum ibi relictâ, cum *Sangerano, Magistro Militum; & Digiero, in Delphinatum misso*, ad compescendam *Mombruni*, insultantis Pontificijs, Audaciam, donec accursu *Digieri* coerceretur; ipse cum reliquis Copijs, *circà Garumnam, & Dordenam*, stativa habuit, ad Custodiam, defensionemquè *Aquitaniæ. Tolosani Regem Vindicem Religionis salutavêre*; & cunctis honoribus coluerunt; extructis *Septem Arcubus Triumphalibus*; actisquè insuper gratijs, pro vindicatâ Religione.

Profectus indè *Neracum, Monhurum oppugnare coactus est.* Inexuperabilis Munimenti fiducia, Oppidanos ferociores fecit. Incolæ metu perculsi, Obsidionem, Oppugnationemquè paucos dies sustinuêre. Exin Impunitatem, Salutemquè precibus impetravêre. Urbs direpta, & incensa est. Intereà *Magister Equitum*, fessus tædio curarum, Mortem obijt. Qui pollebat magis Auctoritate & gratiâ, quàm scientiâ rei militaris. Horret animus memorare diram *Vastitatem Galliæ*; Captivitates Urbium; Direptiones Provinciarum; publicas Clades; tot Millia Innocentium Civium trucidata; Mulieres gravidas, Paruos liberos; cum ego ipse, in Commemoratione Scelerum, perhorrescam. Extremâ hyeme, *Rex magnâ Pompâ Lutetiam ingressus est, quasi Solimanum, aut Bajazetem Bysantij, Solio depulisset*; ac non Subditos suos, ut Alienos, & Gallicam Plebem, in Religione dissidentem, hostiliter conculcasset. *Obvium, apud Luparam, præbet se gratantibus Religiosis, Protestantes Cædibus ac Incendijs exhaustos.*

Hajus, Dancastriæ Vicecomes, à Britanno missus, ut Legatione apud Francum fungeretur, & quod exulceratum erat sanaret; hortari instituit, *ut Bellum Civile, propter Religionis dissidium exortum, Regis Socij Authoritate, Precibus, & Consilio, pacatè componeret. Ita Regem rem Numini acceptam, sibi gloriosam, publicè Regno, Populoquè utilem, & Britannico Regi, Assertori Religionis Instauratæ, gratissimam facturum.* Respondit Rex, *fidei & Pietatis suæ esse, non deserere Ecclesiæ Causam.* Questusquè est, *Protestantes, contrà fidem Obsequij, seditiosè Turbas concitasse; ac eorum effrænatam rabiem, in Catholicæ Religionis perniciem erupisse.* Ita Rex *Adulationibus Cleri* cessit; & à Pacis Consilijs abhorruit. *Legatus* contrà disseruit, *præcipua Aquitaniæ Oppida, magnâ Civium, Militumquè Cæde direpta; præter immensum Numerum Villarum, Vicorumquè; publicas, privatasquè Opes dissipatas; interfectos permultos Procerum. Igitur Regem, citrà manifestam perniciem Franciæ, in Bello Intestino perseverare non posse. Potiùs de Pace cum Instauratæ Religionis Professoribus faciendâ cogitandum; ac mutua Certamina communi utilitate abolenda.*

Prote-

Protestantium haud fractus animus, qui dispersi per Provincias hostilia agitabant, ut & Clades acceptas ulciscerentur; & Imminens Cervicibus Jugum excuterent. Eos accendebat Vulgata Populi vox, *Protestantium Nomen funditùs delendum*; fremebantquè, *Papanu* tantum Audaciæ & sævitiæ accessisse, ut quicquid salutis suæ Necessitate fecerint, id apud Regem Perfidiæ imputent. Nullum ipsis Subsidium, nisi in Armis esse. Deniquè, aut Salutem, Impunitatemquè tali modo quærendam; aut in Acie moriendum esse. *Legatus*, egregiam suam ergà *Protestantes* voluntatem testatus, eos ad Obsequium Regis, Regniquè hortatur; Conscientiæ libertatem, Vitam, dignitatem, fortunasquè omnes salvas fore ostendens, si absistere Bello, & imperata facere vellent. Proindè à desperatis consilijs dehortatur; cum *Pontificij* viribus longè superiores sint; Ipsi se proprijs Opibus, difficillimo tempore, defendere non possent. Disseruitquè, *Aquitaniam, & Provinciam Narbonensem, Cædibus, Incendijs, Direptionibus consternatas*; *Germaniam*, Irrumpentibus tot infestis Nationibus, & cruentis prælijs, miserè afflictam; *Britanniam* procul, & Mari divisam: *Delphinatum, Digieri* ductu Auspicijsquè pacatum. Unicum in terris remedium superesse, Pacem & Obsequium. Nec ita præclusum apud Regem gratiæ ac veniæ locum, quin reconciliari queat. *Illi, imò pacificari non posse cum Pontificijs, multis rationibus demonstrarunt; quorum toties Perfidiam experti essent, Deo Vltore vindicandam.* 1621.

Dum hæc in *Galliâ*, interim *in Belgio cum dies Induciarum Trimestrium exiret, Spinola Iuliacum obsedit; defendentibus Batavis, Britannis, & Francis*; ac crebris Eruptionibus, acribusquè Prælijs fortitudinem ostendentibus. Partequè Copiarum ibi relictâ, *Sex Millibus delectorum Peditum, cum Comite Bergensi, & Mille equitibus*, ut Operibus & Machinis Mænia undique aggrederetur: missoquè *Ludovico Velasco, legato, cum Quatuor Millibus*, ut transitum per *Cleviam* occuparet; obsideretquè, ne quà transire *Aurasionensis* posset. Cum omnia loca permunita, & Præsidijs obsepta viderentur, quibus traduci *Batavorum Exercitus* poterat, Ipse cum reliquo Exercitu, *Aurasionensi, in ripâ Rheni Castra metanti*, obviam profectus; haud procul ab hoste *Vesala* Castra posuit. *Qui* propè *Embricam* Castris se continuit, ut in expedito haberet Copias, ad Opem Obsessis ferendam: *Ille* ut prohiberet. Uterquè mansit in Sententiâ suâ, & in *Ripâ Rheni* substitit, executurus consilium. Interim *Bergensis Comes, Roeram fluvium, mænia præterlabentem aliò derivavit*; quo frumentum Scaphis subvehebatur: & Armenta Oppidanorum intercepit. Unde Urbs, superabundante Multitudine Incolarum, & *Quatuor Millium Præsidiariorum*, redigi ad Penuriam Alimentorum posse videbatur. *Aurasionensis* hostium Consilia circumspiciens, *trajecto Rheno, Iuliacensem Ditionem petere intendit*: maximè ut *Iuliacum* Obsidione eximeret, *Quatuor Millia Armatorum, & Quindecim turmas Equitum Genepam misit*, ut transitum invenirent. *Spinola*, comperto Itinere hostium, & quid pararent; Se, Suasquè Copias eorum Conatibus opposuit. Illi, cum Munitiones locis opportunioribus impositas cernerent, & Exercitum hostium, Numero majorem, *retrò ad Rhenum redière*. Urbs *ferè Annum*, Obsidentibus, summâ vi, restitit. *Bergensis Comes* undiquè terrorem Obsessis injecit. Qui non dubitarunt, pro fide ergà *Batavos*, omnes belli casus experiri; ac summâ ope Urbem defendere. Animati deindè *literis, & Nuntijs Aurasionensis*, in Proposito perseverare, labare animi cæperunt. Fractis jam animis, nullâ ibi præparatâ jam re, ad Obsidionem diutius tolerandam; ac ademptâ omni Spe invehendi frumenti, averso flumine; de Deditione per Nuntios agere cæperunt. Supervenit *Spinola* cum suis Copijs; animosquè suorum confirmavit. Adventu ejus, Deditio sinè cunctatione facta est; *traditaq́; Tormenta; acceptâ Spe Salutis, & rerum suarum efferendarum Iure concesso*. Mox *Lulstorfium, Blancerberga, & Monavia*, quæquè in eis Præsidia *Batavorum* erant, *Comiti Bergensi* deduntur. Posteà multò magis munita, ac firmata Præsidijs, Commeatu, telis, Tormentis. *Cohortes Batavorum in Hollandiam remissæ; Gallorum, Britannorumq́; Auxilia dimissa.* Quæ Deditio læta in præsens, mox in perniciem *Pithany Præfecti* versa. Qui *Hagam* revertens, Custodiri jussus est; quod non satis ausus; nec fame gravius, quàm ferre posset, laborasset. *Reinardus quoquè Titfortius, qui Ridæ in ditione Iuliacensi præerat*, ob præproperam Urbis deditionem securi percussus est; ut Duces, Præfectiquè Urbium exemplo deterrerentur. His gestis, *Spinola*, Militesquè *Bruxellas* tumidi redière; *Batavos*, ut impares, contemnentes; & suam fortitudinem commemorantes.

Non tulêre diu Ludibrium insolentes Contumeliæ Populi, irridentes Arrogantiam, Superbiamquè *Baticagentis*, facetâ Urbanitate. Nec eò segnius Aurum, & Opes *Batiei Imperij* invaserunt; *Novam Societatem Navigationis in Americam instituentes. Quam Ordines Edicto confirmarunt, ijs hominibus, quibus Societas data esset. Prohibentes, ne Alij, ex locis quibuscunquè Ditioni Batavorum subjectis, in Occidentalem Indiam navigarent.* Institutæquè ad *Americam* Navigationis hoc initium fuit; infaustæ *Hispanis*. Sed ea res *Batavis* faustè, fæliciter, prosperèque evenit; & Urbes eorum opulentas reddidit; advecto Auro, Argento, atquè Opibus in Prædam, *Americâ* abreptis.

Ne qua maneret à Cladibus immunis Regio, *Italiam* quoquè Contagio pervasit. Ibi post Seditionem in *Valle Telinâ* cæptam, *Rhætis, & Helvetijs, cum Iberis certantibus*, multæ & atroces invicem Clades. Ubiquè Populatio, & Cædes; firmissima regionis Munimenta ab *Iberis* intercepta, & *Hispanorum* Cohortibus infessa.

Sed me *Europæ* turbidæ Tempestates longius tulêre. Nunc ad *res Britannicas* redeo. Ubi crebrescente miserandâ *Palatinatus* Clade, scriptæ à *Iacobo*, in Germaniam, ad *Cæsarem* literæ; & missæ in *Hispaniam, ad Philippum*; quarum sententia erat, *Cæsari, & universo Orbi Christiano patere, quanto Pacis*

studio

1621. studio teneatur; rationem quâ res componi possent diligenter proposuisse. Interim pactis Induciis, dum positis armis in perpetuam Concordiam veniretur; Bavarum occupasse Patrimonium, Ditionemquè Frederici. Simul Iberos Dotem filiæ eripuisse. Necesse esse, ut salubre remedium protinùs adhibeatur; ac erepta per vim restituantur; vel exitiosum Incendium erupturum, rei Christianæ calamitosum, piis luctuosum, Cæsari, & Germaniæ fatale. In quo tot egregii duces, tot Exercitus perituri essent. Testem terrarum Orbem fore, bellum à Cæsare inchoatum; & ut de Palatinatu armis certarent, causam præbuisse. Se, ut Pium Principem decet, de Christianorum Salute sollicitum, pro Christianâ Charitate, & Amicitia, quæ ipsi cum Cæsare, ac domo Austriacâ intercedat, orare, ut causam bant, in quâ tot animæ periculis objiciendæ, æquo animo pensitaret, sicut pensare deceret: ne atrioribus remediis uti, & ancipitis Belli Casus experiri cogatur. Missum à Britanno cum literis Cæsar humaniter excepit. Quibus perlectis, missurum se propediem ad Regem legatum respondit; at benè sperare, ut ejus Postulatis abundè satisfiat. Ergò speravit Rex, Bonitate, ac Sapientiâ Cæsaris fretus. & ut confideret, fecerunt Philippi Regis literæ, commemorantes Amicitiæ cum Patre memoriam sempiternam fore. Epistolæ quoquè Isabellæ Archiducis addidêre fiduciam. Mox missi in Britanniam legati, Suarzenburgicus à Cæsare; Bosquetus ab Isabellâ. Qui adjuti Gundimarii Illecebris, spoponderunt Genero Avitæ fortunæ restitutionem, quò minore curâ bellum meditaretur. Cui Spei pronior, non dubitavit dicere inter familiares, Inermem se Palatinatum recuperaturum. & legatis non modò benignè respondit, sed & jussit, ut ipsis, Comitibusquè eorum publicâ impensâ Hospitia & Copiæ darentur. Digredientibus habiti sunt honores; dataquè Munera. Quæ Regia Munificentia ergà eos efficere potuit, ut Gener Paterno, Avitoq; Patrimonio perfrueretur, si fraus Batita abesset. Ita Nuntiis, literis, Conditionibus ferendis, ac referendis, & gentili astu, res extrahitur. Filia frequentibus literis Patrem adhortata est, ne Se, Conjugemq;, & Nepotes, hoc tempore, destituat, tum præcipuè Consilio, Auxilioq; indigerent, adversùs potentem, & Alieni cupidum hostem: Ne Palatinatum ferocissimis hostibus objectum, deserat: Ne fraude hostium capiatur, aliud agentium, aliud agere simulantium. Frustra Hispani nominis Odium, Æstum, Potentiam, Vanitatem, & Impudentiam perstrinxit. Rex qui à belli Consiliis alienus erat, perstitit in Sententiâ, omnia priùs quàm Armis experiri certus. Prudentiores mirati sunt, non perspectas fuisse Regi Hispanorum Artes; nuper in Induciis, tot legati illecebras: & nihil ex Promissis præstitum. His neglectis, in Pacis cogitationem versa cura, quæ una salutis via, Regi videbatur; & pecuniarum Conquisitionem.

Exhaustus Impensis legationum, & victu gratuito præbito. Marchionem Hamiltonium, florentem ætate, vetustæ familiæ Opibus, & Auctoritate, apud Populares, Apolectum cum vicariâ potestate in Scotiam, misit, ad obtinendas pecunias. Qui in Regni Comitiis disseruit, intolerabiles in Palatinatum Sumptus: Regias Opes Sumptibus impares. Religionem Popularium animis injecit, ut magnitudinem Principalium Onerum, & publici ærarii angustias sublevarent: & revocarent in memoriam omnia Beneficia, Opes, Potentiam, Honores, à Rege se habere. His vocibus accensi Proceres Regni, & Ecclesiæ, propriis Opibus juvêre. Plebei exemplum secuti, obtulêre pecunias, pro facultatibus; aut Vicesimam Partem Annui Cênsus, in publicum contulêre. Quæ Collatio inaudita anteà, & incognita; sed urgente Necessitate facta, pro Religione Numinis, pro Salute, & Incolumitate stirpis Regiæ. Non ultrà duratura Plebi videbatur, aut in Consequentiam trahenda, nisi in magnâ temporum difficultate; sed mansit posteà, Necessitate publicâ excusata. Collatione factâ, ad redimendum Palatinatum ab Iberis, satis constat magnam ejus partem, in paucorum prædam cessisse; & pecuniam publicam, in privatos usus aversam; ad redimendum Procerum Patrimonium, usuris obrutum. Maxvallius, Nithisdaliæ Comes, fretus Affinitate Bucingamii, fratris legibus Nocentis, hæreditatem, & Comitis honorem recuperavit: ejusquè operâ Procurationem adeptus, publicis Thesauris incubuit; pecuniam publicam avertens, ut debita exolueret. Potentissimus quisquè, & ipse Vicarius, eâdem licentiâ usi sunt, in rapiendâ, & inter se dividendâ pecuniâ. Indignum facinus visum, Collationem in publicum ultrò factam, privatim direptam; nec jam Proceres publicis Prædiis contentos esse, nisi publicam pecuniam quoquè avertant.

Hamiltonius, in Vicariâ potestate, multa utiliter in publicum constituit; quæ in Actis Scotiæ Comitialibus edita sunt; & Cultus Divini Cæremonias abolitas reduxit. Nam eâ tempestate Eucharistia, minore pompâ externâ, sedentibus dabatur; nunc non nisi in genua procumbentibus, Comitiali Auctoritate, ministrari jussa; & privatim, instante Mortis periculo. Baptismum quoquè Infantium, in privatis ædibus, urgente Mortis discrimine, celebrare mandavit. Nec non Puerorum Confirmationem, More veteris Ecclesiæ, à Præsulibus fieri admisit; ut eorum Comprobatione, in fide magis confirmarentur, ad ulteriorem functionem Pietatis. Postremò Pervigiliorum tempora, cæteraquè deliria Romanæ Superstitionis damnavit; persuasitquè, ut festa Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, & Descensionis sancti Spiritus reverenter observarent. Idquè publico Ordinum decreto constitutum. Ministri istam Ecclesiæ Emendationem exosi, hæc de Religione decreta oppugnarunt; Dementiæ esse prædicantes, gustatis melioribus, ultrò recidere ad deteriora, & superiorum Sæculorum Ineptias, amissâ æternitatis viâ. Ad hanc Sacrorum repurgandorum curam Rex intentus, Ministrorum Pervicaciam Auctoritate compescuit. Robertus Brutus, de quo sæpe memoravi, à Præsulibus vocatus, venire detrectabat; dicens, nec Se, nec Ministros, Episcoporum Decretis obligari: Neq; iis Ius, aut Iurisdictionem, Iure divino, esse mandatam, aut concessam: proindè non de Episcopali Iurisdictione, sed de Episcopali Audientiâ, meritò Titulum Codicis inscriptum.

Spreta

Spreta Jurisdictio Præsulum, *Carcere* vindicata est, in liberiore Custodiâ habitus; & in *Septentrionalem* Regionis plogam diu sepositus, animum non demisit; sed Vitæ Sanctimoniâ, Doctrinâ, & Vocibus Numinis suprà humanas, Agrestes homines ad Religonis cultum traduxit. Ostenditquè, nihil de Numinis lenitate desperandum, si intemerati, & impolluti, Prioris vitæ Emendationem sponderent; divinæ ejus Clementiæ sese committerent; subtraherent Oculos Vanitati; Aures Convirijs, & Probris; veterem hominem exuerent, novum induerent. Nec minùs exemplo permovit. *His procul dubio Vir egregius; nisi praepostero zelo, Regni Scotici statum, & Ecclesia tranquillitatem convellere ausus esset.* Nec deterritus est molesti Carceris diuturnitate. In Custodiâ agenti, nec Officium Piorum, nequè reverentia hominum defuêre. *Omnes ad illius Conciones, mirabili diligentiâ, convolarunt*; exceperuntquè Voces quasi à Numine promanantes, quæ Perseverantiam in vitæ integræ cursu, & memoriam honesti Exitus commendarunt. Alij etiam audaces reperti sunt, qui hæc, *qua acta erant in Comitijs de Sacrorum ritibus*, verbis ferocioribus damnare cæperunt; & Præsulum Auctoritatem enervare; Quod publica Ecclesiæ munia desererent; eorumquè exemplo, *Presbiteri* ad desidiam verterentur: Novamquè Cæremoniarum vanitatem aspernati sunt, Saluti nequicquàm profuturam. Questus est *Rex, Contumaciâ Ministrorum Majestatem regnantis imminui*; cohibuitquè Spiritus eorum Minis magis, quàm precibus. Quidam, Spe Dignitatis, *Caremonias probarunt, quas sapè in Concionibus refutarant*; eòq; magis Contumelijs obnoxij, deridendi materiam Audientibus præbuerunt. Plura de Sacrorum Cultu, *& Cleri Factionibus* dicere supersedeo; incertus, an Tumor Ambitionis, an syncera Pietas, ecclesiæ turbas concitasset. 1621.

Ibi quoquè inter Proceres erat certamen. *O-ciltrius Baro*, homo in omnibus Consilijs præceps, Spe constituendæ rei familiaris, *Gedeonem Moravium, Scotia Proquastorem, Peculatus, & Sordium insimulavit*; pecuniam quoquè publicam avertisse, ferocioribus verbis jecit. Respondit *Rex*, vero Inditio gratiam; falso, & vano, Offensionem paratam fore. Amici Rei, falsam atquè iniquam Insimulationem; *Nithisdalia Comitem, Moravium* tanquàm Inimicum & hostem clàm insectari, fremuerunt; & flagrantem Juvenem cupidine proferendi ingenij, fallaci Spe excitare. Postquàm *Reus* suspectum se esse sensit, & Capitalis atquè Odiosi Criminis apertè insimulari, in Aulam profectus est, ad avertendum discrimen, quod imminere ipsi, ac Familiæ nuntiabatur. Ibi *supplicem libellum Regi exhibuit*; querens, sibi, fraude Inimicorum, Crimen & perniciem quæri; sequè pelli, ut locus publicas Opes captantibus patefieret; Nemine nominarim compellato; requirensque Notitiam Criminum, quæ objicerentur, & diluendi copiam; suamquè famam tuendi. Petivitquè à *Rege*, ut Cognitionem Causæ exciperet. *Rex* libellum excepit; Congressu non prohibuit; remquè *ad Senatum Scotia remisit*, integris animis dijudicandam; *ut si quid sit flagitium Moravij, coargui posset; aut si falsa vulgaverint Accusatores, vel Actionem intermiserint; privatam Injuriam Rei, & Principis ulciscerentur.* Ita cum tristi responso dimisit. *Reus in Scotiam pratrepidus redijt.* Ubi cum Defensionem sui, majore curâ, meditaretur, & omnia quæ Innocentiam probarent; *Minis Accusantium dejectus, humore Melancolico, & stupore correptus, aliquamdiu sinè Voce, & quasi Mortuus vixit.* Tandem Juditium Morte prævenit; & se Pænâ, non Crimine liberavit, incognitâ causâ. Verùm, ne sic quidem Accusator quicquàm dignitatis assequi potuit; & verba tumidiora ejus, hominum Offensionem provocarunt; qui verborum Insolentiam oderunt, & Criminantium Calumnias. *Nithisdalia Comes* de Inimici morte insolenter triumphavit; *Odijquè magis triumphus, quàm decoris fuit.* Quippè plerique Invidiâ falsi Criminis circumventum Reum fremuerunt.

In *Citeriore Britanniâ*, Rex eandem curam habuit conquirendi pecunias, si bellum ingrueret; Populo ad Collationes haud perindè prompto, sicut in *Vlteriore*. Passim Commenta, ad obtinendas pecunias, Nova Vectigalia, gravia atquè intoleranda Monopolia.

Ijsdem diebus, *Legatus Casaris Suarzenburgensis in Britanniam appulit.* Ut distineret Regem à *Germanico bello*; Consilia, Conatusquè ejus retardaret. *Is Benignitate Casaris, & egregiâ voluntate commemoratâ, remittendi Generum in eum locum, ex quo decidit*, Regis animum Cæsari mirificè devinxit. Summi Proceres *Legato* gratias egerunt, & fælicem Munere *Legationis* suæ prædicarunt, si Fredericus, ejus operâ, pristinam fortunam, Decusquè recuperaret. *Legatus* Muneribus, donisquè evictus ad id, Operam suam pollicetur. *Rex* ei superabundantissimas Epulas, Oblectamenta, ac Spectacula præbuit. *Cives Londinenses*, armis fulgentes, sub Signis conspici voluit, *in Campis divi Iacobi.* Ipse cum *Legato*, in Palatio propinquo consedit: tres continenter horas ludicro Armorum certamine pugnatum. *Legatus* prætereuntes antè oculos conspicatus; insignibus armis excultos, Signa, Ordinesquè servantes, haud immeritis laudibus extulit generosam Civium indolem; & Campestrem Exercitationem. *Sex Millia Armatorum fuerunt.* Legati diversi ut renuntiarent, Alter in *Belgium, ad Archiducem*; Alter in *Germaniam, ad Casarem* se recepêre.

Rex in Spem Pacis, & Restitutionis erectus, discrimina belli secùm reputavit; *Germanici Populi robur, Batavi peritiam* rei Militaris; fluxam Sociorum fidem; suas gentes belli inexpertas, modicâ Militari famâ; nullos Veteranos Ordinum ductores, præter paucos, qui sub *Batavis* mererent, & ægrè Militiam mutarent. His Cogitationibus nutantem, *alij Legati, Amicique, fallaci Colloquio deceptum monuerunt; & in Vltionem Generi acriter cohortati sunt. Torpere ultrà, & Palatinatum indefensum relinquere, Ignaviam, & Socordiam esse, commemorarunt.* Literis tandem *Digbij* frequentibus, de bello, Prælijs, &

1621. Incertâ Spe Restitutionis permotus, ad Ultionis cupiditatem, credit Expeditionem necessariam; & in eâ præparandâ, primam curam habuit conquirendi belli Nervos. Mox, *Mense Novembri, Proceres, Primores Equitum, & Procuratores Vrbium, antè tempus indictum, ad Comitia citavit.* Coactis tribus Ordinibus, *Saterdotio, Nobilitate, Plebe,* Custos Sigilli, & Quæstor Ærarij, *Bucingamij* gratiâ nuper provecti, bellandum pro Salute, Dignitate, & Patrimonio Nepotum Regis exposuerunt; & Subsidium rei Nummariæ, in militum stipendium contribuendum, multis rationibus docuerunt. *partem etiam Annui Censu*, Omnes Ordines, conferre rogarunt; cum Ærarium exteenis Legationibus, & belli Impensis exhaustum esset. *Desiderata, hoc tempore, in Sigilli Custode, Egertoni acerrimum Iuditium; & in Quæstore, Burlai cautissima Senectus.* Proceres, multis beneficijs obligati, consenserunt, ut promptius decerneretur. Verùm in *Plebejo Consessu*, non eâdem Alacritate obtemperatum. Ibi recitatis Orationibus in *Superiore Consessu* habitis, & *Procerum* promptâ voluntate, in pecuniâ præstandâ; *Robertus Philippus*, animosus Eques, ut Benevolentiam Popularem colligeret, intesfatus est; *Rem magni Momenti agitari; & Exemplum in posterum metuendum in frequentem Ordinem: nec dùm omnes Civitatum Procuratores, & Provinciales Apolectos ad Comitia convenisse. De tâ re, Initio Conventus, nihil temerè decerni oportere. Ad frequentiorem Ordinum Conventum Collationem referendam.* Plures assensêre; & quò minùs decerneretur Subsidium, effecêre. Pauci *Ministre Regis*, increpito *Philippo*, multo cum honore ejus, disseruêre, *Contumatiâ Inferioris Ordinis, Majestatem regnantis imminui; Levitatem sperni: contrà Mores, & Instituta Majorum, Belli Subsidium denegari, & as Militare. Iustam iram Regis, Pietate Reverentiâquè placare; ferotiâ, licentiâquè accendi: Tutela Sociorum, & Sobolis Regia, Civium Iuditio derogari.* Non tamen Decretum perfici potuit, abnuentibus pluribus. Nec potentiores Opibus nimijs, & Injuriâ Minorum elati, Calumniâ in Vulgus caruêre; *Quod pecuniam, quæ in publicum usum colligebatur, in privatum averterent; levarent Divites; premerent Tenuiores; Remp: distraherent; venditarent Sacerdotia, Magistratus, & publica* munera. *Oratio Philippi* libertatem aliorum excitavit. Exin *Ioannes Alfordus, Sussexiensis, Plebei Ordinis Libertatem, Iurisdictionemq; Comitialem tutatus est*; quæ per tot hominum, per tot Sæculorum ætates sanctè servata esset, juxtà leges egregias, honesta Exempla, & Majorum Instituta. *Enumeravit, Quot Civium Procuratores, pro Suffragijs Molestias Carceris perpessi fuerant, contrà Instituta, & Mores Majorum: quem fructum ingenij, Edwinus Sandesius, & Ioannes Seldonus, insignes viri, Propugnatores libertatis acerrimi, perceperint. Nunc demùm coercitam Comitiorum Auctoritatem, Edictorum Severitate. Ergo adhortatus est Ordines, ut dignum famâ, Constantiâq; Majorum, Consilium caperent: quo Authoritati Comitiorum, & Suffragijs Civium nihil derogetur. Animum sibi*, ait, *pro Libertate Morti paratum*, & insignium Virorum sorti obvium. Quod posteà evenit. Cohibuit ferociam ejus *Calvertius ab Epistolis*; disseruitquè, *Comitialem Potestatem auctam potiùs, quàm imminutam à Rege; Procacitatem Vulgi, & Principis Obtrectatores Edictis coërcitos; non priscam Comitiorum libertatem restrictam. Sandesium, & Seldonum, singula increpantes, Captos & in Custodiam traditos, non pro libertate loquendi in Comitijs; sed pro rationibus domestici Imperij, & Negotijs status, ut vulgò loquuntur.* Cæterùm, *requirere se in dicendis Sententijs Moderationem; quam Majores semper habuerunt. Et Monere, ne nimio Amore libertatis, Regis Auctoritatem suggillarent; ac absolutam Potestatem Argumentis convellerent.* Non ideò *Philippus, & Alfordus* sententiâ discesserê; aut Cæteri Opinionem mutavêre.

Eduardus Cecilius, Tribunus Militum, in Belgio, dignum famâ militari ratus, de universâ Belli ratione disserere, *& Vbi, & Quomodò* gereretur, ita orsus est. *Intercepto Palatinatu, Patrocinium Religionis, & Regni Securitatem in imminenti discrimine esse. Philippum Hispaniarum Regem, hostem Ecclesiæ & Reip:; Spe Cogitationequè complexum Orbis Terrarum Imperium. Claustra Italiæ, & Iugum Germaniæ in potestate tenere. Apparere vires ejus, rebus in Germaniâ, & Valle Tolinâ gestis. Vno, & perpetuo Proposito, & Majores, & Posteros Monarchiam affectare. Bataviam, Patre non ambigente liberam, Filium in Servitutem repetere. Cupiditatem Majorum, Philippi Posteros renovare. Superatâ jam Armis Germaniâ, cui Carolus Quintus Imperator leges imponere non potuit, de Imperio Orbis non ultrà dubitare. Quantumcumq; virium Ferdinando Cæsari bello accessisset, Batico id Regno accedere; Nec Bataviam suis viribus retineri posse, irrupturis Germanis, Pannonijsquè. Concidisse Galliam, Civilium Armorum rabie. Protestantes hostibus cessisse, nullo nostro Subsidio terrâ, Marivè. Proximam indè Britanniam, Mari clausam, non ita Armis redundare, ut conjunctis Hispaniæ, Germaniæ, Belgij viribus resistere posset. Hostis omnia parata, instructaquè, Arma, Viros, Equos, publicas privatasq; Opes; immensos Indiæ thesauros. Contrà ipsis omnia imparata, & infida. Pontificios domi Libertati, Religioniquè insidiari; Imperium Orbis terrarum Philippo precari; provisis Imperio vitam, Opes, Sanguinem, Ignatianorum instinctu vovere. Monuitquè, in Subsidium Belli Necessarij non recusare Impensam, instante tanto discrimine Reip:, Incursu valida Classis Hispaniam, atquè Americam affligere; Cum integro Exercitu, Brabantiam, & Flandriam vastare. Ibi in Armis inventuros Batavos, ad asperrima quaquè belli paratos. Diutius non cunctandum, nequè cessandum esse. In eo enim Spem Victoria versi, si opportuna Belgij loca præoccuparent. Militem quoquè, sinè morâ, mittendum in Palatinatum, ad opprimendum hostes.* Finitâ Oratione, alius alio ferocius, atquè asperius, adversùs *Iberos, Fæderum ruptores*, locutus est; *Philippum, Raptorem Orbis terrarum, increpans, quem non Oriens, non Occidens, satiavit.* Ubi ad pecuniæ Collationem ventum erat, quisquè nunc *Querelas*, nunc *Postulata*, levandæ Plebis cansâ, inserit; certatim exclamans, Onera Commerciorum, & Gravamina antè omnia excutienda; Ferocia Subditorum ingrata Regi.

Tùm Comitia tacitis Susurris turbata; *Quod Rex, inconsultis Ordinibus, Nuptias Caroli Principis, cum* 1621. *Philippi Serore moliretur; ac vim Absoluta Potestatis iltenderet: leges, quas tueri deberet, subverteret; liberè censentibus Minas, & Carcerem intentaret; aliena Libidini inserviret; Opes Regni, Pradia, domos, hortos, immerentibus largiretur.* Hi Susurri ad *Neagoram* celeriter perferuntur; ubi *Rex*, Venatione, animum à languore, & Sollicitudine recreavit; Scripsitquè *Proboulo Richardsono*, qui Conventui præerat, oblique perstricto *Plebejo Ordine, sui Muneris esse, quod magnâ Securitate, nullis Oneribus, Pradia, Opes, Honores, possideant. Sibi promissum as Militare diu expectatum, nunc in ludibrium verti.* Nemine nominatim compellato, *Plebejum Ordinem* arguit, turbidè egisse; *quod publica negotia desererent; ad Quastiones, captum transcendentes, dilaberentur: de Prarogativâ, seu Absolutâ Principis potestate; de Connubio filij; de Curiarum decretis; Philippi Regis Insidijs; Casaris fraude; Sandesij, & Seldoni Carcero, relationem, se ignaro, de summâ Reip: inciperent; suamq; Auctoritatem despicerent. Qua res toti Ordini probro; Auctoribus exitio futura esset.* Admonuitquè, *ne de Arcanis Imperij, & Prarogativâ Regis liberius atquè audacius loquerentur, de Connubio Principis, Batici Imperij magnitudine, Philippi immensâ cupidine; vetuit ne de Sandesij Carcere ulterius quarerent; in quem, propter sermonem in Comitijs habitum, conjectus non est, quamvis liceat, secundùm leges, Principis Obtrectatores, omnia culpantes damnantesq; in Comitijs, vel finitis, punire. Neu Controversias Privatorum dirimerent, qua Curiarum Decretis expediri poterunt: Neve desideria hac, atquè talia, ad se perferrent.* Deniquè adhortatus est, *ut de Religione, Iustitiâ, quod è Rep: censerent, statuerent. Quid in Legibus, Moribus, Institutis, ex utilitate communi corrigi, aut mutari vellent, spectarent. Sibi Belli, sicut Pacis Iura, illibata relinquerent.* His literis in *Plebejo Catu* perlectis, mæstum Silentium fuit; nec Timori datum Silentium, sed ne quid inconsultè, ac temerè afferrent, cujus posteà pœniteret. Postero die, Cætu frequenti habito, violenter disseruêre, *nihil à se, nisi More Majorum, & Iure Regni factum, quod à primis temporibus fundatum est: nota esse priscorum Regum temporibus habita Consilta: nota de Religione, Patrimonio Principis, Securitate Regni, Connubio liberorum, Pace, bello, & hostium Conatibus, decreta. Idem sibi, suo Iure; licere; nisi Libertatem à Majoribus, legibus indultam, exuerent; quâ ritè ac rectè hactenùs semper usi sunt, ad tuendam Remp: & vindicandam à Servitute hostium; non ad evertendam, licenter abusi.* Asseruerunt què fore, *ut Confessus semper sui similis, Munere suo optimè defungatur, ad Divini Numinis gloriam, & Regis Obsequium.* Liberius pronuntiarunt, *Ministros Regios Notâ dignos, qui hujus Ordinis Auctoritatem in discrimen votare ausi essent: Apologiamq; in Scriptum redigendam decreverunt: & Duodecem Primores Ordinis ad perferendam eam Neagoram elegerunt:* Qui Ordinis sui Mandata Regi suppliciter exposuerunt; *Apologiamq;* in eandem sententiam exhibuerunt. Quibus *Rex*, tot per Annos gnarus Reip: *verbis Elizabetha* respondit, *legatos expectavimus, Haraldos verò excepimus.* Subjecitquè, *satis approbatum studium suum, & Benignitatem animi in Subditos, Edicto, quo tot Privilegia specialiter indulserat; tot Monopolia aboluerat. Datum Lenitatis, ac Patientia exemplum, cum peterent, quod Iure, & More Majorum, exposcere non poterant. Pro tot Beneficijs gratiarum actionem sperasse; non Querelas de Religionis discrimine; cujus pracipua cura apud bonum Principem esse debet: & Iniqua Postulata, ne Nuptijs Baticis, & exitiosâ Affinitate Regnum perverteret; sed bellum Philippo inferret.* Hinc *Rex* de Religionis studio, & publicâ Tranquillitate verba fecit. *Domi, in Regnis suis, quamvis indomitos & praferoces Populos regeret, immotam ubiq; Pacem esse; foris omnia Bello flagrare. Quod ad Philippum attinet, sibi cum eo Amicitiam esse, breviquè fore, ut Affinitas jungatur; sequè Pacem filij Nuptijs Orbi Christiano destinasse: Idquè satius esse, quàm damnis mutuis genti Iberorum bellum anceps inferre; dulce Inexpertis; contrà Expertis Bona Pacis, miserum & luctuosum. Non adhuc eò ventum, ut armis experiri necesse sit. Diversa inter Regem, Conventumquè Ordinum Munia: Ordines ratione, Consilio, Providentiâ Reip: prodesse; Regi Pacis at Belli arbitria; & curam Subditos tuendi; & Liberorum suorum liberum Matrimonium convenire; quod cuiquè Privato, Iure conceditur. Contumeliosum id Regi, acerbum Socijs, Senem jam Principem, Plebei Ordinis Consilijs obstringi; qui belli cupidine, & Tribunitio furore instincti, Pacis amorem abjicerent.* Sic Apolecti dimittuntur, cum verbis non immitibus; & Spe, *Suffragia ac Priviligia sarta tecta fore; si Potestatem Regiam intactam relinquerent, & Avitam Majorum Moderationem retinerent.*

Hoc responso præferoces homines accensi magis, quàm mitigati, turbulentè fremuerunt, Comitialem Auctoritatem imminui; Suffragia adimi; libertatem in Dominationem verti. Eadem Ira modestiora ingenia in discordiam egit. In primis *Cokus, Comitialis Auctoritatis acerrimus Defensor,* eam Plebejo Ordini commendavit: orans, ut rationem inirent, quâ liberarent Oneribus Plebem; & inhiantes publicis opibus Præda evoluerent. Hunc *Iuris Municipalis* Scientiâ clarum, etiam Populus fovet: quia, abjectâ Spe Dignitatis, ad Otium concesserat; & Senatorium Ordinem exuerat; ut *Bucingamij* Odio subduceretur; Plebisquè studio *Procurationem in Comitijs* semper adeptus, Patrocinium ejus suscepit, adversùs injustam vim, & Præstigias *Monopolarum.* Præseditquè sæpè in *Comitijs*, invisus Regi, ob Contumacem animum, & verba tumidiora, & ob id famâ Vulgi celebratior.

Rex ferociâ, Contumaciâquè *Plebei Ordinis* offensus, ejus leniendæ causâ *scripsit ad Calvertium, tantum abesse à reprimendâ Suffragiorum libertate, aut violandis Privilegijs, à Majoribus huic Ordini, Principalibus Constitutionibus indulsis; vel laudabili Consuetudine prascriptis; ut ea aucta potiùs, quàm imminuta velit. Caterùm, angi se non mediocriter, quod Privilegiorum causa, non obstante tàm aquo responso, à quibusdam turbidè agitata fuerit. Nunc optare, ut Reip: & Bonis legibus in posterum consulatur; ac Rei Nummaria*

1621. *Subsidium properè conferatur.* Denique hortari, *ut Sessionem antè Saturnalia finirent.* Eas literas *Calvertim* properanter accepit, recitavitquè. His lectis *non Sessio, sed Secessio facta est.* Multi rigidi, ac tristes *Procuratores Civium*, majore vi, *Privilegia abrogata clamitabant; libertatem Suffragiorum eversam.* Objectabant etiam; *Plebem Oneribus premi; per luxum inopes, publicis thesauris inhiare: Ambitioni Religionem obtendi; Iniquà Iuditia fieri.* His vocibus accensus, arguebat, *Quod libertatem Suffragiorum praeseferent, ut Imperium everterent, & Obsequium exuerent.* Cum videret, secùm tàm implacatè agi; instante *festo Nativitatis*, Comitia diffisa esse jussit, *in Octarum Februarij.*

Intereà *Plebei* efferati, protestantur, *magnum se in Libertate Suffragiorum, Immunitatibus, & Privilegijs, Majoribus concessis, detrimentum accepisse: & Auctoritatem sui Ordinis diminutam.* Illud omnium maximè improbarunt, *Quosdam sui Ordinis, pro libertate sententiarum, Carceris tadio afflictos*, contrà Instituta, & Consuetudines Majorum; qui liberius loquentes, aut ab Officio desciscentes, Auctoritate Ordinis coercere solebant. *Protestatio eâ de re confecta fuit*; quam servaturos se, Jurejurando interposito, spoponderunt. *Proboulus Richardsonus* Cœtu egredi concupivit, cum de *Protestatione* ageretur; poposcitquè precibus, ne rem publicè exitiosam, & sibi nocituram inciperent. *Exeuntem è Curiâ invitum detinuerunt, donec perficeretur.* Ea Offensio animum *Regis* altius penetravit. Qui mox *Comitia Edicto dimisit; & Protestationem irritam pronuntiavit*; quod Regiam potentiam coercere videretur. Jussitquè, *ut nullum de eâ re Decretum Curia fieret; aut Actis publicis mandaretur.* Nec eos fiduciæ; nec Regem Imperij pænituit. Captus in hoc Conventu, & in Custodiam conjectus *Cokus*; qui per speciem tuendæ libertatis, in Consilio *Plebei Ordinis*, adversùs Regem omnia instruxerat. Comprehensi alij insignes viri, legum, & libertatis se Vindices profitentes. *Robertus Philippus* acri eloquentiâ; *Ioannes Alfordus*; *Pimus*; *& Gulielmus Malreus, Eboracensis*; qui Plebejum Ordinem suis Consilijs depravarent; Semet fautores Plebis, aut Adversarios Principis, in Comitijs, ostenderent; legitimam Regis Auctoritatem labefactarent; Quod Conventu egressum *Proboulum*, ut suprà memoravi, *retraxissent*, ac liberius in Concionibus censuissent. Deniquè, nihil *Rex ipse* decrevit; sed disceptatorem Senatum reliquit. *Qui in Turre custodiendos censuit*: nec aliter mansuros in fide Subditos, nisi fractis animis contumacium, aleretur, confirmareturquè Auctoritas Regis.

Pronuntiavitquè, *ad statum Hiberniæ ordinandum*, Idoneos viros, publicâ impensâ, mittendos esse; qui Provinciam viserent; in Agros inopem Plebem deducerent; leges, ac libertatem tuerentur; & quid de Administratione videretur, referrent. Nominati sunt Equestris Ordinis complures; qui in *Comitijs* moderatius loqui insueverant, *Barnabas Riccius*, *Thomas Crujus*, studio Juris præcellens. Singulorum non est operæpretium Nomina referre. Hi ibi multos morati dies, dum explorarent, *Quanta Hibernorum Copia essent*, *Quanta Colonorum*; & ad *Britannicas* leges, atquè Instituta exigerent singula; Egentibus hominibus Agros dividerent; ut plures essent, qui Arma ferre possent, adversùs hostes: ac quùm multi Coloni essent, qui pro Aris & focis arma ferrent. Id primâ specie triste Spectaculum, mox *Hibernorum* multitudini aparuit, pro libertate suâ esse factum; ne humiliter potentioribus servire cogantur. *Hi Apolecti, ut Authores liberatæ Hiberniæ vulgò celebrati sunt*: & Provinciæ æqualius atquè constantius sunt administratæ.

Rex Bucingamio Monile è gemmis, in Apophoretis dedit. Epulas quoquè *legatis Batavorum* præbuit, solitâ Magnificentiâ. *Qui cum Auxilium adversùs Iberos ferventer peterent*; responsum, *ut Indicæ Societatis damna compensarent; Cætera mox conventura*: Indignante Rege, *Batavis totiès pollicentibus, res Mercatoribus non redditas.* Inter quæ, *duæ Naves Batavorum ab Oriente redeuntes, omni Indicarum*, & aliarum pretiosarum Mercium genere onustæ, *Plini fluminis* stationem tenuêre. Missus ilicò *Oxoniensis Comes*, ad eas intercipiendas, *cum Decem Navibus* eximiæ Magnitudinis; quarum *Quatuor Regiæ* erant. Qui *Roffiensem urbem Londino proficiscens*, edixit, ut Navarchi, Præfectique *Portsmouthum* sequerentur. *Indè se ad Plini fluminis Ostium iturum, ut Batavos inopinantes comprehenderet.* Qui certiores facti, *Oxoniensem Regium Præfectum* Angliæ Oram legere, secundo vento *in Hollandiam* navigarunt. *Oxoniensis*, postquàm *Batavos* profectos in *Hollandiam* cognovit, irrito incæpto *Londinum* redijt; indignans frustrà susceptam Expeditionem: eamquè, duabus de causis, ab æmulis mandatam interpretans; quarum una, Quod non obtemperaturum crederent; cum *Annuam Pensionem Mille librarum*, in solatium attritæ familiæ, Paternis & Avitis largitionibus haberet. Altera, quod in periculo fore Navalis Certaminis sperarent.

Inter Oxoniensem Comitem, & Bucingamium Simultates haud obscuræ intercedebant; hoc casu etiam exacerbatæ. *Bucingamius, Norritij prisci Baronis filiam unicam, Christophoro fratri, per interpositas personas petebat*: ut Nobilitatem, & Opes familiæ, ad eum transferret: quam *Eduardus Vrajus* majore spe ambiebat. Hujus desiderium *Comes* enixè promovebat, publicè, ac privatim: sollicitabatquè Virginem, *Materno genere Cognatam*, blanditijs, Muneribus, Donis, *ut Vrajo nuberet*; & ei Matrem facilè conciliabat, ob communem familiam. *Bucingamius* repulsam in Contumeliam sui trahens, ac veluti Ignominiâ accensus, Ultionem animo agitavit. Nobilissimus *Comes*, abjectâ Spe dignitatis, aut gratiæ, ad Otium iners secessit. Ubi ex Contubernio fervidorum Juvenum, Ebrietatis, & Veneris labem contraxit; quam posteà vitæ Continentiâ, & Victus Sobrietate eluit.

Rex cupidus, ut Pace honestâ frueretur, aut ingruente bello, omnia parata haberet; Consciusquè sibi deesse pecuniam, ad militum usum, proximam pecuniæ curam egit; & inter *Primores Procerum*,

consultavit,

consultavit, de Fœderibus cum externis Principibus; Navium, Armorum, Militum apparatu; pecuniarum conquisitione. Nemine contradicente, *decretum Regi as Militare.* Proceres laudatâ *Regis* egregiâ voluntate, & eximiâ Prudentiâ, qui Pacem armis constituere decreverat, pecuniam Opesquè ultrò obtulêre. *Ecclesiasticus Ordo*, se omnia Regi debere professus, *præter Decimas*, quàm maximâ poterat Collatione, suscepti Belli Necessitatibus subvenit: nec proindè Calumniâ in Vulgus caruit. Pecunia quoquè, *Præstationis gratuita specioso nomine*, ab Opulentioribus Civibus exigi cæpit. Qui prædandi exemplum, in posterum magis, quàm præsens detrimentum metuentes, *Collationem palàm recusarunt:* conquerentes, attriti Populi Onera, Gravamina, Tributa, & Vectigalia. *Rex* curam *Collationis* Senatorio Ordini demandavit: qui magnâ cum Industriâ, aderant quotidiè, ut commodius & celerius confici posset. *Cranfeildius Quæsturam* adeptus, pecuniæ per fas, nefasquè colligendæ intentus, *Nomina Opulentissimorum* per Urbes, & Municipia, Civium conscripsit; ut Pecuniam, *Æstimatione rerum mobilium*, mutuam darent. Censum Annuum Equitum, per Provincias annotavit; fœnus etiam, & Villarum Magnificentiam; ut ratam Portionem repræsentarent Fisco, in Belli sumptus necessarios. Hinc Pecuniæ simulata inopia, aliarumquè rerum omnium magna Copia, ac Annonæ vilitas. Validiorquè indies *Cranfeildius*, & malis artibus invisus, infamisquè, *Bucingamij Cognatam uxorem duxit*; ut eum propter tàm arctam Affinitatem obstringeret; inchoatæ jam Potentiæ incrementum indies adijceret. *Bucingamius* Consortem magis Regni, quàm Ministrum agens, tantum animi habuit ad Audaciam, ut nemo, illo invito, nec *Præfecturas*, nec *Procurationes*, nec *Senatorium Ordinem* retinere posset. Omnia, sinè ullâ exceptione, quibuscunquè voluit, dilargitus est. Multos *Senatorij Ordinis honore* cohonestavit: Qui dixerunt Sententias ejus arbitratu. *Suos* Blanditijs, Muneribus, Præmijs, Convivijs, Epulis percoluit; *Adversarios*, & omnes quos oderat, aut minaciter deterruit; aut Spe Benevolentiæ devinxit. Inimicorum aut interitu, aut Carcere, aut Secessu aucta indies Potentia. *Coki Insolentiam Rex Carcere ulcus est.* Southamptonius, contendens ne dominarentur Indigni, temporibus coactus, ab Aulâ in locum Amœnum secessit. *Oxoniensis Comitis* ferocia mox Carceris squalore vindicata est. 1621.

Hoc Anno, in lethalem morbum incidit *Ioannes Regius, Præsul Londinensis*, vir omni laude præstans, Literaturâ, Probitate, Sanctimoniâquè vitæ clarus. Qui primùm *Curio Andreani Templi, Holburna*; *deindè Collegij Christi Oxonia Decanus*; Postremò, Regis gratiâ, & Concionum famâ sublevatus, *salutatus est Præsul Londinensis*; in gratiâquè & honore deinceps habitus. *Vndecimo Sedis Anno* domi suæ Senex est mortuus. Ingenti gloriâ doctrinæ, & Sanctitatis, post Mortem claruit: adeò, ut *Pontificiorum* rumore percrebuerit, *Præsulem antè Obitum Romanâ Religione imbutum*; conciliante *Prestono Presbitero*. Quam Calumniam *Prestonus* Confessione suâ diluit. *Filius Præsulis* publicâ Concione refutavit, & Innocentiam optimi Patris enixè defendit; confluente ad rei Novitatem innumerâ Multitudine. Vir procul dubio tanto fastigio dignissimus. Lumine Civitatis extincto, de eligendo Successore aliquamdiu in Aulâ consultatum. *Georgius Montanus, Episcopus Coritanus, Pontifex Londinensis creatur*; in quo non erant pares Animi, pectorisquè dotes.

Annus & hic, apud nos, abstulit *Henricum Savelium*, Equitem, omni virtutum, omniumquè Scientiarum genere instructissimum. Qui *Aitona Præfectus*, plurima singularis Eruditionis Monumenta edidit; *Cornelium Tacitum Industriâ suâ illustravit; & vernaculâ linguâ historiam ejus evulgavit*; statimquè post Editionem *Chrysostomi*, æternitate atquè omni laude dignam, diuturno labore consumptus, optimè meritam de Ecclesiâ animam Deo reddidit, summâ cum Prudentiæ, Doctrinæ, & Probitatis laude. Qui ad alia innumera Beneficia, quibus Posteritatem sibi magnopère devinxit, hunc Cumulum Beneficentiæ, moriens adjecit; *Impensâ suâ, Geometriæ, & Astronomiæ Prælectiones, Oxonia instituit*; ubi primum studiorum Tirocinium fecit. Dein *Collegij Martini Præses*, incredibili juvandæ Reip: Literariæ studio, ad vitæ ultimum spiritum, flagravit. Sicut Boni omnes *Virum* summoperè dilexerunt, propter Doctrinam, quæ in eo eximia fuit; ita in *Mortuo* ornando, mutuâ Æmulatione certarunt.

Et *Robertus Bellarminum*, illustrem Cardinalis locum in Ecclesiâ, studio Theologiæ, adeptus, maximum Sæculi sui Ornamentum, *Romæ supremum diem explevit*. Vir Divini, & humani Juris peritissimus. Cujus *Controversia Religionis*, & aliæ doctissimæ lucubrationes, à *Pontificijs* magnâ famâ celebrantur; haud perindè à *Protestantibus* probantur; qui *Libros* in Scriptis, in Concionibus, Synodis, contemptim exagitarunt; *Quod Consilium Tridentinum; erroneam Papanorum Doctrinam; Imaginum usum, à Numine prohibitum, & à B: Gregorio improbatum; Sacræ Communionis usum sub unâ Specie, contrà Dei præscriptum; Baptismi exorcismos; & Sputi in os Infantis injectionem; depravatam Curia Romana Disciplinam; & antè omnia, Pias fraudes, Purgatorium, Indulgentias, Opera Supererogationis, mordicùs tueretur; ut nihil de Auctoritate Pontificiâ detrahatur; nihil in Doctrinâ, vel Disciplinâ innovetur, ad Eutaxiam Ecclesiæ: Confessionem Augustanam, quæ in Germaniâ prævalet; Genevensem, & Helveticam improbaret.* Controversiæ ejus multo apud Doctos rumore fuêre. Doctiores censuêre, *opus illud ex Doctissimorum Professorum Prælectionibus concinnatam; quorum Nomina reticuit, ac Scripta suppressit*; ut gloria sua magis enitesceret; & Auctorem *Bellarminum* alienæ plùs Industriæ debere, quàm suæ. Certè, *in Controversiarum Decisionibus* plùs ingenij, & acuminis, quàm Veritatis enitet. Et eos *pro Sectarijs, ac hæreticis* habet, qui aliter de Divinis Mysterijs, quàm ipse, sentiunt: *& pluris Sacrificium illud, quod à Sacerdotibus in Eucharistiâ fit, quàm*

1621. *Christi in Cruce Sacrificium æstimat.* Funus frequentiâ maximâ Civium, Conventu celeberrimo Cleri, splendore Purpuratorum, & miris laudibus celebratum est. *Corpus in Æde Ignatianorum, Romæ conditum. Sepulchrum floribus ornatum, ad celebrandam ejus Memoriam.*

Hæc ætas *duos Cardinales Illustres*, Romanæ Ecclesiæ lumina, protulit, *Robertum Bellarminum*, de quo modò memoravi; *& Cæsarem Baronium*, omnibus Artibus præcellentem. Qui exercuit Ingenium multiplici, variâque Historiâ: *& immensum Opus edidit, publicè privatimq; Prudentium Iudicio celebratum.* Pontificatum Neutri Illustre ingenium acceleravit. Ferunt *impedivisse Philippum, ut Baronius Pontificatus Insignibus cohonestaretur: quod in Descriptione Siciliæ, minore cum laude nominavisset; & Regnum, Pontificis Patrimonium dixisset.*

Omnes domesticas Charitates complecti non possum, paucas referam, ut amicitiores Posteros Reip: reddam. *Gulielmus Branuaitus, Theologiæ Doctor, & Collegij Caij, Cantabrigiæ Præfectus,* alendis Sex egenis Scolasticis Stipendium præbuit; & Libros omnes *Bibliothecæ* contribuit. Parvam pecuniæ summam erogatam, laudabilem fecit animus erogantis.

Margarita Slania, Vidua Equestri dignitate, duo Millia librarum *Societati Aromatopolarum*, in sanctissimum usum, concessit; ut *Ecclesiastica Beneficia* Coronæ contributa, & Laicis venundata, pretio redimerent; *Ius Patronale* retinerent; Sacerdotia acquisita Viris spectatæ eruditionis, & Sanctitatis darent, qui Saluti animarum consulerent. Modum præscripsit, ne multiplicia Beneficia haberent. *Si quis tenui stipendio non contentus, aliud Beneficium adeptus esset, primum amitteret.* Et cæteris bonum exemplum præbuit, quâ ratione Beneficia Ecclesiastica ad priscum usum revocarentur. Item *Prædicatoribus egenis* Ducentas libras; *Carcere clausis*, eandem summam; *Christi Brephanotrophio*, Trecentas muneri dedit. Hæc Liberalitas Memoriam apud Posteros conservabit, Pietatis in Deum, Amoris in Patriam, Charitatis ergà Pauperes. Hæc Opera Charitatis *Londini.*

Extitêre alibi pia Monumenta. *Stephanus Somus, Eques, & Senior Civitatis, Thurloci, in Suffolciensi Agro, Gymnasium extruxit:* & Annuum Stipendium Triginta librarum Gymnasiarchæ, ac Hypodidasculo constituit: Item, *Ædem ibi duodecim ætate confectis*; quibus Victum, Amictumquè necessarium suppeditavit.

Ioannes Harisonus, simili liberalitate, *in Agro Lancastrensi*, Charitatem Popularium, & Benevolentiam sibi conciliavit. Hæc species Charitatis Adversarios habuit summos viros, *qui multiplicia Gymnasia, Paupertatis, Mendicitatisquè causas esse contenderunt.* Quod imperiti Adolescentuli, gustatis primoribus labris humanitatis studijs, Agriculturam, & utiles vitæ Artes negligerent. Utcunquè ardens in Pietatem, & Remp: Civium desiderium; ac honesta Benevolentia, incepto egregio, ex animis erogantium, non irrito eventu æstimari debet.

Robertus Riccius, Baro Præpotens, & opibus excellens, *Gerontocomium, Rachfordiæ, apud Trinobantes instituit.* Ubi invalidos Senes alimentis sustentavit. Quo facto Charitatem Popularium, & gloriam consecutus est; salvo statu fortunarum suarum.

Eodem tempore, fæmina *Margarita Hacinia*, equestri loco *Herefordiæ*; & *Ricardus Hallesius, Hartfordiæ, Conciones hebdomaticas, ac Puerorum Catechesim, Annuâ Pensione 30 librarum constituerunt.*

Ioannes Adlandius, Eques Devoniensis, Munificum se Civitati *Exoniensi* præstitit; & 500 Libras Muneri Civibus misit, *ut Impuberes egentes, Mechanicis artibus initiarent.* Charitatis commemorationi vacavi, ut clariis exemplis pecuniæ erogatæ, Posteri accenderentur. Singulorum *Civium Londinensium*, Munificentiam consectari, non est operæpretium; qui *Ædes Sacras Divorum labefactas refecerunt; & Captivos sublevarunt*, immensâ pecuniâ, si ad Calculos revocetur. Adeò, ut Civitas, quasi Charitatis & Munificentiæ Officina videretur: pro cujus Salute, & Incrementis, *Brephanotrophia, Ptochodochia, Nosocomia, Gerontocomia, Gymnasia, Auditoria*, laudibus, precibus, & Votis, in dies singulos excubant.



RERUM

RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER DECIMVS NONVS.

G*VLIELMVS Alexander*, Equestris Ordinis, magni & excellentis ingenij vir, *Iuvenis* 1621 *pangendis Versibus magnam laudem meruit*. Provectâ ætate majora ausus, propter Liberorum multitudinem, Prædijque sui Egestatem, à Rege petijt, *ut sibi liceret, pecuniâ suâ, America partem incolere; & Naturâ barbaros, ab Agresti vitâ, ad cultum Pietatis traducere. Iacobus* verò, non modò illius Postulato, Diplomate satisfecit; sed etiam fideli ejus operâ, in multis rebus posteà usus est. Is *Coloniam in Americam deducturus*, duo in primis spectavit, possentnè fructus pro labore & impensâ redire; & utrùm saluber esset locus, necne. Hoc Anno, Navem & homines idoneos in *Americam* misit; quibus Onus lustrandæ Regionis imposuit, *an Ager fertilis foret*, quò suos deducturus esset. Qui reversi renuntiarunt, *Terram Rivulorum, fontiumq; Amœnitate jucundam, sinè humano cultu fundere ea, quæ suppeditent ad vetustam Parsimoniam; Alces prægrandes, Aves Marinas innumeras, & Piscium maximam Copiam*; quibus in Victu quotidiano Incolæ uterentur. Item *Arbores*, omnemquè materiam Sylvestrem; Cultores, *homines Agrestes; omnis Religionis experetes*. Quia prima Navigatio successerat prosperè, fortunam, totius rei Principium, secuturam ratus, cum Socijs de statu rerum suarum deliberavit, *Possetnè, ubi Colonia esset Francorum, eò Coloniam novam Iure deducere?* Qui negarunt, *in eam Regionem, quo Colonia esset deducta, dùm esset incolumis Colonia, Novam Iura traduci. Colonos novos deduci posse*, affirmarunt, *Regione derelictâ à Francis Incolis, aut manentibus, & ad Indigenarum ferocitatem, & Immanitatem degenerantibus. Alexander* igitur, studio gloriæ, & propagandæ Religionis accensus, libello edito *Britannos* ad deducendas Colonias verbis amplissimis excitavit; & multos homines sibi familiares, cupidine laudis, inflammavit: ut nomen illius per totam *Britanniam* cum magnâ gloriâ vagaretur.

Hâc in re, sicut in cæteris Reip: partibus, operæpretium Majorum Industriam recordari; & quantum suscepti Operis ratio patitur, breviter commemorare, *Qui Colonias idoneis locis collocarunt. Henricus septimus*, homo certè felix, & Britannici decoris cupidus, Æmulatione *Ferdinandi Arragonensis Regis*, viam in *Occidentalem Indiam* aperuit: & in *Americam*, suâ Impensâ, misit *Sebastianum Chabotum, Naucleruin Venetum*, rei Maritimæ peritum. Qui *Septentrionalem America partem perlustravit*, Sylvis Arborum, Insulis, atquè Terris scatere renuntiavit. Hoc institutæ ad *Americam Septentrionalem* Navigationis initium. *Angli*, propter Soli bonitatem, Salubritatemquè Aeris, Urbes condere, & Terram colere, in Orâ Regionis Maritimâ, *regnante Elizabethâ*, cæperunt; *quam Virgineam, in Memoriam Regina appellaverant*. Horum exemplum, & Industriam secuti *Bristolenses, & Plimi fluminis Accola, Novam Coloniam in Indiam, ad Septentrionem Virginea deduxerunt; quam Novam Angliam nominaverant. Alexander*, Scotici decoris studiosus, *in America partem Coloniam destinavit, quam Nova Scotia nomine celebrari voluit*; ubi Oppida condere instituit. Extremas *Septentrionalis America* Regiones, citra *Novam Angliam, Scotorum ditioni*, atquè Imperio adjecturus, Novas leges, Conditionesquè proposuit. Danda esse Nomina ab illis, qui *in Novam Scotiam* deduci, cum Conjugibus, liberisquè vellent. Multi rei familiaris inopiâ coacti, eò Expeditionem susceperunt. Plures gloriæ avidi, locis primùm consideratis, in quibus expediret *Colonias* collocari, certatim nomina dederunt. *Francia Rex*, per legatos apud *Britannum* queritur, Suos fines, Suamquè Regionem, *Novam Franciam, à Britannis afflictam*; Munimenta eversa, disjectaquè. *Samuelem Argolium, Virginea Ora Præfectum, Portum Regium armis invasisse; & Francos, qui locum possidebant, bonis omnibus eversos, in Sylvas, & Solitudines coegisse*. Id autem nullo Jure fieri; *petijt, ut à Populatione Colonia suos cohiberet*. Rex rem integram ad Senatum rejecit. Ibi cum quid respondendum esset *Franco*, consultaretur; plures censuerunt, *eam Indiæ partem ab Henrico Septimo, antè alios omnes, detectam, ad Britannia Regem, Iure spectare: cujus Majores, suâ Impensâ, detexissent. Subditos nulli esse Injurios, si à Francis desertam Regionem Novis Colonijs occupaverint*. Placuit hæc Sententia. Re in Senatu diu agitatâ, & Legatis responsum est, *Britannos sinè cujusquàm Injuriâ, in Americâ consedisse; vacuas terras occupasse; in Ora Maris Oppida, & Propugnacula condere cæpisse; Nequè Francos rectè fecisse, cum in Septentrionalem Americam venerint, tutam sub Britannici Regis auxilio; Sedemquè sibi ipsis circà Portum Regium ceperint; Propugnaculaquè in alieno solo ædificarint, sinè ejus permissu, qui*

Virginea

1622. *Virginea praesset: Denuntiavitquè, ut Multitudinem domi sua continerent; ac quas adissent terras relinquerent, si exitium vitare vellent.* Perturbari hoc Responso *Legati*, undè venerant redierunt. Hâc denuntiatione, ac *Argolij ductu* maximè operâ, conterriti *Galli*, *à Novâ Scotiâ*, *regnante Iacobo*, *abstinuerunt*; qui ita infregit animos eorum, ut absisterent. *Britannorum* verò animi multò magis ad transeundum indies accensi sunt. Adjuvante Rege honestos Subditorum Conatus, magna hominum vis, seu Egestate Agri, seu melioris fortunæ spe, cò migrarunt.

Iacobus, urgente *Ærarij, fisciq;* inopiâ, *tum Comitia omnem Collationem recusarent*, de Consilij sententiâ, *Censum* omnes Ordines conferre jussit. *Proceres Regni*, *& Ecclesia*, Equitumquè complures, Auctoritate pernoti, proprijs Opibus subvenerunt. Pleriquè *Plebei*, & insuper quidam *Equestris Ordinis*, extenuantes Opes suas, Subsidium dare abnuerunt. *Quæstor* in novo Officio ad cuncta Reip: Munia acris, atquè alacris, cum Acerbitate exegit, & non sine verborum Contumeliâ. *Nomina* Præcipuorum per Urbes, Pagosquè, Civium, *at Censum* cujusquè descripsit, *ut pecuniam mutuam, pro facultatibus, Fisco repræsentarent*: tantum terroris omnibus ferè injecit, ut Imperio Tribuendi parerent. Non unus *Quæstor* modò, sed omnes *Ministri Regni* Socijs, Amicis, & Civibus Obsequium suaserunt; & mentes eorum flexerunt: summam diligentiam adhibuerunt, ut res commodius ac celerius confici posset. Si qui *Collationem* recusarent, & parere Senatus Decreto abnuerent, Scripto Nomina comprehenderunt, eaquè *Quæstori* tradiderunt, qui de Singulis ad Senatum referret. Ita immensa Pecunia, intrà paucos dies, *Præstationis gratuita nomine*, exacta. Quæ dùm cogitur, *primus Londinum intolentium abnuit Barnius*: audacique incæpto *Quæstor* permotus per Ludibrium, & Contumeliam, protinùs Nuntium misit, *ut citatu equis in Hiberniam decurreret*, *& Regis literas ad Proregem deferret*; *nisi Centum Libras in præsentiâ numeraret.* Quâ denuntiatione perterritus, metu magis quàm precibus, *ad Centum Libras* perductus est. *Petrus Hamonius, Eques Cantianus*, in Comitijs Defensor libertatis, fundamentum jecit, *Suorum quemquè Bonorum esse dominum*, *& sui quemquè Iuris retinendi*, *& dimittendi esse arbitrum.* Vocatusquè à Senatu, in eâdem Opinione perstitit; *at Collationem palàm recusavit*; concessis jam anteà multis magnisquè Tributis, Comitiali potestate: cujus Auctoritate, & Exemplo, *intermissa est à multis largitio.* Senatus veritus, ne plures pertinaci Simulatione Inopiæ, & Contumaciæ exemplo, *gratuitam Præstationem* recusarent; *in Palatinatum Hamonum contumacem parentem*, *properè abire jussit*, *si in Pertinatiâ persisteret.* Qui non perturbatus hâc voce Senatus, relictâ Patriâ, *in Palatinatum ivit*, cum magno Impendio, periculoquè suo. *Quæstor* institit, debuisse graviorem Temeritatis pœnam statui in eum, qui parere Senatus Decreto detractaverat, *& vim Absoluta Potestatis infregerat*; cum de Cæterorum honestissimorum Senatorum Sententiâ, constituta satis gravis pœna videretur.

Rex corrogatâ pecuniâ ad Necessarios usus, & legationes, in Senatu multa de suâ egregiâ ergà Subditos voluntate, & in Religionis, ac publicæ Pacis negotio præcipuâ curâ verba fecit: petijtquè, ut quicquid ad Divini Numinis gloriam, & Britannici Regni Tranquillitatem expediret, communi ipsorum Decreto statuatur: *Deumq; testatus est*, *Motus postremo Conventu Ordinum ortos*, *nullâ suâ culpâ excitatos*; *sed effreni quorundam licentiâ*, *& illiberali Protestatione*, *à Majoribus libertate Comitijs datâ abutentium.* Unicum præsentium malorum remedium disseruit, *Amicitiam cum Cæsare*; *& Affinitatem cum Hispano*; de quâ ipsis cogitandum esset. *Altius de Profectione filij consilium* dissimulavit. Cum *Præfecto Classis* secreta Consilia agitavit, cui Cogitationes intimas communicavit. *Papanis suam Religionem primùm indulsit*; Judicum Severitate, pro tempore, coercitâ; nisi ad Remp: opprimendam conjurarent: *Concionantiumquè licentiam repressit*, quæ ferocius eruperat, ad movendas Populi offensiones, adversùs *Pontifitios*; qui domo dilapsi, non tàm de Salute suâ, quàm *Protestantium* pernicie consultarent. *Negotium Præsulibus dedit, ut cohiberent Catharos, qui Plebem Contionibus depravarent*; *aut tumultuosissimi cujusq; Sermonibus præberent aures*; *hortantis, ut adversùs Pontifitios leges exercerentur*: *Sacrificuli Aula*, *Vrbe*, *Regno depellerentur.* Hi impigrè mandatum executi sunt: dataquè est opera, ut procaces linguæ comprehenderentur; ad terrorem aliorum, Carcere clauderentur, ac vindicarentur, juxtà morem Ecclesiasticæ disciplinæ. Monuerunt quoquè, inopportunè, graviores Principis curas Querelis eorum onerari; providi, ne qua justa Querela, in causâ Religionis esse possit.

Præcipua in *Hacuellium*, *insignem Theologum*, *Carolo* Principi à Sacris, Regis ira: *quò scripto Libello, Connubium cum diversa Religionis Cultoribus illicitum contendit.* Nihil prætermittit, quo Invidiam, Odium, *Iram in Baticas Nuptias* accenderet. Deniquè, ut defenderet contrariam Opinionem, nemo laboravit. *Rex* subolevit hoc fecisse, ut negotium sibi facesseret; & mora Nuptijs inijceretur. Non obscura fama fuit, *adjutum Hacuellium in scribendo*, *à Thomâ Moravio*, viro eximiæ Pietatis, Probitatis, & Doctrinæ; qui *Carolo Principi* impuberi, in Otio à studijs; Juveni, in Negotijs, ab Epistolis erat. De quâ Suspicione certior factus *Iacobus*, non cessavit accersere, & percunctari, *quâ subactus Injuriâ, Consilijs suis*, *& Nuptijs filij adversaretur? & Malevolos homines*, *in scribendo ea*, *adjuvaret*, *qua Subditorum accendere animos ad res novas viderentur?* Negavit *Moravius*, operâ suâ in scribendo adjutum Authorem. *Lectionem Libelli* abnuere non potuit, quanquàm Consensum abnueret; ac dehortatus esset edere. Deum immortalem testatus est, vixisse se cum fide, & Obsequio ergà Regem; nec minore Officio in Principem. Suppliciter orat, & impensius obtestatur, *ut Principem consuleret*, *si clàm*, *palàmve*, *à Nuptijs aversus*, *Officij terminos transgressus sit.* Rex celatâ Indignatione, prætetulit responsum

sibi non

sibi non ingratum; Admonuitquè recordari, *Præceptorem Carolo datum à Se, ac multis Beneficijs cumu-* 1622.
latum. Reus digressus, non modò Spem Veniæ, sed certam fiduciam gratiæ cæpit habere, Nec multò post, *Rex, adhibito Bucingamio, deliberavit*; qui privatim *Moravio* inimicus, Iram Regis stimulavit, ut locus *Francisco Cotingtono* patefieret; quia Ministeria Legatorum *in Hispaniâ* obierat: disseruitquè, *multos alios, per speciem tuendæ Religionis, Nuptijs adversari; nec aliter eas perpetrari posse, nisi fractis animis. Oravitq́;, ut confirmaretur eorum Authoritas, qui Connubium Baticum optarent, & partis Hispanorum essent: editis Nominibus eorum, qui Nuptijs Francicis occultè savebant, ut in Ministerijs publicis minor* apud Regem gratia esset. Exin, *Robertum Nantonum, Primarium Secretarium* palàm incusavit, velut *Nuptias Caroli, & Mariæ Henrici Francorum Regis filiæ molientem*, virum venerabilem Doctrinâ, Prudentiâ, ac rerum usu præstantem. *Rex* mitis ergà Amicos, & Clientes, cum suopte ingenio uteretur, *Moravium à Comitatu filij sepo suit*; & præsumptâ Suspicione Sententiam pronuntiavit, *ut Aulâ abstineret; Neu quam partem curamvè Reip: attingeret*; substituto in locum ejus *Francisco Cotingtono*; cui nota erat Hispania. *Moravius* pij simul ac religiosi animi laude fraudandus non est: qui ardens in Pietatem, & Reip: studium non reticens, adseveravit, *Affinitatem cum Hispano publice damnosam*, & divinæ Religioni perniciosam; haud dubiè ad evertendam Ecclesiam tendere; propior Numinis Religioni, quàm privatæ Charitati Conjugis, & Liberorum; vixitquè Lare privato, abditus; vitans Aulicorum Officia, quibus frequentabatur assiduè; quod *Carolo Pueritiam* bonis Artibus, Remp: consilijs juvisset. Qui *Præceptorem* gratâ voluntate prosecutus est; impetravitquè ei *Attonensis Collegij Præfecturam*, morte *Savelij* vacuam. *Rex* tunc *Moravio* offensior, facilis exorabilisquè filij precibus fuit. *Hacvellus* acriter perstrictus, in minore gratiâ posteà fuit: ejusquè exemplo alij conterriti, *ne ad ejusmodi Argumentum prolaberentur; aut Plebem tumultuosis Concionibus incenderent*: cui eâ tempestate, magna non solùm conservandæ, sed etiam amplificandæ Religionis cura fuit; ac *Pontificia Potestatis* penitùs abolendæ.

Venit etiam in Suspicionem *Robertus Nantonus, ab Epistolis*, secretis Criminationibus *Bucingamij*, & apertis *Gundimarij*, clamitantis, *à Charitate Nominis Batici, & à Nuptijs abhorrere.* Ille firmavit animum adversus iniquas *Oratoris Batici* Offensiones; quamvis *Regis* animum sibi alieniorem sentiret, Inimicorum Calumnijs; tamen pro Religione Numinis, Splendore Imperij, Incolumitate Principis, cedentibus cæteris, liberâ voce contendit; *& Affinitatem Gallicam Baticæ prætulit*; rationes adjiciens, *Discrimen Religionis, Reip:, ac Libertatis. Iram Vulgi adversùs Superbiam, Sævitiamquè Iberorum: Odium, Invidiamq́; Procerum: oravitquè impensissimis precibus, ut rebus Ecclesiæ prospiceret; Nihil super Nuptijs, nisi ex Auctoritate Ordinum statueret, quæ sinè discrimine Religionis celebrari non poterant.* Rex eâ tempestate *Nantono* infensus, non præbuit aures. Hinc Accusationis Initium. *Queritur Gundimarius, differri Nuptias Baticas, Artibus Secretarij Callidi, & Audacis. Displicere ei Virginem, Nobilitatem, Formam, & familiam Austriacam. Affinitatem Gallicam fovere; & Odium Populi adversùs Iberos.* Prævaluitquè, adjutus *Bucingamij* favore; qui Consilijs Legati implicitus, ad perniciem ejus incubuit. Causa Odij ex eo, *Quod pro incremento Dignitatis, & Muneris, Matrimonium suum pollicitum uni ex Villeriana familiâ, altam ex aliâ duxisset.* Nec Defensioni locus apud superbas aures. Labefacto *Nantono*, *Calvertius* incolumi proximus, mox præcipuus, cui Arcana Imperij innitterentur, in ejus locum suffectus est. Isto ad publica Munera admoto, ille secessit, ne obstare aut obtrectare videretur; neu Pervicaciâ potentiores irritaret. Plebs recitatis *Nantoni* in publicum Meritis, ac recenti cum *Gundimario* Jurgio, cum visendi gratiâ venisset, vicem ejus vehementer indoluit; disserens in Circulis, *Pietatis studium restinctum; Pontificiorum licentiam effrænatam; summa Reip: Munia lubrica, & Casibus obnoxia; mediocria firma, & in tenui Fortunâ pauciora* pericula.

Gundimarius diutino Morbo laborans, *ex Vlcere Ani*, mansit indies contemtior, & invisior. *Iam certus Matrimonij*, tàm suis quàm Amicorum precibus efflagitavit, ut reviseret Patriam, cujus desiderio teneretur; impetravitquè, adjutus *Comitis Olivarij* gratiâ; qui apud *Philippum* Auctoritate ac Potentiâ pollebat. Lætus Nuntio, in *Hispaniam* profectionem adornavit, ut *Pactum Matrimonium*, Subdola Consilia, & omnem Legationis rationem memoraret. Antequàm digrederetur, Muneris sui dixit, Regem obsecrare, *ut dimitteret omnes Ignatianos, ac Presbiteros, publico Indicto damnatos; aut clausos carcere.* Quod obtinuit, idque *Præsulum* Conniventiâ. Postulavit etiam in commune, *ut Pontificij Oneribus levarentur.* Datum id quoquè precibus, *ut deinceps cum ijs mitius ageretur.* Quo facto testatum omnibus reliquit, nihil à se prætermissum, *quod ad Romanæ Ecclesiæ in Angliâ Instaurationem pertineret.* Quæquidem Conniventia inflavit ad intolerabilem Superbiam *Pontificiorum* animos. Postremò institit, *ne Proceres Germaniæ, Nuntijs aut literis, ad turbas traheret; sed resecaret lites; coerceret Generum; ne validiores irritaret; antequàm Dissidium, Affinitate coalesceret; quam, quantum in se esset, promovere pollicitus est.* Salutato Rege, cum humilibus Blanditijs, *Proceres Aulæ* circumijt, Fautores Regis sui, cum Decore, Modestiâ, & Urbanis facetijs. Mox visit *Proceres Pontificiæ Religionis*; mutuaquè cum ijs Humanitatis Officia exercuit; quibus gratissimus erat, ob multa & magna Merita. Tenuioris etiam fortunæ *Papanos*, & Ignotos nimiâ Comitate coluit. Pro quibus meritis, *à multis Proceribus Pontificijs* ad Naves usquè deductus est, in digressu tutum in *Hispaniam* iter precantibus. Obliquè perstrinxit Vulgi rumor, *quod contrà decus sui Muneris, & Nominis Batici, dona à Papanis, utriusq́; Sexus, accepisset; ut celebratis Nuptijs, Ministeria Reginæ ijs distribuerentur.* Quod asseverare non audeo. Odium & Invidiam potiùs crediderim.

1621. *Virginea praeesset: Denuntiavitquè, ut Multitudinem domi sua continerent; ac quas adissent terras relinquerent, si exitium vitare vellent.* Perturbati hoc Responso *Legati*, undè venerant redierunt. Hâc denuntiatione, ac *Argolij ducis* maximè operâ, conterriti *Galli*, *à Novâ Scotiâ*, *regnante Iacobo*, *abstinuerunt*; qui ita infregit animos eorum, ut absisterent. *Britannorum* verò animi multò magis ad transeundum indies accensi sunt. Adjuvante Rege honestos Subditorum Conatus, magna hominum vis, seu Egestate Agri, seu melioris fortunæ spe, eò migrarunt.

Iacobus, urgente *Ærarij, fisciq́;* inopiâ, *cum Comitia omnem Collationem recusarent*, de Consilij sententiâ, *Censum* omnes Ordines conferre jussit. *Proceres Regni*, *& Ecclesiæ*, Equitumquè complures, Auctoritate permoti, proprijs Opibus subvenerunt. Pleriquè *Plebei*, & insuper quidam *Equestris Ordinis*, extenuantes Opes suas, Subsidium dare abnuerunt. *Quæstor* in novo Officio ad cuncta Reip: Munia acris, atquè alacris, cum Acerbitate exegit, & non sine verborum Contumeliâ. *Nomina* Præcipuorum per Urbes, Pagosquè, Civium, *ac Censum* cujusquè descripsit, *ut pecuniam mutuam, pro facultatibus, Fisco repræsentarent*: tantum terroris omnibus ferè injecit, ut Imperio Tribuendi parerent. Non unus *Quæstor* modò, sed omnes *Ministri Regni* Socijs, Amicis, & Civibus Obsequium suaserunt; & mentes eorum flexerunt: summam diligentiam adhibuerunt, ut res commodius ac celerius confici posset. Si qui *Collationem* recusarent, & parere Senatus Decreto abnuerent, Scripto Nomina comprehenderunt, eaquè *Quæstori* tradiderunt, qui de Singulis ad Senatum referret. Ita immensa Pecunia, intrà paucos dies, *Præstationis gratuitæ nomine*, exacta. Quæ dùm cogitur, *primus Londinum incolentium abnuit Barnius*: audacique incæpto *Quæstor* permotus per ludibrium, & Contumeliam, protinùs Nuntium misit, *ut citatis equis in Hiberniam decurreret, & Regis literas ad Proregem deferret; nisi Centum Libras in præsentiâ numeraret.* Quâ denuntiatione perterritus, metu magis quàm precibus, *ad Centum Libras* perductus est. *Petrus Hamonius, Eques Cantianus*, in Comitijs Defensor libertatis, fundamentum jecit, *Suorum quemquè Bonorum esse dominum, & sui quemquè Iuris retinendi, & dimittendi esse arbitrum.* Vocatusquè à Senatu, in eâdem Opinione perstitit; *ac Collationem palàm recusavit*; concessa jam anteà multis magnisquè Tributis, Comitiali potestate: cujus Auctoritate, & Exemplo, *intermissa est à multis largitio.* Senatus veritus, ne plures pertinaci Simulatione Inopiæ, & Contumaciæ exemplo, *gratuitam Præstationem* recusarent; *in Palatinatum Hamonum contumacem parentem, properè abire jussit, si in Pertinaciâ persisteret.* Qui non perturbatus hâc voce Senatus, relictâ Patriâ, *in Palatinatum ivit*, cum magno Impendio, periculoquè suo. *Quæstor* institit, debuisse graviorem Temeritatis pœnam statui in eum, qui parere Senatus Decreto detractaverat, *& vim Absolutæ Potestatis infregerat*; cum de Cæterorum honestissimorum Senatorum Sententiâ, constituta satis gravis pœna videretur.

Rex corrogatâ pecuniâ ad Necessarios usus, & legationes, in Senatu multa de suâ egregiâ ergà Subditos voluntate, & in Religionis, ac publicæ Pacis negotio præcipuâ curâ verba fecit: petijtque, ut quicquid ad Divini Numinis gloriam, & Britannici Regni Tranquillitatem expediret, communi ipsorum Decreto statuatur: *Denuq́; testatus est, Motus postremo Conventu Ordinum ortos, nullâ suâ culpâ excitatos; sed effreni quorundam licentiâ, & illiberali Protestatione, à Majoribus libertate Comitijs datâ abutentium.* Unicum præsentium malorum remedium disseruit, *Amicitiam cum Cæsare; & Affinitatem cum Hispano*; de quâ ipsis cogitandum esset. *Altius de Profectione filij consilium* dissimulavit. Cum *Præfecto Classis* secreta Consilia agitavit, cui Cogitationes intimas communicavit. *Papanis suam Religionem primùm indulsit*; Judicum Severitate, pro tempore, coercitâ; nisi ad Remp: opprimendam conjurarent: *Concionantiumquè licentiam repressit*, quæ ferocius eruperat, ad movendas Populi offensiones, adversùs *Pontificios*; qui domo dilapsi, non tàm de Salute suâ, quàm *Protestantium* pernicie consultarent. *Negotium Præsulibus dedit, ut cohiberent Catharos, qui Plebem Concionibus depravarent; aut tumultuosissimi cujusq́; Sermonibus præberent aures; hortantes, ut adversùs Pontificios leges exercerentur: Sacrificuli Aula, Urbe, Regno depellerentur.* Hi impigrè mandatum executi sunt: dataquè est opera, ut procaces linguæ comprehenderentur; ad terrorem aliorum, Carcere clauderentur, ac vindicarentur, juxtà morem Ecclesiasticæ disciplinæ. Monuerunt quoquè, inopportunè, graviores Principis curas Querelis eorum onerari; providi, ne qua justa Querela, in causâ Religionis esse possit.

Præcipua in *Hacuellium*, *insignem Theologum*, *Carolo* Principi à Sacris, Regis ira: *qui scripto Libello, Connubium cum diversæ Religionis Cultoribus illicitum contendit.* Nihil prætermittit, quo Invidiam, Odium, *Iram in Baticas Nuptias* accenderet. Deniquè, ut defenderet contrariam Opinionem, nemo laboravit. *Rex* subolevit hoc fecisse, ut negotium sibi facesseret; & mora Nuptijs inijceretur. Non obscura fama fuit, *adjutum Hacuellium in scribendo, à Thomâ Moravio*, viro eximiæ Pietatis, Probitatis, & Doctrinæ; qui *Carolo Principi* impuberi, in Otio à studijs; Juveni, in Negotijs, ab Epistolis erat. De quâ Suspicione certior factus *Iacobus*, non cessavit accersere, & percunctari, *quâ subactus Injuriâ, Consilijs suis, & Nuptijs filij adversaretur? & Malevolos homines, in scribendo ea, adjuvaret, quæ Subditorum accendere animos ad res novas viderentur?* Negavit *Moravius*, operâ suâ in scribendo adjutum Authorem. *Lectionem Libelli* abnuere non potuit, quanquàm Consensum abnueret; ac dehortatus esset edere. Deum immortalem testatus est, vixisse se cùm fide, & Obsequio ergà Regem; nec minore Officio in Principem. Suppliciter orat, & impensius obtestatur, *ut Principem consuleret, si clàm, palàmvè, à Nuptijs aversus, Officij terminos transgressus sit.* Rex celatâ Indignatione, præfetulit responsum

sibi non

sibi non ingratum; Admoonuitquè recordari, *Præceptorem Carolo datum à Se, ac multis Beneficijs cumu-* 1622.
latum. Reus digressus, non modò Spem Veniæ, sed certam fiduciam gratiæ cæpit habere, Nec multò post, *Rex, adhibito Bucingamio, deliberavit*; qui privatim *Moravio* inimicus, Iram Regis stimulavit, ut locus *Francisco Cotingtono* patefieret; quia Ministeria Legatorum *in Hispaniâ* obierat: disseruitquè, *multos alios, per speciem tuendæ Religionis, Nuptijs adversari; nec aliter eas perpetrari posse, nisi fractis animis. Oravitq;, ut confirmaretur eorum Authoritas, qui Connubium Baticum optarent, & partis Hispanorum essent: editis Nominibus eorum, qui Nuptijs Francicis occultè favebant, ut in Ministerijs publicis minor* apud Regem gratia esset. Exin, *Robertum Nantonum, Primarium Secretarium* palàm incusavit, velut *Nuptias Caroli, & Mariæ Henrici Francorum Regis filiæ molientem*, virum venerabilem Doctrinâ, Prudentiâ, ac rerum usu præstantem. *Rex* mitis ergà Amicos, & Clientes, cum suopte ingenio uteretur, *Moravium à Comitatu filij seposuit*; & præsumprâ Suspicione Sententiam pronuntiavit, *ut Aulâ abstineret; Neu quam partem curamvè Reip: attingeret*; substituto in locum ejus *Francisco Cotingtono*; cui nota erat Hispania. *Moravius* pij simul ac religiosi animi laude fraudandus non est: qui ardens in Pietatem, & Reip: studium non reticens, adseveravit, *Affinitatem cum Hispano publicè damnosam*, & divinæ Religioni perniciosam; haud dubiè ad evertendam Ecclesiam rendere; propior Numinis Religioni, quàm privatæ Charitati Conjugis, & Liberorum; vixitquè Lare privato, abditus; vitans Aulicorum Officia, quibus frequentabatur assiduè; quod *Carolo Pueritiam* bonis Artibus, Remp: consilijs juvisset. Qui *Præceptorem* gratâ voluntate prosecutus est; impetravitquè ei *Aitoniensis Collegij Præfecturam*, morte *Savelij* vacuam. *Rex* tunc *Moravio* offensior, facilis exorabilisquè filij precibus fuit. *Hacvellus* acriter perstrictus, in minore gratiâ posteà fuit: ejusquè exemplo alij conterriti, *ne ad ejusmodi Argumentum prolaberentur; aut Plebem tumultuosis Concionibus incenderent*: cui eâ tempestate, magna non solùm conservandæ, sed etiam amplificandæ Religionis cura fuit; ac *Pontificia Potestatis* penitus abolendæ.

Venit etiam in Suspicionem *Robertus Nantonus, ab Epistolis*, secretis Criminationibus *Bucingamij*, & apertis *Gundimarij*, clamitantis, *à Charitate Nominis Batici, & à Nuptijs abhorrere*. Ille firmavit animum adversùs iniquas *Oratoris Batici* Offensiones; quamvis *Regis* animum sibi alieniorem sentiret, Inimicorum Calumnijs; tamen pro Religione Numinis, Splendore Imperij, Incolumitate Principis, cedentibus cæteris, liberâ voce contendit; *& Affinitatem Gallicam Baticæ prætulit*; rationes adijciens, *Discrimen Religionis, Reip:, ac Libertatis. Iram Vulgi adversùs Superbiam, Sævitiamquè Iberorum: Odium, Invidiamq; Procerum: oravitquè impensissimis precibus, ut rebus Ecclesiæ prospiceret; Nihil super Nuptijs, nisi ex Auctoritate Ordinum statueret, quæ sinè discrimine Religionis celebrari non poterant*. Rex eâ tempestate *Nantono* infensus, non præbuit aures. Hinc Accusationis Initium. *Queritur Gundimarius, differri Nuptias Baticas, Artibus Secretarij Callidi, & Audacis. Displicere ei Virginem, Nobilitatem, Formam, & familiam Austriacam. Affinitatem Gallicam fovere; & Odium Populi adversùs Iberos*. Prævaluitquè, adjutus *Bucingamij* favore; qui Consilijs Legari implicitus, ad perniciem ejus incubuit. Causa Odij ex eo, *Quod pro incremento Dignitatis, & Muneris, Matrimonium suum pollicitus uni ex Villerianâ familiâ, aliam ex aliâ duxisset*. Nec Defensioni locus apud superbas aures. Labefacto *Nantono*, *Calvertius* incolumi proximus, mox præcipuus, cui Arcana Imperij inniterentur, in ejus locum suffectus est. Isto ad publica Munera admoto, ille secessit, ne obstare aut obtrectare videretur; neu Pervicaciâ potentiores irritaret. Plebs recitatis *Nantoni* in publicum Meritis, ac recenti cum *Gundimario* Jurgio, cum visendi gratiâ venisset, vicem ejus vehementer indoluit; disserens in Circulis, *Pietatis studium restinctum; Pontificiorum licentiam effrenatam; summa Reip: Munia lubrica, & Casibus obnoxia; mediocria firma, & in tenui Fortunâ pauciora* pericula.

Gundimarius diutino Morbo laborans, *ex Vlcere Ani*, mansit indies contemtior, & invisior. *Iam certus Matrimonij*, tàm suis quàm Amicorum precibus efflagitavit, ut reviseret Patriam, cujus desiderio teneretur; impetravitquè, adjutus *Comitis Olivarij* gratiâ; qui apud *Philippum* Auctoritate ac Potentiâ pollebat. Lætus Nuntio, in *Hispaniam* profectionem adornavit, ut *Pactum Matrimonium*, Subdola Consilia, & omnem Legationis rationem memoraret. Antequàm digrederetur, Muneris sui dixit, Regem obsecrare, *ut dimitteret omnes Ignatianos, ac Presbiteros, publico Iuditio damnatos; aut clausos carcere*. Quod obtinuit; idquè *Præsulum* Conniventiâ. Postulavit etiam in communè, *ut Pontificij Oneribus levarentur*. Datum id quoquè precibus, *ut deinceps cum ijs mitius ageretur*. Quo facto testatum omnibus reliquit, nihil à se prætermissum, *quod ad Romanæ Ecclesiæ in Angliâ Instaurationem pertineret*. Quæquidem Conniventia inflavit ad intolerabilem Superbiam *Pontificiorum* animos. Postremò institit, *ne Proceres Germaniæ, Nuntijs aut literis, ad turbas traheret; sed resecaret lites; coerceret Generum; ne validiores irritaret; antequàm Dissidium, Affinitate coalesceret; quam, quantum in se esset, promovere pollicitus est*. Salutato Rege, cum humilibus Blanditijs, *Proceres Aulæ* circumijt, Fautores Regis sui, cum Decore, Modestiâ, & Urbanis facetijs. Mox visit *Proceres Pontificiæ Religionis*; mutuaquè cum ijs Humanitatis Officia exercuit; quibus gratissimus erat, ob multa & magna Merita. Tenuioris etiam fortunæ *Papanos*, & Ignotos nimiâ Comitate coluit. Pro quibus meritis, *à multis Proceribus Pontificijs* ad Naves usquè deductus est, in digressu tutum in *Hispaniam* iter precantibus. Obliquè perstrinxit Vulgi rumor, *quod contrà decus sui Muneris, & Nominis Batici, dona à Papanis, utriusq; Sexus, accepisset; ut celebratis Nuptijs, Ministeria Reginæ ijs distribuerentur*. Quod asseverare non audeo. Odium & Invidiam potiùs crediderim.

1622. In ejus locum *Legatus missus est à Philippo*, *Carolus Columna*, *Cameraci Præfectus*, vir clarus Natalibus, Militiâ, & Prudentiâ singulari. Qui insitâ naturæ Comitate, Invidiam, ac Arrogantiam effugerat. Is *Britannico* Mari transmisso, *Tamesi* devectus, *Londinum* appulit, magno Clientum agmine. Ubi benignè exceptus, Regem adit, eumquè Regis sui nomine Officiosè salutat, *Batico ritu*, *& Patrijs Caremonijs*. Præscripta ei Mandata refert, ac Postulata, *ut Catholicos protegeret; ne ulrà ob Religionem Crimen, aut periculum esset. Deniquè Britannica Auxilia adversùs Batavos impetrat. Vausius Baro Romana Religionis* dux diligitur. Qui magnum Numerum *Pontificiorum* armis oneravit; & *in Belgium* transgressus, *Tribunus* militum meruit; ubi plùs rumoris quàm roboris partibus addidit; *cum antè eum Nemo, publicâ Auctoritate, adversùs Batavos, in Belgio militaret*. Ex aliâ quoquè causâ accrevit Vulgi Invidia; nam admonuit Judices literis *Coritanus Episcopus, Prator*, ex Auctoritate Regis, *ut Ignatianos, & Presbiteros Romanos in Custodijs per Præfecturas retentos, atquè servatos, emitterent è Carcere, & levarent vinculis.* Perculsi mandato Judices, re deliberatâ, quid agerent incerti, & quid Consilij caperent, *Regi* parere decreverunt, *Iure Absoluta Potestatis, cui Iurejurando obligati erant*. Et eduxerunt eos ex Carcere, quos paulò antè comprehensos in Custodias rapi jusserant; non sinè Plebis, in Civitatibus ac Oppidis, fremitu. *Rex* imperavit, ut qui liberati essent, *antè tertiam diem Britanniâ excederent: Qui post eam mansissent, illos comprehendendi Magistratibus potestas esset*. Affirmavitquè coercitam Judiciorum Severitatem, *Spe Pacis; Restitucionis Generi; ac consimilis Clementia ergà Protestantes in Germaniâ, & Galliâ*. Sed defuit eventus.

Comperit deindè *Iuvenem Oxoniensem, de Regum Officio, in Concione liberius locutum*, & ferocioribus verbis docuisse, *Prasules, & Pastores, Magistratus suos Impios, & Contumaces posse Sacris interdicere, & Satana tradere; donec resipiscant.* Item, *Subditos in Magistratu inferiore constitutos, contrà Superiorem Magistratum, Se, Remp:, & Religionem, Armis defendere Iure posse; his legibus, & Conditionibus, si Superior Magistratus degeneret à Virtute Majorum, ad superbissimam tyrannidem; aut ad manifestam Idololatriam; atquè ad Contumelias in Deum prolabatur: Subditis atrocem inferat Injuriam. Vel si aliter incolumes, Fortunis, Vitâ, Conscientiâ frui non possent.* Reus citatus *ad Tribunal Procancellarij Oxoniensis*, monentis, *Auditoria, & Scolas Professorum, docere, Subditos nullo modo, vi & armis, Regi suo resistere debere. Solam illis in causâ Religionis, Obsequij gloriam relictam.* Percunctatur, *undè falsos, impios, & perniciosos Errores, contrà Canonem Sacrarum Scripturarum, ac receptam Ecclesia doctrinam, hauserit?* & copiam loquendi, ac purgandi se facit. Interrogatus, *fatetur, se Iuvenili Errore, ac Imperitiâ lapsum. Caterùm, hausisse hanc doctrinam ex Commentarijs Davidis Parei, in Epistolam D. Pauli ad Romanos.* Igitur Censuræ Academiæ liber subijcitur. *Celebris Catus Vniversitatis, Procancellarius, Doctores, Procuratores, Magistri Artium, unanimi consensu decreverunt, Pradictas Assertiones Sacris Scripturis, Decretis Conciliorum, Scriptis sanctorum, & Primitiva Ecclesia Fidei adversari. Librum cremandum censuerunt. Qui in conspectu Propratoris, Doctorum, Prafectorum Collegiorum, & Professorum, exustus est*; ne Virus latius serperet, quod palàm ab Universitate damnatum erat. Exin, *Montanus Londinensis Prasul*, apud Paulinam Crucem, *Parei Dogmata condemnavit; & igni facto, Librum in Areâ divi Pauli cremavit.* Tantus hâc tempestate Amor Obsequij, ac reverentia Majestatis. De quâ Opinione *Rex* certior factus, *scripsit ad Cantuariensem Antistitem, interesse Reip: ac Ecclesia Quieti, Concionum licentiam cobibere. Iamquè extitisse Imperitos Adolescentes, qui Dogmata contumeliosa in Deum, exitiosa in publicum, Probrosa Clero, temerè vulgassent, qua incendere Subditorum animos ad Seditiones, & turbas videbantur: Sequè ob ardens Pietatis, & Reip: studium, cupere salutare Remedium adhibere: eâquè in re, suorum Antistitum auxilio indigere, in effreni Concionum licentiâ coercendâ; ac gravi panâ in eos, qui Turbis causam prabuerint, constituendâ. Quod ad Invidiam Ecclesiastici Ordinis sedandam, maximè profuerit.* Interim receptâ super eâ re Consilij sententiâ, admonuit, *ut Prasules viderent, ne turbida Conciones per Provincias haberentur, Seditiosis ingenijs accommodatiores, quàm tranquillis sedatisquè Indolis; & ex earum Occasione Resp: detrimentum caperet. Non indignos ad Sacerdotia proveherent. Hortatusq; est omnes Pradicatores, ut receptos in Ecclesiâ Ritus retinerent. Subtiles & Spinosas Quastiones de Pradestinatione, Providentiâ Divinâ; ac Vniversali gratiâ, ad Scholas, ac Auditoria rejicerent. Ad Gregis sui curam assidui essent: & Catechumenos Oratione Dominicâ, Symbolo, & Mandatis, Die Dominico à Meridie, instruerent. Plebem Officij sui admonerent. De solutâ Regis potestate, aut Muneris sui ratione non tractarent: sed in Vineâ domini laborarent, humilitate, ac Modestiâ. Probrosis dicterijs in Papanos, & Catharos abstinerent; Numen orarent, ut à Semitâ erroris in viam revocarent; ne Homines, non Superstitionem odisse viderentur.* Quibus Constitutionibus, *turbulentis Concionibus* obviam itum est. Mandatis Regis, Episcopis *à Cantuariensi Prasule* redditis, *ut Christum Crucifixum pradicarent; Potestatibus à Deo constitutis parerent; Charitatis studium restinctum, Pietatis exemplis refoverent; Catharos severiore disciplinâ coercerent; Curionibus per Provincias renuntiarent.* Sic turbidæ Conciones quievêre: Vexationibus, ac Supplicijs *Papanorum* temperatum, *quò aquiore animo in Generum, Casar, & Hispanus essent.*

Cæterùm, *Vrajus Norritij filiam, unicam, & haredem duxit, indignante Bucingamio, Christophoro fratri pralatum*; & spretum Dignitatis fastigium. Dissimulatâ causâ, Aulâ prohibitus, & Comitatu Regis, privatam vitam egit. *Oxoniensis* Nuptiarum Molitor (de cujus Cominationibus & Querelis adversùs *Bucingamium* nuper memoravi) injurias Populi adversùs Superbiam, Dominationemquè ejus, epulando, potandoquè violentius percensuit: quas confestim detulit Jucundissimus omnium horarum Amicus,

Amicus, invisus, & infamis. Igitur commotus Nuntio *Bucingamius*; Comitem moribus turbidum 1621.
rursus insimulavit probrosi Sermonis, adversùs se habiti apertius, quàm ut abnueret. De Nuptijs, quibus implacabilius irascebatur, reticuit. Consultus super eâ re *Iacobus*, haud aspernatus Inditium, leges jussit exerceri. Dein proximo Senatus die, *arguuntur verba in Bucingamium habita, per Convivia & Cœtus, de sævitiâ, Avaritiâ, ac Superbiâ ejus*; quæ quoniàm abnuere non potuit, Indice ad dicendum testimonium parato, Turri iterùm mancipatur; non temperante *Comite* defensionem sui; & fremente Plebe, *Virum nobilem, summis Majoribus ortum, Indicis & Exploratoris fraude, ac Adversarij potentiâ circumventum. Maledicta à Maleficijs differre; leges in facta constitui; nullum adversùs Majestatem Sermonem habitum; Bucingamium non in eâ vita Conditione natum, aut ijs fortuna muneribus ornatum, ut Nobilissimis viris anteponatur. Comes* asperâ Custodiâ, & bilis Amaritudine fatigatus, in Morbum gravem & periculosum incidit. Nemo Necessariorum juvare periclitantem ausus est; ne à Rege Voce, aut vultu increparetur. Urgente Mortis periculo, *Villoubeus Baro, Cognatus*, oblato Regi supplice libello, immitem Custodiam, & ægritudinem Comitis exposuit; ac preces miscuit. Deprecanti *Veniam Impunitatemq́, non dedit; sed ut liberiore Custodiâ haberetur*, permisit, *mitis Naturâ Princeps*, & lentus etiam in suo dolore, si alienâ Irâ non traheretur. *Bucingamius* propriâ causâ infestus Comiti, implacabilem, inexpiabilemquè sese præbuit; increpans Mores ejus, effusas in luxum Epulas, & nocturnos Cœtus in lucem. Institit efflagitare, nè liceret impunè, Odium & Invidiam in Amicos Principis excitare: addiditquè, Spem Impunitatis magnam esse Illecebram peccandi; & magnum exemplum metum alijs injicere. *Rex* valetudinis adversæ Invidiâ, ac rumore Vulgi permotus, in Sententiâ perstitit, *ut liberiore Custodiâ haberetur*: ne Æmulatio Procerum, ac Civium acrius erumperet.

Hoc Anno, Hyemis Asperitate, difficultas Annonæ, summaquè Inopia rei frumentariæ, aliarumquè rerum secuta est. *Rex* quantum poterat, Curâ, diligentiâquè obviam ivit. Cum *Proceres, & Primores Equitum, libentius Vrbem, quàm Rura incolerent*; ut per Provincias quoquè frequentia suppeteret, & Alimentorum pretium imminueretur, Edixit, *Nequis Procerum, nisi Comes Regius*; *Neu Quis Eques, nisi Servitio Aulæ domestico teneretur, in Vrbe, arctiore Annonâ, habitaret.* Difficili adhuc remedio, cum tumultus in graviore Annonâ metueretur, Vigilantiam suam, & levandæ Plebis studium Edicto testatus, ejus rei Curam ampliorem *Præfectis Regionum, & Eirenarchis* demandavit; Jussitquè *puniro Mancipes, qui arguerentur, Avaritiâ, & Crudelitate, Annonam flagellare.* Hi apertis horreis, frugum egestatem levarunt. Tandem Urbi *Laxior Annona* redijt, advecto ex *Sarmatiâ*, fœcundâ Provinciâ, frumentu; Plebs Numini gratias egit.

Hic quoquè Annus *multas celebres Legationes externas* habuit. *Batavorum Oratores Londinum missi*, non factum imperitæ Multitudinis defensuri; sed Causam à publicâ Conscientiâ segregaturi, ac satisfacturi; *Postulante Indicâ Societate, ut Merces per vim direpte redderentur.* Causam egerunt, referenres, *non publicâ Auctoritate, sed Privatorum culpâ, apud Asiæ Insulas, Anglorum Bona rapta; Sequè confestim restituturos ablata.* Nec reticentes, Reipi suæ maximum Præsidium in Britannici Regis ope positum esse; ac bonorum Sociorum Officio. Postremò, *res cum Batavis agitari capta, finem habuerunt, hâc lege, ut Negotiatores, qui Mercaturas in eâ Regione facerent, Septuaginta Librarum Millia Indicæ Societati persolverent: & in Orâ Maris Indici, Injurijs abstinerent.* Rex Munera legatis in digressu dedit: monuitquè, *ambos Populos infirmos distractu viribus; ac Barbarorum Injurijs opportunos fore. In Consensu & Concordiâ Spem superesse.* Idquè sibi gratum futurum. *Legati*, communi Ordinum nomine, Regi, pro Humanitate gratias egerunt; & domum redeuntes, *retulerunt Controversias inter Batavos, & Cives Londinenses sublatas esse.* Responsum est à Senatu, id se magnoperè lætari, *Salutemquè Amborum in mutuâ stare Concordiâ.* Quæ brevi servata est: ut suo tempore dicam. Nec *Regis Monitio* furenti Populo frænum injecit; Nec commune Consilium gentis. Nec diu causæ certaminis defuerunt, in Communi Commercio.

Ab Isabellâ etiam Ferdinandus Boisbotus venit, de Pace ponendisquè per Conditiones armis. Inter Regum, Populorumquè legationes, *Gundmarius*, Navigatione celeri, in *Belgium* vectus; *Hispaniam* repetijt: retulitquè, tempestivis temporibus, *Comiti Olivario: Multis Nationibus Clarissimum Principem ad se trahentibus, Affinitatem Baticam prælatam Cæteris, Pacto restitutionis. Suis illecebris Pontificios sub tutelâ Regis securos esse; eumquè haud secùs quàm Protestantes fovere: severos Catharos summotos; Catholicos ad reverentiam nominis Batici promptos.* Suaquè in distruendis æmulis Consilia extulit. Responsum à Comite, *Nota hæc sibi; & Quomodò Britannici Regis Conatus frustrari solitus sit*: Regemquè plurimùm ei debere. Sed consulendum Senatum, *si Matrimonium rebus Baticis, in præsentiâ, conduceret; Quia Pater Cæsaris filio desponderat.* Re in Senatu agitatâ, *differre placuit; ne Æmulatio inter Philippum, Cæsarem, & Proceres Germaniæ Catholicos oriretur.* Quanquàm *Carolus Columna* talis vir haberetur, de cujus fide dubitari non posset; tamen *mitti placuit Speculatorem rerum, quæ in Britanniâ agerentur.* Qui edoceret, *posse de Nuptijs, & Controversijs Palatinatus Colloquio transigi. Ac frustrandi Artes in Tractatione rerum continuaret. Carolus Columna*, vir verè Militaris fidei, dignitatis, Probitatis, potiorem laudem duxit. Is Comitate, Moderatione, Sapientiâ, studia Vulgi pellexit; *Invidiam Batici nominis, Gundmarij Callidis Artibus, in Britanniâ auctam, mollivit.* Congressum, Colloquiumquè poscentibus, visendi sui copiam fecit: & in publicum procedens, corpore speciosus, convertit in se omnium oculos, vultusquè. Non in Urbem, aut propinqua Palatia, nisi ad negotia, digressus est; frequentare domos

1622. *Pontificiorum*, ac familiares Sermones miscere, dignatus non est. Arctam Regum Amicitiam concupivit: afflictam Bohemi fortunam miserans, & imminentium bellorum Clades. Famaque ejus apud Populum aucta, quia procul Ambitione agebat; actæque ei grates ab Illustribus, dicentibus, *benè Consulisse rebus suis Philippum, quod Carolum Columnam legatum miserit.*

Inter hæc, notabilis atque Ominosa res accidit, *ac Tamesis reciprocatio, ultrà solitum, miraculo fuit; qui Quater uno die recipracavit; & Vrbem ingenti terrore affecit.* Causam inquirere supersedeo. Quia ingeniosa Miracula facit Natura parens; nec Aquarum natura à Miraculis cessat. Curiosi rerum Exploratores, fortuita ad Examen trahentes, Infaustum Annum ferebant; & plerique, *Æstum insolitum in Omen magni terroris* accipiebant. *Gallici Tumultus; ereptus Palatinatus; & res in Germaniâ gesta, fidem Ominis implesse videbantur.*

Sub hoc tempus, *Hajus missus à Rege, ad dicimenda inter Francum, Protestantesquè Certamina*; infidâ Pace, in Britanniam redijt. *Digbius quoquè Promissa & Blanditias Cæsaris retulit; ac incertam spem Restitutionis.* Ne Armis disceptârent in Grmaniâ, Minis, vel precibus obtinere non potuit. Quorum hic, quod difficillimo Reip: tempore, Saluti, dignitatiquè Regni consuluerit, *Bristolij Comes creatus; in Hispaniam legatus decernitur, ut Nuptias pramoveret.* Ille *Carleoli Camitis hanore auctus est:* cui magna spes honorum, Præmiorumque affulserat.

Rex Cranstildium Quastorem Nobilissimis viris anteposuit. Ob pravam Solertiam in pecuniâ conquirendâ, *Trinabantum Camitem appellavit*; inter Intimos Amicos habuit. Quæ dignitas Civibus ingrata fuit, *admirantibus Comitem, quem Institorem viderant.* Novus Comes alijs quoquè Tributis intendit animum; *Fratri Varo, Valgoquè, Præfecturam Moneta*, confestim obtinuit, & Equestrem dignitatem. Is indecorus corporis habitus, Pudori non fuit fratri, at irrisui Urbanæ Plebi, avidæ videre fortunæ mutationem, *ex Conditione abjectâ, atquè humili, in Equestrem gradum.* Tantam, in *Novo Comite*, potentiam insectati sunt Cives amaris facetijs. *Quem enim Verrentem Vicos plerique meminerant, eundem in Scaccaria Iura dicentem, & Ærarium tractantem viderunt.* Nec indignati sunt ejus parere Imperio, quem *Londini* obscuris parentibus ortum, humilem, & fastiduendum animadverterant.

Rex in festâ Pace, Munia Regni distribuebat, *ex cammendatione Bucingamij.* Qui Magnificentiâ, & Opibus, veterem Nobilitatem supergressus, cuncta Ambitioso Imperio regebat. Eâdem largitione, per Provincias, ex destinatione ejus, promiscuè honores decernit. Pauci ex Dignitate vetustæ familiæ; Plerique Opibus, aut ex præsenti usu, provecti, *Procerum Ornamentis arnantur*; quorum honori nemo publicè intercessit. Aliqui ferocioribus verbis privatim increpuerunt. Cæterùm, vulgatus honor non Satietatem mercantibus, sed Incitamentum, attulit.

Eodem hoc Anno, *Rex* totum hyemis tempus, Venatione, aut Aucupio consumpsit; præparandisquè ijs, *qua ad filij Expeditianem* erant necessaria. Interim *assiduâ Obtestatione filia, Spem & Opem implorantis, orantisq; ut dùm Occasio esset, Palatinatui consuleret; Spinola, Prafectorumq; ejus licentiâ, miserè vastato.* Procerum Principibus adhibitis, habuit Consilium, *Bellum, an Pax placeret?* Pars *perseverandum esse in Bello censuerunt, nec unquàm aliter Palatinatum restitutum fore.* Majoris partis sententia erat, *Pacis Mentionem admittendam esse, si sinè excidio Palatinatus transigi posset: tutam & honoratam Pacem Bello* anteponendam; *Bucingamio & Quastore* non adversantibus. Postquàm *Pax* placuit, non est diu dubitatum, quisnam diligeretur; *Ricardus Vestaus Proquastor, ilicò Bruxellas missus est*, cum Mandatis, & Querimonijs, *Quod Inducia turbarentur, Perfidiâ impunitâ. Legatus Cæsaris, Suarzenbergius, eodem Pacificator venit.* Ubi sæpè congressi, de Pace, ponendisquè armis, cunctando egêre.

Diligitur *Legatus in Germaniam Arthurus Cicestrensis, Belfastia Vicecomes, Hibernia Quastor*, ut Pacem, Concordiamque suaderet. Huic additus *Comes Petrus Hamonius*, Equestris Ordinis, *ob Contumacem animum, quod Collatianem palàm recusasset.* Id plerisquè ludibrio. *Legatus*, redditis Cæsari Epistolis *Iacobi*, Bona Pacis, & Belli discrimina disseruit: aspernante *Cæsare* Conditiones Pacis, ac tergiversando rem extrahente: receptâ jam *Bohemiâ*; ac viribus ad nocendum *Palatino* ademptis.

Tandem *Plebei Ordinis Primores* (quos, pro Asperitate animorum, in Carcerem conjectos memoravi) liberati sunt; increpitiquè à Senatu, pro effrenatâ Temeritate. *Oxonia quoq; Illustris Comes dimissus est*, ex Authoritate Regis, frequentibus Procerum precibus permoti. Quæ res gratiam ingentem apud universum Ordinem peperit. Is Juvenili fervore, primos Adolescentiæ annos in licentiâ, Libertateque vivendi egit. Provectâ ætate, ad Militiam converso animo, quantum in Juventute fuerat Intemperantiæ exemplum, Aleâ, Vino, Venere; tantum fortitudinis, & Magnanimitatis, in robore ætatis Specimen præbuit; & libidinem, *Diana Conjugis usu*, posteà explevit. Quæ amorem Mariti egregiâ fide compensavit: laudemque meruit, si *post Comitis excessum*, Castitatem pro Conjugio habuisset, ac in Viduitate consenuisset.

Exeunte Anno, *Iacobus*, spectatâ Opulentiâ, Potentiâquè *Philippi Regis*, cum *Bucingamio de Profectione Caroli Principis in Hispaniam Secreta Consilia agitavit*; quod Nuptiæ diutius Spe traherentur. Causam Expeditionis, maturam filij Juventam ostendit; ac nubilem Virginis ætatem. *Celebratis Nuptijs catera facilè conventura.* Nec deerant, qui crederent, *desiderio Puella Regia*, formâ & ætate florentis, accensum Juvenilem animum, tàm periculosum Iter suscepisse. *Rex* cum plurimum *in celando Incapto*, ad effectum fiduciæ haberet, inter Moliriones, & Consilia tantæ rei, *filium clàm à Complexu dimisit*, cum modico Comitatu. Qui equum inscendit, Quatuor solis comitantibus; inter

1622.

inter quos Bucingamius, & Cotingtonus ab Epistolis, erant; cui nota *Hispania* ora; quia *Legationem* in eâ Regione exercuerat. *Doroverniam profectus, tunicâ solutâ obsoleti Coloris, promissâ barbâ, Capilloquè capiti adaptato, ut nemo dignosceret, cum comitibus* alacriter Navem conscendit; & *Bononiam maritimam* trajecit. *Cognito discessu, magnus luctus in Aulâ fuit; nec minor in Civitate mæror,* Quiritantium subitum discessum, præcipitem Profectionem, vitæ periculum *in transitu Pyrenei* adeundum; & multa tristiora, *ex Prædictione Astrologorum, prædivinantium, magnum Principem, hoc Anno, arduum Iter suscepturum; ac Reditum difficilem fore, nec sine discrimine vitæ.* Rex Mathematicorum *prædictiones* non esse audiendas putavit; & *vanas Notationes* cujusquè vitæ ex Natali die damnavit. Sed vulgò habuit fidem Prædictio. *Ipso Profectionis die, clausi Portus,* ut Fretum trajecisse satis compertum est; ne rumor finitimas Continentis Regiones permearet; statimquè *Lutetiam* progressus, multa visenda habentem; Choreis, Spectaculisquè Aulæ clàm illatus, *Regem, Reginamquè spectavit,* ignorantes qualem hospitem haberent. Indè festinato *per Galliam, & per Hispaniam* etiam Itinere, *Madritium, multo jam Noctis, improvisus pervenit,* varijs difficultatibus viæ vexatus; *ac se in hospitium Britannici legati contulit,* ignari subiti, ac clandestini Adventus: *& adesse Ignotos Servus significavit, Congressum, Colloquiumquè Domini postulantes.* Qui præcipites nuntiavêre, *adesse hospites corpore proceros, vultus tùm Dignitatem, tùm venustatem præseferentes.* Ibi properè obvium habuit, *Bristollensem Comitem,* animo anxium, Voces, Vultusquè notantem. Qui ubi primùm *cognovit Principem,* manus exosculatus est, dimisso corporis habitu; & insitam animo ex Adventu ejus lætitiam significavit. Mox Dextram *Bucingamio,* cum salutasset, hospes hospiti porrexit, gaudium ac gratulationem Vultu ferens; deduxitquè *Clarissimum Principem* in Triclinium, Cæremoniâ solenni; ubi benignè excepit: & post Epulas, in Cubiculum comitatus, quibusquè potuit Officijs coluit, juxtà Aulicam disciplinam, & instituta *Anglorum.* Postero die, *Gundimarium* evócavit, cui plurimùm fidebat. Qui, salutato Principe, humilibus blanditijs, accuratâ Excusatione usus est, *quod Rex Hispaniarum nec, More gentis, fines ingresso obviam misisset; Nec publico hospitio nobilissimum hospitem excepisset; Idquè non Incuriâ, aut Negligentia prætermissum; sed Celsitudinis subito, ac clandestino adventu factum.* Hortatus est, *ut depositâ larvâ, adeundi Regem tempus peteret.* Re deliberatâ, decrevit Princeps, per aliquot dies, Solertiâ Legati delitescere. Sed quia ejus Adventus diu *Philippum* latere non potuit, Auctoritas *Gundimarij* prævaluit; *ut Bucingamium cum Bristolensi Comite, in Aulam proficisci juberet,* summâ cum celeritate. *Gundimarius* Comitatui adjectus est. Qui digressum à Rege *Olivarium,* hominem summâ Authoritate præditum, assequitur, ad Curas Reip: intentum; *de Adventu Principis eum edocet, ac Præsentiâ Bucingamij, Colloquium Regis poscentis.* Advenienti extemplò Colloquendi copia facta est. *Is adventum filij Regis sui commemoravit, cum ijs Mandatis à Patre profecti, ut Regem Hispaniarum Veneratione celebraret;* id si ei permittatur. Qui non modò benignè respondit, *Principis Adventum sibi, Senatui, Populoquè gratum esse; sed etiam Olivarium Comitem, cum jam vesperasceret, gratulatum de Adventu misit; nuntiatumquè, tanta tam rem lætitia Regi suo esse, ut grates agere velit.* Senatus, audito Adventu *Principis,* protinùs in Curiam venit; decernitquè statim, *ut ei hospitium publicè fieret; & Commeatus non solùm ipsi, sed etiam Comitibus ejus, quoad in Hispaniâ esset, Comiter ac hospitaliter præberentur.* Cautum severè, *ne Servi, Clientesvè ullâ Injuriâ, aut verborum Contumeliâ afficerentur.* Die dominicâ, quæ secuta est, *Rex cum Conjuge, Mariâ Infante, Binisq; fratribus,* animi gratiâ, Carpento in Urbem vectus, *Principem cum Bucingamio, duobus Britannicis Legatis, & Gundimario, casu obvium habuit.* Cumquè invicem sese salutassent, lætitiam, & gratulationem demonstrantes, *Rex* in Aulam reversus, nullam moram interposuit, *quin, accersito Olivario, Carpento hospitium Principis peteret.* Id postquàm relatum est Principi, *Regi obviam Vehiculo cum Bucingamio processit*; & ubi primùm appropinquavit, Officiosè salutavit; dixitquè, *Se ab ipso, velut fonte, Baticam Affinitatem petere venisse.* Rex eum valdè amanter amplexus, *Curruli sua imposuit; ac à dextrâ, propè invitum, considere fecit; grates comiter agens, pro Adventu ad suos Penates.* Princeps quoquè *gratulatus est Regi, Suo, ac Patris nomine.* Responsum est a Rege, *Patrem ejus pro æquitate suâ, cunctis sanctum Officijs Grati Boniq; Regis. Fervente per Germaniam bello, non Sortem Fortunæ, Regniquè sui, cum rebus Generi immiscuisse; sed ejus potissimum operâ concidisse funestum bellum. Unam tantùm rem sibi Pudori esse, quod ibi non proveniant in Agris, & Pascuis, quæ ad Cultum, & Magnificentiam filij necessaria sint.* Ut cognosci ab omnibus posset Regius animus, in referendâ gratiâ, ac Beneficiorum Memoriâ gratissimus, Voces Vultusquè benigni duos testes habuêre, *Olivarium, & Bucingamium,* insignes favore Regum. Cum post Colloquium digrederentur, *Rex* in Palatium; *Princeps* domum revectus, Legatorum Colloquijs vacavit. Non autem passus est *Rex,* multos dies Clarissimum hospitem privatim hospitari. Præparatis jam omnibus, XXVII *Martij, Gundimarius* ad publicos Penates, *Sancti Hieronimi Monasterium,* eum deduxit. Ubi post Epulas, Proceres Nobilitate vel Dignitate clari, & Senatores, *Manum osculati sunt*; insitam animis ex Adventu ejus lætitiam, ac gratulationem significantes. Quos satis comiter, atquè benignè accepit. Mox *Rex,* frequenti Procerum agmine circumfusus, & insigni equo vectus per Urbem, *ad Monasterium incessit. Princeps* advenienti occurrit; *quem invitum ac reluctantem, in equo, à dextro latere, constituit.* Indè sub Argenteâ umbellâ, *ad Templum Sancti Spiritus* progrediuntur. *Rex, & filius Regis Britannici,* decorâ Juventâ, maximè in Se convertebant Spectantium oculos. Ad Portum Magistratus Urbis expectabant. Effulgebant aureis tapetibus tecta, *& Imaginibus Regis, Patris, Avi, Proaviquè Caroli.* Ibi cum maximâ totius urbis lætitiâ, ac faustis Populi Acclamationibus excepti.

1621. Composito agmine Templum petunt: *factâ brevi precatione, & spectatis ludis*, ad Regiam procedunt, in quâ fuerunt magno gaudio, & gratulatione, à Reginâ excepti; *Principiquè cuncti honores habiti; ac* Munera data, *Subucula pexa; Toga Talaris odorata multa; & Cista Viatoria Aurea, pretiosissimis rebus referta.* Peractis *Batica* Humanitaris Cæremonijs, in eam partem Palatij deductus est, ubi ipse, Comitesquè ejus habitare possent. Illic in Porticu, *Infantem Carolum, & Ferdinandum Toletanum, Archiepiscopum, fratres Regis*, obvios habuit. Quos summittentes se, *Princeps* flexis genibus amanter complexus est; nec in ullo Humanitatis Officio vinci se passus est. *Rex* hilarè prosecutus, & *Primi Procerum* cultu fulgentes in digressu, adhibuit stationem Satellitum, & *Oeconomos summos Proceres constituit*; ut Impensæ ad luxum, ac Magnificentiam præstarentur. Pro quâ ràm exquisitâ Humanitate *Regi* gratias egit; *Victum Iberorum, ac Ritus laudans.* Postero die, *Rex* armatus, accinctusquè, jucundissimis Nuntijs ad Campestres Exercitationes evocavit. Aderant Spectaculo *Regina, & Infans Maria.* Princeps corporis robore, & equitandi Peririâ insignis, *Sponsam lustrare oculis concupivit. Factâ videndi copiâ, Visuquè recreatus, in ejus gratiam Anuulum Lancea applicatum tulit.* Hoc Successu Proceres læti, qui aderant, plausêre, *ac Spem Nuptiarum conceperunt animis.* Multitudo quoquè, ad Spem decoræ Juventæ, exultaverat.

Inter tot Procerum, Populiquè gratulationes, *adversùs Casus accidit, ingratus Lusitanis. Armuzium, Vrbs opulentissima, in Ostio Sinus Persici, Ope Anglorum, à Persis capta, & direpta; Quam Albuquercius, in Emanuelis Lusitania Regis Ditionem, & Imperium redegit, Anno salutis Millesimo Quingentesimo Septimo.* Moxquè haud incertis Authoribus, & *Lusitanorum* Supplicibus libellis percrebuir, *Anglos eorum Bona invasisse; ac Armuzium diripuisse.* Exitiale id Reip:, infaustum *Lusitania.* Quibus perlectis, *Rex* se consideraturum, adhibito Senatu, respondit: Culpam in *Persas* reijciens; nequè *Anglos* Sceleris conscios, sed credulum Vulgus temere imputare, seu Ignorantiâ veri, seu turbarum studio: Insulamquè salvam, ac incolumem cum gaudio nuntiavir. Non ultrà paucos dies rumor valuit, postquàm nulla dictis fides. *Rex Principem Lusitanorum*, Querelis turbatum, benignis verbis recreavit; *& dextram ei, quasi Fratri, ac Assiui porrexit.* Hæc quidem hoc Anno in *Britannia, & Hispaniâ* gesta; quæ non indigna Commemoratione visa sunt; *ut posset Philippi Regis Humanitas, Caroli Principis eximia Probitas cognosci; ac Iacobi fidei debita veneratio tribui; Credulitatiquè venia dari.*

Intereà in *Palatinatu*, Prælijs, Obsidionibus, Expugnationibus Urbium, & Populationibus Agrorum certatur. *Tilius*, Primo Vere, profectus ex hybernis, ad *Neccarum* ducit, Accolas Vi aut Voluntate subjecturus. Urbes aliquot cæpit; & *Vimpheniam* opere valido, ac magno munivit Præsidio. *Equestre Pralium* interim commissum; in quo *fudit, fugavitq; propè Vingartum*, x x *Equitum turmas.* Multi homines, multa Jumenta, & multa Vehicula à *Bavaris* capta. Qui Cædibus superfuerant *Heidelshemium, & Brettam* se receperunt. Adverso prælio *Frederici partium* haud quaquàm fractus animus. *Tres simul Exercitus* parantur. *Mansfeldius Assertor Palatinatus, ferox pradâ, & gloriâ belli*, Arma hostiumquè vires circumspectat. Miles Obsequio paratus, fausta omnia *Frederico Regi* precatur. Igitur laudarâ Militum Alacritate, omissâ *Alsatiâ*, Verno tempore, *Palatinatum* ingressus; proximos Pagos vastavir. *Brunsvicensis Regulus, in Vestphalia* suas contraxit Copias; adjectis à *Batavis* Cohortibus, Turmisquè. *Marchio Durlacensis Badensis, in Fredericum favore pronus*, Consilia sociavir; operamquè dedit, ut sinè cunctatione *Proceres Badenses, & Procuratores Civium, se filio atate maximo Iurejurando obligarent*; summâquè illi fide, in rebus omnibus inservirent. Deindè ad eos conversus, hortatus est, *vt Periculum à Germaniâ propulsarent: Superbiam Iberorum coercerent: magnâquè fortitudine pro Palatinis Amplitudine, ac Dignitate pugnarent.* Mox concitis *Tredecim Peditum Millibus, & Tribus Equitum*, acerrimus Instigaror belli fuit adversùs *Hispanos.* Simul ipse ignarus propinquæ Sortis, per Amicos suasit *Vittenberga duci*, ut adijceret auxilium suum: Si fortuna Cæptis affuerit, Consilium *Protestantibus* utile, ipsis gloriosum fore. Sed irritæ preces fuêre; Quippè versabantur antè oculos *Batici Exercitus robur*; proximi belli Clades; & cautissima *Tilij Senectus.* Verùm, *multi Tribuni, Centurionesq; Protestantium aggregabantur*, impigrè in partes, *Favore Frederici*, transgredientes. Magna ubiquè fama erat, *affore Britannos; secutura Germania Procerum* Auxilia.

Fredericus Rex, ardorem Sociorum cernens, in Spem erectus, quàm primùm *in Palatinatum proficisci statuit*, & invitanti occurrere fortunæ. Utquè occultior digressus esset, dissimulato habitu, cum perpaucis Comitibus, Nocte *Portum Iccium* tenuit. Indè *Franciam* emensus, in *Germaniam* pervasit; & in *Palatinatum cis Rhenanum penetravit*; non sinè magno discrimine, nec minore laude. Toties cum periculis in Itinere luctatus, *agrè Cohortes Leopoldi elapsus, Laudamium pervenit.* Ubi Comes *Lovenstenius*, Præsidij Præfectus, omni Comitate excepit. Mox *missus à Rege ad Mansfeldium Nuntius*, cum literis, ut venisse sciret: *qua epulanti ei, Gomershemij, cum Archiducis Oratore Rovillo, reddita sunt*; tunc ad Defectionem hortante: magnas opes, maximum decus, ac honoratiorem Miliriæ locum promittente; *Mansfeldio* interim tergiversante, & pretium infamis Proditionis aspernante. *Comperto Regis adventu*, Mensam removet, *Saluti ejus propinat.* Sic diremptum Colloquium; quia corrumpere nequiverat; nec ultrà Spes tentandi, prævâlente Memoriâ Sacramenti, adversùs Perfidiam & fraudem *Baticam. Fredericus* institutum Iter persequitur; *& in Viâ Mansfeldium, cum Equitum turmis obvium habuit.* Salutatio benigna fuit; & voces Militum blandæ, Casum Palatinatus, & tot egregiæ Domus calamitates miserantium; nunc prospera ominantium. *Egit gratias Legato, pro strenuè navatâ operâ,*

operâ, adversus Vim atquè Injuriam Iberorum. Ille Manus ejus exosculans, gloriam prosperè gestæ rei 1622.
ad Regem retulit. *Consilium deindè Rex, & Mansfeldius habuerunt, ubi Bellum ordirentur.* Nec dubitarunt *Palatinatum primò aggrediendum. Mox aspiciendas Bohemiæ res.* Regijs accreverunt animi, inopinato Adventu: terrore, famâquè Exercitus perculsi hostes.

Per idem tempus, *Tilius*, qui Bavari Copijs præerat, *Dilsburgum*, majore suâ, quàm hostium Clade, oppugnabat. *Heidelberga quoq; ipsa, quæ Palatinatus Caput est*, in magno discrimine erat, ubiquè septa hostium Præsidijs; & interceptis haud procul Urbe Munimentis. *Præfectus Dilsburgensis* Præsidij, viribus impar, *trium dierum tempus petijt, ut Mansfeldium de Vrbe tradendâ consuleret.* Dato tempore in Triduum, Nuntijs ad *Mansfeldium* missis, se in Adventum ejus, Obsidionem extracturum significavit. Qui in præparandâ Expeditione, magnam curam habuit comparandi Vehicula, portandis Machinis bellicis. Fama adventantis Exercitus, *Tilium*, omissâ Obsidione, *Vislochum regredi coegit.* Ubi Castra locis idoneis posuit. Postquàm quantæ Copiæ, quanta fiducia esset *Frederico* sensit; Nuntium ad *Cordubensem* misit, ut veniret, si videretur; & quàm primùm se impendentibus malis eriperet, priusquàm conjungerentur omnes hostium Copiæ. *Fredericus, & Mansfeldius, trajecto Rheno, obviam hosti iverunt*: & Itineribus magnis *Vislochum* progressi sunt. Ubi Equestri procellâ, ex æquo, certatum. Mox *Peditum vis* incubuit, majore *Bavarorum* damno. *Cæsi Sexcenti; Quatuor Tormenta capta; Signa aliquot erepta Signiferis*: Reliqui formidine in Castra refugerunt. Hoc prospero Successu elati, haud magnâ luctatione, *Sinshemium, & Epinhemium* receperunt; trucidatis *Bavaris*, qui in præsidio erant: *& ad tuendam Heidelbergam* curas converterunt; *Ladenburgum* obsessuri, cum interim integro Exercitus robore, hostes formidine conterritos, aggredi deberent. *Cordubensis*, comperto *Tilij* discrimine, depositâ gentili æmulatione, properè obviam ivit. Haud magnâ cunctatione conjunctæ Copiæ consultant, Quid sit agendum? Optimum omnibus visum est, *Durlacensis Copias, minùs validas aggredi, antequàm Frederici Legionibus conjungerentur. Cætera Eventum pugna secutura. Durlacensi* propè urbem *Vimphenium* Castra metanti, instructi, paratiquè occurrunt *Iberi, Bavariquè*: & Castra loco idoneo ponunt, (modica Sylva adhærebat) parati ad pugnam, si qui contrà egredirentur. Postero die, luce primâ, dirigunt utrinquè Acies, hortantes suos, ut magno animo capessetent pugnam. Primò crebris Tormentorum Ictibus eminùs certant: quorum ingenti Sono Cælum strepuit; & inter horrendos fragores micuêre Ignes. Dein hinc indè emissa Equitum agmina: *pulsi Palatiniani primo* Concursu. Dein plurium accursu, sublevantur. Usquè ad Meridiem, æquo Marte, ac propè pari Spe pugnatum est. Ubi æstus deferbuit, *Signum Peditibus datum. Tilius* cum suis Copijs erupit; firmati inter se *Palatiniani*, densis ordinibus excepêre, verâ virtute certantes. Juvit locus, Cumulus acclivis. *Iberi* ex alterâ parte institêre, si dissipare possent. Sed nec in hanc, nec in illam partem movere Aciem potuerunt: Igitur pugnam omisêre, Militari actu fugam simulantes. *Baurij legio Germanica*, vero terrore, ac pavore perculsa, in fugam versa est. Ipse Tribunus fugientes retinet: mox in hostes vertit. *Deductâ ex Colle in Planitiem* incautâ Palatinianorum Acie, *Iberi, Bavariquè*, dissono clamore sublato, impetum fecêre; multis resistentium obtruncatis. Excita prospero clamore Legio, quæ modò fugerat, Prælio miscetur. Pavidus interim *Marchio Durlacensis*, dextrâ Equitum Alâ dissipatâ, *ex Acie Gartacum profugit*; intulitquè formidinem suis. Anceps Certamen esse potuisset, *nisi fuga à Marchione* temere cæpta, Pavorem cæteris injecisset. In illâ trepidatione, *Helmstadius, & Boeclius, Tribuni Militum*, conspicui in Armis, Voce, Manu, labentem Aciem sustentarunt. Qui acerrimè dimicantes, multâ cum hostium strage, adversis vulneribus cecidêre. Horum virtutem mirati sunt *Batici hostes*; & *Durlacensis* strenuos Commilitones sensit à se desertos. Simul Milites non omisêre pugnam; donec *Pulvere Tormentario, casu accenso*, corpora exanima, ac lacera dissiparentur. Cæteri qui supererant integri, aut saucij, inumbrante Vespero, pugnâ decedere coacti sunt. *Quatuor Millia Regiorum* in pugnâ cecidêre, in quibus Augustæ Majestatis viri, *Magnus Virtenbergensis ducis frater*; & *Bernardus Saxo, Veinarensis, interfecti. Millè vivi in hostium potestatem venerunt, & multi Centuriones, Præfectiquè: Tormenta capta; Vehicula, & Impedimenta omnia direpta. Fredericus*, ubi Marchionem, duabus jam Cladibus infaustum, venire in Castra comperit, *Ipsum, duos filios, exiguasquè infælicis exercitus reliquias*, summâ Comitate excepit: & *Ladenburgum* in Deditionem redigere, aut expugnare statuit. Obsessi domiti, abscissis omnibus Præsidijs, Pacem, & Conditiones orabant. *Valmanthus, Partium Frederici*, & *Bredenbachius, ex Parte Civium, congressi pepigêre.* Interim *Mansfeldiani*, insitâ prædandi cupidine, Urbem omni simul parte aggressi irrupêre. *Præfectus Præsidij capitur; Vrbs diripitur: Arx diruitur.* Eoquè Successu animi Militum aucti.

Illuc de *Obsidione Hagnoæ, in Alsatiâ* rumor affertur; quam *Leopoldus Archidux* summâ vi oppugnabat. Igitur omisso *Palatinatu*, & relicto *Frederico* ad Præsidium suorum, *Mansfeldius* ferox, ad solvendam Obsidionem erumpit. Præmisso Equitatu cum *Teisenbachio Præfecto*, ipse cum Peditum agmine subsecutus est. *Mille Croatiæ Equites, à Leopoldo speculandi causâ præmissi*, hostium Agmini improvisò occurrunt. In eos *Mansfeldiani, cum Obentrandio, Tribuno militum*, qui primi Agminis erant, impetum fecerunt. *Quingenti cæsi: Cæteri turpi fugâ consternantur.* Deindè, ut supervenêre Cladis Nuntij, perpauci supererant, tantus terror Obsidentibus injectus est, *ut extemplò fugerent, Incensis Castris, relictis Vehiculis, Impedimentis, Machinisquè bellicis.* Varia fugientium sors fuit: Qui *Rhenum* trajicere destinarunt, extremum discrimen adiêre: *Cæsaquè duo Millia, ac Impedimenta direpta.* Meliore

fortunâ

1622. fortunâ usi sunt, qui *Brisgoiam, cum Leopoldo profugerant*, ut recuperatis viribus hostem profligarent. Pauci in fugâ cecidêre. *Sex Equitum turma, confecta Algore atquè Inediâ, sese Obentraudio dediderunt.* & Præfectus Alæ *Morderus*, *Frederici partes secutus est.* Solutâ *Hagnoa* Obsidio, Audaciam Alacritatemquè *Frederici partibus* addidit; compensavitquè pene Cladem ad *Vimphenium* acceptam.

Cum in *Palatinatu* omnia Bello ferverent, *Legati Suarzenburgicus, & Vestonus*, Bruxellis congressi, de Pacis Conditionibus, per Otium agitarunt, fortunam partium speculantes. *Ille* profligatum *Durlacensem* apertè armis, & Acie victum; tremere *Heidelbergam*; adversa omnia *Palatino* commemoravit. *Hic* questus est, *multa, Induciarum tempore, contrà Pacta conventa facta*: prosperum ad *Vislochum* Prælium; expugnatum *Ladenburgum*; intercepta *Croatarum* auxilia; solutam *Hagnoa Obsidionem*; dispersas *Leopoldi Copias*; initium fugæ Pavorisque à Duce ortum; *Germaniam quoq́, pro Frederico armari, ad recuperandum Palatinatum*, narravit. Postremò negavit, *dirimi bellum posse, nisi Cæsar Palatinatum redderet: & Dignitatem Frederico restitueret.* Ita aliquot dies disceptando consumptæ. *Miscuit se Legatis Isabella*, ut Pacem Concordiamque conciliaret. Nec res finem invenit. Dilata est de Pace Consultatio. Quidam id Cæsaris Legati Consilium fuisse arbitrantur, *ostentare potiùs Simulatam Pacem, quàm fidam facere.* Jacobo rescripsit *Vestonus*, prælijs, Cædibus, Incendijs, Urbium direptionibus, *diremptam Pacificationis Spem. Si Auctoritate suâ Generum Bello averteret, se non dubitare, cætera facilè conventura, ac finiri Bellum posse.* Ita infectâ Pace, Colloquium diremptum.

Dum hæc *Bruxellis*, in Pacificatoriâ Legatione geruntur, *regressus Alsatiâ in Palatinatum Mansfeildius*, recenti Victoriâ ferox. *Rhenum* transgressus, quà *Manhemium* prærerfluit, Exercitum trajecit; & conjunctis cum *Frederico Rege* Copijs, ac Castris, in Rheni ripâ, *juxtà Pontem Openhemij*, positis, convellere frustrà tentarunt; *Baricis Præsidijs Ponti impositis*, Tormentis, Machinisquè prohibentibus. Quieti, intentique *Cordubensis, & Tilius*, censuêre, festinationem hostibus; Moram ipsis utilem. *Fredericus*, magnis Finitimorum Auxilijs ad se coeuntibus, cum *Solum Patrium* Ferro, flammâquè latè vastari cerneret: atquè ipso transitu Exercitus, veritus, ne si diutius in Regione bello attritâ moraretur, Miles Inopiâ Alimentorum conficeretur; *Ripam Rheni deserunt, & Hassiam finitimam Regionem* improvisò populabundus ingressus est; quia *Ludovicus Hassiæ Comes partes Cæsaris fovebat. Darmstatum*, perculsis inopinato Adventu Oppidanis, recepit; & Frumentari passim Exercitum jussit, in subjecto hostium Agro: Vetuitquè in Civium cruorem hostiliter sævire. *Landgravius capitur, & validâ manu circumdatâ, Manhemium mittitur.* Exercitus, insitâ prædandi cupidine, in Avaritiam, Libidinem, Sævitiam erupit: nec quicquam illicitum. Milites brevi *penè totam Hassiam Populatione vastarunt*: Commeantes ultrò citròque Mercatores spoliarunt; Præda direptores quandoquè in mutuam Perniciem egit. *Mansfeildius Iudeos Francofortenses, dites, pecuniam conferre jussit; Excidium minitans, si Collationem recusarent.* Qui damno rerum suarum paventes, pecuniam obtulêre, rati exitium peti. Restitit in Urbe *Apolectus Cæsaris*, qui Minas flagitantis aspernari jussit; prævaluitquê.

Cordubensis, & Tilius, postquàm in *Hassiam* profectum *Fredericum* senserunt; conjunctis Copijs eò converterunt agmen. Interea nuntiatum *Frederico est*, per Exploratores, duces hostium, Equitatu præmisso, quantum accelerare possent, cum Peditum agmine adventare. *Rex* periculosum ratus, suos Prædâ impeditos, expeditis hostium Copijs objicere, *in Palatinatum regredi statuit; & Mansfeildio Legato extremum Agmen demandavit*; metuens ne hostes abeuntes sequerentur, si diutius in hostico morarentur. Vixdum Iter ingressi sunt, *Postremi Agminis* milites, Prædæ magis, quam Pugnæ intenti, cum Equites missi exploratum, certatim ruerent, *Tilium adesse nuntiantes*, fremitum hominum, hinnitum equorum latè audiri; Cohortes tumultuari, & trepidare cæperunt. Is propè *Darmstadum*, ferox cum promptissimis Equitum in hostes irruit. *Mansfeildius* viribus impar, Se, Suasquè Copias opposuit. Turbatis Ordinibus, *vicinum Lorsij Saltum petit.* Pedites proprio metu, instante hoste, & Angustijs viarum conflictari sunt. Ni citò subventum foret, Occidione occubuissent. *Obentrandius*, Equestri certamine impetum hostium tardavit: nec proinde fugam pavidarum Cohortium sistere potuit. Id conspicatus *Mansfeildius*, qui in Saltum se receperat, rursùm actius instare, & Prælium redintegrare cæpit. Crebra hinc Prælia per Saltum & Sylvas, in Serum usquè diei. Proindè effugêre Cohortes, minore damno. *Tria Palatinianorum Millia hoc prælio cecidisse memorantur. Duo Comites interfecti; & Golsterus Tribunus militum*: Vehiculaquè Prædâ onusta erepta. *Nec multò post, acrius exarsêre Iberi, & Bavari; omnes Cohortes, apud Hassiam in Præsidijs relictas, deleverunt; & quasi in Prædatores sævierunt.*

Dux Brunsuicensis, ut cognovit turbidum *Palatinatus* statum; has Præliorum vices; digressus *Vestphaliâ* eò contendit, agmine ad Prælium parato, si repentina vis ingrueret. Præerat ibidem, ut suprà memoravi, Cæsarianis Copijs *Anholdinus Comes*, adversùs hunc ducem; qui paucos antè dies discesserat, ut partibus *Cordubensis, & Tilij* vires adderet. Ubi fines hostium ingressus est *Brunsuicensis*, dimissis ad prædandum Cohortibus, cum Equitum turmis *Ditionem Fuldensem fusâ Populatione vastavit; & ab Abbate Fuldensi magnam pecuniæ summam exegit, ingenti acerbitate.* & inde profectus in *Comitatum Coningsteinensem, cum* x x *Millibus* irrupit. Ubi primum diem populando absumpsit; Postero, Acie instructâ, ad *Hecatam Urbem* accessit; quam pavore hostili, & sonitu Tubarum cæpit; & Castellum juxtà positum. Inter primum tumultum, Cladesquè expugnatæ Urbis, Per aversam Portam, *multi Cives evasêre, in Scaphas ruentes. Reliqui fœdè jugulantur.*

Læta

1622.

Læta in præsens victoria; quæ mox in perniciem vertit. Positis Castris *in ripâ Moeni*, ubi maximè pervius Amnis, *& inchoato Ponte transitum maturavit*. Interim parati, intenriquè *Cordubensis*, *Tilius*, *& Auboldinus*, ut Ducem transitu arcerent; aut ubi partem Exercitus trajecisset, à tergo adorirentur; Luce primâ *gaza Impedimentorum*, *Sarcinarumquè majorem partem* trajecit; cum *integro Exercitu* mox trajecturus, quandò nullam oppositam hostium manum cerneret. *Cæsarei Duces*, conjuncto Exercitu, transeunt *Moenum Amnem*; & tripartito agmine incedunt; Cujus *frontem Cordubensis*, *Medium Tilius*; *Extremum Auboldinus rexêre*. Flexu Itineris, ne Agmen conspici posset, *Hecatam petunt*, ut hostium Copias ex improviso adorirentur; aut ad pugnam lacessetent: & in conspectu *Brunsuicensis Reguli*, loco edito, constituunt fulgentia Signa. Improvisa res *Halberstadienses* perculit, ubi *Batica Signa* atquè Arma effulsêre. Directa ex adverso Acies; haud procul à flumine, dispositæ Turmæ; cuncta Prælio provisa. *Sed non eadem Constantia Brunsuicianis, qua Iberis, & Bavaris fuit*. Primo recipere suos voluerat Dux. Dein, contracto cum *Auboldino* levi Certamine, cum urgeri suos videret, properè accurrit. Mox *accersitis in Consilium Primoribus Tribunorum*, *Præfectorumq;*, *de Summâ rerum consultat*, *an totis viribus certare placeret?* Qui non tulêre Moras consultandi: omnes certatim proclamant, *cæsos fortissimos Commilitones*; *receptum trans fluvium unicam Spem salutis esse*, & ad Pontem ruunt, formidine trepidantes. Ubi cuncta pari terrore implicata, occurrunt: *Rapidus Amnis*; *Angustus Pons*; *Catervaq; hostium Cervicibus imminentes*. *Brunsuicensis inter tumultum circumspiciens*, *quà Parvus Amnis esset*, *cum Quingentis Equitibus Vado difficulter evasit*; *& ad Fredericum præceps pervasit*: præferens in vultu Memoriam Cladis acceptæ; culpam in Militem conferens, fugæ magis, quàm Pugnæ paratum. Circà eum multi Equites fluctibus obruti. Inter quos *Comitem Lovensteinium* fluminis Aviditas absorpsit. Sed Pedites, in transitu Angustiâ Pontis conflictati, & rapido agmine ruentium Equitum, plerique obtriti. Postremò, *rupto Ponte*, *flumine hausti sunt*. Evidens fuit, quantum discriminis adeundum foret, si hostes fugientibus institissent. Cunctandi ratio fuit Metus Insidiarum. *Cordubensis* dolum suspectans, sicut *Durlacenses* paulò antè frustratus est Astu Militari, repressit suos; ne Imperitiâ in Insidias præcipitarentur. Eâ Cunctatione spatium fugientibus dedit; ac Mora multis saluti fuit. Postquàm duces, Terroris Fugæquè veritatem cognovêre, ac viderent Pedites, abjectis armis, certatim ruere, ut transmisso flumine fugientes Equites consectarentur; expeditas Cohortes, Alasque, cito agmine rapiunt; Vulgus militum, Pecorum modo, trucidant. Jam rupto Ponte ruentium onere, nullum patuit effugium. Multi per Agros inermes palantes occubuêre. *Sex hominum Millia, in prælio & fugâ periêre*. Tormenta tria capta; Vehicula Quadringenta; Impedimenta direpta; obstructæ strage Corporum Viæ. Infectum Cadaveribus flumen. De Interfectorum Numero variant Scriptores. Fama celebris tradidit, *Octo Millia cæsa*; *paucos in ipso Certamine*; *plerosq; in fugâ*. *Triginta Quinq; hostium Iactura*. *Principium terroris fugaquè à Præfectis*, *Tribunisq; ortum*; *ipsum Regulum, magno animi corporisq; robore præditum*, *fugientium turbâ ablatum*. Is dies *Frederici* partes afflixit: & Socijs ingentem terrorem injecit. Ferox Prædâ gloriâquè hostilis Exercitus, trifariàm se divisit; *Cordubensis*, *trajecto Moeno*, *ad Præsidia sua profectus est*. *Tilius*, *Heidelbergæ Obsidionem moliri cœpit*. *Aubeldinus suas Copias in Vestphaliam reduxit*. *Manhemium*, *ad Brunsuicensem Regulum*, *Quinq; Millia Equitum*, *& Octo Peditum pervenêre*; *qui dispersi per Agros fuerant*. Aspectu inconditæ, inermisquè Multitudinis, redintegratus est luctus recentis Cladis.

Mæstus itaquè *Fredericus* Varietate tot Casuum, & propè inops Consilij, Subditorum magis, quàm suo periculo sollicitus, *advocatâ Concione*, *luctum*, *Cladesq; Germaniæ*, *Fortunam Domus*, *Suasq; Miserias deploravit*: *Se quoq; ab Amicis desertum*: *perditas res*: *desperatumq; de Palatinatu esse disseruit*: *Inopem Militem Castris exutum*: *vastatam Regionem*: *non Commeatum Exercitui provisum*; *stipendium Militi*; *nec Castrense Peculium*. *Tanti sibi non esse Dominatum, Opes, Potentiam, ut Solum Avitum ferro Igniq; conflagrare videret*. *Proindè Præfectos*, *Tribunosq; oravit*, *ne diutius in Palatinatu*, *Commeatuum egeno*, *hærerent*: *Neu in Ditionem sibi Iure debitam sævirent*: *sed hostiles terras ferro flammâquè peterent*; *ut Expugnationibus Vrbium*, *ac Incendijs Villarum hostes averterent*. De communi ducum Sententiâ, *in Alsatiam adversùs Leopoldum Expeditio decreta est*; *Mansfeldio*, *& Brunsuicense* non adversantibus. Collaudavit Milites, quod tribus tantis Cladibus perculsi, animos non dispondissent. Qui Clamore, ac favore *faustam Expeditionem precati sunt*. Responsa deindè *Legationibus* dedit; quæ ad Famam Adventus ejus undiquè convenerant. *Cicestrensem*, *Belfastiæ Vicecomitem*, *Soceri Legatum*, in summo honore habuit, qui & re, & Consilio, & Pecuniâ juvit. *Vero Tribuno*, *trium reliquarum Vrbium*, *Civiumq; tutelam reliquit*. His peractis, *Fredericus in Alsatiam abijt*; *& Palatinatum non Sibi*, *sed Infestis hostibus servavit*. Provincia *Alsatica*, incursu tot armatorum, direptionibus Urbium, & flammis flagrantium Villarum, contremuit. Nec prævideral Impetum hostium *Leopoldus*: nec satis virium ad arcendum erat, tot armatorum Millibus irrumpentibus. Igitur abscissis omnibus Præsidijs, Fortunæ & tempori in præsentiâ cessit: secessitquè, *ad accersendos ex Palatinatu milites*, ubi voluntarium conscivit Auxilium. *Alsatica Vrbs Caput Regionis obsessa est*, & rursùs oppugnata. Parati Centuriones, Præfectiquè ad defensionem, qui in Prælidio erant, Milites per Muros Urbis, & opportuna loca disponunt; ac circà Portam, quà irrupturum hostem rebantur: qui è Mænibus, Saxis, Tegulis, Sarissis, scandentes depellunt, absterrentquè.

Cicestrensis Legatus, Vir Belli & Pacis artibus clarus, *quo in statu res esset*, *Britannum certiorem fecit*:

Bavarοs,

1622. *Bavaros, & Ibtros in Palatinatum effusos; Campum jam tenere: Heidelbergam in discrimine esse, nisi extemplò, valido Præsidio defensa foret.* Rex missis *ad Generum* literis, fiduciâ plenis, hortatur, *ut Pacis Amore arma deponeret. Dictitans, non recusare Pacem hostes, quamvis hoc tempore Armis superiores. Cicestrensis* præsens, Secretis Sermonibus, Pacis Conditiones incruentas suadebat: orabat, donec perpulit. *Atquè hujus Consilij ipse Danus Suasor, & Author erat.* Nec Sociorum animi à Pacis consilijs abhorrebant. *Cunctantem Fredericum*, & hostium Consilia suspectantem, nihil æquè quàm Amicorum Regum Auctoritas impulerat. Dein imminentes Provinciæ hostium Acies; Inopia Stipendij; & parùm provisi Commeatus; Agrestium Multitudine cum frumento & Pecoribus, metu Populationum, ad propinqua Castella compulsâ, *eogebant omittere Alsaticum Bellum. Literis tandem Soceri frequentibus permotus, Mansfeldium Legatum, & Brunsuicensem Regulum fidei Sacramento exeluit; ac multo cum honore dimisit: ut rebus suis ad Arbitrium consulerent. Ipse finibus Germaniæ decessit; & Sedanum profectus; Indè in Bataviam rediit, ac velut orbum Palatinatum reliquit.* digressu ejus concidit hoc tempore bellum.

Missi à Daniæ Rege ad Cæsarem Legati, qui animum ejus *Frederico*, in Pænitentiam verso, conciliarent. Postularunt, *ut privatam Injuriam publicæ Utilitati, ac Germaniæ Tranquillitati remitteret.* Responsum à Cæsare, *propalàm diremptum Pacis Colloquium, tot Prælijs, & Expugnationibus Urbium. Velle tamen sese, cum Electoribus colloqui; & ex Auctoritate eorum statuere. Nec abnuere Concordiam, in gratiam Soceri, & Avunculi. Bavarus* ubi profectum *Fredericum* sensit, Secretis nuntijs *monet Tilium, Urbem Heidelbergam, Caput, Arcemquè Palatinatus, oppugnare:* & inchoatum opus perficere.

Mansfeldius, & Brunsuicensis, (relictâ *Alsatica* Urbis Obsidione, quæ validè *à Solmensi Comite*, & Præsidio defensa est) *obtulêre Operam Armaq; Legatis Cæsaris*; Veniam à Cæsare postulantes; cupientesquè renovare Obsequium. Legatos renuntiare jusserunt, *futuros se in Potestate ejus: moxq; Germaniâ abituros: daturosquè id honori Cæsaris.* Qui Postulata nequè tota aspernati sunt, nequè extemplò consensêre; Respondentes, *Si Fraus abesset, paratam Cæsaris Clementiam in potestatem venientibus. Sed Mansfeldij nomen Cæsareanis suspectum esse.*

Extemplò *Brunsuicensis*, cum Equitatu; & *Mansfeldius*, cum Pedestribus Copijs, subitam *Expeditionem in Lotharingiam fecerunt*; quam latè fusâ Populatione vastarunt. *Ditionem Metensem, & Verdunensem*, Incendijs, ac Direptionibus peragrarunt. *Decem Millia Equitum erant; & par Numerus Peditum:* finitimisquè Populis Tributa, & Commeatus indixerunt. Hinc imbuti prædandi cupidine Milites, in Direptionem *Galliæ, aut Agri Lucenburgensis* erupturi credebantur. *Cordubensis*, ubi profectum *Mansfeldium in Lotharingiam* audivit, *trajecto Rheno insequi cœpit; quia Lucenburgensi Ditioni appropinquare fama erat.* In itinere *Neustadium Urbem, & Tria Castella* per Deditionem recepit; relicto ad præsidium *Ludovico de Villâ*, cum legione *Valonum*. Indè *Inojum* perrexit, ad arcendos aditu *Mansfeldianos*; Sociosquè cum fide tutandos.

Mansfeldius, ubi Cordubensem in Provinciâ Lucenburgensi; Francum in Aquitaniâ bello occupatum cognovit; vastatis proximis Lotharingiæ, in Galliam vertit iter. Cum magno pavore ac terrore *ad Mozæ ripam* pervenit; & *Sedanum* concessit. *Ibi suasit Bullonius, Galliæ bellum inferre, ac juvare Protestantes:* Regem occupatum *Aquitanico bello*; Regnum sinè præsidio esse ostendit. Ejus Authoritate permotus, *incursare Galliam statuit.* cujus Adventus tantum tumultum ac fugam præbuit, ut Agrestium turba, cum Pecoribus in Urbes effugeret. Nec erant qui coercerent. *Præfecti urbium* inopinatâ re territi, trepidi, & Anxij coeunt: *literisquè Nivernio Regulo, Rectori Provinciæ Lutetiæ, nuntiant, Mansfeldium Campaniam petere; dejectosquè adventu ejus Incolarum animos.* Qui Senatui renuntiavit, *pro comperto habere, Mansfeldium cum ingenti Exercitu, Provinciæ suæ finibus appropinquare.* Itaquè dimittendum *Regulum* ad sua tuenda decrevit. Misit deindè cum eo homines idoneos, ad rem inspiciendam; ut omnia explorata referrent. *Mansfeldij* adventu in *Campaniam* rumor indies crevit; & terror latè *Galliam* pervasit. *Nivernius Lutetiâ profectus, Campaniam adijt*; Equites, ac Peditum Cohortes in prædabundos contrahit; in proximos *Campaniæ* fines distribuit, ut Præsidio urbibus essent. Hortatur *Præsides Provinciarum*, ut Auxilia adversùs Populatores extemplò mitterent; *monetq; Mansfeldium, ne Gallis bellum inferret; neu in alieno Solo prædam faceret.* Sed cum suadere non posset, urgente Alimentorum Egestate, *denuntiavit per Vicos, Urbesq; finitimas, ut Commeatus hostibus providerent, ne Agros maturis jam frugibus popularentur, ac urbes exscinderent.* Jam trajecto *Mozâ*, circà *Mouzonium* Exercitus consedit, infesto agmine; & magnum terrorem propioribus Gallis intulit. Ibi Inopiâ stipendij, *Seditio Militum orta*, in tumultum evasit. *Duo Millia Equitum, cum ductoribus à Mansfeldio palàm desciverunt.* Qui fortuito furore, ac Prædæ spe, conterminâ loca populabundi peragrarunt: resistentes Seditioni Præfectos obtruncarunt. Centuriones, Tribunosque ad mitigandas equitum iras statim misit: qui Defectionem simulantes, Authores Seditionis, potiorem partem Equitum ad Obsequium, comiter alloquendo, retraxerunt; redieruntquè in Castra, compositi ad reverentiam Ducis. *Eò Nivernius Regulus misit Monteraum*, Turmæ suæ *Vexilliferum*, qui in Germaniâ militaverat, *ut ad Societatem belli pelliceret; ac suaderet, ne Galliam irrumperet. Qui cum Mansfeldio sæpè congressus*, postremò pepigit, *ut Decem dierum Spatio Incursionibus abstineret; intereà frumenti, Vini, Pecorum, Exercitui copia esset.* Breve *Induciarum* tempus interpositum, dedit spatium *Nivernio* armandi, instruendiquè Copias, qui nihil paratum ad bellum in præsentiâ habebat. *Monteraus*, quia prima successerant prosperè, *tentavit in Societatem Francici Regis allicere, paciscens ducenta Millia Aureorum, quæ inter Milites divideret, ac Mercedem*

duobus

1621.

duobus Millibus Equitum, & Sex Millibus Peditum, quibus Francus uti ad bellum vellet. Placuit Conditio *Mansfeldio*, Compendium captanti. Qui non fidem modo se, sed Vades Prædesquè dare paratum ostendit; & seriò egit, ut partem aliquam pecuniæ repræsentaret. Respondit *Monteraus*, *Regem Impensam*, dimisso exercitu, daturum. Tum ille, *abi inquit; & renuntia Nivernio, nisi pactam pecuniam acciperet, nusquàm indè pedem moturum.* Hic enixè oravit, ut extremis *Galliæ* finibus subsisteret; & Reditum suum opperiretur. *Mansfeldius, in ripâ Rheni Castra posuit, pecuniam pactam operiens: Cibarijs decem dierum præbitis.* Non omisit, per hos dies, *Isabella, Bournovillæ Duce* Nuntio, Munera offerre, *ne Militiæ Baticæ partem capesseret.* In eundem modum *Batavi, & Veneti*, in Societatem armorum, Secretis Nuntijs pellexerunt. Quibus plurimum fidebat. *Nivernius Regulus* Senatui Lutetiam scripsit, *Mansfeldium in Mozæ ripâ consedisse; in Franciam captum Iter intendere: suum Exercitum invalidum.* Literis recitatis, variè affecti sunt Civium animi, pro cujusquè ingenio. In re trepidâ, *vocato Senatu*, *Regina ac Prætor, absente in Aquitaniâ Rege, Consilium habuerunt. Collaudarunt Nivernium; suaseruntquè ut è Conatibus, captisquè hostu Consilium caperet: Ipsum pecuniæ spe protraheret: Copias contraheret: Præfectos, Tribunosquè moneret, ut curam Custodiæ intenderent: & vicinos Provinciarum Præsides accerseret, ut Belli partem capesserent.* Hæc relata cum essent, *Monteraum* remittit, ut nuntiaret, *duorum Millium Equitum operâ, & Sex Millium Peditum, Regem uti velle. Rogaretquè, Cæteram Multitudinem dimittere: hâc lege, nec frumentum Exercitui, nec Stipendium Militi defuturum. Mansfeldius* interrogat, *Ecquid pecuniam, quam pepigisset, in Pedites Equitesq; dividendam adduxisset;* Ubi hæsitavit, *Mansfeldius* cum dilationem, & Moram quærère, ac miscere ambages cerneret, *Galliam aggrediendam censet.*

Post reditum *Monterai*, *Nivernius* ad bellum omnia paravit, instruxitquè. Hoc audito, *Bullonius* in Castra venit; *Mansfeldium* ad lacessendos *Gallos* stimulavit; & secretis Colloquijs disseruit, *Pacis Conditiones, inconsulto Rege, à Nivernio captas. Mercedis Pactionem neutri satis decoram; sed turpem, ac sordidam & Danti & Accipienti; Frustrationem Gallorum eò spectare, ut capearent; nunquàm magis afflictos Protestantes Servitutis Iugo; nequè Libertatem Edictorum minùs servari; sed tanquàm Mancipia haberi. Inopem Galliam, Provincias defensoribus vacuas; imbellem Rusticam Plebem: Regem procul in Aquitaniâ, Spolijs & Sanguine sævire: egregium invadendi Galliam tempus: Vada fluminum, Cæli Siccitate, patere. Nec defutura valida Protestantium Auxilia. Lutetiam, Caput Galliæ, in manu ac potestate, mox futuram. Cætera Oppida proclivia fore.* His adhortationibus ad *Gallicum* incitatus bellum, populatus est *Campaniam, Mensonio vicinam: & Rhetelorum Provinciam incursavêre Equites. Nivernius* vanâ Spe, Inopiâque Alimentorum, *Exercitum Mansfeldij* haud mediocriter debilitavit: cujus Equites nutabant, frementes se frustrà excitos Sedibus suis; *Consalvo Cordubensi ad Transitionem adhortante; & Secretis Nuntijs stipendium Batici Regis offerente.*

Eodem tempore, *Brunsuicensem Regulum sibi Mansfeldius alienavit.* Qui flore ætatis ferox, cum Pedestribus Copijs, Turmisquè suis *Sedanum* secessit. Ibi de reconciliatione gratiæ *Bullonius* egit. Prævaluit ejus Authoritas, ut positis Odijs, communi animo bellum administrarent; & rursùs se conjungerent.

Mansfeldius defectionem suorum Equitum expertus, quandò nequè manere diutius *in Galliæ finibus*, negato frumento undè Exercitus alebatur, potuisset; Nequè progredi, cum ex Adverso *Castra Francorum* objicerentur: & à *Consalvo Cordubensi, in Agro Lucenburgensi*, proprior terror admoveretur; priusquàm Viæ omnes hostium Præsidijs insiderentur, *Bredam in Brabantiâ ire constituit, cum Peditum Equitumq; decem Millibus, qui velocitate corporum, ac levitate armorum maximè præstarent.* Igitur conjunctis *Brunsuicensis* Copijs, magnâ parte Tormentorum, Impedimentorumquè relictâ *Sedani*, ac omni graviore Armaturâ, cum delectis Equitum, Peditumquè, *per Hannoviam in Brabantiam contendit, in Bataviam transiturus. Hæc causa fuit Cordubensi, eo quoquè divertendi, ut Provinciâ Baticæ Ditionis arceret; cohiberetquè à Populatione hostem vagum.* Missuo extemplò *Philippo de Sylvâ, cum Quindecim Equitum turmis*, ut abeuntium Agmen carperet, omniaquè perlustravit oculis. Paucos palantes interfecit, aut cæpit. Per eos cognitum est, *Mansfeldium Sambram fluvium transgressum, versùs Binchum Exercitum ducere; Fleroum pergere*, in itinere populari Agros, terroremquè latè Agricolis inferre. Is ad *Cordubensem* regressus, renuntiavit, *Equitatu superiorem Mansfeldianam Aciem; ex omnibus Cohortibus electos Iuvenes, robore armorum, ac Agilitate corporum præstantes. Exercitum ad Prælium paratum instructumquè, non procul Bruxellis in Brabantiâ consedisse, ut Cibo, somnoquè vires recuperaret. Cordubensis* facile ratus, confectam labore Itineris hostilem Aciem profligare, aut *Transitu ad Bredam* arcere; *inter Cœnobium Villerianum, & Tollerensem Dynastiam, propè Fleroum*, ex adverso Castra posuit: densis circà viam Ordinibus, quæ *Bredam* fert, Iter obsedit. Postero die, *Mansfeldius*, per Tubicinem, ipsum clementer alloquitur; *postulatquè transitum concedere.* Respondit *Cordubensis, se nihil aliud in Mandatis habere, quàm ejus Populationes coercere; & Manum conserere, ubi primùm Occasio data esset.* Igitur *Mansfeldius*, Minis & ferocioribus verbis provocatus, adhortatur Milites, *ut aut laude egregiâ, aut Morte memorabili Prælium inirent; & per hostium Munitiones vim facerent; resistentes occiderent, & intenti ad Imperia essent. Se interim provisurum, ut benè gerendæ rei Opportunitatem eis præbeat, Consilio*, & ratione. *Brunsuicensis* quoquè suos gloriâ, hortatu, Spe accendit. *In primori Acie versatur.* Ubi Signum pugnæ datum esset, repentè cum Equitatu in hostium Equites incurrit. Fit Prælium acre, & anceps, *per Quinquè continuas horas*: in quo Hispani non levem Cladem stragemquè acceperunt: & aliquot Vehicula cum

1622. Commeatu, & Tormentis amiserunt. *Brunsuicensis Regulus* in perculsum hostem invectus, *glande plumbeâ in sinistro brachio vulneratur*, fortissimis Comitibus protegentibus saucium. Nihil id Vulnus animum militaris viri imminuit: *compensavitq́, hâc pugnâ Ignominiam, ad Moenum acceptam. Mox Brachium pracidi oportuit*: ne per omnes Articulos corporis Gangræna permearet. Sustinuit turbatam Aciem *Mansfeildius*, accitis integris in locum fessorum. Pellit sæpè hostem, dein pellitur. Tandem Iter Copijs suis patefecit. & *per Leodiensium fines, raptim Bredam pervenit, cum Quatuor Millibus Equitum, & tribus Peditum, ad solvendam Berga Obsidionem*. De Numero interfectorum variat fama. *Tradunt Pontificij, Mille Octingentos casos: & in his Franciscum D. Ibarra, Prafectum Castrorum; & Tredecim Centuriones; Mille ferè vulneratos. Hostium Quinquè Millia in Pralio, aut in Viâ cecidisse; Pedites cum Tormentis, à Mansfeildio, ad maturandum Iter, desertos.* Scribunt *Protestantes*, Occisorum numerum incertum; *sed majore Hispanorum pernicie certatum, & minore gloriâ.* Nec leve decus Ducum, per *Brabantiam* opulentissimam Provinciam irrumpentium; & in tutum evadentium.

Excepti à Batavis Duces tàm Illustres, omni genere honorum, & culti. Commeatusquè tùm ipsis, tùm Militibus, publicè provisi per Vicos Urbesquè, per quas ituri essent. *Aurasionensis Princeps; Mansfeildius; & Brunsuicensis, in Batavorum finibus congressi, ut Bergam ad Somam Vrbem Obsidione eximerent*, uno agmine iverunt.

Dum hæc per *Germaniam, Galliam, Belgium, à Mansfeildiano Exercitu* gerebantur; post *Frederici* profectionem, continua bellorum series *Palatinatum* fregit. *Leopoldus*, contracto Exercitu, & *Sarmatarum Equitatu* excito sedibus suis, *Brisacum ad Rhenum* in potestatem redegit. Simul Cædibus, Incendijs, Direptionibus *Marchionatum Durlacensem, & Badensem* peragravit; Præsidijs per recepta Oppida dispositis, ne Obsequium *Cæsaris* exuerent; aut *Frederici Regis* Societatem resumerent. *Gemershemium, in Palatinatu*, aggressus vi, expugnavit. Ambiguas Civitates *Spiram, Vormatiam, qua Frederici Societatem acceperant*, Spe Libertatis, ad Obsequium Cæsaris retraxit, imposito Equitum, Peditumquè Præsido, & confirmatâ Libertate; ne eâ imminutâ, Pertinaciâ reliquæ accenderentur. *Indè in Alsatiam, cum Sarmatis, Croatisquè* descendit; ad ea recipienda Oppida, quæ *Mansfeildius* ibi occupaverat. Ubi terrore famâque Exercitus sui, *Hagnoam, Ærarium, & Armamentarium* hostium recepit. *Mansfeildij* milites, qui in Præsidio erant, cum dedidissent se, Spe veniæ, incolumes dimisit. Qui decedentes de Præsidio, *Argentinum abierunt*. Adventu ejus, Deditione sine cunctatione factâ, *Magistratus Pontificios Vrbi imposuit*: implevitquè Spe socios. *Sit pacata Alsatia, Salmensi Comiti Prafecto*, & Urbis *Alsatica* defensoribus, grates egit, pro strenuè navatâ operâ. Obsequium abnuentes vi coegit.

Inter hæc, *Colloquium Bruxellis, infectâ Pace, diremptum*; cum hinc facilitate; Illinc fraude & dolo cuncta agerentur: cujus Eventum *littera Vestoni, & Cicestrensis* docuêre; memorantes *subesse fraudem Consilijs Batici; Pacis Spem irritam esse; bello attritum Palatinatum: occupatam Badensem Provinciam: Castella & Prasidia Frederici Regis tradita: capta & direpta Oppida, prater Tria, Britannicis Prasidijs infessa: simul excidijs eorum hostes imminere; nec satis virium ad artendum. Bavarum VII Viratum ambire, falso Rebellionis Crimine: nec Casarem causam Belli, sed Bavarum, eâdem stirpe ortum. Britannum* inter Spem Metumquè varia animo agitavit. Mæsta Civitas hos rumores excepit, aurèsquè Sermonibus præbuit. *Prohibiti per Civitatem Sermones, irritum laborem, Patientiam, & Moram Regi exprobrantes; quod tàm gravi bello, Generum nec Armis, nec Consilijs, per veteres & expertos duces, juvaret.*

Tilius, Præsidijs per recepta *Palatinatus* oppida dispositis, *Heidelbergam circumsedit. Vbi Merveus cum Equitibus, Germanicis Peditibus, & Britannicis Cohortibus, in prasidio erat*: & in Monte *Gisbergensi*, imminente Urbi, Munimentum extruxit, Civibus infestum. Sed antequàm oppugnaret, mittit ad *Merveum* Tubicinem, qui moneret, *ne armis disceptaret. Captivitatem, Clademquè minitans, nisi sese properè dederet; & Prasidium Regium.* Ille ferociter Nuntium increpuit: Responditquè, *se vim ultimam experiri malle, quàm Vrbem vel Hispanis, vel Bavaris dedere.* Ita spretis *Tilij* Promissis & Minis, postulata *Vero, Frederici in Palatinatu Legato*, renuntiare jussit; Suspendium Tubicini minitans, si ad se cum Mandatis rediret. Postquàm apparuit armis agendum, ad vim transgressus, Castris antè Mænia positis; Urbem fossâ & Vallo circumdedit; crebris Tormentorum Ictibus ædificia disjecit, Milites Civesquè obruit in Stationibus; Sita extrà Muros Propugnacula vi expugnavit: Suburbia ferro flammâquè aggressus, rapi ignem, inferriquè ædificijs jussit, jugulatis qui resisterent, omni genere Mortium. Reliquos in fugam avertit; & fugientibus adeò institit, ut nisi *Merveus* Portam opportunè clausisset, permisti Oppidanis milites in Urbem irrupturi essent. Hoc Successu Audacia, Alacritasquè Obsidentium crevit: qui ad Urbem succedunt, in tela ac vulnera ruentes. Replevit jam *Merveus* Armatis Muros, Tormentis, & omni genere Missilium; accendens Militum animos, & imperans quæ in rem præsentem essent. *Britannica Cohortes, Herberto duce*, Lanceis, Contisquè subeuntes propulêre; qui in Certamine Globo capite ictus cecidit. Trepidatio in totâ Urbe fuit. Multæ Stationes relictæ: Nudata Propugnatoribus, plerisquè in locis, Moenia. Quod ubi advertit *Tilius*, ex Monte, quem *Gisbergensem* appellant, defatigatis certamine ac labore Integros recentesquè succedere, & totis viribus Urbem oppugnare jubet; *Pradam expugnata Vrbis pro labore, & Vulneribus promittit.* Milites omnes Prædæ aviditate Castris exciti, undiquè Oppugnationem instruunt; subruunt Muros; concutiunt Portas; maximè *Spirensis* refringi cæpit; *admovent Scalas*, & cætera Expugnandis Urbibus

Machinamenta

Machinamenta reperta. Non jam Sanguis, nequè Vulnera retardant. *Obsessi Lanceis, Globulis, Telis scandentes deturbant; in Mœnia egressos gladijs fodiunt, molientes Tegulis, facibus, & Pondere Saxorum* obruunt. *Merveus* accurrit ad opem ferendam laborantibus suis; & adhortatur pugnantes. Hinc indè fortissimi quiquè obstinati pro Partibus cadunt, vel vulnerantur. Tandem *Bavari Milites*, turbatis Defensoribus Metu, dejectisquè, ac tanto Certamine, & labore fessis, Vi & Armis irrupêre; *Captam Vrbem conclamantes: Cuncta Direptionibus, Cædibus, Incendijs miscuerunt, ac Crudelitatem, Libidinem, & Avaritiam in Cives, Militesquè exercuerunt; verberantes, vulnerantes, rapientes, Spoliantes, trucidantes; nulli Puberum parcentes: Nec Viri tantùm, sed Matronæ quoquè, Virginesquè antè ora Conjugum, & Parentum, omnia fœda atquè indigna passa sunt.* Nec operæ pretium est referre atroces atquè indignas Injurias, fidelibus Subditis factas; Tormenta, Cruciatus, & singula libidinis, Sævitiæ, Avaritiæ exempla, in miseros edita; Nemine ambigente, Numen ab ijs Crudelitatis, & Sceleris Vindictam experiturum. Si quis Orationem atrocem, & plenam Acerbitatis senserit, sciat *Facta Verbis atrociora fuisse. Vrbs per Triduum diripitur. Pecunia omnis Civium, Tormenta, Arma, Tela asportantur; Dies Noctesq; Mulierum fletus, Opificum gemitus, Singultus voces sonant.* 1622.

Inter Tumultum captæ Urbis, *Merveus* ipse, cum multis armatis, qui Muris pulsi fuerant, *in Arcem evasit*, eam conatus defendere. *Tilius* monuit eum per *Montagnium, ut Sibi & Militibus suis per Deditionem consuleret*. Cui adhortanti ut Se & Milites suos *Cæsari permitteret*, respondit, *Memoriam Sacramenti, & Charitatem Frederici Regis à Deditione se revocare; velle sese Verum Præfectum per Nuntium consulere; & ex Authoritate ejus statuere.* Id ei haud gravatè concessum est; missoquè ad eum Nuntio, usquè ad reditum ejus tenuit Arcem. Qui renuntiavit, consulere Præfectum, *ut quod è Fide, Dignitate, & Conscientiâ videretur, statueret.* Abruptâ undiquè Spe Auxilij, se, Arcemquè, & Præsidium Regium, Conditionibus dedidit. *Tubæ Signo dato, Merveus; & Decem Cohortes, cum ducibus sub Signis, mediâ Vrbe in forum processerunt*: ad eorum Cædem Victores versi, ægrè coerciti. *Ipse Tilius*, paratis Vehiculis cum Equitatu, Securitatis causâ, ab Urbe *Vinhemium usq; comitatus est. Merveus rectâ Francfurtum viâ petijt.*

Fama captæ Vrbis, Arcisquè, Bavari literis Romam perlata est. Qui Bibliothecam amplissimam multorum Voluminum Manuscriptorum, in Arce captam, Pontifici dono dedit, magno Protestantium dolore, ut in Vaticanam transferret: unde sibi in Posterum *Romana Ecclesia gratiam* paravit. De hâc Ducis Munificentiâ persæpè *in Consistorio* actum est: in quo *Bavaro*; Legatoquè ejus laudes gratesquè pro Benignitate decretæ. Ei mox *à Pontifice* immensi honores habiti; & gratiæ Diplomate actæ. *Romanus Clerus valdè Lætatus est, ob recepta Sanctorum Patrum Exemplaria; cum multa loca corrupissent, quæ nec redargui, nec restitui possent; jam Antiquissimis Exemplaribus ablatis, ad quæ docti Protestantes provocare solebant, cum Corrupta loca proponerentur. Namquè sicut Patrum Veteres Editiones Græcè & Latinè reverentissimè colunt, ita Pontificias suspectas habent..*

Tilius expugnatâ Heidelbergâ, Sede Palatini, minimè cessandum ratus, ad *Manhemium*, Copias traduxit, Urbem situ munitam; *ubi Nicrus incidit Rheno flumini*; quam Opera, Molesquè per Artem muniverant. Præerat *Verus Anglorum Præfectus, cum Mille ducentis Anglis, & totidem ferè Germanis*; ad omnes belli Casus paratus. Ubi ad Urbem hostes accessêre, in eos propinquantes expeditæ Cohortes, instructæquè erumpunt, & stragem faciunt. *Tilius* majore militum robore Eruptionem Cohortium sustinuit; & Oppugnationem arduam ratus, in Curam Obsidionis versus, Castris antè Moenia positis, fossâ & Operibus claudere aggressus est, undè Tormentis ac Machinis in Obsessos jacularentur; *stratoquè per Nicrum Ponte*, Castra firmavit; agitavitquè animo, ut impetus *in Arcem veterem* fieret. Quam quia defendere nequiverat *Verus*, accendere, & Muros Tormentis concutere jussit, ne in usum hostium relinqueret. Hâc Spe potiundæ Arcis abruptâ, *Tilius Mulaviam occupavit, & xxxx qui in Præsidio erant, in Oppidum compulit.* Dein ad *Coemiterium* progressus, monuit Præfectos, Centurionesquè, ut Vigilias Nocturnas intenti servarent; Militesquè, ut locum munirent, & ad munia belli enixè operam navarent. Qui *Cadaveribus defunctorum Sepulchris effossis, in Aggere & opere usi sunt.* Præsidiatij promptissimum quemquè Munientium è Moenibus interfecêre, vel vulneravêre. cæteri se Cratibus, protegendis Oppugnatoribus paratis, defenderunt. Postremò *Tilius*, promotis ad Fossam & Pontem Aggeribus, vi majore aggressus Urbem, creberrimis Tormentorum ictibus Muros concussit: comperitquè per Transfugas, *Siccitate fluminum, facilem per Fossam in Murum transitum patere. Alibi umbilicum aquam æquare, Alibi vix genua superare Neq; Murum ibi opere munitum.* Ubi aquæ Præsidio satis creditum erat, eò armatos duxit, impetum facturus; jussitquè *mediâ fossâ evadere ad Mœnia.* Præfectus *Verus*, cum hostium Conatus & Consilia cerneret, *per fossam facilem Transitum, ac in Murum humilem ascensum; Aquæ inopiam in Prodigium vertens, & Rheni Siccitatem, Vrbem incendit: in usum hostium pauca reliquit tecta. Ipse in Arcem cum omnibus ferè Civibus, & Supellectile secessit. Tilius* Moenia sinè Certamine intravit: & communitis Castris, quantùm accelerare poterat, *ad Oppugnandum Castellum* perrexit. Objecit Vallum, & dispositis ab omni parte Copijs, Stationes armatorum opposuit. Fossam Arborum truncis, fragmentisquè ramorum replevit. *Verus* totis viribus, ne caperetur, restitit, circumspectans necundè impetus fieret. Obsidio per multos dies continuata, *Præsidium ad inopiam Alimentorum adduxit.* Igitur Præfectus, cum languere Militum animos videret; Nequè Spem ullam esse Subsidij, Signo dato, Tormentorum fulminibus abstinuit; Valamentum pro Mœnibus

1622. ostendens: *postulavitq; Pacis Conditiones, Salutem Militum; Incolumitatem Civium; Arma; Signa; Supellectilem; Vehicula; Tormenta; & Triginta Vini Plaustra.* *Tilius* inhiberi Tormenta jussit; & Conditiones æquis auribus audivit; quod cerneret *Præfecti Selertiam*, qui bellum Consilio, non fortunâ gereret. Postero die, *Castelis deditionem fecit*; multum imminuta vetere Nominis gloriâ. *Quia in unâ hâc Urbe, hostis Universum capit Palatinatum, & ingentem Apparatum belli.* Milites Signa, Arma, Tormenta duo, & Supellectilem extulêre. Vulgò creditum, *Britanniæ Regem, per occultas literas, Præfectum monuisse, Deditionem accelerare: neu provocandam spontè ruinam; adversam belli fortunam, multis magnisquè cladibus cognitam: Nec posse Castello Commeatuum egeno, Palatinatum defendi. Spem Pacis superesse. Si fraude cuncta agerent hostes, indè Injuriam, & Crimen; hinc justam Ultionem Perfidiæ in potestate Numinis fore. Satis peccavisse se, quod toties crediderit: magis peccavisse, qui deceperint.* Nec à vero abhorret, hujus Deditionis *ipsum Iacobum Authorem, & Suasorem fuisse*; quandò insequenti Anno *Francendaliæ voluntaria Deditio secuta est. Præter quam, Tilius omnes Palatinatus Urbes in potestatem redegit.* Hic Annus habuit hunc tristem exitum in *Germaniâ.*

In Galliâ cum debellatum crederetur, tot fortissimis viris interfectis; *fractâ Robani, Forcijquè potentiâ*; reliquâ Protestantium Nobilitate disjectâ; nullâ Spe externi Auxilij; desperatis eorum rebus in *Germaniâ*; perculsâ *Britanniâ*, improvisâ *Palatinatus* ruinâ; *& VII viri pulsi Patriâ exilio*; repentè bellum anceps ubiquè recruduit in *Aquitaniâ, Septimaniâ, sivè Occitaniâ, & Cadurcis.* Cum omnia haud dubiè ad Seditionem spectarent, *Morneus Plessæus, ex Primoribus Protestantium*, Pacem à Rege humilibus literis efflagitavit: quibus exposuit *multa & magna Protestantium in Patrem Merita: disseruitquè, Galliam suis viribus concidisse; cunctaquè quæ acciderent, non Contumaciâ ferociâquè Protestantium, sed fraude Inimicorum evenisse; & Metu ultimæ ruinæ, Capitibus impendentis. Nullum ijs bellum adversùs Regem; sed adversùs publicæ Pacis hostes, falso Rebellionis Crimine insectantes, arma cepisse. Quæ excusavit, pro Conscientiæ libertate, tot Edictis concessâ, Vitâ, & fortunis, necessariò sumpta.* Petijtquè à Rege, *ut liceret Protestantibus, per universum Regnum Conventus agere, Vitam, Opes, Dignitates securè possidere: eoquè nomine si idoneè caveretur, eos protinùs, positis armis, ad Fidem & Obsequium redituros.* Postremò, eum ad Pacis Consilia multis rationibus hortatus est. *Rex adhibitis Primoribus, Quid optimum factu esset, consultavit.* Quibus non visum est, è Dignitate Regis, *Conditiones à Subditis armatis accipere, priusquàm ad Officium, & Obsequium redijssent.* Prævaluitquè Sententia, *ut Obsequium abnuentes, Vi armatâ cogeret.* Quâ re compertâ, *Protestantes* intumuêre Arrogantiâ, ferociâque; & sibimet ipsis diligentius consuluerunt: *Deum, hominesq; testantes, à Publicæ Quietis hostibus sibi Injuriam fieri; & Exitium quæri.* Mox *Roianum Oppidum, in æstuario Garumnæ conditum; & Pusinum, Arcem munitissimam, Rhodano impositam, interceperunt.*

Intereà hyems aspera *Espernonium* ab incepto *Rupellæ* Obsidio avertit. *Rupellani* præferoces, deliberatione habitâ, *Garumnæ, & Ligeris Ostia*, Præsidijs occupanda; & Vectigalia Navibus ultrò citròquè commeantibus imponenda decrevêre. *Favasius, legibus Nocens, Burdegalæ publico Iuditio damnatus*, cupidine Ultionis flagravit, multos ad Defectionem traxit; & operam suam *Rupellanis* obtulit, ad cuncta belli Munia acer. Qui summam rerum ei ultrò, *Garumnam*, permisêre. *Subisium, Robani Reguli fratrem*, cum Classe, & parte Copiarum, & *Favasium* cum dilectâ Manu, ingruenti bello opposuerunt. Quo discreta Virtus manifestius spectaretur, *Naves Subisij in Ostium Ligeris acta. Favasius*, haud magnâ cunctatione, *Argentonam Insulam, in Ostio Garumnæ* occupavit, ac Munimentis firmavit; & *Soulacum Pagum, in adversâ ripâ Roiano oppositum*, intercepit; ut Commeatum *Burdegalæ* intercluderet; ac Mercibus flumine subvectis, ad arbitrium, *Vectigalia* imponeret. Loco muniendo laborem addidit: *Rusticorum* Multitudo illuc congregata, circumvallando ministra erat.

Accitus in Societatem armorum *Sanseverinus Baro, Roiani Præfectus*, cum dilectis Auxiliaribus. Utquè Prædâ sui ad virtutem accenderentur, proximos *Pagos* ferro flammâque vastavit; *diripuitquè Viviani fanum, conculcatâ Eucharistiâ, & confractis Imagunculis.* Quæ ubi *Præsidi Senatus Burdegalensis* cognita, incensus Irâ, universam *Burdegalensem Præfecturam* ad bellandum incitat. Adhortatur, ut periclitanti Patriæ fidelem operam navaret; & *Sallium, Ordinis ductorem, Favasio cum dilectâ manu opponit*: donec majores Copiæ convenirent. *Dornanus, familiâ Sanctæ Crucis ortus*, Mandato Præsidis, Copias contraxit, ut circumpositam Regionem contrà hostium Excursiones tueri posset. Ita pauci dies, per crebras velitationes, absumpti sunt; cominùs, eminùsquè se invicem lacessentes. At paulò post, *Viviani fanum*, jam duarum Cohortium sedem, *Favasius* tentavit. Ubi *Salius, Centuriæ* spectatæ fortitudinis, impetum enixè sustinuit. *Dornanus*, auditâ displosione Sclopetorum, & præliantium clamore, expeditas Cohortes Subsidio duxit: auctus & *Protestantium* numerus, aggregantibus se cæteris. Fit Prælium, in quo *Favasium* fortuna deseruit. *Qui amissis Centum ex suis, Soulacum se recepit*: & opprimi poterat, si *hinc Dornanus, indè Salius*, cum suis Cohortibus clausissent. At fuit interim effugium in Agrestia Munimenta; quæ non deseruit, obtinens *utramquè Garumnæ ripam.* Sed obsidere, premerequè *Burdegalam* frustrà tentavit. Plebs urbana retineri Commeatus pavebat; augentibus rumorem *Protestantibus*, qui flumine potiebantur. Sed terrestri Itinere, *Copia Alimentorum subvecta Civitati.* Omissa oppugnandi *Argentonam* spes, donec *Regiæ Triremes* appellerent. Nec sinè Irâ Numinis, evênisse *Pontificij* prædicarunt, *ut apud Fanum Viviani plecterentur, qui paucis antè diebus, Templum Numinis spoliaverant.*

Ex alterâ

Ex alterâ parte, Præsidiatij *Roiani*, *Santonum extremos fines* Cædibus, Incendijs, Ruinis, Rapinis 1622. peragrarunt, secùm omnia ferentes, agentesquè. *Subisius*, *ad Ostium Iardi fluminis*, in terram egressus, Copias exposuit, *Tria Millia Peditum*, *& Quadringentos Equites.* Affluentibus *Protestantium* Auxilijs, *Marrolij in ripâ Iardi* constituit Signa, paratus confligere, quâcunquè parte *Pontificij* occurrissent. *Rupifulcaudius*, *Comes Pictaviensis*, *Provinciæ Præses*, adventu hostium cognito, Pavore & Sonitu Tubarum, universam gentem in Arma rapit; ut ingruenti Bello opponeret. Dilectus locus *ad Fanum Erminij*, *quò Copiæ Regiæ convenirent*.

Inter quæ, *Subisius Arenas*, (id Gallicè Oppido nomen) *Pacto* XX *Millium Aureorum*, *pro redemptione Bonorum*, *& Capitum*, *fide datâ recepit.* Nullâ Pactionis habitâ ratione, protinùs *Urbs direpta*, *& Præda Militi concessa est.* Quod ignominiosum non modò *Duci*, *sed Protestantibus* etiam fuit. Ipse Nuntium prosperè gestæ rei *Rupellam* misit; & perdomandæ Provinciæ institit. *Insulam Olonij*, *ac Chaumium Castellum* occupavit. *Talemundum Urbem Paludibus cinctam*, Mari propinquam, & *Protestantium* Conatibus peropportunam, frustrà intercipere est conatus. *Rupifulcaudius* conjectabat, Protestantes *Talmundo* præcipuè imminere; cognitoquè exiguo Defensorum numero, *Rupibaritaltum Equestris turmæ Præfectum* maturare jubet, ut Opere & Milite firmaret. Qui sinè cunctatione, modico *Comitatu Centum Equitum*, *&* XXX *Sclopetariorum*, *Talmundum* petit. *Cressionerius*, *Subisij Legatus*, *Mareolij cum parte Copiarum relictus*, ei in itinere insidias struxit; *Pontificios* numero pauciores circumfudit. Illi densi, compositiquè impetum sustinuerunt. Prælio acriter commisso, fortissimè utrinquè pugnatum, Horæ spatio, pari Clade, & gloriâ. *Fama victoriæ*, *variis Pontificiorum literis*, *Lutetiam perlata*; quam *Protestantes* ex æquo vendicarunt; Neutris planè Victoribus; utrisquè pugnando defessis, Nox prælium diremit. Cæsorum, eo die, in partibus *Pontificijs* major numerus. *è Protestantibus* fortissimus quisque, & *ipse Dux* cecidêre: nec inulti. *Rupibaritaltus* cum reliquis in Urbem penetravit. Neglecta longâ Pace opera, aut ævo fluxa, restituit.

Subisius inceptum omisit; Indè ad populandum Agros, Milites, Sociosquè duxit: qui ad Prædam magis, quàm ad Prælium cucurrerunt. Sermones *Protestantium* feroces fuêre; denuntiantes, se mansuros in visceribus Provinciæ, & quocunque loco hosti occurrissent, profligaturos; si destinata *Subisij* evenissent, Oram Maritimam *Pictonum*, *& Bellam Insulam*, *in Ostio Ligeris* occupasset. Classis cursum ad *Retensem Insulam* tenuit; quam in potestatem redigere destinavit. Interim *Rupifulcaudius* inutili cunctatione Conatus hostium fovit. Nec misit Equites, qui vagos prædatores exciperent. *Rumor de Subisij Exercitu*, *& Populationibus Pictaviensis Agri Galliam pervasit.* De his rebus persæpè in Senatu, & in Regiâ Urbe actum est, rumoribus Vulgi, commemorantis, *Vasconum & Pictonum Agros vastatos esse: & si Insulis in Garumna, & Ligeris æstuarijs hostes potirentur, Latrocinijs Mare infestum, ac præcipuas Galliarum Civitates Inediâ & Algore confectas fore.*

Nec cæteræ Provinciæ quiescebant. *Post irritam Montalbani in Cadurcis Obsidionem*, *Vinaus*, *in Maæxij locum suffectus*, per proximos Pagos contemptius vagabatur; intentus, ut Commeatus in Urbem conveherentur. *Fanum Antonini Montalbanum enixè juvabat*; cujus Præfectus *Ballagierus*, *Causadam vicinam urbem* ad voluntariam Deditionem conatus allicere, postquàm obstinatos Præsidiarios videt, admotis Scalis, intercipere statuit: & multâ Nocte Quindecim Cohortes expeditas ducit. Ubi ad Mænia accessêre, *Trecenti* transcendunt, moliri Portas, atquè effringere parant; *Ducenti* in Muris consistunt, donec Portæ convellerentur, ut subire possent. Paulò ante, *Nuntius Causadam venit: Præfectumquè ad cavendam Fraudem præmonuit.* Qui metuens circà Urbes proximas misit literas, Auxilium implorantes. Milites qui in Præsidio erant, per opportuna loca, in Stationibus disposuit, Custodias, Vigiliasquè *in eam Noctem* attentè instruxit. Cum Tenebris, Pavore, Clamore hostili cuncta streperent, Cohortes instructæ intùs, ingenti cum tumultu erumpunt, *stragemquè Protestantium faciunt*. *Ducenti cæsi*, reliqui cum multâ Cæde, & fœdâ fugâ retrò pulsi sunt. *Ducenti*, *qui in Muris erant*, præcipites, quò cuique proximum erat, desiliunt. Regij tumultu aut rumore exciti, ruentes excepêre. Pugnatur haud procul Urbe, ubi *Antonini Præsidiarij*, invectis equitibus in fugam rursùs versi. Ipse *Præfectus Ballagierus*, suâmet fraude captus, vivus in hostium potestatem venit. Pauci Præfecti, Centurionesquè eadem fortunâ usi sunt; Cæteri aut interfecti, aut cum gregario milite effugerunt.

Rupellæ in commune consultatum fuit, *An*, *omisso Bello*, *Regis gratiam experiri placeret?* Quidam sortem Civilium armorum detestantes, multis rationibus persuadere conati sunt, *non licere Obsequium ergà Regem exuere*; differentesquè, *cedendum esse Tempori*, *& Fortunæ*; *Aquitaniâ*, *& Narbonensi Galliâ tot Cladibus afflictis*; *interfectis tot Præclaris belli ducibus*; *tot Urbibus incensis*, *direptis*, *aut dirutis*. *Nullum in Armis subsidium*, *deficiente pecuniâ*, *belli Civilis Alimento*; *nec Exercitum sinè stipendio retineri posse. Prætereà nihil humanæ opis esse*; *desperatis Germaniæ*, *& Britanniæ Auxilijs. Unicum in terris remedium superesse*, *ut positis armis*, *se*, *liberosquè suos Regis Clementiæ permitterent: Salutem*, *& Religionis Libertatem paciscerentur: ac Iram ejus Pietate*, *Observantiâquè placarent*. Alij contrà disseruerunt; *Numen haud dubiè in suâ Causâ sibi affuturum*; *& Britanniæ Regem Conatibus præstò futurum. Atrocitatem pristinam*, *recentem Crudelitatem*, *Aquitaniamquè Civilis sanguinis flumine inundatam*, *adversùs Mulieres strictos gladios commemorarunt.* Asserentes, *nihil Morte acerbius contingere posse. Moriendum Victis*; *moriendum Deditis. Optabilius esse fortiter pugnando in Acie Mortem oppetere*, *quàm antè ora Conjugum*, *& Liberorum ignobili Sævitiâ trucidari.*

Nec

1622. *Nec injusta Arma esse, qua Tutela sua causâ capiuntur. Neq́, Bellum adversùs Regem susceptum; sed adversùs flagitiosissimos ejus Consultores, qui sibi sapiunt; & Regiâ Auctoritate ad Savitiam ac Avaritiam abutuntur.* Huic Sententiæ plures assenserunt, *Deum Conatibus affore testantes, si in eum Spem, & Vota conjecerint.* Decretum fuit, *ut Arma caperent; Sequè adversùs hostes tàm Naturâ, quàm Superstitione Barbaros, omni ratione munirent.*

Divisæ inter duces Provinciæ. *Robanum Narbonensi Gallia præficiunt, & universi belli ducem constituunt. Frater ejus Subisius Classi Rupellana præficitur, & Ora Maritima Santonum, ac Pictonum. Marthioni Forcio, Aquitania cù Garumnam: Favasio, loca ultrà flumen obvenêre.* Rupellam Consilio, Opibusquè partes adjuvêre. *Montalbanenses, Nemausenses, Castrenses, Mompeliani, Vticenses, Rupellanorum exemplum secuti sunt.* Captivitates Urbium multæ, & variæ. *Vineus Montalbanensis Præfectus*, Urbes propinquas aut deficientes recipit, aut detrectantes cogit ad Defectionem; *Bourniquetum Oppidum, & Arcem* sinè certamine occupat. *Dux Engolismensis*, cum parte Copiarum in *Aquitaniâ* relictus, *& Theminius Magister militum*, facti indignitate, & recenti Injuriæ sensu asperati, munitis subitò Castris, Urbem obsederunt. Quæ extemplò tradita, *Præsidium Regium accepit*. Indè Belli redintegrati Omen *Protestantes* concepêre. *Montalbanenses*, divisis Copijs, crebras Excursiones *Tolosam* usquè fecerunt; & vicina loca Cædibus, Incendijs, Ruinis vastarunt. *Girardus turma Præfectus*, novâ indignitate, prædandiquè licentiâ accensus, alios in Insidijs collocavit; Alios Armenta præ se agentes, *obequitare Montisalbani Portis jussit.* Non tulit Audaciam insultantis hostis *Vivianus*, in quem cum paucis equitibus erupit; insolens fælicitate, ac Indulgentiâ fortunæ, cedentes ferocius quàm consultius insequens, coortis Insidijs cecidit. Trucidati qui restiterant. Pauci Comites in Urbem effugêre. Hoc Initium expiandi Cædem *Mainij ducis*. Fuit hic Vir bello clarus, qui in Urbe tuendâ Fortem ac strenuam operam navavit; omni vi, ne caperetur, obnixus.

Desciverant, Fortio Authore, Aquitania Vrbes aliquot à Regê: Fidei Fanum; Mons Ravelli; Gensacum, dua etiam à Protestantibus vi capta, Neracum, & Toneinia; ut in Contextu Operis memorabimus. Qui rebus secundis elati, Sacramenti immemores, passim Obsequium in Regem exuerunt; procurrentes ex Agris, tectisquè, Arma telaquè expedivêre passim, *ad Cædem Pontificiorum versi.* Regij duces increpuêre ferocioribus verbis *Protestantes*, fidem & Obsequium abrumpentes. *Qui nullum sibi bellum adversùs Regem* responderunt; *sed Pacis, & Otij cupidinem esse, quam quietâ Rep: consequi non possent. Fortius dux assumptus*, subita per *Aquitaniam* arma movit. Possessâ majore Provinciæ parte, robur Equitum Peditumquè contrahens, assignavit ducibus militiæ Ordines; & insignes viros *Legionibus* præposuit; & pecuniam undiquè conquisivit, ut stipendium Militi exsolueret.

Eodem ferè tempore, *Negropelissa*, partium studio, tumultuari cæpit. *Cæsa ibi Quatuor Cohortes, Præsidium Regium; lacerata ferro corpora, abscissa miserorum Capita; Mulieres quoquè (pudendum dictu) à Naturâ desciscentes, in Dormientes milites nefariè Cultellos distrinxerunt; & jugulatos in Lectis, Muris præcipitarunt.* Pauci Somno exciti, & arma capientes, sese eripuerunt. Cum *Mulierum manus* effugissent, tandem ab Oppidanis confecti, exanimes corruerunt. *Cujus Crudelitatis feritatem, posteà majore Sævitiâ luerunt*, Religionis feroces, & Acres magis, quàm piæ vindices.

Redintegrato bello, multæ atroces invicem Cædes, *Pibracus Regia legionis Tribunus*, strepentibus circà hostibus, Cohortes suas *Faiselam contraxit, ad Cadenacum Propugnaculum, ad Lotum situm, expugnandum*; quod tenebatur Cohortis *Protestantium Præsidio*. Consilium suum de Munimento occupando *Ayena Comiti, Ruthenorum Rectori*, communicavit. Qui tempore constituto præstò fuit. Silentio Noctis, Centuriones cum dilectis militibus Propugnaculum invasêre, Portas molientes, & admotis Scalis Muros scandentes, Pugnatur in Tenebris ambiguè; prælium anceps & atrox, modò his, modò illis exitiosum. Ibi plurima Strages. Ex alterâ parte, *Pibracus*, cum fortissimo quoquè, incubuit, hortans pugnantes, ad exscindendam *in finibus Ruthenorum Rebellium Sedem, Spolijs & Cædibus Catholicorum ovantem. Protestantes* intenti ad opem ferendam laborantibus suis, non Armis, non vulneribus cessêre. Tribunus cum obstinatos Defensores videret, faces quoquè intulit; & Muros transcendit: Nec ulli qui obvius fuit, pepercit. *Protestantes* non ferrum, non Ignem metuentes, ad ultionem accingunt se integri cum saucijs, sternunt irruentes: cum Ignem & impetum sustinere ultrà nequirent, *Postremo Agmini hostium se immiscuerunt, quorum multos Pugionibus foderunt.* Fors cuncta rexit: nulla feriendi, aut declinandi ictus cura. *Ex Centum qui in Præsidio erant, Nonaginta Quinquè ferrum ignisquè absumpsêre. Quinq́, reliqui, in Tenebris, ac Nocturno tumultu evasêre, permixti hostibus*; quorum Misericordiâ servati. *Multi Regij cecidêre; & in his Instaretus Centurio*, armis effulgens. Postero die deliberatum, *placeretnè, restincto igne, Propugnaculum incorruptum, & intemeratum servare; vel diruere? Placuit Rebellis Munimenti ruina.*

Forcius Societate Procerum auctus, & Pecunijs per *Aquitania Municipia* conquisitis, *Vrbes inter Garumnam & Lotum*, occupare; aut detrectantibus imperium, bellum inferre statuit. Missi ad Regem, *qui descivisse Aquitaniam, & Narbonensem Galliam nuntiarent*; turbatis metu Incolis; aut ad Protestantes spontè inclinantibus. Proindè bellandum adversùs desciscentes, & faciendum universi belli ducem. *Vbi Rex Parisijs de motu Aquitania cognovit*, Primores Procerum accersivit: habitâquè, de universi belli ratione, Consultatione, *Ellebovium Dynastam omnibus suis in Aquitaniâ Copijs præfecit: eiq́, suffecit Theminium Magistrum militum*: adhortans ut Provincijs laborantibus adessent; & periclitanti

Patriæ

Patriæ opem ferrent. Qui conjunctis Copijs, proni ad decertandum, quocunquè loco *Protestantes* occurrissent; quò minùs ultrà pergerent. *Forcius* restitit, ac iter obsepsit.) *Protestantes* detrectavêre Certamen, freti loco tuto inter *Garumnam & Lotum.* Igitur *Ellebovius* infesto Exercitu ingressus Agrum hostium, vertit iram in *Gensacum Oppidum*, natutâ munitum: ubi cuncta provisa adversùs longam Obsidionem; quod frustrà tentatum est. Quoniàm primus Conatus frustrà ceciderat, *ipse Artem validam, & Patrimonialem auferre Fortio sibi gloriosum duxit: & publicè utile, Patriam sedem, hostium Duci eripere.* Igitur ad occupandam Arcem profectus est. Quod ubi sensit *Forcim*, concitâ *Protestantium* multitudine, Provinciæ finibus *Regios* arcere, *Artemq́*, defendere, è re famâquè suâ credidit. In hoc alterno Certamine, Prælia aliquot brevi contracta; nunc his nune illis fortunam tentantibus, ex æquo discessum est; & nocturno incursu, stationes bostium *Forcius* irrupit, *ut Arcem suam Obsidione eximeret*: tentatisquè levi prælio animis, retrò cessit. Tandem *capta Arcis Obsidio omissa est:* & in Expugnationes Urbium versum bellum; ne *Forcim* externa auxilia moliretur; *Arces Regiorum* Procerum dirueret; & Obsequium ergà Regem penitùs exuetet. *Ellebovim* proxima aliquot *Municipia* occupavit. In quibus *Vetera Sacra* recoli jussit. *& auxit Durasij Præsidium, Novem Cispadana Legionis Cobortibus*; defectione ejus suspectâ, sollicitante ad mutandam fidem *Forcio.* 1621.

Ibi pauci dies, ad militum requiem, sumpti: adventu deindè aliarum Legionum, *Montem Ravelli* Vallo & fossâ circumdedit. *Forcius* ire obviam Cæptis, atquè resistere parat. Pro Ope ferendâ Obsessis, ipse *Montem Flanquinium*, Urbem superiore Anno deditam in fidem Regis, in potestatem redigete intendit. *Præmissum filim* cum expeditâ manu, ad defectionem traxit: sequè ducem Defectoribus obtulit. Receptâ Urbe, Opera jussu Regio subversa, summâ Industriâ refecit.

Ijsdem ferè diebus, *Marchio Lusignanus in Protestantium partes transgressus*, quod non statim Præmium à Rege pro Spe adeptus foret; cum fide juvit, & *Cleracum, quod Loto alluitur*, intercepit. Ubi Præsidiarios inopinantes oppressit, *& ducentos resistentium interfecit.* Qui non inulti periêre. *Religiosi* nullo discrimine trucidati. *Abbas, Curio, & Manuetm Ignatianus, vulneribus confossi, cecidêre.*

In alterno hoc Certamine, *Ellebovius Montem Ravelli eò Ferocim aggressus*, vi expugnavit. Nec minùs violenter *Protestantes* ibi Cladibus afflixit.

Inter tot luctus, Cladesquè, *Aquitania Toneinenses, citrà ullum ferè tumultum, ad Protestantes descivêre*: & exemplum cæteris Provinciæ Urbibus præbuêre, ad Transitionem bortantes. *Arx tantùm retenta*; in quam, terrore famâquè deditæ Urbis perculsi Regij milites, effugerunt, conantes defendere. Eam intrà paucos dies *Forcius* in potestatem, lætis Civium animis, redegit; ac reliquit ibi *Præsidium Quindecem Cohortium; cui filium suum maximum natu, & Castelli Vice-Comitem præfecit.* Paucæ tantùm Regionis ejus Urbes, quæ Præsidijs *Regijs* tenebantur: cunctis circà hostilibus, in fide ergà Regem mansêre.

Item, *Narbonensis Provincia imbuta favore Protestantium, & Odio Papanorum, tota ferè defecit; Auctore Robano Regulo.* Qui, spretâ Auctoritate Regis, excitis Auxilijs in extremum discrimen *Septimaniam* adduxit. *Laureacensem Agrum, Albigensem Dioecæsim, Foxiensem Comitatum, ac Benearni quoquè conterminas urbes*, eadem inclinatio animorum, seu amore Religionis, seu studio turbarum, penetravit. Incolæ undique sustulêre animos; & ad *Tolosam, Burdegalamquè* excursiones fecerunt. *Rohanus* instruxit Multitudinem; sollicitavitquè ejusdem Religionis Socios, ut ingruenti bello occurrerent; sequè Direptionis, & Incendij periculo eximerent. *Vbi flagrare Aquitaniam, & Ocitaniam bello Burdegalenses viderunt, Rohanum, Forcium, & Lusignanum, publico Iudicio, Perduellionis damnarunt.* Quod acrius sollicitavit eos; ut *Lutetiam* ad Præsidium petendum miserunt.

Ellebovius defectionis gnarus, adhibitis Tribunis, Præfectisquè, consultavit, Quid optimum factu esset? Placuit, conjunctis *Theminij* Copijs, & advectis Tormentis, Machinisquè, *Toneinenses aggredi*: ne hoc Maleficio impunito, cæteræ Urbes Defectionis exemplum sequerentur. Mox universum Exercitum *Toneinias traduxit; & Inferiorem Vrbem arctè obsedit*: oppugnavitquè: quam Præsidiarij minùs pertinaciter defenderunt. Quæ aliquot post diebus, quàm oppugnari cæpta erat, expugnata est. *Trecenti Protestantes cæsi; pauci Catholici desiderati.* Cædes magis, quàm pugna fuit. Lætus hâc Victoriâ, eò properantius *ad Vrbem Superiorem ducit. Theminius Magister Militum*, gravitate Cæli periculoso morbo implicitus, belli laboribus impar, Ducem Consilijs juvit: suasitquè Tædium, & Moras. Ille Moræ impatiens, per promptissimos militum, *Superiorem Vrbem adortus*, suæ ditionis facere intendit. Quæ tuta viris, Munimentisquè, *nihil adverso Casu Inferioris territa*, egregiè se defendit, pulsis Oppugnatoribus, magnâ suorum Clade. Oppugnatio parùm procedebat; quia Obsessi expugnari Vi non poterant; *quod per Garumnam, Forcim ex propinquo Commeatus, & Auxilia submitteret.* Discedere, re infectâ, ab Urbe, sine Ignominiâ temerariæ Oppugnationis, non potuit. Igitur Obsidere placuit, *& fame domare. Ellebovim, in ripâ Garumnæ consedit*, loco opportuno, ut haud facilè à tergo, lateribusvè circumiri posset; intentus in flumen, ne clàm Frumentum importaretur. *Forcius anxius filij discrimine*, & fortissimorum militum, cupiensquè ferre Auxilium Obsessis, protinùs *Cleracum* venit; Castra propiùs hostem movit; & loco tuto connexis dolijs se tenuit, viribus haud satis fidens. Qui cum videret, Obsidentes in Vigilijs & Stationibus nihil negligenter agentes, & Castra permunita, *retrò Cleracum se recepit*, ac re infectâ redijt. *Ellebovim* (ut tradunt *Scriptores Pontificij*) *præmisso levi Equite,*

 & XII Pe-

1622. *& XII Peditum Cohortibus*, ut in receptu hostes lacesserent, *Quadringentos Pedites obtruncavit*; eripuitquè Signum Militare. Sed verius est, *recepisse sese Protestantes, sinè militum jacturâ, quàm immisso Equite Quadringentos interfectos.* Tum Urbis Obsidioni, muniendisquè Castris intentus, & flumini, assedit tantùm Urbi, *ut Præsidium ad Inopiam Alimentorum adduceret:* nihil interesse existimans, traditâ an captâ Urbe potiretur. Urbani ductores Ordinum consolati sunt Præsidiarios; adhortantes, ne animos summitterent. *Filius*, Patris virtutem bellicam, Disciplinam Militarem, fortunamquè laudibus extollit; indefensum se, neglectumquè in tali Necessitate, non fore ostendit. *Pudorem Patris in neglectâ salute filij commemorat :* & quanta pericula pro incolumitate *Protestantium* adijsset. Hic Sermo addidit fiduciam Obsessis; qui spondent, *nunquàm dedituros se Urbem, antequàm Vires ad standum in Moenibus deficerent.* Intereà *Forcius cupidus Bergiriaci potiundi, ubi Garumna commodissimus Trajectus*, admotis scalis frustrà tentavit: quia Propugnatores Saxis, Missilibusquè Moenia tuebantur. Inde pulsus *Cleracum* redijt: animo agitans, *Quomodò Filium Obsidione liberaret*; quoniam hostis, diu assidendo, arctiorem Annonam Obsessis fecerat; & continuis Cladibus numerum minuerat. Verecundia quoquè cunctari prohibebat. Ipse primùm, Quot Pedites Equitesquè in hostium Exercitu essent, pensitavit. Tùm Copias suas lustravit: inivitque rationem, si tanto Conatui sufficerent. Dùm hæc *Cleraci* præparantur, & Nocte Commeatus *Garumnâ* subvehuntur, & æqualiter inter omnes dividuntur, Obsessi ad dolum versi, *Deditionem simulant; & de Conditionibus tempus ad deliberandum postulant.* Datoquè spatio, Nuntios properè ad *Forcium* mittunt: edocentquè, *Urbem extempló in hostium potestate futuram, nisi opem ferret. Pugnandum autem esse, si Commeatum importare vellet; Nequè Spem esse clàm subvehendi; inventis adeò in flumen hostibus; & Naviculis Burdegalâ accitis, ut Commeatum invehi prohibeant. Non defuturos se à tergo, Signo dato, quo tempore hostium Castra aggressurus esset. Forcius*, remisso Nuntio, Astu extrahi rem in suum Adventum efflagitavit. Quod ubi renuntiatum est, ingens Spes Obsessis affulsit. Itaquè *silenti agmine Cleraco proficiscitur*; & in Colle, haud procul hostium Castris, consedit. Res subita *Regijs* ingentem præbuit terrorem; ne à Tergo & à fronte clauderentur. *Ellebovius* suos milites intrà Munimenta tenuit: & exploravit cuncta quæ apud hostes fierent. *Theminius* adhuc Morbo invalidus, aliâ parte Urbi est oppositus, ne Præsidium erumperet. Præfecti cum Equitatu, in Planicie antè Castra constitêre. *Forcius*, postquàm neminem moveri Stationibus videt, *Nocte digressus à Colle, instructâ Acie in Castra pergit, ut perrumperet.* Cohortatur Milites, ut continentes se Munimentis hostès adorirentur; *& proximum Propugnaculum Inferioris Urbis invaderent.* Quod firmis Præsidijs munitum repererunt; omniaquè adversus Impetum provisa. *Ellebovius* periculum Castrorum ubi videt, cum expeditâ manu, & Equestribus Turmis venit, rarioribus Præsidijs ad tuenda Castra relictis. Primores Centurionum hortatur, ut fluctuantes in ancipiti periculo Cohortes hostium invadant. *Ipse Forcium, Equitesquè ejus aggressus*, intulit formidinem, modicâ Cæde XXX Equitum; qui convertere Agmen, & recipere suos cæpit. *Hic Receptus* pugnantium Peditum contudit animos: qui ab Equite deserti, abjectis armis cæsi, disjectiquè sunt. Equitum ardor ingens ad *Forcium* insequendum fuit. *Verùm Ellebovius Receptui cani jussit*; ne Obsessi in Castra irrumperent. Cæsi hoc die, *Protestantium Peditum Trecenti; Signaquè quatuor adempta; Equitum haud plùs quàm Triginta cecidêre.* Interim *Præsidiarij*, tumultu & clamore exciti, in Castra erumpunt; urgentque Stationes *Cispadanæ legionis, ac Picardicæ*, ancipiti pugnâ; & qui eâ parte Castris præerant Legati, acriter pugnantes, cadunt vulneribus confossi. In ipso Vallo, Milites pavore, ac periculo perculsi, loco cessêre: *perrupta Munimenta, Tria Tormenta erepta; quorum duo in fossas, unum in flumen dejecerunt.* Sed nequè hostium numerus; nequè armorum vis sistere eorum impetum potuerunt: *mox occupatis fossis, & Vallo, in Inferiorem Urbem irrupêre*; & in Stationibus negligentius agentes oppressêre. *Lixæ, Calones, Balatrones, qui Exercitum Quæstus Compendijquè causâ sequebantur, in vicinas Urbes, Pagosquè, exterriti fugêre; nuntiantes debellatum in Castris. Ibi interceptos Commeatus, & in Urbem convectos, ad Obsidionem diutius sustinendam reservarunt.* Si Auxiliares Copiæ à fronte Obsidentibus institissent, invectis in terga Præsidiarijs, Medios clausissent, & ancipiti pugnâ circumvenissent; *Urbemquè Obsidione liberassent.* Præsidiarij aliquamdiu Fossis & Vallo potiti, antequàm Obsidentes à recenti Formidine colligerent animos, se intrà Moenia properè receperunt, ne à suis intercluderentur. *Ellebovius, pulso Forcio, qui Aquitanici belli haud dubiè concitator erat*, in Castra redijt: ubi recentis vestigia Cædis, strataquè suorum Cadavera invenit. residente paulatim metu, rursùs Stationes, Fossas, Vallum occupavit, Obsidioni intentior.

Aquitani, & Ocitani Pontificij, cum obsistere malis diutius nequirent, *Nuntios Lutetiam miserunt*, qui in Quæstus flebiles erumpentes, narrarunt, *omnes ferè Aquitaniæ, & Septimaniæ Urbes ad Protestantes defecisse: parùm in Incolis Præsidij esse; nihil in Urbibus fidum; spoliatas opulentissimas Provincias: Dei Optimi Maximi ædes dirutas, ac incensas: viresq́, hostium auctas; suas Cladibus minutas; validissimam Foxiensis Agri partem ad Rohanum conversam: ejus stimulis excitos in Delphinatu duces Partium, & Rhodano transito, paratos militare, ac adjungere se Cæteris in Septimaniâ Protestantibus.* Plùs Indignatio, quàm Misericordia in causâ eorum valebat. Nec deerat *Clerus* augendæ Misericordiæ. *Rex* accensus precibus, lachrymisquè, respondit, *daturos pœnas Sceleratos.* Consuluitquè Proceres, auditâ Defectione, in Conclavi Curiæ. Et magnâ eorum frequentiâ decretum est, *Maleficia in Deum, ac Remp: impunita esse non oportere. Et Protestantes armatos, tanquàm Rebelles, ubiquè persequendos. Rex non se Legatis, nequè Mandatis militaturum professus est.* Roburquè hostilis Exercitus secretò percunctatus, Nuntios cum Spe

domum

domum remisit. *Turmas Equitum, Prætoriæ Cohortes, Cæterasquè veteres Legiones expedire jußit.* Proceres Regni Epistolis in Ultionem sui, & Reip: accendit: ostendens, Expeditionem necessariam; Pacem infidam, & publicè ignominiosam. In præparandâ Expeditione curam Argenti, in Stipendium Militum egit. Proprijs iterùm Opibus, *Sacerdotium*, Bellum juvit; *Nobilitas*, Armis; *Plebs*, studio, & laude accendit *Regem* ad Ultionis cupidinem. Accelerata interim Expeditio. 1622.

Adulto Vere, Rex Lutetiâ digressus, sequente exercitu, *Blæsas* paulò antè *ferias Paschatis* profectus est: *ubi Festos dies per Triduum agitavit.* Jussit duces, Præfectosque, *Exercitus* consulere: vidensquè Expeditionem necessariam, *in Pictonum Inferiorem Regionem* Exercitum ducit, Adversùs *Subisium, & Populatores vagos.* Qui cognito Regis adventu, & Exercitus, *relictis Maritimis Pictonum Oppidis, & Arcibus*, de receptu cogitavit: & integro Exercitus sui robore, ad *Retensem Insulam perrexit, Rupellæ peropportunam.* Rex exploratores præmisit, ut noscerent robur hostilis Exercitus, Ordinem Agminis, & Itineris. Qui ad Regem remearunt; renuntiaruntquè, Spes, viresquè hostium: eos Iter ad *Retensem Insulam* facere cæpisse; vultu, & Incessu trepidos videri, properantesquè in Insulam trajcere; eam, finem persequendi, propter difficultatem Transitus, fore sperantes. *Rex*, cognito hostium Consilio, summâ celeritate usus est, ut assequeretur. *Sed Subisius celerius quàm Rex ad Insulam pervenit; & repletis aridis Sarmentorum fascibus undis, transmisit suos; tunc pulsis resistentibus, Insulam in potestatem redegit. Rex* varijs difficultatibus Viæ per biduum vexatus, tantum Itineris confecit, quantum Milites lassitudine, & Uligine Paludum confecti poterant: quòd tum Cælum erat pluvium. Tertio die, ad proximum Insulæ littus venit. Ubi consultis Proceribus, Præfectisquè, Quid potissimùm agendum esset? tandem *Insulam aggredi, Præliumquè committi placuit.* Mox instructo Exercitu, constitutoquè quid fieri oporteret, *præmissis Condæo Principe, cum Prætorianis Cohortibus, Navarraâ & Neustricâ Legione; Vitreo, Præstuo Magistro militum; Bassompetrâ, Præfecto* Castrorum; ipse magno Animo, & fiduciæ pleno, subsecutus est. Quæ ubi cognita *Subisio, qui Retensem Insulam insederat*, cum armatis; parat, instruitquè se, contrà Transitum Regiorum. *Rex* autem, nequè mansurum eum; nequè Copias in Aciem educturum putavit. Sed, quia *per Canalem angustum* septa ad hostes Via erat; Consilium extemplò habuit, adhibitis peritis Maris; *Faciendumnè periculum Transitus esset?* Qui relabente Æstu, id facere tutò posse responderunt: nec magni Certaminis rem fore. Ubi primùm *Æstus Maris* decessit; *Ipse Rex, intempestâ nocte, cum Equite transgressus Canalem*, Signum pugnæ dedit. Pedites per aquam Cingulo tenùs secuti sunt. *Subisius, pavore, & hostili murmure turbatus, relictis Munimentis Agrestibus, Tormentisquè, & Supellectile, cum Equite in Continentem proximam ægrè*, reciprocante Æstu, effugit. *Pedites*, sinè duce relicti, alij aliâ dilapsi sunt. Eorum passim Cædes fiebat; pauci servati; nisi qui abjectis Armis *in Naves profugerant*; quos *Regij* citato gratu insequi cæperunt, ut occiderent potiùs, quàm caperent. Sed cum hostiliter in Navibus cæderentur, multi qui *in Mare se præcipitarunt*, ut Nando *Rupellam* repeterent, fluctibus hausti sunt. Quidam ex hostium manibus elapsi, *Paludibus abditi sunt*; repertiquè manus tendentes, suppliciter Vitam orabant: *quos exeuntes Calones, Rustici, lixaquè trucidabant. Desiderati sunt ex Protestantibus, circiter Mille Quingenti; Septingenti Vivi in potestatem Regis venerunt.* Et vagi in fugâ aliquot Equites intercepti, ubi plures diversæ viæ erant. *Princeps fugæ Subisius*, ipse varijs difficultatibus in transitu Freti conflictatus, postremò *Rupellam tenuit*, cum paucis maximè fidis; quò ex Acie confugerat. Cæteri comites in Prædia sua dilapsi sunt. *Rex ad Præfectum, Decurionesquè Parisienses literas misit*, in quibus scriptum erat, *Retensem Insulam, difficilem accessu, interceptam: Protestantium ibi Copias fusas, fugatasquè. Subisium terrore, famâquè Exercitus sui perculsum, cum Paucis Equitibus fugisse, Rupellam petijsse. Multos Centuriones, Præfectosquè captos, in potestate esse: paucorum Militum jacturâ, tantam hostium stragem factam.* Literæ in Curiâ recitatæ, ingentem lætitiam Senatui, Populoque moverunt. His lectis, edixit *Præfectus Vrbi*, ex Authoritate Senatus, ut omnia Templa aperirentur, & gratiæ Dijs immortalibus, ob res prosperè gestas, agerentur: quod suspensam, & sollicitam Civitatem, fugâ hostium liberavissent. *Rex Supplicationes, & preces publicas, per omnia Cathedralia Galliarum Templa decrevit.* Ira ejus in gregarium Militem captum versa; *aliquot Resti suspensi; plures ad Remum damnati.*

Insulâ communitâ, ac Præsidio modico imposito, Rex ingenti Victoriâ ferox, magno Procerum agmine, *per fines Santonum, in Aquitaniam concessit; & Rojanum, Marinum Oppidum, ad Ostium Garumnæ fluminis situm petit.* Cum jam indè haud procul abesset, *Ducem Espernonium*, cum parte Copiarum, præmitrit, *ad exposcendum Colloquium Baronis Sanseverini, qui præerat Vrbi, & Præsidio.* Si fiat Colloquij copia, *Præfectum verbis benignis, ad voluntariam Deditionem allicere jußit; & Spe, aut Metu.* Si moretur Deditionem, ac in Pervicaciâ perstaret, nihil eorum prætermitteret, quæ in Obsidione patiendâ essent. Postremò, circumspicere, quâ parte Urbem invadere posset. Ubi ad *Suburbium* accessit, *Præfectum ad Deditionem, Præsidiumquè Regium accipiendum hortatur:* parvam Urbem, parvumquè Præsidium ostendens, adversùs robur Victoris Exercitus. Tentavit *Sanseverium* militum animos; & fide à duce acceptâ, cum paucis Comitibus Urbe egressus, sub Muros congressus, Deditionis Conditiones nequicquàm tractavit: differens Deditionem sibi placere, & Concordiam. Quomodò id fieret non constare. Interim Militaris Turba, quæ in Præsidio erat, aspernans Conditiones Pacis, *& metuens ne Præfectus ab Espernonio corruptus, Vrbem Regi traderet*; concitato tumultu, Principes Amicorum

1621. Præfecti, & maximè fidos Milites obtruncarunt; aut comprehenderunt: diripueruntquè bona Comitum, qui in Colloquio fuerant; & Amici eorum extremum discrimen adiêre. *Rex* rabie militum cognitâ, quia desperabat voluntariam Deditionem, protinùs obsidere, atquè oppugnare summâ vi parat: *dispositis legionibus, & Tormentis, juxtà Mare, ac Ripam Garumnæ.* Cæterùm, Oppidanis plùs animi, quàm roboris erat. Nam cum Sex dierum Spatio circumsedisset, desperatâ Tutelâ Urbis, aut Spe *Rupellani Auxilij*, demùm in Deditionem venerunt; pacti, *ut relictis Commeatibus, Machinisquè, armati sub Signis abirent. Et antè omnia, Bona direpta Sanseverino Præfecto, Comitibusquè ejus restituerent.* Dilapsi milites per proximas *Santonum Urbes*, plures *Rupellam* redierunt. Cæsi in hâc Obsidione *Marchio Humierus, Barones Vassaus, & Muthaus.* Vulneratur *Vitrius, Magister militum. Rojanum Oppidum redditum, Trecentorum militum Præsidio firmatum est; Drueto duce, Prætorianæ Legionis Præfecto:* ne ubi *Rex* discessisset, *Protestantes* rursùs oppugnarent: receptâquè Urbe, *Burdegalam*, maxime ijs infestam, Maritimis Latrocinijs infestarent. *Hoc idem & aliæ Urbes in ripâ Garumnæ, à Protestantibus interceptæ, parabant facere*; metuentes dirui, jugulariquè, si diuturniorem Moram interjecissent: hoste jam ad Sanguinem, & Direptiones converso.

Dum hæc *in Santonum Finibus* geruntur. *Toneinenses in Aquitaniâ*, fide ad ultimum expletâ, consumptis frugum alimentis, & Commeatibus ab hoste interceptis, in tali Necessitate sibi ipsis consulere jussi sunt: eò intentius Oppugnatores Urbis Excidio imminent, Eruptione irritati; in quâ tantum Laboris ac periculi sustinuerunt. Cum jam vires ad standum in Muris deficerent, ac terrore, Famâquè Regij Exercitus animos desponderent, *Apolectos ad Ellebovium miserunt, qui peterent, ut Pacto Salutis, in fidem reciperentur. Armisquè adversùs Regem, Sex Mensium intercapedine, abstinerent.* Ille Conditiones omnes Deditionis aspernatur, *nisi se arbitrio ejus permitterent.* Hoc postquàm renuntiatum est Oppidanis, Verecundiâ superante Metum, *decreverunt per Virtutem emori, pro Salute, ac Religione: & se ad Defensionem compararunt.* Dux veritus ne Obsessi majus aliquid mox auderent, *tandem in Deditionem, Pacto Salutis, recepit.* Fide acceptâ, egreditur Militaris Turba, sinè signis incedens. *Oppidum deditum à Militibus incensum, & direptum est.* Præsidiarij incolumes dimissi, cum fide: & dato à duce Præsidio, defensi sunt à rabie furentium militum, recentis Cladis memoriâ. *Monpeulianus, Forcij filius, sclopeti ictu in Capite vulneratus; Castetus Vicecomes, graviter saucius, Triduò post extincti sunt, viri fortes & strenui.*

Inter hæc Prospera, quædam Adversa acciderunt. Ne Rex syncero frueretur gaudio Captarum Urbium, *effecit Nuntius de Defectione Montis Marsani. Marchio Castenaus*, qui in Præsidio erat, Regis nomine; *adscitis Protestantibus, pretium Proditionis ostentantibus, & ad Defectionem adhortantibus*, ignaris Pontificijs, ac re Novâ perculsis, sumptis temerè armis, *Urbem magni Momenti nefariè prodidit: & Pontificios omnes, Regi fidos, Armis exuit.* Hic Tumultus, Exemplo, Viribusquè Partes juvit; *ac Spem fiduciamquè Aquitaniæ, & Benearni incolis addidit.* Affluente in dies *Protestantium* Multitudine. *Marchio anxius, & in Perfidiâ inconstans*, metuensquè ne ab ijs in ordinem redigeretur, clàm aversari cæpit. *Præses Burdegalæ*, auditâ defectione, omnem illius Sceleris culpam in *Protestantes* contulit: à quibus fraude impulsus, Obsequium & fidem exuerat. Idcircò eum vehementer, per Nuntios, *sollicitavit, ut ad Officium & Reverentiam Regis rediret. Neu Pertinaciâ exitium provocaret.* Ostenditquè, Pœnitenti paratam Clementiam; Obstinato, ruinam. *Pecuniâ, Promissâquè Abolitione fidem emercatur*: ne aliæ Urbes, *Marsani* æmulatione, ad defectionem traherentur. At *Marchio* metuens Quis exitus foret, se purgavit; *& Amicorum culpam esse dixit, quod Protestantes in Urbem recepisset.* Disseruitquè, *in nihil cecidisse Patris, Fratrisquè labores, & recentes cædes. Urbem, Arcemquè Marsani, tot stipendiorum pretium, nec Præmij Spem esse. Protestantes, non obscurè, ad mutandam fidem instigasse, Factâ magna pecunia Spe, si Urbem, Arcemquè traderet. Se in partem aliam, velut Turbâ, abreptum; nullo Perfidiæ crimine. Nunc insulcantes Protestantes aversari. Dato Præmio, ad Officium rediturum.* Postquàm Merces Proditionis, aut Obsidium ostendebatur, *Marchio, fluxâ fide, Traditionem Urbis Arcisquè, x x Mille Aureis pactus est: seq; numeratâ pecuniâ, Præsidio abiturum pollicetur.* Missi à Præside, qui Regi nuntiarent *occultam Corruptionem Præfecti Montis Marsani*: hortarenturquè, *Coemptionem quovis modo accelerare; ne Majore Mercede Protestantibus exponeretur.* Princeps *Condæus, Burdegalam*, cum secretis Mandatis, mittitur: ut interventu Præsidis, *Monti Marsani*, in tali Necessitate consuleret; & Pacta, fide datâ, acceptâquè, confirmaret. Qui auctâ Spe Largitionis, & Impunitatis, Urbem dedere suasit: quandò Deditio perindè ex usu Regis, ac si Captivitate adeptus foret. *Marchio pecuniâ muneribusq; victus*, hortatur *Protestantes*, ut ad tuendam *Aquitaniam* proficiscantur: Ostenditquè magnam eos Cædem, Prædamquè, dispersis per circumjectos Agros *Pontificijs*, facturos. Per hanc Speciem ablegatis *Protestantibus*, ut Oppido solus cum Conscijs frueretur, Urbe Castelloquè egreditur. Digressu Præfecti, velut Custode, exoluti Cives Pontificij, *Portas clauserunt: mox venientibus Præfectis Regijs aperuerunt.* Transfertur Regimen urbis ad *Pojanum*; *Castellum Vetus diruitur, & Solo æquatur.* Hoc idem aliæ Urbes, Metu perculsæ, fecerunt. *Sanlaci quoquè Præsidiarij, & Insula Argentina sese dediderunt*, paucis resistentium interfectis. Ita *Subisij, Favasij, & Rupellanorum Conatus, in Ostijs Garumnæ, & Ligeris, evanuerunt*, Fælices si provenissent. Cæterùm posteà *Mare tucius Subisio, quàm Litora Santonum; aut Urbes Pictonum.*

Condæus crebris Epistolis Regem interrogavit, *redire se, an perdomanda Aquitania insistere vellet?* in Aquitaniâ sisti Bellum, expectariquè se jussit. Interim Rex Copias adversùs Defectores in *Aquitaniam*

niam ducit: promptam Equitum manum *Condao Principi* tradit, adjectâ legione *Neustricâ*. *Ellebovium* cum legionibus, & Tyronum *Vasconum* auxilijs, *ad Fidei Fanum* convenire jubet. *Condaus* in ipso itinere *Gensacum*, & hostiles Receptus intercepit; ac Præsidijs permunijt. Paucis post indè diebus, eòdem venit, quo *Rex* convenire jusserat. Tres simul Exercitus, summâ vi, atquè omnibus Copijs, Urbem oppugnare parant. Ubi ad Moenia frequenti Agmine *Regij* accessêre; *Præsidiarij* ingenti tumultu erumpunt; & avidius progressos circumveniunt. *Legio Neustrica Eruptionem sustinuit*: Præsidiariosquè, paucorum militum jacturâ, compulit in Urbem. *Legio Transalpina Suburbium, juxtà Dordonam fluvium*, occupavit. *Forcius* cum magno robore militum, *Vrbi præerat*. Qui circumspectis Regis viribus, *Pudore, seu formidine, nihil in se Præsidij fateri coactus, magnoperè hortatur Cives Præsidiarios, ad Portas aperiendas, ac Vrbem dedendam*. Qui re Novâ attoniti, cum obsistere Oppugnationi nequirent, ad Deditionem inclinabant. *Forcius Auctorem Deditionis se palàm ostendit*. Factâ Colloquij Copiâ, *Se, Liberosq; suos, Pacto Salutis & Dignitatis, Clementia Regis, ac Benignitati permisit*. Oppidani quoquè, interventu ejus, fide acceptâ Impunitatis; & Centuriones, Militesquè sese dediderunt, sinè Cæde, sinè vulnere. Fidesquè ad ultimum expleta. *Rex Forcium Magistrum Militiæ destinat*. undè Suspicio, *pecuniâ, Donisq; venalem fidem habuisse*; & Cæteros ignaros ad Regem inclinasse. *Rex* hoc Successu lætus, *cæteras Protestantium Vrbes* aggredi statuit, antequàm Pavore dejectis fiducia rediret. Postero die, *Fidei Fanum* ingressus, in Templum perrexit, ad grates agendas Numini, ob res prosperè gestas: & Nuntios Victoriæ cum literis *Lutetiam* misit. 1621.

Statimquè in *Montem Flanquinium* progressus, Urbem in deditionem recepit. Quippè Præsidiarij *à Forcio jussi*, sibimet ipsis in Præsenti discrimine consulere. Veniam petivêre: *& cum Rege transegerunt iisdem legibus, quibus Fanum fidei*. Dimittitur Militaris turba, factâ Præfectis, & Centurionibus, abeundi quò vellent potestate; dùm ne hostiles Urbes peterent.

Deinceps *omnis fermè Aquitania* intrà paucos dies dedita. Infesto Exercitu *Marchionem Lusinianum, Cleraci se detinentem aggreditur*, quo Authore Urbes aliquot defecerant. *Cleracumquè* ab ipso Vi & fraude captum fuerat. Cum jam indè haud procul abesset, *Ducem Vindocinum, Fratrem Naturalem* præmittit, ut ad Deditionem perliceret: cui multum de diu obtestanti, respondit, *Malle se incruentas Pacis Conditiones, quàm Bellum atrox, & anceps, adversùs Regem*. Oravitquè ut animum ejus sibi reconciliaret. Factâ Spe Reconciliationis, impellit Milites, & Oppidanos, *ut Misericordiam, & Religionis libertatem flagitarent*. Si in Pertinaciâ perstarent, *se Præsidio abiturum minitatur*. Itaquè Urbe facilè potitus est Rex, proditâ Multitudine à Præfecto, ad Transitionem hortante. *Ita Cleracum deditum Regi est*. Milites incolumes dimissi sunt: *sinè Acie victi Aquitaniæ Protestantes*: multæquè Urbes, & Castella, quæ defecerant, *Iugum accepêre*. Ac per omnes deditas Urbes, constituti Viri militares, qui præessent; ne qua Injuria deditis fieret. *Commercium magis Vrbium, quàm Bellum fuit; pecuniâ corruptis Præfectis*.

Pauci dies ad requiem sumpti; *nec diu adversùs Negropelissanos Bellum delatum: qui in Necem Regij Præsidij sævè proruperant*: eamquè Injuriam Excidio Urbis Rex ultum ivit, Indignatione accensus adversùs Sicarios, ut Militibus cæsis Piaculum caderent. Præmissâ igitur levi Armaturâ, cum *Condao Principe*, Obsidio cæpta est. Ipse cum universo Exercitu, & Tormentis subsecutus, Oppugnationem accelerat, & admovet Tormenta. Cives Militesquè terrore perculsi, *obtulêre se Regi, Pacto Salutis, nixi genibus summissè orantes, atq; obsecrantes Misericordiam afflictis tribueret; & Errori imperitæ Multitudinis ignosceret; quam vehementer Temeritatis suæ pæniteret*. Rex iratus Cæde Militum, suiquè apud eos Contemptu, triste Responsum reddit, *Rebellione, & Præsidij Cæde contrà Ius & Fas, abolitam Misericordiam, Veniæ locum non esse*. Oppidani inter Necessitatem, Indignitatemquè Responsi ancipites, solâ Desperatione ruunt; novissimam Spem in Morte collocantes, supremo Miseris Solatio. Aliquot post diebus, *convulsis Portis, ruinâ factâ, Prætoriani undiquè irrumpentes, ad Cædes magis, quàm Prædam discurrunt*: Nece Commilitonum irritati; & ferali rabie grassantur. *Omnes ejus Oppidi Cives, Præsidiarijquè crudeliter jugulati sunt. Fæminæ quoquè promiscuè cum Liberis, gremijs superimpositis, nequicquàm Misericordiam implorantes obtruncatæ: infantesq; antè ora parentum humo inflicti, elisiquè. Omnes Vrbis Vicè sanguine redundarunt: ubiquè Cruor, & strues corporum: nec minùs Libidinis quàm Crudelitatis; Matronis, Virginibusquè stupratis. Perpauci, qui è mediâ Cæde, in Arcem Commeatuum egenam, effugerunt, cum abjectis armis Arbitrio Regis se permisissent, Arboribus suspensi sunt*. Oppidum tot, tantisquè Cladibus afflictum, *dirutum, & in Cineres redactum est*. Ad explendam Ultionem Cæsorum Militum, nè Templis quidem Numinis parsum. Ambiguum mihi videtur, *Majornè Protestantium in Cæde Militum Temeritas; an Pontificiorum in Vltione Immanitas?*

Incensâ Negropelissâ, & occisorum militum Morte vindicatâ, Rex parat Obsidere *Fanum Antonini, Oppidum Situ naturali munitum*, Montibus, & flumine undiquè cinctum; difficile aditu. *Vindocinum ducem*, cum promptâ Peditum Equitumquè manu præmittit; ut Situm Urbis inspiceret; Agros circà vastaret; & rem gereret, quoad ipse cum toto Exercitu veniret. Is Collem arduum, Septum Præsidio hostium, vi cæpit; pepulitquè Oppidanos; qui majore impetu Certamen inivêrunt, quàm sustinuerunt: omniquè circà Urbem Agro potitur; & summâ vi Oppugnationem Munimentorum accelerat; dispositis in stationibus armatis; Erumpentesquè in Munimenta compellit. Triduò post, *Rex* instructo Exercitu, convectis magno labore Tormentis, ad Urbem succedit: & Castris antè Muni-

1622. menta positis, Machinis lacessit. *Cuniculiquè agi cœpti. Obsessi transversis Cuniculis Obsidentium Cuniculos excepêre*; ac animosè hostium Conatibus obviam ivêre. *Neustrica legio*, audacius quàm consultius prorupit: & Propugnacula antè Moenia invasit; pugnaturquè acerrimè Telis, Missilibus facibus. Superstantes Munimentis *Protestantes*, hostes per angusta, & lubrica loca nitentes, disjecêre. Fortuna Defensoribus affuit. *Pulsa Legio, Cædibus & vulneribus fessa*; cum multi in pugnâ cecidissent. Postero die, *Prætoria Cohortes, ad Vltionem Neustricæ legionis exarsêre*. Aderat pugnantibus Spectator Rex. Ibi Cædes & vulnera, *majore Prætorianorum pernicie*; quorum multi Centuriones, Ductoresquè vulnerati, aut interfecti sunt: Reliqui pulsi in Castra se receperunt. Antè omnia claram & memorabilem utramquè pugnam fecêre *Fœminæ, Viros ad prælium instigantes, pro Libertate Religionis, & gloriâ: atquè in ipsâ pugnâ Contentione decoris accendentes*. Rex *Cæde Prætorianorum irritatus*, eò properantius invadere Munimenta jubet; & Vallum Legionibus distribuit, à fronte, à latere, à tergo; ut discreta loca strenuos, timidosquè distinguerent. Latera ac terga Equitibus circumdedit; *Expertem se gloriæ ratus, nisi Munimentis potiretur*. Armatum agmen emittit; primo Concursu magno Impetu inferunt se *Regij*; & cuncta Sanguine, ferro, Igniquè miscent. Contrà *Protestantes*, Numero impares, facibus Sclopetisquè subeuntes arcent; ad serum usquè diei Munimenta tuentur: donec à Multitudine hostium circumvenirentur. Pulsis tandem *Protestantibus*, & fugâ conglobatis, *cum Ducentis multâ cum hostium strage cecidissent*, Regij Munimenta cæpêre: multorumquè *Centurionum, Præfectorumq́, Sanguine* ea Regijs Victoria stetit. Occisi, vulneratiquè *Duodecem Centuriones. Laverdinus, Præfectus Trañsalpinæ Legionis, lethaliter vulneratur: qui post illam vulnerationem mox decessit. Paluaus, & Salinius, Barones cæsi*. Perpauci ex *Protestantibus* superfuêre, nisi graviter saucij; qui Alij Aliâ in Urbem, per occultos tramites, dilapsi sunt: imminens Nox fugientes texit. *Rex* ad Moenia succedit: & admotis Tormentis, tantum Terrorem Oppidanis intulit, *ut Martinum Consulem mitterent* (sic enim appellant eum, qui Patrijs Institutis Urbem regit) *ac Vitam, Salvasquè res humiliter postularent*. Qui, Commeatu accepto, in Castra venit. Ibi in preces Lachrymasq; effusus, *à Condæo, Vindocino, & Chombergio petit*, & obsecrat, ut Civibus in summâ Calamitate constitutis, Veniam impetrarent. *Eos namq́, Temeritate, & perditorum hominum Consilio, ad Defectionem tractos ostendit. Nunc malis innumerabilibus eruditos, posteà semper in Officio futuros*. Ad hæc summi Proceres responderunt, supplicum preces aspernantes, *nisi sese in potestatem dederent, & Fortunas*, liberosquè Arbitrio Regis relinquerent. *Cum hoc tristi Responso Martinus ad suos in urbem redijs, ut Deditionem suaderet*. Interim Proceres Regem orantes, *ut quos virtute vicerat, Misericordiâ conservaret, precibus Salutem Civibus, & Præsidiarijs à Rege impetrarunt: Si Authores Defectionis ad Supplicium traderentur*. Præsidiarij, & Cives, *Negropelissanæ Cladis* memores, abjectis armis, *sese Misericordiæ Regis permiserunt*. In Oppidanos, Præsidiumve, nihil durius statutum. *Requisiti, comprehensiq́, Authores Defectionis, Quindecem: quorum Vndecem Laqueo suspensi sunt. Quatuor reliquis placabilem Regem, sua Regia Natura* præstitit. *Rex* valido Præsidio *Fano Antonini* imposito, Præfectum dilegit *Perodilum*, è vicinâ Nobilitate, hominem strenuum; & Cadurçorum gentis Munitissimas Arces subito terrore recepit. *Montalbanenses* tantummodò, Regionis ejus Incolæ, in Defectione manserunt. Repentinus terror non prævaluit, cum Castra Regia bis fermè Mille Passus ab Urbe vix abessent; *Montis Albani* recipiendi Spes nondùm affulsit: proindè Obsidio delata est.

Rex militari labore, & varijs difficultatibus vexatus, cum Principibus, & maximè fidis *Tolosam* divertit. *Vbi per aliquot dies, statas solennesquè Romanæ Ecclesiæ Cæremonias agitavit*; & ob res prosperè gestas, Numini gratias egit. Illic cum peractum ferè Bellum putaret, famâ, terrorequè Exercitus sui, *Partem Narbonensis Galliæ inferiorem tumultuari accepit: & Protestantes pro Roano armari*; Cædibus, Incendijs, ac Direptionibus hostiliter grassari; *Monpelij, item Nemausij, Vticæ, & Castri, multa insolenter patrari, Expilatis Templis, Imaginibus, & Altaribus dejectis*. Itaquè quanquàm stimulabat justa Ira, *Montalbanum* hoc tempore omittere placuit: & de Ultione recentis Injuriæ consultavit; agitavitquè. *Sexcenti Cataphracti Equites, & Octo Millia Peditum, Vindocino Duci decreta, ad Præsidium Superioris Provinciæ*; ne quid à Protestantibus Novi periculi esset. *Prastinus, Magister Militum*, cum reliquo Exercitu *in Inferiorem Partem* missus. Ipse cum *Prætorianorum Cohortibus*, ac domestico Comitatu, subsecutus est. *Septimaniæ Vrbes* ire obviàm Incæptis, atquè resistere parant. Oppidum arduum situ, *Protestantium Receptaculum, Bec de Ries*, Vocabulo Gallico appellatum, Regij cæpêre; & pertinaciter defensam diripuêre. Deinceps aliæ paruæ Urbes, quæ ad *Protestantes* desciverant, sese dedidêre. *Rex* lustrato Exercitu, circà *Biterras* Castrá posuit. Ipsè Calore Solis, & Labore Itineris fessus, frequenti Agmine Principum, *Biterras concessit*. Ubi multi Proceres, Siccitate Cæli, æstivo calore, & languore, Morbis impliciti. *Dux Rheensis, & Vicus, Sigilli Custos, extincti sunt*. Interim Peditum, Equitumquè auctæ sunt Copiæ. *Condæus Princeps, & Shombergius Comes, ilicò missi, ut Monguiotum, Lunellum, & Somierum oppugnarent*. Quæ intrà paucos dies in Regiam potestatem redigerunt.

Per idem tempus, *Roani Apolecti in Castra venerunt, cum Postulatis: qui finè responso à Castrensi Consilio dimissi sunt*. Rex *Biterris* consultare de ratione belli gerendi cæpit. Ubi *Præsul Monpelianus* suppliciter oravit, ut eum sibi conveniendi, *deplorandiquè Catholicorum Miserias copia fieret*. Factâ diciendi potestate, questus est, *eos multa indigna & foeda ab Oppidanis passos: Bona hostili rabie direpta; non modò Templa, Fanaquè spoliata, sed Hostiam intactam omni Ætate, impiè conculcatam, finè respectu Divinæ Majestatis: in Iurgijs infanda Contumelia; objecta Probra; nec Quenquam æstimare tàm atroces*

atquè

atquè indignas Injurias, Insidias, & Flagitia posse, nisi qui Atrocitatem vidisset. Nec satiatam Rabiem Mortis pœnâ, Insepultos abjecisse; ac si Scelus, Sævitiam, & Avaritiam in Catholicos exercere liberè liceret. Quare hortatus est Regem, *ut perditas res respiceret; & Catholicis in summâ Calamitate constitutis consuleret; veniret, & videret Licentiam, atq; Improbitatem Protestantium; neq; inultam relinqueret; Neq; Ecclesiæ miserias negligeret; Neq; Catholicorum justè deprecantium precibus deesset. Præterea, non ei defuturum, neq; Populi studium; Neq; Numinis favorem, pro bonis & fidelibus Subditis, contrà scelestos & impios, sinè respectu Majestatis divinæ, aut humanæ.* Rex hâc Oratione accensus, *acerrimum Odium in Monpelianos concepit.* Qui cum omnem belli tempestatem in se incubituram cernerent, Desperatione in Audaciam accinguntur. Nullum in Urbe suâ muniendâ, & Frumento ex Agris convehendo, tempus prætermiserunt. 1622.

Verba præsulis veniunt vide.

Inter hæc, *Franciscus Bona Digierus, Octagenarius, qui Sexaginta vitæ Annis omnia post Religionem ponenda duxit*, ejeratâ Protestantium Religione, *Gratianopoli*, Romano Instituto, rebus divinis operam dedit. Postquàm *ejùs Conversio Romæ nuntiata est, Pontifex, & Clerus Romanus læti Nuntium accipiunt. Protestantes*, in contrarium dato consilio, Mutationem aversantur: quod, præposterá Ambitione, ab eorum Cultu avocaretur. *Tum in Luini, Magistri Equitum, locum suffectus est:* quamvis justam Excusationem hujus Muneris, Beneficio ætatis, haberet; nisi studium, cupiditasquè Summi Magistratus, ejus animum in funere occæcassent. *Hic est ille Digierus, qui Protestantium diu strenuus Patronus, Pontificiàm Religionem exuerat.* Magisterquè Equitum creatus, *Delphinatus* Turbas compescuit; Civilis belli fluctus repressit; *Roanum* Proscriptum, & Exulem, Pacem petere suadendo induxit.

His perfectis, *Rex Classem instrui*, pararique jussit, ad Oram Galliæ Maritimam tutandam; *& ut Dux Guisius præesset, decrevit. Comes Ioinius Triremium Præfectus, Decem Triremium Classe, Ostium Garumnæ tenuit, & Argentonæ Insulæ oppugnationem; Munitionisq;, quam Protestantes in eâ excitaverant, aggressus est.* Hujus opportunus adventus, Insulam, Munitionemquè magni operis, in Regis potestatem redegit: eamquè servandam *Dux Lucenburgicus* suscepit. Nequè multo post *Præfectus Triremium, ab Ostio Garumnæ transvectus, Guisio, cum Regiâ classe in Portu Ludovici occurrit*; quo Præfectos Regios convenire jusserat. Ibi adjunctis Triremibus, *circumegit Classem ad Rupellanos*, ut omnes eorum Conatus Mari impediret: simulquè *Maritimam Oram Santonum* evastaret. *Rupella* quoquè in magno metu erat, propter adventum *Guisij*, cum Classe Regiâ. Nec minùs terroris à Copijs Terrestribus, quibus præpositus *Suessonum Comes* erat; jussusquè, sub ipsis Moenibus Urbis, Castra habere; ut quocunquè loco hostium Naves applicuissent, descensu arceret. Clausi jam undiquè Commeatus erant; nisi quos Naves Mari subveherent. *Vitrius*, Magister militum, cum Stationibus Oppidanorum prælium commisit; pugnatumquè est acriter, multis utrinquè interfectis. Multitudo in Moenibus, & Munimentis disposita, ut esset Oppidanis auxilio, Subeuntes Regios omni Missilium genere vulneravit. *Vitrius* aliquot Milites, & Equestris Turmæ Vexilliferum, è Muro Turribusquè Tormentis ictos, amisit; trepidosquè Oppidanos compulit in Urbem. Qui spretâ Morte, Tormentis se Moenium vulnerandos præbuerunt. Pulsi tandem Oppidani, unde venerant redierunt. Ipse *Comes*, cum Tribunis Centurionibusquè, ivit ad contemplanda Munimenta. His satis exploratis, Castrisquè communitis, assedit tantum *Rupellæ*; & Obsidionem ab *Espernonio* inchoatam continuavit, amplificatis Munitionibus. *Pompejus Targonus*, muniendarum Urbium Artifex peritissimus, varia agitavit, ut ingressum à Mari prohiberet. *Catena ducta in faucibus Portus, quâ Naves subeuntes Portu summoveret.* Sed deterritus difficultate Operis, & perficiendi Desperatione, Maritimam Munitionem aggressus est; ut Naves Ingressu ac Recessu arceret. Quam Oppidani erumpentes perrumpere conantur. Et ex alterâ parte Classiarij Tormentis Navium institêre: amissisquè paucis, Præsidiarij in Oppidum redierunt. Naves proximas Insulas tenuerunt, nullâ parte Munitionis perruptâ. Per hos dies, *inter Classem Rupellanorum, & Guisij Triremes*, crebrò certatum; atquè in *Ora Maritima Santonum*, damna sunt plurima, hinc indè illata. Placuit Rupellanis Navarchis, per Portum Munitionesquè hostium vim facere; ut Copias Regias distringerent: ac Oppidani interim à tergo se ostenderent. Sed vim facientibus restitêre Regij, ex locis munitioribus, quæ validis Præsidijs insederant; & Tormentis se Navium vulnerandos præbuerunt; pugnatumquè utrinquè est eminùs Tormentis, Missilibus, Scloppetis, spectantibus *è Moenibus*, Oppidanis; *ex Munimentis*, Tribunis, Centurionibusquè, certiore ictu Regij usi sunt, stabiliore ac tutiore loco. Ita Naves undè venerant, redierunt.

Dum hæc *Rupellæ* administrantur, *Francus*, Nuntio accepto, *Subisium in Britanniam trajecisse, ut propinquum Regem bello illigaret*; Perduellem illum Edicto denuntiavit, ac omni honore in *Galliâ* privavit. *Britannus* externo bello illigari noluit: & Cultores ejusdem Religionis, *precibus magis, quàm Armis juvit.* Per Oratores suos, *Carleoli, & Hollandiæ Comites*, enixè precatus est, *ut Supplicum Civium sanguini parceret: tàm incommodum ac difficile Bellum finiret: & Se, Regnumquè suum impendentibus periculis eriperet.* Instantibus vehementer Oratoribus, ruinam Regni, perniciemque Gentis demonstrantibus; *Francus flecti non potuit:* ne oblatam Occasionem vincendi amitteret.

Præmissis Tribunorum Centurionumquè fortissimis, quibus præceptum erat, *ut Mompelium obsiderent*, ipse antè Moenia Castra metatur, cum omni apparatu oppugnandæ Urbis. Hortatur Milites

ad partem

1622. ad partem laboris, periculiquè fortiter capessendam. Et jam Operibus Propugnacula Moenium oppugnantur; quæ Præsidiarij milites unà cum Oppidanis acerrimè tuentur. Eruptio ex Oppido simul facta, cum Regij nihil minùs quàm Eruptionem timerent. Multi utrinquè cæsi; tandem Oppidani receptui Signum dedêre. Irritatis hoc Certamine animis, multa passim prælia erant, interdiu, ac Noctu. Ideò quia per *Dionisij Munimentum* septa ad Urbem via erat, dejectis Oppidanorum Præsidijs, Iter aperire, ac per *Dionisij Munitiones* vim facere, communi consilio decretum. *Quatuor Cohortes Neustricæ legionis; duæ Transalpinæ; duæ Navarreæ; & totidem Narbonensis*, intempesta Nocte oppugnare adortæ sunt. Rex è Turri excelsâ Certamen spectavit. Oppidani, relictis Munimentis, agmine effuso abierunt. Ita Munimentum à Regijs captum. Non tamen Præsidio firmatum est, tàm propinquis hostibus. hinc Urbani Milites Spem cæperunt, Præsidia Regis deijci posse, si improvisò aggrederentur. *Missus ilicò Tubicen, per speciem redimendi Captivos*, qui properè renuntiavit, hostes incompositos negligenter agere. Nihil minùs timere Præfectos Regis, quàm Eruptionem. Igitur postero die, Meridie ferè, Milites Urbani *Munimentum Dionisij* improvisò aggressi sunt. Vim facientibus resistunt Regij; pugnatumquè utrinquè est acriter, haud paucis interfectis. Sed tantus ardor Urbanis ad dimicandum erat, ut Præsidia Regis deijcerent, & dejectos consectarentur. *Momorantius* interim, *& Fronsacus, Illustres duces*, cum strepere omnia circà *Dionisij Munitiones* cernerent; ad opem ferendam; cum paucis comitibus advolarunt, ac impetum hostium aliquantulum repressêre. Ibiquè Prælium acre commissum. In quo *Momorantius graviter vulneratus; Fronsacus, Comitis Fani Pauli hæres, occubuit*. Movebat Regem gloria Juvenis, familiæ dignitas, & præcipuè ætas; *quod Minor* x x *Armis* partem laboris & periculi, magno animo, capesseret. *Marchio Beuronius, duo Præfecti Castrorum, & multi viri insignes cecidêre. Combaltus, Tribunus Navarricæ legionis, vulnere invalidus, vivus in hostium potestatem venit; à quibus confossus, laceratusquè est.* Vulgus militum, turpi fugâ, vitæ consuluerat. Quæ res *Obsessis* auxit animos; *Regijs* haud mediocrem terrorem intulit. Die insequenti, *Munimenti recuperandi* consilia agitari cæpta. Milites Signa, Armaquè in proximam Noctem expediunt; sed res omissa est, propter difficultatem operis. Quia *Obsessis* non ad *Munimentum* modò defendendum satis animorum erat; sed etiam ad lacessendum *Obsidentes*. Ex alterâ parte Urbis *erumpunt Oppidani*; & cuncta ferro flammisquè miscent. Tumultus repentè tota Castra pervasit. Id postquam *Zametus, Præfectus Castrorum* sensit, accurrit, & milites stationes deserentes, ac fugam cæptantes redire, & pugnam resumere coegit; cohortans ut hostes adorirentur; eorumquè Audaciam reprimerent; *vincere aut Mori animos obstinarent*. Post acerrimam pugnam, Præsidiarij diversis Itineribus se in Urbem receperunt. *Zametus Tormenti ictu è Moenibus lethaliter vulneratur.* Ingens repentè luctus tota Castra pervasit, cum dolore & gemitu. angebat Mors viri Militaris. *Certo Nuntio Mortis audito, in Urbe plausus est exortus, ob Necem acerrimi hostis.* Rex de ratione oppugnandi consultavit. Decretum est, in Castrensi Consilio, *Iterùm per Munitiones vim tentare*. Acerrimum in *Cornibus Munimentorum* prælium fuit. Hinc *Transalpina Legio; indè Neustrica urgent: à fronte Prætoriæ Cohortes invadunt.* Tormenta ita disposita, ut benè gerendæ rei Occasionem Regijs præberent. Magna vis Militum occisa. *Regij duces nobilem hanc pugnam Cladibus suis fecêre. Tanroltus, Neustricæ legionis Tribunus; Leobalus, Transalpinæ Centurio; Castelnaus, Præfectus Prætorianarum Cohortium; & Manicanus, nobilis Eques; multi Cohortium Legati, Vexilliferiq; interfecti: & Propugnatores plures quàm Ducenti.* Tandem *Cornua capêre Regij*, sed multis vulneribus, & Militum suorum pernicie.

Rex totum in Obsidionem vertit bellum. Suorum militum Numerum celeriter auxit. *Vindocinum Ducem*, & Exercitum ejus accivit; *duasq; Helvetiorum Legiones: nec in Campaniæ Copijs, digresso Mansfeldio, mora*, quò minùs statim adjungerentur. Adventu deindè *Helvetiorum, & Legionum*, ad Oppidum oppugnandum sese contulit: *ac Muros quatere Triginta Sex Tormentis cæpit*. Præsidiarij, unà cum Oppidanis, suis item Tormentis è Propugnaculis, & Turribus, Moenia acerrimè tutantur. Qui cum magnâ Tormentorum vi, Oppugnatione non intermissâ, premerentur; Deditionem facere noluerunt. Crebris Tormentorum ictibus certatum: nunc Oppidanis erumpentibus; nunc Militibus Munitiones tentantibus.

Roano interim Urbis, Fortissimorumquè Militum, qui ibi obsiderentur, cura fuit. Is per Munitiones Obsidentium vim facere, Perruptionemquè tentare statuit. Nullo facinore aut gesto, aut tentato, sese *Nemansum* recepit, suis cum Copijs. Sub idem tempus, *Digierus Magister Equitum* ad Regem in Castra venit; ubi festâ Tormentorum displosione salutatus, animum Alacritatemquè Exercitui Adventu suo attulit. *Inter eum & Condæum Principem Contentio, ab Æmulatione orta est. Dum Alter Alterius gloriæ invidet.* Magister Equitum nequè Obsidionem probavit; Nequè suas in eâ partes præstitit: palàmque dixit, *nihil se confidere boni in Oppugnatione confici posse*. Princeps in contrarium obstinatè nixus est; Ostenditquè, *Monpelium capere non difficile fore, si ab omni parte aggrederentur*. Rex longinquâ Obsidione irritatus, cum in dies singulos difficiliorem animadverteret; ac voluntariam Deditionem desperaret; convocatis Principibus, Tribunis, Præfectisquè, *Quid sit agendum cogitare cæpit, ingruente jam hyeme e Condæus*, & Illustres Proceres suasêre, haud difficilem Urbis Expugnationem, si fortuna cæptis afforet: Dedecus, & Opprobrium Regi ostendentes, si Oppugnatio tanto ardore incæpta, intermittatur. Sed Tribuni, Centurionesquè, & fracti labore Milites, sentire *belli mala* cæperunt, & *rerum penuriam*, auctis Alimentorum pretijs; *ac Morbos*, infectâ humo putribus Equorum virorumquè

Cadaveribus:

1621. Cadaveribus: *& discrimen*, si hinc Oppidani, indè *Roani* milites impetum in Castra facerent. *Magister Equitum*, Luctus Cladesquè *Franciæ* pertæsus, *à Pacis & Quietis Consilijs non abhorrebat*: disserens, damnosum bellum, Concordiam publicè utilem; publicas, privatas Opes, & immensam pecuniam inter Civilia Certamina profusam: *tutam Viris Murisq́, Vrbem, tracto in hyemem Bello, non cessuram*; nec satis virium ad circumvallandum ab omni parte. *Suasitquè Regi Pacem, quæ Galliæ rebus Securitatem, Dignitatemquè esset allatura; Ipsi verò famam, & gloriam sempiternam.* Pleriquè in hanc sententiam concesserant; *Condæo adversante*, qui huic Bello accendendo Facem prætulit: disseruitquè, *Protestantes Pacem petere, cum Bellum tolerare non possent. De Pænâ eorum magis, quàm de Concordiâ cogitandum esse.* & omnes publici mali causas in illos derivavit.

Postero die *Digierus Legatus ad Pacificandum decernitur*. Nec multò post, ad susceptam Legationem peragendam, Pacemque tractandam, *Nemausam proficiscitur*. Præmissis literis, Nuntijsquè *ad Roanum*, ut Copiam loquendi faceret, ad deliberandum de Pace, Concordiâ, ac Tranquillitate publicâ. Factâque Copiâ, *accuratâ Oratione ad fidem atquè Obsequium cohortatur, obsecrat, obtestaturquè, ut Bello finem imponeret: Ne hostis ex subdito factus, Vi atquè Armis ageret: Neu Pervicaciâ Exitium provocaret. Et non ita præclusum apud Regem Veniæ locum demonstrat, quin pro insitâ Naturæ Clementiâ, præteritorum Veniam ipsi, & eandem Religionem profitentibus, indulgeret; si se Obsequentes præberent, & ab Armis discederent.* Respondet *Roanus*, *Nihil Obsequio Regi debito hactenùs antiquius habuisse; & in eodem ad Vitæ finem perseveraturum; modò sibi, & ejusdem Religionis Cultoribus, de Conscientiarum Libertate, Vitæ Securitate, Bonis, & Fortunis idoneè caveretur; ac Edicta in gratiam Protestantium facta, salva & integra servarentur. Eximi Obsidioni Quatriduum postulat, ut deliberare de statu rerum suarum possent.* Quatriduo dato, permissu Regis, *Mompelium* ingreditur. Et Convocatis Militibus, *bona Pacis, ac intestini belli incommoda disseruit. Clementiam Regis quâ Subditis consulebat; & Fidem quâ erant illi obligati, prolixâ Oratione exposuit, ad Obsequium redire hortans; ne damna ultima perpeti cogerentur.* Sed non tàm facile Præsidiariorum Mentes flexit, quàm suam: *nam parùm absuit, quin à Multitudine adversante Internuntius Tranquillitatis publicæ jugularetur*: prævalente Factiosorum in Urbe Potentiâ, *Pacem infidam suspectantium: ac Papanis parùm confidentium.* Nec eò segnius perseveravit, ad Fidem & Obsequium revocare; oravitquè *ne morarentur Concordiam publicè utilem: Neu extrêmam Vim, & perniciem sibi accerserent: sed gravem, & infructuosam Militiam festâ Pace mutarent.* Postremò prævaluêre preces, adjutæ Consensu Civium; & Modestissimi cujusque Militum. *Calongius*, qui Urbi præerat, plurimum Conatus *Roani* adjuvit. *Tandem consentientibus cunctis, Deditio decreta est.* Magister Equitum ad Regem revectus, *Roani Moderationem*, pronumque ad Pacis studium animum laudavit: *Obsequium, ac parendi amorem paratum ostendit. Pacto salutis; Libertatis; Religionis; & Securitatis.* Qui paucos dies in Castris moratus, à Rege, missus est, *ut cum Roano de Conditionibus ageret.* Itaquè iterùm Duces congressi, has *Pacis Conditiones proposuerunt. Ne Protestantes, specie Religionis, effrænem multitudinem armarent: Pecuniam Civibus, sinè Regis mandato, imperarent; aut Consistoria sinè Apolectis Regijs celebrarent. Rex Saluto, Securitate, ac Religionis libertate promissâ, præteriti temporis oblivisceretur. Protestantes supplices, positis armis, in Fidem reciperet. Monpeliani; Nemausenses, Montalbanenses, Castrenses, Vticenses, & cætera eorum Vrbes, Nova Munimenta Solo æquarent. Rabiemq́, Secessionis deponerent. In posterùm Edicta, in gratiam Protestantium facta, sarta tecta manerent.* Adhibiti Testes ijs quæ pepigissent, *Oratores Britannici.* Celebrata in Vulgus Pax; quam multi viri Militares, Belli quàm Pacis cupidiores, aversabantur. Opprobrium, ac dedecus memorantes.

Condæus adeundi visendiq́, Fanum Virginis Loretanæ Cupidinem capit: oderat enim *Protestantes*, non tàm eorum Vitio, quàm suo. *Magister Equitum* Concordiæ partæ gloriam maluit, quàm Victoriam cum Cruore Civium. *Roanus*, cujus ductu, Auspicijsquè res in *Septimaniâ* gerebantur, Concordiâ inter Regem, & Protestantes, Authoritate suâ firmatâ, in Castra venit: *& submissè adorato Rege Veniam poposcit. Atquè eâ quæ acciderant, nullâ suâ culpâ cecidisse ostendit. Rex humi stratum, ac supplicem, surgere jussit; dextram porrexit; & in pristinum gratiæ, ac honoris locum restituit; monuitq́, ut Contumaciam tàm insignem, fide & Obsequio compensaret. Roanus verò fidem suam Iurejurando obstrinxit, fore se semper Imperio Regis obsequentem: nequè unquàm Officio defuturum.* Postero die *Calongius, Monpelij Præfectus*, Castra ingressus, *Vrbem & Arcem tradidit; Pacem ac Veniam deprecans. Pauca, Cives purgandi Causâ, dixit. Culpam in Rumores callidè vulgatos conferens, Protestantes penitùs exscindendos fuisse; & Libertatem Conscientiæ, Vitâ chariorem, adimendam. Oravit per Numen Sanctissimum, ut Miseros in gratiam reciperet; & quos Virtute devicerat, Misericordiâ conservaret.* Interventu Procerum, qui aderant, paulatim *Regis Ira sedata est: dataquè Venia Pœnitentibus.* Ita Clementiæ Exemplo non minorem Admirationem suis, quàm Fortitudine attulit. *Mox patuêre Portæ. Rex magnâ pompâ ingressus est. Plebs, Milesquè Vrbani occurrerunt; seipsos, Suaquè omnia Regis Misericordiæ permittentes. Cautum est, ne Quis in Iurgio Rebellionem objectaret.*

Nec in Cæteris *Ocitaniæ Vrbibus* mora; quò minùs Pacis Conditiones amplecterentur. Pax quoquè per Provincias publicari cœpta, maximâ Civium lætitiâ; & faustis Plebis Acclamationibus. Nuntium de Pace *Rupellani* læti accepêre; conterriti Obsidionis metu; & adversâ Navali pugnâ. *Suessonum Comes*, Urbe omni ex parte, quâ Terrâ aditur, ferè cinctâ, Mari Commeatum intercludere frustra tentavit. Jam Pace factâ, Exercitum abduxit. *Sed in Ludovici Propugnaculo validum reliquit*

1621. *Præsidium*: ut, cum vellet, Exercitum induceret; si reducendi causa fuisset. Quæ res suspectam Pacem Rupellanis fecerat. Undè fuerant Magistratus Civitatis ad Regem missi, petentes *ut Pacem confirmaret; & relictum Præsidium deduceret.* Respondit, *non aliter se Præsidium deducturum, nisi Nova Propugnacula funditùs everterent; diemquè præstituit, intrà quem Responsum, sinè dilatione, acciperet.*

Guisius quoquè, Pace factâ, *Classem Regiam dimisit, qua jam vicerat prælio Rupellanas Naves, apud Retam Insulam:* multis Captis, aut depressis; Ductoribus aliquot occisis. In quâ pugnâ *Prætoria Navis, quâ Guisius vehebatur, subjecto igne, incensa est. Sed ignis singulari Classiariorum Industriâ, & Sedulitate, restinctus est.* Præfectus, qui *Rupellanis Navibus* præerat, desperatione salutis adductus, in altum se subduxit. *Rex* tædio belli fessus, magno Procerum comitatu, per pulcherrimas, amænissimasquè Urbes, *Arelatensem, Aquas Sextias, Grationopolitanam, Lugdunensem, Lutetiam repetijt.* Ubi obvios ex Urbe *Senatores*, & Primores Civium habuit; voce maximâ Victoriam gratulantes: & Virtutem Bellicam laudibus extollentes.

Dum hæc in *Galliâ* geruntur, *Henricus Nassovius, cum Quindecem Turmis lectissimorum Equitum, ac Sex Millibus Peditum, Brabantiam passim depopulatus est; dum Baticus Exercitus Palatinatum tueretur.* Trifariàm diviso Exercitu, ad *Lovanium, Malniam, Bruxellas*, improvisò Excursiones fecit; Vicosquè multos incendit; *Viros, Equos, Religiosos Captivos abduxit*; nullis hostium insequentibus. Per Agros Fuga, & Cædes. Hâc nuntiatâ Clade, aviditas Ultionis expetendæ exarsit.

Spinola florens famâ rerum gestarum, *Bergam ad Somam*, Vi & Operibus aggredi statuit; quam *Batavi* armis, Viris, Præsidio, & Commeatu adversùs imminentem Obsidionem egregiè munive-rant. *Refecti Muri; addita Propugnacula; auctaquè Turres. Tres legiones, & 400 Equites*, in supplementum missi; omniaquè instructa, & provisa ad Oppugnationem sustinendam. *Ludovicus Velascus*, cum Equitibus, & levi Armaturâ præmissus, *Steinbergam occupavit; ut capto Oppidulo, aditus Hispaniensi Exercitui ad Bergam oppugnandam patefieret. Spinola* Acie instructâ subsequitur. Qui Castris communitis, Valloquè & fossâ circumdatis, Urbem magis obsedit, quam oppugnavit. *Crebra in Obsidentes Eruptiones facta*, vario eventu. Propugnaculum antè Moenia erat opere valido, & magno munitum Præsidio: quod *Iberi*, expugnandi spe, nocte adorti sunt. Sed Præsidiarij *Angli, Scotiquè* vim hostium fortiter, ad lucem usque, sustinuerunt; & Cæde Primorum insequentes depulerunt. Acerrimum fuit hoc Prælium: in quo *Robertus Hendersonus, Vetus Tribunus Scoticæ legionis*, militiæ gloriâ insignis, cujus Virtutem mirati sunt *Iberi hostes; Careus Anglicæ Cohortis ductor strenuus*, & magno pars Militum, cum ingenti strage hostium, cecidêre. In hâc Obsidione singulas pugnas referre; *& Hispanos* circà Vallum & fossas trucidatos; *Batavorum* in defendendâ Urbe sumptus, labores, pericula, non est operæ pretium. *Aurasionensis* Virorum fortium discrimine anxius, *Mansfeldij Copijs suis adjunctis, in circumsedentes Bergam ducit*; ut aut Acie concurreret, aut Circumvallatos inclusosquè Obsidioni eximeret; aut Obsidentes, Obsessis vijs, Commeatibus intercluderet. Res explorata *Hispanis* ingentem formidinem intulit. *Spinola* in re trepidâ, abruptâ undiquè Spe expugnandæ Urbis, ne suos Commeatus intercluderent hostes; aut Castra perrumperent; discessit irrito Conatu; *& nocte movit à Bergâ castra*; suosquè sub Signis, & Vexillis *Bruxellas* reduxit, non sinè pudore irriti incæpti. Nam Nocturna profectio salutaris magis ipsi, Exercituiquè fuit, quàm honesta. *Accessit interim recens auxilium, Vausem Baro cum Britannicâ legione: & Anholtium Comes, cum Germanicis Copijs. Aurasionensis, defensione Bergæ lætus, Steinbergam statim* recuperavit. *Berga Urbs arctissimâ Obsidione Parmensis Ducis, & Marchionis Spinolæ celebratior, quàm situ & Ubertate Agrorum.*

Nec res hoc Anno *in Valle Telinâ* quietæ fuêre; quæ gravius atquè atrocius, quàm antè, Bello afflictabatur. Dispersi per Munimenta & Urbes *Iberi*, spoliare, vastare, rapere cuncta hostiliter. *Leopoldus*, cum (digladiantibus inter se *Rhætis Pontificijs, & Protestantibus*) commune periculum negligi cerneret, *in Comitatum Tirolensem, suæ ditionis*, cum Copijs processit; ut *Rhætos Protestantes* mox aggrederetur; Transitus *Alpium* occuparet; Consiliumquè ex rebus caperet. Castra propiùs hostem movit; infestoquè Exercitu proximum *Pagum* invasit: *& Urbes ejus* aliquot Præsidijs firmavit; Legiones duas contraxit; *ac Auxilia Batica, ad Præsidium Rhætiæ paravit.* Hæc causa *Franciæ Regi* fuit, mittendi *Bassompetram*, Clarissimum Virum, *ad Philippum in Hispaniam*; ut quereretur, *immeritò in Rhætos, veteres socios ac Amicos Francorum sævitum; nec minore Crudelitate in liberos populos, Vallis Telinæ incolas.* Nuntiaretquè, *aut bellandum; aut, si Pax placeret, restituendam Valli Telinæ ac Rhætis Libertatem. Philippus consideraturum se cum Amicis respondit.* Diemquè constituit, intrà quem responsum acciperet. Vocato mox Senatu, cum diu consultasset; *Franco Socio, atquè Fratri; satisfieri oportere, æquis Conditionibus, decrevit*: haud repugnanribus amicis. *Fædusquè Madritianum de restituendâ Valle, & Rhætorum libertate asserendâ, Mediolanum ad Feria ducem missum est.* Oratores *Gallici*, cum Fædus, Mandataquè Regis sui exposuissent, varijs frustrationibus delati sunt. *Præfectus Mediolanensis* primùm, *Baticâ Cunctatione* tempus assumpsit. Deindè, promissâ Restiturione, & securitate Pacis *Rhætis*, Legatos in spem adduxit; ad extremum Fidem datam Inficiatione elusit: *Chiavennam, & Petrigoviam, Vicinas Alpibus Provincias; ibiquè Protestantium Cultum abolevit. Expostulantibus Francis, Madritianum Fædus violari*: Respondet, *Rhætos, Bormium, in Valle Telinâ, Vi & Armis tentasse; sed irrito Successu potiundi.*

Felicitatem

Fœlicitatem illis defuisse; sui sibi Conatus Eventum meliore Fortunâ datum. Quod ubi sensit *Francus*, ultrà 1622.
modum incensus, de Ope ferendâ Socijs, & oppressis Populis cogitat.

In hâc rerum Perturbatione, multi *Protestantes Rhæti*, trepidi & vim metuentes, *ad vicinos Helvetios, & Galliæ Regem confugerunt*, suas Injurias conquerentes, & effusis Lachrymis Remedium publicis Calamitatibus efflagitantes. Cæteris remanentibus, erecta in *Iberos & Leopoldum* studia, qui Voluntate, aut Metu Potentiæ, ad gratiam *Philippi* inclinavêre; ac Oratores ad *Mediolanensem Præfectum* cum mandatis & precibus misêre, ad Amicitiam Societatemquè jungendam. Dux comiter acceptos varijs Artibus aggressus, *à Franciæ Regis Clientelâ, ad Bæticam Societatem*, Auctoritate suâ, Donis Muneribusquè pellexit; qui summum Præsidium in *Helvetiorum, & Rhætorum Amicitiâ* collocavit; Ultionemquè fraudis in Occasionem Vindictæ distulit. *Feria Dux* Fœdus, his legibus, junxit; *ut prisco Instituto rebus Divinis opera daretur. Sacerdotibus, ac Templorum Antistitibus Dona direpta restituerentur. Iter per Rhætiam Hispanis, transire volentibus, aperiretur. Telina Vallis Mediolanensi Ducatui contribueretur, ejusquè Imperio subjiceretur.* Fœdere cum *Mediolanensi Præfecto* inito, Oratores *Rhætici*, domum reversi, Placamenta hostilis Iræ, *& Pactiones Fœderis* retulêre. *Magistratus Rhætorum, & fortissimi quiquè, instinctu Libertatis, fœdas Pactiones Servitutis aspernantur: Iniqua Pacis Conditiones respuunt: Fœderiquè, cum Iberis inito, renuntiant: ab Helvetijs, & Gallis stimulati, Equos, Arma, Viros, Pecunias ad usum Belli offerunt.* Secuti, ingenti certamine, ejusdem Provinciæ Pagani, pro Libertate congregati: qui concitâ Juventute, & arreptis Agrestibus Armis, *arcere Rhætia finibus Leopoldi Milites, & Bætica Auxilia intendunt.* Missis ad *Francum, & Helvetios* Nuntijs, quanto ipsi in discrimine essent edocent; orantes, ut opem ferrent. *Qui fœderatorum Calamitatibus permoti, Armis Virisquè juvêre:* quibus adjunctæ *Rhætorum Copiæ*, suas Injurias ultum ivêre. In *Leopoldi* Milites, & Bætica Præsidia furor par: *Balderoni Tribuni* milites, primo Impetu cæsi, disjectiquè. Deindè, consectantibus *Helvetijs, Rhætisquè*, gnaris locorum, trucidati; qui se Sanguine Plebis cruentaverant. Cæteri palantes, ad vicina *Vallis Telinæ* Præsidia perfugêre; ubi undiquè clausi. Postremò, impetu Militum, & *Plebis Pettrigovianæ*, cæsi sunt; & *Leopoldi* milites dissipati. *Legati Rhætorum, ad Mediolanensem Præfectum missi,* (ut modò memoravi) magis placabiles Milites, quàm Paganos domi experti sunt. Qui fustes & Baculos in ora eorum intentarunt; vulnerantesque cum Contumelijs, & Probris, Perfidiam objectarunt: *nec deerant qui discerperent, conculcarentquè eos, qui Bæticæ factionis erant.* Plerique à Multitudine violati, jussu Magistratuum.

Nuntium *de Tumultu Rhætico; alienatoquè ab Hispanis animo; & Vallis Telinæ Rebellione, Feria Dux, Mediolani accepit.* In tàm imminenti discrimine, sinè ullâ Cunctatione, asciscitur *Neopolitanus Miles*; ac ilicò ad Præsidium *Rhætiæ, per Alpes missus.* Ægrè id passus *Francus*, de Injuriâ Sociorum, *contrà Fœdus Madritianum, fidem, & Religionem, apud Oratores Bæticos queritur.* Monet *Rhætos*, unicam in Audaciâ *Spem Libertatis*: nec se in tempore defuturum. Hortatur *Helvetios*; ut Socijs opem ferrent; paratam *Galliam*; pericula ipsorum, *& Pace infidâ tutius bellum ostentans*: undè Ira, Æmulatione, & Invidia inter Reges exarsêre. Frustrà adversùs *Rhætos tumultuantes* contracta *Iberorum* Auxilia; cum *Coirum*, & alias Urbes, furore & rabie expugnarent; Alias solâ denuntiatione Armorum terrerent. *Pulsis Iberis, & omnibus Leopoldi Copijs*, qui tres Pagos, & *Claustra Alpium* spe devoraverant, *Rhæti* soluti, & in Libertatem vindicati sunt; non sine labore ac periculo *Helvetiorum*, & *Gallicarum Regis* favore; qui plurimum adjuvit socios, Consilio & viribus; *bellum Hispanis acrius, infestiusq; minitans, nisi Valle Telinâ cederent; & Conditiones Madritij peractas confirmarent. Feria Dux* Pedestres Equestresquè Copias parat, ad retinendam, ac tuendam *Vallem. Francus* pro ope ferendâ Socijs Copias contrahit; & junctis *Helvetiorum* Copijs, ire obviam Conatibus *Iberorum* nititur. Eventus *Vallis Telinæ* expectandus est.

Hoc Anno in *Vlteriore Britanniâ Alexander Setonus, Fermilinodum Comes*, domi suæ extinctus, magnum sui desiderium apud bonos omnes reliquit: qui, per multos Annos, *Prætor Regni*, eum honorem magnâ Æquitate, & Modestiâ gessit. Opem tulit Oppressis; excitavit Afflictos. Is loco Nobili ortus, politiore Literaturâ, primum *in Notitiam Regis*; deindè *ad honorem Præsidis*, in Curiâ Judicum pervenit; prostremò in *Præturâ Vitâ functus est*; Vulgò Favorabilis, ob Justitiæ, Probitatis, Prudentiæ, Sapientiæquè opinionem. Ipse, magnâ animi Constantiâ, Criminantes se *Ministros*, ob Pontificiæ Religionis Suspicionem, & Baroduni Comitis in se Sævientis Injuriam, tulit. *Romani Cultus, Moriens, sic se purgavit, ut Catharorum sententijs absolveretur*; qui ex Umbonibus paulò antè prædicarunt, *Pontificiorum Religionem quò minùs publicè profiteatur, amplissimi Magistratus, quem sustineat, ratione prohiberi: cum tota familia Setoniana ei Religioni addicta esset.* In Præturâ non aliud calumniatus est rumor, quàm in suum cuiquè tribuendo, Causisquè, Indulgentiam ergà Propinquos, & Affines, ac Pontificiarum partium studium, & favorem.

In *Citeriore Britanniâ obijt Otho Nicolsonus*, Juvenili ætate, *Institor Mercis lineæ.* Qui in hoc Servili Ministerio nutritus, animum ad Spem melioris fortunæ adjecit; & eo sordido genere Quæstus relicto, *Togam ac Forum secutus, Testes in Curiâ Cancellariæ examinavit*, & in ejusmodi Vitæ ratione diu versatus, exagitavit *Fisci Debitores*; & omnes eorum fraudes atque Fallacias, *qui loca Sylvestria*, Pascuis, & Latibulis Ferarum opportuna, *ad Culturam, sivè Regis licentiâ redegerant.* Undè sibi inexpiabilem

1622. Vulgi Invidiam, & opes, imbutas sanguine Plebis, peperit. Sed malè Partis, benè usus est. *Mille Libras Orphanotrophio Christi Salvatoris dono dedit: multos obaratos, numeratâ pecuniâ, Carcere redemit: & in Pauperes Annua Stipendia erogavit.*

Asserta jure municipali vocantur, loca sylvestria ad culturā redacta.

Eduardus Huletus, Civis Londinensis, non alium putavit Divitiarum usum, quàm Pauperum levamen, quibus omnia bona liberaliter largitus est. *Orphanotrophium Christi, & Ptochodochium Bartolomai opibus suis auxit.*

Rogerus Iestonus, Galerorum Venditor, Societati Artis ejus, in usum pauperum, Urbana Rusticaquè Prædia contulit. Etsi uberior Liberalitas Civitatis erat, non deerat tamen per Provincias pia Munificentia, *in exstruendis Gerontocomijs, Nosocomijs, Ptochodocijs*; & Urbanis, Rusticisquè Prædijs, Arvis, atque Pascuis locupletandis. *Eduardus Vuedalus*, apud *Duretrigas*, Vulgò *Dorsettenses*, Equestri loco ortus, sublevavit afflictos. *Arva, & Pascua in Insulâ Purbecensi, à Parentibus relicta, Pauperibus dedit.*



RERUM

RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER VIGECIMUS.

REX, post subitum discessum, & præcipitem Profectionem filij, Itineris, ac periculi magnitudine anxius, cum coràm potestas deliberandi non esset, *uti eum Bucingamij, Bristolij, & Ashtoni, Munere Legati, Consilio voluit.* Nec desperavit *Gundimarium* Amicum fore, si Consilio adhiberetur. *Sed considerandum admonuit, quanta ei fides esset habenda*; etiamsi exploratum sit, Fautorem Nuptiarum fore. Scripsitquè Epistolas ad filium, plenas Consilij, summæquè Prudentiæ. *Intereà Literas ab illo accepit, de læto in Hispaniam adventu; Certâ spe Conjugij; Palatinatus restitutione; Impensisquè liberaliter ipsi, Comitibusquè præstitis.* His lectis, recreatâquè mente, exiluit gaudio; Numenquè adoravit. Quinetiam *Bucingamium literas dedit, Bætici Regis Benevolentiam significantes; magnam in Adventu filij lætitiam; & Nuptias tantùm differri, donec Pontifex in re maximâ consuleretur.* Quibus perlectis, *Bucingamij* Industriam, Diligentiamquè libenter agnovit; laudavit etiam, probavitquè: *Naves etiam ut providerentur jussit*, quibus Comitatus filij, se benè ac tutò in Hispaniam traijceret. *Insignes Coronæ Gemmas, ac Uniones prægrandes, cum Francisco Stuarto, Nobilissimo Equite, Navi Regiæ præposito, misit*: quæ Opes Britanniæ magnoperè commendarunt. 1623.

In tantâ Alacritate animorum, multos Proceres honoribus auxit. *Ludovico, Leviniæ duci, Ducis Ricamontij excelsum gradum dono dedit*; ob communem familiam: *Nam Pater, Avusquè Paternus Regis, ex familiâ Levinianâ erant. Marchioni Hamiltonio*, Regij generis viro, *Cantabrigiæ Comitis dignitatem* paulò antè addiderat; honorem & Titulum, soli Stirpi Regiæ debitum. *Esmeum Stuartum, Leviniæ fratrem, Marchiæ Comitis Titulo ornavit*, propediem successurum *Levinio* fratri, nullam stirpem liberorum habenti. *Ramsaum, Gaurianâ Cæde* nobilitatum, *Holdernessæ Comitis Titulo donavit*, brevi mansuro. Non oblitus *Bucingamium*, propiorem Charitate, quàm sanguine: cui cumulum Dignitatis addidit *Ducatum Bucingamiæ*; quò in suadendo plùs Auctoritatis haberet. Postquàm id *Londini* compertum, celebrata in Vulgus *Levinij* dignitas, ob insitam animo Modestiam, ac Amorem Reip:. & Populus *Hamiltonij* recentem honorem, familiæ dignitati meritò adjectum interpretatus est. *Bucingamij* incrementum non æquo animo tulit. Qui honore & gloriâ amplificatus, Superbum se præbuit in fortunâ; & cuncta gessit immodicè, contra Consilium, Auctoritatemquè *Bristolij Comitis, amplissimi legati*; effecitquè, ut sinistrè *Digbij* Consilia, factaquè æstimarentur.

Rex ad filij hymenæos, Clarissimorum Procerum Primores dimisit. Scriptitavitquè ad Principem, & Bucingamium, instandum Captis; cæterosquè Ministros gravissimi Consilij, Officij admonuit. *Ac ad Philippum Hispaniarum Regem literas misit*, multum honoris, multum Amoris nuntiantes: *Nuptiasquè Mariæ Sororis, & Filij efflagitantes.* Quas Rex diligenter perlegit; & Cæterorum omnium oculis, *nisi Olivarij Comitis*, subduxit. *Cui potestas deliberandi de Conditionibus Nuptiarum facta est.* Is in Congressu, Colloquioquè *Principis & Bucingamij*, rem difficilem, & inexplicabilem dixit, *Nisi Princeps Romanam Religionem profiteretur. Sic Cætera Matrimonij Pacta facilè conventura.* Hic Sermo animum pijssimi Principis altius penetravit, anxium sui discrimine, ac Religionis; quam, sinè gravissimo vulnere Conscientiæ, mutare non poterat; & Infamiâ *Philippi Regis, si vis hospiti adhiberetur. Olivarius metuens ne bellum erumperet, si Affinitas sperneretur*, humanissimis verbis significavit, *se Nuptijs esse anxium*: & placandum animum Principis facetijs putavit; dictitans, *invito etiam Pontifice, si cunctaretur, Matrimonium celebrandum: ac Mariâ aut Conjuge, aut Concubinâ potiturum.* Hâc *Olivarij* festivitate, Principis mæror sopitus est. *Pactum quasi inter Carolum & Mariam Matrimonium*, tumore populus, & summi Proceres Vultu ac Voce gratulantes, concelebrarunt. *Princeps* Majestate regiâ, ac Juvenili Comitate, Procerum, Plebisquè animos conciliavit; *& in firmiore Spe Nuptiarum constitutus, avidè quæsivit cum Puellâ Regiâ convenire. Quod rarò impetravit; obtentu Puellaris Modestiæ, ac Bætica Gravitatis.*

Placuit dehinc, *impetrato Pontificis Diplomate, Mariam Carolo despondere.* Nec ultrà cunctatus *Olivarius, ad Cardinalem Ludovisium* Literas præmisit; quibus certiorem fecit, *Britanniæ Principem in Hispaniam venisse, ut Mariam, Regis sororem, uxorem acciperet.* hortatusquè est, *ut Sanctitatis suæ Dispensatio expediretur; & Conjugium, Ecclesiæ utile, Pontificis Maximi Auctoritate confirmaretur. Ludovisius Diploma*

1623. *impetrandum suscepit; oravitquè Pontificem, ut Postulatis Batici Regis annueret; Auctoritati Purpuratorum cederet, & gratiam Britannici Principis pararet.* Erant inter *Cardinales*, qui necterent Moras, Utilitatem Ecclesiæ, Regiæ gratiæ præponentes; & cunctandi utilitates disserentes.

Interim *Carolus à Palatio in Rus propinquum deductus est*, Vinetis, Pascuis, Sylvisquè circumseptum. Qui locus Quietis & Tranquillitatis plenissimus sperabatur, in eo turbulentissimæ Tempestates extiterunt; *cupientibus atquè instantibus Theologis, ut Romanam Religionem profiteretur; Summi Pontificis Auctoritatem agnosceret: ac statas, Solennesquè Caremonias Ecclesia.* Respondit, *innatum sibi studium observanda Religionis, quâ à primâ Pueritiâ imbutus fuerat. Pro eâ augendâ atquè custodiendâ, voluntatem nunquàm defuturam, in Asperitatibus rerum, vel Angustijs temporum.* Omnia namquè post Religionem ponenda duxit; à quâ, nec Gratiâ, nec Periculo, nec Tanti Matrimonij cupidine abduci potuit. Cum rursùs instarent, *ut Catholicis se Amicum praberet: ac liberum Religionis Exercitium in Britanniâ impetraret.* Respondit, *istud ad Rebellionem spectare. Se hominibus, qui Numen, More Pontificio, venerari instituerant, Inimicum non esse.* Deniquè perstitêre, *ut Eruditissimorum hominum Disceptationibus, contrà Prisca Religionis perturbatores, aures praberet.* *Negavit Disputationibus effici posse, quò minùs Religioni suum decus, suaquè Observantia redderentur.* Placuit dehinc, *non ultrà pertentare animum, ita Religioni assuefactum, ut avelli non posset.*

Cum *in Cardinalium Consessu, Matrimonium plures suaderent*; & Pontificem Spe amplificandæ Ecclesiæ, ut assentiret, inducerent; *Diploma Pontificium, duris Conditionibus restrictum, in Hispaniam missum est; ut de Nuptijs statueretur hâc lege, si Panales leges adversùs Pontificios lata, in Britanniâ, & Hiberniâ abolerentur.* Mox de Conditionibus Matrimonij, & Affinitatis agi cæptum est. Ipse Princeps, adhibito *Bucingamio, legatisquè*, singula Capita, *Baticis Apolectis prasentibus*, tractavit; pronuntiavitquè, *Religionis Tolerantiam Nobilitati, Plebiquè juxtà intolerandam. & Panales leges, nisi Comitiali Auctoritate, abrogari non posse. Si hac Postulata eximerent, Catera facilius conventura: eamquè rem Regi, Populoquè Britannico gratam fore.* Negavit Philippus, *se pro suâ, Majorumquè suorum fide, Consuetudinequè, Diplomati Pontificis derogare posse:* Rogavitquè, *ut Toleratio perpetua Romana Religionis concederetur. Nen alia leges, in posterum, adversùs Catholicos Romanos rogarentur.* Princeps invitus *in Conditiones juravit. Ipse ad idem Iusjurandum, Philippum adegit*: postulavitquè *ut Puellam Regiam sibi desponderet.* Differri Sponsalia *Iberis* placuit, *donec Pacta Affinitatis à Britannia Rege, ex Auctoritate Senatus, confirmarentur: Nullam Moram dehinc Voto fore* pollicentibus. *Princeps* diuturnioris Moræ impatiens, *Pacta Affinitatis in Britanniam misit*: Auctoritati, fidei, & Prudentiæ Patris commendavit.

Diligitur ab Ibero, *Ioannes Mendoza, Marchio Inoiosâ, rei Tormentaria per Vniversam Hispaniam Prafectus, ut Iusjurandum à Britannia Rege exigeret.* Is ingenti Procerum, Tribunorum, & Centurionum agmine comitatus, appulit, *cum Literis, & Conditionibus Affinitatis*: confestimquè Iter in Aulam fecit. His lectis, Rex, vocato Senatu, consultavit, *An Conditiones Nuptiarum probarent?* Quid sibi placeret, non exposuit. Eam rem integram ad Senatum retulit; cujus est Summa potestas omnium rerum. Adhibentur omnes Proceres, qui erant hujus Ordinis. Suo quiquè loco Sententiam rogati, cum multa de Religione verba fecissent, *Pacta probarunt: ne Principem periculis exponere crederentur. Ipse Rex in eâdam Opinione fuit, quâ reliqui omnes; discrimine filij anxius, in alienâ Potestate periclitantis.* Senatus sententiam secutus, decrevit, *Conditiones Iurejurando, & Chirographo suo confirmare*; & Legatis Bæticis Testibus uti, *Marchione Inoiosâ, & Carolo Columnâ.* Qui de Cæremonijs fæderis consuluntur. Respondentquè, *Statas, solennesq́; Ecclesia Anglicana Caremonias, Pontificia Religioni adversari; nec se salvâ Conscientia Superstitionibus interesse posse.* Rex Legatis satisfieri æquum censuit: *jussitq́; Hymnum in Laudem Pacis decantari; sicut factum est, cum Pacisceretur cum Magistro Equitum Castulonensi.* Placuit Solertiæ, ut ad *Collegium Sacerdotum* Cæremoniæ referrentur; & eodem More peragerentur. Verùm dubitatio exorta est, *Mentione factâ in Pactis, Sacrosancta Potestatis; quam Rex pridem in Britanniâ abolitam ostendit: eamq́; tollendam disputavit.* Ne Religio Numinis contaminaretur, & negotium conturbaretur, Legati responderunt, *Auctoritatem Pontificis ab omnibus Catholicis defendi: Neq́; ullum verbum in Pactionibus, injussu Philippi, mutari posse. Dispensationis Iudicem Pontificem fuisse. Se de Religione statuere nihil posse; nec Sanctitatis Mentionem praterire, sinè Ignominiâ, & Conscientia labe. Neq́; Modestiorem unquàm Pontificem, Neq́; sanctiorem exstitisse.* Rex Legatorum precibus victus, concessit. Et proximo Die Dominico *Londini* exequi statuit; quo habetur Senatus frequens. Conveniunt Amplissimi Proceres, pretiosissimâ veste induti, ad omne Obsequium parati; & Primores Equitum. *Marchio Hamiltonius*, Regis jussu, splendidissimo quoquè assumpto, *Legatos in Regiam deducit*, Auro gemmisquè fulgentes; & æmulantium inter se gentium Primores gratulantes. Qui frequentiâ Civium foribus exclusi, Regiam intrare vix poterant. Tandem summotâ turbâ, *ad Regem deducti, officiosè salutarunt, ejusquè Manum osculati sunt.* Idem faciebant Comites, Nobilitate, ac Dignitate præclari. Dispositis deindè circà aditus Prætorianis Cohortibus, *Rex inter duos Legatos*, circumfusosquè Proceres, *ad Sacellum processit, & in Regiâ Sellâ, pulcherrimè instratâ, consedit.* Legatos in alijs, juxtà se, sinistro latere collocavit, Cæremoniarum Sanctitatem, & Symphoniæ Concentum admirantes. Religione ritè procuratâ, *Iacobus Ara cum Legatis appropinquavit*, maximâ frequentiâ *Procerum* astante; & *Heroinarum*

ex parte

ex parte Sacelli superiore spectantium, eximiâ corporis specie, ac Gemmarum Splendore. Tunc *Georgius Calvertius, ab Epistolis*, genibus Regis advolutus, silentio facto, Jusjurandum, & Articulos in hanc sententiam recitavit. 1623.

NOS *Iacobus, Dei gratiâ magnæ Britanniæ &c. Rex, fidei defensor, &c. Relatione atquè notitiâ hujus Instrumenti, atquè Scripturæ, Obligationis, Approbationis, Confirmationis, Ratificationis, & Novi Contractûs, atquè ad perpetuam ejus memoriam, notum facimus, & manifestum omnibus Regibus, Principibus, Potentatibus, Rebus publicis, Communitatibus, Vniversitatibus, & privatis personis, cujuscumquè Status & Conditionis, & in perpetuum fuerint. Quemadmodùm ad honorem & gloriam Dei, cum maximè optaremus, ut Novis, strictioribusquè Amicitiæ nexibus Consanguinitatis, & Affinitatis vincula, quæ nos & Serenissimum Carolum, VValliæ Principem, nostrum charissimum, & amantissimum filium unicum, cùm Serenissimo Principe Philippo IV. Catholico, Hispaniæ, Neapolis, Siciliæ, Hierusalem, Indiarum Orientalium, & Occidentalium, Insularum, & Continentis, Maris, Oceani, Rege, Archiduce Austriæ, conjungunt, constringantur arctius & confirmentur: atquè ut in nobis, Successoribusquè nostris Fraternitatis Concordia, & inter utramquè Coronam mutua benevolentia, ad majus utriusq; bonum & fælicitatem concilietur, stabiliatur, atq; permaneat. Actum est, & agitur de Matrimonio contrahendo inter prædictum Serenissimum VValliæ Principem, & Serenissimam Infantem Mariam, Catholicæ Serenitatis Sororem, ad cujus rei Tractatum, & Conclusionem, prædictum Serenissimum Principem filium nostrum ad Regem Hispaniarum, & Regiam misimus, ubi nunc reperitur; inter quem pro se, & pro nobis, & nostro nomine, unâ cum prædilectis Consanguineis nostris, Georgio Villiers, Buckinghamiæ duce, Maris Anglicani Præfecto, Garterij Ordinis Milite insigni, à Concilio nostri status, & nostri Equitis Præposito; ac Ioanne Digbio, Bristoliæ Comite, Vicecamerario hospitij nostri, & nostri status Consiliario; & prædilecto nostro Gualterio Aston, Equite, & Baronetto; nostris apud Catholicam Serenitatem Oratoribus, Ordinario & Extraordinario; Francisco adhuc Cottington, Baronetto, Præfati filij nostri Principis Secretario; ut virtute præscripti, atquè Instructionis, quam à nobis habuerunt, & habent, ut omnibus necessarijs ad dictum Matrimonium tractandum & conficiendum intersint. Et ex alterâ parte, inter Catholicam Serenitatem, pro se, ac tanquàm fratre, & legitimo Administratore prædictæ Serenissimæ Infantis Mariæ, & de ejusdem voluntate & consensu, Commissarios, etiam ad idipsum designatos, Ioannem Mendozium, & Lunam, Marchionem Montium Clarorum, & Montis Barbelæ, à Consilijs status & belli Serenitatis Catholicæ; & Didacum Sarmientam de Acunâ, Comitem Gondemarij, à prædictis Consilijs, unà cum Ioanne de Gericâ, sanctioris Consilij Secretario; & Ribera Commendatariâ Præfecturâ insignito: præmissis, & præmissa fuerunt, facultate, & Dispensationibus suæ Sanctitatis, & alijs, quæ necessaria requirebantur. Postquàm magnâ & maturâ deliberatione, ultrò citròquè, propter ea rationum momenta quæ retulimus, quæquè hujus Matrimonij convenientia & commoda, certò suadent, & ostendunt; & rem gravissimam disceptarunt. Hi omnes communi consensu, atquè Iudicio, in aliquot Capitulationes, & Conditiones, ad rem terminandam, & absoluendam accommodata, quæ sic se habent, convenerunt.*

Quod Matrimonium perficiendum est, per Dispensationem Sanctissimi Domini Papæ; sed hæc per operam Catholici Regis habenda est.

Quod Matrimonium semel etiam celebrandum est in Hispaniâ, & in Angliâ ratificari debet, in formâ sequenti. Manè, postquàm Serenissima D. Infans Devotiones suas in Capellâ absoluerit; ipsa, & Serenissimus Princeps Carolus, in Capellâ Regiâ, seu in aliquâ Palatij Aulâ, ubi magis expedire visum fuerit, conveniant; ibiquè Procurationes omnes, quarum virtute Matrimonium in Hispaniâ celebratum fuerit, legantur: & tàm Serenissimus Princeps, quàm Serenissima Infans, præfatum Matrimonium in Hispaniâ celebratum, ratum habeant, cum omni Solennitate ad hujusmodi actum necessaria; modò enim nulla Cæremonia, seu res aliqua interveniat, quæ Religioni Catholicæ Apostolicæ Romanæ contradicat.

Quod Serenissima Infans, servos, & familiam, pro suo servitio convenientem, secùm deferat: quam familiam, & personas omnes ad illam attinentes eliget, & nominabit Catholica Serenitas. Modò nullum servum nominaverit, qui sit Vassallus Regis magnæ Britanniæ, sinè suâ voluntate, & Consensu.

Quod tàm Serenissima D. Infans, quàm servi, & universa ejus familia, habebunt liberum usum, & publicum exercitium Religionis Catholicæ Romanæ; in modo & formâ, prout infrà Capitulatum est.

Quod habebit Oratorium, & Capellam decentem in suo Palatio; ubi Missæ, libitu Serenissimæ Infantæ celebrari possint. & similiter Londini, & ubicunquè morabitur, Ecclesiam publicam & capacem habebit, propè Palatium, ubi omnia Officia solemniter celebrentur; cum Cæmiterio, & omnibus alijs Necessarijs, pro publicâ verbi Dei Prædicatione, & omnium Sacramentorum Ecclesiæ Catholicæ Romanæ celebratione, & Administratione; proquè sepeliendis Mortuis, & baptizandis Parvulis. & quod præfatum Oratorium, Capella, & Ecclesia, cum tali decentiâ ornabuntur, quæ Serenissimæ Infanti conveniens videbitur.

Quod servi, & servæ Serenissimæ Infantis, & servi servorum, eorumquè filij, & descendentes, ac familiares omnes, quomodocunq; suæ Celsitudini inservientes, valeant Catholici esse, liberè, & publicè.

Quod Serenissimæ Infans, servi & familiares prædicti, valeant Catholici esse in formâ sequenti.

Quod Serenissima Infans habeat in Palatio suum Oratorium, & Capellam, ita capacem, ut dicti servi & familiares, ut suprà, possint intrare, & commorari in illâ; in quâ una sit Porta publica, & Ordinaria pro illis; & altera interior, per quam Serenissima D. Infans habeat ingressum in dictam Capellam; ubi ipsa, & alij ut suprà, divinis Officijs interesse possint.

Quod

1623. *Quod Oratorium, Capella, & Ecclesia publica ornentur cum decenti ornatu Altarium, & aliarum rerum, quæ necessaria sint pro Cultu divino, qui in illis secundùm Ritum S. Romanæ Ecclesiæ celebrandus est: & quod dictis servis, & alijs, ut suprà, licebit se conferre ad dictas Capellam, & Ecclesiam, omnibus horis, prout illis videbitur.*

Quod cura & Custodia dictarum Capellæ & Ecclesiæ erit penès eos, qui deputabuntur à Serenißimâ D. Infante; cui licebit constituere Custodes, ne quis poßit intrare, ad faciendum quid indecorum.

Quod ad administrandum Sacramenta, & serviendum in Capellâ, & Ecclesiâ prædictis, XXIV Sacerdotes, & Aßistentes nominabuntur, qui per hebdomadas, aut Menses, prout Serenißimæ Infanti visum fuerit, inserviant; & eorum Electio ad præfatum Serenißimum Regem Catholicum, & Serenißimam Infantem attinebit; modò non sint Vassalli Regis magnæ Britanniæ: aut si fuerint, ejus voluntas, & consensus præcedat.

Quod sit unus Minister in Ordine Episcopali constitutus, superior, cum auctoritate necessariâ ad omnes Casus, qui acciderint, spectantes ad Religionem; & Episcopo deficiente, illius Vicarius eandem habeat Authoritatem, & Iurisdictionem.

Quod iste Episcopus, & minister Superior, poterit corrigere, emendare, & castigare Catholicos Romanos, quò deliquerint, & in illis omnem Iurisdictionem Ecclesiasticam exercere: ultrà hoc, poterit etiam Serenißima Infans illos de suo Servitio abdicare, quandò illi visum fuerit.

Quod dictus Superior in Ordine Episcopali constitutus, vel ipsius Vicarius, poterit servos, & alios, ut suprà, Ecclesiasticos, punire juxtà Leges & pœnas Ecclesiasticas, & illos etiam Serenißima D. Infans à suo servitio abdicare.

Quod licebit Serenißimæ D. Infanti, & servis ut suprà, adquirere Romæ Dispensationes, Indulgentias, Iubilæos, & omnes gratias quæ videbuntur Religioni, & Conscientijs suis competere; & undicunq; libros quoslibet Catholicos sibi comparare.

Quod Servi, & familiares Serenißimæ Infantæ, qui in Angliam migrabunt, suscipient Iuramentum fidelitatis, Regi Magnæ Britanniæ; modò nulla sit Clausula, neque verbum quod contradicat Religioni Romanæ, in Conscientijs Catholicorum: & si fortè sint Vassalli Regis Magnæ Britanniæ, idem Iuramentum suscipient, quod Hispani; utriquè in sequenti formâ.

> *Ego N. Iuro, & promitto fidelitatem Serenißimo Iacobo magnæ Britanniæ Regi, & Serenißimo Carolo Principi VValliæ, & Mariæ Hispaniæ Infanti; quam firmiter & fideliter observabo. Et si quid contrà Personas, honorem, & Dignitatem Regiam præfatorum Regis & Principum, Statumvè, & commune bonum Regnorum intentari cognovero, statim renuntiabo dictis D. Regi, & Principibus, aut Ministris ad id constitutis.*

Quod leges, quæ sunt, vel erunt in Angliâ, & alijs Regnis, spectantes ad Religionem, dictos Servos, & alios, ut suprà, Laicos, non attingent; qui tùm legibus, tùm pœnis, contrà transgressores earum impositis, erunt exempti; & contrà Ecclesiasticos, solummodò eorum Superior Ecclesiasticus Catholicus procedere valeat; prout apud Catholicos Romanos fieri consuevit.

Quod si Iudex aliquis Sæcularis Ecclesiasticum virum comprahenderit, propter aliquod delictum, ad hoc enim faciet, ut prædicto suo Superiori Ecclesiastico, & Catholico, statim tradat, & remittat; qui contrà illum, juxtà Canones, & Regulas Iuris, procedat.

Quod leges contrà Catholicos Romanos latæ, vel ferendæ in Angliâ, & alijs Regnis Regis magnæ Britanniæ subjectis, non attingent liberos ex hoc Matrimonio oriundos; & liberè Iure Succeßionis in Regnis, & dominijs magnæ Britanniæ fruentur.

Quod Nutrices, quæ lactabunt liberos Serenißimæ D. Infantè, Catholicæ Romanæ valeant esse; earumquè electio ad præfatam D. Infantem spectet: sivè sint ex Natione Anglicanâ, sivè ex aliâ quácunquè; prout Serenißimæ Infanti placuerit; & familiæ suæ annumerentur; ejusq; Privilegijs gaudeant, & potiantur.

Quod Episcopus, & personæ Ecclesiasticæ, & Religiosæ, ex familiâ D. Infantis, poterunt retinere Vestitum, & habitum suæ Dignitatis, Profeßionis, & Religionis, more Romano.

Pro Securitate, quod dictum Matrimonium nullatenùs aliquâ ex causâ dissolvetur; Rex Magnæ Britanniæ, & Carolus Princeps verbo Regio pariter, & honore astringendi sunt.

Præstabunt insuper, quicquid à Rege Catholico propositum fuerit; si enim decenter, & commodè fierè poßit.

Quod filij & filiæ, qui ex hoc Matrimonio nascentur, penès Serenißimam Infantem, ut minimùm, usquè ad Decennium educentur; & liberè Iure Succeßionis, in prædictis Regnis, ut dictum est, fruantur.

Quod quomodocunquè loci Servorum & Servarum, quos Serenißima D. Infans secùm attulerit, nominatos per Regem Catholicum fratrem suum, vacare contigerit; sivè per Mortem, sivè per Absentiam, sivè ex aliquâ aliâ causâ, seu Accidenti, subrogantur per dictum Regem Catholicum omnes Servi, & Familiares, ut suprà.

Pro Securitate, quod totum, ut Capitulatum est, compleatur, Rex magnæ Britanniæ, & Serenißimus Carolus Princeps Iuramento obstringendi sunt, ut omnes Consiliarij Regis, tractatum Chyrographo firmare debent: insuperquè prædicti Rex, & Princeps, Verbo Regio fidem daturi sunt, se facturos, quod poßibile est, ut omnia suprà Capitulata per Perlamentum stabiliantur.

Quod conformiter ad ea quæ tractata sunt, omnia ista proponenda, & exponenda sunt Sanctißimo D. Papæ,

quatenùs

quatenùs ea approbare Apostolicam Benedictionem, ac necessariam Dispensationem ad effectum Matrimonij concedere dignetur. 1623.

Nos Tractatum prædictum, ac omnia & singula Capitulata in eodem contenta, & specificata, rata, & grata habentes, & omnia & singula, ex certâ Scientiâ nostrâ, quatenùs nos, hæredes vel Successores nostros concernunt, approbamus, laudamus, confirmamus, ac ratificamus; & inviolabiliter, firmiter, benè, & fideliter tenere, observare, perimplere; teneriq; observari, & perimpleri facere, cum effectu, bonâ fide, & Verbo Regio promittimus per præsentes; omni Exceptione, seu Contradictione cessante. Eademq; in præsentiâ Illustrissimorum & Nobilium virorum Ioannis de Mendozâ, Marchionis Inoiosæ, Regi Catholico à Cubiculis, & Consilijs status, & Belli; Regni Navarræ Proregis, & Capitanei generalis: itemq; Provinciæ de Guipuzcoâ, & Confinium, rei Tormentariæ majoris per universam Hispaniam Archipræfecti; Commendatoris de Aledo; Vnius Cohortis Cataphractorum equitum, in custodiam Regni Catholici Tribuni; & ejusdem Serenissimi Hispaniarum Regis Legati apud nos Extraordinarij: & Carolo Colomna, Regi Catholico à Consilijs bellicis; Cameraci, & Cameracesij gubernatoris, & Capitanei generalis; Commendatoris de Montiel, & Ossâ; necnon ejusdem Hispaniarum Regis Legati apud nos Extraordinarij: Sacrosanctis Evangelijs per nos tactis, Iurejurando firmamus, non obstantibus quibuscunquè Opinionibus, Sententijs, aut Legibus in contrarium. In quorum omnium, & singulorum præmissorum fidem, ac testimonium, hisce Articulis manu nostrâ subscriptis, magnum Sigillum nostrum apponi fecimus; præsentibus Reverendissimo in Christo Patre Georgio Archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ Primate: Reverendissimo in Christo Patre, Ioanne Episcopo Lincolnensi, magni Sigilli Angliæ Custode; & prædilectis Consanguineis nostris, Leonello, Comite Middelsexiæ, summo Thesaurario nostro Angliæ: Henrico, Vicecomite de Manndevill, in Consilio nostri status Præsidente: Eduardo, Comite VVigorniensi, Privati Sigilli nostri Custode: Ludovico, Duce Richemondiæ, & Lenoxiæ, hospitij nostri Seneschallo Supremo: Iacobo, Marchione Hamiltoniæ: Iacobo, Comite Carlionensi: Thomâ, Comite de Kelleij: Oliverio, Vicecomite Grandison: & Reverendissimo in Christo Patre Lancelotto, Episcopo VVintoniensi, Sacelli nostri Regij Decano: & prædilectis, & fidelibus nostris, Georgio, Barone Carasse de Clopton, rei nostræ Tormentariæ majoris in Angliâ Præfecto: Arthuro, Barone Chicestre de Belfast, Regni nostri Hiberniæ summo Thesaurario: Thomâ Edmondo, Milite, ejusdem nostri hospitij Regij Thesaurario: Ioanne Sucklinij, Milite, ejusdem nostri hospitij Contrarotulatore: Georgio Calvart, Milite, uno è Secretarijs nostris primarijs: Eduardo Conveij, Milite, altero è Secretarijs nostris primarijs: Richardo VVeston, Milite, Scaccarij nostri Cancellario, & sub-Thesaurario: & Iulio Cæsare, Milite, Archivorum nostrorum Præfecto: omnibusquè à Consilijs nostris sanctioribus. Dat. apud Palatium nostrum VVestmonasterij, x x die Iulij, Anno Regni nostri magnæ Britanniæ, &c. x x i.

S.S. JACOBUS REX.

Memorandum, quod Die, & Anno suprà in Calce hujus Tractatus memoratis, Serenissimus & Potentissimus Princeps Iacobus D. G. magnæ Britanniæ &c. Rex, Dominus meus Clementissimus, præsentibus atq; assistentibus qui suprà nominantur, cum multis alijs Proceribus, & Magnatibus; dedit, præstititquè Iuramentum, pro Observatione hujus Tractatus, secundùm formam suprascriptam; in Satello Aula Regia, apud VVestmonasterium; omnibus atquè Singulis Articulis priùs lectis, ac publicè recitatis: Reverendissimo in Christo P. Lanceloto, Episcopo VVintoniensi, & Sacelli Regij Decano, tenente, porrigenteq; Regiæ Majestati Sanctissimum Evangeliorum Librum. In cujus rei Testimonium ego Georg: Calvert, Miles, Secretarius suæ Majestatis primarius, præsentibus, Manum meam apposui, Die, & Anno supradictis.

S. GEORG: CALVERT.

Finito Jurejurando, *Legati solenni adhibentur Convivio*, cum eligantiâ & copiâ; ministrantibus Pocula Primoribus Juventutis: *in quo, Iacobus Memoriæ Philippi, & Mariæ sororis, maximos honores habuit.* Cæterum dilecti Proceres, & Principes Amicorum, Comitesquè Oratorum, in proximâ Mensâ assidentes, vescentesquè, *Salutem Regum mutuâ Comitate celebrarunt.* Epulis velut per celebrem festumquè diem actis, omnes Senatorij Ordinis, præter unum *Penbrochium* ægrum, excusato languore propter quem abesset, *subscribendo Nomina Conditiones Nuptiarum ultrò confirmarunt.*

Rex, paulò post, *Quatuor arcana Capitula, ad res divinas pertinentia, Chirographo, & Sacramento comprobavit*, subjecique Juramenti formulam.

Iacobus, Dei gratiâ, magnæ Britanniæ &c. Rex, Fidei Defensor &c. Omnibus, ad quos hoc præsens Scriptum pervenerit, Salutem. In quantum inter multa alia, quæ in Tractatu de Matrimonio inter Charissimum filium nostrum Carolum, VValliæ Principem, & Serenissimam Dominam Donnam Mariam, Serenissimi Principis, & prædilecti fratris nostri Philippi Quarti Regis Hispaniarum Sororem, continentur, conventum est, quod nos Iuramento nostro approbaremus, ratosq; faceremus Articulos infrà ad verbum expressos.

1. Quod nulla lex particularis contrà Catholicos Romanos lata, sub quâ alij Regnorum nostrorum Vasalli non comprehenduntur, & ad cujus Observationem omnes generaliter non obligantur; Nec non leges generales, sub quibus omnes ex æquo comprehenduntur, modò ejusmodi sint quæ Religioni Romanæ repugnent, ullo unquàm tempore, ullo omninò modo, aut Casu, directè vel indirectè, quoad dictos Catholicos Romanos, Executioni mandabitur. Et efficiemus, ut Consiliarij nostri idem præstent Iuramentum, quantùm ad illos pertinet, & spectat ad Executionem, quæ per manus eorum, & Ministrorum suorum solet exerceri.

1623. 2. *Quod nulla alia leges, inposterum, de integro ferentur, contrà dictos Catholicos Romanos; sed Toleratiô perpetua Exercitij Religionis Catholica Romana, inter privatos parietes, per omnia nostra Regna, & Dominia (quod intelligi volumus, tàm in Regnis nostris Scotia & Hibernia quàm in Angliâ) ijs concedetur, modo & formâ prout capitulatum, declaratum, & concessum est, in Articulis Tractatus de Matrimonio.*

3. *Quod nec per Nos, nec per Aliam ullam interpositam personam, directè vel indirectè, privatim, vel publicè, rem ullam cum Serenissimâ D. Infante D. Mariâ tractabimus, qua repugnet Religioni Catholica Romana: illiquè nequaquàm persuadebimus, ut in Substantiâ, vel formâ eidem unquàm renuntiet, aut delinquat; aut ut agat aliquid ijs qua continentur in Tractatu de Matrimonio repugnans, aut contrarium.*

4. *Quod Authoritatem nostram interponemus, faciemusq; quantum in nobis erit, ut Parliamentum omnes & singulos Articulos, ratione hujus Matrimonij, in favorem Catholicorum Romanorum, inter Serenissimos Reges capitulatos, approbet, confirmet, ratosq; faciat: & ut dictum Parliamentum revocet, abrogetq; leges particulares contrà dictos Catholicos Romanos latas; ad cujus Observationem reliqui item Subditi, & Vasalli non obligantur: Nec non leges etiam generales, sub quibus omnes ex aquo comprahenduntur, nimirùm quoad Catholicos Romanos, modò ejusmodi sint, uti dictum est, qua Religioni Catholica Romana repugnent: & quòd inposterùm non consentiemus, ut dictum Parliamentum, ullo unquàm tempore, alias de integrò contrà Catholicos Romanos sanciat, aut conscribat.*

Nos omnia, & singula Capitula pracedentia rata & grata habentes, ex certâ Scientiâ nostrâ, quatenùs nos, haredes, vel Successores nostros concernunt, approbamus, ratificamus, laudamus; & inviolabiliter, firmiter, benè, & fideliter tenere, observare, & peremplere; teneriq;, observari, & perimpleri facere cum effectu, bonâ fide, & Verbo Regio promittimus, per prasentes; omni Exceptione, seu Contradictione cessante; eademq;, sacris Evangelijs per nos tactis, firmamus, non obstantibus quibuscunq; Opinionibus, Sententijs, aut Legibus in contrarium. In prasensiâ Illustrissimorum dominorum D. Ioannis de Mendozá, Marchionis de Inojosá; & D. Caroli Colomna, Regis Catholici Legatorum extraordinariorum: Georgij Calvert, Militis, unius Secretariorum nostrorum Primariorum: Eduardi Conreij, Militis, alterius Secretariorum nostrorum Primariorum: Francisco Costington, Baronetti, filio nostro Principi à Secretis: Francisci de Carondelet, Prothonotarij Apostolici & Archidiaconi Cameracensi. Dat in Palatio nostro VVestmonastriensi, x x die Iulij, Anno Domini Millesimo, Sexcentissimo, vigesimo Tersio, stilo Anglia.

JACOBUS REX

Copia collata, & vera.

GEORG. CALVERT.

Rex, ex Authoritate Senatus, & lege Fæderis, ***non longè ab adibus D. Iacobi, Templum Aramquè adificavit, ubi Religiosi viri habitarent; Sacra conficerent; & Mariam sanctis disciplinis instituerent***; si Nuptiæ fierent. ***Carolus Columna***, vir singulari Pietate, ***primum lapidem Aedicula jecit***; Aurum Opificibus dedit, quo maturius perageretur: ***Pontificios***, Fisci debitores, universos, discrimine in præteritum liberavit; ***Veniam Mulcta*** in futurum impetravit; & Delatores eorum, ***Calumniantium panâ*** repressit. Quibus auditis, *Pontificij* maximo & inopinato gaudio omnes percussi, ***Iberos*** velut Auctores Religionis celebrarunt. *Protestantes cauti, ac sapientes* attoniti, paventesquè, & stuporè defixi obticuerunt; Numen in Metu, ac periculo invocantes. ***Cathari leves, atquè inconsiderati***, liberius loquuntur, de Rep: pertimescunt: ***Populus Effigies Maria in foro, Vicisq; contemplatur; ac eam, ut Principis Conjugem, veneratur.*** Prudentiores Regis Amici, Affinitatem, & Conditiones suspectantes, discrimen Religionis, fluxam Iberorum fidem, & Cætera quæ ad Remp: pertinere visa sunt, ostentarunt: conjecturà prospicientes, quæ posteà evenerunt. Respondit, ***se eadem timere, qua illi; sed ea pernitiosissimo bello Orbi Christiano imminenti, leviora ducere: Nequè eorum Consilium reprehendere; sed Casum filij lugere, & Tristitiam temporum.***

Post Signaturas, ***Nuntius à Rege ad Filium missus*** est; nihilquè in Consilio dando prætermissum, quod Parentis affectum unicum significaret, ac plurimum Reip: prodesset; ***primùm de Nuptijs; Deindè, de Palatinatus Restitutione; postremò, de filij intrà Mensem reditu:*** præscripsitquè, ut non modò ipsi gloriosis Consilijs, sed etiam Reip: salutaribus uteretur; addiditquè, in digressu, ***occulta Mandata***, quorum Summa non edita est.

Inter hæc totus ***Principalis Comitatus Portum S. Andrea tenuit; & indè Mulis Madritium delatus est. Hollandia, & Carleoli Comites***, relictâ Galliâ, in quâ Legationem obiverant; & pleriquè Equestris Ordinis, Comitatui Principis adjecti, speciem ***Fortuna Principalis*** effecerunt, Cultu, gemmisquè nitentes. *Ipse Princeps*, largus animo, Opibus locuples, omnes circà se Bæticos Ministros liberalissimè prosecutus est; ac eximiâ Corporis specie, decore habitus, & Magnificentiâ, studia Vulgi conciliavit.

Per hos dies, ***prastò fuêre Madritij, Ferdinandi Casaris, & Sarmatarum Regis Oratores, ad expetendum Maria Conjugium missi.*** Qui Britanniæ Principem prælatum cæteris indignantes, Secessum & Solitudinem quæsivêre, ***donec Solennia Nuptiarum celebrarentur***; cedentes per Reverentiam, ne obtrectare frustrà viderentur. ***Exspectatio Nuptiarum***, omnium Regum & Populorum animos occupavit. Intereà *Princeps* accepit literas, & signatas Tabellas, quas Nuntij Patris attulerant: cui jucundissimum fuit Consilium, factumquè suum ejus Sententiâ comprobari: transactâquè celeriter Consultatione,

ostendit

ostendit Hispaniarum Regi singulas Nuptiarum Conditiones Iurejurando firmatas; gratumq́, Connubium Senatui, Populoq́, Britannico. Respondet *Philippus, se hâc de re consideraturum. Hortatur ut omnia benè speret, spondet, confirmat.* Paulò post Nuntij à Legatis *Beticis* venerunt, idem referentes. *Pactum deindè inter Carolum & Mariam Matrimonium, in Verbo de futuro*, ac insigni Equestris Certaminis Magnificentiâ, studioque Vulgi condecoratum. *Rex* & Summi Proceres, Phaleratis equis Triumphantes, ludicras partes sustinuerunt: & Agmina inter Signa militaria atquè Vexilla coivêre, præparatis, per Speciem hostium, ad dimicandum animis; multis ex omni Ætate, Sexu spectantibus: Quippè illis arma, ac Ordo Militandi, & locus, in quo tendebant, Planicies erat, ad eam Speciem pugnæ exiluit Multitudo, quoties Rex cum suâ Turmâ obequitaret. Sed cum dilatio Nuptiarum major esset, & Absentia procul à Patriâ, diuturnior, quàm Patris desiderium facilè pati posset; *urgentibus reditum alijs super alios Nuntijs*; postulavit enixè à Rege, *ut Solennia Nuptiarum celebrarentur; & Vxorem acciperet.* Qui, *Olivario* coràm appellato, respondit, *Mortuo Gregorio* XIV, *Novum à Pontifice Vrbano* VIII, *suffecto, Diploma impetrandum*: quod suâ Authoritate perficiendum suscepit. Cohortans, ut modicam Moram æquo animo pateretur. *Princeps*, Jussa Patris obtendens, ut celeriter reverteretur, *diuturniorem in Hispaniâ Moram negavit.* Olivarius disparibus verbis censuit, *pactum Matrimonium consumari posse, si commodum Principi videretur; sed non licere illam in Britanniam secùm abducere, instanti jam hyeme. Regem, primo Vere, peractis Conditionibus, transmissurum.* Ubi hæc atquè talia disseruêre, *infit Princeps de suâ in Hispaniam profectione, Vitæ in Itinere discrimine, ac publicè [illegible]tâ cum Beticâ gente Affinitate, ex equo utili: Senectute Patris, non alium filium Marem habentis. Qui ut [illegible]sidium Regno pararet, ad expetendum Connubium, unicum filium in Hispaniam misit; Spe Conjugij sublatâ, nisi Vxorem Obsidem relinqueret, aut filium, quandocunquè natus esset.* Deniquè institit, ut se missum faceret. Responsum à Rege est, *Principem rectè facere, quod Patri Regi pareret: nec posse filium Imperium Patris Iure detractare. Sed suadere, at optare, ut cum Conjuge revertatur; Diemquè præstituit, intrà quem de Diplomate Pontificis responsum acciperet: Promittitq́, Auctoritate sacrosanctâ interpositâ, non ultrà differre Nuptias. Ingerens, nec pro suâ, Majorumq́, suorum dignitate, Consuetudinequè, inconsulto Pontifice, Solennia Nuptiarum celebrare posse. Dignum id Majoribus suis, & familiâ Austriacâ esse, ut Pontificum Potestatem tueatur.*

Ab hoc sermone dimissus, Secretas Cogitationes intrà se voluens, Bucingamij Instinctu, *discessum meditatur, manente specie Amicitiæ.* Ferunt Hispani, *Elisabetha Bohemiæ Reginæ* Consilijs, concussum *Bucingamij* animum, *pollicentis Nuptias Infantis filiæ filio ejus, si Beticam Affinitatem, publicè exitiosam, dirimeret.* Ego minimè credo, lectissimam Fæminam, cujus Virtus mirifica pertulit *Bohemiæ Cladem*, & domesticam egestatem temperatè ac prudenter, *Stirpem Regiam humilibus Nuptijs inquinare voluisse*; quæ ipsi Contemptum, *Bucingamio* Invidiam afferrent. Constat certè, Reginam *Franciscum Nethersolium, Equitem, ab Epistolis*, in Hispaniam ad eum misisse, ut ad Lavacrum invitaret; Quæ in Hispaniâ Consilia agitarentur, cognosceret; & indè in *Bataviam* rediret. Is uti jussus erat, in *Hispaniam* transijt. Ubi salutato *Principe*, & communicatis cum *Bucingamio* Mandatis, in *Belgium* appulit, honorificâ *Ducis* mentione ubiquè factâ. Pleriquè credidêre, *Olivarij Comitis* privatâ Injuriâ abalienatum *Bucingamium*; nec dubitavêre, quin verum censerent. Nullum Mare profundius Vastis hominum Cogitationibus; quæ Spes occultas versantes, in perniciem publicam, quanquàm premantur, sæpius erumpunt. Ab eo tempore, *Bucingamius infestus, invisusquè Olivario*, abeundi Consilium exequi cæpit; & Principem monere non destitit, *de Reditu magis, quàm de Nuptijs cogitandum esse: pænituitquè Affinitatis Beticæ, ac Consilij sui.* Utinàm in Principio quoquè hujus rei pænituisset.

Jam frequentes *literæ à Bucingamio, & Bristolio, Iacobo Regi redditæ sunt.* Ex quibus mutuas inter illos simultates perspexerat. Bucingamius Bristolio, ob æmulationem, atquè navatæ Reip: operæ jactationem, adversus, Contumaciæ suspectum clàm fecit; ne qua Occasio abolendæ Suspicionis esset. *Bristolius* peti se Criminationibus gnarus, *Bucingamium multa, præter decorum, in Hispaniâ gessisse arguit*: ludibrio ei fuisse Iberos; *& Civilis habitus rudes appellatos. Dicteria in Clerum lascivè jaculata, quæ Vulgo innotuerunt.*

Mox *Princeps* impatiens Dilationis ac Moræ, Congressus cum *Philippo Rege*, declaravit, *haud dubiam destinationem profectionis.* Qui respondit, *se invitum illius Voluntati repugnare; nec Iuris, nec Potestatis suæ esse, Iter impedire, si commodum ei videretur.* Igitur nullâ Morâ interpositâ, in præparandis rebus Profectioni necessarijs, Curam Senatui demandavit. Qui eas cunctas, per idoneos Ministros, festinavit; Vehicula, Jumenta, Vecturas imperavit. *In digressu Princeps Regem, Reginam, Fratres, & Sororem, florentem ætate formâquè, varijs Muneribus gemmarum & Vnionum percoluit*; quibus Magnificentia munerum grata erat; & præmia *Aulicis Hispanis* distribuenda munificè curavit, Aurum, gemmas, Margaritas, pro cujusquè meritis, & dignitate. Illi, quibus ratio Impensarum constabat, *Quadringenta Librarum Millia erogata credebant.* Rex vicissim *Principis* Comites Muneribus ornavit, proprijsquè opibus, sed parcius. Accelerata interim Profectio; & destinato die, à Rege, fratribus, & splendidissimo quoque Procerum, *ad Escurialem* deductus est; *cupiente Philippo, ut Britanni ejusmodi domus Magnificentiam oculis aspicerent, quam laudibus in Britanniâ celebrarent.* De cujus Spatio, atquè Cultu operis sumptuosissimi pauca dicere, non sufficit: & singula referre, *gradus Auro litos, ex Cristallo Montano Ianuas*, nisi qui attentè oculis lustrarit, nemo potest. huic pulcherrimo Palatio con-

1623. junctum est *S. Laurentij Monasterium* amplissimum: quod *Philippus Hispaniarum Rex, hoc nomine Primus*, propter Prælium illud acerrimum, haud procul *à Fano Quintini* commissum, *die S. Laurentio Sacro*, sumptu suo extrusit: ejusdemquè *D. Laurentij* Memoriæ consecravit. *Ibiquè à Philippo nihil est omissum, quo Comitatem, ac Benevolentiam in Principem testaretur.*

Eo in loco, ubi à Complexu suo dimisit, ad prærupti Montis radices, *Columnam erexit, cum Epigraphe*, his verbis.

Philippus Quartus, Hispaniarum, Indiarumquè Rex Catholicus, & Carolus Serenissimus VVallia Princeps, pactis cum Mariâ Serenissimâ Infante Nuptijs, ad quas petendas (ì fama per Orbem) in Hesperiam properarat; dextras dederunt; & in amplexus peramanter ruentes, Pacis & Amicitia aterna fadera nodo astrinxerunt Herculeo. O magnum & invictum Regum par, finè pari: nullus, nis Hercule, Hercules contrà duos: ipsi potiùs contrà omnes (Perfidiâ frendente) duo Alcida, Solo Saloquè insuperabiles. siste fama, non plùs ultrà.

Viderunt, suspexerunt, stupuerunt, duo Austriaca Sobolis incrementa maxima, Carolus & Ferdinandus Serenissimi Infantes. Gasper Olivariorum exel: Comes, à belli statusquè Consilijs, sacrò Cubiculi, ac Regij stabuli summus Prafectus. Didacus Carpentis Marchio, cui fas per Sacratioris Aula limen. ex Britannis Heroibus, Ioannes, Comes Bristolius, Orator extrà Ordinem; Gualterius Astonius, Legatus ex Munero, Baro Kensingtonius, Pratoriana Militia Britannica Princeps.

Princeps, eodem die, *Escuriale* proficiscitur, *Cardinale Zapatâ, Marchione Aytona, Gundemario, ac Matereio Comitibus, & Baraiâ, Catholici Regis Oecoearcho comitatus.* Qui vitatâ *Asturia* sterilitate, per *Vallem Oletanam*, Regionem naturâ fertilem, & Culturâ nitidam, *ad Portum S. Andrea deduxerunt* sumptumquè, quoad Naves conscenderet, gratuitum præbuerunt. Pro quâ tàm exquisitâ Humanitate, datos Comites Muneribus ornavit. Qui Præmijs onusti revertuntur, *Principis Nomen gratâ recordatione celebrantes*; ejusquè Virtutes in Congressibus, & Colloquijs, præmeditatâ Oratione commendantes.

Cum in Itinere esset, *de suo Consilio, Clerco fido Ministro, occulta Mandata dedit: & ad Bristolium literas manu suâ scriptas*; imperans, *ne Sponsaliorum Procuratione, se inconsulto, uteretur. Clercus* promittit operam: agendæ autem rei constituit tempus, *cum Diploma Pontificium in Hispaniam mitteretur.* Nec ultrà Mora, Classem paratam instructamquè, cum Comitibus conscendit: & celeri Navigatione, *ineunte Mense* V I I I *tilis in Britanniam appulit.* Ubi Exscensione factâ, *citis equis Londinum Noctu pervectus*, masimo & inopinato gaudio Cives percussit. Rumor repentè totam Urbem pervasit. *Vix progredi potuit, pra de Reditu gratulationibus, Plausibusquè.* Proceres Nobilitate, vel Dignitate clari, Manus osculati sunt. *Plebs* faustis Acclamationibus, *& Nocturnis ignibus*, ex Adventu ejus lætitiam significavit: magniquè sumptus ab opulentioribus Civibus, ejus gratiâ, facti. *Ipse, eodem die, ad Regem, apud Roystonum, pervenit.* Ibi præcipites Serui *adesse Principem Regi nuntiavêre.* Ille universos Proceres occurrere filio jussit: & ipse ad complectandum eum ingenti lætitiâ, festinavit. *Quem Luto opertum, à Complexu agrè dimisit.* Tunc in *Bucingamium* supplicantem, dimisso corporis habitu, oculos conjecit; lætitiam ex Adventu ejus significans, valdè amanter amplexus est. Salutatione, mutuâquè Procerum gratulatione functi, ad curanda corpora secesserunt. Mox *Princeps*, recreatâ mente, depositis Sordibus, & refecto corpore, *in Cubiculum Patris reversus, cuncta, qua in Hispaniâ acta erant, exposuit, & dilatum Connubium; quod reddere Palatinatum Frederico Philippus abnueret; Stirpi ejus restituere simularet.*

Suspectum jam id *Philippum* effecerat: undè præcipua in eum per Britanniam Alienatio. Simul *Rex* cum de filio multa curiosè quæsivisset, consultare de ratione gerendi belli cæpit; laudavitquè Pietatem ejus, *quod Nuptias Baticas celebrare recusasset, cum lachrymis Sororis, & luctu universa Britannia.* Principi jucundissimum fuit, Consilium, Juditiumque suum à Patre comprobari. *Tota res Matrimonialis* quomodò se haberet, diu latere non potuit. Vulgi rumor increbuit, *Profectionem Principis sumptuosam, & periculosam fuisse. Restitutionem Palatinatus, Simulationem esse apertam. Actionem de Nuptijs sublatam. Consilium Belli Germanici forsitàn temerarium*; & ingratam Plebi hâc tempestate Militiam. *Rex* tum demùm fraude intellectâ, *Cunctationis sua Panitentiam egit; & Gundimario succensuit*; qui Affinitatis spe se decepit; *Inimicior ei, quàm Philippo:* judicans, *Amissum Palatinatum Dolis, & illecebris ejus.* Præteriti temporis Culpam recordans, præsentisquè considerans Ignaviam, Socordiam, Temeritatem, Majorum gloriam imminutam; Militarem disciplinam extinctam; *Faderatorum Germania Procerum ruinam*, varia animo agitavit: Cupidinem Pacis, sibi Vitâ potiorem; Belli discrimina; *Filiam miseram, culpâ, ac Cunctatione suâ*; placuitquè totius gentis Consilium indicere, ut Calamitati filiæ justâ Ultione consulerent. Decrevitquè, *ut Calvertius ab Epistolis* Senatu dimoveretur, *ob Batica gentis studium.* Nec *Nantoni* honos repositus est, Nuptijs adversantis. Qui præsentem tristitiam Memoriâ prioris fortunæ, & æmuli casu, solatus est. *Eduardus Conavajus*, Equestris dignitatis, *Bucingamij* gratiâ, à Præfecturâ Militiæ *in Calvertij* locum promotus est. *Herbartus Mortonus*, ejusdem Ordinis, Civilium rerum peritus, *proximum ab Epistolis locum* obtinuit. *Actores Comadiarum Gundimarium, in Theatro catamidiandum publicè exhibuerunt*; voce, vultu, gestu ingeniosè imitantes; ejus fallacias & Illecebras notaverunt, Jocis haud satis Majestati decoris. Ad Spectaculum Proceres Nobilissimi, potentissimiquè complures Equites, Cives quoquè cum fœminis, & varia Multitudo, ex omni ætate, ac Sexu, effunduntur. Metu tumultus, & Reverentia Majestatis, Senatus permotus, *ex Autho-*

ex Authoritate Regis Theatralem Licentiam compescuit; & ostendere Populo posteà prohibuit. Aliquamdiu Senatusconsultum valuit. Mox cupientissimam Plebem *Comici ad Gundmarij apparatissimum Spectaculum invitarunt*: quod maximo spectantium gaudio, ac plausu, per complures dies editum est. *Odium Bætica gentium* maximè Theatro, & Spectaculo, Jocis referto, perspectum est. Non alia *Comœdia* spectantium oculos majore lætitiâ affecit. Cætera quæ ad Nuptias pertinent, suo loco dicam. 1623.

Videamus jam quid Absente *Principe* à Patriâ procul, Britanniâquè, actum sit *Londini*. *Philippi Oratores, Carolus Columna, & Ferdinandus Boisbotus, S. Iacobi Eques*, ad deprecandum pro *Pontificiorum libertate*, atquè Immunitate, missi; quâ impetratâ re, communi nomine *Regis ac Isabellæ*, velle se de *Inducijs in Palatinatu* agere dixerunt. *Rex* advocato Senatu, dandum Colloquium censuit. Tempus locusquè constituitur à *Britanniæ Rege*. Apolecti diliguntur *Leonellus, Trinobantum Comes, Quæstor: Ludovicus, Richmundæ, & Leuciriæ Dux, Magnus Aulæ Magister: Iacobus, Marchio Hamiltonus; Thomas Arundelius Comes Martialis: Gulielmus Penbrochius, Cubiculo præpositus: Oliverus Grandisona Vicecomes: Arthurus Cicestrensis, Belfastiæ Vicecomes, Hiberniæ Quæstor: Georgius Calvertius, adhuc ab Epistolis; & Ricardus Vestonus, Ærarij Proquæstor*: quibus mandatum est, ut facerent quod è Rep: fidequè suâ ducerent. Consultari cæptum, & diu disceptatum *inter Legatos, Apolectosq; Britannici Regis*, Concordiam, Pacemquè æquis Conditionibus suadentes. Responderunt Legati, *in potestate sua non esse, facere Pacem; inire Inducias æquis Conditionibus posse*. Cum pro perpetuâ Pace Induciæ ostentarentur, ac Sententia Regis inclinaret ad eas, Apolecti *Inducias* XVIII *Mensium pepigerunt*: & de communi sententiâ, *Vrbem Francenthaliam, unicam reliquam, Anglorum valido Præsidio insessam, velut Fiduciariam, in manibus Isabellæ deposuerunt; cum omni Commeatu, Tormentis, Machinisquè: hâc lege, ut Reconciliatione gratiæ Cæsaris & Frederici diremptâ, ac Pacificationis spe desperatâ, Vrbs unà cum Arce, Commeatu, Machinisquè, Britanniæ Regi restitueretur*. Brevi servata est pacta Induciarum fides. *Borrovesius, Præfectus Præsidij*, permittente Rege, Diplomate suo, cum *Isabellæ* Apolectis, de Conditionibus tradendæ Urbis egit; Custodiâquè *Francenthaliæ* extemplò relictâ, tradidit Urbem; & abduxit indè Milites, quos præsidij causâ habebat. *ita Francenthaliâ excessum*; deductiquè præsidiarij: *Vbi tempus Induciarum exierat, Vrbs reddita non est*. Cupidinem Pacis & Concordiæ, vel hæc deditio ostendere potest. *Iacobus* Interprete Pacis, & disceptatore *Philippo Rege*, in reconciliatione *Cæsaris & Generi* usus est: rem conventuram frustrà confidens, non sperare destitit. Ex quibus perspici potest, quàm cupidus fuerit Concordiam reconciliare; & quàm remotus ab omni effusione Christiani Sanguinis. *Qui subdola Affinitatis Spe, & Imagine Pacis deceptus, Proceres Germaniæ, non relictus, reliquit: & exitiosum Bellum timens, vel Tempestatem imminentem, labentem, vel potiùs ruentem Palatinum deseruit*. Post reditum filij, Spe Pacis sublatâ, de Bello cogitavit. Postquàm Princeps retulit, *nullam Spem Restitutionis esse*, Comitia mox, de Senatus sententiâ, habere statuit.

Inter Curas Motusquè *Germanici Belli*, tristis Casus Pontificijs *Londini* accidit. *Cum Papani, in Gallici Oratoris ædibus, in Vico Dominicanorum*, Romana Sacra, multâ Celebritate, solenniquè ritu peragerent; & *Drurius Ignatianus*, frequenti Audientium cætu, *Concionem haberet*, distractâ Contignatione, Onere superstantium, *ædes corruit*: ruinâ fortuitâ quàm plurimi Mortales graviter sauciati; *& Nonaginta Quinquè homines exanimati, ruderibus obruti sunt*. Novitas res ita cæteros exterruit, ut fugâ sibi trepidi consulerent. *Ipse Concionator*, vir Prudens & Moderatus, *inter adhortationem occidit*: & verba vocesquè letho confirmavit. Clamor primùm Morientium, ruinæ rumorem prævenit, ac turbam concivit. Dein elapsi Tumultum magis, quàm certum Nuntium Cladis Urbi intulerunt: demùm, Cædis & ruinæ Nuntij supervenêre. Extemplò *Prætor* jussit opem ferre laborantibus; miscuit se Civibus *Finchius* Equestris Ordinis, *Referendarius Civitatis*; veritus, ne quis tumultus oriretur; aut sacrum Legati nomen vulgi rabie violaretur; nisi dato Præsidio defenderetur. Cives armatos, ad tuendos Dominicanorum aditus, prorumpere jubet; ut Vulgus urbanum propellerent, arcerentquè: Qui dispersi per Vicos, omnes aditus clauserunt. Idquè solum Iter patebat, quod *ad Luddi Portam* ducebat; delectis Custodibus obseptum, intentiusquè defensum, ne *Plebs* irrumperet. Itaquè brevi tempore, Opifices ex totâ Urbe concurrunt; Tectum vectibus subjectis tollunt; & Rudera commovent. Horrida ac deformis rei facies: *Quidam laceri, & Onere ruentis Tecti saucij, Semivivi inventi; avulsa corporibus membra; elisa viscera; detruncataquè corpora reperta sunt*. Simul Cruor, & strues Cadaverum, spectantes obstupefecerant. Fæditate vulnerum inspectâ, nemo adeò Misericordiæ expers, quem non commoveret *Triste Spectaculum*. Quidam Medicamina vulneribus, & Fomenta corporibus adhident: Alij *Semianimes* attollunt, reficiuntquè deficientes. Plures, egestis ruderibus, *exanimes*, Ferramentis & ligonibus, eruunt. *Comes Tilierus, Francorum Legatus*, inopinatum Casum, gravem ruinam, stragemquè corporum tristi vultu spectavit. *Protestantes, Papaniquè* in lachrymas & gemitus effusi; *alij Conjugum, alij liberorum, aut Propinquorum Mortem mærent*, ut dici meritò posset.

Quis Cladem illius Noctis, quis funera fando
Explicet? aut potuest lachrymis æquare dolorem.

Inter strues Cadaverum, *Drurij Concionatoris corpus repertum*: & Pontificio ritu, funus celebratum. *Carolus Columna*, pius & Religiosus, Exequias cohonestavit. Nec *Redeati Iesuita*, eâdem ruinâ obruti,

1613. funus inhonoratum, finè ullo folenni tranfmiffum eft. *Nemo Londini Pontificius*, nequè ætate tàm feffus, Nequè viribus tàm invalidus fuit, qui non Solennibus funeris interfuerit. Quàm autem *Papanis* chari fuerint, planctu & mærore indicatum eft. Aliquot Nobiles fæminas, & generofos viros, Parentes ipforum in Fanis Delubrifquè fepelivêre. Cætera promifcua Multitudo Sepulturâ, & juftis Exequiarum caruerunt: quam inhumatam jacentem, Urbici Magiftratus, *in Areâ dirutarum ædium* piè compofuerunt. *Lucia Penrudoca, Nobili ftirpe orta, evafit ruinam, concavâ Cathedrâ fuperincumbente fervata.* Etfi appareret, ruinam Tecti, nec Ultione divinâ, nec fraude humanâ, fed tantùm Cafu factam: Quidam tamen Superftitioni propiores, quàm Religioni, adeò iniqui extitêre, ut Sceleri affignarent, quod Cafus perpetraverat: impudenter fingentes, *Catharos Compages Tecti foluiffe, ac ruinam fponte conflaffe:* Qui mifericordiâ Cladis permoti, Medicamenta Saucijs, & Fomenta infirmis adhibuerunt: *Præcipua Pontificiorum Mæftitia*, propter Acerbitatem ftragis; eorum ingens luctus, eorum Sufpiria, & gemitus notabantur: qui Mærore omnes atquè Squalore confecti, fuorum Cædes acerbas deplorabant. Nec eos tàm follicitos habebat ædium ruina inopinata, *quàm ruentis Romanæ Religionis Augurium.*

Hâc æftate, XII *Naves Beticæ, eximiæ magnitudinis*, XII *Apoftolorum nominibus infignita, Oftendæ ædificatæ funt*, atquè in Mare deductæ. Ad has capiendas, vel incendendas, celeriter *Batavi* animos erexerunt. Quarum *duæ*, circumagente fe Vento, *Aberdonam, & Letham, Scotiæ portus* tenuerunt. Has *Batavi* infecuti, non procul in Anchoris conftitêre; atque ibi in ftatione fuerunt, ne *Beticæ Naves* indè moverent. At *Præfecti Regij fædus Beticum, & pactam Affinitatem fanctam habentes*, in Portibus & ftationibus *Scotici Regni*, vim fieri *Socijs Iberis* prohibuerunt. Nec ullum mandatum *Batavos* à laceffendis hoftibus deterrebat; dicentes, re infectâ fe domum redire non poffe, aut rem imperatam defèrere, finè maximâ Dedecoris, & Infamiæ labe. Id cum *Iacobus* refciviffet, indignè admodùm tulit, *Batavos Portus & Stationes Scotiæ intrare; fidem atquè Iura Societatis violare: Iberis, eodem fœderis Iure conjunctis, infidiari: & vindicare decrevit, nifi Captu abfifterent. Præcepitquè, ne Hifpanis in fuis finibus injuria fieret.* Nihilominùs à *Batavis*, Quotidie, in Orâ Maritimâ, alia fuper alia Facinora Popularis dominationis edita funt.

Erat hoc tempore *in ftatione Lethenfi, Betica Navis*, armis atquè Tormentis inftructa, quam *duæ Batavorum Naves* circumfiftunt; & eminus crebris Tormentorum ictibus oppugnant. Fit atrox prælium; nequè brevi temporis fpatio fuit utrinquè acerrimè dimicatum; ignem Tormentis applicant, & globos ingentes emittunt; Navales Socij Sclopettis, & plumbeis glandibus fortiffimè decertant. *Ad Spectaculum omnes Cives Edinburgenfes effunduntur.* Multum, Nautarumquè Virtutem bellicam debitis laudibus extollentes. Interim *Navarchus Navem Beticam in Portum fubduxit:* quam *Batavis* longius infequi licitum non fuit; quia Proceres, Magiftratus Urbani, & viri Primarij, *qui Collegio Iudicum præerant*, affumptis armatis, *Letham* petiêre, ut Navi opem ferrent. Prævaluêreque Minis, aut precibus, ut Pugna abftineretur.

Rex ubi Nuntium *de infigni Injuriâ Batavorum* accepit, indies in Portus ac Stationes *Britanniæ* irruentium, Maritimos exitus claudentium, *ac hoftes Iberos perfequentium*; Indignatione acrius exarfit. Et *Thomam Beftium*, rei Nauticæ peritum, cum aliquot Navibus mifit, ut atroces Injurias vindicaret; *& Batavos à Maritimâ Dominatione coerceret. Obfederant autem Naves Beticas, quæ in Portibus & Stationibus Citerioris Britanniæ conftiterant.* Id cum *Beftius* per Speculatorias Naves refciviffet, *in Batavos invehitur*, & eorum Naves crebris glandium ictibus dilacerat; ut fecedere à littore cogerentur. Naves *Belgicæ*, à vi tutæ, in Mare deductæ, *Dunkirci* Portum tenuerunt. *Beftius*, hâc re ex animi fententiâ geftâ, fe finè ullo incommodo *Londinum* recepit. Hujus hominis Audacia *Batavos* vehementer deterruit: & *Belgis* ultrò citròquè Mari commeantibus animos addidit. *Philippus* verò, cum hujus Facti Nuntium accepiffet, vehementer gaudio percuffus fuit; *Britannisq*, tàm exquifitam Humanitatem Laudibus magis quàm Meritis compenfavit. *Beftio* redeunti minor publicè gratia: nam Populus graviter admodùm tulit, *quod Batavos Socios, Amicofquè, nullâ Injuriâ commemoratâ, Armis provocaffet, & non leve Damnum intuliffet, in Stationibus Britanniæ; quas ipfi, freti Societate Populi Britannici, tutiffimas arbitrabantur. Regi* tamen quod fecit, gratiffimum fuit; fuberat enim *Spes propinqui Conjugij.* Municipia verò, & Cives Britannici, *Philippum oderunt, & Batavos amarunt.*

Apolecti in Hiberniam, Eduardus Cokus, & Eduinus Sandefius publicè deftinantur, per fpeciem honoris; ut loca Culta ab incultis notarent; *Colonos* induftrios debitis laudibus excitarent; Segnes, inertefquè caftigarent; de Populi Injurijs Judices docerent. Fremitus inter *Plebejos* ortus, *homines Reip: ftudiofos in Exilium verius, quàm in Provinciam ablegari, ut communi Confilio Vtilitatem Salutemquè Regni adminiftrarent; cum maximè Patria eorum ope, & Confilio indigeret.* Hæc res propè Multitudinis animos abalienavit, nifi *Rex* privatum Odium publicæ Tranquillitati remififfet; & Dignitate, ac Suffragijs, in proximis Comitijs, uti permififfet; libertate veteri *Comitiorum* confervatâ. Tum verò liberata metu Plebs, *Cookus & Sandefius*, tutam inter Equites Senectutem, nec inhonoratam egerunt.

Cæterùm, in Urbe licentiâ ex diutino Otio collectâ, *Illicita Collegia Coitiones facere capêre*, contrà Exempla & Inftituta Majorum, ac Difciplinam Urbanam; Probra in prætereuntes, procacius jactantes; circumquè Vicos vagantes ludibundi; ac Noctu quædam inciviliter perpetrantes: *Vrbani Magiftratus*

ſtratus reprehenderunt ea, improbaruntquè quæ fierent; & obviàm Temeritati iverunt. Sed cum 1623.
Imperio eorum, qui Urbi præerant, coerceri non poſſent, res ad Senatum delata eſt: ne Contagio furoris latius ſerperet; ac initium Seditionis foret. Senatus veritus, Veſaniæ eorum plures ſuturos Socios, *denunciavit ut adeſſent, qui nominati erant; comprehenſi ſunt, adductiquè in Regiam.* Eo veniebant *Vrbani Magiſtratus,* deferebantquè *Petulantiam, Libidinem, Luxuriam, Temeritatem Adoleſcentum; terrorem Direptionis Vrbi injectum; redeuntes à Cœnâ verberatos Cives, ac propè in rixis ad Necem caſos, cum ad Manus ventum eſſet.* Auditâ Querelâ, Senatus oſtendit ſpretam Majeſtatem, vim Imperij, Diſciplinam, ac Authoritatem Magiſtratuum. *Rei* placido Sermone reſpondent, *feſtis Saturnalium diebus, cum omnes omnia auderent, Societatem Iuvenili Licentiâ initam, ſinè Maleficio, Injuriâ, & Pernicie cujuſquam: nomen* (Titire tu) *inditum; Authores expertes Seditionis, Turbarumquè eſſe: in fortuitis Rixis neminem Vita diſcrimen adiiſſe. Inficiari non poſſe, Popinas iniviſſe, Diverſoria, Tabernas frequentaſſe; nunc propalàm pœnitere; Temeritatis, & Iuvenilis Erroris veniam orare; & perſpecta Regis Clementia ſeſe permittere.* Senatus Pœnitentiâ contentus, caſtigat Adoleſcentiam lubricam, luxurioſamquè; & Regem edocet. Cui leniter agi placuit, *ut Pœna in Caſtigitione* conſiſteret. Hâc Benignitate *Principis* permoti, & Authoritate Senatus, modum circà Popinas, Tabernaſquè vagandi, paulatim omiſerunt.

Per eoſdem dies *Virginia Societas*, diſtributis per Provinciam familijs, ſuam cuiquè ſedem, ſuas Pænates diviſit. Perfacile enim *Virginea* jam ſeſe tuebatur *Nicotiana Satione, & Arvorum fructibus.* Verùm privatæ res Offecêre publicis Conſilijs. *Diſſidium enim inter Socios ortum, Coloniæ damno fuit.* Mutato itaquè *Societatis Rectore*, omnium conſenſu, *ad Vervicenſem Comitem delatum imperium*; Qui Coloniam integrè adminiſtravit. *Socij* in fide, *Coloni* in Officio manſêre; *& Vitibus Montes conſerere caperunt*: atque eorum operâ, *Vinum Oligophorum, Auſteri ſaporis provenit*: quod magno uſui non fuit; & guſtatum magis, quàm potatum delectavit. Proindè *Socij* ſuadere Colonis, *ut relictis Vinetis, Arva & Paſcua colerent, & Patum cõſererent*: undè Victum Cultumquè ſibi ſuppeditarent. Sed fruſtrà ab Otio ad laborem revocare tentarunt. Subit enim in locis illis, Temperie perfervidi Cæli, Inertiæ amor, & Otij dulcedo; & quamvis revocent ſe interdùm ab Otio, ad labores, & negotia; vitioſam Cæli naturam edomare nequeunt. *Cives Londinenſes* adjuvêre publicè *Colonos*, ut Gymnaſia extruerent; Magiſtros idoneos præponerent; liberoſquè humanioribus Artibus imbuerent. Nihil educti ex Inſulâ Coloni, iminuerunt Numerum Civium, aut viribus, aut Opibus; licet alij Morbis abſumpti, alij Fortuitis caſibus Terrâ Mariquè extincti ſint, pauci redierint in Patriam. Naves quoquè paratæ, inſtructæquè, ut præſidio Oræ Maritimæ *Virginea* eſſent.

Nec multo poſt, *Nobiliſſimus Oxoniæ Comes, Dianam Ceciliam, Illuſtri familiâ ortam, ſibi Matrimonio junxit*; vixeruntque ſummâ Concordiâ, mutuâquè Charitate. Vitioſam enim Adoleſcentiæ naturam ſic edomuit, optimâ vitæ Conſuetudine, ut Nemo in eo, conſtante Matrimonio, vagæ Libidinis veſtigium viderit. Is militaris gloriæ cupidine captus, ita repentè exuit Vitia ætatis, ut Nemo inter *Proceres* haberetur prior, nec charior Civibus, Exteriſquè.

Inter magnas publicarum, privatarumquè rerum curas, *Bucingamius* reverſus, & fiduciâ ſui elatus, Popularis eſſe cæpit; non Naturâ, aut voluntate, ſed ut apud Suos, apud Alienos clareſceret. Is ad Convivium invitavit *Oratores Baticos, Carolum Columnam, Didatum Mendozam, & Meſſiam*; manente adhuc Specie Amicitiæ. *Regem* quoquè & *Principem* Cœnæ adhibuit; quam ad mediam Noctem protraxit: edidítquè varia *Spectaculorum* genera; Illuſtreſquè Matronas, & lectiſſimas Virgines, pretioſiſſimis Margaritis adornatas, ad Choreas produxit; *mirantibus Iberis praclaram & eximiam Pulchritudinem Virginum magis, quàm Gemmas & Margaritas*; ac omni honore verborum, & Cæremoniarum proſequentibus, More gentis. Atquè ut certius Inditium oſtenderet Liberalitatis, Comitatiſquè ſuæ, Procetum Nobiliſſimo cuique, re familiari deſtituto, fratribus germanis, Cognatiſquè alijs, *Salaria obtinuit.* Nec dubitavit, cum de pernicie Reip:, Vectigalibus, & Oneribus tàm crudeliter cogitarit, ſe Popularem æſtimare poſſe: Ducis verò Comitas, Vulgò ſuſpecta erat; Simulatioquè Officij à Metu profecta. Quippe *Brettus Iuvenis,* Ducem propinquâ Cognatione contingens, ad honoratum Miniſterium, illius gratiâ, provectus, animi alienati à Duce Indicia detexit; & Spem Aulicæ gratiæ, ac favoris habere cæpit. Quam rem *Bucingamius* graviter tulit; & Temeritatem Juvenis, apud communes amicos, inſectatus eſt; nihilquè ſibi in omni vitâ acerbius accidiſſe dixit. *Cranfeildius, Quaſtor,* qui *Bretti* Sororem ſecùm Matrimonio junxerat, à Propoſito & Conſilio ejus non alienus credebatur, quamvis celaret. *Dux* Indignatione, & cupidine retinendæ Potentiæ incenſus, de *Bretto*, quem præcipuè coluerat, queſtus eſt: quod maximi Beneficij immemor, contrà ſuum honorem Inimicus atquè Invidus niteretur. Quamobrem *à Rege* petijt, ut in maximis Reip: Curis aliquid impertiret temporis huic Inquiſitioni: iudicavitquè Neminem ſibi Inimiciorem, quàm *Quaſtorem* ingratum, & ſceleratum, tot Beneficijs cumulatum, ac Dignitate auctum: ingerens, Querelam ad Reinp: & Civium Concordiam pertinere: Judicavitquè, ipſum Regem, Authorem Dignitatis ſuæ, violari eâ Injuriâ, quæ ſibi à quoquam facta ſit; ac ulciſci debere, ſi Meritorum Memoria eſſet. *Quaſtor* pro Munere Imperij, quod gereret, prætermiſſus eſt, cum & Civibus pecuniam imperaret; & intermiſſum per Multos annos *Panni vetus Vectigal*, repeteret. Ob ejuſmodi Induſtriam Vulgò inviſus, *Brettus, extrà Britanniam, in Exilium* verius, quàm Peregrinationem ablegatus eſt: ne ipſo quidem contrà tendente *Quaſtore, Bucingamij* Indignationem, ac potentiam metuente.

1623. *Reversus è Galliâ Londinum occultè*, Palatium & Aulam non petijt, ut deprecaretur; ne Inimici Indignationem accenderet magis, quàm mitigaret. Dein *jussus iterùm in Galliam abire; seu quò aliò mallet, dum modò Britanniâ cederet*: respondit, *se enixè facturum, quicquid imperaret, velletquè Rex; sed abire renuit*: asserens, *se nullius delicti compercum, in Exilium ablegari non debere, Inimici arbitrio; omnia libidine, Licentiâq; gerencis; suis pariter, Alienisquè, ob vitia invisi.* Ad ultimum Aulâ prohibitus, & Cohorte Servorum dimissus, vitam Quiete & Otio transegit, procul ab Æmulatione. Indignationem suam *Bucingamius*, securus Potentiæ, cohibuit; *& de pernicie Quæstoris occultè cogitavit*: Nec diu defuit Occasio, ut suo tempore referam.

Nunc *ad Baticas Nuptias* revertamur. *Impetratâ Ro: Pontificis facultate, Nuptiæ in Hispaniâ, Cultu Regio, parantur*; diesquê destinatur Solennibus celebrandis: verè, an fictè, dicere non audeo. *Legatus Bristolius*, ubi Matrimonij certus fuit, per Pontificij Juris Sanctiones, nihil omisit, quod accelerarer. *Clercus* cum occultis documentis relictus, *Epistolam à Principe scriptam Bristolio tradidit*; *& ex Caroli præscripto Nuptias distulit.* Legatus peritus obsequi, præbuit aures, stupenti similis, *& Matrimonium invitus diremit.* ad hæc cum *Philippo* egit; edocuitque, *Carolum Principem, ne eo tempore Nuptiæ fierent, enixè contendere. Solam sibi Obsequij gloriam relictam.* Responsum à Rege redditur, *Illud Consilium non tàm differendi Nuptias studio, quàm Sororic deserendæ cupiditate susceptum.* Supervenerunt quoquè *Britannici Regis literæ, quæ Nuptias prohibebant, nisi Palatinatum, Patrimonium Generi restituerent Iberi.* Philippus exacerbatus, Triumphi apparatum abrupit. *Legatus*, virtute in Obsequendo, gratiam sui Regis; & integrè versando, Bætici Benevolentiam meruit. Qui in Subsidium, & Solatium simul, *Annuum salarium in Hispaniâ, aut Italiâ* obtulit; ubi vitaret Injurias *Bucingamij*, publice privatimquè infesti. *Legatus* Conditionem, ut turpem, recusavit; & fretus Innocentiâ suâ, in *Britanniam* profectus est. Ubi sinistrâ Ducis interpretatione conflictatus, ob res in Germaniâ, & Hispaniâ gestas, *Iacobum Assertorem Vitæ, & Dignitatic expertus est.* Brevi deindè *Apologiam* modeste scripsit; *quâ gesta in Hispaniâ, Iacobo Regi, in Matrimoniali Causâ, approbavit*: imploravitquè auxilium adversùs Dominationem Ducis, Nobilitati, Plebiquè juxtà formidolosam. *Rex Digbium deprecantem Solatio levavit*; de eo tuendo, ac Duci reconciliando egit; nec tamen impetravit. Atquè ex eo tempore, *Digbius* in Secessu plurimùm vixit, lucem, Conventumquè vitavit.

Rex ad Curam belli conversus, *Decimum sextum Februarij diem Comitijs, ex sententiâ Senatus, dixit. Qui inopinatâ morte Ludovici, Richmundiæ, & Leviniæ Ducis, in Decimum Nonum dilatus est.* Is Jacobum Cognatione contingens, in primâ Adolescentiâ, in Cohortem Amicorum adscitus, ei gratissimus fuit, ob bonam integramquè Indolem, Gallicam Comitatem, Moderationemquè animi. Ijs Virtutibus Odium *Bucingamij* meruit. Qui in omnibus rebus dignitati ejus adversùs, omne studium adhibuit, ut quæ ab illo procurarentur, in contrariam partem cederent. Temperavit *Ludovicus* flagrantem animum cupidine Ultionis, ratione & Prudentiâ: retinuitquè in Irâ modum, quod in excelso animo difficillimum. *Franciscam Havartam*, splendidis Natalibus ortam, *Hartefordiæ Comitis Viduam*, expertem fæcunditatis, uxorem duxit; vixeruntquè summâ Concordiâ, & mutuo amore. Conjunx, Memoriæ optimi Mariti, summos honores habuit; & apparatissimo funere elatum, *in Occidentali Monasterio*, solenni Pietate composuit. Ubi *Marmoreum Sepulchrum* operis sumptuosissimi fecit. *Esmaus Stuartus, frater*, non solùm *Leviniæ Ducis* dignitatem, & Fraternum Patrimonium adeptus est, sed & *Gervasij, Clistoni Baronis, Soceri sui*, hæreditate ditatus est. *Arthurus Iohnstonus*, famâ Carminum notus, *Epitaphium* hoc defuncto nobilissimo Duci dicavit.

Dum Populum, Proceresquè suos *Iacobus* in unum
cogit; & *Europam* terror ubiquè tenet:
Spes Populi, Procerumquè decus *Lenoxius heros*,
non expectato funere raptus, obit.
Prô Superi! non hæc Mors est, sed *publica Clades*;
quam *Rex, & Proceres, Plebs, Populusquè* lugent.
Egregiè factum funus *mæstissima Conjunx*
produxit; Cineri gloria magna fuit.

Rex, XIX *Februarij*, Proceribus maximis, *Ensem, Sceptrum, Pileum, Coronam*, & cætera Imperij Insignia gestantibus, in ædem *D: Petri*, Sellâ Curruli, Triumphantis habitu, vectus, à Pietate orsus est. & indè, Concione peractâ, magnâ pompâ, in *Comitialem Curiam* delatus, verba fecit; *Verum esse quod Vulgò dici solet, Regis, Regniquè salutem, Vtilitatemquè reip: fide Popularium, & Benevolentiâ Procerum constare. Regem & Subditos Marito & Conjugi, mutuâ Charitate, comparari. Maritum, qui benè Vxori suæ cupiat, Commodum ejus modis omnibus procurare. Principem providum, ad Vtilitatem, Salutemquè Reip: sua Consilia dirigere. Deum testari, Vxorem Ipsoc suam, se Maritum ipsorum esse, Reip: providum. Sibi, secundùm Deum, nihil magis cordi esse, quàm Vtilitatem, Salutemquè Reip. Hunc Conventum Ordinum instituisse, ut eorum Consilio, Ope, Operâ uti posset, in expediendis rebus, quæ ad Bellum opus erant: in corrigendis ijs, quæ in publicam perniciem irrepserant. Causam hujus Conventus primariam, Salutem Reip.: deindè, Dotem Filiæ, Nepotum Patrimonium retineri; Postremò, Consilium, Propositumquè suum publico Ordinum decreto comprobari. Tractationem de Affinitate, Pace, Concordiâ cum Iberis suscepisse. Cum ad fælicem Eventum perductum*

putaret,

putaret, magnis Pollicitationibus inductum, filium in Hispaniam misisse. Post ejus Reditum deprehendisse, abjectam Compositionis Spem; Tractationem de Nuptijs sublatam; desperatissimam esse Palatinatus Restitutionem: Nihil planè in Hispaniâ actum esse: Neq; Matrimonij contrahendi; Neq; Palatinatus restituendi Spem ullam superesse. Arcana omnia proferre, Filium, & Bucingamium jussisse: literasq; occultas Philippi Secretarium Conavajum exhibere. Re exploratâ, Consilio Ordinum libenter uti velle, ad Numinis gloriam, Liberorum incolumitatem, & universi Regni salutem. Regem nullum esse, qui Subditorum Consilio libentius uti velit, aut in Senatu, aut in Comitijs. Caterùm, animadvertere se, Populum Suspicionem de Religione suâ, ex Dissimulatione, & Tolerantiâ Romana Religionis concepisse: Cunctationemq; suam non probare. Deum Iudicem, & Orbem Terrarum testem fore, mansisse se semper in Religione Instauratâ, mantereq;: Romanensium Superstitionem, Levitatem, Temeritatem abhorrere: cujus Radices evelleret, jam si liceret: nihilq; nisi publicam Salutem spectasse: leges in Pontificios promulgasse, tempori tantùm inservisse, cum rem conventuram Nuptijs putaret. Profectionem filij ipsi periculosam, publicè utilem fuisse: vidisse nunc oculis suis Pontificia Religionis Vanitatem, Stultitiam, Amentiam; quam auribus tantùm anteà perceperat. Deniq; petere, ut Ordines Consilio, Auxilioquè in arduis Reip: Negotijs subvenirent; nec in longum tempus differrent subijcere rationes: sed priscâ Suffragiorum libertate retentâ, Dignitati Regis, Securitati Regni, Liberorum Saluti consulerent: cunctaq; expedirent, qua ad Bellum opus erant; Arma, Viros, Equos, & immensam pecuniam, qua Stipendijs Militum sufficeret. Ordines hâc Regis Oratione excitati, Bellum, Subsidium, Viresquè suas circumspectabant. 1623.

Postero die, *Bucingamius* in Cætu Procerum exposuit, *fluxam Iberorum fidem; Cunctationem Baticam, in Conditionibus Nuptiarum tractandis: Olivarij Comitis Ferociam, Superbiam, Confidentiam, Cateros ut Impares, irridentis: Gundimarij suetas fraudes, & Illecebras: Pontificis restrictum Diploma, non Protestanti cuiquam tolerabile: Restitutionis Spem vanam: Captum irritum: Principem modò in Spem Nuptiarum erectum; Quandoq; sinè Spe dejectum; firmitudinem animi sui; Digbij levitatem, qui Simulationem Superstitionis, pro tempore, suaserit Principi, asseveranti, Deo, non hominibus, in ijs qua Dei gloriam spectarent, parere homines debere: & fausta Carolo omnia precans, Pietatem ejus collandavit, ac Instaurata Religionis studium, magno Assensu Nobilitatis, Plebisquè.* Tùm Volumen literarum recitare jussit; quas Amanuenses sub Signis habuerunt, parati legere, & Proceres intenti, per Silentium, audiverunt. Relatione auditâ, nihil æquè Proceres, Plebemquè accendebat, quàm quod asseverabat *Bucingamius*, statuisse *Philippum, Instauratam Religionem funditùs delere*; quâ Provinciales mirè gaudebant, Vetustate Cæremoniarum abolitâ.

Post *Bucingamij* Orationem, *Proceres, & Plebei Ordinis Procuratores*, unanimi consensu decrevêre, *abrumpendum protinùs Connubij, & Pacis Tractatum: de Bello cum Iberis, delectibus, & stipendijs militum cogitandum esse.* Hæc acta in publico gentis Consilio; ubi illis consultare Mos est. Accessêre cum Regni sui Viribus *Scoti*, Cohortes, Alasquè offerentes; & pecuniam in stipendium Militum contribuentes. Nec minore animo, *Hibernia Reguli* concurrêre; & Peditum, Equitumquè magnam vim obtulêre; negantes *Populo Hibernia* esse, undè pecuniam darent. *Rex* præsentis temporis cognoscens Temeritatem, & Ignaviam, timidius Belli discrimini *Sexaginta atatis Annos* commisit: sequè Pacis Authorem semper fuisse, præfatus est; nec sumptis armis, Belli ullam partem attigisse; Negavitquè assentire Decreto, nisi cum suis consulerent, & ex Authoritate eorum statuerent, undè Stipendium, Pecuniamquè militibus suppeditarent. Absterrere suos à Belli Consilio voluit; Ne ad Inopiam atquè Egestatem, Quotannis fermè Collationibus, pervenirent; fremerentquè, intrà paucos Annos, se Dilectibus, & Stipendijs exhaustos. Quamobrem, precibus omnibus oravit, obsecravitquè, ut in maximis Reip: Negotijs, aliquid temporis huic Cogitationi impertirent: egitquè *Ordinibus* gratias, & in Senatu, & in Cætu Procerum, pro gratiâ, Ope, Consilio.

Inter tot tantasquè Curas, *Comitia* novum excitaverunt Certamen. *Montis acuti, & Colcestrij Vicecomites; Vinsorum, Morleum, Vausium, Barones* vetustæ Nobilitatis, tanquàm novandæ Religionis Occasionem quærentes, *dimiserunt ex Catu suo; quia appellati Fidelitatis Sacramentum abnuebant.* Ita post eam diem, *Pontificij Proceres neque convocati in publicum Regni Consilium, neque consulti fuerunt.* Hâc Injuriâ provocati; Regi supplicarunt, & vetustum Jus Suffragiorum, superiorum Regum beneficio concessum, acriter repetiverunt; memorantes, nec Patrum, nec Avorum Memoriâ tale quicquàm perpetratum, Parentibus, Cognatisquè alijs, ob Pontificiam Religionem invisis. *Rex* denuntiavit, ut in Potestate *Comitiorum* essent: remquè ad Cætum Procerum rejecit. qui negarunt, *ullam Papanorum in Comitijs rationem habendam esse, nisi fidei Iuramentum spontè prastarent*: censueruntquè, rem negligentiâ Majorum prætermissam, Ipsis, non Ordini damno esse debere: & non solùm Suffragijs non donarunt, sed statim ablegarunt in Provincias, cum Conjugibus, & liberis; ubi Clientelæ, Agri, & domus. Illic mox *adempta Arma*, Equi ferociores: jussiquè Aucupium, & Venationem *inermes* exercere. *Catera Pontificiorum Multitudini detracta arma*, ne pro Religionis libertate sese armarent. Discordia Religionis quas importet Clades, didicêre magis à vicinis *Britanni*, quàm ipsi adhuc experti sunt. *Rex*, Decreto Procerum non intercessit; Nequè exemplum detrahendi arma improbavit; ne in commune deliberantes moraretur, & Moram statuendi faceret.

Inter multas magnasquè cogitationes Procerum, præcipua cura fuit, *opportuna quaquè Hibernia loca Prasidijs firmare; ibi passim vagantes Sacrificulos coercere; Classem maximam, & instructissimam parare; Bojorum Ducem, & Hispanos Palatinatus Possessione deturbare; Injurias liberorum Regis, modis omnibus,*

1623. *vindicare: & pecuniam per idoneos Ministros conquirere:* Plebeiquè Ordinis sententiæ congruebant; Apolectiquè ad *Regem* missi, qui quid *Curia* libuisset, retulerunt. *Rex* se paratum dixit, ad Bellum suscipiendum, à quo animus abhorrebat, *si Tributa Militibus decernerentur; Dilectus agerentur, ac Militare Ærarium institueretur.* Interim consideratissimè monet, Bellum crudelissimum, & maximum suscipi, *adversùs Cæsarem, Acerrimam Iberorum gentem, & Austriacam fundatam diuturno Imperio domum:* quod quale futurum sit, non videre homines feroces, & inquietes, aut quàm arduum. Cautissimum Monitorem, ad Pacificationem proniorem, aspernantur Proceres, *clàm Soporem & Ignaviam exprobrantes.* Simul *Carolus Princeps, & Bucingamius,* suadent Bellum, *Reip:* utile, *Regi* gloriosum, *Britannia* magnificum, *Socijs* salutare. Pavore nutantem *Exteri Legati, Amiciq;* per secretos sermones exstimulant. At *Iacobus* metitur sua Regna, viresquè circumspectat: robur *Germanici* Exercitus, & adversa Belli secùm reputat; suosquè Subditos Belli inexpertos, Præliorum avidos; Ipse dubitans, quid facere deceret. Modò à Bello non abhorruit; modò in Spem erectus, suadentium gratiâ & Auctoritate Pacis consilia agitavit. *Tandem is, qui Orbi quietem, & Sæculo Pacem suo dedit, Cohortatione filij, filia lachrymis, Procerum precibus, Civium Postulatis annuit; ruptoquè Pacis fœdere, ac Nuptiarum Commercio dirempto, decrevit Palatino, Palatinatuiquè Præsidio esse; Generi salutem, ac Incolumitatem enixè destudere.* Indicio ejus rei facto, in Comitijs Clamor, ingenti alacritate, sublatus est. Cives gratulantes, & Lætitiam publicam Vespertinis Ignibus ac Plausibus testantes, Cælum vocum exultatione compleverunt.

Marchio Inoiosa, Bæticus Legatus, vir ingenio truci, *Bucingamio infestus,* Regem adit, *de Injuriâ Regi suo illatâ, remotis arbitris, graviter queritur; incusans ejus Levitatem, Superbiam, Arrogantiamquè, ut invisum infamemq; faceret; indicansquè, Moram Nuptiarum, ejus operâ, accidisse, & culpâ; pari scelere, Vi, atquè Audaciâ, Consilium Procerum turbasse; Suffragia Pontificijs, per speciem Iuris, extorsisse.* *Rex,* quia Procerum Ordinem, tali tempore, offendere noluit, *rem integram ad Ordinum Disquisitionem remisit.* Legatus hanc Causæ cognitionem, *Rege suo,* seque indignam putavit: cessitque in Præsentiâ tempori, & fortunæ, in Vindictæ ulteriorem Occasionem. *Bucingamius* institit, ut Proceres, deliberatione habitâ, & Causâ cognitâ, dijudicarent. Qui unanimi consensu, *rectè, integrèq; se in Hispaniâ gessisse, ac Relationem de summâ Reip:, pari fide ac Veritate peregisse pronuntiarunt.* Hoc Consensu omnium elatus, ad fiduciam sui, amplissimo Ordini gratias egit; periculumquè intentatæ Accusationis vitavit. *Legatus* Procerum Sententiâ permotus, vehementius excanduit, *spretam Philippi Regis Majestatem.* Obsecravit *Regem*, ut susciperet Cognitionem Causæ; addiditquè, *Bucingamium detestabilem, & Malo publico natum, furore & Audaciâ Mentis compotem vix esse. Regem in ordinem coactum. Rem mali Exempli esse: & ad Seditionem spectare, nisi properè dimitteret Gentis Consilium; & Proceres ad Suffragium vocari prohiberet.* Rex Cognitionem recusavit, ne Præjuditium publico Ordinum Decreto, hoc tempore, faceret. *Carolum quoq; Principem, apud Patrem arguere sceleratè conatus, Filium à Patre desciscere ementitur: publicum Periculum, & magnum propè rerum Motum instare denuntiat, nisi Tempestatem imminentem prudentiâ, sapientiâquè præverteret.* *Rex* Charitate filio promptior, vanas suspiciones Vultu aspernans, aures præbere Calumnijs non potuit. Mox rumor emanavit, Secretis Criminationibus concussam *Iacobi* mentem. Qui multa secùm volutans, *secessit in Saltum D: Iacobi*, cum paucis Custodibus corporis, Carrucâ vectus. *Venit Filius pedibus*, comitante *Bucingamio*, se petitum falsis Criminationibus gnarus; & Occasioni imminens alloquendi Patrem, Carpentum Regis sequebatur: jussusquè propiùs accedere, cum *Bucingamio* comite, orsus est; *Deum, hominesq; testes fore Innocentiæ suæ, & Accusatoris Perfidiæ, Fraudis, Sceleris; obtestaturq; suppliciter Patrem, ut diceret propalàm Calumniator, quicquid aut Veri posset, aut Falsi comminisci auderet. Si quid Impiè admiserit, aut propriam ipse Potentiam affectarit, nullam pœnam deprecatur.* Bucingamius quædam contumeliosa in *Oratorem; Vimquè contrà Remp:, ac adversùs Principem Invidiam percensuit; & pro seipso, Procerum Decretum protulit.* Rex, auditis Defensionibus, benignè pronuntiavit, *non Calumnijs se, & Suspicionibus commoveri; filij Pietatem, Bucingamij Vitam, & Mores, purgare inanes Suspiciones posse. Si deliquisset temerè Filius, in Paternâ Charitate, & Misericordiâ perfugium habere potuisse.* Utrumque securum, hilaremque à se dimisit; & *Legatum* in minore posteà gratiâ habuit. Expertusque est Princeps, illo die, quàm charus Patri esset. *Legatus Inoiosa, Munere excusatus, pro Atrocitate sceleris nullum discrimen adijt: mox sinè honore, Muneribusq; dimissus est.* Non Epulæ in digressu; non Naves datæ, quibus se cum suis in *Belgium* trajceret. Confestim *Mendoza, vir Prudens, & Moderatus, missus ad gratulandum reditum Britannici Principis*, cum donis remissus est. Hæc jacta sunt *Semina Bætici belli.*

Inter *Legatorum* discrimina, *Mysterus quidam, Hispanus Presbiter, Legatus sinè Mandatis, in Britanniam appulit, ut res viseret.* Ea fraus indicata *Regi*, ad Senatum delata est; vocari jubetur, interrogaturquè de Mandatis. *Direpta in Itinere fuisse respondit:* & magnam partem audientium offendit. Judicium Senatus de se passus, *Congressu Colloquioquè Regis prohibitus est.* Rex severior Vindex fraudis non fuit; *Speculator inviolatus minaciter dimissus est.* Prævaluit nomen Legati, & Titulus honoris sinè Principali Auctoritate, contrà morem civilis Disciplinæ. Hunc *fraus Legatorum* exitum habuit. *Rex* se, Regnumquè suum salubri Temperamento conservavit.

Post majora quæque decisa negotia, in Comitijs curæ in Remp: versæ; actumquè de vulneribus Reip:, & Medicamentis. Neque destitit *Carolus Princeps*, per ætatis gradus, curam Imperij agere;

Patris

Patris nomine, Proceres in Comitijs circumire, orans obsecransquè nunc singulos, nunc universos, 1623.
ut rei Nummariæ Subsidium festinarent, proprijs quoquè opibus Bellum juvarent; Germaniæquè litora infestis Classibus peterent: Excitatiquè ejus Authoritate, & precibus, per idoneos Ministros, cuncta pararunt. *Plebejus Consessus* securus credebatur, in Collatione pecuniæ. Ipse *Princeps*, velut arguens Bætici Legati Temeritatem, ac falsas Criminationes, Obsequij gloriam, summâ Comitate meruit.

Bucingamius incivilius & violentius se gessit. *Quæstorem* nuper provectum, qui parem fraude, Arrogantiâ, Avaritiâquè neminem in Civitate habuerat, & suspectissimum quemquè sibi opprimere statuit, Ira ad Ultionis cupidinem accendit, in *Cranfeildium*, trucem animo, horridum sermone, omnem acerbissimarum Exactionum culpam contulit. *Quæstor* hanc procellam non formidabat; suberat siquidem Spes deflagrare Iracundiam, Odium, & Ultionis cupiditatem posse: subituram quandoquè Affinitatis memoriam; nequè Iram in exitium sui, Stirpisque duraturam: Propinquos, Affinesquè pristinam gratiam redintegraturos: at Ducem propitium fore, *Quæstor* desperavit. Nequè ad Clementiam precibus flectere potuit. Portendi sibi exitium putavit, haud dubiâ destinatione Fati, ob Superbiam, Arrogantiam, Sævitiam. Spes, Pudor, Metusquè animum versabant; nemine dubitante, quin in magnâ offensâ apud *Bucingamium* esset. Nec multò post Judicium de se *Ordinum* passus est.

Vetere Instituto *Inferioris Consessus*, Apolecti Antiquitatis, Consuetudinisquè Majorum periti, quibus præerat *Ioannes Glanvilla, Iurisconsultus*, hujus Ordinis Auctoritatem obstinatissimè tuebantur: & Electorum Qualitatem, Dotesquè animorum Populari trutinâ ponderabant. Quâ ratione, salutari ipsis Patriæquè, ac sociabili Consortione inter binos Consessus, se, Stirpemquè suam, Domos, fundos, per multa Sæcula, incolumes servabant. *Cooko viro acri negotium datum, ut Monopolia, & Fiscales Calumnias reprimeret; Onera nova, ac insolita scrutaretur; Remediumquè salutare adhiberet.* In quibus exquirendis Solicitudinem, Curam, & Industriam præstitit singularem: substituitquè complures ex Equestri dignitate, ut maturius inquirerent; & similia in posterum ausuros coercerent. *Saudesio*, viro virtutis opinione præstanti, *Commercij Cura demandata*: qui Publicanis coercendis tantam diligentiam adhibuit, ut Modestiores, & Justiores, in Vectigalibus exigendis, in posterum essent: ac ne nisi à Superioribus Principibus concessa, & solita, exigerent. Denique singuli in eo Munere, quod illis *Plebejus Ordo* commiserat, cum fide & Industriâ, nec minore Modestiâ, se gesserunt: & in sanandis Reip: vulneribus admirabilem Sapientiam præstitêre; inquisito omnium *Monopoliorum* genere; & Novis Vectigalibus abolitis: ut in *Actis Comitialibus* hujus Anni apparet. Quæ *Rex* confirmavit omnia Authoritate suâ: *Vetuitq; posteà in Scacario coràm Baronibus agi*: quærivè *de fundis defunctorum cujusquàm, post Sexaginta Annos*. cum anteà, Jure Veteri, nullum tempus Regi occurreret. Author Consessui fuit, *ne Negotiatoribus, exigendi crediti, sivè Chirographo, Debitoris, post tres Annos, Ius unquam esset*. Rogatio per eum Ordinem ad *Proceres* delata; eorum Decreto firmata, Legis posteà habuit vigorem, *Rege approbante*. Qui plurimas memorabiles leges edidit: *Decumanas Vsuras ad Bessiles redegit. Fæneratores in ordinem coegit.* Cunctis Ordinum desiderijs abunde satisfecit: & quæcunquè *Plebs, Proceresq; jusserunt*, ea rata & Sancta habuit: Severus Vindex Contumeliæ in Deum, Injuriæ in proximum. Cæterùm, grates in *Cætu Procerum* egit, pro admirabili Prudentiâ in benè consulendo, & curâ singulari in opitulando exhausto Ærario, ut *Tributo Populo indicto*, Regni Opes largitionibus, & Legationum expensis sufficerent. Quæstusquè est, Ordines, in Collationibus faciendis, ad Castrenses sumptus relevandos, diutius hærere. Exitiosum id publicè, ingratum sibi, *Bellum Pium & Necessarium meditanti*. Tandem Civium opem, in stipendia militum imploravit, quatenùs suppeterent suppeditandi facultates, ad sublevanda Onera Regni; ne prædaretur bona Subditorum, & impetum in Privatorum pecuniam facere cogeretur, vehementer institit, *ut Censu habito, Tributa indicerentur, undè pecunia confici posset*. Hæc Postulatio ingrata Audientibus fuit; qui, brevi spatio ad deliberandum impetrato, perrogatisquè Sententijs, pronuntiarunt, *Castrenses sumptus sibi curæ fore: Inopiam tot egentissimorum Aulicorum nec Privatos posse, nec Remp: sustinere; Ærarium publicum largitionibus Munerum exhaustum, non Civium opibus, fortunisquè, non Bonorum direptione, sed vetustâ Parsimoniâ supplendum. Patrimonium publicum, per Injuriam direptum, Iure restituendum: Armis recuperandum Palatinatum; & Auxilia Frederico submittenda; Stipendiaq; militibus. Germaniam deniq; totam ad Exitium & Vastitatem redigendam.* Postremò referunt *de Rep: turbatâ, Vi atq; Audaciâ Papanorum, Præsulum Conniventiâ; Patientiâ Magistratuum; Clementiâ Iudicum: quod cesserint furori atq; Audaciæ eorum. Nec Demicatione procul rem esse, nisi Iesuitas & Sacrificulos properè in exilium ablegaret.* Confestim *Regi* aquâ & Igni placuit interdicere: & universis etiam ex *Hiberniâ* abeundi diem dicere: ac nisi abirent, prehendi à Magistratibus, & in Carcerem conijci jussit: mandavitque Judicibus, ut Leges exercerent. Cujus rei discrimen fugientes, *pleriquè Ignatiani* in Exilium abierunt, in proximam Continentem traijcientes.

Inter cætera, *Pontificius Fiscus* acerbissimè actus est. *Plebejus Ordo*, Severior vindex Romanæ Superstitionis, *Mulctam intermissam repetebat*: disserebatquè, finem turbandæ Reip: non fore, nisi eorum aut Interitu, aut discessu, & fugâ: mediam sententiam, publicè exitiosam, nec Amicos parare, nec Inimicos tollere. *Domus, Fundi, Bona omnium vænîre jubentur, nisi imposita Menstrua Tributa pependissent.*

1623. à quovis Accusatore, vel Indice rursùs corripiuntur, & Emissarijs Præsulum; qui Conquisitionem *Papanorum*, per Urbes, per Agros, per Domos acerbè egerunt. Ita etsi non iniquum, tamen triste Decretum Ordinum factum est. *& Gratiam, Nuptiarum Spe, Pontificijs indultam, Rex revocavit.* De hoc apparatu *Belli Britannici* loquuntur homines per Orbem terrarum: censentquè, hoc genus Belli impetu magis animi, quàm Consilio inchoatum, adversùs *Tilij Exercitum*, sæpè victorem; *ad vastandam magis Germaniam, quàm recuperandum Palatinatum.*

Item hoc tempore, percrebuit *Translatio* VII *viratus in Bavarum; qui Frederico incolumi adimi, Iure, non potuit: priusquàm ad Suffragia* VII *viri vocarentur.* Amici Reges, Summiquè Principes intercesserunt, orantes Cæsarem, ut *Palatinum supplicem* restitueret; Dignitati domus ejus consuleret: his temporibus miseris, & extremis, Vastitatem & ruinam *Germania* averteret: *Neu* VII*viratum in aliam domum transferret; sed arbitrium atq; Iuditium rei ad* VII*viros reijceret.* Nihil his precibus commotus Cæsar, Palatinum terris exactum, Patriâquè extorrem, novâ Acerbitate Ignominiæ in Desperationem vertit; *Neq; alium Iudicem quàm seipsum passus est*, ut suo loco memorabo. Hoc Amicis Regibus, Populisquè respondit, *Quod multas & graves Offensiones, apud socias Nationes excitavit, Dania Regem alienavit, atquè in Arma coegit.* Qui Propinquus, Affinisquè *Fredericus*, acerbissimâ Ignominiâ maximè offensus est. *Scripsit Cæsar Iacobo*, ob Memoriam Amicitiæ, Moderationisquè, *daturum Apolectis congressum, Colloquiumquè, in quo statueretur, Quid daret, quid adimeret Genero. Arbitrium rei penès ipsum fore, sinè Cæde, ac dimicatione.* Prævaluitquè illecebris, ut honesti Conatus impedirentur.

His in *Comitijs* constitutis rebus, multæ in Civitate Vicissitudines, hujus temporis memoriam, magnis exemplis, insignivêre. *Petrus Probius Tonsor, Præfecturam Civitatis Iuridicam, in Consilio Plebis oblatam, ultrò suscepit: quam Mulctæ Solutione excusaturus credebatur.* Itaquè deceptos in eo sese, ac planè delusos, Seniores Civitatis querebantur. Quod ubi *Populus* intellexit, ægre tulit, ausum illum summum locum ambire; reclamavitquè frustrà; cum rem invisam cerneret. Hoc Anno *Comitijs Prætori Vrbano creando* habitis, *Concilium Plebis* frequens aderat, turbandæ rei causâ. *Probius Præturam* veteri honore, Institutoque Civitatis, post Præfecturam suo tempore adeptus est; ne benè meritis Civibus Præjuditium pernicioso exemplo fieret. Antè hunc, multis Annis, *nullus Tonsor, Coquus, Lanius, Prætor creatus fuerat.* Rumor Plebis increbuit, Infimæ Sortis Ministrum ad supremum Civitatis Magistratum provectum. Juditium de se Populi *Prætor* elusit; dictitans, mirum non esse, cum Varietate Fortunæ & fælicitatis, summum in Aulâ locum infimus Civium exerceret.

Uno, & eodem tempore, vehementer Civitas commota est, ob aliam causam. erat *Morus quidam, humili atquè obscuro loco natus, homo Lingua immodicè libera.* Qui Amore Religionis Romanæ, & Odio Instauratæ, *de Elisabethâ, Bohemiæ Regina, liberius locutus est*: de quâ mentiri, aut fingere, fama erubuit. Hujus *Temeraria Lingua* ipsi magis Odium, & periculum, quàm *Elisabetha* Invidiam conflavit: & Procerum Decreto, *in Camerâ Stellatâ* notata est, quòd in *Elisabetham, stirpe Regiâ genitam*, Contumeliosa verba temerè effudisset. Placuit deindè Proceribus, *Morum vocare, auditumquè condemnare, ac Infamiâ notare*, perpetuum Carcerem, & Mulctam pecuniariam infligere: quam Egestate elusit. Cæterùm, hæc Procerum erat sententia. *Plebejus Consessus*, infensus infestusquè Reo, atrocitate Injuriæ, omissâ Mulctæ mentione, Mortem meritum esse conclamabat: quod Stirpem Regiam linguæ Temeritate violasset.

Ištereà, ad incredibiles *Britannia* sollicitudines, aliquid Novi accessit in extremâ *Indiâ*. *Batavi Amboinam Insulam, Moluccarum unam, Gariophyllis abundantem, pulsis Iberis, in potestatem redegerunt; & Vrbem ejusdem Nominis: quam Angli honesti permulti, ut Mercaturam ibi, ex Fædere, facerent, sibi deligerant.* Non longè ab Urbe, *Batavi*, amplo cum Portu, *munitissimam Arcem exstruxerunt*, Ornamentum Urbis, signum Victoriæ, firmamentum *Indica Societatis*: quâ possent se ab *Hispanorum cupiditate, ac Crudelitate tutari*; & sinè ullo discrimine in Insulâ negotiari, Quæstus, Compendijquè causâ. Hanc Tormentis, & Præsidio militum instruxerunt: & *Iaponenses quosdam* Adjutores adhibuerunt. Arx ex unâ parte Mari alluitur, ex alterâ fossa profunda. in Oppido *Angli cum ipsis Iaponensibus* vivunt, & negotiantur. Eo *Mercatores Britannici Indica Societatis*, Aromatum causâ, frequentes commeant. Merces suos multiplices invehentes, externos evehentes; Lucriquè partem, ratam, *ex Pactis fæderis Londini icti*, sustinendæ Arcis gratiâ, conferentes: quam *Batavi* acerbissimè exegerunt, rationes injuriosè putantes; & grave Tributum parui pretij rebus, quæ portarentur, imponentes. *Vndè Odij initium inter eos, & Anglicos Institores; qui operas, in Portibus Amboina, Socijs Indica Societatis dederunt.* In isto Oppido, *Calendis Ianuarij* multi *Angli*, Mercaturæ exercendæ causâ, convenerunt: *qui in Suspicionem Conjurationis Batavis venerunt*, tanquàm novandi res tempus atquè Occasionem quærentes, *ut Arx caperetur.* Interim à *Præfecto Hautmano* præcipitur, & negotium datur Præsidiarijs, ut noctu Vigilias agerent; & majorem Custodiendæ *Arci* diligentiam adhiberent. Per hos dies, *quidam è Iaponensibus, qui in Præsidio Arcis erat, Munitiones Nocte circumiens, multa Batavum Commilitonem secretò percunctatus, de Vigilijs, Stationibus, numero Præsidiariorum; cœperat Militi suspectus esse.* Qui, arreptâ hinc Suspicione Insidiarum, sine Cunctatione, Inditium ad *Præfectum* defert; aperitquè quæ audierat, conjectaveratquè. Sed nullum Testem inditij exhibere potuit. Agit Militi gratias, & ejus fidem, diligentiamquè collaudat. Itaquè *ad Præfectum deducitur Iaponensis*; qui Irâ accensus, *ait Speculatorem esse, & speculandi*

causâ

causâ in Arcem missam. Clamat Miser se innoxium esse. re deliberatâ cum illis, qui Principes in Arce erant, omnes Quæstionem de eo habendam decernunt. Igitur correptus, *interrogatusquè Iaponensis, Quisnam is sermo cum Batavo habitus* cum Fateretur quâ de re fuisset, Vincula indita, & ad Quæstionem abreptus, *Tormenta tolerare non potuit*; aperuitquè Insidiss Arci comparatas; de se fassus, *simul edidit Conscios Sceleris, Conjurationisq; decem Populares; & Augustinum Perezium, Lusitanum, qui Ergastulis præerat, inter participes Criminis nominavit.* *Batavi*, Suspicione, vel Odio *Anglorum*, adducti, in perniciem eorum incubuerunt: & Lucri ratam partem, non quantam *Londini*, eo fœdere, pepigerant; sed ad arbitrium subductâ ratione exegerunt. Sciscitari deindè Miserum cæperunt, *cum quibus tanta Conjurationis Societatem inijsset? Anglos, qui Amboinæ negotiarentur, participes Criminis indicavit; vimq; contrà Arcem machinatos.* Certè, Barbarum mancipium *mentiri coegit Tormentorum dolor*, ut se à Cruciatu corporis liberaret. Ea res *Fisci Patrono* indicata. per eum ad *Præfectum* delata est; *qui parem fraude, Sævitiâquè, in Indiâ neminem habuerat.* Fortè ibi *Abel Pricius, Chirurgus Anglicus*, captus à Præfecto, in Carcere tùm erat; proptereà quod is, aliquot antè dies, ebrius, & vinolentus, *lingua Temeritatem in Batavum Negotiatorem effuderat*, Incendium domus atrociter minitans. *Chirurgum* ad se sdduci jubet *Præfectus*, ostendens, *à Iaponensibus illum delatum Principem Conjurationis*: nec ullam Taciturnitatis Mercedem, fraude patefactâ; sed manifestè noxium, gravioribus pœnis dilacerandum, si ultrà reticeret. Tandem vi Tormentorum ac Cruciatuum, *fateri coegit, Se, Sociosq; Anglos Conjurationis Ministros, Toversonum Authorem fuisse.* Posterâ die, prima luce, *Houtmanus*, quasi urgente discrimine præparatæ Conjurationis, suspectissimum quemquè in Arcem accersere jubet; & in his, *Gabrielem Toversonum*, fortem, ac strenuum Centurionem; *Emanuelem Thomsonum, Eduardum Collinium, Ioannem Beaumontium, Gulielmum Vebberium, Ephraimum Ramsaum, Timotheum Iohnsonum*, honestissimos viros; & cæteros ejus Facinoris conscios. *Expositisq; quæ Iaponensis detulerat, & quæ confessus fuerat Chirurgus*, eos dicit *conjurasse, & Barbaros concitasse, ut Arcem interciperent. Nunc de Insidijs, & scelere respondendum.* Potestate dicendi factâ, cuncti se purgant, abnuentes Noxæ Conscientiam, cujus arguerentur. *Deum Innocentiæ testem, ac Ius fœderis invocantes, & Præfecti fidem, ac Misericordiam obtestantes; expertes se Culpæ, magnâ animi Constantiâ affirmant; & falsum Inditium arguunt, cujus nequè Index argumentum, nequè suspicionem afferret.* Nihil efferatum animum preces, aut miserabiles voces moverunt. Placuit in præsentis, comprehendi eos à Militibus, atquè in Carcerem abripi, ad Cruciatus, Tormentaquè. *Procurator Fiscalis*, severior ultor Sceleris, Quæstionem, & Tormenta expedire imperavit: posuitquè repentè antè oculos *flagella, Verbera, Equuleum, Carnificem, atq; Tortorem.* Angli Tormentorum aspectum, atquè Minas intrepidè tulêre, nullam pœnam deprecantes, *si Arci insidiati essent.* Abducuntur deindè ab ijs, qui Custodiebant, in intimam Arcis partem; & diversi interrogantur. Ubi *Procurator* Quæstionem vehementissimè habuit, *Tormenta admovit; & inficiantes facinus crudelissimè distorsit, Immissâ sub Axillis candente flammâ, & creberrimâ Aqua calida superfusione.* Alij aliorum voces, cum fletu, suspirio, gemituquè maximo exaudiebant. Dubiâ adhuc Quæstione, & incertis responsionibus, *Tortor*, ut diligentius cuncta cognosceret, postero die, *omnia Crudelitatis Instrumenta protulit. Singuli rursùs excruciantur, & acrius torquentur*: Memoriam Patriæ, recentis Fœderis, & Operæ pro libertate Batavorum toties editæ, nequicquàm implorantes. Tandem, *vi Tormentorum coacti, de semet professi dixerunt, quæ scire expeteret Procurator Quæstioni præpositus.* Cum de alijs integerrimis Socijs interrogarentur, responderunt, *ulteriore Quæstione opus non esse; se dicere quæ vellet dicere Procurator, ut Cruciatus morte finirent.* Ille indignatur irrideri se, *Tortores revocat, & rursùs torqueri imperat.* Cum ad ultimos Cruciatus retraherentur, *Tormentorum vim, ac Minas non ultrà ferentes, Mendacijs liberare se à Cruciatu voluerunt.* Tunc *Fiscalis* satis quæsitum ratus, *cuncta quæ confessi erant recitari jussit, & Chirographo cujusquè confirmari; ut hâc Testificatione, si quandò opus esset, contrà eos uteretur. Qui subscribere non abnuêre; ne ad Tormenta raperentur, rursùsq; Equuleo, & Flagellis dilacerarentur.* Confessiones ad Præfectum, per eum, delatæ, nequè inficiandi ulteriorem rationem, nequè defendendi Facultatem reliquerunt, in manifestis Maleficijs deprehensis, & Testibus ac Confessione suâ convictis. Cæteri Sceleris suspecti, *Hitto, Larica, Cambello*, & reliquis *Insulæ* Oppidis, in Judicium evocantur, ac de Ordine cogitati Facinoris interrogantur. Qui cum expertes se culpæ affirmarent, *Præfectus Tormentis exprimendam veritatem dixit.* Isti veriti, ne in Equuleum imponerentur, *pari Metu Cruciatus vitantes, se Conscios Fatentur, & Insidias struxisse, ut Arcem interciperent.* Peractâ Quæstione, includuntur in Arcem condemnati; Supplicium constituitur; consultusquè de reis Præfectus, *Quatuor solos veniâ donavit, qui se non fuisse Amboinæ, Calendis Ianuarij, nec posteà, probaverant, & ob id Conjurationis Conscios esse non potuisse.* Cæteros omnes, quamvis Insontes, & Tormentorum Cruciatibus laceratos, ultimum supplicium meritos decrevit; & acerbum, adversùs Innocentes, Odium, eorum sanguine explevit. *Decem Angli, Novem Iaponenses; & unus Lusitanus, supplicio affecti, ac necati, multis Barbaris inspectantibus, fictæ Conjurationis Conscientiam, in ipsâ Morte inficiantes; admirabili, incredibiliquè Constantiâ, Innocentiam suam, & sævitiam Batavorum adversùs Insontes testantes.*

1623.

Cæteri *Institores Anglici*, ferro, flammâquè servati, parem pœnam veriti, *ad Principes Societatis Querimoniam istius Crudelitatis detulerunt*, opem implorantes. Qui eam, in *Cœtu Sociorum*, recitarunt; ingenti mærore Audientium, & magno propè motu Civitatis. *Indica Societas, admodùm acri libro edito, Batavis exprobravit Cupiditatem, Crudelitatem, Audaciam, Novam & singularem prædandi rationem,*

1623. *fictam Conjurationem, Carcerem, Vincula, Verbera, Tormenta Sociorum, Acerba supplicia, Sanguinem insontium. Tortoris Sævitiam, indignissimam necem Innocentium nullo Crimine.* Hanc Injuriam, Ignominiamquè Nominis *Britannici*, severè vindicandam; nec tot, tantaquè Dedecora multa relinquenda; Nequè dissimulatione prætereunda; cum tantum Resp: vulnus acceperit, Civesque cruciati, & necati impunè fuerint. his multa addita erant, ad famam *Batavorum* exagitandam. *Batavi contrà eum libellum, defensionem causæ suæ scripsêre:* Noxamquè, cujus arguerentur, purgarunt, his ferè rationibus, & Argumentis; *Supplicia in Convictos Conjurationis, Delatorum Testimonijs, Confessionibus suis, & Auctoritate Quæsitoris constituta; urgente metu, periculoq; præparata Conjurationis, damnatos, ad Supplicium traditos; exortam ardentem flammam, paucorum Dolore, & Morte restinctam; Naves Anglorum, atquè Merces diligenter asservatas: post oppressam Conjurationem, nulli aliorum Injuriam in India factam, bonis direptis, aut Mercibus ademptis.* Denique, promulgatas Criminationes diluunt, excusato Popularium facto, qui tanto se facinore obstrinxerunt. Verùm, pudendam, & atrocem Infamiam Cruciatuum, ac Tormentorum, tàm facile diluere non potuerunt. Repressusquè in præsens Vulgi, in Civitate, rumor; *haud perindè Crimine, quàm Odio Batavorum accensi, ob Quæstum maximum; ad quem, labore & Industriâ, terrâ, Mariquè pervenerunt.* Qui non Prædonum Insidijs, non Tempestatum periculis territi, in *Africam*, atquè *Indiam* securi navigarunt. *Tulit Civitas moderatè Batavorum Maritimam Dominationem, primas partes vindicantem*; prospexitquè *totius Orientis Commercium*, præmium Interfectoribus futurum; plùs apud Regem valuit salus Reip:, quàm sensus recentis injuriæ. Qui Fœdus cum Batavis colere, æquum & honestum putavit; ac, hâc tempestate, publicè utile; *ingruente Bello Batico, Protestantibus gratum, atquè jucundum.*

Sed in magno Odio, apud *Pontificios*, fuit *Batavorum* Potentia, Terrâ Mariquè; ad quos omnium Nationum pecuniæ fere pervenêre. *Iacobus, non modò per Britanniam, sed etiam per Indiam, Originem Odij atquè dissidij, quod utramquè gentem posset evertere, repressit:* quoniam id, communis Utilitatis ratio postulabat. Hanc *Regis* sententiam *Prudentes* approbarunt. *Leves*, Batavos oderunt; quorum Opes Virtute, ac Industria, indies creverunt; *cum eorum potiùs Æmulari Diligentiam oporteret.*

Inter tot prospera, quædam *Batavis* adversa acciderunt; *Centum & Sexaginta eorum Naves, in Hispaniæ Portibus captæ.* Præfecti, Navarchi, Nautæquè, cum nequè repugnare, nequè in Mare effugere possent, *gregatim conjecti in Carcerem*; bona erepta; Merces ademptæ. *Nam Philippus Rex, in Ditione suâ, Batavum neminem Mercaturam facere voluit.* Negotiationem *Maritimis Germaniæ Civitatibus* concessit, quæ in Fœdere, Amicitiâque *Baticæ gentis* perpetuò manserant. At *Batavi*, tempus, atquè Occasionem Doli & fraudis quærentes, *sese harum ipsarum Civitatum Cives simularunt*; ut in Portibus, ac Urbibus *Hispaniæ*, impunè negotiarentur; quod *Carolo Columna, in Britanniâ Legato*, in Suspicionem venerat. Is Speculatores in *Hollandiam* misit, ut investigarent, perscrutarenturquè Naves, quæ Oneribus & Mercibus instructæ, in *Hispaniam* cursum tenere destinaverant, ut Commercium ibi facerent: deindè eosdem Testes in Juditium produxit; *qui Iurati docuerunt Fraudem Batavorum, se Germanos mentientium, Spe Quæstus, Compendijquè.* Præfecti, & Navarchi comprehensi, metu gravioris pænæ, detegunt fraudem. *Sinè Morâ captæ, & confiscatæ Merces.* Quâ de causâ, excitatum est *Batavorum in Hispanos acrius Odium. Qui inito cum Turcis, Maurisq; Fœdere, ut Australem Hispaniæ Oram, quæ ad Mare Mediterraneum vergit, vexarent.* ipsi Citeriorem Hispaniam Classibus infestam reddiderunt; & *utramquè Indiam*; fumantes *Baticas* Naves, in Portibus & stationibus sæpè reliquerunt.

Principio hujus Anni, res in *Germaniâ* aliquamdiu quietæ fuêre; *Fœderatis Proceribus* subactis, & ad Obsequium redactis, per Metum, ac Desperationem. Mox *Cæsar*, pacatâ Germaniâ, majora moliri cæpit; *& Concilium totius gentis, Ratisbonam indixit.* Cujus cum dies venisset, orsus est, *Fredericum Turbæ ac Tumultus Concitatorem, spreto Palatini Titulo, Insigne Regis Bohemiæ, & Nomen usurpasse: omnia repagula Iuris, Obsequij, & Officij perfregisse; communes Christiani Nominis hostes in Arma egisse; ejus Crudelitate, Audaciâ, atq; Scelere turbatam Bohemiam; Austriam Rapinis, Incendijs, bonorum acerbis atq; indignis Direptionibus vastatam; Imperij vim, ac Majestatem violatam; spretam Auctoritatem, Mansuetudinem, & Clementiam suam: Sanguine Protestantium, vulneribusq;, restinctum commune Incendium; Ope magis divinâ, quàm humano auxilio debellatos Rebelles; quamvis non defuerit Saxonis, & Bavari strenuè navata Imperio opera. Se igitur, præsertim in hoc frequenti Procerum Concilio, gratias agere Electoribus, & Principibus omnibus: pronuntiavitquè, Palatinatum ad se Iure belli devolutum, tot Scelerum causâ, confiscari Iure debere: ac tanto Merito Bavari, tantoquè in Imperium Beneficio VIIviri Titulum debitum, & VIIviratum ex plenariâ & Imperatoriâ potestate suâ, in Bavariæ ducem transferri oportere, ob navatam Imperio operam, & uno fœliti Prælio recuperatam Bohemiam.* De hâc re variæ Sententiæ fuêre. *Summi Proceres, Britanniæ, & Daniæ Reges, Saxonem & Brandeburgicum, Electores, Primoresquè Germaniæ, pro Frederico, per Oratores, deprecantes*, in tali tempore offensos nolebant: & differebant, *Plenitudinem Potestatis, legibus contrariam, non esse admittendam: Clementiam, Benignitatemquè Rigori Iuris præferendam. Alios delinquentes in Cæsarem gratiam consecutos: Fredericum inauditum, Indefensumquè, sinè Ordine Iuris, sinè Causæ Cognitione, sinè Exemplo condemnatum; Cæsarem, Electorum Auctoritatem sustulisse: Omnes VIIviros, antè eum, Iuditium de se Electorum passos; eos nunc deteriore Conditione esse non debere, quàm apud Majores fuerant. Rem mali exempli esse, Imperatorem Constitutiones Imperij subvertere. Certè Translationem istam considerandum, an Palatino*

excluso,

excluso, filij ejus, Pupillari ætate; aut Frater præteriri possint; qui nihil deliquerunt. Rectius igitur facturum Cæsarem, si pro Dignitate suâ, ac Salute Imperij, Clementiam Rigori, Veniam Pœnæ anteponat. Multò maximum decus ostentaturus, si Pacem Concordiam, ac Securitatem Imperij quæreret. Quod si in extremâ Sententiâ Translationis persistat, quæ ruinam Imperij afferret, Memoriamq́; tàm atrocis pœnæ ad Posteros deferret; funestissimum Bellum portendi. Hæc à Protestantibus dicta sunt; quibus Spes una videbatur esse, *si* VII*viri ejusdem Religionis Cultores Cæsari intercessissent:* Excitatiquè tandem duo, *Saxo, & Brandeburgicus,* qui Cæsarem incæpto absistere literis monuerunt: & renuntiaverunt, *Perpetuandæ Pacis, ac Concordiæ viam, non esse in Electoratus translatione; sed in Palatini in integrum Restitutione.* Hoc Tempore, eorum literæ de Translatione VIIviratus, *in Conventu Ratisbonæ* recitatæ; nuntiantes, *publicum periculum à vi hujus Tempestatis instare; si Rigore Iuris uti pergat: ac Imperij Leges, atq́; Constitutiones aliter suadere; quibus ad eam diem viverent Electores, Principesq́; Germaniæ.* Pontificiorum Sententia fuit, *Vim contrà Cæsarem, supremum dominum, perniciosò exemplo factam: Bohemiam vi & armis occupatam: Austriam direptam, incensamquè: afflictam Germaniam: Authoremq́; tàm atrocis Injuriæ publicè vindicandum. Cæsarem Causas Translationis gravissimas habere, fundatas in Constitutionibus Imperij, Moribus, & Exemplis. Negarunt se in Morâ esse, quò minùs, quod More Majorum, legibus & Institutis Imperij permissum esset, decerneret.* Cum Quidam referendam rem ad Suffragia censerent: Alijs melius visum esset, differri eam Consultationem, *donec Absentes* VII*viri, & Reguli convenirent;* Solennia Comitiorum servare placuit; ac præsentes Proceres ad Suffragia vocare. Quibus numeratis, Cæsar Definitivam Sententiam pronuntiavit, *quâ Palatinum Perduellionis reum dixit; sed Pœnitenti, ac deprecanti paratam Clementiam;* VII*viratumquè in Bavarum transtulit. Liberorum, ac Fratris Ius, ad hunc Titulum honoris, Electoribus dijudicandum reliquit.* Sed idipsum quod consultandum reliquerat, præjudicavit, ac revocavit ad arbitrium suum. Hoc Decretum promulgatum, *Protestantibus* triste & luctuosum; ac *Germaniæ* calamitosum fuit. Nec omisit *Cæsar,* per idem tempus, crebris literis *Conditiones offerre Frederico; & ex Authoritate Soceri, Pacis leges dicere.* Rescripsit Rex, *dirimi bellum non posse, nisi Cæsar Palatinatum, ac* VII*viratum à Majoribus traditum, Genero redderet; & pax Protestantibus in Germaniâ restitueretur; quorum Agros, Tecta, Vrbesquè populatus esset.* Questusquè graviter est, *ademptam Dignitatem, nondùm Induciarum tempore circumacto, contrà fidem Conventionis, Londini factæ. Cæsaris Ministros in Congressibus, Colloquijsquè insidiari; & dicta factaquè sua speculari.* Respondit *Cæsar, si Fredericus Securitate publicâ datâ, ad Veniam petendam Viennam supplex veniret, Britannici Regis causâ, Palatinatum Filio restituturum se, Patri Tutelam, Curatelamq́; daturum: de* VII*viratu deliberaturum; præstaturumquè, ut Bavaro mortuo, ad Filium quoq́; transferretur:* Nuptiasquè *Filiæ suæ cum Palatini Filio adjecit, si placerent.* Hæc dicta, Promissaquè ab *Imperatore,* præbuit *Rex* aures ad Spem Pacis attentior; ac crebris literis, Nuntijsquè ad *Generum* Conditiones retulit. *Fredericus,* humillimis verbis *Socero pro Curâ, Charitate, Patrocinio, ac Sollicitudine gratias egit: addiditquè, Cæsaris fluxam fidem, & vitæ suæ discrimen, si ad petendam Veniam, Viennam proficisceretur: Restitutionis in integrum Spem irritam, vetustâ Dignitate familiæ in aliam domum translatâ. Iacturam Dominij, Ditionisquè, leviorem damno summi honoris, quem à Majoribus suis acceperat. his Conditionibus plùs amitti, quàm acquiri. Tutelam filij nunc primùm repertam, in Solatium Patris, bonis omnibus exuti.* Deniquè indignari cæpit, *Ferdinandum, Subdola Affinitatis obtentu, Moras ac dilationes quærere; ut Amici Reges, & Cæteri Sociorum Principes, Belli Munia segnius obirent.*

Iacobus, tentato per occulta Colloquia, *Generi* animo, sensit, nullam Pacis Conditionem, nisi fieret Restitutio Juris, Ditionis, ac Dignitatis. Undè aliam Spem tentavit, ne in tantò discrimine desereret exauthoratum Generum; ac *Daniæ Regem* oravit, obsecravitquè, *ut Generis, Sanguinisq́; sui memor, Genero, Neptiq́; ex Sorore, Præsidio esset, ac terrori hostibus.* & Secretis sermonibus incitavit, *ut se Belli ducem adversùs Cæsarem* præberet, Ministro sermonum *Roberto Austruderio, Equite.* Qui apud *Danum* comiter, liberaliterquè educatus, perfamiliari hospitio usus fuerat. Hic pollicitus, non defutura *Britannorum* Auxilia; *Sociorum* Præsidia, Stipendia Militibus. Cunctantem super tantâ re Danum, fluctuantemque; animo & palàm abnuentem, se Victis partibus ducem præbere; per Secreta Colloquia impulit, *ut urgeret Bello Cæsarianos; & Inferioris Saxoniæ Dynastas, Frederico conciliaret, ad recuperandum Palatinatum. Danus* sedulò id agere, ac moliri cæpit: tentatis, per occulta Colloquia, *Regulorum* animis, *ut deficerent à Cæsare:* aut si qua Occasio data fuisset, *Palatinum adjuvarent.* Nequè id difficile, aut arduum fuit, prosperâ per Provinciam *Palatini* famâ, & magnâ Miseratione ruentis domus. Igitur diem locumquè Colloquio constituunt, *& Luneburgum Colloquio destinatur.* Eò frequentes *Reguli* convenêre; *ac Maritimarum Civitatum, in Sinu Baltico legationes;* Nuntijquè à Regibus venerunt, navatæ operæ pretium demonstrantes, Salutem, Libertatem, & Securitatem *Germaniæ.* Duorum simul Regum Authoritate incitati ad Bellum Reguli, in alieno discrimine sibi metuentes, *Gulielmus Brandeburgicus, Vlricus Brunsuicensis, Megalopolitanus; Item Holsatiæ, ac Pomeraniæ Duces, & Maritimæ Civitates; Bremensis, Hamburgensis, Lubecensis, Stadiensis,* sinè cunctatione in partes transgressæ, operam pecuniamquè obtulêre; quæ statum Imperij miserantes, Populum *Germanicum* liberum esse voluerunt. Collocutique *Reguli,* de ratione Belli gerendi consultarunt; & omnium Sententiæ congruentes fuêre; Delectum habendum, ac Remedium Tempestivum publicis malis quærendum. *In hoc Conventu creati Tribuni, Præfecti, & Centuriones,* Dilectum Militum per Agros habuerunt, Tyronum magnâ ex parte. Deliberatumquè, *Cui summum Imperium Exercitus permitterent. Christianus*

Brunsuicensis,

1623. *Brunsuicensis, Harberstadiensis Episcopus, illic cum Fratre agens, Ducem se partibus obtulit, Frederico fidus. Cura belli ex Authoritate Vlrici Fratris, Christiano data*, Viro majoris animi, quam Consilij. Qui flagrans cupidine Ultionis, *Quinq; Millia Equitum, & Sedecim Peditum* brevi tempore conscripsit, summo studio *Regulorum, Civitatumq;*. Jamque abundans multitudine militum, Disciplinâ, atquè Imperio imbuit; ut acceptæ Cladis maculam aboleret; *amissi Brachij* Injuriam vindicaret; labantem Sociorum fidem, tot adversis prælijs, refocillsret.

Interim *Mansfeildius*, reliquas Exercitus sui vires contraxit; *& hortantibus Batavis, in Vestfaliam irrupit*. Ibi oppressis Monasterijs, & Vicis incensis, *Frisiam Orientalem* invasit, cum omni Immanitate: fretus *Brunsuicensis* Copijs, has Expeditiones suscepit; quem jam affore nuntiabatur. *Cæsar* his turbis anxius, & discrimine suorum, nisi propetè laborantibus subveniret, *ad Tilium Nuntios, literasquè misit, ut res Inferioris Saxonia maturè aspiceret, ac Brunsuicensis Temeritatem in tempore cohiberet. Anholtinum, Coloniensis Præsulis Legatum, & Cordubensem*, Cæterosquè sibi fidos monuit, quantus Imperio Terror impenderet, nisi difficillimo tempore opem ferrent; & ingruenti per *Vestfaliam, Frisiamquè* bello, suas vires opponerent. *Tilius*, ubi Mandata Imperatoris accepit, & excitos *Inferioris Saxonia Regulos* cognovit; Veteres Milites in hibernis relictos celeriter eduxit: *& per Hessiam, in illam ultimam Germaniam* properantius penetravit; & se suasquè Copias *in Saxonia Inferioris finibus, Harberstadiensi* opposuit; in *Eshfeildio* orsus Bellum, urendo, populandoquè, ac plurium Urbium Excidijs. Indè in *Agrum Brunsuicensem* legiones duxit, ubi *Berlepsium* intercepit; *Fredelandiumquè, Volfelbytensis Ditionis munitissimam Arcem*, per Deditionem occupavit. *Harberstadiensisq;* ad Arcem liberandam profectus, re infectâ in Castra redijt. *Ferdinandus* suoptè ingenio pavidus, & Conspiratione Regulorum territus, Clementiæ Famam affectavit; statuitquè bellum potiùs Moderatione extinguere, quàm vi, & armis universum Imperium in discrimen adducere. Proindè Nuntijs, literisquè, *Salutem & veniam Brunsuicensi, Comitibusq; obtulit, si positis Armis ad fidem & Obsequium redirent*. Ad hoc ille, magno & erecto animo, respondit: *Nequaquàm congruum honore suo, abolitionem Criminum accipere, nisi universis Militibus, ex æquo indultam. Igitur malle in discrimine esse vitam, Corpusq; suum inter Signa Vexillaq;, quàm cum dedecore pacisci*. Extant alternæ *Tilij, & Brunsuicensis literæ*, arguentes invicem Contumeliosè Cædes, Rapinas, Scelera, Incendia, & Direptiones Urbium. Ita Conditionibus confici bellum nequit. Abruptâ undiquè Spe Concordiæ, *Tilius Brunsuicensi se objecit*; multumquè terroris ac tumultus, infesto Exercitu, fecit. Ille incompositos, & Prædæ cupidine contemptius vagantes hostes adortus est, ut Fame Exercitum urgeret. *Reguli* cum bellum accersitum in *Saxoniam Inferiorem* cernerent; ploratum Agrestium exaudirent; flagrantia per Vicos tecta conspicerent; *& Tilium* in finibus suis urentem, populantemque Pagos; misso ad *Brunsuicensem* Nuntio, postularunt, ne ipse cum Exercitu Popularibus oneri esset; Neu in Patriâ suâ bellum crudelissimum excitaret; sed in proxima hostium loca Copias properè abduceret; ut latè populando Militem suum prædâ expleret; hosti Inopiam Alimentorum faceret; ac procul à Patriâ summoveret. Quod nisi impetrarent, denuntiarunt, Bellum, ejus culpâ, in *Saxonia circulum* accersitum; mansurumquè in visceribus Provinciæ; & Patriam Belli tærerrimi Theatrum futurum. Ille Authoritate *Vlrici Fratris*, precibus *Regulorum, & Popularium* miserabili fletu permotus, cum Exercitu omni in *Vestfaliam* rectâ proficiscitur, *se Mansfeildio adjuncturus*; ut ipsi, conjunctis Copijs, rem gererent; & *Visurgi, Flumini* Castra applicuit. Mox trajecto ad *Hammelam* per Pontem fluvio impositum Exercitu, ad *Lippiensem Comitatum* flexit iter. Indè in *Monasteriensem Episcopatum* legiones duxit. *Tilius*, explorato hostium Itinere, insequendi eos consilium cæpit, ne cum *Brunsuicensi Regulo, Mansfeildioquè*, conjunctis omnibus Copijs, simul futurum certamen sibi esset. *Primum suum Agmen* subsequi, citato gradu, Novissimum hostium jubet; & terrorem tumultumquè inferre cedentibus. Ipse cum reliquo Exercitu sequitur. *Visurgim trajicit, quem Brunsuicensis Exercitus paulò antè trajecerat: & per Paterbonensem Diœcesin* iter faciens, hostem festinantem persequitur. In Angustijs pugnæ multæ leves, variâ fortunâ, fuêre; & tumultuario Agmine magis, quàm Acie concurrêre. Intereà, *Brunsuicensis* abhorrens à Certamine, nisi Necessitas cogeret, antequàm *Mansfeildium* cum omnibus Copijs operientem assequeretur; *trajecto, ad Shomditum, Amisi fluvio*, ruptoquè Rivi Ponte, quia jam hostem affore nuntiabatur, haud procul *Ahusio* consedit. *Tilius*, assumpto *Anholtino, Coloniensis Archiepiscopi legato*, qui ad tuendam *Vestfaliam* ibi in armis erat, viribus & Numero superior, ire obviam hosti parat; ne ulteriorem dimicandi Moram faceret. Ut conspecta inter se Agmina sunt, *statim instructa Acies*, displosa majore metu quàm damno *Tormenta*; procul Missilibus pugna eluditur. Repentè, in ipso Certamine, *Brunsuicensis*, superato juxtà *Ahusium* angusto Transitu, citato agmine è conspectu abijt, sinè periculo universi Prælij; *quia hostibus prospectum ademerat fumus Tormentorum*. Jamquè conspecti à *Cæsarianis* erant abeuntes; qui hostium formidine compertâ, incompositi, inordinatiquè persequi cæperunt. *Tilius* inconsultum impetum suorum Militum inhibuit; & instructâ Acie festinavit insequi cedentes; qui in Angustijs viæ, *Cæsarianis se objecerunt*; & impetum in eos fecerunt. *Tilius* attentior ad cavendum, aliquot ex suis in ipso certamine amissis, Transitum superavit, cum Spe per Dimicationem rei decernendæ; & instuctos hostes ad *Vulenum Pagum* assecutus, Prælium redintegravit, crebris Tormentorum ictibus. *Brunsuicensis* non fidens Tyronum Exercitui, Acie dimicare cum hoste noluit; & rursùs se recepiens, *Hammoro fluvio trajecto, in Louorensem Ditionem evasit*: raptim acto Agmine,

Bredfordiam petiturus. *Niphusenum Tribunum*, cum Præsidio, ut moraretur in Transitu fluminis hostes, reliquit. 1623. *Cæsariani* tumultuosè flumine trajecto, in Stationes *Tribuni* impetum fecerunt: qui primò turbavit incompositos; dein plures transgressos non sustinuit, Tandem, *Cæsarij duces*, toto Agmine traducto, instructoquè, & dispositis ad pugnam Tormentis, quicquid virium erat hosti opposuêre; priusquàm satis instrueretur Acies, aut locari Tormenta, aptariquè pugnæ possent. Nec *Brunsuicensis* detractavit Certamen, cum Acie decernendum videret: *Signumq, pugnæ proposuit*. Sed tantus fuit ardor *Cæsarianorum*, cum Prælium inirent, ut Vultus Oculosquè afflante vento, pugnam capesserent. Cæterùm, Tria eorum Tormenta, quæ superiore loco posita fuerant, stragem hostium fecerunt; extemplòquè *Prælium commissum est, ad Statloum Vicum*, in quo *Brunsuicenses* primum impetum aliquamdiu sustinuerunt. Mox territi, ac trepidi, seu famam Veteranorum, seu vim non tulêre. Multi cæsi; fugam cæteri solutis Ordinibus cæpêre, quà cuiquè proximum; Alij super Alios se præcipitantes. Ipse Dux, ubi inclinatam Aciem, ac effusè fugientes suos videt, retinet cedentes, Pugnam Manu, Voce, Vultu sustentat. Ut satis comperit, Authoritate Ducum Milites non commoveri, Ipse cum omnibus fermè Equitibus, *Bredfordiam effuso cursu profugit; quæ Batavorum Præsidio tenebatur*. fugientibus *Croatæ* Equites institêre; & Cladem ingentem ediderunt. Stratæ Cadaveribus viæ, oppletæ fossæ. In tantâ Cæde miserorum, hostium Ira in Misericordiam versa est. *Iubente Tilio*, ut dedentibus se, abjectis armis, parceretur. Nec *Croatæ* ultrà institêre, audito Tubæ Signo. Tradunt Scribentes, *Brunsuicensium duo Millia occisa, Quinq, dispersa*, per Vicos, & Agros interiacentis Campi. *Quingentos Cæsarianorum in Acie cecidisse*. Constat certè *majorem Captivorum, quàm interfectorum numerum fuisse*: nam eorum Agmen, velut pecudum, *à Croatis* agebatur. Inter Captivos, Nobilitate insignes fuêre, *Gulielmus Saxo Vinarensis; Fridericus Saxo Altenburgicus; Comes Isenburgicus, Ioannes Philippus, Comes Rheni; Comes Lovensteinius; Comes Sbliccensis; & complures viri Militares, Præfecti, Tribuni, Centuriones. Sexaginta Militaribus Signis, Vexillis; Octodecim Carpentis, Impedimentis, & Tormentis Sedecim*, hostes potiti sunt. *Cæsarianorum* exigua fuit jactura. *Tres Equitum Præfecti cæsi; Tilij filius, Marchio de Granâ, & Præfectus vigilum vulnerati. Brunsuicensis*, inumbrante Vespero, relliquias Exercitus sui cum curâ collegit; palantes per Agros ad Signa revocavit. Postero die, ingens Spatium emensus, in ipso Itinere pluribus aggregantibus se, *in Hollandiam concessit*. Ubi compertâ Clade, ingens luctus. Hæc Pugna Memoriam *ad Hecatam acceptæ Cladis* renovavit. *Literæ Tilij, de rebus prosperè in Vestfaliâ gestis, Viennam & Bruxellas allatæ*, corda Civium lætificarunt. Supplicationes Numini decretæ; lætitiam Hymnis apertissimè testantes. *Papani* inaniter exultantes in Municipijs, bacchantesquè, *Iocularia, in Brunsuicensis ludibrium, Carmina meditantur*, lascivèquè modulantur; nescientes divinam Providentiam in omni re dominari, ac in Prælijs præcipuè. *Ille Cladis culpam à se in Niphausenum Tribunum transtulit*. Qui ad insidendum Transitum relictus, Furori atquè Audaciæ *Cæsarianorum* perrumpentium temerè cesserat. Nequè Colloquium posteà *Tribuno* dedit: sed seposuit à Comitatu suo, *& in Skenkij Propugnaculum* conjecit.

Tilius Victor, circà Bradfordsam Exercitum habuit, placidè, & constanter agens; assumptisquè *Cordubensis* Copijs, restituit quæ in *Vestfaliâ* vastata bello fuerant. Ob has res gestas, fortitudinem, fælicitatem, & Moderationem animi mirantur homines, & laudibus extollunt istam præclaram Victoriam ejus. *Mansfeildius, omissâ Vestfaliâ, ingressus est Frisiam*. Certior deindè factus *Tilius, Mappenam Urbem* receptaculum hostium esse, quæ Præsidio *Mansfeldij* tenebatur, eam omnibus Copijs aggredi statuit. *Præsidiarij*, recenti Victoria, & Adventu *Tiliani Exercitus* territi, relictâ Urbe Fortunas Civium diripuerant, & Pecora omnia *in Frisiam Orientalem* asportarunt. *Mox in Oppidum Præsidium Cæsaris acceptum est*. Ubi hæc comperta *Mansfeildio, in Frisiâ Castra metatur*, ad muniendum intentus; perpopulaturquè omnia loca, quà Hostis venturus credebatur. Undiquè ad se contraxit vires, & Belli Socios expectat. *Brunsuicensis*, aliquot ex suis *in Urbes Batavorum*, Præsidij causâ, dimissis, *cum comperisset, Mansfeildium, relictâ Vestfaliâ, Frisiam Orientalem petijsse*; ipse quoquè, itinere Pedestri, cum Quatuor Millibus armatorum, petijt: ut junctis viribus, hostium Tecta, Vicos, Agrosquè popularentur; Commeatum, ac Frumentum *Tiliani Exercitus* interciperent. Et *Mansfeildio*, Castra munienti, supervenit. Intentiusquè Ambo Duces ad muniendum versi, Castra Paludibus septa, fossâ, Valloquè circumdant.

Inter hæc, *Embda Urbs, quæ caput Regionis erat, ad Ostium Amisis fluminis sita*, Multitudine Civium Incolarumque, ac Portus opportunitate inclyta, *Seditione* laboravit. Factio una *Cæsarem, Iberos, & Tilium*, qui propior erat; Altera, *missis ad Batavos Nuntijs*, eos ad Auxilium Urbis accersebat. Qui priores venerunt, & magni momenti Urbem Præsidio, ac omni bellico apparatu instruxerunt; ne *Tilius* imparatam, ac nihil tale suspicantem aggrederetur. Postquàm *in potestate Batavorum Urbs erat*, fremuerunt *Iberi*. *Batavi* in Municipijs exultarunt, *Embdam hostibus ereptam*: non solùm aspernantes *Nomen Baticum*; sed etiam Clamore abominantes.

Tilius, ubi accepit hostes in Frisiâ Paludibus clausos, difficiles & arctas vias esse, quâ iret; cum peritis Itineris consultavit, *ne inermis Provincia Mansfeildio strenuo duci*, Comitiquè ejus, victas Cohortes ad invadendam *Frisiam* trahenti, exponeretur, & brevi continuis Itineribus, ad hostem pervenit, ad muniendum intentum. Quem, postquàm, Castris se tenentem, detrectare Certamen videt, Tribunos, Præfectosquè in consilium adhibuit; consultans, an Munimenta tentaret; ac per Fossam,

1623. per vallum Castra invaderet. Cum omnes rem haud facilem censuissent, placuit præmitti, qui explorarent situm Castrorum. Periti Militiæ, ad speculandum præmissi, retulerunt; oppugnare sinè magnâ Clade, sinè certâ pernicie, non posse. Itaquè omissâ Castrorum Obsidione, proxima quæquè *Frisia loca* populari, ac urere cæpit; ut hostes Inopiâ Pabuli, Frumentiquè urgeret. Indè in *Vestfaliam* universo cum Exercitu redijt. Quam totam *ad Defectionem à Batavis vi aut Metu coegit*; pulsis eorum Præsidijs, & *Germanis* in Præsidia missis. *Sparemberga*, sinè certamine, *Tilio* dedita est. Priusquàm traderetur, Præfectus qui Urbi præerat, pactus est, ut Milites abducere liceret instructos, armatosquè, sub Signis. Indè alias Urbes ejusdem Provinciæ *Cæsarijs partibus*, Minis aut Authoritate adjunxit: hâc lege, *ut Batavorum Præsidia extemplò deducerentur: Factâ Centurionibus, Militibusq; abeundi potestate.* Quâ impetratâ, *in Bataviam ad Aurasionensem* statim redierunt; rem eo tempore haud facilem aggredientem, *Oppugnationem Vrbis Antverpiæ*, Terrâ Aquâquè; quam frustrà tentavit; & properè inde re infectâ redijt.

Eodem fortè tempore, quo res ad *Antverpiam* malè gesta est, *Berneveltij liberi*, qui ob Dedecus domus suæ in Agros secesserant, magnum ausi facinus, quâcunque Arte poterant, Paternæ Cædis Ultionem audacter parant. *Aurasionensem Principem interficere statuunt*, & per Cædem ejus Remp: pessumdare. Sed quia *Henricus Nassoviæ Comes, Vltor fraternæ Cædis, si superesset, metuebatur, ipsi quoquè, pari Perfidiâ, Insidias struunt.* Homines perditos ad facinus improbum Pretio, atque Mercede conducunt. Tempus, locusquè constituitur. datur negotium Insidiatoribus, ut spectatâ Opportunitate, trucidarent. *Nec multum absuit, quin interficerentur: Nisi duo Nautæ, Roterodamenses, arreptis Criminis Suspicionibus, periculo liberassent*: nuntiassentquè paratas instructasque Insidias: *Conjurationis Authores Gulielmum, & Renatum Berneveltios*; jam diu infestos Principi, *Adrianum Dorkium, Secretarium Bleivetensem*; *Davidem Cornvinderum, Secretarium Bercelensem*; *Henricum Slatium, Concionatorem Arminianum*; Ministros, Adjutoresquè Sceleris, homines præferocis animi, *Cornelium Geritium Verdensem*; *Hermannum Hermansonum, Embdensem*; *Ioannem Nicolsonum, Studdensem*; *Theodoricum Lindersonum, Carnicensem*; *& complures alios ad facinus perpetrandum delectos.* Post delatum Iuditium, edixit clam Princeps, ut Auctores comprehenderentur: extemploquè, Jussu ejus, *Quatuor qui nominati fuerant Socij Sceleris, in Diversorio, Hagæ, cum telis comprehensi sunt: à quibus ordine præparatas Insidias cognoscit.* Inter quæ, *duo Berneveltij*, haud ignari, quam ob Causam comprehenderentur, *dissimulato Cultu, fugam maturant*, ut metum Supplicij præverterent. Quorum *Alter, Nautico indutus habitu, Hamburgum profecturus, ex Itinere retractus, Hagam deductus est.* Alter, cum *Adriano Dusseno*, qui eum propinquâ Cognatione contingebat, *Gocham*, suæ Salutis tuendæ causâ, profectus, discrimini exemptus est. Milites *Slatium fugam captantem, agresti Cultu habituquè, consecuti, Hagam vinctum retraxerunt.* Primò, Quatuor in Diversorio comprehensi, Causâ dictâ pro Tribunali, Sceleris Conjurationisquè damnati, ad Supplicium traditi, dissectiquè sunt, summâ hominum frequentiâ. Deindè, *Renatus Berneveltius, Cornvinderus, & Adrianus Deikius*, More Proditorum, enecti. Postremò *Slatius, & duo fratres, Ioannes, & Abrahamus Blancarti*; *ac Gulielmus Pertius*, ejus facinoris insimulati, damnatiquè, cum Crimen ultrò faterentur, debito Supplicio Scelus luerunt. *Aurasionensis Princeps* hoc periculo liberatus, *multiplicatis Custodibus Corporis*, in futurum intentius defendebatur. *Berneveltij liberi*, & Affinitate aliquâ, aut Propinquitate conjuncti, hunc exitum exitialem habuêre, Mortem, & Exilium. *Nautæ Indices*, quorum operâ Conjuratio detecta est, *privatim à Principe, publicè ab Ordinibus, Præmijs, Muneribusquè culti sunt:* ea Charitas Principis apud Ordines, pro Virtutibus, & magnis in Remp: Meritis.

Per eosdem dies, *Bethlemus Gabor, Daciæ Princeps*, cui *Cæsar* incrementa Dignitatis, & latifundia largitus est, turbandi res Occasionem quærens, *Spem Pannonici Regni affectat*: Legatos *Constantinopolim* mittit, suadente *Turrensi Comite*: Qui *Batavorum* Terrâ Mariquè Potentiam, Opes, Viresquè *Partium Frederici* nuntiarent: & turbari rursùs Civilibus armis Germaniam; *Auxilium præsens à Turcarum Imperatore, ad concitandum bellum, adversùs Cæsarem, peterent.* Instigando monet, *nunc tempus esse invadendi Germaniam, magnâ Procerum, Incolarumquè Cæde vastatam: dum turbata omnia essent; dum ipse, Daciâ retentâ, juvare posset Conatus. Sultanus, fidem fæderis cum Cæsare Turbis potiorem ratus*, Postulata aspernatus est; ne inter domesticas discordias, res externas moliretur. *Bethlemus* hâc Spe dejectus, non despondit animum; sed extemplò *rupto Fædere, movit adversùs Ferdinandum Bellum*: illum satis implicitum *Germanico Motu* ratus, ne *Pannoniam* respicere posset. Conjuncto *Turcico Exercitu*, magno tumultu *Pannoniam* irrupit. *Duo Propugnacula S. Andreæ, & Levua*, quæ Cæsari tenebantur, corruptis donis Muneribusquè Præfectis, ad Deditionem subegit. Eò properantius *Granum flumen* transgressus est; ut fracto *Teisenbachij* Exercitu, *Hungariam Cæsari auferret*; quem incuriosius agentem, ad Deditionem Fame coegit. Jamquè utrâquè *Danubij* ripâ potiebatur; & Oppida exscindere parabat, *à Tirnaviâ* orsus, cui *Vanglerus* præerat. Is ut victum *Teisenbachium* comperit, re novâ attonitus, in Deditionem venit. Postero die, *Sbutensem Insulam* adortus, brevi in potestatem redegit: & *Presburgi Suburbia* diripuit, non sinè Contumeliâ, ac Cruciatu Civium. Postremò *Hungariam totam* terrore tumultuque complevit; vagantibus passim armatis, magnâ ex parte *Turcis*: & *Moraviæ* finitima loca, infesto exercitu, vastare cæpit. Periculum ingens Provinciæ minitans, nisi *ad Obsequium Bohemiæ Regis* rediret: & huc illuc trahens bellum, prout conduceret. *Præfecti Cæsaris in Hungariâ relicti*, viribus impares, ejus impetum refrænare non potuerunt.

Ferdinandus

Ferdinandus, auditis ijs, quæ in *Pannonia* acta erant, extemplò in Curiam Senatum convocavit, & ex Authoritate ejus; *Tilij Copias revocavit*. Defectionem *Pannonia* metuens, quæ suæ Ditionis Tutelæque esset, nisi Turbis tempestivè consuleret, Urbes Arcesquè Præsidijs firmavit; *& Expeditionem subitam in Hungaria & Moravia fines, Marchioni Nigri Montis demandavit*: ne florentes Provinciæ Barbaris hostibus exponerentur. Sed *Bethlemus* occupans *Auspitsium, Presuitium, & Felsburgum*, Moraviæ oppida, *Marchionem* Copijs nequaquàm parem, cum terrore ac pavore compulit *intrà Muros Goedingi, ejusdem Provincia Oppidi*: quod Obsidione cinxit, ut Alimentorum egestate ad Deditionem subigeret. Obsessi veriti ne opprimerentur, misso *ad Imperatorem* Nuntio, quanto Urbs in discrimine esset exposuerunt: Qui jussit, ut sibi pro tempore consulerent; Obsidionem tolerarent; expectarentquè *Germanicum Exercitum*, Spolijs hostium ovantem. Pensatis viribus hostium, longinquitate auxilij, coacti sunt *à Sarmatis*, in dubijs rebus, petere Præsidium, & vim Equitum; quâ cæteris gentibus pollent. Intereà in se *Turcici belli* molem verterunt; & pro Salute suâ, Imperio *Ferdinandi*, ac gloriâ gentis, acriter pugnarunt: Nequè ut dederent Urbem, aut *Turcarum* Minis, aut *Dacorum* armis cogi potuerunt. Ubi ad extremum discrimen ventum est, *Palatinus Hungaria, Casaris legatus, cum Dacia Principe ad Colloquium congreditur*; vim, Majestatemquè *Ferdinandi* extollens; ac Temeritatem ejus incusans, orditur., *Victum Acie ad Statloum Brunsuicensem Regulum; Mansfeldium Inopiâ stipendij, Frumentiquè, in Frisiâ conflictatum; dispersas ejus Copias. Palatinum Rheni Bohemia Regno cessisse; Sarmatas per Silesiam Transitum facturos, ad bellum adversùs eum gerendum: usq; ad eorum adventum, Obsidionem duraturam. à Bethlemo petit, ut ipse, positis armis, priusquàm graviore implicaretur bello, Obsidione discederet; in Daciam, atq; Pannoniam, nunc hyeme instante, Exercitum reduceret.* Postremò in sententiam suam pertraxit. Nam primò *fama Tiliana victoria* Bethlemi animum fregit. Dein, auditus *Polonorum* Adventus, omittere Obsidionem, & regredi etiam in fines suos coegit. Tandem infectâ Pace discessêre, *datis in duos Menses Inducijs*, donec Pacta firmarent. *Bethlemus*, Spe abjectâ potiundæ Urbis, domum redijt, aut *Sarmatarum* Minis; aut *Victoris Exercitus* metu impulsus; aut Imagine *ficta Pacis* deceptus. Ut formidinem toti *Germania* redintegratum in *Pannoniâ* bellum intulit; sic tàm trepidus *Bethlemi* regressus fiduciam Salutis Obsessis attulit; cum Fame urgerentur: *Prafecti Casaris* cum audissent pavidum *Daci* discessum, *& Turcarum ex Inferiore Pannoniâ, & Moraviâ turpem fugam*, fugientibus institerunt; multi in Transitu fluminum Mortem occubuerunt; plures fugâ effusâ *Buda Mania* petierunt. Præda ingens *Casarianis* cessit. Extrà prædam *aliquot Millia Christianorum* fuerunt; quorum ut liberi essent, cura habita; *belloq; Pannonico* finis impositus est.

Casar hoc periculo liberatus, & prospero rerum Successu inflatus, *Palatinatum restituere detrectavit*, tot Regibus deprecantibus; *Hispanis, & Ignatianis* vehementissimè instantibus, *ne cum Æmulo Potentia in gratiam rediret*: & Perniciem, ac periculum ostentantibus, si rebus compositis, *Palatinus in Patriam rediret, & Bohemia Regnum palàm ac apertè repeteret.* Undè satis apparuit, non pertæsum belli *Casarem*; Nec aliam Conditionem admissurum, *quàm qua VIIviratum Frederico auferret.*

Cum hic status rerum in *Germaniâ, Bataviâ, Pannoniâq; esset, Lutetia Edictum Pacificatorium*, in Comitiali Curiâ promulgatum est, *quo Rex liberam Instaurata Religionis Professionem, per universum Regnum, indulserat.* Hæc res *Protestantibus* restituit animos, *Papanis* minuit Audaciam; ne Convicijs, & Probris posteà insultarent. *Catera Parisiensis Curia Inclinationem secuta sunt*; ipso Rege, omni verborum honore, celebrante Pacis commoda; Civilis belli furorem, Furta, Rapinas, nefaria Latrocinia exsecrante: hortantequè, ut Procacitatis, Discordiæ, & Contumeliæ Certamen finirent. Indè *ingens fiducia libertatis Protestantibus affulsit.* Pontificij *pacati, & honesti*, in Municipijs exultabant, Populares in fidem Regis venisse. *Novandarum rerum cupidi*, queruntur apud Senatum, vim atquè Injuriam *Protestantium*, in eligendis *Decurionibus*, per Urbes suæ Ditionis, *Exclusis Catholicis*. Decernitur, ut Apolecti ad eam rem videndam mittantur; ne qua vis, aut Injuria fiat. Qui haud gravatè Provincias obeundo, Concordiam inter infensos diutino Odio conciliarunt. Dilucere deindè brevi cæpit, eorum operâ, *Falsa esse Crimina, qua objicerentur.* Non Quenquam à Plebe hominem; non Civem infimum; non Magistratum *à Protestantibus* violatum; sed *Pontificios* occæcatos irâ, infensam Multitudinem in eos accendere; Contumeliosa dicta jacere; difficiles aditus Magistratus petentibus in suæ Ditionis Urbibus præbere. Itaquè universi, incredibili alacritate, Apolectorum Adhortationem secuti sunt, ut fidem ergà Regem inviolatam servarent; animos ad publicas, privatasquè curas converterent; inter se Certamina deponerent; Obsequio, fidequè ergà Majestatem contenderent.

Soli Rupellani, & Monpelienses solliciti, incertiquè rerum suarum, finem Pertinaciæ non faciunt; publicè vociferantes, *Protestantibus in legibus Prasidium non esse, adversùs vim atq; Injuriam Inimicorum. Sustinere non posse intolerandam Superbiam, atroces Injurias, Contumeliasquè eorum: Edicti fidem ruptam esse: Nequicquàm toties palàm armis petitam Urbem; nunc clàm, & dolo circumsessam operibus, ac Munimentis. Prodi Pontificijs Rupellam, per speciem Pacis. Illos novam Obsidionem moliri; & ferociter exitium minitari; Nec ullâ Conditione, nisi deductis Monpelio prasidijs, & dirutis Munimentis, redigi ad Concordiam res posse.* Hæc Quærela passim sermonibus Civium jactata est. Variæ, & incertæ Multitudinis voces fuère, quæ consensu pronuntiarunt, *Apolectos ad Regem mittendos, cum Mandatis, qui Tolosanorum omnis generis Injurias, in se, & ejusdem Religionis cultores, contrà Ius Faderis, commemorarent; in claudendis Fanis, Delubris, Templis eorum. Et cum Rege agerent de Munimento Ludovici diruendo; & Militibus deducendis.*

 Hi ubi

1623. Hi ubi *Lutetiam* venerunt, Congressu Colloquioquè Regio impetrato, Dextram ejus amplectentes, & genibus nixi, supplicites orarunt, *ut suum Beneficium tueretur; Salutem, Libertatem, Religionem, Protestantiumquè Privilegia; Nec ruere, ac deflagrare omnia rursùs sineret, Populatione Agrorum, Incendijs Villarum, ruinis Vrbium, Cædibus, & Direptionibus. Sed Propugnaculum, armis virisq; instructum, ad occupandam Vrbem, dirueret, sicut Pax convenerat. Deduceret Monpelianâ Civitate Præsidium, ex Pacto Deditionis; Edictum Executioni mandaret; & Instaurata Ecclesiæ Privilegia, tot Edictis indulta; conservaret.* Exposuerunt què, *si ea fierent, Armis opus non esse; paratam fidem, & Obsequium. Si non fiant, bellum Necessarium esse; ne, Pecorum more, trucidarentur; bonaquè eorum Interfectoribus præda forent. Itaquè aut Munimentum diruendum esse; Militesquè ad Cædem Civium instructos, dimittendos: aut Conditiones Edicti non accipiendas. Nec Belli defuturam causam, nisi Munimentum, suspectum Civitati, dirueretur.* Hæc ad Regem Nuntij *Rupellani* detulerunt; summissè precantes, *Quid sollicitis, ac lachrymantibus Civibus renuntiare juberet.* Summotis deindè Apolectis, consuluit Senatum, responditquc ex Authoritate ejus; *se ita Pacem pepigisse cum Protestantibus, ut Nova Munimenta Vrbium Solo æquarentur: Nequè aliter Fœdere teneri, si id non fiat. Censuitq; Quicunquè in Morâ essent, bello persequendos. Proindè, aut Pacem, aut bellum habendum. Vtra res Civibus sit utilior, consuleandum. Renuntiandum etiam Concivibus esse, si tutus Romanis Sacerdotibus in Vrbem reditus pateat, ac Nova Opera evertantur, incolumem Rupellam futuram; Pactaquè rata fore; alioqui Exitium Vrbis Tectis, Mœnibusquè imminere. Si quid eorum displiceret, Apolectos ad se redire vetuit.* Hâc denuntiatione perturbati, redierunt. Hoc tàm triste Responsum cum esset renuntiatum *Rupellanis Magistratibus*, vocantur in Concionem Cives, ut Sententiam dicerent. Ibi Alij aliter disseruerunt. Quidam salutaria suaserunt; *Concordiam hoc tempore maximè utilem*; monueruntquè, *ne acrius, quàm consultius Religionis libertatem repeterent; nec ruere ac deflagrare omnia sinerent: Neu arma, nisi ultimâ Necessitate coacti, caperent; ruinâvè Vrbis vitam finirent.* Alij insitam animis Temeritatem spirantes, ferociter fremuerunt, *obsistente nullo, Rupellana Mœnia, in Pace, opugnare hostes. Magistratus, & Primores Civium speciosa magis, quàm utilia suadere. Priusquàm perirent, Eventum fortunæ tentandum esse; hostem cohibendum.* Postremò, omnes tutiorem viam rati, *si in præsentiâ Tempori & fortunæ volentes cederent*; & consultis Senioribus, Authoritati eorum cessêre. *Mox diruta Nova circà Muros Munimenta; Portæ Vrbis patuêre Pontificijs*; cum maximâ Offensione *Protestantium*, præpostero Religionis ardore flagrantium. *Redditum Sacerdotibus Templum*, in quo Romano ritu sacrificarent. *Antè eam diem, Quinquaginta Annis, intrà Muros hujus Vrbis Missa non est celebrata.* Rei Novitas *Plebem* irritavit, quæ denuntiavit Sacrificulis, *si Missam in Vrbe publicè celebrarent, non inviolatos abituros.* Plebis deindè Consilia, atquè animos Magistratus explorantes, orant ac monent, *ne in Pontificiorum Sanguinem sæviret: Neu legum, aut Regiæ Majestatis oblivisceretur.* Posteà advocato Consilium; auctore Magistratu, Apolectos ad Regem mitti placuit, cum alijs Mandatis: *Qui deprecarentur, ne Pontificijs calumniantibus se crederet. Ac renuntiarent, Nova opera diruta Rupellam in potestate ejus esse; imperata facturam, & in Fide, Tutelâquè mansuram, si Propugnaculum antè Vrbem, Multitudine militum, & omni bellico apparatu instructum, erueret; ac Præsidium Monpelio deduceret.* Hi ubi *Lutetiam*, ad Regem venêre, fidem & Obsequium Civium memorantes, Mandata ordine exposuerunt: postularuntquè quæ è re suâ essent. *Rex neq; aspernatus est Postulata eorum; nequè extemplò concessit; sed tempus ad deliberandum se sumpturum respondit; & Demolitionis Spem fecit, si imperata facerent, & omnia Nova Munimenta evertere in animum suum inducerent.* Senatus de Postulatis *Rupellanorum* consultus, infensum jam Urbi Regem acrius accendit; referens, *Rupellæ summâ vi parari bellum; Cives externa Auxilia spectare; & arcanum Consilium cum Legionibus Civitatum habuisse; Seditiosam Plebem in suam perniciem propediem erupturam, si hoc Iugum fregerit. Censuitq; sinè ulteriore Responso dimittendos esse.* Priusquàm discederent, *Tremolius, Castilionæus, & Fortius*, summi Proceres, & ejusdem Religionis cultores, admonuerunt, ut Saluti pulcherrimæ Urbis consulerent; & Imperata facerent: ne in extremum discrimen venirent. Respondent Apolecti, nihil se nisi ex publico Civium Decreto, Urbisquè commodo facere posse. Ac ita dimissi redierunt. Ibi in Concilio, ad eam rem indicto, quæ comperissent, audissentquè retulerunt, cum Murmure & fremitu audientium. Nec deerant *Rupellæ* Concitores belli, omnia novare cupientes; & consecratam semper Aram tollendam censentes. Qui denuntiatione periculi, *intemperantes Plebis animos, ad sanguinem & Cædem Papanorum, irritabant.* Sed meliorum consensus prævaluit; ut Plebs irata manibus abstineret; ne *Pontificiorum*, in ulciscendo hostes Religionis, Crudelitatem imitarentur. Quo evaserit *Motus iste Rupellanorum*, suo tempore memorabo. Qui non contenti Libertate moderatâ, in diræ Obsidionis Aleam se præcipitarunt: & instante periculo, *ad Britanniæ Regem confugerunt, supplices Patrocinium implorantes*, cum nequirent Adversariorum Vim atquè Injurias pati. Nequè rectè, an perperàm fecerint, disputo. Pleriquè Defectionem, ut Necessariam, defendunt, *cum Vi atq; Armis coacti sint à Britannis petere auxilium.* Qui, Vitijs temporum, fluentes luxu & Theatrali licentiâ, magis gentis vetustam gloriam, ad Præsidium Sociorum, quàm vires attulerunt.

Cæteræ Vrbes Protestantium, quæ uno atquè eodem Jure fœderis, quo Rupella, in Amicitiam acceptæ, fidem Regis, & Benevolentiam, patiendo expertæ sunt. *Sola Rupella externa Auxilia adversùs Regem*, Terrâ Mariquè instantem, efflagitavit; pro salute Urbis, & Libertate Religionis. *Britanni* suam Misericordiam, suumque Auxilium, *ejusdem Religionis Cultoribus* patere æquum censuerunt; & pecunias contulerunt. *Iacobus*, turbatus periculo Amicorum, nullum Amoris, nullum studij, nullum

Pietatis

1625

Pietatis Officium omisit. *Legatos ad Francorum Regem*, precatum misit, *pro Societate, Amicitiâquè, ne qua vis Rupellanis fieret; Neu aut indiceret bellum, aut inferret. Si qua vis esset parata, si qua dimicatio futura, ominari cæpit, quantum detrimenti Gallia acceptura esse.* Sed leniter agendo parum profecit; *frustraq; monuit Rupellanos, arma parantes, ad omnes Casus; & Munimenta continuantes, contrà Pacta Faderis, cum Rohano icti.* Eò tandem *omnem belli molem inclinaturam, Protestantibus ubiq; profligatis, nisi Imperata facerent; & sibi pro tempore consulerent.* His Adhortationibus non moventur. *Francorum Regem* Ira ad oppugnandam *Rupellam* rapit; *Qui aut delere Vrbem validam, Mari propinquam; aut per Deditionem obtinere vult.*

Quia, hâc perturbatione temporum, impetrari non potuit, ut *Rupellani* in Amicitiam susciperentur; communi Regum nomine, *Commercij libera facultas renovata*: Immunitates utrinquè datæ; adhibitus *Vectigalibus* modus, & Ordo statutus; *Publicani* severè Edictis coerciri, nisi ex æquo agerent cum ijs, qui Merces ultrò citròquè conveherent. Multa adversùs *falsarios* salubriter instituta, *Ponderibus, aut Mensuris, inveteratâ licentiâ, fallentes*: concessumquè est, *ut Franci in Britanniâ, Britanni in Galliâ, pari Iure, Mercaturam facerent; Stationes, Portus, Littora frequentarent.* Undè magna accessio utrinquè bonis fortunisque Navigantium facta est.

Francus, positis omnium aliarum rerum curis, *Vallem Telinam*, propter belli Civilis rabiem prætermissam, acrius repetit in Libertatem: *efflagitatquè, ut Iberi Rhatis, justis ac legitimis dominis, restituerent; sicut Madritiano fadere convenerat.* Quæ quanto in periculo esset, *Helvetijs Amicis, Socijsquè per Bassompetram exposuit*: quem ad eos misit, Auxilium petitum adversùs vim, *Injuriasq; Hispanorum, imminentes Valli, Colles occupantium*, & ipsam *Vallem* possidentium: *ut Iter per Alpes, Germanis, Gallisquè in Italiam intercluderent*, si qua vis externa ingrueret. Hâc legatione, & crebris *Francici Regis* Nuntijs, *Helvetij* animos sustulêre; & statim *ad Francum legatos misêre*, offerentes operam. Quos confirmatos, domum remisit. *Pro Valle Telinâ Rhatorum, Helvetiorum, Francorum, Venetorum studia; Austriacis contrà tendentibus, & Restitutionem abnuentibus, nisi Iter per Rhatias Alpes Exercitibus Baticis pateret, quoties transmitterent in Germaniam, Gallias, aut Belgium.* Tumentibus tàm maximè partibus, *Pontifex Romanus, Vrbanus Octavus*, suam interposuit Auctoritatem; ut armis abstinerent, *donec Pacta Concordia Roma firmaret, ac Controversia, Consistorij arbitrio, dijudicaretur.* Quam ob rem, *Hispani* Minis magis, quàm precibus coacti, munitissimas Provinciæ Arces *Chiavennam, & Rivam, apud Pontificem deposuerunt*, quæ Bætico præsidio tenebantur. *Missus illicò Balnei Marchio cum Pontificijs Cohortibus, ad occupandas Arces, Vrbani fidei commissas*; cui vetus Obsequium ergà Hispanos. *Legatis Baticis, & Francicis, in Consistorio ferociter pro Causâ contendentibus*, res transigi non potuit: *his Restitutionem in integrum, ex fadere Madritiano, & Philippi Tertij supremâ Voluntate, petentibus: Illis negantibus, nisi per Alpes, Baticis Copijs Iter pateret. Quod sinè exitio Germania concedi non poterat.* Dein *Pontifex*, cum suâ Auctoritate parùm proficeret, & Concordiam desperaret, per varias moras bellum distulit; ne *Italia* communi Incendio conflagraret. *Sensit ludibrium Francus*: & eo ferocius, bellum parabat, *pro Imperio, pro gloriâ, ac Libertate Sociorum*; cum videret nefario Bello peti, sinè aliquâ justâ causâ. *Helvetij*, in Commilitium asciti, adversùs *Iberos, Rhatorum Injurias ultum* ibant. *Iberos* in arma rapuit non Religio, ut prætendebatur; Non Vindicta; *sed Occasio Cupiditatis explenda, & propagandi Imperij; ut securi Italiâ universâ, adversùs Germanorum aut Francorum Incursiones, fruerentur: hostes Austriaca familia, aut Vi frangerent; aut Metu terrerent; quod sinè vi, & Armis fieri non poterat.* Hi Conatus belli. varij dehinc Eventus secuti sunt.

Georgius Heriotus, Edinburgi honesto loco natus, Patre Aurifabro, ejusdem Prænominis, qui ex familiâ vetustâ Trabrunianâ genus traxit. Hoc ille Patre genitus, Adolescentiam, Juventutemquè in paternâ Arte exercuit; *dedit se Comitem Iacobo Regi, Anglia Regnum auspicanti, & Londinum commigravit.* Ubi insertus familiæ Regis, *& Gemmarius electus est.* Procedente deinceps tempore, magnas opes, Gemmarum Peritiâ, consecutus, *grandem pecuniam credidit Regi, Carolo Principi, & Bucingamia Duci*: ad hæc Specie ingenuâ, quæ animum, illius Mores, Virtutesquè expresserat, & Innatâ Naturæ Prudentiâ præditus; multis bonis operibus dùm vixit, floruit. Tandem, cum *Sexagesimum ætatis Annum* attigisset, xv Februarij, supremum diem placidè explevit. Condito priùs Testamento, in quo Executores constituit *Scotum, Anglum, Gallum*, veteres Amicos. *Scotus* fuit *Robertus Iohnstonus, horum temporum Scriptor.* Testamentum ejus multo apud Vulgum *Vlterioris Britannia* rumore fuit: quia magnas Opes, simulquè Prædia urbana, quæ à Patre, hæreditatis Jure, acceperat, alendis *Orphanis* concessit; *ac Orphanotrophium Testamento instituit: cujus Curam Edinburgensis Magistratibus, & Concionatoribus, Religionis causa, demandavit: Inspectionem Impensa, & Annui Proventus, duobus Scotia Archiepiscopis, Pratori, ac Iudicum Prasidi commendavit.* Nullum hodiè Charitate *Herioti*, apud Scotos, clarius extat Monumentum; quod alienâ Commendatione non eget. Nec Moriens locupletare Amicos, Propinquosquè destitit; *quos Decem Millium librarum legatis prosecutus est. Ad S. Martini in Campis Templum sepultus est.* Funus fuit celebre, curâ *Executorum*, frequentiâ *Procerum*, & Charitate *Civium*; cæterisquè Solennibus. *Valterus Balcanquolius, Roffiensis Decanus*, funebri laudatione extulit Pietatem in Deum, Charitatem in Patriam, Benignitatem incredibilem in Propinquos, Munificentiam in Pauperes: in augendâ re Innocentiam; in disponendâ Prudentiam; cæterasquè privatas virtutes, Fidem, Probitatem, Humanitatem, Morum gravitatem, & mirum Vocis ac Verborum Temperamentum. Affirmare possum, *ingentes Opes Orphanis hoc Testamento relictas, si Reges, & Bucingamius,*

1623. *obligatam Fidem liberarent.* Ipse supplicavi *Carolo Regi*, postulaviquè, ut Paternum debitum, suumquè, *ad Orphanorum Alimenta destinatum*, solueret. Qui libello Supplici dato, rescripsit, *ut Quæstor Vestonus, & Proquæstor Cottingtonius, persoluerent, ne Pium Opus impediretur.* Hi Dilationibus tempus extraxerunt. Quare deprecari ultrà non sustinui. Ego quoquè, meo nomine, *Prætoriâ actione*, egi cum *Bucingamij Administratore, Martini Iudicis Auctoritate, novo more instituto*; extante scripto Testamento, quod & ipse Dux signaverat; & intimi Familiares Subscriptioni Testes adhibiti fuerant. Postremò, lis transacta est Consensu partium, & Auctoritate Edinburgenæ Civitatis, *Solvendo Mille Quingentas libras*, priusquàm in Aleam ancipitis Iudicij ventum esset.

Eodem hoc Anno, *Londini decessit Thomas Vhitus, Theologiæ Doctor magni nominis.* Qui ob Eloquentiam, & Concionandi Suavitatem, Moribus simillimam, *ad Ecclesiæ S. Dunstani curam*, in robore Juventutis vocatus; provectâ ætate, *varijs Præbendis Vinsoræ, Sarisburiæ, & Londini* auctus, magnas opes nactus est. In augendâ re familiari, non Avaritiæ prædam, sicut calumniatus est rumor, sed Charitati Instrumentum quæsivit; quam Munificentiâ in Pauperes, Moriens probavit; multaquè opera egregia fecit. *Ptochodochium Bristolij*, legatoquè ad Pauperum Alimonium prosecutus est. *Collegium quoq; Londini, vicinum Portæ Claudorum, instituit; & Bibliothecam multorum Voluminum, in Studiosorum Theologiæ usum. ac Gerontocomium adjecit; Senumq; x x Numerum definivit; & utrumquè Annuo proventu Quadringentarum librarum ditavit. Quarum Centum & Quinquaginta invalidis Pauperibus divisit.* Præsidem, & quatuor Urbani Sacerdotij Primores, qui administrarent, constituit: *& Præsulem Londinensem inspectorem reliquit*; ut ab ijs ratio exigi posset. Inter varia Munera, *Centum libras Annuas*, in perpetuum, *Bristolensi Civitati dedit.* Instituitquè, ut Annui urbis Magistratus, non alio datam summam, quàm *in refectionem Viarum, Bathoniam, & Oxoniam ducentium, insumerent.* Quò facilius Urbs undiquè adiretur. Insuper, *domum suam in Fleta Viciniâ, Parochiæ S. Dunstani legavit*; hâc Conditione adjectâ, *ut Prædicatorem conducerent, qui Ephebos, singulis Septimanis, Fidei Articulis imbuerent.* Ad hæc *Prædicatori Octo libras Annuas*, hâc lege, constituit, *ut Reis condemnatis, ac Pænitentibus, Eucharistiam ministraret; & solaretur Misellos, in ultimo vitæ discrimine.* Deniquè, *domum vicinam Patibulo extruxit, in quâ vestes affectorum Supplicio exuerentur; ne Nuditas conspici, ac derideri posset.*

Fuit & hic Annus morte Clarorum Doctrinâ virorum illustris Nam *Gulielmus Camdenus*, Antiquitatis Britannicæ, humaniorum literarum peritiâ, Eruditione, ac Ingenij Moderatione insignis, *Londini decessit. Qui Britanniam Opere multiplicis Doctrinæ, plurimùm illustravit; & Elisabethæ, Clarissimæ Reginæ, res gestas Posteris prodidit.* Quâ utrâquè in re, Dignitati Patriæ, ac æternitati famæ optimè consuluit. Pro quibus Meritis, ac Patriæ Charitate, *Vestmonasterij in æde D: Petri funeratus est; & Monumentum in Memoriam virtutum positum.*

Nec prætereundus est *Ioannes Ovenus*, in Cambriâ natus; qui in *Poëticâ latinâ*, non medioeri cum laude, se exercuit; & *Tres Libros Epigrammatum edidit*, ingeniosâ jocandi libertate, temporis illius auribus accommodatâ. In ulteriorequè Carminum Meditatione, animum Deo reddidit, penè *Sexagenarius.* Dum vixit, egestate, atque Inopiâ conflictatus est. *Mortuus, sumptu Coritani Præsulis, Sigilli Custodis, in æde D: Pauli conditus, & laureâ, ad Memoriam Posteritatis, coronatus est.*

Hoc quoquè Anno, *Paulus Venetus, Servitarum Ordinis Theologus*, non obijt, sed ad vitam evolavit æternam; nulli inferior Judicio, Ingenio; admirabili Facundiâ, literis reconditis, & exquisitis; non magis doctrinâ, quàm rerum usu Prudens; ut majorem, nec divinarum, nec humanarum rerum Scientiam, nec Integriorem, nec Sanctiorem vitam quisquam desideraret, qui in Scripta ejus incidisset, ut mihi quidem videtur. Is tantis Virtutibus ornatus, liberâ, integrâquè mente, *publicam Venetorum Causam adversùs Pauli V. Pontificis maximi fulmina, libello edito defendit*; qui crudelissimis Edictis detonuit in eos, *& depravatam Romanæ Ecclesiæ disciplinam, Cæremoniarum Vanitatem, & Pontificis Auctoritatem, Ambitum, Potentiam*, eâdem libertate exagitavit. Posteà etiam, *Commentarium in Concilium Tridentinum scripsit.* Quæ res gravissimam Pontificis Offensionem excitavit; & illi Perniciem penè creavit. Nam mox, *Sicarij in ejus Caput subornati, Scloppeti ictu, in Claustro Servitarum vulnerarunt: & conscensâ Naviculâ, ad hoc præparatâ, per Canales aufugerunt.* Civitas, Casu inopinato consternata, decrevit, ut in Sicarios inquireretur; legibus ageretur; & pro Salute *Assertoris unici Dignitatis, Potentiaquè Venetorum*, in posterum excubaretur. Qui magnas à libertate Venetâ Insidias, suâ Prudentiâ depulit. Pro quibus Meritis, in Mortuum omnes Divini & humani honores congesti. Antè Tumulum, magnâ turbâ, multisquè precibus supplicatum est. *publicato Romæ Epitaphio in laudem defuncti*; & *Venetæ Plebis*, in Mortui memoriam funebri Pietate; *Paulus Pontifex*, Diplomate suo, *Venetam Plebem* extemplò coërcuit, *& Defuncti Tumulum luminibus frequentari prohibuit*: dequè eâ re Senatum monuit; & clarè pronuntiavit, *Defunctum Sacris interdictum fuisse.* Resp: ut *Pontificem* placatum haberet, ac Armorum Necessitatem effugeret, *Plebis Superstitionem Edicto cohibuit.* Durabit diu atrox Memoria vulnerum, quibus *Romani Pontificis Amplitudinem, Religionis, Iurisq; Pontificij Auctoritatem*, hæc discordia afflixit. *Extabunt Pauli Monachi Volumina, ingenti Acerbitate scripta; & Acerbiora Lutheri, Calvini, & Reginaldi libris*; quos Contemptus Romanæ Religionis, Cærimoniarumquè, iniquiores fecit.

In *Galliâ* quoquè *Philippus Mornæus Plessius*, ætate fessus, fato concessit, re Militari, & Literarum

studijs

studijs præclarus: Qui *Veritate Instaurata Religionis* enixè defensâ; & *Missa Sacrificio* acerrimè oppug- 1623.
nato, Exercitationibus, & Commentationibus suis optimè de *Protestantibus* meritus est. Modò *Præfectus militum* inter Signa Vexillaquè: nunc *Disceptator electus, de Controversis Capitibus, cum Pirronio Cardinale doctißimo, adversæ partis Theologo*, vivâ voce, ac summâ Moderatione disseruit. Quâ Exercitatione moderati animi gloriam adeptus est. *Henricus Quartus* intimis Consilijs adhibuit, & pro operâ, fide, Sollicitudine, *Saumurio, Munitißimo in ripâ Ligeris Oppido, præfecit*; quod, orto rursùs ob dissidium Religionis bello Civili, *Ludovico, Henrici defuncti filio*, reddidit. Sciens, Dominium & Jus Oppidi, ejus qui dederat esse. Quamobrem, *Protestantes* Vivo, pro Patrocinio, gratias egerunt; & Mortuum acerbè defleverunt. Contrà *Pontificij* obtrectare ejus laudibus non destitêre, infensi simul Religioni, ac gloriæ insignis viri.

Comitia, xx *die Februarij*, superiore Anno inchoata, & prorogata, initio hujus rursùs celebrata 1624.
sunt. in quibus *Proceres, & Procuratores Civitatum, Foenebre Malum temperarunt*; *Monopolia, illicitas Exactiones, Nova, & inusitata Vectigalia*, Sententijs suis, Consultisquè abrogarunt. *Ignatianos, Satrificulos, & Papanos Severitate legum coercuerunt*: multaque decreverunt ad Religionis securitatem, Reip: salutem, libertatem, Utilitatem, Mercaturæ quæstum, Compendiumque. *Clandestina Colloquia inter Proceres, & Externos legatos fieri, pœnâ propositâ vetuerunt*. Loca Maritima, pro cujusquè commoditate permunire, ac Præsidijs firmare jusserunt. Tales Libertatis Defensores Resp: hoc tempore habuit; in quo nisi tanta *Procerum, Plebeiquè Ordinis* virtus exstitisset, Latrocinio Quæstoris Resp: concidisset. Nam *Cranfeildius, Trinobantum Comes*, cujus anteà à nobis Mentio sæpè facta est, fortunæ Indulgentiâ depravatus, furorem indies auxit; & *Bucingamij* animum, spretâ ejus Potentiâ, penitùs inflammavit; qui ad ulciscendum pronus, Vindictam in Occasionem distulit. Non promiscuum Vulgus modò *Collationum acerbitate* irritatum; sed plerique generis splendore, ac opibus Illustres, intolerandam Superbiam, Sævitiam, Audaciam, Avaritiam detestandi hominis, Impetum in Privatorum fortunas exposuerunt; ac in perniciem ejus incubuerunt. *Bucingamius* infestus, inimicusquè, Potentiæ suæ vi ac pondere afflixit. Is non ignarus, qui habitus esset animorum in *Comitijs*; quâ Invidiâ conflagraret; qui Vulgi rumores in Civitate spargerentur, Inops Consilij *ad auxilium Regis confugit*, propugnare tutarique Ministros soliti: ostenditquè, *Inimicos falsis Criminibus insectari; expetere Vitam; Capitis insimulare: Nihil sibi Rep: charius, nihil Regiâ Auctoritate gravius: ex Novorum Tributorum Excogitatione ortam Acerbitatis & Odij magnitudinem*. Orat, *ne Servum è tenebris in lucem vocatum, ne Regni Quæstorem, studiosißimum publici Quæstus, Conspiratione Inimicorum corruere sineret*. Commotus Rex vice rerum humanarum, & Misericordiâ Supplicis ac calamitosi, *jußit eum benè sperare, & bono animo esse, si Innocentiæ fiducia esset. Comitijs accusandi licentiam, Majorum Auctoritate approbatam, denegare non posse respondet; nisi Communis Libertatis, atquè etiam Humanitatis Iura violare vellet*. Iste præpotens opibus, summâ fiduciâ, Sævitiâ, Arrogantiâquè notus, Minis Accusantium dejectus est. Concurritur ad labefactandam ejus Dignitatem, ab Apolectis, Comitiali auctoritate ad Disquisitionem electis. Insimulatur, *magis Privatis Commodis, in amplificando Patrimonio, non amplo à Parentibus relicto, quàm Ærarij fidei commissi Utilitati consuluisse. Gravißimi Tributi indicendi Authorem fuisse. Multos Cives vexasse: multas domos afflixisse, & evertisse dominos: exegisseq;, Censu facto ad arbitrium, ingenti Acerbitate, pecuniam: Paupertatis publica, & privata Confeßionem Civibus extorsisse: universam vitam nefarium Latrocinium extitisse, privatim Singulorum; publicè Fisci, ac Patrimonij Regij: Pecunia ingentem vim in loculis Furti, ac Latrocinij locupletißimum Testem esse; leges Audaciâ, ac Scelere evertisse; fidemq; venalem semper habuisse*. In Consilio Procerum Suffragijs est variatum; Alijs *Carcere claudendum*; Alijs *Capite plectendum* censentibus, ut Sceleratis terror, Miseris solatium constituatur. *Rex* fulsit & sustinuit Ministrum suum publicum periclitantem; quia Fides Criminum non fiebat. Admonuit Proceres, *Inimicitias, hominum more, gerere; Nec tàm atrociter infenseq; Reum, fictis Vulgi rumoribus, insectari: Injuriam ad ipsum, Exemplum ad omnes spectare. Recipi, audiriquè clandestino imperio jußit; & non Capite, sed pecuniâ anquiri*: pronuntiavitquè, *Supplicio dignum non videri. Nec ullum tàm fidelem Regum Ministrum, quin aliquandò ab Officio decedat, urgente publicâ Neceßitate*. Cum trahitur, ampliaturquè Causa, venit ad Proceres *Melissus Fletuodius*, Equestris Ordinis, in Pupillari Custodiâ Minister Regius; Crimina *in Quæstorem* delaturum se esse dixit; & in Juditium Procerum vocavit. Factâ dicendi potestate, suscepit Accusationem, *arguitquè furta, Rapinas, Perfidiamquè ejus, in Pupillari Custodiâ*. Reus metuens, ne Taciturnitate proderet salutem suam, summâ fiduciâ Innocentiam defendit; affirmavitquè, se immunem à Criminibus, quorum argueretur. *Tum Actor Accusationem Testibus, Argumentis, fide Instrumentorum confirmavit*: viditquè, objecta Crimina secundis auribus à Proceribus accipi: plures Privati querentes de Potentiâ rei, donis Muneribusq; corruptum insimularunt, probaveruntquè. *Fassus est Quæstor, multa sibi à Multis dono data, ut ijs Deprecator apud Regem esset. Sed utrùm corruptus Iudex acceperit, id quærendum esse respondit: defenditquè, Regijs Ministris, Procuratoribusquè Aulicis id licere*. Censuerunt Proceres, *illa non Munera, sed Prædam, vi aut fraude partam*; & hanc prædandi licentiam severissimis legibus coercendam; statuendumquè magnum Exemplum in posterum; ne impunè liceret. Grassari in Bona, Fortunasquè Civium. Stat omnis Multitudo, ad Vestibulum Curiæ, avens scire, quid Proceres decernerent. Calamitosus *Cranfeildius*, in Desperationem versus, se Malevolorum Calumnijs circumventum,

1624. circumventum, in Conventu Procerum questus est; qui Inimicitias, hominum more, gerere debebant; non ingratè, & impiè Insidias struere; non Capitis arcessere. Postremò, eos Necessitudinis parùm memores, mutuâ Accusatione intentâ, amarissimè insectatus est: interpellavitquè Proceres, Criminationis suæ audiendæ gratiâ. Sed cum neminem nominatim, formidine potentiæ, notaret, sileretquè; magis accusatorie, quàm verè dixisse arbitranrur Audientes; & non modò reprehendendum, sed etiam condemnandum Audaciæ, Temeritatisquè putant. Tandem decretum est, *ut pecuniâ cum Reo decideretur; ac Carcere clauderetur.* Ita *Quæstor* Munere exutus, & in ordinem redactus: post longam disceptationem, *Quinquaginta Mille libris mulctatus, in Turrem conjectus est*; quo summissior fieret. Sed impudens, Crudelis, immoderara ejus inhumanitas, vitio naturæ, mansit. Quamobrem *Cranfeildius, hirudo Ærarij,* non abjectis gubernaculis, sed ereptis, spoliatus opibus, Potentiâ, Quæsturâ, fracto animo ac dimisso fuit: Progressum præcipitem, inconstantem Fortunam vidit. Bonos Inimicos habuit; Improbos ipsos non Amicos: non modò vehementer ab Optimo quoquè, sed etiam à Plebe reprehensus est. Remoto isto, *Iacobus Leus, rerum Criminalium Iudex, Quæstor destinatus est*, insigni Moderatione animi, Virtute, Fide, præditus; quem laudare, quàm imitari facilius est. Ego existimo, magis fælices Ministros Regios, qui omnibus Subditis placere student, quàm qui callidâ Prudentiâ, temporibus & voluntati dominantium serviunt; licet isthuc tutius sit.

Per hos dies, *Iacobus* se Bæticis Promissis in fraudem impulsum cernens, *Cunctationis suæ in Comitijs rationem reddidit; Quod ipse jam Senex, pacatæ & Civili sese vitæ magis, quàm Militari optaret tradere; & Palatinatum, per summam Injuriam ereptum, Affinitatis Pactis, quàm Vi & Armis recuperare. Sed nunc, cum vehementissimè doleat Injuriam acceptam; ac magnoperè gaudeat, ulciscendi Occasionem sibi oblatam esse, suum Auxilium, publicumquè, deprecanti Genero patere, æquum censuit:* laudavitquè fidem, & Prudentiam Ordinum in consulendo, ac in decernendâ pecuniâ promptos animos, *quæ ad incheandum Bellum sufficeret, ad gerendum non satis esset.* Quamobrem postulavit, *ut de Militum Stipendijs, & futuris belli sumptibus consulerent:* pollicitusquè est, maximâ gratulatione omnium, *se quod vellent esse facturum; eamquè pecuniam, quam in belli sumptum sibi annumerarent, in privatos usus non conversurum: Iussitquè sperare omnia Boni Iustiquè Regis Officia, in recuperando Palatinatu. Et non solum se gesturum illud bellum, sed si quid sibi humanitùs contigerit, esse Carolo filio eundem animum: nequè eum justum bellum vitaturum, cujus ipse Author fuisset.* Deniquè *Filium* seduxit, atquè hortatus est, *ut Palatinatus Restitutionem vitæ suæ antè ferret; & non in Regnum Paternum tantùm, sed in Sororis Causam etiam succedere se æquum censeret.* Movebantur singulari Pietate, Orationisquè gravitate Ordines. Nemo ausus erat ejus voluntati adversari. Ipse exultans redijt; gloriansquè de maximo gaudio, gratulationequè Civium. *Factumquè est repentè, de pecuniâ præstandâ, ac in Peculiari Ærario servandâ, Decretum Ordinum honorificum.* Nullâ varietate Sententiarum, *Collatio* facta est. *Præsules, & Clerus*, pro eorum ergà *Regiam* Majestatem Observantiâ, ac Obsequio, *Quatuor voluntaria Subsidia*, unanimi Consensu dederunt, & concesserunt. *Proceres, Equestris Ordo, & Procuratores Civitatum, Tria, ac totidem Quindenas contulerunt:* pollicentes ampliores Collationes Æratio repræsentare, si qua Necessitas urgeret. Hoc non solùm in *Angliâ*, sed etiam in *Scotiâ & Hiberniâ* est factitatum. *Scoti* plùs dederant, quàm poterant, scilicet *Vicesimam Fœnebris Census*, ut Conatus Principis juvarent: appositiquè Speculatores, qui nomina *Fœnerantium*, per Fora, Oppida, & Pagos, annotarent; & ad *Quæstorem* libenter deferrent, *si qui Vicesimam celarent*, publici Conventus decreto Regi concessam. Novissimè *Quæstores* nominare placuit, Opibus præpotentes, qui *Collationes* reciperent, *Thomam Midletonum, Equitem, & Seniorem Civitatis; Eduardum Barkhamum, ejusdem Ordinis, & dignitatis; Paulum Baningum, Militem, & Baronettum locupletem; Richardum Grubhamum, virum Equestrem; Iacobum Campbellum; Georgium VVhytmorum; & Rodolphum Freemanum, Seniores Civitatis:* & ijs clarâ voce imperare, *Ne in alium, quàm Belli usum, Collationes impenderent*: Neu alij pecuniam tractarent, quàm ij, quos Ordines præfecissent.

Secundùm Comitia, *Coactores* dimissi undiquè, ad exigendas pecunias, sinè Acerbitate exegerunt. *Bucingamius* contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, à *Coactoribus* sumpsit mutuam; quam Exstructionibus, Convivijs, & gemmatis vestibus consumpsit. Rex, qui Pacis semper Author fuit, *Germanicam moliens militiam*, & res bellicas, *Consilium Militare instituit*; cum quo de ratione belli gerendi communicavit: & nihil non ex Consilij sententiâ egit. Dilectibus undiquè diligentissimè imperatis, ac omnis generis Commeatu præparato, *Classem instruere, & Copias parare capit.* Sed aderat à Mole belli sæpè Cunctatio; quia Pleriquè rei Militaris periti, novam belli administrandi rationem inutilem fore censuêre; cum *Collationes* in stipendium in præsentiâ non sufficerent; nec in posterum tàm facilè, quàm anteà confici possent, sinè humillimæ Plebis magnâ Molestiâ; quod sæpè factum viderunt Majores, *Coactorum* Avaritiâ. Et aliquandò futurum Posteri conjectarunt, si perseverarent Ordines, Plebem invitam Tributis assuefacere; Juventutem ab Otio, Voluptate, Ignaviâ, & Desidiâ, ad Patientiam laborum & periculorum revocare; aut militandi Odium virtute bellicâ, & extinctâ Disciplinâ Militari commurare; quibus malis Corporis & Animi vires labefactatæ, hâc tempestate languescerent. Rex Consilium non abhorrens, ab animo suo audivit, & prætulit, id se nunquàm bellum probavisse; gnarum, Subditos Tributa ægrè soluturos; pecuniæ Confectionem difficilem futuram; & Ardorem Juventutis Theatro ac Popinis exhaustum. *His pavoribus nutantem, Carolus, Dei beneficio Reip: procreatus, Amiciq; fortiores, firmabant*; & fælicem belli exitum sperandum prædicabant.

cabant. *Bucingamius* intereà, Fato Potentiæ, Popularis esse cæpit; omniumquè rerum arbitrium ad 1624. se pænè revocavit. Multis addidit Ornamenta, aut Incrementa Dignitatis; Præsidia Potentiæ suæ stabilivit; & prosequentibus Proceribus, quibus Ornamenta impetrarat, in publicum sæpè processit. Obtrectatores, & Æmuli indoluère, cum Resp: immortalis esse debeat, eam in unius Mortalis animâ consistere, Naturæ communis fragilitati obnoxiâ. Is de Salute Communi minùs cogitans, quàm de suâ, in languorem incidit. Quo paulùm levatus Medicorum diligentiâ, nec Convivia, nec cæteras Voluptates omisit. Revertens posteà *in Conventum Procerum*, ab amplissimo Ordine cumulum honorum ac gratiarum accepit; multis, magnisquè ejus Officijs commemoratis. Etenim facilè omnibus persuasum erat, *eum suscipiendi belli Regi Authorem fuisse.* Jam cæteris Nobilissimis Proceribus, omnium Ordinum Suffragijs, prælatus, egit gratias Benevolentiæ Procerum; bonam cunctis spem de se fecit; multos in suam factionem pertraxit, Promissis, Muneribusquè; quos neque Mandata Principis, nequè Præmia, nisi à Rege, accipere æquum erat. Domum, quæ *Eboracensis Archiepiscopi* fuerat, Sibi Posterisquè impetravit. Sed quia Jure adimi non poterat, *à Rege data Præsuli duo Prædia, quæ Centum & Quinquaginta Annuis Libris æstimarentur*: à quo, Permutatione factâ, & Comitiali Auctoritate approbatâ, *Palatium accepit, & Bucingamio dono dedit. Ioannes Savelius*, Equestris Ordinis, in *Comitijs* dicere ausus est, *ex eâ Possessione Ecclesiam dimovere non oportere, quam Majores summâ Religione consecrarunt.* & ne id fieret, intercessit. Mox ob immodicas Altercationes disceptantium, Decretum *Plebei Ordinis*, per Discessionem, factum est: *prævaluitquè Permutationis Sententia*, plurium Suffragijs adjuta. Transeuntem *Savelium* in alteram partem, *Pauciores* secuti sunt; *Meliores* tamen. *Hoc Libertatis exemplum*, ad Posteritatis memoriam pertinere arbitror. Nequè immodica libertas ei damno fuit: namque post paucos dies, *Savelium*, qui adversùs Sententiam *Permutationis* ferociter censuerat, in majore posteà honore habuit, præcipuum olim *Libertatis Vindicem*, nunc satisfacientem sibi, si quid liberius in *Comitiali Curiâ* dixisset, *Albo Senatorum*, ex sententiâ Regis, inseruit; *ad Actoris Summarum, in domo Regiâ, Ministerium provexit*; familiam tenuem, ac obscuram, è Tenebris in Lucem produxit; & *Dignitate Baronis auxit*; quæ Progeniem ejus honestaret. Hoc pretium *Savelius* tulit, Satelles *Bucingamij* factus; quinetiam *Palatium Eboracense* magnificentius fecit; exornavitquè pretiosissimâ Supellectile, Marmoreis Statuis, Imaginibusquè immensi pretij; Tabulis operis antiqui; Copiâ Margaritarum, Gemmarumquè: *& suo nomine appellavit*: quod nunquàm tamen apud Populum valuit. Nam prætereuntes, aut Iter illac facientes, *Eboracensem esse domum* dixerunt; Jocis quoquè invidiosis dominum irridentes. *Rex* Potentiam ejus, *in Comitijs*, ægris oculis introspexisse creditur; quasi nuper cognito illius Ambitu, ex Aulicorum secretis sermonibus: & quomodò Primores Procerum, infimas Adulationes exercerent: non modò ei non succensuit, verùm reticenda quæ audivisset, censuit; ne Tranquillitatem, ac requiem Senectutis suæ inquietaret.

Contrarotulatorum vulgò nominant.

Operæpretium est observare varios Casus, & incertos Eventus rerum humanarum. Nam hâc Tempestate, *Bucingamius in Comitijs validus & Præpotens, posteà in cæteris Ordinum Conventibus dejectus, & calamitosus, periculis ac Criminibus conflictatus est*: quæ, gratiâ ac Indulgentiâ Principis, ad Necem usquè, pertinaciter eluctatus est. Rex, cum Necessitas urgeret, sapienter moderans, *in Conventu Ordinum, Papanorum incrementum vehementer indoluit: & Ludibria Romanæ Superstitionis, in lucem protulit. Singulos & universos hortatus ad Instauratam Religionem amplectendam; Vitâquè & Moribus exprimendam. quam ipse testatus sit semper publicè scriptis, pro palàm Edictis, se nunquàm mutaturum, quamdiu viveret. à quâ si Casu aliquo deficeret, Ignominiam suæ perpetuam Marmori inscribi optavit; nihilquè honoris Mortuo adijci.* Postremò, dedit Judicibus mandata, *ut priscâ Severitate, & frænis asperioribus Pontificios compescerent; & Magistratibus Vrbicis, ut publicâ Auctoritate, coërcerent; datumquè Præsulibus negotium, ut mederentur, quantum Ecclesiasticis legibus potuissent. Simul statuit diem, minabundus, 24 Iunij; intrà quem Ignatiani Britanniâ abirent: Pœnâ Mortis adjectâ, si cunctantius obtemperarent; & post eum diem invenirentur.* Sub hæc dicta, continuata & prorogata Comitia, *in Mensem Octobrem*. Monopolia quædam in proximum *Ordinum Consessum* dilata; factâ Proceribus statuendi potestate. *Papani* novis legibus non constricti, abundante adhuc Multitudine. Si exercerentur, summam malorum suorum professi sunt, ac quantum se discrimen maneret, prospexerunt, ex Acerbitate Orationis.

Intereà Pace nequicquàm tentatâ, Arma cuncti spectant, & *bellum Baticum*. Rex Maritimos, Terrestresquè apparatus instruit, abjectâ Compositionis Spe: *Isabellæ animum explorare statuit, si Francenthaliam, cum Tormentis, Commeatu, Machinisquè redderet; sicuti Pax Londini convenerat.* Ad id dilectus *Gulielmus Trumbetius*, vir acer: tum quidem vice *Legati* apud eam, *Bruxellis*, fungens. Mandata Regis sui sigillatim exposuit: *& Vrbem fidei commissam, ex fœdere, repetijt: saltemquè postulavit, ut liber Transitus per Belgium, & Germaniam pateret Mille Quingentis Peditibus, & Ducentis Equitibus, ad recipiendam Vrbem.* Placidum responsum ab *Isabellâ* tulit; *Pacta conventa, Legem præscribere: Seq́; in omnibus Pactis fidem semper coluisse: Vrbe cessuram: & quæ pepigerat piè sanctèq́; servaturam.* Deindè, cum legatus haud absisteret petere, *ut Britannicis Militibus tutum Iter per Belgium, & Germaniam præberet*; Respondit, *per Belgicas Provincias, Vrbesq́; Ditionis Baticæ, concessuram se, sinè dilatione quâcunq́;: sed Germaniam non esse Potestatis, aut Ditionis suæ. Neq́; sinè Auctoritate Cæsaris, quicquid ibi incautè pepigisset, ratum fore. Trumbelius* Responso exacerbatus, detonuit. *Vbi fides? ubi Religio? ubi Sacramenta? quæ non per Belgium modò, sed etiam per Germaniam, Reditum in Vrbem Præsidiarijs obligarent.* Cunctaquè retulit

1624. ad Regem; & quâ fraude caperetur. *Qui tum demùm fidem Baticam incusavit, semper aliquam Dolo speciem Iuris imponentem: Amicos, Inimicosq; pariter, ex utilitate, frustrantem.* Et reperandæ maxime Classi animum intendit. Copias, Commeatumquè contrahit: *Quinq; Millia Peditum, in Batavorum Subsidium,* mittit: quibus summos Proceres *Oxoniæ, Southamptoniæ, Essexiæ, Comites; & Villoubeum, Baronem* magnæ dignitatis, præponit. *Centurionatus, & Præpositura Vexillorum*, quæ olim arbitrio *Tribunorum* permittebantur; modò non nisi adjunctâ *Subscriptione Principis, aut voluntate Bucingamij*, dabantur. Milites traijcientes ad supplendum Numerum *Batavorum*, adverso Euro in *Tamesi* conflictati, Molestiam navigandi experti sunt. *Proceres* regressi in Classem, festinarunt Tempestate turbidâ; Curamquè exactiorem præstitêre, ne quid Temeritate & Inscitiâ ducum accideret. *Mattiacas primò Insulas* tenuêre; indè in *Bataviam* trajecerunt: Militesquè exposuerunt. Ibi *Aurasionensis* eorum adventu lætus, occurrit: & de ratione belli communicavit.

Ijsdem diebus, *Mansfeldius in Galliam profectus*, prosequentibus etiam aliquot viris militaribus, *Lutetiam petijt ad visendum Regem*; quam causam profectionis prætenderat. Vectusquè in Aulam, per Colloquij Speciem, Regem secretò sollicitavit, *ut Palatini, Socij, atquè Amici, crudelem in modum afflicti, misereretur: Inclinatas Germaniæ res in pristinam Libertatem restitueret: & Britannicam Societatem, ob communem utilitatem, respiceret. Neu sineret Palatinatum Iberorum fieri.* Palatini maximè respectus *Regem movit*; & virtus nuper in bello *Mansfeldij*. Qui, vocato Senatu, Oratione inter Proceres habitâ, exposuit Postulata ejus: & nihil non ex Consilij Sententiâ egit; ut Temeritatis dedecus averteret. Responso accepto, digressus est ex Colloquio Regis, contentus; & non sinè Spe Auxilij. *Calitium* tàm festinanter processit, ut aliquot Comites Peregrinationum, Expeditionumquè, subsequi cogerentur. Indè pari celeritate *in Britanniam trajecit*; ad curam Novi belli. Postquàm *Dorobernam venisse Mansfeldium* allatum est, Missi ilicò, qui accerserent eum; & Hospitia expedirent; Impensasque liberaliter ipsi, Comitibusquè præstarent. Hi egressum Navi, *ad Palatium D. Iacobi deduxerunt*: ubi magnifico apparatu, tùm ipsum, tùm totum Comitatum, pro Dignitate cujusque, exceperunt; & summâ Liberalitate prosecuti sunt. *Magna in Comite Vrbanitas visa; & sinè Ebrietate, aut luxu, Comitas. Pulcherrimas fœminas, quotiescunquè spectatum introirent, More Patrio, exosculatus non est, præter Consuetudinem Britanniæ*: ubi in More positum est, *Osculum salutantibus fœminis offerre.* Novus hospes, non modò per Urbem, Basilicasquè, sed etiam per propinqua Palatia, *prosequente Bucingamio*, deductus est; ingenti favore Multitudinis, omnia *in illo posita Præsidia Palatinatus* existimantis; extollentisquè Vim, Virtutem, in re gerendâ Celeritatem, Rationem, ac Disciplinam, Diligentiam, Vigilantiamquè. Sic vulgò favorabilis, ut præ Turbâ eorum, qui ad spectaculum concurrerant, nonunquàm transire nequiret; nisi summotis obvijs. Paucis post diebus, *à Bucingamio, Proceribusquè alijs, in Curiam introductus*, Regi ad genua venerabundus se summisit: orans, obsecransquè, *ut Generum Calamitate liberaret: & Consilium, Operamquè obtulit, Vbi, & Quomodò Bellum gereretur.* Fuitquè unà Secreto, per aliquot horas. Ejus Adventus omnem Cunctationem exemit. *Rex*, post Secretum sermonem, *vocato Senatu Militari*, de summâ Imperij, *& recuperando Palatinatu, Vi, ac Virtute, consultare cœpit*; cum nihil æqui ab *Iberis* impetrare posset; toties missis Legationibus, *& toties cum Philippo literis disceptando*; ac de ratione universi belli diligentius cogitare: *& quomodò imminueretur Batici Regis potentia, Orbis Terrarum Imperium animo ambientis. Mansfeldius*, ut peritissimus rei Militaris, Prudenter disseruit, *Restitutionis Spem vanam: instaurandum de integro Bellum: Terrâ Mariquè demicandum: Neq; dubitandum esse de Eventu, si Britanni semel in Campum descenderent, in Belgium penetrarent, ac in Brabantiâ, vel Flandriâ Sedem bello deligerent; ut Philippum, ad sua potissimùm tuenda, avertant. Ostenditquè, ibi inventuros Gallicos Equites, ad Societatem armorum paratos, adversùs communes hostes. Batavos alterâ ex parte aggressuros; Iberos in medio clausos, tantam belli Molem, & duos Maximos Reges non toleraturos.* Deniquè censuit, *Gallos in partem Belli, quâcunquè ratione deducendos. Nec ambigendum esse, quin, hoc tempore, se Britannis juncturi essent, Pacto Affinitatis, aut arctiore fœdere.* In quæ singulare Consilium dedit, in eodem strenuam operam suam obtulit; pollicens, nec labori, nec periculo parsurum se, in belli discrimine. Omnes qui aderant confessi sunt, non potuisse quenquam de ratione universi Belli prudentius disserere. Magnitudinem animi laudantes, & gratantes: censueruntquè, in tantâ Penuriâ virorum fortium, *Imperatorem eligendum.* Pauci prædixerunt, Consilia hæc Belli ad nihil recasura. *Gallos primò quidem acres*, ad vim promptos, & expeditos ad Prælia; sed Æstate, Itinerum labore, Hibernis Mensibus, Magnitudine frigorum, aut Tempestatum vi, *languescere*: & Otium nobis exoptandum potiùs, hâc tempestate; bellicâ Virtute sopitâ, ac glòriâ Militari penè extinctâ; quàm Bellum arduum, ac difficile. Ab hoc Consilio ita discessum est, *ut Bellum in Belgio gereretur: Mansfeldius Britannici Exercitûs Imperator tàm designaretur: ad Batavos rediret: omnes suas contraheret Vires, Expeditionumquè Comites: & præpararet Exercitui, quæ ad transitum opus essent.* In digressu, habiti sunt ei à Rege honores; dataquè Munera magni pretij; *Ituncula Regis, in Aureâ Pyxide, Adamantibus ingentis Ponderis, ac Splendoris distinctâ; Arma, & Equi animosi.* Indè ad Naves regressus, protinùs *ad littus Batavorum* trajecit; ad exciendum in *Hispanos* Populum, Naturâ infestum. Ibi collectis Tribunis, ac Præfectis Cohortium, Expeditionumque Fortissimis Comitibus, admonitisquè ut parati, instructiquè ad bellum essent, majora molitur.

Post discessum ejus, *Iacobus, abruptâ omni Spe Baticarum Nuptiarum, & bello adversùs Austriacos decreto, Affinitatem Francici Regis spectare capit*, Utilitati, Salutiquè Regni commodiorem, *qua Gallos Britannis conjungeret*; quoties adversùs *Philippum*, terribilem cunctis, bellare necesse esset. Inter tot difficultates, *duo potentissimi Europa Reges*, duas simul res susceperunt, *Baticum Bellum, & Palatinatum liberandum.* Itaquè legati ad *Ludovicum, Matremq;* ejus missi, ex utrâquè Britanniæ gente, *Hajus Carleoli, & Riccius, Hollandia Comites*, domi Forisque Civiles; *ut Carolo Principi Mariam Burboniam, Sororem Regis, Virginem formâ excellentem, in Matrimonium peterent. Francus* non legatis modò benignè respondit, *sinè affectatione Baticâ*, sed & *ipse Legatos ad Britannos misit; ut de Conditionibus tractarent, ac Nuptias expedirent.* Britannicorum legatorum exquisita Humanitas enituit, cum Regem officiosè rogarent, *& Virginem coràm solicitarent; invitam se Matrimonij vinculo illigantem, ob Verecundiam, sinè Consensu Parentum.* Verùm, Virtus, Fortunaquè *Cambria Principis*, Majestas Patris, & Communis utilitas, *Puella Regia animum facilè conciliarunt.* Re impetratâ, de Conditionibus agi cæptum: & *sinè Morositate Hispanorum transactum est.* Pacta, Promissaquè publicis Monumentis consignata sunt: Quæ Brevitatis causâ prætereo. Hæc Affinitas, rumoribus Vulgi, & Sermonibus Prudentum, celebrata, fiduciam præbuit, *opprimi communes hostes posse; si hinc Batavi; indè Franci, Britanniquè instarent; ac per Artesiam, in proxima Flandria loca, cum Exercitu irruerent.* Omissâ aliarum rerum Curâ, Consilia super Expeditione arcana habita; imperatumquè *Nobilitati Gallica, ut bis Mille Quingentos Equites contraherent; Artesiam versùs Iter intenderent; ibiquè Duodecim Millia Anglorum, Mansfeldio Duce, operirentur.* 1624.

In Belgio ingentem vim Peditum *ex Britanniâ*; & Equitum *ex Galliâ* venire, percrebuit. *Iberi* certiores facti de hostium Consilijs, & Conatibus, Transitum hujus Tempestatis, parati instructiquè expectarunt: & quod imminenti Malo remedium adhiberent, diu deliberarunt. *Francus*, & fortunas suas, & vitam ad Sociorum Salutem tuendam impendere non recusavit, ut *Philippum*, omissâ alienarum rerum curâ, ad sua tutanda cogeret. *Britannus*, diu tentavit, quid Patientiâ & Auctoritate perficere posset. Nihil cum perficeret, Armis experiendum putavit. Passim in *Britanniâ* dilectus Militum habentur. Armis, Viris, Equis perstrepunt Provinciæ. Omnia in Adventum *Mansfeldij* expediuntur; & dilectum *Nobile Navigium ex Classe Regiâ*, juvandæ Transvectioni: quod Cursum tenere cæpit *Vlissingam versùs*, ubi in *Britanniam* trajecturus operiebatur. Appulsâ *ad Mattiacorum littus* Navi Regiâ, *Mansfeldius turbatum Mare ingressus, conscendit*; Malum erigi, Vela fieri imperavit. Hâc Navi, propter honorem & gratiam ejus, multi vehebantur. Postquàm paulùm provecta, *turbulentâ ortâ Tempestate, vi Procella divulsa est. Ipse penè Vndis absorptus, Nave Onerariâ Batavorum agrè evasit.* Pauci comites, Serviquè, ope quoque eorum servati sunt. *Mansfeldius*, transacto periculo, lætus *in Britanniam* traijcere festinavit. Repetitâ Insulâ, *ingenti Consensu bellum decretum: ratio ejus administrandi libera illi permissa*: & aliquot Proceres, periti belli, electi; cum quibus, si quà vellet, consultaret. In Convivijs, & Circulis agitata est de *Mansfeldio* deliberatio: censebantquè quidam, *Peregrinum, & Advenam non esse Britannico Exercitui praficiendum. Nihilominus esse Iacobo Regi Mansfeldio duce belli; Consiliario, & Adjutore uti posse.* Nihil hic rumor animum Militaris Viri fregit; Nequè ausus est quisquam movere Sententiam, haud dubiam Regis: qui pro bellicâ gloriâ, singulari fide, *& operâ Genero in Bohemico bello prastitâ*, in maximo eum honore habuit. *Et Diploma dedit ei, Neagora signatum*, recuperandi Palatinatus causâ; (quem per Vim & Injuriam hostes occupaverant) *amplum quidem adversùs Casarem, Bavarum, & Prasules, Tranquillitatis Germanica Turbatores; Sed restrictum, adversùs Philippum, Isabellam, & Dominia eorum justa, ac legitima: adjectaq; Clausulâ, ne offenderet vel Belgas, vel ullum Populum Batica Ditionis. Quod si fieret, affirmavit, irritum Diploma penitùs fore: fidemq; exegit.* Affirmavit *Novus Imperator, se Mandata Britannici Regis, cum fide, ac Industriâ Executurum: annisurumq;, quòd ita Regi placeret, ne quis Socius, vel Amicus, Iure queri posset; nec delati honoris eum paniteret. Sed eventum in manu fortuna esse pronuntiavit.* Munia Militaria deinceps obijt cuncta, inter gratulationes Procerum, plaususquè Populi. Præfectis, Centurionibusquè imperavit, ne sinerent Tirones Desidiâ marcescere; sed Militari labore corpora exercerent. Pleriquè crediderunt, *institutum Belli Belgici*, quod unum in Consilio Arcano Procerum (de quo paulò antè dictum est) utiliter deliberatum erat, *abjectum esse.* Astuti, & Callidi contrà censuerunt, *Aliud agi, Aliud simulari*; ut hostes dolosi dolo caperentur: cui Opinioni accedo. Addo etiam pro Argumento, *Tribunis, Prafectis, Centurionibus denuntiatum, ne se ad bellum Belgicum missos esse crederent: sed ad id impigrè exequendum, Quicquid Mansfeldius imperasset. Si quis cunctatus fuerit Imperata facere, sciret, sibi Reditum in Patriam, aut ad gratiam Principis non fore.* Ex quibus Mandatis Conjecturam facere licet, Consilium in principio utiliter cogitatum, mutatum non fuisse; & Clausulam antè dictam, dissimulandi Arte adjectam.

Inter quæ, *Francus Viloclerum, ab Epistolis, Legatum extrà ordinem, ad renuntiandas Connubij Conditiones misit. Qui à Dorsettensi Comite*, modicis Itineribus, *Londinum deductus est*: atquè indè *Cantabrigiam.* Ubi à *Rege, & Cambria Principe* comiter exceptus, & familiaribus Epulis adhibitus, legationem renuntiavit, *ut Affinitatem institueret; ac Bellum indiceret Iberis: exposuitq;, in Arcano Regis sui Consilio, Libertatem Germania decretam: Nec dubium esse, Deo adjuvante, Francis Socijs, inclinatas Palatinatus res in integrum restitui posse; si Britanni incapta Consilia, fortiter, More Majorum, perducerent ad Exitum: si Classem; si Exercitum armarent; simul Iuventutis animos acuerent; & corpora in militari opere exercerent.*

1624. Demùm, multiplicando verbis Equestres Gallorum Copias paratas, Procerum Britannicorum erexit animos; & Spem haud dubiam fecit, *Equestri Procellâ Iberos obrui posse*. Ibi Rex, Consilio Procerum habito, *Conditiones peregit de Dote; Mariâ in Britanniam transportandâ, & Carolo in Matrimonium collocandâ*. Vespertinis ignibus, Plausibus, Acclamationibusque Populi, per Urbes, ac Municipia, *Sponsalia* celebrata sunt: & Campanarum tinnitu, effusa Vulgi lætitia significata.

Eoquè ipso fortè tempore, *in Galliâ tumultuari captum ab ijs, qui Instauratæ Religionis erant; Authoribus Defectionis Rupellanis*; qui omnem *Oram Armoricam* Armis, Viris, Navibus complevêre; *& Subisium Præfectum Classis delegerunt*: Nautis, & Navarchis ubique excitis, non contemnendam Manum, in Ultionem Injuriæ contraxerunt. Quâ de re, *Legatus*, impetrato Colloquio, metum imminentium discriminum, *Seditionem Protestantium exortam, Mandata & Postulata Galliarum Regis aperuit*: ac deprecari, *& Regem, & Præfectum Maris* vehementer institit; ut Auxilia Maritima, *cum Rupellani rebellassent*, Regi suo mitterentur. *Rex Vindex Religionis, Reconciliatorem se Pacis, & Disceptatorem de Controversijs se obtulit, si uti vellent. Arma adversùs ejusdem Cultus participes, Numen magis, quàm homines violatura, denegavit: admonuitquè, ut Verbis potiùs disceptarent, quàm Galliam rursùs ad funestissimum bellum armarent*. Excepit Orationem ejus *Viloclerus*; dixitquè, *nihil à Rupellanis impetrari precibus posse: Armis, Minis, Viris, Navibus aliquid impetraturum; Inermem nihil*. Respondit Rex, *Majestatem Regiam vim majorem apud Protestantes habituram, cum Pacem, ejus beneficio, haberent; quàm Arma, Viros, Naves: Nihilq; utilius Britanniæ esse, quàm utramq; amplecti Amicitiam, Regis, & Protestantium*. Defertur res ad Senatum. *Pars aliqua Senatus inclinavit, & Præfectus Classis*, penès quem tùm Summa rerum, *ut Affinitatem, & Francorum Societatem respiceret*; quæ tùm Reip: rationibus maximè conduceret. *Alij Naves omninò mittendas non esse censuerunt; & modicum fructum ex Consilio tali, atq; inutilem fore*. Tenuit diu hâc de re Deliberatio. Tandem, *Viloclerus Septem Naves Mercatorias, Nautis, Commeatu, Tormentisq; instructas, & unam è Classe Regiâ obtinuit*: non sine Civium Indignatione. Namquè Multitudo obstrepuit, *nunc Senatum, nunc Præfectum Maris obtestando, id nè fieret*. Qui dubijs responsis, & callidâ Cunctatione, Querelas ac Postulata frustratus est. Quâ re impetrata, *Legatus clàm egit de Palatinatu, vi Armorum, recuperando; de Valle Telinâ Rhætis restituenda: de Equestribus Gallorum Turmis, in Belgium transmittendis: Pecunia Collationibus, in stipendium Militum, alioq; Belli apparationibus, in stipendium Militum, alioq; Belli apparatu*. Addiditquè, *Francum Amicitiam Batici Regis non aspernari, si Palatinatu excedat, atq; abeat, ac Vallem Telinam Rhætis, justis dominis, restituat: Nec Societatem ullam pacisci velle, nisi ex Authoritate Britannici Regis*. His renuntiatis, *Legato* habiti sunt à Rege honores; Præmiaquè digredienti magna data: & *Navis Regia* præparata, quâ *Fretum Britannicum* traijceret. Nec ultrà reditum in *Galliam* distulit. Quæ tàm prompta, & tàm exquisita Comiras *Nuptias* festinavit. Ita haud irrito incæpto, *Viloclerus* in Galliam sese recepit; Comitatem, Benignitatemquè *Britanniæ Regis* expertus: imminentesquè *Rupellanis* Clades commemoravit, si desciscerent; desererentquè non Patriam modò, sed etiam Clementissimum Regem, *& Auxilia Britannorum*, quæ ad Rebelles oppugnandos venirent. *Rupellani*, seu per se suspicantes, seu re indicatâ, fremuerunt; percunctantes, *quo suo facto ad se oppugnandos Britanni, suæ Religionis homines, venirent?* Multi responderunt, *non ad expugnandos, sed ad liberandos à Pontificijs venturos sese*. Nec fefellit Conjectura; ut Eventus posteà probavit.

Sub idem tempus, *Christianus, Brunsuicensis Regulus, audito Novi Belli apparatu, in Britanniam trajecit*. Ubi exceptus ingenti gratiâ *Cambriæ Principis, Consobrini*, & effusâ Vulgi lætitiâ, ob toties objectam Telis hostium vitam, *in Palatini causâ*. Mox à *Bucingamio, Arundeliæ Comite*, Proceribusquè alijs, introductus salutandi gratiâ, commemoravit *ingentem vim Gallorum Equitum paratam; & suam propensam ergà Fredericum voluntatem; nec labori, nec discrimini parcentem*. *Regi* visum est, *in Periscelidis Ordinem adscitum, Equestribus Copijs præficere*; cum propter Familiæ vetustam dignitatem, tùm virtutem bellicam. *Mansfeildio* quoquè Duci belli, maximè in eam Curam idoneus visus est. Qui haud gravatè obsecutus, ad *Portum Iccium* protinùs redijt, ut Equestres Copias cum Præfectis lustraret; Naves etiam Onerarias provideret, quibus Se cum Suis *in Belgium* traijceret. Ibi occurritur; studia Procerum officiosè significantur; domus frequentatur; nec ulla dies *Gallicæ Humanitatis* expers fuit.

Post profectionem *Brunsuicensis Reguli*, Mansfeildius Pedestres Copias, tumultuariorum militum *Tredecem Millia*, armis instruxit; & *Doroberniam*, locum ad coeundum destinavit. *Cantium* Viris, Armis, Equis perstrepuit, & omnis Ora Maritima Navibus. Fama *Belgium* extemplò pervasit, ingentem vim *Cataphractorum Equitum* traijci, & magnas Copias *Anglorum* Peditum. *Isabella*, haud ignara, quæ repentina *Affinitas Britannos & Francos conjunxisset*, & perculsa Metu, periculoquè Provinciarum, omnem Oram Maritimam, quæ *Britanniam* respiceret, Præsidijs firmavit; Pedestres Equestresquè Copias contraxit, ut Apparatum hostium discuteret: & non mediocrem terrorem habere cæpit, *in Obsidione Bredæ occupato Batico Milite*. Sed res non erit tàm Exitu formidolosa, quàm auditu gravis. *Mansfeildius, Mense Februario, tempore ad navigandum immaturo, proficiscitur, Centum & Viginti Navibus, cum Tredecem Peditum Millibus*. Multæ Onerariæ cum Commeatu, alioquè bellico apparatu sequebantur. Navigatio perdifficilis fuit, ac calamitosa. Sævâ coortâ Tempestate, cum Ventis & Procellis, *aliquot Militum Millia Fame, Frigore, atque Inopiâ omnium rerum confecta fuêre, ac perdita*. Tandem *Mattiacas Insulas tenuit*. Ibi per aliquot dies terrâ prohibitus; & Milites graviore morbo,

ex frigore

1624.

ex frigote & fame impliciti, discessit à *Mattiacis*, Necessitate coactus. Indè Velis in Altum datis, in *Brabantiam trajecit*; & haud procul *Gertrudis fano*, in terram egressus, Copias exposuit; ac ad *Langstratam* pervenit, Tirone ac Collectitio Exercitu; ubi *Ernestus Nassovius*, per eos dies, Castra collocarat, Occasionem operiens, si quam Negligentia hostium in *Breda Obsidione* dedisset. Ibi *Batavi* omnia, quæ ad valetudinem & victum opus essent, præbuerunt. Sed antequàm hospitia expedirentur, pleriquè Titones, quod reliquum vitæ, viriumquè Inedia fecerat, fato reddiderunt. Multi in Terram hostilem inopes ejecti; aut in Salo fluctuantes, hostium Misericordiâ sublevati sunt. Ipse, Jacturâ militum commotus, paucis post diebus, *Hagam Comitis petijt*; *& cum Aurasienense de summâ rerum consultavit; ac undè bellum ordiretur, quæsivit.* Sententia ejus erat, ut in *Brabantiâ* gereretur: quâ auditâ, in eam Provinciam regressua, Equestres Turmas, sæviente Boreâ, retentas *Berga ad Somam*, operitur. Missâ Speculatoriâ Nave ad *Brunsuicensem*, ut quid Moræ esset, sciret. Ubi prima Tranquillitas data est, Equestres Copiæ eundem necessariò cursum tenuêre; quæ in Trajectu, Tempestate conflictatæ, meliore fortunâ haud usæ sunt. Aliquot Naves divulsæ; Aliæ in Portus *Batavorum, & Mattiacorum* expulsæ, ejectæquè. *Brunsuicensis*, collectis quæ dissipatæ erant Navibus, *ad Imperatorem Bergaoperientem* venit. Vulgus Calamitatem acceptam, & jacturam militum crimini vertit; non culpam Maris Casibus assignavit. Duces collocuti de ratione belli gerendi, impigrè explevêre Numerum dissipati Exercitus. Erat robur animi in reliquis, qui superfuerant; & pugnare volebant. *Mansfeldius*, non elanguescendum ratus, *ad Isabellam scripsit*, Se non inferendi belli, sed recuperandi Palatinatus causâ, trajecisse: & officiosè postulavit, ut sibi per Belgij Provincias, sinè Maleficio, aut Injuriâ Iter facere liceret: Id ni fieret, se Ferro Iter patefacturum minatus est. Id negatum. Illa aditu *Brabantia* arcuit; Stationes Militum Provincialium idoneis locis disposuit; & omnia Itinera armatis Copijs obsepsit; quibus *Carolum Columnam, Cameraci Præfectum & Barbanconium Principem præesse voluit*: interposuitquè Auctoritatem suam, ut hostium furorum inhiberent, si bellare necessè esset. Ita eorum operâ, *& auxilijs Cæsaris, Auboltino, & Spinello ducibus, summissis, discussit Apparatum Britannici belli*; & suæ Ditionis Provincias ab Injuriâ sedulò defendit. *Mansfeldius, conjunctis suis cum Aurasionensis Exercitu Copijs, ut Bredam Obsidione eximeret*, intrare Castra Annonam, labore assiduo, ac periculo suo, prohibuit; irritam Spem Obsidionis facturus, si Commeatus hostium interclusisset. In hoc Conatu aliquot dica nequicquàm absumpsit; & in expugnatione Castrorum parùm Spei fuit: Quia firma erant, crebris Turribus, Præsidio Militum, & omni genere Tormentorum. Ita fortuna magis, quàm fortitudo destituit. *Tandem, magno Conatu, nullâ re gestâ, relicto Belgio, Germaniam repetijt*, ad colloquendum cum Sociorum Principibus, de ratione belli redintegrandi. Sed quæ Belli gerendi ratio? aut quæ Spes in Armis superesse poterat, post tot Clades, tot strages ubiquè editas? Ille nihilominùs à cogitatione novorum Consiliorum non abstinuit, Belli finem non fecit. Satius multò fuisset, non moveri bellum adversùs *Belgium*, quàm inchoatum omitti.

Intereà *Marchio de Fiat, legatus Gallicus, extrà ordinem, fatigavit Regem precibus, ut promissa Auxilia Franco mitterentur.* Per hos dies, missæ *Octo Naves* paratæ, instructæquè Nautis, Commeatu, & Tormentis, *ad id obedienter exequendum, quod Francorum Rex imperasset.* Harum una erat *Navis Regia*, eximiæ magnitudinis; ut Propugnaculo cæteris posset esse, quoties in pugnâ versarentur. *His Penningtonus, Præfectus Regius, jussus est imperare; & in omnibus voluntati Francici Regis obsequi.* Dignior isto Imperio nemo fuit. *Sed studio Instauratæ Religionis Protestantibus Socijs, Papanis hostibus uti decrevit.* Comparaverat *Francus* modicam Classem, ad probibenda, si qua *Rupellanis* summitterentur Alto, auxilia. *Fremuit Plebs, Naves adversùs Rupellam parari, instruiquè*: cui salva omnia, tranquillaquè esse, magis publicè expediebat: laudavitquè Majorum Consilium atquè Prudentiam, qui obsessæ Urbi Præsidia summiserunt: *damnavitq; Præfecti Maris furorem; Authoresq; bujus Sententiæ, publicè calamitosa. Bucingamius*, auditâ Vulgi Iracundiâ, purgavit se; vulgavitquè, *Naves paratas, ut Genuam, Ligurumq; Maritimam Oram, ab auxilio ferendo Iberis averterent; simul ac Francus Vallem Telinam in libertatem vindicaret; & Rhætis, per Speciem Pacis, leges servitutis impositas, refringeret; depulso Cervicibus eorum Iugo Batico.* Non movit modò talis rumor Multitudinem, sed reconciliavit etiam *Bucingamio. Penningtonus Præfectus*, Navarchis in mandatis dedit, *ut Numerum militum acciperent à Præfectis Regijs: sed ne suprà Numerum suorum Nautarum, Sociorumq; Navalium acciperent.* Mox in *Nave Regiâ* Malum erigi, & vela fieri jussit; simul ut cæteræ sequerentur, Signum dedit. Indè omnea Velis in altum datis, *Diepam, Neustriæ Portum*, pervenêre. Ibi *Momorantius, Regiæ Classis Præfectus*, non dissimulavit *bellandum adversùs Rupellanos: & Ducentos Milites Navi, Industria nomine insignita, imponere voluit*: reliquis Numerum, pro capacitate Doliorum, impositurus. Respondent Navarchi, *se missos à domo, ad Imperata faciendum; sed nihil tale in Mandatis habere: nec majorem Propugnatorum numerum accepturos, quàm cui imperare possent.* Hæc res Cunctationem injecit, ambigua Mandata interpretantur, & inter Spem Metumquè fluctuantibus. Cum cunctarentur, *Momorantius, Præfectus Regius, Torques Aureos Navarchis obtulit, ad incitandos eos ad bellum Rupellanum.* Qui parùm momenti habuerunt. Nam *fides Socialis* prævaluit adversùs Munera. Cum circà hanc deliberationem cunctarentur, *in Nave Regiâ Nautæ, Propugnatoresq; æstuantes, libello Supplice Præfecto Penningtono significarunt, contrà Rupellanos, eorundem Sacrorum participes, non esse bellandum. Et Nomina in Circulo subscripserunt: ut Nemo scire posset, quis primùm subscripserit.* Inter tot difficultates, *Penningtonus* à reliquis Navarchis interrogatus sententiam, constituit quàm

primùm

1624. primùm redire in *Britanniam*, ut Præfectum Maris super ambiguis Mandatis consulerent. Itaquè regressi in Classem, *Dounensem Portum Cantij tenuerunt.* Indè illicò missus *Ignoramus* quidam, cum literis, quibus *Bucingamium* certiorem fecerunt, *imperatum fuisse à Præfecto Regio, ut Papanis Socijs, Rupellanis hostibus uterentur, qui in Amicitiâ, Religionequè Populi Britannici diu manserant: Nautas, Naves, Navarchos jussos esse militibus Gallis obedire. Id Socios Navales obstinatè recusasse; libello Supplice oblato. Quamobrem, Gallis Naves committendas non existimavit, ad libertatem Rupellæ opprimendam: oravitq́, ut alium Navibus præesse vellet, si remittenda forent.* Undè *Bucingamium* alieniorem sibi posteà sensit; & Populum magis indies favorabilem.

Londini, Sermone Vulgi, destinatur hostis *Philippus*: præclara *Classis* 80 *Navium paratur*, instruiturquè. *Dubitat Bucingamius, cui Præfecti Classis potestatem, Dignitatem, Auctoritatem daret.* Quos Militum Præfectos, Tribunos, Centuriones constitueret: Nam omnis honos ab isto Dignitatis, aut Officij collatus est. Maximè ambigitur, *quem Terrestribus Copijs præficeret*; labente indies virtute bellicâ, ac gloriâ militari gentis. Simul ut omnia satis apta ad Certamen essent, quotidiè Nautas, Militesquè Simulachris pugnæ exercuit; ut Navium Celeritatem, ac Agilitatem experiretur, Nautarum corpora, animosque acueret. Re in Senatu deliberatâ, quidam disceptarunt, *Num priùs Philippo Amicitia renuntianda esset, quàm Bellum inferendum?* Pleriquè censuerunt, *Amicitiam renuntiatam Iure videri; cum Legatis, toties Palatinatum repetentibus, nec redderet, nec satisfaceret; sed fraude ageret; ac semper aliquam fraudi Speciem Iuris, & æquitatis obtenderet: aut Dilationes perpetuò quæreret.* Deindè, *Ipsinè Philippo Regi indiceretur bellum tantùm; An & Cæsari; ac Bavaro quoquè separatim indicendum?* Responsum est, *Cæsarem & Bavarum ultrò sibi bellum indixisse: cum Palatinatum per vim acq́, Injuriam occupassent; familiæ vetustam Dignitatem ademissent, quæ adimi Iure non poterat; ac Heidelbergam expugnassent. Philippo, Iure indictum videri; cum Francenthaliam non Potestati, sed fidei commissam, sinè fraude reddere pactus fuisset; fidemquè datam Verborum ambagibus elusisset. Non sinè Infamiâ, ac ludibrio Papanæ Religionis.*

Nec eò minùs apud nos Jus gentium valuit. Nam *Quatuor Naves Dunkircanæ, quæ Dunensem Stationem publicâ fide tenuêre, pactæ ut secura à Batavis, sinè fraude abire liceret.* De eâ re Rex certior factus, omnem Iracundiam placidâ mente deposuit; & ne Justitiæ suæ deesset, obstitit *Batavis*, pertinaciter insequentibus; ac promptissimè licentiam redeundi concessit. Dimissæ Nocte intempestâ, beneficio Tenebrarum adjutæ, vela fecêre. Cognito dicessu per Speculatoriam Navem, *Batavi* acriter insecuti sunt, postremam quamquè Navem adorientes. *Vna* crebris Machinarum, Tormentorumquè ictibus perfossa, *fluctibus obruta est. Reliquæ Tres laceræ, Dunkirci Portum invectæ sunt*; cum nequè repugnare, nequè Mari effugere ullo modo possent.

Intereà, *Iacobus* de Reip: commodis plurimum cogitavit; *ut Ærarium exhaustum pecuniâ suppleret. Prærogativam in Mineris*, Majoribus lege indultam, publicæ utilitati remisit; & Edictum ex Senatus sententiâ promulgari curavit, *quo scrutandi licentiam Subditis in Prædijs suis permisit; reservatâ sibi, Posterisq́, Auri, Argenti, Æris decimâ.* Id quoquè in alieno Solo fieri passus est, ubicunquè semel *inventa Vena*, vicinis circùm Arvis se propagaret, habitâ ratione damni domino fundi in duplum. Nec defuit Consilio eventus: etenim *Fodina Argentaria in Cambriâ reperta est: aut saltem Plumbaria, quâ magna vis Argenti contineretur*; hoc successu inducti *Metallici*, in sterili Solo, atquè etiam *in Montibus fodiunt; & Materiam coquunt in fornacibus.* Item, quia perscriptum in Monumentis Veteribus reperit, *Scotiam Naturâ Metalliferam esse*: & ipse expertus est, *in Anandiâ Metallis confusum Aurum gigni*, Metallicos maximâ curâ conquisitos, ad opus retraxit: ijsquè, habitandi gratiâ, locum *in Crafordia Solitudine* assignavit: & usus est operâ *Thomæ Faulisij* in Operis inspectione; qui domum ibi extruxit, receptaculum Operariorum: undè magnâ divitiarum expectatione, publica Inopia: *& consumebantur Regni Opes, spe inani Novi proventus.* Cæterùm, ut firmaret opes, *Baticam Nicotianam, Edicto promulgato vetuit: & jussit ut ex Virgineâ suppeditaretur.* Quam Coloniam in Patrimonio Principis remanere maluit, quàm à Societate possideri; ut Subsidium Regni, ac incrementum Vectigalium esset: imminutis cæteris, Suspicione Prædonū, aut hostium, Navigantibus injectâ. Sed Populus nimiâ pecuniâ lasciviens, *Baticam coemit, Virgineam fastidivit; & pecunias ad hostiles terras transtulit, aut pretiosissimas Merces, ut Nidorem fumi adveheret.* Mirabitur Posteritas Majorum Temperantiam; & istorum, fumum Naribus efflantium, dementiam; ut impura Oris, ac Narium excrementa viserentur. Audeo affirmare, *nihil in perniciem hujus Regni gravius unquàm excogitatum: & arbitror, hunc Fumum, cum assiduis Scenæ Spectaculis, Ferociam bellicam, Militarem Disciplinam, & Majorum gloriam extinxisse; aut ad inertissimum Otium perduxisse.* Sed *Rex nec Potestate, nec Authoritate, nec Exemplo vitæ, à fumi cupiditate avertere potuit: Nec Prædicantes summâ facundiâ; Nequè divinæ Vltionis Minis, à vitio temporis deterrere potuerunt.*

Gliscebat interim *Bucingamij* Dominatio: qui *Zouchium*, Baronem priscæ dignitatis, ac antiqui Moris, *Quinq́, Portuum Custodem*, ex eâ Possessione dimovit: & Custodiam *Portuum* Maritimo suo Imperio adjunxit. Multis Munia privata ademit; & per Ministros suos exequenda curavit. Ob hæc invisus, atq; Contumelijs obnoxius vixit. Multi Ambitum incusabant, dictitantes, *Claustra Maris non esse ei committenda; quod ab illis Portibus Aditus ex Continenti esset.* Sed illi, fiduciâ sui, adversùs Æmulos firmus, & securus Potentiæ, Malevolorum sermones contempsit: *Custodiam Portuum* fidelissimis

Clientibus

Clientibus commisit; qui Navibus *Piratarum*, prædâ refertis, divites evaserunt; *& pecunias à Mercatoribus exterarum gentium, Portus nomine, coegerunt* : & non tàm *Prædonibus* metum intulerunt, *quàm Navigantes ultrò citroq; afflixerunt*, qui *Piratarum* Insidias, & Tempestatum pericula effugerant. Ille jam Opibus & Copijs affluens, cum multos Fundos Regios Principali Benignitate haberet, omnes pretio vendidit; *& pulcherrimam sedem Comitum Suffexiæ, novam Aulam appellatam, apud Trinobantas emit* : quam maximis impensis adauxit, & immensi pretij Supellectile. Item *Burlecollinum, à Collino situ dictum*; quod sedes *Haringtonorum*, qui diu illic Equestri honore floruerunt. Auxit indies Fines Agris; coemit & Rustica Prædia plurima, partim *in Cambriâ*; aut Amicis emendi munus injunxit. Illo rogante, pauci negarunt se adduci posse, *ut Fundos Paternos atq; Avitos venderent*. Quidam gratiâ obtulerunt, spe majoris beneficij: eum omnia quibus vellet dilargiretur. Facile id patiente *Iacobo*, jam ætate provecto, aut profunda Dissimulatione prætermittente; quod ab Interioribus Aulicis traditum est; & Plerique crediderunt. 1624.

Cæterùm, privatâ Injuriâ ad exigendam Vindictam incitatus est. *Robertus Havartus*, Suffolcianâ stirpe ortus, à Delatoribus insimulatus est, *Vxorem Purbechij Vicecomitis polluisse: & de Adulterio insolenter gloriatum esse*. Instruxeruntquè ejus Accusationem multis gravibus Suspicionibus. *Bucingamius* exacerbatus Inditio Adulterij, *quod deficiente Prole suâ Masculâ, Purbechij liberos hæredes Honorum, ac Dignitatis substituisset* : & Instinctu Matris, ad ulciscendam Fratris Injuriam accensus, Juvenis opprimendi summo studio flagravit: *Adulterij Crimen* amarissimè intentavit; & præter Ordinarios Judices, aliquot *è Numero Præsulum*, velut Apolectos postulavit, impetravitquè: Quorum multos ad Dignitatem provexit, atquè ex eo obnoxios habuit. Citati ad Causam dicendam Rei, *Accusatores Purbechij Conjugem, & Robertum Havartum, Amplissimum Iuvenem, in Iuditium Cleri vocarunt; & criminosissimè Lambethæ insectati sunt*: congestis etiam Probris, subindè objurgantes. Qui *Adulterij Crimen* abnuunt. Fæmina ferox, Libertatem vehementis Spiritus verbis testata, liberius questa est, *se Crudelem in modum afflictam; Mariti Solatium ademptum; Adulterij Suspicione insimulatam; Alimenta subducta; Vestitumq; ex amplissimo Patrimonio vix suppeditatum*. Astantes vicem ejus Indoluêre, quod Invita Marito, turbidâ Mente, nupsisset; & Adulterij Crimine urgeretur. Constituitur Juditium; & Judices *Iuramentum, ex Officio, utriquè offerunt*. Ille obstinatissimè recusavit; *se ab Actione, Comitiali Privilegio, immunem dictitans*. Amplissima Comitiorum Auctoritas non prævaluit; in Carcerem conjectus est, & Contumacia Severitate coërcita. Nec Illa aliter sensit: Responditquè, Metu ac periculo animæ anxia, *Neminem se accusare debere; Onus probandi Accusatoribus incumbere : & tempus Probationis expectandum esse*. Instant Judices, magnâ specie Gravitatis, *Iuramentum legibus, ac Moribus receptum denegandum non esse : Nec Innocenti ullum periculum Numinis impendere*. Illa Præsules acerbâ Cavillatione obsecravit, *ut eorum Conjuges bono exemplo præirent; Iurantes se à Culpâ liberas esse; Exemploquè ambigentem adjuvarent*. Denique, perseveranti; atquè abneganti Crimen, *Excommunicationem minantur : exercentq; severè leges Ecclesiasticas*. *Havartus*, Juvenis Nobilis, ob Contumaciam, *Catu fidelium apud Crucem D: Pauli motus est; ut latius pateret Opprobrij deformitas*. Deindè *damnata Vicecomitis uxor, ac Sacris interdicta*; quia Contumaciter se gesserat. Includuntur in Carcerem Condemnati, non sinè mærore Parentum, ac Propinquorum. Ita Judices Officio satisfactum esse arbitrantur; & Voluntati ejus, qui petivit Causæ Cognitionem. Rei Carceris tædio afflicti, Defensionem Causæ susceperunt; & precibus Regi oblatis, inter alia questi sunt, *Clementiam, Mansuetudinemq; mitissimi Imperij, in Severitatem, Inhumanitatemq; esse conversam; condemnari se nullo Crimine. Nec reticuerunt, cujus præcipitis furore coaluissent pericula Innocentium*. Solicitantibus clanculùm Amicis, *Rex Carcere extraxit*: respondítquè, *Leges exercendas esse; & Apolectis, Præsulibusquè mandavit, ut integris animis, at Iure ordinario dijudicarent, sivè gratiâ, aut Ambitu: ab imminenti Exitio Innocentes reos tutos præstarent : in evidenti Impudicitiæ Scelere convictos legibus vindicarent*. Paucis indè diebus, Rei, Libidinis & Adulterij accusati, demonstrant Actores *Convivia, Congressus, Colloquia concelebrasse, unâ consciâ Ancillâ : ad ea neminem adhibitum, nisi Havartum Iuvenem, lubricæ ætatis*. Rei defendunt, *Illa Communia nihil ad Causam pertinere: Congressus, & Colloquia Crimini dare non oportere*. Tum Communibus Prætermissis, dicunt, *Iuvenem per Tectum vicina Ædis Cubiculum intrasse, non sinè magno discrimine suo; concubuisse; ex Adulterio filium conceptum, & natum esse; Obstetricem Auctores, Testesq; producunt*. Ambo, Decreto Præsulum, damnati; *Purbechia*, ad vexationem, Infamiamquè vitandam, *latuit abdita in alienis domibus*. Nullus ab indagando cessavit dies: decreta Indicibus præmia. *Bucingamius* huic Cogitationi totus intentus, cum per *Exploratores* comperisset, *Londini*, in privatâ domo clàm delitescere, evitandæ pœnæ gratiâ, Magistratibus mandavit, ut comprehenderetur, & in Carcerem raperetur. Sed, *ope Ducis Allobrogum Legati*, in proximâ æde diversantis, *virili veste assumptâ, eo fallaciæ genere evasit, Carpento bijugi, præ se ferens Puerum; nec suspecto, nec retento Vehiculo ab ijs, qui diligentissimè inquirerent*. Huic Spectaculo ipse affui: quod deridendi materiam præbuit hominibus; miserantibus ejusmodi Indignitates, & Probra; cum multæ essent, quæ turpius se gererent. Crevit igitur Vulgi Invidia, recenti Atrocitate, Miserationequè afflictæ fæminæ, ac omnibus Insidijs tentatæ. *Havartus*, in Contubernium ultrò invitatus, post Damnationem dissimulatus est gratiâ fratris, *Suffolciæ Comitis*; qui mutatione temporum apud *Bucingamium* multum poterat.

Cæterùm, *Carolus Princeps, in Venatione, casu Equi super eum ruentis, vitæ discrimen adijt*: undè emicuit immensus

1624. immensus Subditorum favor, precantium in omnibus Templis, pro Salute, ac Incolumitate ejus; clamitantiumquè in Curiâ, in Foro, *corruisse Remp:*; *Nihil spei reliquum, si quid ei humanitùs accideret.* Ubi recreatum acceperunt, incredibili Plausu lætati sunt. Proceres, ac Clarissimi viri, qui Officio Legationum advenerant, gratulantes, venerantesquè consalutarunt. Auxitquè indies gloriam, favoremquè Populi, factis benignis pro re, & verbis humanissimis: non minùs alienæ Libertatis, quàm suæ Majestatis memor, *cum Pilâ in Sphæristerio se exerceret*; *Vel Velocitatis viriumq; Certamina, inter familiares, iniret*; *Vel spumantes equos in pulvere versaret*, ut se Acrem ac fortem ostenderet, si Militiam resquè bellicas semel attingeret; ita Clementiam, Moderationemque animi, per hæc maximè ostendit. Hinc magna & firma Auguria futuri Principatus, ut Regno dignissimus æstimaretur; apparuitquè evidentissimis signis, eum omnia ex Majestate Reip: gesturum.

Antè paucos, quàm Rex obiret, Menses, nonulli Facinorosi, infimi Ordinis Tibicines, *Bucingamium petulanter allatrare soliti*, publico Juditio condemnati, *ob ambigui Ioci Versiculos*, qui in illius Mores facti sunt; *& Candenti ferro inusti*, in Carcerem conjecti sunt, ne proferrent ultrà, atquè divulgarent. Animadversum sic in Auctores, *Cantoresquè*, quasi Bile ac stomacho fingentes; *Famosa Carmina* statim abolita, modicam Originem, Inopinatam Fælicitatem, Propinquorum humilem fortunam, acerbis Cavillationibus exprobrantia; aut esse in manibus hominum, lectitariquè vetita. Vexabant prætereà inquietam mentem *libelli Famosi, in Curiâ sparsi*, ab impatientibus Dominationis; *Arrogantiam, Libidinem, Ignaviam, Sævitiam, Luxuriam objicientes.* Quibus lectis, vehementissimè succensebat; & requiri Auctores jubebat. Interdum in ferendis Contumelijs generosus, ac Magnanimus adeò apparuit, ut sperneret, & ultrò exolescere sineret Malevolorum Sermones, ac Convitia, ad labefactandam famam excogitata; Iracundiæquè tempus permitteret. Verùm, habita est ab eo semper ratio Temporis, ratio Dignitatis, Existimationisque suæ: & in summum Fastigium accrevit *Affinitatibus validissimorum Procerum*; majoremquè sibi posteà Potentiam asserere cæpit, ac nutu cuncta regere. Nunc ab isto Fonte omnis honos Dignitatis, Officijquè promanat. Quamobrem, *Iacobus Leius, Quæstor designatus*, ad Quæsturam, ejus arbitratu, propter Affinitatem, traductus, insigni hominum studio, ac effusâ Populi lætitiâ, ob summæ Prudentiæ Opinionem, *abundantissimum Epulum Senatui, Proceribusq; dedit: qui eum Quæstorem consalutarunt*; *honoris causâ, à domo comitantes*: ac in Quæsturæ Munere incorrupte integrèque se gessit. Verùm, *Bucingamius* omnem pecuniæ publicæ Potestatem sibi vendicavit; & ad arbitrium distribuit, *Quæstore non contradicente, sed mirante potiùs, quò se effusura esset Audacia. Radolphus Crujus*, vir legum & æquitatis Peritiâ clarus, ac multâ Humanitate, temperatus, *rerum Criminalium Iudex*, in ejus locum substitutus, in foro Jus diligenter dixit. Nemini administratio Juris denegata est; nec quisquam, eo Judice, in privatis Litibus læsus est.

Mox appetente *Comitiorum* tempore, Edicto edito dimissa sunt, novo ac inusitato More; cum Rex Præsens in Curiâ; aut Absens, Diplomate dimittere soleret. Quibus peractis, *Cranfeildius*, quem Senatus, quem Populus, quem Cives oderunt, cum *Comitiorum* Auctoritas concidisset, Carcere liberatus, Benignitate Regis, privatam ac inhonoratam vitam egit; & se in gratiam *Bucingamij* rursùs insinuare tentavit, interpositâ pactione Nummorum: quam obstinatissime recusavit, in tantâ Rei Nummariæ difficultate: Mulctamque acerrimè exegit, ob Morum ejus Diritatem, Contumacem animum, & Censum maximum, cum ingenti gazâ; quam Vectigalibus, Monopolijs, Rapinis, & aliorum Jacturis adeptus est. *Hac Indulgentia Principis in hominem improbum*, Juditio Procerum condemnatum, non modò vehementer ab Optimo quoquè, sed etiam a Plebe universâ (quam Collationum acerbitate exasperaverat,) reprehensa est.

Bucingamius, cum ferocissimi Adversarij Fato occubuissent, omne suum studium, ad Curiosiorem corporis sui cultum conferre cæpit: cui quotidiè aliquid Novitatis adjectum est. *Margaritas, gemmas, Attalica Aulea Auro intexta, immenso pretio comparavit*; & in Galliam profectionem præparavit; *ut Nuptias Caroli Principis concelebraret*; *Sponsamq; in Britanniam deduceret.* Sic vixit, ut quotidiè Muliebria Convivia essent, non in publico solùm, sed etiam de publico. Interdum adeò delicatè Iter fecit, ut Octophoro veheretur. Quidam etiam ex Magistratibus conquesti sunt, illum publicam pecuniam in privatos usus convertere; pro libidine omnia in Rep: gerere; Voluntati adversantes opprimere; alienis Malis perindè, ac suis Bonis lætari. Sed Surdæ adversùs Criminationes Regis Aures, qui in minore gratiâ non habuit; Vitia Naturæ, non animi esse excusans. Dicitur etiam, *inspectâ Indole secretò, prædixisse, infælicem ei Vitæ exitum imminere*; sicut posteà evenit.

Rex, difficillimo Reip: tempore, *in languorem incidit, quem largâ Meri Potione, ac Intemperantiâ auxit, ut quidam opinantur*. Mox ingravescente indies Valetudine, *in Theobaldinas Ædes*, lecticâ devectus, tristior secessit; amænum sanè, & ab Urbe remotum locum: ut remisso ad Jocos, ac omnem hilaritatem animo, Languorem depelleret. Quo paulùm levatus, dulcis Auræ beneficio, ac omni genere hilaritatis recreatus, nullis gravioribus Reip: Negotijs posteà animum adhibuit. *Non facile erat, ab Illecebris Voluptatis revocare languentem, ac defessum animum, & convertere ad publica Reip: Munia*. Itaquè, accersitum *Carolum filium* liberâ Potestate instruxit, *ut Muneribus Regis fungeretur*; *legationes audiret*; *Remp: capesseret*; *Auctoritatem Senatus tueretur*; *Comitia omnibus Iuditijs anteferret*; *de ijs, qui ob Iudicandum pecuniam accepissent, inquireret*; *Senatusconsulta non infringeret, nisi Malo publico fierent.* Simul cohortatus est, *ut apertis hostibus obsisteret*; *Insidiosis Inimicis non crederet*; *Socios operâ & fide defenderet*;

Societatem

Societatem cum Batavis inviolatam servaret; exhaustum Ærarium, effusamquè pecuniam publicam, citrà 1624.
Populi perniciem, suppleret; Patrimoniumq; Regni, in Præmia Procerum absumptum, Bonis ac honestis rationibus augeret; Pacis, Concordia, Compositionis in Palatinatu Auctor esset, si fieri posse considerет. Hæc Patris Consilia de Rep: fuerunt: Quibus, repetitâ protinùs Urbe, sedulò paruit: receptâquè ad se publicorum Munerum curâ, Consortem Regni egit: *Patris nomine, Legatis responsa dedit; Epistolas dictavit; Edicta conscripsit; & in ordinandâ Rep: frequentissimo Senatu salutariter usus est.* Sed ille, Fatali inclinatione, *neminem pluis dilexit, quàm Bucingamium; nec cum ullo aut Sermones, aut Consilia sapius contulit.* Tantum isti, ad promerendam Optimi Principis gratiam, vel Ingenij, vel Fortunæ fuit. Nec Patris, languore gravati, sollicitudinem Die ac Nocte omisit; nunc luctum consolando; nunc oppitulando, omni Remediorum genere, & ope Medicorum nobilissimorum.

Dum hæc in *Britanniâ* geruntur, *in Belgio Marchio Spinola*, rei Militaris famâ cognitus, Cogitationes Curasquè *in Obsidionem Breda*, magno Conatu, vertit; *ut dedecus temerè capta Berga ad Somam Obsidionis aboleret*; & amissam gloriam, aut deminutam superiore Anno, recuperaret. *Urbi præerat Iustinus Nassovius, Aurasionensis frater Nothus*, Providentiâ, Sapientiâquè insignis, cum *Septemdecim Peditum Cohortibus, Batavorum Iuventute, ac Quingentis Equitibus.* Is, comperto itinere hostium, & suspecto eorum Consilio, diffidit Numero Cohortium; ne longius Obsidium, Vim, Multitudinemquè *Batici Exercitus* parùm tolerarent. Igitur, *Tres legiones cum ipsis Tribunis, Hauterivio Gallo, Morgano Cambro, & Loquerenio Batavo, in auxilium Breda evocavit.* Et Novis Subsidijs firmatus, propinquante hoste, Tribunis per mænia, externasque Munitiones, suas Stationes attribuit: *Hauterivio, ad Portam Ginecensem; Morgano, Anglorum Præfecto, ad Silvaducensem; Loquerenio, ad Antverpiensem.* Quorum ductu, Urbs impigrè operibus munita; promoti Aggeres; auctæ Turres, Propugnacula addita: Ipse *Præfectus* curam *Annona* diligenter egit; ac fortunæ loci commisit Spem suam. *Castra interim hostium haud procul Merkâ flumine posita, quod Bredam interfluit. Spinola*, Tribunis, Præfectisque in Consilium adhibitis, quò plùs Auctoritatis inesset, *de Breda Oppugnatione* inquirit sententias singulorum. Qui disseruêre, *tutam Viris, Munimentisq; Urbem; auctum nuper Præsidium Gallicis, Anglicisquè Subsidijs: robur hostium Berga Obsidione exploratum: Copias Baticas, propter paucitatem, tanta Oppugnationi impares fore: summam supportandi Commeatus difficultatem, longinquis impeditisquè per hyemem Itineribus; immensum Vectura pretium; Nec Exercitum sine Commeatu retineri posse: Caterùm, Urbem nisi maximo intervallo circumvallari non posse: Circumvallationis ambitum* XX *Millium Passuum, aut ampliùs fore. Deniq; si feroces hostes, cum Exercitu, Castra circumfunderent, & à fronte & à tergo urgerent, aut cum Pudore discedendum, aut in medio clausos, ad unum omnes cadendos. Proindè, Obsidionem Breda non placere.* Missi ilicò ad *Comitem Bergensem, Frisia Præfectum*, Nuntij, qui Sententiam ejus sciscitarentur: retulerantquè, ex ejus sententiâ, *non conducere in præsentiâ Oppugnationem, Aurasionensis Exercitum imminere. Embrica, & Rhasa, in ripâ Rheni Obsidionem, placere. Spinola*, Consilio, & virtute insignis, *pronunsq; ad Breda Obsidionem*, disseruit, *humum fossis idoneam; Copiam materia ad Aggeres excitandos esse; flumen Aquationi, sylvas lignationi, Prata, horreaq; Pabulationi opportuna: Simul, Patrimonium auferre Mauritio, hostium duci, in rem famamq; videri: possessâ Breda, Bergam ad Somam facilem recuperari posse, locum insignem Memoriâ gemina Cladis: & Urbem quamvis munitam, Fame, frumentiq; egestate ad Deditionem cogi: Deum Consilij Authorem, haud dubiè Conatibus affuturum.* Vicit ejus Sententia, Tribunis jam non adversantibus. Postquàm obsidere placitum, *Consiliumq; ab Archiduce, Isabellâ approbatum*, circumvallare properavit, *Decem Equitum Turmas, & Peditum Millia Quatuor, cum Francisco Medinâ Tribuno*, primâ Noctis Vigiliâ misit, ut locum Castris antecaperent; & *Ginekam, proximum Breda Pagum, occuparent. Argathelia Comes, cum legione suâ Scoticâ; & Paulus Balionus, Italica legionis Tribunus, quibus adjuncta Quatuordecim diversarum legionum Cohortes, Heydam, ultrà Urbem Pagum, eodem tempore, apertâ vi occuparunt.* Ita duo simul Urbis latera præmissæ Cohortes tenuerunt. Nihil nequè apud Tribunos, Centurionesquè, nequè apud milites remittitur à summo labore. Primâ luce, imminere Urbi Exercitum Spinolæ Præsidiarij viderunt; crebris Tormentorum fulminibus intonuerunt; intentosquè operi milites subitâ Eruptione turbarunt. *Tribunus Balionus, duodecim Onerarias, Commeatum Bredam subvehentes, intercipit*; & Prædam Militi, Nautisquè distribuit. Ita Primus dies transactus est. Multi deinceps vallandis Castris, & parandis Operibus absumpti; quibus *Spinola* Castra sua mænibus *Breda* Urbis, Castris Vallum circumjecit. Stationes, Præsidiaquè disposuit, ne quis impetus in Castra fieri posset; neu Exitus ab Urbe esset. Intereà, crebra magis, quàm digna Commemoratione prælia fuêre, antequàm Circumvallatio, Quaternis simul partibus perficeretur. *Hujus Circumvallationis admiranda, inauditaquè magnitudo fuit*; qualem nec nostra hæc ætas, vel superiora sæcula viderunt. *Circulus exterior Triginta Millia Passuum continebat. Interior, contrà Urbem ductus, minorem Circuitum habebat; Externo distabat ducentis Passibus. Utriquè addita Turres, Aggeres, Castellaquè* LXX*, aliaquè Munimenta; quorum aspectu ferocissimi hostes territi, Oppugnationem tentare non sunt ausi.*

Per idem tempus, *Mauritius Geneppam Urbem, Mondelbergam, Clivosquè*, per deditionem recepit. *Breda* discrimine cognito, eodem cum Exercitu proficiscitur, ad prohibendam Obsidionem: interclususquè Urbe, *in Pago Medensi, juxtà Paludes Merka fluminis, Castra communit*; assidens tantùm; & composito dolo, *Arcis Antverpiensis* expugnationi intentus, eâ cunctatione hostibus muniendi, perficiendiquè Castra tempus reliquit. *Arcemquè* situ inexpugnabilem, clàm Noctu, subitâ per tenebras

1624. Irruptione, tentare instituit, nullo juxtà Subsidio, & fesso per diem noctemquè Vigilijs Præsidiario Milite: ut *Arce interceptâ*, Urbem totius Belgij pulcherrimam, Batavorum Imperio adijceret. Cum jam composita omnia ad propositum essent, *Brouchenio*, *Berga ad Somam Præfecto*, occulta mandata Expeditionis demandavit. Is cum paucis Centurionum collocutus; electisquè per eos idoneis militibus, Nocte in Expeditionem eundum edocuit. *Pedites Mille, Equites Ducentos eduxit*; ligones, Dolabras, Scalasquè comparatas, & cætera expugnandis Urbibus Machinamenta Vehiculis imposuit. Insuper, Astu militari, *Sagula Punicea, Cæruleaq́, Ordinum Insignia, rubeis mutavit, quibus Bæticus miles assueverat*; *Carrorum Vela Burgundicis Crucibus signavit*: ne facinus proderetur. Rogati à forte obvijs in Itinere Milites, *Qui essent? Quò tenderent?* Respondent, *Antverpiam se, rei frumentaria causâ, proficisci*. Ita *Batavi Bætico habitu*, & varijs fallendi Artibus, pro Milite Ibero, Custodias Bæticas frustrati, *ad Arcem Nocte intempestâ penetrarunt*. Sinè trepidatione, ac tumultu, *Scaphas in fossas dimiserunt*. Simul Altitudinem Murorum permensi, *Scalas per silentium admoverunt*; *Claustra Portarum Malleis, Vectibusquè perfringere cœperunt*. Primi, fere sine strepitu, *in Muros Scalis evaserunt*. *Porta magnâ vi refringi cœpta*; Jam undiquè res sedulò gerebatur. Ventus in adversam partem flans, ut Fors tulerat, fremitum hominum, hinnitum Equorum, fragorem Molientium, Carrorumquè strepitum in Arce exaudiri diu prohibuit. Sed *Andreas Cea, unus ex Hispanis*, cui Noctis illius Vigiliæ obtigerant, *ex fremitu hominum illatâ Suspicione*, Insidias advertit, *Signumq́, è Muro explosâ Machinâ dedit*, *Proditionem ingeminans*. Hæc vox excitavit, convertitquè omnes Præsidiarios ad arma capienda. *Ioannes Bravius*, *Arci Præfectus*, cæteriquè milites exciti ad opem ferendam jam propè captæ Arci, concurrunt. Tubarum auditus Clangor *Batavorum* mentes obstupefecit. Quorum Primi, qui Scalis in Muros evadebant, in Fossas desiliêre; Alijs turbâ trepidantium præcipitati sunt. Reliqui perterriti, relictis ob metum Instrumentis belli, Scaphis, Scalisquè aliquot, trepidè discessêre; *Brouchenius*, postquàm conspexit omnia detecta, retrò citato agmine *Bergam revertit*. Ita tàm audax, & callida Machinatio ad irritum revoluta est; ac *nisi Insidias Cea detexisset*, res tanta inchoata, patrataque eâ Nocte foret. Pro quo Merito, Præmijs muneribusque donatus est: & *Præfectus Bravius* ob editam operam cultus est. Pleriquè existimant, *si Mauritius Britannicis, Gallicisvè Auxilijs rem credidisset, Arcem capi potuisse*. Cujus Consilium reprehendendum mihi non videtur.

Dum hæc *Antverpiæ* geruntur, *Auraisionensis* per otium *Medensibus* Castra assedit; operiens quisnam Conatus exitus foret. Ubi pulsos suos accepit, dolore irriti Propositi victus, *removere à Pago Medensi, ad Rosendaliam Castra instituit*: ut Commeatum Exercitui *Spinolæ* supportari prohiberet. *Curam Exercitus in Henricum Nassovium Fratrem, & Ernestum Cognatum partitus est*: quorum Alter *Rosendaliam*, Alter *Sprangam*, positis Castris, cum Copijs, insedit. *Ipse æger animi, quod Insidijs detectis, expugnari Arx Antverpiensis nequiret*, adversâ valetudine corripitur; refovendisquè viribus, tantâ Mole curarum dejectis, *Hagam redijt*, Salubritate Aeris amœnam. Ubi Arcana Consilia concoquit, ut tractâ in hyemem Obsidione, hostes Inopiâ rerum omnium conflictarentur; sui omnibus rebus abundarent. *Revocat ex Germaniâ Mansfeldium*, cum dilectis Popularium. Quem protinùs ad conscribendas Novas Copias *in Galliam, Britanniamquè mittit*; *ut Incursu Brabantiæ*, *Bredam Obsidione eximeret*; *Castra Iberorum oppugnaret*; *aut Commeatum hostibus intercluderet*. Is *Britannorum*, *Gallorumquè* validâ manu in *Belgium* trajecit: Ubi Castra *Hispanorum* oppugnare instituit. Verùm, nullam partem Munimentorum convellere potuit. Quia Tyrones Salo, Nauseâquè confecti, Mutationem Soli, Cœliquè haud tolerarunt. *Auraisionensis*, cum complures in ejusmodi Cogitationibus dies consumpsisset, *secundo Conatu usus*, *Arci Antverpiensi*, *Nocturnâ denuò Expeditione*, *Insidias struxit*: non meliore successu. Quia Præsidiarij, tentando cautiores facti, dolo capi non poterant.

Spinola interim operibus intentus, & Commeatui, *locis certis Horrea constituit*; Vecturasquè Frumenti finitimis Vicis, Urbibusquè *Brabantiæ* descripsit. *Comiti Bergensi* maximam Equitatus partem attribuit, ut *Commeatui* Præsidio esset: cujus ductu res egregiæ gestæ, *Frumentum undiquè conquisitum, in Castra indies convectum*: & cuncta provisa adversùs subitum hostium impetum, ne Commeatus interciperent. Per eosdem dies, *Henricus, & Ernestus Nassovij*, quieti intentiquè apud *Rosendaliam, & Sprangam*, Castra modico intervallo distantia, communiunt: omnesquè ibi Copias continent; aptum tempus Insidijs speculantes, si hostes Inscitiâ, vel Temeritate peccarent: sperantesquè *venturum Mansfeldium, cum Auxilijs Britannorum*. Quippè *Mauritius* trahi bellum, *expectariq́, Mansfeldium crebris Nuntijs jubebat*. *Iustinum, Fratrem, Bredæ Præfectum* Epistolis monebat, *Oppugnationem robore animi sustinere*; *Obsidionem Parsimoniâ tolerare*; *brevi posse Spinolæ Exercitum, intercepto Commeatu, fame subigi*. Sed nequè Castra oppugnare; nequè Commeatibus vim facere potuêre *Batavi*; nisi prælio experiri vellent. Quia per loca tuta ducebantur, *Præsidijs Bæticis* infessa; magno ab hoste intervallo: & *Comes Bergius* Viæ pariter, ac Pugnæ composuerat Copias, deductis in latera ac terga Vehiculis, cùm hostes ingruerent, & dispositis in frontè Equitibus, quibus *Sclopetarios* miscuerat. Ipse cum dilectis Equitum, *in Mediâ Acie versabatur*, cum curâ, ratione, ac Consilio prospiciens, ut venientibus in Itinere se opponeret, si ex Insidijs adorirentur. *Mauritius* longius Obsidium ductum iri existimans; metuensquè Angustijs rei Frumentariæ in obsessâ Urbe, *Octodecim Naves Onerarias* fabricare imperat, *latâ alvo, firmis lateribus, & planis Carinis*; *quæ tumido Mari, huc vel illuc appellere possunt*;

poſſunt; *& relabente æſtu, derelictatuta Vadu ipſis inſidunt.* Singulas ad hunc modum fabricatas, lectiſ- 1624.
ſimis militibus, Telis, Armis, Tormentis Æneis, Ferreiſque inſtruit; onerat deindè *Dolijs Frumenti*, ex vicinis Urbibus undiquè convectis; & ingenti vi *Caſei, Lardi, ac Porcina*: ut Bredam, Commeatuum egenam ſublevarent. Nuntium ad Obſeſſos mittit, ut Actuarijs aliquot armaris, hoſtium *Pontem flumine ſtratum perſtringerent*; *Spinolæquè Copias, quàm maximè poſſent, diſtinerent.* Qui Quatuor Cohortes *Liburnicis Navibus* impoſuêre, ad rem agendam, audendamquè; *ut rupto Ponte, vacuo flumine*, Claſſis acceleraret. *Spinola*, comperto *Batavorum* Conatu, & quid *Mauritius* pararet; diffiſus paucitati militum, Aggeres Paludibus aut flumini propinquos majoribus Præſidijs firmat, quà hoſti tranſeundum fuit. Sed *rumpi Pons non potuit*, qui intentius cuſtodiebatur, *ne Claſſis Batavorum cum Commeatu in Vrbem penetraret.* Nec erat per Paludes Commeatum ſupportandi copia, humiliore æſtu priſtinâ Conſuetudine. Cum jam in conſpectu Urbis *Claſſis* ſtaret; quæreretquè Occaſionem penetrandi, per Pontem, aut Paludes; velut adverſante Numine, *verſi repentè in contrarium Venti, qui antè Batavis ſecundi erant*, laceſſito tantùm hoſte in Aggeribus Tormentorum Miſſilibus, retrò vela convertit. *Ita Conſilium Commeatum importandi diremptum eſt*: oſtenſumquè Obſeſſis magis Solatium, quàm Auxilium. Tradunt *Batici Scriptores*, inane auxilium, etiamſi proveniſſet; *quia maxima pars Annonæ à Claſſiarijs conſumpta, aut direpta fuit.* Urbem utiquè Obſidione eximendi, *Mauritio* ingens cura erat; quod *Naſſoviorum Patrimonium eſſet.*

Alia deindè Spes, poſtquàm hæc irrita evaſerat, excepit. Immenſi operis Molem *ab utràquè Merkæ fluminis ripâ*, orſus eſt: *quâ flumen, haud procul Stenenbergâ, obſtrueret*; *& exæſtuante Freto, omnem citrà Vrbem humum, longè latequè inundaret*; *ſtagnumquè, demiſſis ac Paluſtribus locis, efficeret idoneum, aut Commeatui Obſeſſis ſubvehendo, aut obruendis hoſtium Caſtris.* Immania Saxa, Ceſpites, Proceras arbores comportari juſſit, operis, Foſſoribus, Vectoribuſquè quàm plurimis adhibitis, ut ſtrue Saxorum, Truncorumque aliâ ſuper aliam cumulatâ, aggeſtâque humo, Opus perficeretur. Id ubi per frequentes Exploratores accepit *Spinola*, cum Architectis collocutus, ad eos rem refert. Qui Conjecturâ, & Opinione ſuâ freti, *Novi Operis Molem Caſtris non nocituram prædixerunt*; *ſed Opera potiùs Sævitiâ Maris obruta fore.* Idquè accidit. Res non ſpernenda viſa eſt. Nec *Spinola*, Munimentis ſuis timens, quicquid ad impediendam Molem excogitari poterat, prætermiſit. Cum flumen ſolito Alveo avertere non poſſet, *omnes Rivos, Merkam flumen influentes, magnis Operibus obſepſit*; *& aquas continuit*; *ut, relabente æſtu, inflatus Alveus in Molem rueret*; *Opuſquè quàm maximè impediret.* Latitudinem quoque Aggeribus adjecit; Loricamquè præſepſit, ne crebris fluctibus Compages Operum laxarentur. Cæterùm, *Novam magnâ latitudine Foſſam duxit*; *ut Paludes in Alveum fluminis averteret.* Submiſſis verò clàm Nautis, *Ripas Merkæ fluminis pluribus locis interſcidit*; *ut quas Batavi aquas ad inflandum fluminis Alveum, Novi Operis Mole retinerent*; *Caſtraquè versùs emitterent*; *ipſe, ruptâ fluminis ripâ, in vicinas Valles, minore ſuo periculo, derivaret.* Præcipiti jam Hyeme, Ventus vehementior coortus *Molem erectam concuſſit*; crebriſquè fluctibus interfluens aqua Compages Operis laxavit. Poſtquàm Opus difficile viſum eſt; neque perficiendi facultas dabatur, turbidâ Tempeſtate; in proximum *Martium* dilatum eſt: Cum complures dies in Aggere, in Opere *Batavi* conſumpſiſſent, magno ſuorum labore.

Hæc ipſa *intermiſſio Molis* Alacritatem *Iberorum* accendit. *Spinola* ut quàm arctiſſimè Obſeſſos contineret, vicina Urbi Prata, quibus Armenta paſcerentur, occupavit; herbas radiceſque deſecuit; Commeatus importari in Oppidum prohibuit; atquè undiquè Urbem inſolentius premere cæpit. Obſidio continuata Oppidanos, Præſidiumquè *ad anguſtiam Annonæ* adduxit; & Militum vires Inopiâ Alimentorum deminuerat; atque Incommoda indies, conſumptis frumentis, auxerat. *Obſeſſi* omnia perpeti parati, hæc admirabili Patientiâ ferebant: atque Spe Inopiam ſuſtentabant. Ad extremum, *multi non tolerantes Odorem tetrum, Mutationem Victus, & Famem, Inediâ periêre*; *aut ad Iberos tranſierunt*; *Inopiam rerum Neceſſariarum in Vrbe ad Spinolam detulerunt*; & proindè in honore apud eum fuerunt. Sed cum pænè Quotidiè ab Urbe in Caſtra perfugerent, Cuſtodiorum Negligentiâ increpitâ, *in Vrbem compelli, aut interfici imperavit.* In Urbe Centuriones, Præfectiquè ex Morte Quæſtum Compendiumquè captantes, *famem ſuam Mortuorum Stipendijs ſuſtentabant.* Tertiam partem militum, qui in Præſidio erant, Ferrum, Peſtilentia, fameſquè abſumpſerant. Reliqui, clauſis Annonæ Subſidijs, *omne herbarum, Radicumq́, genus, Aggere Mænium eruerunt*; *Canes, & Iumenta in delitijs habuerunt*; *& Plateis, cum araſſent, Raporum Semen injecerunt*, ut Obſidentibus Spem minuerent; *nullam Deditionis Pactionem auribus admittentes.* Namquè *Mauritius* Obſidione eximere, Terrâ Mariquè fruſtrà parabat, Conjunctis *Mansfeldij Copijs*. *Spinola* nihil adventantem *Mansfeldium* cum Auxilijs veritus, clauſis Annonæ Subſidijs, *Bredam fame acrius urget*; *Tormentis ignitos globos emittit*; Munitiones firmat, ne quo loco irrumperet *Mansfeldius*; qui ſeſe, re infectâ, recepit. *Iuſtinus Naſſovius*, parcè diſtribuendo Commeatum, Inopiam diu ſuſtentavit; nihil omiſit ad extremam famem tolerandam. *Equos, Avenâ Pabuloque conſumptis, mactavit*; *lactantes Vaccas, in ultima Inopia Solatium, ſervavit*; & Obſidionem in Annum inſequentem extraxit; qui Eventum dabit.

1624. *Batavi* (ut suprà memoravi) Prædæ cupidine adducti, tentandam sibi *Americam* proposuerunt. Itaquè eò hoc Anno, *Hermitam cum* XII *Navibus instructis miserunt*. Missus quoque *in Brasiliam Vilkensius, cum Novem Navibus armatis*. Huic additus *Vandortius, Tribunus* militum, terrestribus Copijs præesse jussus. *Hermita Præfectus*, longo interjecto Navigationis spatio, *Americam tenuit*; ac paulò longius in *Meridiem* progrediendum existimavit, Prædæ cupidine. Inter navigandum nuntiatur ei, *Naves Baticas, in Portu Limæ Peruvianæ Vrbis esse, nihil ab hostili impetu metuentes*. Quo comperto, ille statim sinè ullo metu, *in Portum penetravit*, vimquè intulit. *Hispani* Naves suas, Numero plures, antè ipsa Mœnia opposuerunt, & undique Tormentis detinuerunt. *Batavi invecti, Sex Naves Baticas eximiæ Magnitudinis incenderunt; & Tres crebris ictibus demerserunt*. Lætiquè Successu, refoverunt se Vino; & reliquas plures adhuc Numero, inopes relictas, duce Præfectoquè cæsis, adorti sunt. (adeò Victoriæ Spem animis præceperant.) *quas omnes ferè aut incenderant; aut in ipso Certamine depresserant*. Paucis ex suis Missilibus laceratis, qui Muros improvidè subibant. Insuper, Urbem formidine terruêre, Classe ad Mœnia admotâ. Nec tamen defecêre animis Cives, procul è Muris Missilibus lacessentes, vulnerantesquè. *Hermita Præfectus Classis*, cum suos ex Mœnibus à Scloppetarijs vulnerari videret, recipere se jussit, & Portu excedere. Qui Imperio audientes, repentè se receperunt: paulòquè *circà litus Peruvianum* morati, laceras Naves refecerunt. Penès *Hermitam, Præfectum Classis*, hujus prosperæ Pugnæ Navalis decus omne fuit.

Hæc dùm aguntur, *Vilkensius, Brasiliam missus*, ad Regionis littus pervenerat: & *Vandortius Tribunus Militum*, Terrestribus Copijs præpositus, jam sese Militesquè è Navibus ejecerat. Quorum ille *Sinum omnium Sanctorum, ex improviso, occupat*: hic, expositis *duobus Millibus Militum, & Mille Quingentis Nautis, Vrbem S: Salvatoris à Lusitanis, in Orâ Maritimâ conditam, aggreditur*; & haud procul Urbis mœnibus Castra locat. Incolæ metu perculsi, *Vrbem quam Armis defendere non poterant, deserunt*; & demigrant clàm, Nocte intempestâ, in propinqua loca. Posterâ luce, *Vandortius Vrbem ingressus, potentes Ianuas invenit, nec amotas res*. Ibi domibus expilatis, Fanis direptis, Aris subversis, Statuis, Imaginibusquè incensis, Divina humanaquè omnia permiscet; communitquè Urbem. Reliquias *Batavis* conciliare studet. *Sinum præmunire instituit, ut Brasilia Iberos prohiberet*. In his rebus erat *Vandortius* occupatus. Intereà *Præfectus Classis, Lusitanorum Naves acrius urget*: quarum Præfecti, cum nequè repugnare, nequè Mari effugere ullo modo possent, magnam partem earum inflammant, incenduntq;. Hostium adventum, & periculum reliquum significabat flamma, ex Incendio Navium. Affertur hujus Mali Nuntium *Madritum*: trepidatum est in Urbe. Commovit Calamitas accepta *Philippum*; ut Naves, Nautasquè, ac spectatæ Militiæ Duces diligeret; *Batavosq; in Americâ extemplò Bello persequendos censeret*: qui incolumes reverterant, *& multis Spolijs Vrbium à se captarum, Hollandiam ditaverant*.

Inter tot Secunda, Casus adversùs incidit. *Lambertus, qui Batavorum Navibus, & Navarchis reliquis, cum summo imperio præerat*; unusquè, præ cæteris, rei Navalis peritus habebatur, *Sex Naves Dunkircanas*, inter cæteras eminentes, in ipso Mari, *haud procul Portu Iccio* assequitur. Nec mora prælio. *Dunkireani*, urgente Necessitate, conversi; paratiquè, se hosti in Conspectu Urbis obtulêre. Fit Prælium atrox: *in quo Lambertus, acerrimè pugnans, interficitur*. Duce cæso, non defecêre animis *Batavi*. Sed irritati magis, promptissimos hostium interfecêre, compluribus cæsis, *& duabus Navibus depressis*, reliquas fugere coegerunt: captæquè omnes forent, nisi cum advesperasceret, Obscuritas Noctis effugium dedisset. *Quo domestico Successu læti Batavi, Cædem Lamberti graviter indoluerunt*. Hominis Peritiam, multis Prælijs cognitam, gloriam Navalem, Diligentiam, Vigilantiamquè custodiendæ Oræ Maritimæ, *compotantes celebrarunt*.

Eodem hoc tempore, *Clevos, Iuliacensemquè Ducatum* (ut suprà retuli) *Iberi in partibus Ducis Neobrigensis tenuêre*. Eorum Odio, *juvêre Brandeburgicum Batavi*, suis viribus. Sed *Brandeburgicus, & Neobrigensis*, Sumptum insolitum pertæsi, & reputantes procul Germaniam, viresquè suas esse; duas florentissimas Provincias, *armis Iberorum, aut Batavorum teneri*; cum Ambo integras possidere non possent, *constitutis Arbitris, transegerunt; & Provincias inter se diviserunt*; consentientibus hinc *Batavis*, illinc *Hispanis*.

Longum quoquè Bellum, *Cæsarem ad Pacem ac Concordiam cum Daciæ Principe* flexerat; cum ad coërcendum vires non haberet. Qui *Pannoniam*, superiore Anno, Vi ac Multitudine invaserat; & *Cæsarem* Minis Armisquè in Societatem invitum traxerat; ne *Pannonia* suæ Ditionis, Barbaris Turcis exponeretur: pactusquè florentissimum *Hungariæ* latus, Inducias in præsentiâ, nec ita multo post, Pacem per Legatum suum impetravit; liberè disserentem, *Quietem Hungariæ, Pacem Germaniæ, Salutem Imperij, Incolumitatem Cæsaris hoc Fœdere quæri*. Libenter auditus *Daciæ legatus est; & Cæsar, quo facilius Palatinum coerceret, proximos Pannoniæ Campos, Vrbesquè Bethlemo concessit*. Conditiones Pacis deniquè transactæ sunt, *ut Daciæ Princeps Titulo Pannonici Regni abstineret. Proxima Daciæ Hungariæ loca quietissimè possideret. Pacem cum Cæsare coleret. Nec turbas in Germaniâ posteà excitaret. Nequè Ius, fasquè ergà Cæsarem exueret*.

Per hos dies, *Marchio Iagendorfius*, Brandeburgicâ familiâ ortus, incorruptæ ergà Palatinum fidei, extinctus est. *Pace Bethlemi, & Morte Iagendorfij, partium Frederici Naufragium factum existimabatur*; Opes illius fractæ, imminutæ, depressæ. *In Dano spes reliqua*. Qui in Commilitium ascitus, *ad*

invadendam

1624. *invadendam Germaniam arma parabat.* Ut antè dixi, Simul Virtus, fortunaquè *Daniæ Regis* vulgò extollebantur; sed ab alio transacta res est. Misit Epistolas *Cæsar*, Temeritatem Daniæ Regis incusans, impium Bellum contrà Patriam molientis. Rex egit *de Palatino Cæsari reconciliando*; oravitquè, ut omissâ Irâ Pertinaciæ finem faceret; *Supplicem in gratiam reciperet, ad pacificandum benè atquè honestè aurem accommodaret: Neq; ampliùs fortunam periclitaretur, ne Imperium Sarmatis, & Scythis rursùs exponeret: Neu honorem suum pluris, quàm Salutem Germaniæ æstimaret.* Pro Innocentiâ *Frederici* fidenter rescripsit: affirmans, *in Potestate Imperatoris fore, Fide datâ Salutis, ac pristinæ Dignitatis.* Postulavit æquum, sed non impetravit; vel Superbiâ Cæsaris, Fortunæ fælicitate auctâ, vel Irâ; *Authoribus Patribus Ignatianis.* Ubi *Danus* intellexit, nullam spem, aut Conditionem Pacis superesse, ad Cogitationem belli sese convertit.

Hæc cum in *Belgio*, atquè in *Germaniâ* gererentur; *in Galliâ aliquot Aquitaniæ Urbes tumultum captavêre.* In Civitatibus Magistratus, & optimus quisquè in fide permansêre. *Plebei* se non liberari reputantes, novas res moliri cæperunt. *Rohanus*, cum paucis *Protestantibus* collocutus, Novam tentare fortunam constituit; & Consilium audax cæpit, *Nemausum, Monpelium, & Montalbanum* occupandi. *Rupellani* quoquè Offensionem nudabant, *quod Regium Præsidium Munimento Ludovici non deduceretur; & Rex differre rem magis per frustrationem, quàm concedere videretur; spretâ nuper icti Fœderis Religione.* Hunc habitum animorum postquàm *Subisius, Rohani frater, magnæ apud Protestantes Auctoritatis*, pro præteritis suis Officijs cognovit, & occultæ Rebellionis Conscius, sui Consilij participes arma capere incitavit; & protinùs *Retensem Insulam occupavit, haud procul à Rupellâ*; ubi Classem, *Decem Navibus bellicis*, in occulto comparatis, totidemquè Onerarijs, instruxit, *ad ferendam Opem Rupellanis*; si quid adversi accideret: Literisquè evocavit Amicos, quibus suum facinus committere audebat; Singulos, Universosquè obtestans, *ut Iusta, ac propè necessaria resumerent arma, propter Rupellæ libertatem.* Disseruit, *ibi non Præsidium modò Regium esse, sed Munimentum etiam exædificatum, ut præsens semper in oculis Metus esset.* Multitudo avida novandi res, *Subisij tota erat.* Prætor, *& Rupellani Magistratus* Nuntijs admonuerunt, *ne tempore alieno Spem Pacis turbaret; nec Plebem ad funestum bellum armaret, non sinè magno detrimento Galliæ erupturum.* Et ad cætera addiderunt, *Se plùs in Benignitate Regis, quàm in Armis Præsidij collocare.* Itaquè, *aut precibus, ac lachrymis impetraturos demolitionem Munimenti, quam cum Rege pepigissent; aut quascunq; dedisset Pacis Conditiones accepturos; ne vetustam Civitatem nimiâ Pervicaciâ everterent.* Quibus ille Sermonibus permotus, Demolitionis Spem vanam, ac irritam prædicavit; Credulitatem nimiam, per Epistolam, castigavit: *palàmq; prædixit, ut Obsidionem in Urbe expectarent.* Sed *Rupellani* freti Benevolentiâ Regis, sententiam mutare noluerunt. *Subisio* ut satis apparuit, *tædere belli Rupellanos*; & in eo statu res illorum esse, ut causas Certaminum potiùs deponerent, quàm Belli Civilis aleam rursùs tentarent; ipse Tumultus, quàm Pacis avidior, deploratis (ut rebatur) *Protestantium* rebus, debilitatis, ac pænè fractis, eorum viribus, *Decem Bellicis Navibus, totidemq; Onerarijs, in Armoricam Britanniam transmisit, ut Blavetum Portum, Ludovici nunc appellatum*, locum Conatibus opportunum, improvisò adoriretur. Nocte clàm, ignaris Regijs, qui in Præsidio fuerant, aditum Navibus invenit; *& Sex Naves Regias eximiæ magnitudinis*, confectâ Pace, nihil jam à Mari periculi suspicantes, intercæpit. Reliquæ ex tàm ancipiti Casu, ad Munimentum imminens Portui perfugerunt. *Urbi quoq; vim intulit; quam primo Impetu cæpit.* Urbe captâ, *Arcem* opportunè dispositis Præsidijs, Vallo, fossaque circumdedit; in Celeritate ratus verti Spem Obsidionis, Oppugnationem acceleravit. Hoc facto, statim ad Regem, per Cursores delato, à Popularibus Motibus nihil metuentem. Ille convocato Consilio, *Subisij detestandum Scelus, Perfidiamquè aperuit*; Immemoris, à quo vitam, & in quam Conditionem accepisset: *& quid agendum esset consuluit.* Conclamatum est ab omnibus, *daturum pænas Sceleratum*; ac brevi, dignum Moribus, exitum habiturum: ac de Pænâ ejus magis, quàm de Pugnâ cogitandum. Senatus Sententia fuit, *ut in tali Tumultu, quod è re esse censeret, Rex extemplò ageret.* Itaquè Cursores in *Armoricam*, cum literis ad *Vindocinum Ducem, Fratrem Nothum, Præsidem Provinciæ*, Præfectosquè Equitum mittit; *ne Peditatu, Equitatu, Classe, impetum in Rebelles facerent; vagos hostes cohiberent. Turbis pro tempore consulerent: ac Saluti Provinciæ prospicerent.* Qui, literis acceptis, non cunctantet Mandatis paruêre. *Vindocinus*, Auxilijs Provincialium contractis, paucisquè Equitum Turmis, *ad Portum Ludovici advolavit*; Præfectis Regijs, militibusquè ex omnibus Præsidijs convocatis, ut sibi occurrerent, imperavit: & haud procul Portu posuit Castra. Mox ad eum *dux Brixiaci*, magnæ homo Potentiæ, cum Cohorte Amicorum pervenit. Ac postero die, *Dux Retelensis*, eximiæ Nobilitatis vir, cum Militibus armatis in Castra venit, & complures Viri Militares. Tum Timore perterritus *Subisius*, cognito *Vindocini* adventu, Urbem munire incæpit. *Missi à Vindocino ad Subisium Nuntij, ut discederet finibus Armoricis; Obsidione desisteret; captasquè Naves redderet; alioqui Exitium minitarentur, ac simul adesse, & venire nuntiarent.* Ille decedere non paravit. Quare *Vindocinus* tentandas Munitiones, celeriusquè procedendum existimavit: juxtàque eum Castra posuit. Ita Militum Industria, & Ducis Celeritas, *Salutem Arci attulêre. Subisius*, cum Acie dimicandum videret, & undiquè, ad se oppugnandum, contractas ex Præsidijs Copias; ne invitus pugnare cogeretur, Noctu Urbe desertâ, *cum Mille armatis*, ad Naves in Anchoris stantes, non sine Infamiâ redijt. Ita temerè progressus, turpem habuit regressum. *Vindocinus*, cum id Consilium, Fugæ Causa, initum suspicaretur, Copias promovit, & ad Littus processit, cum *Brixiaco, ac Retelensi ducibus*, ac multis Præfectis Equitum. Ibi *Novum Munimentum*,

1624. *mentum, in faucibus Portus, Veteri Propugnaculo oppositum*, summâ diligentiâ extruxit; Tormentis ac valido Præsidio firmavit; ut hostiles Naves, Prædâ graves, exitu prohiberet. *Subisius* timens, ne egressu prohiberetur, Noctu vela fecit; ab imminente Clade, ac crebris Tormentorum ictibus se subtraxit. *Prætoriâ Nave* præcedens, sequitur *Navis, S. Michaelis nomine insignita*; quæ intrà Portum, compagibus solutis, divulsa est; captiquè omnes qui in Nave erant; in qua minime Nautæ aut Milites decrant. Atquè altera *Navis, D: Francisci nomine appellata, & Rupellana alia*, fluctuantes relictæ in Salo, Se, Suosque Pacto Salutis potestati *Vindocini* permiserunt. *Duæ item aliæ*, antè ipsa Urbis Mœnia, crebris Tormentorum ictibus conquassatæ: præparatis ad Defensionem animis, acriter restitêre, dejectis Oppugnatoribus. *Vindocinus*, cum perstare in Pertinaciâ cerneret, Faces subijci jussit. Ilicò Milites paruerunt; *& Ambas intenderunt*. Cum *hæ duæ Naves incensæ, inflammatæq;* conflagrarent; & cum Nautæ, Militesquè desperantes in Mare desilirent, maxima eorum pars fluctibus hausta fuit. *Subisius*, fervente Navali certamine, se in Conspectum suis paulisper dedit. Sed captis, aut incensis Navibus, evolavit è conspectu; nequè pro Veteris Prudentiâ ducis se gessit, qui tàm improvidè *Instauratam Religionem* in præceps dederat. Ita *Vindocinus*, fugato hoste, inclusos Obsidione exemit; Portum inclytum recuperavit; Securitati Provinciæ justâ ultione consuluit; & *Temeritatem Subisij* coercuit. Quibus cognitis, *Civitates Aquitaniæ* Pacis, quàm Belli avidiores, missis Apolectis, *fidem ac Obsequium in Regem commemorarunt, abominantes Perfidiam Subisij. Arma adversùs Principem rapientis; deprecantesq;, ne ejus Dementiam Civitatibus imputaret.* Rex humanissimis verbis demonstravit, *Edicta se, in Protestantium gratiam facta, religiosè servare velle; si in Fide perseverarent.*

Et rursus in *Britanniam*, ad maturanda Auxilia, misit; Navesquè, quæ erant præparatæ, ex fædere icto cum Britanno, quod omnia littora à Rupellanis tenerentur. Petijtque, *ne feroces ad rebellandum viros Auxilijs juvaret; Nec à suis, speciosò Religionis obtentu, juvari pateretur; sed eos ad fidem, at Reverentiam hortaretur. Britannus*, Affinitatis, ac Pacti tæderis memor, communi hoste nunc urgente, persuaderi sibi passus est; *& nè annuisse Subisij tanto facinori videretur, Octo Naves armatas instructasquè remisit, ut Francus Militibus compleret*: monuitque *Protestantes* secretis Nuntijs, *ut Pacem domi tolerent; communes hostes Foris ulciscerentur*; & ex alterâ parte Regem, *ut Bellum grave ac infructuosum cum Protestantibus finiret; Edicta in eorum gratiam promulgata observaret; Incendium Civilis belli renatum extingueret.* Impetravitquè, *ut Protestantibus libertas continuaretur, qui Seditione non deliquissent: Cæteris pænitentibus Venia concederetur.*

Sed *Subisius*, Prædæ cupidine incensus, contemptius vagatur, *in Oceano passim prædatur*, & Prædam omnem *Rupellam* avertit. In *Ostio Garumnæ fluminis Papanorum fortunas diripit*, Aurum atquè Argentum asportat, non sinè Contumeliâ ac laceratione corporum, ut levandi Cruciatus gratiâ pecunia daretur. Hoc factitatum non solùm *in Freto Aquitaniæ*, sed in omni Orâ Maritimâ *Galliarum*, priusquàm Rex Præsidium mitteret, tuendi causâ. Quibus *Papani* rebus permoti, Regem adierunt, graviterquè de ejus Injurijs questi sunt. Moverunt *hæc Maritima latrocinia* Francum: qui sumptu laborequè suo armavit Classem; ornavitquè, Oræ Maritimæ tuendæ gratiâ, in tanto *Prædonum* metu, tantoquè periculo navigantium. *Ducem Guisium Classis suæ Præfectum delegit*, singulari virtute hominem, ut cohiberet à prædandi licentiâ *Subisium*, numero Navium, ac Peritiâ Nautarum elatum.

Tentatum rursùs de Pace incassum Colloquium. Apolecti duorum fratrum *Rohani, & Subisij, ac Rupellanorum Magistratuum*, permissu Regis, cum literis, Mandatisquè *Lutetiam* venerunt. Ubi cum *Fortio ejusdem Religionis Cultore*, qui ibi tùm fortè erat *Tribunus Equitum* factus, sæpè congressi, ut Turbis consulerent; Belloquè Civili renascenti finem imponerent; sua Mandata libere ei exposuerunt; nuntiaruntquè, *paratos tumultuantes Imperata facere, si Rex Monpelianam Arcem dirueret; ac Munimentum Ludovici, velut Iugum Rupellanis impositum, demoliretur.* Fugit *Fortius* hanc disceptationem cum Apolectis, expertus antè minùs prosperam fuisse; *vetuit Mandata perferre, non opportuno tempore, ad Regem; cohortans, per Amicitiam, perquè sua anteà fideliter Acta, ad externum bellum adversùs Philippum, Accolam gravem Rhætis, & Helvetijs, Socijs Francici Nominis.* Et secreta Consilia agitavit, *ut Rohanus Venetorum Exercitui præficeretur; Subisius Regiæ Classi præesset; & Protestantes externo bello illigarentur.* Suspectis *Forcij* Consilijs, quem Rex donis Muneribusquè in Societatem armorum pellexerat, & ad amplissimum Magistratum provexerat, *hoc Colloquio nihil est actum*; imo magis aucta est utrinquè Suspicio; & Apolecti, *infectâ re*, sese ad suos recepére.

Rohanus suspectus Regi, quasi in tempore rebellaturus, *& Regem magis magisquè suspectans*, novas res moliri cæpit; & suæ Religionis homines sollicitare ad Defectionem. Ejus impulsu, aliquot *Aquitaniæ Urbes* tumultuosè agere cæperunt. Rex in *Subisium*, ob Contumaciam, Scelus Portus intercepti, atq; Perfidiam, pervicacioris Iræ fuit; & in perniciem ejus incubuit; nec persequi destitit victum Navali pugnâ, *donec in Britanniam trepidus profugeret.* Illic miserabilem Casum moderatè tolerans, mirabilis Exulem *Protestantium Benevolentia* prosecuta est. Inter ancipites metus, ac Minas *Protestantium*, Rex Deum hominesquè testatus est, *Salutem eorum sibi curæ esse; penès eos belli culpam fore, si occultis Conjurationibus Quietem Galliæ turbarent, aut novos tumultus cierent.* Sed *Rohanus* Militiâ clarus, bellum pro incertâ ac infidâ Pace suasit; disseruitquè, *nullam Opem nisi in Armis; nihil nisi Atrox imminere; motis semel rebus, multa secutura, quæ Conatibus conducerent; reperturos audaces Religionis Assertores consociaturos Exteros. Deniq; aut incolumitatem Salutemq; tali Consilio quæri, aut in Acie moriendum esse.* Complures *Protestantes*

ejusmodi

ejusmodi terrores non movêre; qui nullam io Armis Opem providebant; ac Minora pericula, si in Fide & Obsequio boni ac placidi Principis permanerent. Jam *Rohanus* Quietem publicam privatis Simultatibus impediebat. *Quatuor Millia* armatorum habebat, per Catervas ac Turmas exultantium, Teotandam sibi *Aquitaniam* existimabat, quæ *Inferior* appellabatur. Nonnullas Urbes, circummissis idoneis hominibus, conciliare, aut intercipere studebat. Nec minore curâ *Subisius Classem reparabat*; magnumquè Regijs terrorem, per littora ac Portus injiciebat. Hoc tempore, *Momorantius*, summæ homo Potentiæ, *Aquitaniam* cum imperio obtinebat; ut *Protestantium* Copias distineret; Civitates imperata facientes Præsidijs firmaret; tumultuantes Auctoritate ac viribus coërceret. Is fratrum Conatibus Terrâ Mariquè palàm se opposuit; terrestri simul Navaliquè Clade obruere statuit, si tumultuosè agere pergerent. Suis, ac suorum armis Regem enixè juvit; Temeritatem utriusquè *paratâ Classe, Copijsq;* coercuit: nequè ullum periculum pro Salute Principis recusavit: *scripsitquè Lutetiam, Se suis Copijs Conatus Rohani prohibiturum.* 1624

Inter quæ, *Philippus* Francum satis occupatum bello domestico ratus, oe *Vallem Telinam, Rhætosq;* posset respicere, *Madritiani fœderis Pacta distulit*. Sed *Francus* fletu ac lachrymis Sociorum, auxilium justè deprecantium, permotus, *Helvetios*, viros acres & feroces, ad bellum secum adversùs *Iberos* capessendum incitavit; *& ad bellum Rhæticum animum convertit; adjunctis Alobrogum, at Venetorum Auxilijs.* Ambo Reges Controversiam ad *Pontificem* retulêre; ut Auctoritatem ad decernendum haberet. *Francus* jam desperatâ Spe posse Auctoritate *Pontificis* Pacem componi, ad *Philippum* nuntiatum misit; *ut nullum Præliorum finem expectaret, nisi ex Fœdere Madritiano, Claustra Alpium aperiret; ademptam Valli Telinæ libertatem restitueret: Rhætis avitum Provinciæ dominium redderet.* Hæc ad eum Mandata Nuntius refert. *Pontifex* dat literas, Mandataquè *ad Nuntium suum in Hispaniâ, ut Quietem Italiæ, Pacem Vallis Telinæ, suo nomine procuraret.* Primo accessu, clementer auditus est *Nuntius Pontificis*; sed cum acrius urgeret, *Postulata Francici Regis, & preces Sacrosanctæ Potestatis*, Hispanus respondet, *dissimulandum sibi diutius non esse; negavitq;, Se, Auctore Pontifice, Claustris Alpium cessurum; id ne fieret, omnia audenda, tentandaq; esse. Addiditquè, mirari se, Pontificem Auctorem ejus rei esse voluisse; Causam belli extitisse Securitatem Catholicæ Religionis, hostili irâ oppressa: eò provectam Rhætorum Crudelitatem, ut in Bona & Corpora Catholicorum sævirent, Stragem horribilem, Cædemquè ederent; adesse Numinis justam Ultionem. Rhætos Iure cessisse statim, ubi ferrum, Virtutemquè Victorum sensissent: partâ Victoriâ, cuncta Catholicis obedire; eorum Salutem, & Romanæ Religionis incrementum, Pontifici, animorum Parenti, curæ esse debere. Si qui verò sint Catholici, qui hoc Negotium impedirent, illos certè & Vim Suis, & Infamiam Sibi, & Injuriam Numinis honori, afferre.* Deniquè postulat, Precesquè miscuit, *ut Pontifex Causam belli expenderet; nec Hæreticis, utrisquè ex æquo infensus, faveret; Nequè Impotentiam eorum foveret.* Nuntius *Gallicus* ad Colloquium posteà non admittitur; infectâquè re, se in *Galliam* recepit; cunctaquè retulir. Postquam *Franco* apparuit, nihil aliud quàm Dilationem & Moram, per frustrationem, quæri; Sociorum Injurias ulcisci destinavit, & recuperare Provinciam, Specie Religionis, justis dominis ereptam. Itaquè in *Rhætiam Marchionem Coverium misit*, qui *Rhætorum* gentem à societate *Bæticâ ad Gallicam Amicitiam* avecterat: deditquè in Mandatis, ut vindicaret Provinciam ab impotenti dominatione *Iberorum*. Is *Alobrogum, Helvetiorum, & Venetorum* impetrato auxilio, liberum arbitrium Belli, aut Pacis suscepit; primoquè adventu, omnium *Rhætorum* exceptus Benevolentiâ: *Præsidijs Austriacorum, Coiro, at Majensfeldio ejectis, omni Rhætiâ potitus est*; locis idoneis Præsidia constituit, *& Aditum angustum, inter duos Montes, in finibus Tirolensis Comitatus, Steigum appellatum, Operibus præmunivit, ut Rhætiâ, Leopoldum Austriacum prohiberet.* Munimentum quoquè, ad *Pontem Rheni* tuendum, extruxit. In quo Præsidium *Mille Peditum & Centum Equitum* reliquit. Deincepsquè ad *Vallem Telinam*, causam belli, contendit; ad *Præsidia Iberorum* Arcibus expellenda. Ibi conjunctis *Venetorum* Copijs, ad *Quatuor Munimenta, sub Ditione Hispanorum, Castellaquè ab ijs posita*, bellum circumlatum. *Gallorum* cognito adventu, *Marchio Bainei, qui Vallem Telinam, missus à Pontifice, obtinebat, & Philippi rebus studebat, Morbegnum, Sondrium, Tiranum, Bormium, Rucam, & Clavennam* præmunire instituit, obstructis Itineribus. Galli *Pialamaliam, haud procul Tyranno*, primo Impetu cæperunt; atquè ibi idoneo loco Castra posuerunt. Posterâ die, *Tiranum* Obsidione cinxerunt, cui præerat *ipse Bainei Marchio, cum Cohortibus Pontificijs, qui Societatem Bæticam jam palàm induerat.* Ingens in Urbe trepidatio fuit: truces *Gallorum* voces fuêre, in repetendâ Provinciâ, *ex fœdere Madritiano*; increpantesquè *Marchionem*, ut Fidei parùm memorem. Ille cum Primoribus collocutus, disseruit, *non se Fœderis ignarum, sed Custodiam Provinciæ sibi publicè traditam. Consulendum Pontificem, Patresq; Purpuratos: ita dignum Majoribus, & Francorum Obsequijs in Ecclesiam facturos.* Imperator *Gallicus*, fretus suis, & Sociorum Copijs, *de Injurijs Rhætis illatis, Dominationeq; Iberorum in Valle Telinâ intolerandâ conquestus, Mandata Regis sui exposuit; ut Oppressis Socijs atquè Amicis opem ferret; ac Munimenta Iberorum occuparet.* Hæc ubi Mandata audivit, *Marchio*, Pace infectâ, in Urbem redijt. Postquam Illustres *Veneti*, cum Tormentis advenerant, *Galli* cœptam Obsidionem creberrimis Tormentorum ictibus urgent. *Præfectus Urbis* monet suos, *Gallorum impetus initio Acres, in fine languescere.* Fortunæ loci delegat spem suam. His utrinquè animis continuata Obsidio: ardetquè bello Provincia. Interea, Incolæ Clementiam, ac Justitiam *Francici Regis* perpendentes, & *Dominationem Bæticam*, Nobilitati, Plebiquè juxtà invisam pertæsi, *Salutem, Libertatem, ac Patrocinium Francici Regis pepigêre, ac Bæticæ dominationis Iugum exuêre.* Hinc exciti Popu-

lares,

1624. lares, qui in Præsidio Urbis erant, positis armis Præsidio abierunt. *Pontificij Milites* re inopinatâ consternati, Urbem reliquerunt; & *in Arcem se receperunt.* Quæ per aliquot dies, *Gallorum* impetum attinuit. Tandem *Marchio Balnei*, insolito labore defessus, diem locumquè Conditionibus accepit, *Munimentoquè egreditur*, fulgeotibus armis, signisquè.

Morbegnum quoquè non vi, sed per Deditionem receptum est. Tum *Sondrium* triumphans Exercitus ductus est. *Vrbi* haud magno certamine dedita; *Munimentum* vi expugnatum.

Galli freti armis, animisquè, & rerum secundarum in *Italiá* Successu, *Bormium* nullâ Morâ interpositâ, aggressi sunt: cui præerat *Ioannes Baptista, Cantus, Tribunus Militum*: qui obstructis Itineribus Sarmentis arborum, levibus Certaminibus *triduum Gallos moratus est*, suos adhortans, ne Novus hostis terreret, antequàm Viam aperiret. Intereà *Tormenta difficillimo Itinere per Rupes* devehuntur. Tum *Imperator* Machinas admovere, atquè Aggerem comportare jubet. *Vt verò Tormenta Obsessi viderunt*, parùm loco freti, de Conditionibus Dedirionis agere cæperunt, *& pacisci Traditionis diem, nisi, intrà eam, Iberi Obsidione exemissent.* Mox *Præsidem Insubrum, Ducem Feria*, certiotem fecerunt, *quo in statu Bormium esset.* Qui Opem ferre laborantibus suis, debito tempore, non potuit; perspectum habens, *Valtelinos à Societate Baticá descivisse*; & Gallos hoc tempore validiores, impetrato à Veneris Auxilio. Remissique Nuntij ab eo, ut Præsidiarij honestis Conditionibus, sibi pro tempore consulerent. Id quoquè Oppidum à Præfecto Præsidij traditum *Gallis* est. *Ita Quatuor Præsidia Hispanorum Munimentu expulsa sunt*: & alia ignobilia Castella Terrore magis, quam Armis in potestatem venerunt. *Marchio Coverius*, Consilio, Virtute, fælicitate, in Rhæticâ Expeditione insignis, hostium vim ac Spiritus fregit: & eò redegit, ut non modò Urbibus, quas per vim *Rhætis* ademissent, excederent; *sed ipsum etiam Insubrum Ducatum infestum haberent.* Quibus Meritis sibi gloriam ingentem foris peperit; & domi *Tribunus Equitum factus est*, pro singulari Virtute, operâ que fortissimâ, in bello Rhætico præstitâ.

His Quatuor Munimentis aut Vi expugnatis, aut Deditione captis, *teutandam sibi Clavennam existimat*; & Oppugnationem parat, instruitquè, præcipiti jam hyeme. Itaquè cò *Harancourtium Præfectum Castrorum* misit; cui *Bruckerum, Rhætica legionis Tribunum*, adjungit: omniaquè agenda, audendaquè præscribit. Quorum adveotu, *Incola Vallis fidem ac Obsequium Francici Regis jurant*: *Milites defensionem parant. Bruckerus* cum delectis *Rhætorum* præmissus, *Clavennam Vrbem* adortus est. *Galli* ex intervallo sequebantur. Præsidiarij impetum *Rhætica legionis* aliquamdiu sustinuêre. Sed superveniente *Gallorum* multitudine, cessêre. *Rhæti refugientibus permisti Vrbem occuparunt; Triginta ex suis desideratis; Quinquaginta vulneratis; pluribus ex hostibus interfectis.* Cives verò multi in Mootes confugerunt: Perpauci in Arcem, imminentem Colle alto, atquè præcipiti sitam, evaserunt: cui præerat *Margaruccius, cum Quinquè Cohortibus, partim Baticis, partim Italicis. Galli* appropinquantes, ipsam Arcem adorti; propinquum ac contrarium *Castanearum Collem*, & quamplurimas imminentes *Arci* Tumulos, opportunè firmis Præsidijs occuparunt; ac munire cæperunt. Præsidiarij Munitionibus egressi, composito agmine, io subjectam Rupibus Planiciem descenderunt, *& in adversos Gallos impetum fecerunt*, ut Opere prohiberent: Qui hostium impetum tulerunt, & referre coegerunt Signa. Hoc primis diebus, dum integræ vires erant, fecerunt; *& Arx* XXIX *dies Obsidentibus restitit.* Ad eam oppugnandam omnem belli molem *Galli* verterunt; Tormentisquè prolatis Munitiones concussêrunt. Cum coronâ Militum cincta Arx acrius premeretur, aliquot *Italica & Batica Cohortes*, Auxilio Arci venerunt; & propè *Vicum, Campum appellatum*, loco edito consederunt: eumquè munierunt, ut *Clavenna Præsidio* succurrere possent. *Coverius* certior factus, Consilio habito cum socijs, Quid fieri vellent, priusquàm plùs hostium fieret? *omnibus Campum placebat aggredi, Munimentis nondùm perfectis, nec facili ab Insubribus auxilio, die certâ constitutâ.* Ubi ea advenit, majore parte Exercitus profectus, *Iberis* pluribus simul locis inferre arma jussit. Milites omnia egêre ad præscriptum; uno loco *Galli* facilem aditum nacti, altero *Rhæti*, alio *Veneti*, ex composito, aggressi sunt. *Batica & Italica Cohortes*, præparatis animis, occurrerunt; & primum Impetum *Gallorum* ægrè tulerunt. Sed collectis rursus animis, conglobati, *Gallos vertere terga* coegeruot. *Coverius* subsidium laborantibus suis summisit; paventes suo adventu confirmavit; & hostes Munitione dejectos *Campum* petere coegit. *Harencourtius*, Castris relictis, Certamini affuit, laboris ac periculi particeps. Nec minore vi *Rhæti Venetiquè* aggressi sunt, & multos constanti impetu interfecerunt. Tandem metu, ac discrimine deterriti *Iberi, Vicum inceuderunt, & Mediolanum versùs Iter fecerunt, abjectâ spe solvenda Obsidionis.* Sed insequentes suos *Coverius* revocavit, ne dolo circumvenirentur, impeditissimis Itineribus, juxtà *Lacum Cumanum*; cujus Consilium vituperandum mihi non videtur. *In eo Pralio, gravi vulnere affectus Grandpraus, Tribunus Gallorum; legatus Meleandri, Tribuni Veneti*; & multi gregarij Milites utrinquè interfecti; & plures aliquantò Iberi. *Galli*, cùm *Hispani* tentassent magis Opem ferre Obsessis, quàm tulissent, acrius Arcem urgere cæperunt; & continuata Nocte dieque Obsidio, asperrimâ hyeme, animos contudit. *Præsidiarij*, labore ac Vigilijs infirmi, ad resistendum, crebris vulneribus confecti, *& Inopiâ rei frumentaria* laborantes, sese dedidêre; ac Pertinaciæ finem feceruot; pollicentes *ab Armis discedere, neq́; ampliùs Fortunam in Valle Telinâ experiri.* Conscriptæ Conditiones, quibus in Deditionem venerant. Hic Obsidionis hujus exitus fuit. *Rivam* autem, quæ *Batico* tenebatur Præsidio, cum Nequè Pollicitationibus, Nequè denuntiatione imminentis periculi, Nequè aliarum Urbium exitio,

deterrere

deterrere posset, eam oppugnare instituit, Naturâ & situ munitam: & Oppugnationem summâ vi parat, instruitque diligenter, in Annum insequentem. *Dux Feria, Præses Insubrum*, tot & tantis detrimentis acceptis, & *Defectione Rhætiæ* perculsus, Copias contrahit, *ne Galli Rivam, unam Præsidio Bætico retentam, occuparent; totamq; Vallem à Philippi Amicitiâ metu abalienarent.* 1624.

Eodem tempore, *Hispaniarum Rex* ijs rebus perturbatus, quæ in *Italiâ* gestæ erant, *Consalvum Condubensem*, ducem egregium, ad *Italiæ* motus componendos dilegit; & ibi *Exercitus sui Legatum* creavit; Copiasquè propè *lacum Cumanum* collocari jussit; *ne Riva etiam expugnaretur.* Is majoribus itineribus *Italiam* petere cæpit, *ad Præsidia Gallorum Arcibus expellenda*: & superbo, atquè immodico Imperio fastidium sui moverat. *Iam tota Vallis Telina, Rupibus subjecta, in potestate Francorum erat, præter Rivam Vrbem, finibus Insubrum propinquam*; adversùs quam Oppugnationem parant, instruuntquè.

Hoc Anno, ex Illustrissimis *Britanniæ* Proceribus, plerìquè intrà paucos Menses obierant. *Esmeus Stuartus, Leviniæ Dux*, graviore Febri ex Calore & Labore implicitus; cum à Medicis, qui Saluti præerant, curari non posset, Vi Morbi extinctus est. Is *Ludovici fratris Orbitate*, ad Familiæ hæreditatem, Agrosquè in *Galliâ* pervenit. *Habuit in Matrimonio Gervasij Clifstoni Baronis filiam, ac hæredem; & ex eâ sex liberos Masculos, impuberes adhuc; ac Tres filias, insigni formâ, reliquit.* Hæc Soboles corruentem domum sustentavit; auxit gloriam Familiæ; lenijtque desiderium defuncti *Ludovici*, Vulgò favorabilis; plerisquè credentibus, formidine ac Reverentiâ ejus, concussam *Bucingamij* Potentiam, ac repressam intolerandam Ambitionem; quæ posteà in publicam perniciem penè eruperat, insanabili seu furore, seu Cæcitate. *Hi duo Fratres*, singulari Probitate homines, sermonibus Vulgi celebrati sunt: quorum operâ *Iacobus* fidelissimâ usus erat. Et his in *Scotiâ* amplissimas Dignitates mandaverat.

Southamptoniæ Comes, & Primogenitus ejus, Nobilissimus Adolescens, ad maximos honores gradibus Militiæ properans, summo omnium hominum dolore, *in Bataviâ, gravi Morbo intercepti sunt.* Hi propter singularem virtutem, non solùm domi apud *Britannos* in gratiâ erant, sed etiam foris apud *Batavos* clari habebantur. *Pater* Prudentiâ, Moderatione animi, ac rei Militaris scientiâ, inter Proceres præcipuè eluxit. *Filius*, Effigies paternæ virtutis, Ingenij, Industriæ fuit. Vulgus multa super Nobilitate eorum memoravit: quibus nullam aliam gratiam referre jam potuit.

Arthurus, Cicestrensis, Equestri familiâ oriundus, *Senio confectus*, vitam finivit. Qui *in Hiberniâ Tironium* Virtute, Annisquè, sub *Montiojo* præcipuè, compescuit. Ubi, ob Merita sua, *Opes Ærarij diu tractavit*; locuplesquè ex Egente effectus, *Belfastiæ Vicecomitis dignitatem* in familiam suam primus intulit. Quam Moriens *Cicestrensi*, eâdem familiâ orto, mandavit; Agrosquè, in *Vltoniâ* ex hostibus captos, reliquit. Is ob has causas honorem debitum *Patruo* præstitit: eumquè quàm amplissimè funerari curavit.

In exitu Anni hujus, *Marchio Hamiltonius*, Valetudinis & corporis robore vigens, summâquè Nominis gloriâ, & Celebritate florens, *gravi periculosoq; Morbo affectus est*, ex quo, post paucos dies, ex hâc vitâ migravit. Exorta est confestim Suspicio, *Veneno potiùs, quàm Fato extinctum.* Et *Toxico* quidem necatum fuisse constans Opinio erat, *extuberante, post Mortem, toto Corpore; & maximè Capite, usq; ad horrorem, terroremq; spectantium, non sinè Admiratione Medicorum, intuentium.* In Mortuo *multa Indicia & Præsagia Veneni fuerunt*; sed Quis machinator Doli, incertum. *Prætereo quæ finxerint Inimici, & Æmuli Bucingamij*, credente nemine; cum nihil admiserit, cur ei invisus esset; & sub exitu vitæ, *Iacobum Hamiltonium*, filium unicum ac hæredem, in Aulâ educatum, *Nepti ejus ex Sorore collocarit*, ut firmiorem gratiam Affinitate pararet. Funeratus est in *Scotiâ*, Solenni Procerum Pompâ, *& gentilis Hamiltoniorum Monumento* conditus, cum plurimis lachrymis Amicorum, atquè Clientum. Filius non solùm Paternam hæreditatem adeptus est, sed etiam Gratiâ ac Potentiâ apud *Carolum* floruit. De Morte ejus statim Multa Multi conjectarunt; *præsagientes Solis Britanniæ mox Occasum, Stellis Minoribus quotidiè deficientibus.* Quod ipse *Rex* non ignorasse mihi videtur, nec dissimulasse, *auditâ Morte Hamiltonij, se ad Mortalitatis finem properare.*

Jam relictis Regij generis viris, transeo ad *dispares, Sorte nascendi*: qui ob raram Charitatem ergà Patriam, meruerunt, ut inter Nobilissimos viros recenserentur. Abstulit hic Annus *Ioannem Kenricum, Civem Londinensem, Prædivitem, ac Orbum*; paucis antè se Munificentiâ in Pauperes inferiorem. *Qui Readino, Atrebatiorum Oppido, Septem Millia librarum legavit.* Quam summam Urbis Præfecto, & Magistratibus repræsentari jussit; *ut Inopum atq; egentium usui accommodarent; & eorum Inopiam Lanificio, ac alijs Necessarijs vitæ artibus sublevarent.* Et quò maturius perageretur, *Annuum tempus præscripsit; quo peracto, si negligeretur, Brephanotrophio Christi, Londini, Legatum attribuit; nisi justas Moræ, ac dilationis causas probarent.* Id ne accideret *Readini Magistratus* sedulo caverunt; & Sententiam *Testatoris* executi sunt, post Duodecim Menses, quàm *Kenricus* decessit. Et deindè, *Civibus rei familiaris angustiâ laborantibus, Quingentas Libras, gratis, in Septennij tempus, Executores præstare constituit*: Sanxitquè, ut Debitores, termino elapso, statim solverent, ad sustentandam aliorum similiter Egestatem, quod Beneficium Juventus plurimi æstimavit, sensitquè Commodum in rerum Coemptione. Item, *Neaburgo, Oppido in eodem Atrebatiorum Comitatu, Quatuor Millia Librarum, eâdem Conditione, Testamento*

1624. *largitus est.* Quæ integra receperunt Magistratus Urbici, in usum Pauperum. *Templo D: Pauli*, labenti adhuc vetustate, licet multa *Millia* ex Testamentis Piorum Civium percepisset, *Mille libras destinavit.* Universa Bona reliqua *Ptochodochijs, ac Captivis Carcere liberandis legavit*; & ampla Præmia *Ianei Panni Societati* donavit; præposuitque *Primores ex eo Ordine*, ut singula Legata, summâ fide, in destinatos usus persoluerentur.

Legatum etiam ex Testamento Henrici Suadelij, Civis Londinensis, præterire non possum, ac dignam Pietatem. *Qui Testamento caverat, ut Quot annis Concio fieret*, XVII *Novembris, in Memoriam felicitatis Regni Elisabethæ. Altera, Idibus Augusti, Baticæ Navalis Expeditionis testandæ gratiâ. Tertia, Quinto Novembris, in Commemorationem atrocis ac abominandæ Pulvereæ Proditionis; & Concionantibus Quinq; librarum summam Annuam præstaret Hæres suus, ex Prædijs urbanis.*

Huic consimile *Legatum* subnectam, *Thomæ Vhitenhali*, in Testamento suo: Qui Devotione simili, *Tres Conciones Hebdomaticas, constitutâ Annuâ Mercede Quadraginta Librarum, instituit: ut Charitatem frigescentem in Pectoribus hominum revocarent, restituerentquè.* Quam sinceram Pietatem *Comitialis Auctoritas* confirmavit, ut alij Exemplo accenderentur. Verùm, Quid attinet ista verbis complecti, quæ *Papani* immeritò irrident?

Nunc à Nostris ad Externos transgredior. *In Galliâ Lutetiæ fato concessit Fronto Ducæus, Ignatianæ Societatis Theologus*, vir politiori literaturâ insignis, ac Eruditionis famâ Orbi Christiano notus. Qui *Sanctorum Patrum, præsertim Græcorum, Editione plenissimâ*, Ecclesiam locupletavit. *Plessæi Mornati* scripta in Romanam Ecclesiam, ac Missæ Idololatriam labefactare conatus est. Quamobrem celebratus est literis, ac sermone *Papanorum*. Magna quoque fuit ei cum *Savelio* nostro familiaritas; qui nec labori, nec sumptui parcens, *Ioannem Chrysostomum, magno Voluminum numero, in lucem edidit.* Sed antè eum *Fronto Ducæus* non paucas Chrysostomi Homilias, Senis Tomis, publicavit.

Romæ, *Marcus Antonius de Dominis*, suprà memoratus, ob Defectionem ab Ecclesiâ Romanâ, Convitia in Pontifices, in Patres, *in elapsi temporis Antiquitatem, condemnatus, includitur in Carcerem*; constituitur Supplicium in illum; Amici prohibentur adire. Inter Moras Supplicij, *Sensu doloris, Morbo, ac senectâ, in Custodiâ perijt.* Is Concordiam Ecclesiæ, *abjectis ineptissimis Cæremoniarum Superstitionibus, quæ Pontificum absolutâ Potestate, vel pravâ Consuetudine irrepserant*, instaurandam censuit. Hinc *Pontificis* Iracundiam, & totius *Cleri Romani* furorem provocavit. Verùm tamen *Mors non fuit Ærumnarum finis*; Crudelitas ulterius est progressa. *Corpus ejus in Foro medio concrematum*: recitatâ sententiâ, *quod contrà Romanam Ecclesiam impurissimo Calamo scripsisset; & in Romanæ Religionis perniciem præposterâ dissimulatione usus esset.* Scripta, Diplomate *Pontificis*, abolita; *esse in Manibus, lectitariquè, Anathemate prohibita.* Postremò, *tepentes Cineres in Tiberim sparsi*, Probri ac Infamiæ causâ. *Pontifex* simplici Morte non contentus, ultrà Fatum desævijt; *acerbam Ignominiam Cineri ejus, atq; Ossibus inussit, in Celeberrimo Vrbis loco, coacervatâ Multitudine Civium*; & tantam Injuriam, Infamiamquè Romanæ Ecclesiæ, inultam, impunitamquè dimittere noluit; ne *Summi Pastoris* Incuriâ, Negligentiâvè, alij ad talia agenda, audendaquè accenderentur. Durabunt ad Posteros Volumina, per Orbem Terrarum dispersa, *de Rep: Ecclesiasticâ*; quibus *Marcus Antonius, Spalettensis Episcopus*, Pontificiorum causam labefactavit; suscepitquè tàm atrox dissidium honestâ Pace componere. *Sed præcipiti Ambitione vitam amisit, cum sollicitante Gundimario, Romam, fide publicâ, revertisset.*

Iacobi luctus, antè unum quàm obiret Mensem, *non Scenicis ludis, non Solatijs ullis inhiberi potuit*: quamvis Interiores Aulici omni Comitate *ad Hilaritatem & Iocos provocarent*; cum tot Summos Proceres amisisset. Deambulanti in Saltu, ad Auræ Occasionem, advenientes ab Urbe nuntiarunt, *Marchionem Hamiltonium Morbo extinctum.* Indè nova, & major secuta cura est. Dixitquè, *repentè Ramos amputatos, Radicem brevi perituram.* Erat enim *Hamiltonius* ex Regiâ familiâ; Nequè aliter evenit Præsagium. Nam *tentatus primùm Motiunculis levibus, protinùs Febrim Tertianam nactus, in lecto decubuit.* Vigiliæ, cubandiquè tædio fatigatus, *invocare lectores interdùm consuevit, atquè ad lucem audire legentes Acta Majorum; aut legendam Auream; ultrò irrisis fictis Sanctorum Miraculis, & Vana Superstitionis figmentis. Carolus Princeps* amorem insitum animo Patris ostendit; attentissimâ curâ recreavit, fovit deficientem, Vultu, Verbisquè solatus est. Tandem, ingravescente Vi Morbi, cum Mortem appropinquare sentiret, *Præsulem Coritanum, Custodem Sigilli, ad expiandum animum accivit: qui animam Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento expiavit*; Oratione, atquè precibus Numini suppliciter adhibitis, Vota pro Salute ægri æternâ suscepit: Nihilquè omisit, ad testificandum studium, ac curam de Incolumitate animæ. *Rex, in ipso vitæ fine, Religionis, ac Pietatis multa & magna Experimenta* dedit. *Sacramento reverenter sumpto, cum Præsule, devoto animo supplicavit: & Salutem animæ sempiternam Sanctissimo Numini commendavit.* Ubi Pietate, ac Conscientiæ simul satisfecerat, remotis arbitris, *Carolum filium in Cubiculum vocavit, assidere juxtà Torum fecit. Ibi diu secreto sermone detinuit.* Nequè ulli posteà humano Negotio curam, aut Sollicitudinem accommodavit. Supremo quoquè vitæ lumine, *filium Colloquio adhibuit; Præceptis, Institutisquè vitæ Civilis imbuit; Ecclesiæ Patrocinium, ac Tutelam Reip: ei commendavit; & Ministros Regni fidelissimos; liberosquè Sororis, in tenerâ adhuc ætate, Naturâ Propinquos, Casus acerbitate afflictos, ac oppressos, & omni reliquo Vitæ Præsidio destitutos; hortatur, ut Consilio, Curâ, diligentiâquè suâ, in integrum spoliatos restitueret; aut ereptum Patrimonium vi ac Armis recuperaret, conservaretquè, discrimine & periculo vitæ suæ.* Postremò, cum dolore, & Singultu spiritus impediretur, eodem tempore, vi

Morbi

Morbi oppressus, inter manus sublevantium, in hâc Oratione defecit, *Fili mi, nunc Hæreditario potior Regno Cælesti, omnium pretiosissimo; Tibi in Pace terrena mea omnia relinquenda Regna. Deus Benedictionem suam tibi largiatur.* Eodemquè Momento, vigore Animi & Corporis collapsus, filio locum cessit, & vitâ excessit; *fortitus facilem Exitum, Mortemquè Vita consentaneam.* Obijt in *ædibus Theobaldinis, XXVII Martij*, qui Principatus dies posteà à *Carolo* observatus est; *Anno salutis M. D. C. XXV. Aetatis Sexagesimo; Regni Angliæ vigesimo Secundo transacto; Scotiæ, Quinquagesimo Nono, nondùm peracto*: ubi cum summâ suâ laude, Patriæ charitate, & Regni salute, *diutiùs regnavit, quàm ullus unquàm gentis suæ Rex*: ac festam Pacem, fælicitatemquè in *Britanniâ* reliquit. *Nepotes ex Palatino, & Elizabethâ filiâ Quinquè habuit, Fredericum, Carolum, Robertum, Mauritium, & Ludovicum: & Neptes Tres, Elizabetham, Ludovicam, Hollandiam: cujus filios Hæredes sibi destinavit, si Carolus sinè liberis decederet.* Qui quanquàm afflictus luctu, tamen Patre defuncto, *Comite Bucingamio Urbem ingressus, voce Præconis Regnum inijt*, summo Procerum Populiquè studio: quem in hâc rerum mutatione anxium, Securum, lætumquè reddidit, *assidere in Carpento juxtà coegit*; in pari, vel etiam majori honore habuit, quàm defunctus. Orsus ab Officio Pietatis, *honorem debitum Patri præstitit*; funerandumquè quàm amplissimè decrevit. *Urbiquè corpus intulit, atquè in Cubiculo interiore Danica domus collocavit*; donec Pompa funeris instrueretur. Plurimum valuit ad Patris Memoriam Pietas filij: *Nemo unquàm Patris morte magis indoluit*: funeris die, lugentis habitu, usquè ad Sepulturam prosecutus est; nec fatigatus fuit Tarditate, ac Tædio Pompæ: Nec gravatè laudes ejus audivit. *Laudavit defunctum funebri Concione, Corotanus Præsul*: qui in ejus Morte decorandâ nihil prætermisit; cui nullam jam ampliùs gratiam pro Beneficijs referre poterat: adjecitquè, *Mortuum nullum Clarius Monumentum divina virtutis reliquisse, quàm Carolum Regem, Effigiem animi magis, quàm Corporis; Exemplum Paternæ virtutis, Probitatis, Pietatis, Ingenij.* Re divina peractâ, omnium Procerum, & Nobilitatis universæ frequentiâ, *in Monumento Henrici VII, Proavi, conditus est.* Staturâ fuit justâ, formâquè Corporis decenti: sed vergente ætate; *Crurum gracilitas, & Ventris Obesitas* Formæ minus congruebant. Ingenio in Eloquentia præstanti, quam non tàm Doctrinâ, Institutione, ac literis, quàm vi Naturæ, usu, & Memoriâ singulari consecutus est. Ingenia, & Artes maximè fovit. *Isaacum Casaubonum, Græcis, Latinisquè literis eruditum*, in Britanniam accersitum, magnâ Mercede donavit. In Vestitu, cultuquè corporis fuit valdè modestus; Majorum Continentiam dilexit; *sui Sæculi luxum*, & Insolentiam vituperavit; Magnificum quidem Ornatum in Comitibus, diebus Epularibus haud improbavit: *Triumphalem quidem habitum, & Insignia Imperij, Diadema, Purpuram, primo Comitiorum die, assiduè gestavit*: pro Majestate Imperij, *gemmatus, Adamantinusquè*, Regum, & Exterarum gentium legatis conspectus est. Promptus, facilisque constituere lites, & Controversias tollere. *Comitatis, Clementia, Mansuetudinis, Humanitatis, Liberalitatis, Moderationis*, multa in Contextu Operis documenta sunt; quæ, Quanta fuerit in eo Comitas, Quanta Humanitas; *Quàm lentus ad accipiendam, vel pronus ad deponendam Offensionem*, abundè declarant. Hinc verâ laude *Probitatis, Continentia, Clementia, Munificentia, neminem antepono.* Audeo affirmare, cum suo Ingenio uteretur, Comitatem, Mansuetudinemque Imperij mansisse; nec quenquam punitum Insontem, nisi invito eo: sed *fraudè fautorum*, aliquandò in Severitatem conversam. Insuper, *cum pacato esset animo, in publicum Commoto similis processit: ac interdùm furere credi voluit*; ut importunos & immodestos Rogatores deterreret; quibus nullus esset petendi Pudor, aut Cupiditatum frænum. In Modestis verò desiderijs, plerosquè Liberalitate prosecurus est: paucos sinè Spe dimisit. Vulgus, quæcunquè ejus tempore secùs gesta essent, *Ministris imputavit, quibus Britannia Noverca erat; & Privata utilitas, Parens.* Hos Plebs existimavit omnis publicæ Cladis, omnis Popularis incommodi fuisse Auctores. Sed publicè *Magnificentia*, privatim *Moderatio, Comitas, Humanitas, Liberalitas*, non tantum laudis habent in Principe, quantum *Pietas in Cultu Numinis*, omnium virtutum fundamentum. In Pace Justitia; in Bello virtus; Prudentia in Consilijs; Constantia in dubijs; in toto vitæ cursu maxima insita Religionis in Numen, ac Pietatis in Patriam experimenta dedit. *Assertor unicus Ecclesiasticæ dignitatis, ac Potentia Præsulum fuit*; Qui, eo regnante, admodùm floruerunt. in venerandis singulis *propè excessit Humanitatis modum*; & facilè perfecit, ut *Cathari Invidi, & Obtrectatores eorum* condemnarentur, nisi aut Exilio, aut fugâ metum majoris mali præverterent. Quanto studio teneretur *Romana Superstitionis* extinguendæ, *ultimâ suâ Oratione Comitiali* testatus est. *Conciones audivit venerabundus*; frequenti interim *cum Præsulibus* Sermone secretò utebatur; *modò susurrans, ac præbens invicem aures; modò clarius prædicans Eloquentiam, Doctrinamq́, Concionantis.* Quod plerumquè Auditores haud bono exemplo factum arbitrabantur. Quinetiam, *Pietatem Patriæ singularem exhibuit*, conservatâ *Senatui ac Proceribus* Dignitate pristinâ; & *Magistratibus* Potestate; *Iudicibus* forensi Jurisdictione; *Plebi* libertate, ne Avitum Regnum sub externo dominatu interiret. Tempus est, *Iustitiam* quoquè commemorare. In *Scotiâ*, aderat Clientibus sæpè in Judicijs, sedens in Subsellijs; requè ex utraquè parte auditâ, Sententiam dixit, tulit & ipse Suffragium, ut unus è Judicibus; & contrà Sententiam suam judicari, æquissimo animo sustinuit; neque unquàm intercessit Decreto Judicum. *Eos, qui priore Uxere Superstite, secundam duxerant, Resti suspendendos sanxit. Cacodæmonum Conjurationem, Fascinationem, Incantationem, severissimis legibus coercuit.* Saltum *Theobaldinum* angustiorem amplificavit, circumjectasquè Sylvas, & Agros coemit. Exhaustus munerum, ac legationum impensis, in summâ Ærarij inopiâ,

1625. extorquete Possessoribus Agros noluit, nisi persoluto pretio; ut cæteri Præpotentes Proceres, ejus Exemplo, legibus Judiciarijs tenerentur. *Eripere legibus reum Criminis, nunquàm sustinuit. Damnatis Abolitionem, precibus Amicorum, sæpè difficulter concessit.* In Supplicum Postulatis audiendis assiduus; verùm *in solvendis debitis pari æquitate non egit*; partim Inopiâ Ærarij, Oneribus Reip: exhausti; partim quorundam Ministrorum consilijs revocatus. Interpellatus nonunquàm, Supplicibus deprecantium libellis, de Pecuniâ quam debebat, pro victu Cultuquè corporis, *nullo responso dignatus est. Interdum irâ accensus, subindè objurgavit.* Nunquàm denegavit retribuere Debitum, si Ærarium pecuniam suppeditaret. Postremò, ad leniendam Invidiam, omnem Iram placidâ mente deposuit; *plerisq; Creditoribus Vectigalia assignavit*; & Prædia amplissima Urbanis Civibus oppignoravit, quæ nunquàm posteà redemit. *Pecuniam etiam ad Ptochodochium ædificandum, à Georgio Herioto legatam, mihi supplicanti, debitumquè consectanti, ex Officio Supremæ voluntatis, non persoluit*; à quo Invito exigi non potuit, si fiduciâ Sacrosanctæ Potestatis Creditoribus satisfacere nollet. quarè ferenda esse Præsentia decrevi, ac petere destiti, donec major Spes Ærarij affulgeret. *Liberalitatis* commemorationi vacare supervacaneum est. Comites gratiâ, honore, Regni Opibus locupletavit; non Privatorum jacturis, aut Calamitatibus. Multos Servorum in gratiâ, & usu maximo habuit: *alios die Nuptiarum, vel Lavacrè liberorum, gratè pièq; prosecutus est.* Se enim Patrimonij, quàm illos inopes esse maluit. Pleriquè hâc in re Moderationem Regis desiderarunt; ac honestam Benevolentiam magis, quàm verum Juditium commendarunt. Nam, cum ab his fontibus oritur Munificentia, tum demum ei ratio constat, & non aliter: sed hoc nisi fecisset in Novitate Regni, neque Regiæ Majestati, nequè Saluti, Securitatiquè suæ consuluisset; in tantâ Cupiditate hominum, sibi Maria, Aureosquè Montes pollicentium, modestis, immodestisquè votis. *Ista ejus Benignitas* ad Cælestem gloriam extulit, & famam sempiternam. Omitto *Libidinis Continentiam*, quâ omnes Majores antecessit; in omnibus rebus, & in Voluptatibus quoquè permissis, ac usitatis, *Temperantiam*. Notatus est occultis Malevolorum sermonibus, *ut Vino indulgens*: sed exigua materia reprehensionis fuit. Nam cum exteros Legatos invitaret; vel Convivia iniret; vel Festos, ac solennes dies celebraret; nihil omisit, quod Voluptatem afferret Convivis, Dapibus largis, ac abundanti Vino: *Ipse modum non excessit, quoties largissimè invitaret, vel ad hilaritatem ac Iocos Poculis provocaret. Venationis quoq; & Aucupij nimium studium* in Vulgi fabulis fuit, *singulorum Venaticorum Canum Nominâ enumerantis.* Venatio ferarum fuit ei frequens, & assidua, remisso ad Otium ac voluptates animo, ut Mæstitiam averteret: *tantaq; Alacritas in Venando, non solùm ut corpus Saltibus, proximisq; Sylvis circuitis exerceret, incredibili Cursus celeritate*; sed etiam, *ut ex earum Corporibus, sicut ex Stirpibus, & Herbis, Remedia Morbis, ac vulneribus indagaret*, ratione atquè Solertiâ. *Aucupio* quoquè, in Otio & Secessu, aliquandò subveniendum Saluti suæ putavit; ex quo minorem voluptatem percepit, quàm ex Venatione; sed majorem Suavitatem *ex Esu Avium*. Quippè *Carne ferinâ abstinuit, & Perdicum, Turdorum, ac Phasianorum gustu* maximè delectatus, Coquis in conspectu suo præberi jussit. Sed his Campestribus Exercitationibus *Iacobi* Indoles magis enituit, & Vulgi error, negantis magnam esse delectationem, *cum aut Cervus à Canibus dilaceratur, aut à Venatoribus Venabulo transverberatur.* Sed quid plura? *Venationis, & Aucupij nullam arbitror excusationem esse oportere.* Simul *neglecta filia* dissipati rumusculi longè majorem Offensionem excitabant; sed ipse firmus adversùs rumores, ac à Christiani Sanguinis effusione abhorrens, Pacis semper Auctor fuit: speravitquè frustrà, se ad suam Sententiam *Philippum ac Cæsarem* adducere potuisse Legationibus, & precibus. In Adversis nullum Patris Officium prætermisit; *anxia filia miseram Conditionem, Ætatem liberorum, ad supremum vitæ diem, indoluit*; quæ numerosâ sobole, tanta Britanniæ Præsidia pepererat: ac extremâ Obtestatione, curam ejus Fratri secretò mandavit. Et pro mortali Conditione vitæ, Immortalitatem famæ consecutus est.



RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER VIGESIMUS PRIMUS.



VNTY de Morte Britannici Regis, Batavorum Copias maximo luctu affecerunt, terroresq; concitarunt. Mox sedato tumultu, *Henricus, & Ernestus, Nassovij*, adhibitis Tribunis *Britannorum*, cum quibus communicare de ratione belli consueverant, ad Oppugnationem Castrorum cogitationes converterunt: quam haud difficilem fore plerique censuerunt. *Anglis placebat, ruptis Munitionibus, Turnhutana Castra aggredi: & Oxonia Comes, eximia fortitudinis vir, ducem se offerebat*, cum validissimis Popularium Cohortibus. *Duo Nassovij*, qui summæ rerum præerant, periculosum inceptum rati, quod tantâ diligentiâ dispositis Opportunè Præsidijs, omnia Munimenta custodirentur, deterrere ab hoc Conatu Nobilissimum Juvenem voluerunt; jam Munimentis, jam Operibus perfectis, ne Exitus Obsessis, neu aditus ad supportandos Commeatus esset. Cum ægrè dissuaderent, tantæ rei Auctorem *Aurasionensem Principem* esse voluerunt, cujus nomine Exercitui præessent. Is ægritudine animi, Corporisquè indies auctâ, ingravescentem vim Morbi sustinere diurius non potuit, *susceptum Batavorum Patrocinium, vocante Numine, deseruit*. Tandem *Haga Batavorum* succubuit: & in hâc voce defecisse fertur, *an dedita an liberata est Breda?* ut facilè Quivis perspicere posset, illius Urbis amittendæ metu, ac dolore confectum. *Multas Mauritio Corporis animiquè Virtutes contigisse constat; laborem Militarem ad sustinendum vim frigorum, Tempestatum, & Imbrium; eximiam virtutem in Custodiâ, Defensionequè Batavorum; in consulendo summam sapientiam; in re gerendâ Prudentiam, Vigilantiam, Diligentiam; in bellando Vim, Fortitudinem, Rationem, ac Disciplinam bellicam; domi, forisquè gloriam; deniq; in Quotidiano vita genere singularem Humanitatem, miram Affabilitatem cum Milite, cum Agrestibus, cum Speculatoribus.* Hic tantâ, & tàm liberâ Potestate Ordinum instructus, Æmulis, & Obtrectatoribus Clemens adeò, ac innoxius fuit, *ut Berneveltio, Auctoritatem suam propalàm labefactanti, non autè succensuerit, quàm convelli Reip: statum sensisset.* 1625.

Eo Mortuo *ad Henricum fratrem summa Imperij*, decreto Ordinum, defertur; Principem Peritiâ rei militaris, omniquè Urbanitate cultissimum. Qui posteà *acerrimus Defensor Libertatis*, bellum diligenter ac fæliciter administravit. Literæ in finitimas Urbes, Ditionesquè *Batavorum* passim dimissæ, ut significarent, *Henricum Aurasionensem, Populi, Senatusquè Iudicio, Exercitui praesse.* Is sibi Legatum *Ernestum Nassovium*, pari dignitate nuper præditum, dixit: *spem solvenda Obsidionis capit*, & primâ luce oppugnare Castra instituit, *pramisso Comite Oxoniensi*, cum *Trecentis lectißimis Anglis*, & cæterâ manu Popularium: subsequentibus *Scotis, Gallis, Germanisq;*: ut alij alijs succederent ad pugnam. Ipse Princeps, instructo Exercitu, eventum opperiebatur. *Spinola* hostium Consilio, per Exploratores cognito, *Secretò monuit Paulum Balionum, & Carolum Romanum*, qui Munitionibus præerant, Præsidiumquè *Italorum* habebant, *hostem obscurâ Nocte aggressurum*. Comperto hostium Itinere, provisa parataquè non Arma modò, sed & *Tormenta* opportunè disposita, adversùs temerè subeuntes. *Oxoniensis*, cum dilectis Popularium præmissus, infesto agmine subit; Stationarium Militem, qui pro Castris excubuerat, ex improviso opprimit; *& per Aggerem Gertrudibergensem in proxima Balionij Castra irrumpit, priusquàm hostes sentire possent*: simulquè Angli summâ animi fortitudine, Audaciâquè, Turriculam cominùs aggressi, Missili igne, Tormentisquè omnis generis; *Italos defensores*, Munitione dejectos, terga vertere coegerunt. Hâc expugnatâ, *in Loricam proximi Castelli Foribus objectam, pari Audaciâ Fælicitatequè impetum fecerunt, manibus pedibusquè scandere nitentes, & Signum Castello inferre.* Utrinquè decus, utrinquè gloria, cum irrumpere *Angli* vi conarentur, *Itali* enixè defenderent. Paulum ibi moræ, dum è proximis Vehiculis Scalas, Dolabras, Falces, Harpagines, Angli convectarent; quia Castellum altum, atquè munitum erat. Sed *Auriga, Formidine Tormentorum territi, diffugerant.* Cæterùm, hoc præclarum facinus non mediocrem terrorem reliquis Munimentis deinceps intulit. *Itali igitur, Sevenbergani Aggeris Custodes, metu perculsi, Munitionem vacuam Anglis reliquerunt*, tanquàm victi ruentes; adeò Clamor hostilis obstupefecerat. Hæc cum agerentur, *Carolus Romanus, Italica legionis legatus, Camillum Phanicem cum Cohorte laborantibus suis summisit.* Qui nequè *Anglorum* impetum tulit, Nequè Populares suo adventu animavit. In eo Certamine *Camillus gravi vulnere affectus*,

1625. *interficitur.* Versi in fugam etiam qui subveniebant. Quæ res in Castris trepidationem ac periculum auxit. Hâc Clade nuntiatâ, *Carolus Romanus*, qui proximum Castellum tenebat, adjunctis dilectis Popularium, *stricto gladio, Scutoquè advolavit, & inclinatam pugnam redintegravit.* Cujus adventus *Anglos* fortissime pugnantes repressit; suos maximo terrore perculsos firmavit. Interim hostes sibi repugnantes interfecit; aut ex Vallo deturbavit. Multi vulnerati, cæsiquè non inulti cecidêre, qui Munitiones occupaverant. *Vexillarius*, qui Signum Castello inferre nitebatur, *hastâ trajectus occubuit.* Cæteri illuc usque provecti, consternati, ne intrà Munitiones opprimerentur, *de Vallo sese in Fossas præcipitarunt.* Indè alij paulatim ad suos se receperunt; Alij per Paludes salutem sibi, atquè exitum peperêre. *Galli, Germaniq., arctiore* Aggeris viâ, *Anglis succedere non potuêre. Oxoniensis* cum suos fugere cerneret, qui Munitiones occupaverant, Signo receptui dato, eâdem quâ venerat redijt viâ. Per angustos lubricosquè Aggeris flexus, Receptui suo, pari animi Magnitudine, consulens, formidolosus hosti, conspicuus suis eximiâ pulchritudine corporis. Ea Fortissimi ducis Magnanimitas, fractos suorum animos restituit. *Iberi* non ultrà Vallum secuti, Aggeris angustijs ad insequendum tardabantur; & ruentium multitudine Receptus impediebatur. Quod ubi ex Castris est animadversum, *Hispani* superstantes Munimentis, advectis Tormentis, Machinisquè, horrendo fragore detonuerunt. Pleriquè miserandum in modum discerpti, laceriquè Manibus, Pedibus, Brachijs, Capitibusquè truncatis, occubuêre. Integri cum læsis, Semianimes cum Mortuis provoluti sunt. In istâ trepidatione *Oxoniensis virtus* præcipuè enituit. Cum sui acrius Tormentorum ictibus vulnerarentur, & augeret stragem formido; *inter confertas pilas* eòdem provectus est, conspicuus suis Voce, Vultu, Manu, Corporis, Animique robore; *Interfectis Novos, Saucijs Integros, fessis recentes summisit; Exangues, & laceros suo adventu confirmavit; terrores & pericula discussit; magnumquè cunctis attulit Solatium; Saucios Vehiculis tolli jussit.* Receptus posteà nihilo Accessu perturbatior, ita Ordines quiquè suos tenuêre. *Tantum Nobilissimi Comitis Præsentia valuit, ne sui formidine periculovè turbarentur.* Hic fuit Oppugnationis eventus. Aderat pugnantibus *spectator Henricus Aurasionensis Princeps, sub ipsa Castra progressus*; qui desperatâ Oppugnatione Castrorum, sese recepit. *Peracta prius est pugna, quàm Spinolæ nuntiata est*; cum adversus Ventus Tormentorum strepitum aliò averteret. Mane visa primùm miseranda Cladis Facies, & recentis vestigia Cædis: *Agger constratus Cadaveribus, Fossaquè Cruore & strage corporum oppleta: effusa Tormentis Ilia, præsecta Capita, Manus, Pedesq. dispersi per campos; strataquè passim membra*, triste Spectaculum hostibus præbuerunt. *Spinola* loca contemplatus, per quæ hostes irruperunt, Aggerem loricâ majore præsepsit; ut si iterùm dimicaretur, posset resisti.

At Aurasionensis, expugnandi Spinolæ Castra Spe amissâ, Justinum Nassovium acceptæ nuper Cladis certiorem fecit: monuitquè ut cederet fortunæ; & suæ, ac tot fortissimorum Militum saluti consuleret. Ille summâ omnium rerum inopiâ affectus, & tædio diuturnæ Obsidionis fessus, jam desperatis omnibus Auxilijs, *diem locumq. Colloquio petit, priusquàm Fame periret*: quod facilè est impetratum. Missus ilicò *Comes Bergius*, cum delectis Proceribus, *ut Salutem militibus, si abire vellent inermes; Incolumitatem Civibus, Spinolæ nomine, polliceretur; & suo privatim Amicitiam, ob Communem Nassoviorum familiam.* Quâ cognitâ sententiâ, *Iustinus* Obsidionis vim potiùs perpeti decrevit. Dedit operam, ut militibus paucorum dierum Alimenta non deessent, nisi æquis Conditionibus ageretur: *egitq. gratias Comiti Bergio, pro ejus in se privatâ voluntate: turpes Conditiones publicè oblatas aspernatus est, statuitq. Eventum fortunæ, ac Incommoda Obsidionis sustinere, nisi pateretur Apolectos ad se de æquis Conditionibus mitti.* Quâ re concessâ, *Bergius, comite Rutatio, Spinolæ Secretario*, haud procul Urbe, cum *Apolectis Iustini* congreditur: Quæritquè, *Quæ Postulata Præsidij essent, cum appareret plùs in Deditione, quàm in armis Spes reposita?* Illi, literis fiduciæ exhibitis, Pactionis Conditiones conscriptas obtulêre, *ut Pedites fulgentes armis sub Signis: Equites concinentibus Tubis, cum Tormentis Sex aneis, & Impedimentis dimitterent. Darentq. Civibus, & Incolis manentibus Præteritorum veniam; ac cum Bonis, Conscientiæ libertatem: & ys, qui terra Iter facturi essent; Currus concederent, ad suos cum pecuniâ, Vasis, omniq. Supellectile exportandos. Qui Mari, Naves providerent; quibus se benè, ac tutò, cum suis in Hollandiam trajicerent. Naves etiam in Bredano flumine præberent, quibus Ægros milites in tutum deducerent.* De Conditionibus ultrò citròquè actum est. *De Religionis Libertate cum ageretur, Altercatio orta est; & iniquum Postulatum visum.* Cætera desideria haud gravatè audita. *Induciæ interim factæ, donec ad Spinolam mitteretur; rogatum, quid de Conditionibus videretur?* Ille priùs collocutus cum Tribunis, Præfectisquè, & tentatâ eorum voluntare, *Conditiones approbavit.* In eas cum Deditio convenisset, *datâ ultrò, citroquè fide, Obsides etiam utrinquè dantur.* Ubi Pacta conscripta, consignataquè fuerunt, *Iustinus Nassovius* abduxit indè Milites, quos Præsidij causâ habebat; *Vrbemquè Spinolæ tradidit.* Qui Nuntios Deditionis undiquè dimisit; *& ad Isabellam, Ioannem Madicacum, Tribunum.* Multi, auditis honestis Conditionibus, *Spinolæ facilitatem reprehenderunt*; cum vera Desperatio Præsidiarios coegisset Urbem tradere, *urgente Fame*; & satis fuisset, *Pacto Salutis, Inermes Milites dimittere; qui nimiâ Pertinaciâ justam Vltionem meritò provocarant.* Cum in hunc modum increparetur Vulgi Obtrectationibus, *Spinola* nequè tempus illud Severitatis existimans; *& multum Præsidiariorum virtuti tribuens*, Clementiam rigori prætulit; *Quia verso in Italiam bello, diutinâ hâc Obsidione Philippum levare voluit.* Tradita Custodia Urbis *Baroni Balanconio, Burgundicæ legionis Tribuno, cum Tribus Millibus delectorum militum, & VII Equitum Turmis. Ita Ambrosij Spinolæ vigilantiâ Breda expugnata.* Tum missi ad *Philippum Hispaniarum Regem* Cursores, qui geminâ

Victoriâ

Victoriâ lætus, *capta Breda, & Sinu Brasiliensis, à Batavis recuperati, Marchioni Spinola pro optimâ, fortissimâquè navatâ Operâ, in bello Belgico amplissimum Castulonensium Magistratum, Summam S: Iacobi Præfecturam administrandam concessit.* Hic, propter singularem virtutem, Disciplinam bellicam, ac Imperatorias laudes, non modò apud *Philippum* in honore erat, sed etiam *apud Exercitum magnus dux* habebatur. 1625.

Vrbani Pont: Max: litera, ad Archiducē Isabellam.

Vrbanus VIII, *Pontifex Maximus*, rerum ad *Bredam* gestarum famâ excitatus, *Isabella* primùm, deindè *Spinola* literis gratulatur, quarum Exempla subjeci. *Elevavit dominus Potens in prælio brachium suum, super Gentes, quæ cogitabant Servis suis mala: & Dextera Omnipotentis glorificatur in vobis, Triumphantes gaudio, ob clarissimam Bredæ Expugnatæ Victoriam. Ejusmodi Elogio alloquimur Nobilitatem tuam, quæ Muliebris Virtutis laudes supergressa, ad Propugnationem Religionis Orthodoxæ, fæliciter convertit arma Austriacæ Potentiæ. Dimicavit Militia Cælestis Exercitus in Castris tuis. Et bellicæ fortitudinis Constantia, docuit Nobilissimas Nationes, ad tàm insignis Obsidionis spectaculum commigrantes, nullam Arcem in terris tàm validis Opibus, ac Propugnaculis muniri, quam Cælestibus auxilijs armata Castrensis virtus non expugnet. Decertastis cum hoste, periculorum Contemptore, & inauditi Terroris Artifice; Ipsum, è Carceribus suis, immittere in Austriacas legiones, meditari videbatur Oceanum. Fluminibus sævientibus Maritima Ostia occlusis, ut Castra Nobilitatis tuæ, novo veluti Mare superfuso, absorberent. Ceciderunt Impij in foveam, quam fecerant; & dominus regnavit. Avitis sedibus tumultuantes fluctus cohibuit Oceanus; & abierunt in Sicco flumina. Gratulamur tibi Victoriam, totius Ecclesiæ Votis expetitam; cui Roma, Nationum omnium Mater, plaudit; quam Historiarum Testimonia, consequentibus Sæculis ostentabunt. Eâ verò quàm benè utatur Nobilitas tua, ex famæ voce, & Ministrorum nostrorum literis accepimus. Nisi dominus custodierit Civitatem, frustrà Stationes militum in Aggeribus excubant. Ille verò, Angelorum Legionibus eas Vrbes armat, in quibus Catholica fides, Custos publicæ Tranquillitatis, dominatur. Scimus quàm sollicitâ Pietate, & quàm Prudentibus actibus cures, ut è Bredensibus Populis eliminetur Hæresis, Parens Perfidiæ, & Seditionum Nutrix. Quarè cum locum minimè relinquas Pontificijs hortationibus, meritò laudamus, & extollimus Nominis tui gloriam, & accuratissimis precibus commendamus Deo Nobilitatem tuam: ut ex tàm salutari Triumpho, eos fructus percipias, quos optat Ecclesia, & formidat Impietas: Tibiquè Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris; Die* IX *Augusti* M. DC. XXV, *Pontificatus nostri Anno Secundo.*

Vrbani Pont: Max: litera, ad Marchionē Spinolam, quibus laudibus haud immeritis onerat.

Spinolæ verò, ad hunc modum gratulatur. *Triumphat Cælum in Victorijs Nobilitatis tuæ; cujus Palmæ hæreticorum Sanguine nutriuntur; & Catholicæ Religionis Caput coronant. Breda expugnata Monumentum erit Nationibus, atq; Ætatibus universis, Bellicæ Virtutis tuæ. Discet Orbis Terrarum, hoc etiam tempore, in Italiâ nasci eos Duces, in quibus, Cæsarum, & Scipionum gloria reflorescat. Domuisti hostes, pollentes Opibus, furentes Irâ, & Contemptores Mortis. Flumina, occlusis Ostijs, jussa sunt Cursum mutare; & Agmina indignantium Aquarum in Castra Nobilitatis tuæ. Perdomuit omnia favor Cæli, & Fortitudinis Constantia. Certè, quam Austriacæ Potentiæ Vrbem præripuerat Proditio, metuens lucis, & in dolosis latebris delitescens; eam per Nobilitatem tuam recuperavit Virtus, & Ingenium. Ibit in sæcula Bredensis Obsidionis memoria; atquè ab eâ Artes bellandi, & exempla Fortitudinis, discent Duces Posteritatis. Inter Italiæ præsentes tumultuantes, & Principum dissidentium Procellas, è Bredâ receptâ, adeò lætus hic Divinæ Clementiæ radius Pontificijs Sollicitudinibus affulsit, ut te tanti Auctorem Boni, Apostolicarum literarum Testimonio ornare decreverimus; Patrocinium nostrum pollicentes Nobilitati tuæ. Cui diuturnæ Vitæ robur precamur; & Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris; Die* IX *Augusti*, M. D. C. XXV. *Pontificatus nostri Anno Secundo.* Cui etsi *Pontifex* Apostolicam Benedictionem abundè impertiret, nihil tamen illi unquàm posteà prosperè evenit; Nequè in *Belgio*, cujus virtute conservatum est; Nequè in *Italiâ*, ubi posteà *in Obsidione Casilini*, honestâ Morte, occubuit. Non suâ solùm Morte, sed etiam filij Sanguine, & Familiæ opibus amplissimis, optimè *de Philippo meritus est*. Atquè hæc omnia ad Memoriam virtutum, non ad Contumeliam cujusquam refero.

In Principio rerum gerendarum, *Carolus* sollicitus de Regimine Reip:, cum Senatu Quotidiè consultavit, ut communi Consilio magis, quàm Juvenili fervore, res gererentur. Frequentia Edicta, publicè utilia, proposuit. In angustiâ Ærarij, beneficia omnia, à Patre concessa, benignè confirmavit; ac Promissa præstitit: quia *Liberalitatem Patris*, & serviles labores, debitâ remuneratione defraudare noluit. Quosdam in Senatum allegit, *suo, aut Bucingamij arbitratu*; Præsidibus Provinciarum, & Curatoribus Oræ Maritimæ Imperium prorogavit. *Tres Summos Proceres*, genere, famâ, Opibus Illustres, *Dorsettiæ, Carleoli, & Hollandiæ Comites, in Periscelidis Ordinem ascivit.* In Familiâ ordinandâ commutavit Nonulla; atquè etiam pleraquè ad antiquum Morem revocavit. Servis, pro Conditione cujusquè, stipendia, ac Commoda auxit: *Classem adversùs Philippum præparatam expediri*, ornariquè jussit; Memor *initæ cum Franco Societatis.* Cum deessent Nautæ, edixit, *ut totâ Orâ Maritimâ conquirerentur.* Sanxitquè Edicto, *ne Britanni apud Hispanum, aut Archiducem, terrâ Marivè, Mercede militarent. Commercium ullius rei, cum Iberis, Subditis interdixit.* Statuitquè, *ut Exteri ferrum, frumentum, Nitrum, Funalia ijs non subveherent. Classis curæ* præposuit complures ex Equestri Ordine; quò maturius Naves reficerentur; & Nautæ parati instructique Naves conscenderent. & ne privato Consilio magis, quàm Communi consensu cuncta gerere videretur, *Comitia Londini habere cæpit*, ad Tutelam Securitatemquè Regni, imminenti discrimine *Batici belli*, & urgente Inopiâ rei pecuniariæ. Vocati Proceres, descripti

1625. descripti Primores Equitum, ac Procuratores Civitatum. Postquàm Suffragia dici haberiquè cæperunt, Ordinibus placuit, *medenda Pesti* Numinis Opem adhibere; & diem Jejunij constituere; ut Divina Misericordia *Pestilentia* finem imponeret. Salutaris sententia Regi visa est; diesquè Edicto præscriptus, in Civitate Votis precibusquè celebratus est, in omnibus Templis, Delubrisquè Divorum. Nec Cives tantùm Urbanos supplicare placuit, sed Finitimos etiam Populos: Ordoquè ijs, quo die quisquè supplicarent, constitutus est: & res haud ulla, ad Memoriam insignis, hoc Conventu gesta est. Unanimi dumtaxat *Procerum ac Plebis Consensu*, duorum Subsidiorum Collatio facta est, spetiosa magis, quàm opulenta, ut sustineri Ærarium posset.

Carolus, ingruente per Vernum tempus *Pestilentiâ*, Comitia, interpositâ Auctoritate suâ, distulit: & *Matrimonij sui certus*, maturat Nuptias; postulatquè, *ut arctius Fœdus Affinitati adijceretur*; *Eosdem Amicos, Inimicosq́, habere*. Quod Jurejurando affirmatur. Ad eam rem confirmandam, & ad *Reginam* deducendam, *Bucingamium cum Donis ad Sponsam, ac occultis Mandatis ad Galliarum Regem mittit*. Qui gemmatus, Conchyliatusquè introductus in *Luparam*, oculos omnes fulgentibus gemmis in se convertit; *Sponsæquè Manus osculatus est*. Igitur *Rex* à legatis suis certior factus, *Solennia Nuptiarum celebrata, ac omnia ad Maria Profectionem necessaria à Franco* præparata, mutatis ad Celeritatem equis, *Doroberniam* proficiscitur, magno Procerum agmine comitante, ut *ibi Vxorem exciperet*. Stat omnis Multitudo ad Portum, in expectatione adventus. *Ibi Rex amore accensus, indies Arcem Mari imminentem conscendit; prospectans si Sponsa veniret*. Non autem passus est *Francorum Rex*, multos dies intermitti; operamquè dedit, ut sine Cunctatione *Soror in Britanniam trajceret*; & ilicò jussit, *ut Illam Dux Chevereus, Lotharingicæ Stirpis, deduceret*. Qui, festinato Itinere, in *Britanniam* contendit. *Mater, ad Filiam cohonestandam, Ambianum comitata est*. Ibi in digressu fletus, atquè lamentatio fiebat. *Eratq́, à Carolo fratre ad Bononiam Maritimam deducta*; ubi Navem Regiam tranquillo Mari conscendit, cunctis precantibus, ut benè ac prospere navigatio eveniret. Die insequenti, incredibili fælicitate *Doroberniam* delata est; simulquè Navibus trajecti Comites, ac comiter accepti, Tormentis æneis undiquè intonantibus. Quod ubi *Rex* cognovit, non modò illuc *Quæstorem domus suæ* ire jussit, cujus curâ hospitium expediretur tùm ipsi, tùm toti Comitatui: sed & Nuntium misit, ut ipsum protinùs affore nuntiaret. Id postquàm *Reginæ* relatum est, accersito Nuntio, quàm potuit accuratâ Excusatione usa est; & misit ad *Regem* Juvenem, cui literas Mandataquè dedit ad eum, quorum hæc erat Summa, *Sese Salo, Nauseâq́, confectam, orare, ut Iter in Crastinum differret*. *Rex* erat eo tempore *Cantuariæ*. Postero die ad *Reginam* contendit, ac nullâ Morâ interpositâ, *Doroberniam venit, & valdè amanter amplexus est*: omniaquè Amoris Signa edidit, & insitam animo ejus, ex adventu, lætitiam, humanissimis verbis significavit. Idem faciebant reliqui Proceres, demisso corporis habitu, *manus osculantes*; exultantesquè maximo gaudio. Iteratis deindè *Solennibus Nuptiarum*, Matrimonio sibi jungit; ac *Londinum* celeberrimo Comitatu deduxit. In quo fuit *Georgius Bucingamius, Gemmis, Margaritisq́, conspicuus*; qui Censum amplissimum à *Iacobo* acceptum, auctiorem indies reddidit: inhians Spei majoris Fortunæ, Obsequio ergà Regem, *non solùm in Publico, sed etiam de publico, Magnificè ac splendidè cum Gallis convivatus est*. Idem faciebant cæteri Proceres, Nobilitate, Dignitate, vel Opibus præstantes. *Rex* Convivium moderatum, ac jucundum, Nuptiarum gratiâ inijt: omnes *Gallos satis benignè tractavit, & Simulachrum Equestris Pugnæ ostendit*: sed multo honorificentissimè *Chevereum*, ob Commonem *Lotharingiæ* familiam, cujus paulò ante Mentio facta est. In Civitate, admirabilis hominum Frequentia fuit. *Pestifera indè, & funesta Æstas* tantum metum Vastitatis in Urbe, Vicinisquè Pagis effecit; ut non modò *Rex*, cum familiâ, Provincias Occidentis circumiret, sed & Cives opulentiores, in Suburbana Prædia, ac Agros emigrarent; tantùm à Contagione se abesse rati, quantùm à Cætu hominum se amovissent.

Per hos dies, *aditus in Aulam erat nemini, nisi qui aut Minister, aut Comes Regis, Reginævè esset*. Cæterùm, Morbi sævitia indies aucta, Populum magno cum horrore invasit; *Quinq́, aut aliquandò sex Millia, singulis hebdomadibus, per Autumnum absumpsit*. Haud ferè quisquam in *Peristylio*; clausæ domus; pauci in omnibus Foris; passim Fletus, & Morientium gemitus. Senatus Decreto, *Ærarium Richmundiam*; *Tribunalia Regia Reidanam translata sunt*. Pestilentia major in Britanniâ nec observata Oculis, nec auditu comperta. Causa auctæ Contagionis fuisse creditur, Colluvio omnis generis Multitudinis in Urbem, ad visendam Reginam, concursantis. Cum adhuc *funestâ Peste* Civitas, Viciquè finitimi vastarentur, *Obsecratio per Provincias, avertendæ à Civitate Pestilentiæ causâ*, singulari curâ Sacerdotum facta est, per omnia Delubra, Fanaquè, pro Valetudine afflicti Populi, Divinum auxilium deprecantium. *Autumno toto, vexata est Civitas*. Tanta Contagionis sævitia, ut correpti intrà biduum morerentur. Salubritatis Signa nulla percipi potuerunt: *Vergente Hyeme, diutinâ Vi Morbi liberata est*; Religiosâ Civium admiratione, Divinitùs datum Remedium prædicantium, gratantiumquè. Postquàm *abijt Pestilentia*, Expectatione citius, & apartè salubritas percipi potuit, *Rex*, ex Consilij sententiâ, edixit, Numini gratiam habendam. Hoc gravissimo, & *Pestilentissimo* tempore, *cura Belli Batici non est abjecta*. Apparatu Classis cuncta strepunt; & major solito apparatus, præcipuè exterruit *Hispanos*. Sed à *Pestiferis*, & nocentibus rebus recedo; & accedo ad salutares.

Comitia indè Oxoniam, Sedem Domiciliumquè Musarum, Mense Sextili, indicta; non suppetente ad Classem instruendam pecuniâ. Ubi Ordines rursùs congregantur, inter se colloquendi causâ, quid

maximè

maximè Reip: conducere videretur: ordiunturquè de discrimine Religionis, ac Regni; cum Papani auctâ 1625. indies eorum Colluvie, multa pestiferè ac perniciosè machinarentur. Preces itaquè Regi oblatæ sunt, ut Auctoritate suâ castigaret furentes, dùm sibi nimiùm Improbitate, Licentiâquè confiderent: petitumquè, ut exuti armis (quibus nunc freti majora molirentur, si Occasionem tribuisset Fortuna) Panalibus legibus severè coercerentur. Neu quam partem Reip: attingerent ipsi; aut fautores eorum; aut Papana Deminationis Satellites. Intereà, Ordinibus placuit, ne Romana Sacra, in Satellis, Fanisque legatorum frequentarent; aut Liberos in hostiles terras, studiorum obtentu, transmitterent: ubi Obsequium in Principem, Amorem in Patriam, Officium in Numen exuerent. Petitum pariter, ac promissum Remedium.

Inde ad Disciplinæ Ecclesiasticæ emendationem conversi, petere cæperunt, ut Viri docti, & pii, Saterdotijs honorarentur: Qui Prædicandi Munere fungerentur, cupiditati modum imponerent: Beneficia Beneficijs non cumularent: Mercenarijs non uterentur: Continuam Residentiam in Parochijs præstarent: Plura Beneficia curata, aut commendata non possiderent: Præsules, in deponendis Catharis, modum adhiberent; remotos à Prædicandi munere Benignitate magis, quàm Severitate, ad Officium revocarent: Viros virtute & Eruditione præstantes, ad Beneficia Ecclesiastica promoverent: Bona Ingenia suis opibus foverent, ne literis relictis, ad sordidum Quæstum se conferrent. Cum hæc in Conventu Ordinum agitarentur, conquererenturquè acerbè, se Pontificis Romani Mancipia rursùs futuros, nisi promptum Auxilium Caroli Pietas afferret; Rex naturâ benevolentissimus, Instauratam Religionem sanctissimè tuendam suscepit; & cunctis Ordinum desiderijs in scriptis abundè satisfecit: & Responsa Buckingamio perferenda demandavit. Qui, adhibito frequenti Ordinum Consilio, auditus est: & Veniâ dicendi impetratâ, nihil se Sui dictùrum, sed Postulatis eorum Responsa Regis expositurum ostendit: affirmavitquè, si Quid præterea in Religione desiderarent, id Regem ultrò tributurum. Deniquè, per Amanuensem, Postulata Ordinum, ac Responsa Principis sigillatim recitari jussit. Quibus auditis, magno & inopinato gaudio Audientes perculsi, ostenderunt eam rem Proceribus Populoque gratam esse, & fore. Tum, Silentio facto, subjecit, Regem gravioribus Curis impeditum, se, imparem tanto Oneri, Ministrum esse gravissimi Consilij voluisse. Superiore Conventu, laudatum probatumquè Consilium Belli adversus Hispanos, honorifico Decreto Procerum, ac Civium Suffragijs: nunc autem de Moribus suis, devotoque in Remp: animo dubitari: quod exprobabit aut Temeritatem laudantium, & gratias referentium; aut Inconstantiam contrarij Judicij; retulitque, nunc Gallos Affinitate, Amicitiâq, junctos: armatum jam Latium: mota rursùs in Germaniâ arma, spe Britannica Societatis. Danum excitatum Menstruo Stipendio Triginta Mille librarum: Adjutorem ei datum Mansfeldium, cum Stipendio x x Mille librarum: præparatam Classem circà Plini fluminis Ostium, immenso sumptu Quadringenta Mille librarum, Supplemento adhuc Centum Mille Librarum egere; deficiente Ærario, his Necessitatibus, & tot Largitionibus Reip: satisfieri non posse. Regem ideò ab Ordinibus præsens auxilium petere: Subsidium in Stipendium Militum, Nautarumquè: & Præsidia defensionis suæ. Præter, & Quæster in eandem sententiam locuti, indicarunt publicas Necessitates; Inops Ærarium Regio sumptui nôn sufficere; Vectigalia Publicanis, & locupletissima Prædia Civibus Urbanis oppignorata; Centum Millia Librarum, Dano promissa, mitti oportere; nec aliter Exercitum retinere posse. Itaque hortati sunt, ut publicâ Utilitate, ac exemplo Majorum moniti, ad sustinendam Ærarij difficultatem, Tributum conferrent; Pietatem plenissimam in Patriam exhiberent: Classique Sumptum suppeditarent, aut aliquam rationem inirent, quomodò ista fierent. Multi erant, qui vera dici, & æqua postulari censerent; sed in Comitijs habitæ Orationes, Subsidium rei Nummariæ suadentes, non prævaluerunt. Quia subibat Cogitatio, Quantum Exercitum Danus aleret: Quantaque Classis pararetur: & Quomodo Sumptus suppeditaretur.

Franciscus Seymerus, Herfordiensis familia Nobilitate clarus, Orationem satis Popularem habuit: quâ Coetum Plebei Ordinis, suo periculo anxium, hoc Pestifero ac funesto Autumno acriter incitavit; differuitquè, Subsidium conferentium Numerum, Peste ac Pernicie Civitatis, imminutum: eos, qui superessent, sparsos per Agros; si Novo Subsidio onerarentur, aliâ Peste atque Pernicie perituros. Nec minùs ferociter Eduardus Cokus dissuasit; differens, non Tempus esse idoneum ad cogendas pecunias; Cohortansquè, ne Oneri Civibus essent, Sumptui Reip: impatibus. Plerique horum sententiam sequuntur. Ut Quisque sententiam audaciter, ac fortiter dixit, ita Civis Optimus habebatur. Hi omnes, Orationibus Ministrorum Regiorum exagitantur, Reip: deesse, tempore tàm necessario. Tandem plures, his vocibus incitati, ac Pestilentia discrimine perciti, Collationes, nisi subductis priùs Impendij Navalis rationibus, apertè recusarunt; & dolenter conquesti sunt, Pecuniam, quæ publicæ Necessitati servire debebat, privatim absumptam. Hanc Comitialem licentiam præstat Oblivione perpetuâ obruere, quàm recordari.

In hâc rerum perturbatione, atquè Vertigine, Necessarij, & Amici Roberti Mansfeildij, Equestris Ordinis, qui rei Navalis, eâ tempestate, peritissimus habebatur, voluntatem Ordinis ei proponunt, prodeundum esse in Concionem, indictandáq, Expeditionis Conjecturas, si Bellum Baticum mereretur. Is, qui Inimicitias cum Buckingamio gerebat, ex Præfecturâ Freti Britannici, ac dolore repulsæ, auguratur, atquè divinat, inutilem Expeditionem Maritimam fore, Imperitiâ ducis; Iniquitate hyemis ingruentis; aut Culpâ eorum, quos Auctores Expeditionis esse voluit: Seq, fore Vatem inter suos jactitavit. Plerique crediderunt, Mansfeildium ægrè tulisse, rei Navalis gloriam sibi præreptam: ac Maritimum hoc Bellum, si publica Impensa administraretur, Regi gloriosum, & Reip: utile fore. Rex certior factus per Buckingamium, assiduis Contentionibus nihil transigi: & curam publici discriminis in animos Plebei Ordinis

1625. *non descendere; sed Iurgijs sæpius terere tempus, quàm Consilijs, Comitia dimisit*, cum Pertinaciæ finem non facerent. Plurium Consensu approbata Sententia.

Per eos dies, de summâ rerum sollicitus, cum Senatu quotidiè egit. Ubi incusatur *Mansfeildius* præferocis animi, *& Sermonis in Comitijs habiti, adversùs Bucingamium.* Respondit, *in Curiâ Comitiali, More Majorum, tuto ac liberè loqui oportere: Sequè consultum de bello Navali, non obnoxiè Sententiam dixisse; & præjudicatum Expeditionis eventum habuisse: idquè Crimini extrà Curiam verti non debere, nisi Comitiorum libertatem abolerent.* Proceres haud ignari, quanta Invidiæ immineret flamma, si in Carcerem conijcerent, acriter admonitum castigatumquè dimiserunt, ut Exemplo aliorum Conatus comprimerentur.

Præsul Coritanus, in Rep: Judicijsquè plurimum poterat; *qui amplissimam Prætura dignitatem, & honores Ecclesiasticos, Bucingamij gratiâ, obtinuerat, aut Spe Affinitatis*; Arrogantiam, Violentiamquè ejus odisse cæperat, & Conatibus clàm adversari. Ipse *Bucingamius*, ab inimicis *Prætoris* certior factus, *alieno esse in se animo Prætorem*, totum se ab Amicitiâ ejus averterat, & Spem Affinitatis abjecerat. Rumor fuit, *Nobilem virginem Villeriana familia Præsuli oblatam, ut duceret*; Tempusquè Nuptijs statueret; palàm aspernantem, dixisse, *Se Presbyteri, non Mariti Officio functurum.* Utcunquè res fuit, *Præturâ exutus*, & in Senatu præteritus, Voluntarium & ferè perpetuum *in Agro Coritano, aut Huntingtoniensi, sibi Secessum delegit.* Ubi Charitatem Patriæ non exuit: sed *Templis, locisquè Sacris refectis*, omnes sui Sæculi Episcopos Munificentiâ in publicum superavit: reliquitquè Liberalitatis suæ egregium Monumentum, *Bibliothecam amplam, in Occidentali Monasterio.* Item, tenuiores suis opibus juvit; & paupertatem Literas discentium sublevavit. *Ecclesiastica Dignitates eripi Immerenti non potuerunt. Thomas Coventrius*, superioribus aliquot Annis *Procurator Regius*, forensi gloriâ clarus, in ejus locum provectus: atque in Senatum allectus est.

Per hos dies, suspectâ *Papanorum* ferociâ, & *Iberorum* Insidijs, *Rex* Provinciarum *Præsidibus, & Præfectis Iuridicis* mandavit, *ut Arma, Tormenta, Equos Pontificijs adimerent.* Deditquè potestatem Tribunalium Judicibus, *ut Quæstionem de ijs haberent, qui stultâ Arrogantiâ elati, Iuditia despiciebant; leges exercerent; Alienationes Bonorum, in fraudem Fisci factas, revocarent: publica Ordinum decreta exequerentur.* Præfectis, atquè Exactoribus, *ut Mulctam exigerent, & coactam pecuniam in peculiari Ærario reponerent; quæ non nisi in Stipendium Militum absumeretur.* Hi impigrè peragratis Regionibus, Urbibus, Vicis, Castellisquè, imperata fecerunt: ac Arma ademerunt. *Papani* terrore Minisquè non deijciuntur; sed ferociâ atquè Insolentiâ efferuntur; dictitantes, se domo, Patriâquè expulsos; *& præter Mulctatitiam pecuniam, Coactores suo privato Compendio servire, multa prætereà ad explendam Cupiditatem excogitare.*

Hoc tempore, in *Agro Northamptoniensi*, summâ Sollicitudine, totâ Provinciâ Arma conquiruntur. *Vausius Baro*, priscâ Nobilitate fretus, *Kinghtleum Nobilem Equitem*, imperata facientem, impetu Iracundiæ invadit, ac interficere conatur. Ille obtectus armis Clientum, periculum vitavit. Hâc Contentione in Aulam relatâ, *Baro* introductus in Senatum; interrogatusquè de Injuriâ Equiti illatâ, Carcere coercitus est: ne *alij Pontificij* Pervicaciæ exemplo accenderentur, ad Pacem Provinciarum turbandam.

Rex, Charitate Religionis, & Quiete Britanniæ, Juvenilem animum stimulante, in excolendâ Instauratâ sudavit, *& Romanam fucosam Superstitionem submovendam existimavit: Ignatianos, Philippi Speculatores, & Exploratores, ac Batica dominationis acerrimos fautores; Sacrificulos vagos, qui huc irrepserant, Regni finibus excedere, antè certam diem, jussit; nisi Romanos Ritus exuerent: ac Laicos, domibus suis se Inermes continere.*

Perpetratis quæ ad Pacem domi spectabant, *de Bello Batico* cogitavit. Cum ad sumptum in Classe ornandâ, Tributum exigere frustrà tentasset; majorquè pars apertè recusasset, *Bucingamium mutuâ pecuniâ ornare Classem jussit.* Qui quantum maturare potuit, Industriam adhibuit, pro salute Regni, & gloriâ Imperij: *Publicanisquè* magnam imperavit pecuniam; & à Locupletibus sumpsit mutuam; ut primo quoquè tempore, cum Pecunia in Ærario esset, solveretur. Nautas magnâ diligentiâ ex omnibus Maritimis Vicis conquisivit, ut stipendia *in Classe Regiâ* facerent; quæ quidem erat *magnarum Navium Octuaginta Octo*, in quibus erant *decem Regia, eximia Magnitudinis*; ut Propugnaculo cæteris possent esse. *In hâc Classe* minimè Milites deerant; quam, delectu habito, & Navibus paratis, *Decem Millia* conscenderunt. *Cecilius Tribunus, Vimbletonij Vicecomitis Dignitate auctus*, præesse jussus est; qui *Batavis in Belgio* operam navarat. Hunc Summi Proceres secuti sunt, singulari Virtute homines, *Essexia Comes; filius illius, qui Navalem Triumphum ex Hispanis retulit: Valentia Vicecomes*, cujus operâ fortissimâ *Regina* in Hiberniâ usa erat. *Cromuelius, & Delavarius, prisci Barones*, accensi cupiditate gloriæ, fortissimi Tribuni, Præfectiquè Navium peritissimi: Quibus *Ioannes Glanvilla, Iuris Municipalis peritus*, per speciem honoris adijcitur, ut ab Epistolis esset, *quod turbidè se in superioribus Comitijs gessisset.*

Inter Consilia traijciendi *in Hispaniam* Exercitus, *Legati à Batavis* cum Mandatis venerunt, *ut publicum quoq; Fe'us Privato adijceretur: quo Iberorum Vis, ferociaq; comprimeretur: ac Mare infestum Direptionibus* redderetur. *Arsenius*, Prudentiæ famâ nobilissimus, *Legationis Princeps erat.* Cujus Consilio, *inter Regem Batavosquè fœdus ictum est; Vt, datâ ultrò citroq; fide, eosdem Amicos Inimicosq; haberent.*

Hispanos,

Hispanos, Communes hostes, Terrâ Mariquè persequerentur. Pacto Fæderi ascripti sunt *Francia, Dania, & Suetia Reges.* Quorum Operâ, *in Germanicis Bellis*, posteà fortissimâ usi sunt. & Publico etiam fæderi adjecti sunt *Allobroges, Venetiquè. Cæsar, Hispanus, Polonus, Bavarus, Genuenses, ac complures Italia Reguli,* alteram armorum Societatem secuti sunt. *Hispani* Classem, Exercitum, & magnificum apparatum audientes, paventesquè, Sollicitum *Autumnum* egerunt: ac tuendæ Oræ Maritimæ consilium cæperunt: haud ambigentes, *Bucingamium*, Cupidine Ultionis, ducem belli fore. Sed is prosperam ac florentem fortunam suam belli Casibus objcere noluit. 1625.

Hoc etiam tempore *Rupellani sustulêre animos*, qui fraude, & dilatione *Demolitionis* accendebantur. Interim *Subisius* seditionem cæptans, stationes, Littoraquè omnia *Aquitania* longe latèquè Classe vexavit. Trajectisquè in Oram Maritimam Navibus, Cædibus, Rapinis, Incendijs passim sævijt. Cæterùm, *Francus, memor inita cum Britanno Batavisquè Societatis*, scribit, *ut se auxilijs juvarent, adversùs Pradones. Postulatquè, ne ultrà cunctentur. Carolus* Affinitate, ac publico Fædere cum Gallo junctus, *Naves Mercatorias Novem; & unam Regiam, Iridis nomine insignitam, ad Francorum Regem juvandum misit.* Nequè *Batavi Galliarum Regi, tali tempore, defuerunt. Gallus* certior factus, *auxilia Britannorum ad Neustria litora appulisse*, Gubernatoribus edixit, *ut Momorantij, Maris Præfecti, mandata facerent; in Aquitaniam quàm primùm trajcerent, ad persequendum Subisium, ubi communiter consulerent.* Qui, editis Imperijs, responderunt, *Quicquid imperaret, se æquo animo facturos*: feceruntquè, ut suo loco memorabo.

Bucingamius, Classe Regiâ jam paratâ, instructâquè; & *decem Legionibus*, sinè tumultu impositis, Prætoriâ Nave Portu soluit: simul, ut Cæteræ sequerentur, Tormenti displosione Signum dedit. Quæ celerius à terrâ provectæ, Vela erexerunt, secutæquè sunt. Postquàm paulùm provecta Classis est, Scaphas circummisit, *ut ex omnibus Navibus Tribuni, Præfecti, Gubernatoresq; in Prætoriam convenirent, ad Mandata accipienda.* Qui postquàm convenerunt, toti Officio Maritimo, Terrestribusquè Copijs *Cecilium præposuit*: constituit, *quâ ex parte Hispaniam aggrederentur*; Quemquè locum Præfecti Navium, Summiquè Proceres caperent: præscripsitquè, ut communi Præfectorum, Ducumquè omnium Consilio cuncta administrarent: Præmia Victoriæ ex Regiâ liberalitate sperarent, Subsidiumquè à se rerum Necessariarum expectarent. Tum edixit Militibus, Nautisquè, ut ad Ministeria exequenda prompti ac alacres essent. Præter hanc Classem, *expectavit à Batavis Naves Bellicas* x x; *quas, hoc ipso tempore, Ludovicus Nassovius, Mauritij Principis Nothus, in auxilium Britannorum adduxit.* Petijtquè, *ut quid se facere vellet Præfectus Maris imperaret.* Batavorum Subsidium gratum Regi, Populoquè Britannico fuit. *Bucingamius*, expleto Numero Nautarum, Militumque; datisquè Mandatis, cum magno gaudio & gratulatione *ad Ostium Plimi fluminis* redijt. In digressu salutatus Vocibus Militaribus, ac Tormentorum tonitribus. *Hac Classe, 5 Octob:, Cecilius ex Britanniâ in Hispaniam navigavit*: & paucorum dierum spatio, *litora Cantabria attigit*: ac longè latèquè terrorem fudit. *Iberi* suis viribus diffidentes, ex Portibus prodire non sunt ausi. *Philippus Madritij certior factus de adventu Britannica Classis*, timet eam alicui Parti *Indicarum Navium* occurrere posse; & arreptis ijs *Aurum diripere.* Eo metu perculsus, Liburnicas Quatuor, levitate præmittit; monetquè *Indica Classis Præfectum, ut Portum Gaditanum vitaret*, quem ab hostibus peti arbitrabatur: *& Coronam Gallitia Portum peterent; aut Olisipponem.* Missæ à *Philippo* Liburnicæ Classi non occurrerunt; Quarum *una fortè in Anglorum potestatem venit. Quæ Cecilio Philippi mandata aperuit.* Tum ille edixit, ut Gubernatores, & Magistri Navium *Gades peterent. Qui Cursum Gaditanum Portum versùs tenuerunt*; Stationes, Litoraquè Classe occuparunt: & Castellum in litore, Naturâ loci munitum, Tormentisquè instructum, oppugnarunt. Præsidiarij crebris confecti vulneribus, sese dediderunt. *Arce expugnatâ*, Tribuni, duces, Præfectiquè Milites exposuerunt, *& Oppidum Gaditanum Obsidione premere instituerunt.* Sed *Ferdinandus Gironius, Eques Nobilis, Præfectus Præsidij*, Centurionesquè, Custodijs diligenter dispositis, effectisquè Operibus sese munierunt, diesquè aliquot ibi nequicquàm absumpti. Sed cum *Cecilius*, nequè vi, nequè denuntiatione periculi, Urbem terrere posset, propinquâ jam hyeme, & Vini Copiâ, infirmis militibus, desperatâ Oppugnatione Oppidi, sese in Naves cum Copijs recepit: *Classem Indicam* in redeundo intercipere sperans. *Præfectus Præsidij*, quiquè cum eo *Batici milites* erant, insecuti sunt; *Octuaginta ab ijs interfecti*; qui Vino avidè epoto, fædæ Intemperantiæ pænas Sanguine luerunt. *In eos semisomnes Inermesquè Iracundia Batica erupit.* Sed in redeundo *Indica Classi non occurrit*; quam diripere destinaverat: nactus solùm aliquot Onerarias, Mercibus onustas; Sævitiâ Maris coactus est, nullâ re prosperè gestâ, redire. Ipse Vulgi rumore incessebatur, agendi tempus inutili Consultatione consumpsisse. *Cecilius* haud ignarus, quanta Invidiæ tempestas immineret, *cessit in Agrum Vimbletonianum*, suarumquè rerum ibi curam egit. *Bucingamius Culpâ non caruit.* Qui illum Classi & Copijs præesse voluit. Fremebat Plebs, hanc Expeditionem Subditis oneri, Reip: sumptui fuisse.

Rex indè, die festo Beata Virginis, Diademate, faustis Ominibus, Acclamationibusquè insignitur. Cuncta Solennia cum Cæremonijs in *Britanniâ* usitatis adhibentur. *Cantuariensis Præsul Concionem luculentam habuit*, Pietatem Regis laudibus cumulavit; ac rem divinam singulari sanctitate peregit. Ubi peroravit, *Regem Sanctissimo Iurejurando obstrinxit, ut Iura Populo administraret; Libertatem Ecclesia, ac Reip: conservaret; Civiumquè saluti summâ diligentiâ consuleret.* Ex multis diebus, quos in vitâ celeberrimos lætissimosquè tulit, hunc præcipuè respexit. *Regina eo tempore Diadema imponi noluit; seq; Romani Cultus*

1625. *Necessitate excusavit.* Plùs apud pium animum Religio, quàm Dignitas valuit. Frequenti Procerum agmine *in Palatium revectus*: ubi paratum & instructum erat Convivium; *Numerum eorum amplxavit.*

Mox *Concilium Regni totius Londinum indixit*, ac Proceres in Curiam Comitialem evocavit; Procuratoresquè Civium. *Qui Idibus Februarij coierunt*; & turbulenta dissidia concitarunt. Primores Equitum, *Eduardus Cocus, Robertus Philippus, & alij vocati ad Conventum Ordinum, citati non convenerunt.* Dimissi Nuntij ad sciscitandum, *num consultò detrectarent* qui referunt, *se Præfectos Iuridicos Auctoritate Regiâ constitutos, Curæ Provinciæ suæ vacare debere; proindè in Ordinum Cœtum coire non posse.* Fremebat *Plebejus Ordo, Iberiùs, Belloq; gratiam habendam, quod Comitia haberentur: Privatis, & Civitatibus Ius non esse eligendi Procuratores suos: ademptam Comitialem Libertatem, per speciem Præfecturæ Iuridicæ: ex longo Intervallo repetitam rem desuetam; graviora metuere, ut de Rep: liberè loqui prohibeatur.* Petebatquè, *ut Iura, Immunitatesquè restituerentur, priusquàm de Rep: Quæstio moveretur.* Fuit ferocior Plebs in Libertate suâ vindicandâ: & Colloquia inter se de Communibus rebus habere cæpit; nihilquè prætermisit, quo Jus suum retineret. *Ioannem Suclinum, Censorem domus Regiæ*, in Comitia lectum, perrogatis sententijs, *non Iure electum pronuntiarunt, depuleruntquè Cœtu suo.* Quæ res Principis animum potissimùm perculit. In his Contentionibus dies aliquot absumpti sunt, cum non mediocri Regis Offensione; qui quo res evasura esset spectavit; tulitquè patienter. Nec coercuit homines præferocis animi, *in Comitiali Curiâ liberius loquentes.*

Inter initia *Principatus, in Vlteriore Britanniâ, largitiones in Præjuditium Coronæ factas, tanquàm injustas, Diplomate revocavit.* Etenim, Jure Regni apud *Scotos, Donationes in Regum ætate immaturâ factæ, vel in grave Præjuditium Coronæ Alienationes, possunt, ex veteri Scotorum Instituto, revocari; nisi à Regibus Majoribus* XXV *Annis confirmentur.* Quamobrem, multi *Scotiæ Proceres* de statu suo solliciti, in communi consuluerunt, *quod Rex Alienationes in fraudem Coronæ factas revocasset.* Revocationis Decreto astipulantur *Huntileus, Martialis, & Nithisdaliæ Comites; Okiltrius Baro; Adjutoribus, & ducibus Episcopis. Hajus Prætor; Marrius Quæstor; Milrosensis ab Epistolis; Mortonia, & Roxburgi Comites clarissimi, & non vulgari Prudentiâ præditi, refragantur*: quod pleriquè eorum, *Decimas*, (quæ Numini, ratione universalis dominij, debentur) *& opima Cœnobia possiderent.* Hi in Societate constanter manent; quia *Nithisdaliæ Comitem*, adversæ partis Principem, oderant: & metuebant, ne Regis animum ad sua consilia traduceret, Auctoritate *Bucingamij. Nithisdaliæ Comes, & Okiltrius Barò*, Revocationem suaserunt publicè utilem; atquè ijs duntaxat damnosam, qui Beneficijs Ecclesiasticis auxissent Patrimonia: contenderuntquè, *Diploma ad Regni, & Ecclesiæ Tranquillitatem pertinere: inhibendos paucos præferocis animi Proceres: reliquos confestim imperata facturos. Carolus, Nithisdaliæ precibus permotus*, dissentientes Proceres ad Colloquium evocavit. Omnes sine ullâ Cunctatione, *Londinum* convenerunt; sed magis obedienter in Regiam venerunt, quàm obnoxiè sententias dixerunt. *Rex acciri omnes jussit*; Consiliumquè in diem posterum indixit, ut id sinè cunctatione fieret, cujus gratiâ evocarat; receptâquè ad se rei curâ, *in Regiâ Sellâ sedens*, circumsistentibus summis *Scotiæ Proceribus*, quos aut vocaverat, aut Negotium traxerat, infit *Revocationem rem Novam non esse; sed Iure, ac Instituto Majorum, licitam: Nullum Præjuditium Patrimonialibus Procerum Fundis afferre; cum ipse Beneficia temporalia à Superioribus Regibus concessa, rata haberet. Sibi & Reip: expedire, ut Ecclesiasticis Proventibus, Præfecturis Iuridicis, & alienis Decimis spontè cederent, retentis suis: Privati possessores, qui Sementem facerent, Pacto pretio Decimas coemerent; & de Rege tenerent.* Responderunt Consensu Proceres, ingenua procidentes, *Revocationem jam Pridem desuetam, Oneri Subditis, & Sumptui Regno esse. Liberalitatem optimi Patris, & Majorum Benignitatem, Ipsos, Avos, Proavosquè suos Præfecturis Iuridicis, Cœnobijs, & Decimis locupletasse, cum Præmia rei pecuniariæ deessent. Ob has causas, amplissimos Magistratus Iure adimi non posse, sinè Spe Compensationis.* Hujus Sententiæ principes erant *Marrius Quæstor*, maximus natu; & *Hajus Prætor; Hamiltonius, ab Epistolis; Mortonius; & Roxburgensis*: Diesquè aliquot in disceptando absumpti. *Rex* in Sententiâ perstitit, *Vt qui Proventibus Ecclesiasticis Patrimonia auxissent, Ecclesiæ, ex quâ crevissent, Munificentiam communicarent. Præfecturas quoquè Iuridicas dimitterent; Præmiaq; ex suâ liberalitate sperarent. Si spontè non cederent, Iure experirentur, sinè cujusquàm Injuriâ.* Præsentes Proceres tandem victi Æquitate Causæ, sententiam Principis haud dubio consensu probarunt; dictitantes, *se fore eâ parte Cœnobiorum contentos, quam ipse tribuisset; & usuros Apolectorum ejus Arbitrio, quò res maturius perageretur.* Pauci privati Possessores, magis taciti, *deliberaturos se* responderunt. Ita res magni momenti leniter transacta est, Moderatione Principis, ac Obsequio Procerum; quorum callidi Adversarij, Propositum non tenuêre, *ut Patrimonio spoliarentur, sinè ullâ Spe Retributionis.* Pleriquè Proceres, qui tùm aderant, *Præfecturas Iuridicas suas Regi spontè tradiderunt: qui concessas non recepit, nisi Pacto pecuniæ: quam summâ fide persolvit*; & Apolectos, familiarum suarum Principes, ad *rem Decumanam* expediendam instituit: quos adhortatus est, *ut veteres Controversiæ de Decimis Nobilium Familiarum, Cladibus exercitæ, tollerentur: & Ecclesiæ ac Reip: Tranquillitati, quoad fieri posset, prospiceretur.* Hoc Regis factum, pro cujusquè ingenio, laudibus celebrabatur.

Incidit alterum quoquè, Quod homines Nobiles vehementer accenderat. *Scotiæ Proceres*, qui ergà *Remp:* Meritis, ergà *Iacobum Regem* Officijs gratiam collegerant, *Iudicum Numero, in Foro; & Senatorio Ordini, in Curiâ, se inseruerunt.* Hanc Ambitionem repressit, ac geminari alicujus honorem

prohibuit;

prohibuit; sed *eligendi aut Iudicum Consessum; aut Senatum, liberam potestatem permisit.* Indè *Hadingtonia, & Laderdalia Comites; Eriskinus; Carnegius; & Melvillus, Barones,* abdicato Judicum Ordine, *Senatorium locum* delegerunt. complures ex Equestri Ordine, *Iudicum Tribunalia* secuti sunt. *Solum Prætorem in utroquè Ordine manere passim est.* 1625.

Diplomata mox expediuntur, ad sublevanda *Scotica Plebis Gravamina*; ad coercenda finitimorum Latrocinia; ad deliberationem habendam *de Cœnobijs, Decimis, ac Præfecturis Iuridicis reliquis.* Quæ res adeò difficilis fuit, ut magnam requireret Apolectorum Consultationem de Compositione, quâ erant Proceres vendituri Feudorum dominis, ac Agrorum Possessoribus Decimas; Regiquè Præfecturas Juridicas Avitas: ad innumerabiles Iujurias vitandas, impotentium dominorum; qui in tenues, ac imbicillos, sibi obnoxios, insolenter grassarentur; *adeò, ut spoliati Decimis, queri non auderent*; ne insequenti Anno acerbius exigerentur. Institit eò acrius *Carolus, memor Patriæ, in quâ natus est:* sciscitatusquè advenientes à *Scotiâ, num consultò differrent Mandata Apolecti, qui de Compositione facturi erant? aut Proceres, ad Colloquium nuper evocati, detrectarent Imperium? Constituitquè Exploratores,* qui Nomina Venditionem recusantium Tabulis inscripta, ad se deferrent, ut Pacta conventa in memoriam ijs revocaret.

Intereà verò *Iudicum Consessum repurgavit*, Proceres Albo erasit; ne insolentius dominarentur. Tenuioris Condirionis homines, forensi Industriâ notos, ad Jus dicendum, ac statuendam æquitatem substituit. *Curam indè Scaccarij egit diligentius*; declaravitquè, se nihil aliud, quàm publicum Emolumentum, Salutem, Securitatemque Regni spectare, juxtâ leges Patrias, & Instituta Majorum.

Coercitis Prædonibus, pacatâquè universâ *Scotiâ*, res Externas circumspectavit; *& renatum in Galliâ, Germaniâquè bellum.* Nam pleraquè *Narbonensis Galliæ* Oppida, *Castrum, Milialdum, Biterra, Montalbanum*, agitata sunt sævissimis Seditionum procellis, *exstimulante Rohano*; ut Servitutis Jugum Cervicibus depellerent: & Agros propinquos *Papanorum* omni calamitatis genere fædarent. *Nec segnius in Regione Santonum, Subisius Frater Rupellam, Rebellionem ceptantem, incitavit.* Undè duo Fratres, Decreto Senatus Tolosani, *Rebellionis rei pronuntiantur*; tanquàm *Catilina & Cethegi, quod Pontificijs Injurias intulerint, Bello Armisquè lacessiverint; Vrbes occupaverint; ac pecuniam publicam intercaperint.* Intereà *Rupellani*, furore ac rabie perciti, in suam perniciem præcipites ruunt, Urbem propere munientes, Classemquè Navium instruentes; quarum *Præfectus Subisius* totam Oram Maritimam *Aquitaniæ* terrore nominis sui implevit. *Momorantius, Præfectus Maris*, Classem & Copias maritimas adversùs eum contraxit: litoraquè omnia longè latequè occupavit. Etsi *à Rege* multis Cladibus præliorum, & Urbium Expugnationibus, *Protestantium vires attrita essent*; tamen concitatâ per vim Multitudine, *Pontificios audacissimè oppugnarunt, Rohano duce:* qui ad Arma, Cædes, Incendia, Direptiones Urbium, Depopulationes Agrorum, perditissimum quemquè impulit: *pleraquè Oppida à Regis Obsequio avertit*, & Civilis Flammæ accendit iterùm faces. Is pavor perculit *Tolosanos, & Burdegalenses*, ut Regem certiorem facerent, quanta immineret belli tempestas: periculorumquè imminentium causam, *in Conjuratos Fratres* congererent. *Hi Belli culpam, in Arcem Mompelianam, & Munimentum Rupellanum transtulerunt.* Cum nuntiatum esset *Lutetiam, Rohanum circuire Vrbes Septimaniæ*, ad concitandum bellum; *Theminius*, Magister militum, tumultuantibus inferre arma jussus, salutarem dextram *Narbonensi Galliæ* porrexit. *Espernonius, Aquitaniæ Præses, adversùs Montalbanos dux* dèlectus est. *Toirasius*, vir excellenti virtute, *Rupellani Munimenti Præfectus* constitutus, & Curator Oræ Maritimæ *Santonum*; ut Custodijs diligenter dispositis, *Subisium*, hostem vagum, terrâ prohiberet. Bellum indè à Populatione cæptum. *Theminius* Agros, Vineas, circà Castrum ferro, flammâquè vastavit. *Espernonius*, circà *Montalbanum*, Vicos depopulatus est, incensis Oppidanorum prædijs. *Toirasius* velut in speculâ stetit, intentus *Rupellanis*; ut tumultuantes adoriretur. *Protestantes consultant, Quid agendum esset?* Veteranos in legiones distribuunt; his Tyrones admiscent; & Turmas Equitum contrahunt, Imperio, aut gratiâ. *Theminius* bello præpositus, hortatus est *Rohanum, ut memor Majestatis Regiæ, & sui pariter Officij, ab Armis discederet; Neq; amplius fortunam Belli, toties adversam, experiretur. Monuitq; flagrare Italiam Bello; pro salute Sociorum, ac gloriâ Nominis Gallici, cuncta inter Gallos & Iberos hostilia: eam discordiam Protestantibus utilem, si abjectis Belli Civilis Consilijs, in Hispaniam irrumperent.* Sed cum neque Auctoritate Regis; Neque denuntiatione periculi, deterreri posset, *Oppidum S: Pauli oppugnare instituit.* Oppidani cum essent infirmi ad resistendum, propter paucitatem incolarum, Quinquè Peditum Cohortes, Præsidij causâ, accersiverunt. Quorum cognitâ Pertinaciâ, *Theminius Castris Oppidum circumdedit.* Postero die, *Dux Ventodurius, cum Mille Quingentis Peditibus, ac Tribus Tormentis aneis, in Castra venit. Tolosani* quoquè, ex Civibus suis Auxilium miserunt. Auctis viribus, nulla Mora interposita, Milites impetu facto in Urbem irruperunt. *Oppidum direptum, & incensum; Prædaquè omnis militi data.* Dux magnitudine pænæ reliqua deterrere speravit. nec Spes fefellit. Nam trepidatio deindè, ac Desperatio proxima quæque invaserat. Postero die, *Lamiatenses* terrore perculsi, *Præsidiumq; ibi Protestantium, Magistro Militum sese dedidêre, Pacto Salutis.* Milites ab Urbe ignem abstinuêre.

Rohanus fortè tunc cum hæc gerebantur, *Somerium* primo impetu cæpit: *Arcem imminentem Vrbi*, Præfectus præsidij tenebat, quam expugnare frustrà tentavit; & excedere Urbe coactus est: ac re

1625. infectâ *Castrum* rediens, tuendæ *Septimaniæ* animum adjecit. Hinc indies levia Prælia, Cædes, Agrorum vastitates, Vicorum direptiones, Urbium Obsidiones, miseranda rerum facies; & luctuosum Spectaculum. Culpam horum facinorum, *Papauorum Iuditio*, sustinuit *Robanus*: qui contrà, *Mompeliana Arci, ac Munimento Ludovici*, injuriosè adhuc stanti, assignavit. Vocatur in partem criminis *ejus Frater Subisius*: qui Littora *Sautonum, & Aquitaniæ*, prædatoriâ Classe vexavit; ac Oræ maritimæ Urbes metu perculit. Uterquè, meâ sententiâ, Crimine onerandus; quod concitatis Popularibus, novas turbas excitarent, *cum Italia Bello, pro salute Rhætorum, ac gloriâ Francici Nominis, urgeretur: bellumquè Baticum immineret.*

Inter hæc, *Subisius, Rupellanarum Navium Præfectus*, (ut suprà demonstravi) *Garumnam* ingressus; & nactus circiter *Vndecem Naves Onustas*, in Ostio fluminis, *Burdegalensem Civitatem* repentino adventu suo terruit; & in *Agro Medocensi* Milites exposuit; levi Præsidio Navibus relicto: cum essent infirmi ad resistendum; qui Oræ Maritimæ præpositi erant, *quia omnes Milites Espernonius, Provinciæ Præses, Montalbanum abduxerat.* Ibi *Castilionaum, & Cœnobium Ventavilla* occupavit; Vicos expugnavit; Tecta incendit; hominum, pecudumquè prædas abegit; quâcunquè Iter habuit, Cædibus, Rapinis, Incendijs passim sævijt; promiscua per Agros, & Vicos Multitudo, *Senatus Burdegalensis* fidem, atquè Auxilium implorat. *Præses Senatus* certior factus de adventu *Subisij*, Custodijs in Urbe diligentius dispositis, Industriæ suæ ac singularis Prudentiæ specimen præbuit. Civitatis etiam Rectores nullum laborem, aut Munus prætermiserunt. *Espernonius Præses Aquitaniæ* opem pollicetur. Adversùs hunc hostem *Toirasius*, cum legione suâ missus; qui *Oræ Maritimæ Sautonum* præerat, magnis Itineribus ad Ripam ejusdem fluminis, *Medocensi* Agro oppositam, pervenit; ut terrâ ejus Regionis vagum hostem prohiberet: Ibiquè reliquarum Legionum adventum expectaret. Interim *literas à Præside Burdegalensi accipit*, quibus fit certior, *omnem adversam Ripam à Subisio teneri; Pagos incensos, Pecora abducta, Bona direpta, benè meritam Civitatem vix tutam fore, nisi milites, Equitatumq; in adversam Ripam trajceret; ac ab ijs Perfidiæ & Sceleris pœnas expeteret.* Ille imperio *Præsidis* obtemperavit: & Equitibus Peditibusquè in Lembos impositis, Celeritate in transportandis usus est. Postero die, in *Medocensi Agro* Castra posuit: donec *Plessim Tribunus* suas Copias conjunxisset. Qui partim *Mercenarios*, partim *Volones* ilicò adduxit; & *Civitatis Burdegalensis Cohortes* aliquod admiscuit; quas *Præses* ex Agricolis, & Civibus scribendas curaverat. *Toirasius*, conjunctis *Burdegalensibus, Plessijquè Auxilijs*, nullâ Morâ interpositâ, *Castilionaum* proficiscitur, adversùs hostem latrocinijs assuetum: quem territum compulit in Naves. Urbs reddita veteri domino, & Agro *Medocensi* Pax parta.

Subisius, nullâ Regione Continentis prosperè tentatâ, Navibus omnibus incolumibus, ad *Retensem Insulam*, tanquàm ibi aptius expectaturus hostem, contendit. Eò *Montius Præfectus Regius*, assumptis *Anglorum & Batavorum* Auxilijs, Cursum tenere cæpit, ut hostem à prædandi licentiâ cohiberet. Tot tantisquè Incommodis utrinquè acceptis, *Robanus, Subisius, & Oppida quæ Defectionem secuta erant, singula Apolectos ad Regem misêre; Pacem, ac Mompeliani Fœderis Conditiones suppliciter efflagitantes.* ij diu obtestati Regem, *ut communi Saluti consuleret; Protestantibus Religionem, Conscientiarum libertatem, Veniamquè recentis Secessionis tribueret.* Rex precibus permotus, dat Fiduciam postulantibus; & singulis Postulatis placidè benignèque respondet, *si ab Armis discederent, ac gratiam suam fide & Obsequio promererent, Pacta Monpeliani Fœderis, & veterum Edictorum, rata fore.* Tum Apolecti, quia sinè Authoritate *Robani, Subisij, & Rupellanorum*, rata esse non poterant quæ pepegissent, Dilationem quæsiverunt in id tempus, *quo Nuntios cum literis in Narbonensem Galliam mittere possent; ne ipsis Mandatoribus inconsultis de suâ, atquè omnium Salute, transigere viderentur*: impetraruntquè, ut certum ei rei tempus constitueretur. Nuntij sunt missi, datumque ijs, *Authore Robano, Castri*, consilium, undè *Spes Pacis sinè effectu* affulsit. Nam *neq; Pacem, Neq; Inducias facere poterat, nisi ex Sententiâ Narbonensis Conventus.* Interim *Subisius, Hautsenium ejusdem Religionis cultorem, qui Batavorum Auxiliaribus præerat*, hortatur, *ut Arbiter magis Pacis, quàm adjutor Belli esset: oratquè, ne spem propinquæ Pacis turbaret; Neu invicem hostilia captarent, quamdiu Spes Concordiæ subesset.* In præsentiâ, datis hinc indè Obsidibus, placuit Conditio, *ut ab omni violentiâ Belli abstinerent.* Cujus rei non servata fides est. *Mantius, Præfectus Regius*, metuens *Hautsenium* Protestantium partis factum, eum propalàm admonet; Batavosquè, quibus præpositus erat, *Ne fraude Subisij, Callidi hominis, caperentur; sed pro Rege Francorum (ut destinaverant Ordines) adversùs Protestantes bellum impigrè gererent.* Ipse Adhortator Maritimam *Sautonum* Oram vastare, ac *Protestantium* in litore Urbes cæpit oppugnare. *Subisius*, Præfectos Oram Maritimam Classe pervagantes videns, *oblitus datæ fidei, Navem Prætoriam Batavorum incendit*: eodemquè Igne Nautas Sociosquè Navales complures interfecit. Ipse *Hautsenius in terram Scaphâ evasit. Pauci incolumes enatarunt. Rex*, recenti ob oculos obversante *Subisij* scelere, *Momorantium Maris Præfectum* dimisit, ut ejus Crudelitatem, Perfidiamquè ulcisceretur. Cui, medio ferè in cursu, obviæ fuêre *Novem Naves Britannicæ*; quibus adjunctis, & *Batavorum* Auxilijs, *ad Retensem Insulam, Rupellâ exiguo Maris spatio disjunctam, Classe pervenit: ibi Subisium, in Portu S: Martini, relabente æstu, assecutus est.* Primo die, tantùm longinquâ Tormentorum displosione, hostem tentavit. Tum Littora longè lateque Classe occupavit; ac Insulam oculis perlustravit. Cui Terrâ Mariquè simul bellum intulit: jussitquè *Praslinum* Magistrum militum, *Rupifancaudium* Comitem, *Sanlucium, & Toirasium in Retensem Insulam trajcere*: qui *Portu Olonensium* Nocte soluerunt:

& diluculo

& diluculo cum Copijs in Insulam irruperunt, sub Auxilio Regiæ Classis tuti. *Protestantes*, præparatis jam Copijs, si quid à terrâ moveretur, occurrerunt. Nulla mora pugnandi facta est. Sed plùs animi inferentibus periculum, quàm propulsantibus fuit. *Protestantes cesserunt furori atq́, Audacia Papanorum. Octingenti eorum casi eo die dicuntur.* Reliqui periculum vitantes, aut in propinquas Paludes fugerunt, ubi pleriquè *fluctibus hausti sunt*; aut ad *S: Martini Oppidum* se receperunt. *Pontificiorum cecidêre Treceuti; multi vulnerati fuêre. Subisius ipse interfuisse Certamini fertur*; & conspexisse suos partim interemptos, partim fugâ dissipatos; Sequè in Naves recepisse. 1625.

Præfectus Maris contemplatus trepidationem, Fugamque Rebelllum, *Ostium Portus Rupellani occupavit*, ut excluderet ab Urbe fugâ dissipatos; ac Navali Prælio, Possessionem Maris *Rupellanis* adimeret. Classemquè ad pugnam instruxit. *Vtraq́, Classis pugnatura*, Postero die, è stationibus movit. *Regia, majoris forma, Quinquaginta Navium erat: in quibus Anglica Novem, & Decem Hollandica*: quarum operâ *Galli* magnopere adjuti sunt. *Rupellana Novem & Triginta.* Præfectus Maris postquàm *Protestantium Classem* instructam, paratamquè ad dimicandum vidit, Occasione pugnandi lætus, se in Conspectum Nautis, Navarchisquè dedit; cohortans, *ut Ventum præoccuparent; Præmiaq́, ex Victoriâ, & suâ Munificentiâ expectarent.* Qui in Altum evecti, *Subisio* præparato occurrerunt. Signoquè ex utrâquè parte dato, nulla Mora inter infensos dimicandi facta est. Globi utrinquè Tormentis emissi, multos intesficiunt; Navigia lacerant, deprimuntquè parte infimâ perforantes. *Navis Britannica, Iridis nomine vocata, Rupellanos maximè exterruit; multas aut demersit, aut cepit. Subisius*, ad ferendam opem suis laborantibus, acceleravit: ac Tormentis rem acerrimè gessit. Atrociter fuit utrinquè, permistis Navibus, pugnatum. *Britannorum virtus, & Batavorum Peritia rei Maritima, in pugnâ præcipuè emicuit.* Tandem, sub Occasum Solis, *Subisius*, ut virtute Militum, & peritiâ Nautarum se superari vidit, ipse, & quæ circà eum erant Naves, fugere cæperunt. Nec insequi Regij potuerunt, Nocte ingruente. Postero die, hostem persequi intenderunt; & luce primâ insecuti, *Novem Naves laceras adepti sunt*; Cæteras dissipatas ingenti metu terruerunt. *Dua è Protestantium Navibus*, Magnitudine inter cæteras eminentes, relabente æstu, in terram ejectæ sunt: quarum altera *S: Michaelis* nomine appellata, à pluribus circumventa, capitur; & *Præfectus* ejus occiditur. Altera *Virgo vocata* acerrimè repugnat: Quatuor hostium Navibus supervenientibus, quæ Machinas pariter admovent, & utrinquè territis acriter instant. Sed cum nullis Tormentorum ictibus deprimere possent, x x *Regij magno animo in Puppim insiliunt*; qui momento temporis Pulvere dissipantur. *plures deindè in Proram desiliunt*: qui similiter in Mare excutiuntur. Quinquaginta postremò impigrè transgressi, *Proram, Puppimquè hostiliter invadunt.* Propugnatores periculo perturbati, cum nequè repugnare ampliùs, nequè effugere possent, *Navem inflammarunt, incenderuntquè; & ab imminente Clade se Incendio subtraxerunt.* Navis igne incensa, latius fundere Incendium cæpit; & priusquàm occurri posset, *Tres Regias circumsistantes comprehendit; qua Incendio consumpta sunt.* Nautæ, militesquè alij *desiliêre in Scaphas*, quæ Naves sequebantur: *Alij se in Mare demiserunt, natantes*, donec Navigijs excipi possent. Ita pauci insigni Cladi superstites extitêre. Ipse *Subisius* in Altum provectus, *versùs Plimi fluminis Ostium cursum tenere capit*; simul ut se, cæteri Præfecti Navium sequerentur in Britanniam, Signum dedit; & celeri Navigatione Portum quo intenderat, tenuit. Ubi Naves Tormentorum ictibus divulsas refecit; & adversum Fortunæ Casum æquo animo sustinuit. Mox à *Pauletto*, Nobili hospite, ipse Comitesquè ejus multâ Comitate culti sunt, *guaro & connivente Rege*; quæ tàm prompta Humanitas Miseros, afflictosquè solata est.

Magnam lætitiam *Pontificijs* Nuntius Navalis Victoriæ attulit: & acerbum luctum *Protestantibus.* Post fugatum *ex Franciâ Subisium*, Regij *Oppidum S: Martini*, & Castellum loco ac Præsidio militum munitum, *in Rhetensi Insulâ*, per Deditionem receperunt; ac *totam Insulam* in potestatem redegerunt. *Rex Toiarsium Insula præfecit.* Dum hæc à Terrestribus Copijs geruntur, *Momorantius*, post prosperam Navalem pugnam, *Oloneosium Portum* in potestatem redegit; tuta ejus Regionis Maria præstitit: & *Rupellanos* ad promerendam Amicitiam compulit. Qui Possessione Maris & vicinæ Insulæ pulsi, Urbem tueri diffidebant se posse, si simul Terrâ Mariquè oppugnaretur. Interim *Conditiones Pacis per Momorantium tentabant*, Fœderum Jura memorantes; Meritaque Majorum, In Regnum Franciæ; & paratum ergà Regem honorem, ac Obsequium, More Majorum, *si Religionis Libertate, vitâ potiore, Edictorumq́, Beneficio fruerentur; atquè Munimenti Ludoviciani metu liberarentur.* Abstinere ejusmodi Postulatis *Momorantius* jussit: Responditquè, *Confessionem Rebellionis ijs magis profuturam, quàm Religionis Excusationem, aut Meritorum commemorationem: Deniq́, in preces versam Orationem, viam unicam cunctis ad Salutem fore: nec in ipsorum Innocentiâ, sed in Regis Bonitate, ac Clementiâ Spem veniæ positam esse: sequè suppliciter deprecantibus adfuturum, & in Curiâ apud Mitissimum Regem, & in senatu Lutetia, si eò Deprecatores mitterent, & non desperanda Regis se Clementia permitterent.* Auctoritate *Præfecti Maris* permoti *Rupellani*, abjectis Belli Consilijs, Apolectos ad Regem cum Mandatis miserunt. Mandata erant, *ut versâ in preces Oratione, Regis animum penitùs inflammatum lenirent; & Veniam deprecarentur. Rohanus, & Subisius*, Defectionis Authores, *& Castrum, Milialdum, Montalbanum, Vrbes quæ in Septimaniâ defecerant, Veniam per Apolectos suppliciter implorant: & Conditiones Fontenaici nuper oblatas, Decreto Protestantium confirmant. Lutetiam* ut est ventum, Apolecti apud *Principes Protestantium* consilium habuerunt; exponentes quæ cum Rege acturi essent. Optima cunctis ad Incolumitatem via visa est,

1625. visa est, *ut faterent, quæ imperartutur; & Regis se non desperanda Clementiæ permitterent.* Rex Consilium habuit, consultavitquè, *Quonam modo cum Protestantibus agendum foret, post tot labores exantlatos, tantum Sanguinis fusi, Terrâ Mariquè?* Inter diversa Procerum studia, & discrepantes Senatorum sententias difficile fuit decernere. Plerique, quibus erat Concordiæ studium, ac Intestini Belli tædium, ad Pacis sententiam inclinabant; suadebantquè, *Protestantes tot Bellis indomitos, Auctoritate & gratiâ conciliandos; id cùm ad Dignitatem Regis, tùm ad Incolumitatem Regni pertinere, ut Domi Pacem coleret; fundendi Christiani Sanguinis Sitim restingueret; Philippum, & Cæsarem Foris expugnaret; Sociorum Regum Majestatem tueretur; Rhætorum Injurias ulcisceretur; Palatinatum vindicaret ab impotenti dominatione Iberorum.* Alij Humanitatis obliti, & imprudentiâ lapsi, censebant, *Protestantes armis victos, Terrâ Mariq; penitùs extinguendos; ut nullum usquàm in Franciâ bellum*: increpabantque *Rohanum, & Subisium, quasi Ingratos, & Perfidos, Veniæquè nuper acceptæ immemores.* Postquàm ad Regem ventum est, *Menialdus Apolectorum Princeps*, longam Orationem ad leniendam Iram ejus habuit; ac plurimis rationibus conatus est Pacem suadere; *ne Galli cum Gallis armis ultrà decertarent.* Ac ad extremum ita finivit, ut diceret, *Protestantes Supplices se suaquè omnia Regi permittere.* Nec multò post, Cæteri Apolecti suppliciter locuti de suâ, atquè omnium *Protestantium* Fide, totam Orationem in preces verterunt; *& Se Suaquè omnia Regi permiserunt. Rex* precibus permotus, in præsentiâ respondit, *se Rohanum, & Septimaniæ Vrbes, crebrius rebellantes, ex Consilij sententiâ, in Tutelam recipere; sed Rupellam semper infidam, & Subisium hominem factiosum, & perditum, in gratiam recipere non posse; nisi Franciæ Securitati parùm consuleret; ac Clementiæ exemplo Licentiam, atquè Improbitatem aliorum accenderet ad bellum renovandum.* Tum Apolecti *Rupellani*, summissâ Oratione petere cæperunt, *ut Rupellam ac Subisium Exulem, pariter in gratiam reciperet: ne Concordia maxima Spei, maximaquè utilitatis impediretur. Rex* preces aspernatus est. Indè liberius disserere incipiunt, *Arma necessaria sumpta; quod Pacta Mompeliani Fœderis violarentur; Monpelij Arx Vrbi imminens exstrueretur, & Rupella Munimentis circumsideretur. Protestantes, antequàm hostilia iterùm captarent, sæpè Miserias suas flebiliter deplorasse, Simulationemquè prorsùs, & Speciem Pacis; Duos Fratres, cæteris impatientius, Protestantium acerbum Casum tulisse; & penè ad Insaniam Furore prolapsos, nunc Temeritatis pænitere; ac ultrò Conditiones Pacis oblatas acceptare, ut Iberos in Italiâ ferro peterent; & Ignominiam nuper excitati Tumultus, in Pace Belloquè Meritis abolerent.* Rex castigavit leviter, increpitavitque *Rupellanorum ferociam*: & rem secùm perpendens, decernendi potestatem Senatui permisit. Nequè ampliùs respondendum existimavit. Vocato consilio, *Papani* vehementiores disseruerunt, *Rupellanos Terrâ Mariq; superatos; Rhæam adversam Insulam per vim intercaptam; Vrbem Operibus circumsessam; paucorum Mensium laborem superesse, ut penitùs exscinderetur, nisi Cives, voluntariâ Deditione, sibi ac Vrbi consulerent. Ita fore, ut Rex Virtutis bellicæ Opinionem, toto in Orbe terrarum, pareret; & Protestantibus Tumultuandi potestatem posteà adimeret.* Prudentiores, Clementer & Moderatè, his temporibus, agendum existimarunt: censueruntquè, *ut Rex Rupellanos, homines Bellicosos, in suam potestatem, sinè funesto Bello, redigeret; & Conditiones Pacis Apolectis proponeret; ut Rupellani Naves Bellicas, Copiasquè suas terrestres dimitterent: Apolectos Regis in Vrbem reciperent; periculumq; eorum præstarent, dùm Pactiones Executioni mandarentur. Ecclesiastica Bona, Terrâ, Aquâvè direpta redderent. Pontificijs libertate Romani Cultus, & Bonis in Vrbe, sinè periculo, frui liceret.* Hæcque *Apolecti Rupellani* fore receperunt; vehementissimè contendentes, *ut dimisso Præsidio Regio, Munimentum Ludovici dirueretur.* Quibus responsum est, *Id Postulatum Regi, & Senatui non placere. Interim, si in Fide & Obsequio perseverarent, nihil à Classe, Præsidiovè Regio metuendum.* Idquè ipsi fore spoponderunt. Fractâ *Rupellanorum* ferociâ, Apolecti alij qui aderant, præsentis Periculi, atquè Belli vitandi causâ, *Pacis leges acceperunt; conscriptasq; Chirographis suis signarunt*: ne opprimerentur Urbes, Maritimis & Terrestribus Regis copijs.

Hoc Anno, Bellum in *Germaniâ* redintegratum. *Christianus Quartus, Daniæ Rex*, Jacobi Regis stimulis excitus, ut suprà memoravi, Inferioris Saxoniæ Regulos, & Dynastas in arma egit. Jam *Dux Novi belli* creatus, demonstravit, ad tuendam Provinciam arma sumpta propè necessaria, non sinè apertâ insectatione *Tilij*, Militumquè ejus: à quibus plusquàm hostilia *benè meriti Reguli* paterentur. Tum *Delectus totâ Inferiore Saxoniâ habiti*; Exercitus conscripti, provisi Commeatus, aliusquè belli apparatus. Hoc comperto Tumultu, *Mansfeldius, & Christianus Brunsuicensis Regulus*, cum *Duodecem Britannorum legionibus, ad recuperandum Palatinatum missi*, vi Tempestatis, & Inopiâ in trajectu conflictati, (ut antè demonstravi) *Tyrones* haud secùs quàm *Naufragos*, sinè armis in Terram exposuerunt; & *Veterani* milites nihil ex animi fortitudine remiserunt, & Duces secuti sunt, quibus supererant Spes, Viresquè, & pugnandi animus, si Occasio daretur. *Mansfeldius* ad cuncta belli Munia acer, *reliquias Veteris Exercitus*, Spe fructuosioris Militiæ, atquè Præmiorum, convocat; laudat promptos, atquè incitat, castigat Segniores; ostenditquè *sibi esse in animo Daniæ Regi, & Saxoniæ Regulis non deesse.* Supplex *à Batavis* Auxilium Belli implorat, impetratquè. qui Pedites Equitesquè Veteri Exercitui, Supplementi nomine, adjecerunt. Igitur auctis Copijs, *Vestfaliam subitus irrumpit*; spargit per Provinciam milites, qui raptis quæ fors obtulerat, Agrestes spoliant, trucidant, vi atquè Armis opprimunt. *Ipse ad Visurgim flexit, quod Vestfaliam ab Inferiore Saxoniâ dividit; atquè indè in Saxoniam, ad Daniæ Regem* contendit. Qui *Bremam, Maritimam Civitatem*, cum magnis Copijs Equitum, Peditumquè insederat; quas ipse, *Fœderati Reges, Populiquè* scribendas curaverant: aut *liberæ Civitates* adjecerant, *ut Palatinum in Patrio Dominio collocarent.* Hoc Novum exortum bellum, terrorem

Pavoremquè

Pavoremquè *Germania* intulerat. Jamquè *Tilius, dux Cæsarianarum partium*, celeri tumultu anxius, 1625.
ad Inferioris Saxonia Regulos scripsit, desistendum Captis, ne qua esset armorum causa. Cæsarem timere, hac omnia ad suam perniciem pertinere: increpuitquè eorum prava Consilia, qui Dania Regem in Germaniam adduxissent. Et ad *Dania Regem* literas misit, hortantes, *ut in suum Regnum rediret, Exercitum dimitteret. Si non faceret, abnuentem eum Cæsarem pro hoste habiturum; ac Arma capturum.* Respondent *Danus, Reguliquè, Sibi Salutem, Libertatemquè Germania curæ esse: & necesse fore, pro Terrâ, in quâ geniti sint, Aris, Focis, Parentibus, dimicare, si Vi & Armis opprimerentur.* Inde renatum velut ex integro bellum. *Danus, Brema, omnem Commeatum, Armorum Officinam, totiusquè Belli apparatum instituit:* sequè Cæsari purgavit: oravitquè, *ne ea qua Regulorum, Cognatorum, aut Affinium causâ egerit, in suam rapiat Injuriam.* Monuit etiam, *si non abstinerent Saxoniâ Cæsarei duces, Sibi necesse fore Certaminibus interesse.*

Jam cum *Reguli* essent in armis, Excursiones in Provincias *Cæsarea Ditionis* facerent; adversùs eos à Cæsare *Tilius cum Exercitu missus: & Velstenius, cum validâ manu, subsequi jussus*; ut antè discrimen pugnæ assequi posset, si confligendum esset. Qui cæptum Iter properant, *ut Albim Danum transire prohiberent; aut transgressum inopinantem aggrederentur*, antequàm omnes Copiæ convenirent. In tanto motu, & perturbatione rerum, *Cæsar ad inferioris Saxonia Regulos literas dat*; quibus etiam atquè etiam monet, *Prava Consilia in ipsorum capita recasura. Dania Regis transitum in Germaniam acriter reprehendit: postulatquè, ut Seditionibus finem imponerent; ab Armis discederent: Nequè ampliùs fortunam belli experirentur, toties adversam: Neu cum Dania Rege se jungerent; aut ulla Ope adjuvarent. Qua si fecissent, se Tilium cum Exercitu revocaturum pollicetur. Sin Danum recipierent, turbarentquè Germaniam, externâ vi, & Perfidiâ sua; Se Sibi remedium capturum; ac eorum damnis, Vrbiumquè excidijs ulturum minatur.* Illi, nec pavore præsentis Exercitus, nequè Minis Cæsaris perterriti, respondent, *Si Cæsarei duces Copias dimitterent, omnes suas se dimissuros. Sin illas retinerent, se quoquè suas retenturos.* Accitis Sociorum auxilijs, mirabiliter Dynastarum atquè Regulorum consensus, ad liberandam Patriam conspiravit: nec dubium in *Palatini partes studium.* Ubi *Ferdinandus Cæsar* intellexit, flagrare *Saxoniam* bello; ac nullam Spem Pacis superesse, totam rem ad duces, & Bellici Consilij Auctores rejecit. Qui per Colloquia, antequàm hostilia invicem cæptarent, *de Pace ac Concordiâ* egerunt: nè *Externi Belli* moles undique ingrueret, *si Danus, Mansfeildianiquè simul irrumperent*: Postularuntquè, *ut Reguli priùs arma deponerent: depositisquè armis, Cæsaris, & Vijvirorum Iuditio obtemperarent. Apolectosquè Viennam mitterent: ibi Cæsarem cum Consilio cogniturum, si Tilium aliumvè ducem accusare vellent: ita ad Cæsaris gratiam atquè Benevolentiam receptum sperarent, abducto è Saxoniâ Exercitu.* Respondent fæderati Reguli, Necessarij Daniæ Regis, atquè Palatini, *pro comperto se habere, nequè Iussu, nequè voluntate Cæsaris, tot Vrbes in Præfecturâ Vlrici, Brunsuicensis Reguli, interceptas: tot, & tàm nefaria facinora palàm in Saxoniâ perpetrata: cum nulla esset Crudelitatis exercenda causa, prater prædandi militarem licentiam. Sed aut Tilio nimiùm, aut Ipsis, publicè de Miserijs querentibus, parùm creditum.* Vehementissimè contendunt, *ut Cæsarei duces Exercitum finibus Saxonia abducerent, & Præsidia ex ijs Vrbibus deducerent, quas in Agro Brunsuicensi vi atquè armis expugnaverant; Libertatem, Vrbesquè suas Regulis restituerent; ac metu liberarent Germaniam. Expectantquè suis Postulatis responsum Cæsaris, si rem ad Concordiam deduci vellet.* Tilius Regulorum Postulata, & Querelas renuntiat. Quibus expositis, *Cæsar* fert illam Conditionem, *ut Danus in Regnum reverteretur. Discederent in Germaniâ omnes ab Armis: Ambo Exercitus traderent.* Reguli stare Conditioni noluerunt, *nisi Tilius Præsidia priùs Vrbibus deduceret, & Saxonia finibus excederet. Qua si fecisset, se ad omnia descendere, paratos ostenderunt.* Nec idcircò *Danum* ad ullam Conditionem accessurum putarunt, *nisi Cæsar Palatinatum redderet.* Erat enim iniqua Postulatio, *ut Reguli Exercitum dimitterent; atquè Danus in Regnum rediret; Tilius Provincias Vrbesquè alienas teneret.* Ita transigere duces Nuntijs atquè Epistolis non potuerunt: Dum utrinque sibi confiderent, Spe auxiliorum, ac Sociorum Regum Subsidijs, & pares viribus viderentur. His de Causis, *Reguli* de suâ Salute, dignitateque cogitare coguntur. *Dania Rex*, multa de Causâ, Copijs, Auxilijsquè suis locutus, demonstrat, *se Holsatia ducem, unum è Saxonia Regulis; respectu suarum Necessitudinum cum illis, ac propinqua Affinitatis cum Palatino, pro eorum Salute, ac Libertate Germania arma sumpsisse. Sibi esse in animo Socijs non deesse: Literis, Nuntijs, lachrymis, Frederici Vijviri Salutem, Veniam, Patrimonium nequicquàm implorasse: deprecantibus summis Regibus, atquè duobus Vijviris, ut Cæsar privatas Inimicitias, ex Bohemiâ occupatâ, conceptas; & Iracundiam suam publica Vtilitati remitteret, & sibi Opinionem Clementia pararet. rem maxima Spei, maximaquè Vtilitatis, ejus Iracundiâ, ac Ignatianorum Scelere, impeditam: quâ Tranquillitati, ac Securitati Imperij prospicere potuisset, si Exulem, ac Supplicem in gratiam recepisset. Responsum verò aliud impetrare non potuisse, quàm, Cæsarem Palatinum non auditurum, nisi Viennam veniret, Se, Salutem, Dignitatemquè suam ipsi crederet.* Huc addit multa de Miserijs, ac Ærumnis Regulorum; *Licentiâ, atquè Improbitate Centurionum, Militum, Legatorumquè Cæsaris. Negat quenquam Calamitatis expertem esse: negat ullum genus Crudelitatis, Sceleris, Rapina, Audacia in Populum, à Tilio, & Velstenio, Crudelissimis Prædonibus, prætermissum, quod non Vi atquè armis nefariè exercerint; idquè Iussu, aut voluntate Cæsaris. Infitiatur, duces*

1625. *aut tàm atrocium Injuriarum Satietatem adhuc cepisse, aut Penitentiam egisse.* Deniquè, *indignatur, Benis ac fidelibus Regulis, tàm acerbas, atq; indignas Injurias à legatis Cæsaris fieri: Deum hominesquè testatur, penès Cæsarem belli culpam fore; Regulos Iusta, ac Necessaria pro Patriâ cepisse arma: imminentesq; Clades prædicit, si cunctetur Palatinatum restituere, ac sinere Regulos in Pace, ac Libertate. Sibi esse in animo respicere perditas res Germaniæ, cum plusquàm hostilia patiatur: ac satis virium, (favente Numine) ad vindicandas Sacrorum Injurias fore.* Tilius de Æquitate Causæ Cæsarianæ multa dixit; monuitquè Regulos, *nisi orientem flammam extinguerent, ingenti mox Incendio arsuros; cum nullam Opem ferre possent.*

Danus Regulorum deindè Conventum habuit; & decrevit, *ut legati cum Auctoritate mitterentur ad Amicos Reges, Fœderatosq; Populos; ut paretur atq; fiat, quodcunq; pertineret ad rem bellicam administrandam, vindicandamq; Germaniæ libertatem.* Intereà ipse animum ad belli Cogitationem convertit: & accitis *Mansfeildij auxilijs*, Castra promovit; in loco, *Quatuor Millia à Bremâ* distante, consedit; & expugnare Urbes Cæsaris partes sequentes paravit, nisi *Tilius* suas Copias raptim opposuisset: qui *Superiorem ripam Visurgis fluminis* insedit, magno Militum agmine; avidus pugnæ, ex re benè gestâ, *ad Pragam, Vimphenium, & Statloam.* Sed omnia Spe firmiora invenit; ac *Castra Regis* in tutiorem locum redacta. Indè non Agros modò circà vastavit, sed Urbes etiam proximas *Vlrici Brunsuicensis Reguli, Hamlenam, Mindam, Stalteniam* intrà paucos dies cæpit, ac Præsidijs firmavit. *Danus Inferiorem ripam occupavit*, ut liberè pabulari posset, Castris ejus sua subjecit, & Exercitum omnem eò convenire jussit. *Valstenius per Sueviam & Hessiam* iter facere cæpit. *Episcopatus Halberstadiensem, & Hallensem*, in Ditionem dominatumquè Cæsaris redegit. *Tilius*, ne otiosus Castris assideret, *Neoburgum* oppugnare instituit. Cujus cognito consilio, *Danus Limbachium, Tribunum spectatæ Militiæ, Vrbi præfecit*; Muros, & Munimenta refecit; frumentum, Arma, aliumque belli apparatum, ex Maritimis Regionibus comportari jussit. Misitquè *Veymarium Saxonem*, cum Equitatu, ut *Tilij Exercitum* frumento, Commeatuquè prohiberet; hostium vires Inopiâ Alimentorum deminueret; atquè Incommoda Obsidentium indies augeret: daretquè operam, ne Obsessis res necessariæ deessent. Qui summâ diligentiâ imperata fecit.

His diebus, *Daniæ Rex equum conscendit*, ut Vallum Castrorum, ac Opera munientium circumiret: Equo autem, displosione Tormenti, & Ignis fulgore, consternato, *in fossam præcipitatur, & Caput, lapsu Equi super eum ruentis, sauciatur; deportaturq; à Comitibus, Expiranti similis*, ad colligendum animum. Ingens in Castris luctus erat: sed revocato rursùs Spiritu, admissisquè pariter Regulis, ac Amicis, vulnus in Capite acceptum curari cæpit, & sensim toto corpore Vigor percipi. Atquè ut primùm convaluit, Arma & Acies in oculis erant; in Castra redit; & Commeatum ad Obsessos *Neoburgi* comportari jubet. Expediti Milites ab eo missi, *magnâ Obsidentium Cæde*, in Urbem penetrant. *Desiderati sunt in hâc Obsidione Tilianorum duo Millia, Danorum ducenti. Ipse Tilius, sævitiâ Hyemis, ac militum Cæde, relictâ Obsidione in Castra rediit:* multùm imminutâ gloriâ, quam tot prospera in *Germaniâ* prælia pepererant.

Solutâ Obsidione, *Danus* rationem belli commutandam non existimavit, Castra permunijt, cum omni Exercitu Castris se continuit; Comite quoquè *Mansfeildio* accito, ut Copias celeriter conjungeret; frumentum, Commeatumquè ab omnibus Maritimis Civitatibus comportari jussit; ratus, fame, ac rerum necessariarum Inopiâ *Tilium confici posse*; conjunctis jam *Velstenij* Copijs, & tot armatorum Millibus, quos secùm *ex Superiore Germaniæ parte* adduxerat, expertos non varijs Prælijs modò, sed Urbium etiam Oppugnationibus. Quantum Militum *in Exercitu Tilij* fuerit, Auctores inter se discrepant. Constat magnam Multitudinem fuisse. Ipse, in re dubiâ, Numerum adijcere nolo. *In Exercitu Dani*, conjunctis *Mansfeildij* Copijs, fuisse memorantur x x x *Peditum Millia, & Equitum Novem:* quod affirmare non audeo. Utcunquè res fuit, *Danus Equestribus Turmis, Tilius Peditum vi pollebat*; & in aperto Certamine Spem virium habebat, pronus ad decertandum, si Occasio daretur. *Rex* fessos Inediâ, atquè rerum Necessariarum Inopiâ, hostes debellari posse sperabat; & Conatus eorum effuso Equitatu impediebat; *Neq; à Mari, Bremâq; longè discedere volebat*, quod omnem Belli apparatum ibi collocaverat.

Inter hæc, *Rustici Saxoniæ*, crebris Civilis Belli Cladibus afflicti, sustulêre animos, *Tilio adversa, Dano prospera omnia optantes*; & undiquè Frumentum, Commeatumquè Exercitui ejus supportantes. Paucisquè intermissis diebus, *Danus* aliquot *Equestres turmas*, magnamquè partem *levis Armaturæ*, ad explorandum Iter Tilij, *Saxone Altenburgensi, & Obentraudio* ducibus, præmisit. Qui duo, *nacti hostium Millia in Villâ Paludibus munitâ*, subitò in eos impetum fecerunt: hi fortiter eorum Impetum sustinuerunt. *Tilius*, cognito discrimine suorum, Opem ferre celeriter contendit; *& eò cum Turmis aliquot Equitum, ac expeditis Cohortibus pervenit.* Dani, hostium adventu cognito, subitò discedunt, ne circumcluderentur, *& Peditum Copias Ponte transducunt*, ut commodiorem Receptum eis darent. Ipsi duces Agmen prægressi, *Tres Equitum Turmas* objiciunt, ac impetum faciunt. *Cæsariani* trepidum hostium Receptum conspicati, acrius institêre. *Obentraudius*, strenuus Tribunus, in primo Congressu lethaliter vulneratur. *Saxo Altenburgicus, prælians interficitur.* Reliqui earum turmarum equites, hostium multitudine iniquo loco circumventi, *aut interfecti, aut capti ad Tilium deducuntur. Obentraudius, ex Acie elatus, saucius ex vulnere, moritur.*

Eodem

1625.

Eodem die, ad abolendam Ignominiam hujus Cladis, *Saxo Veimarius, Præfectus Equitum Daniæ Regis*, in Castra *Velsteinij* subitus irrupit, *Octingentos Cæsarianos interfecit*, x x *Signa Militaria capit*; paucis ex suis amissis, & in Castra se recepit.

Post paucos dies, *Christianus, Brunsuicensis Regulus*, qui nullum unquàm periculum, pro Salute, ac dignitate *Palatini* recusabat, *Quingentos Croatarum Equites, per Ripam Visurgis à Tilio dispositos, aut interfecit, aut in fugam conjecit*; & Prædæ cupidine vagum hostem, sæpè coercuit.

His rebus gestis, nulla ultrà penès *Cæsarianos* Mora, quin Acie decertarent, *si Danus ad pugnam elici posset*. Qui eo tempore in Stativis Castris morans, *non esse dimicandum existimavit*; cum ipse rerum omnium Copiâ abundaret; hostes Inopiâ, ac Sævitiâ Hyemis conflictarentur. Postremò, Tædio Castrorum fessus, vocato Concilio, de summâ rerum deliberare incipit; rogitans, *Quid sibi faciendum esset? trahi Bellum, an fortunam Prælij tentare expediret?* Erant qui censerent, *præstare per eximiam virtutem in Prælio, toto robore Exercitus, fortunam Belli experiri, quàm deserere benè meritos Regulos, & irrupturis feris hostibus, non sinè Infamiâ, objicere. Numen Conatibus affore.* Erant tamen plures, qui dissererent, *Festinationem hostibus, Dilationem ipsi in præsentiâ utilem; ut longiore spatio temporis interjecto, Tironum animi firmarentur, ac Militari disciplinâ imbuerentur. Exercitum Tilij universum, tot Victorijs inflatum, Veteranorum; contrà suum Tironum esse, laborem Militiæ haud tolerantium. Proindè ducere Bellum expedire, ut hostium ferocium Impetus, per Tædia ac Moras languesceret. Divisâ ratione Belli, Saxoni Veimario Vestfaliam committendam: Mansfeldio, Silesiam, ac Regiones ultrà Albim decernendas: ipsi, cum robore Exercitus, cura tuendi Socios: manendum inter Visurgim & Albim: hinc indè tutas viris ac Manibus Vrbes; à tergo Classem, & Oceanum Germanicum; non pecuniam, non Commeatum Exercitui defuturum. Ita Cæsarianum Militem Egestate, lassitudine, ac Tædio Castrorum confici posse. Veimarius, Brunsuicensis, Mansfeldius, ac peritissimi rei Militaris Tribuni, Præfectiquè, hoc Consilium approbarunt, & cæteri bellici Concilij primores.*

Tum Danus, commutatâ ratione Belli, Exercitum dispergit; acerrimum militem *Saxoni Veimario, & Mansfeldio* tradit: suas uterquè Copias instruit, ac imperata facere properat: paucisquè post diebus, cum Copijs extemplò profecti, *Veimarius, trajecto Visurgi, in Vestfaliam iter facere capit, ut viam in Palatinatum aperiret*, si fortuna afforet Conatibus: *Osnaburgensem Episcopatum* (expugnato in itinere Oppido) latè ferro flammâquè depopulatur; *Clerum spoliat, vulnerat, verberat; Civitati, Vrbibusquè magnas imperat pecunias: filium suum Coadjutorem Episcopo addit.* Ibi omnia passim Mulierum ac Puerorum fletibus perstrepunt, qui latebris Salutem quærerent. *Monasteriensis Clerus* hâc Clade compertâ, cum celeriter in Provinciam advolaturum suspicarentur, publicis privatisquè Opibus impetum ejus averterunt, ac incolumes evaserunt: hæc pecunia Salutem Provinciæ attulit. Diebusquè paucis interpositis, cumulatus Opibus, longius progrediendum non existimavit; Sequè ad *Danum* cum omnibus Copijs recepit. Miror eum in conspectum Regis reversum; cum Exercitum, fidei suæ commissum, acciperet, *ut per Vestfaliam penetraret, ac in Palatinatum duceret*: quod non præstitit. Ad Munia belli *à Dano revocatum* potiùs crediderim, dicto paruisse, & Exercitum reduxisse. Ipse *Rex*, Exercitus sui robore, *Heidelshemium Episcopatum ingressus, Pennam, Vechtam Calenbergam, Vrbes munitas*, intrà paucos dies, cæpit: ibiquè Præsidia collocavit. Eò & hostes secuti, in aperto Certamine Spem collocantes, pugnandi potestatem fecerunt. Sed *Rex* munitis locis se tenuit, ne invitus pugnare cogeretur, & hostes aliud sibi Consilium capere, divisis Copijs, coegit.

Mansfeldius cum Equitatu Albim trajecit, & auxilium Itineri *à Megalopolitano ac vicinis Regulis petit*, donec Pedites consequerentur. Mox expugnato in Itinere *Oppido Zerbio, propè Dessovium, in eo Quadringentos Velstenij Præsidiarios trucidavit*; & aliquot Cohortes, Præsidij causâ, reliquit. Quamquam minor Spe multitudo conveniret, tamen agendo moliendoquè vires auget; tentandas sibi finitimas Provincias, longiusquè procedendum existimat. Primo adventu, *summâ Regulorum exceptus Benevolentiâ*: sed non eâdem Civitatum voluntate usus est. Nam *Lubecenses* in eum male animati; quod ab Equitibus ejus hostilia paterentur; *in eos impetum fecerunt, & circiter Centum ac Sexaginta cæsis, reliquos mutare Stationem coegerunt.* Ita nunc, & sæpè aliàs, *Lubecenses* Ditionem suam fortiter defenderunt. Non deerant, qui crederent, pecuniam clàm Duci datam, Civitati Salutem attulisse; & Militum licentiam, atquè Sævitiam coercuisse. Secundùm hæc, *Mansfeldius*, conjunctia Peditum Copijs, x i i *Millia effecit*. Regulos, qui *Danicæ Partis* fuerant, ut de re Frumentariâ providerent, hortatus est. Præter has Copias, affluebant undiquè *Veteres Bohemiæ Milites*, Spe Præmiorum, ac Ordinum; quibus Arma Equosquè dedit: & Exules è latebris Sylvisquè, Cupidine Prædæ, aut famâ exercitati Ducis: Incitabantque, *ut Exercitum ad Fines Silesiæ admoveret*; prædicantes, Incolas aut sinè Prælio in Ditionem ejus concessuros; aut si Acie dimicandum esset, haud pares armis certaturos.

Eodem tempore, *Danus ad occupandum Dessovij Pontem*, animum convertit; eum si occupasset, Sedem ad cætera exequenda habiturus. Igitur *Fauchius Præfectus Castrorum, cum tribus Peditum Equitumq́; Millibus, ad Pontem missus est.* Et quò Iter tutius faceret, *ipse Rex, trajecto Albi, per Lanburgensem Ducatum, majoribus Copijs subsecutus est*; ut si Prælium accidisset, conjunctis viribus cum hostibus certarent. *Defendebat Pontem imposita Turris*, instructaque Tormentis, & Machinis; ut subeuntes hostes propulsaret: cui præerat *Altingerus*, Tribunus eximiæ fortitudinis; qui dies Noctesquè *Custodiæ Pontis intentus*, Insidias facilè vitavit. *Præfectus Regius*, ut Propositum tenere non potuit, *Tangermundam,*

1625. *mundam, in ripâ Albis, occupavit; ibiquè Pontem inchoavit, Scaphis, minoribusq; Navigijs inter se connexis, ad transitum fluminis, in oppositam Ripam Agri Brandeburgici:* ac Urbem permunijt. *Danus* cum cerneret Præfectum sinè auxilio suo Urbem tenere posse, in eandem partem, ex quâ venerat, redijt; *& in loco idoneo, Quatuor Millia à Bremâ distante, Castra Stativa propè Visurgim posuit*; intentus quandò hostium vires Inopiâ rei frumentariæ deficerent. Utrinque Copiæ, summissis Sociorum auxilijs, augebantur: *Hispanus Suis, ac Suorum Opibus, enixè Cæsarem juvabat: & Britannus Danum.*

Cæterùm, *Saxo Vijvir Apoloctos ad Cæsarem, & Regulos de Compositione misit*; monuitquè Duces Partium, *ut procul à Saxoniâ bellum gererent, ne sibi interesse eorum Certaminibus necesse esset:* postulavitquè *Inducias*, donec partes transigerent. *Danus Quindecim dierum Inducias, hortanti Saxoni, concessit:* ut ipse sibi interim ac Reguo suo consulere posset: demonstravitquè *suam semper fuisse voluntatem, ut ab Armis discederetur, si Iustitiâ & Æquitate Cæsar transigere vellet.* Cæsarei duces unâ & Voce, & Mente *Inducijs consentiunt.* Sed missi *Viennam à Saxone Nuntij*, turbarum finem impetrare non potuerunt: quia Cæsar, Victoriæ quàm Pacis cupidior, præ impotenti Irâ, permisceri omnia maluit, quàm Copias dimittere; Sic infectâ Pace rediêre. *Danus*, cum Acie dimicandum cerneret; nequè ullam Spem, aut Conditionem Pacis Nuntios afferre; *undiq; vires contraxit ex Daniâ, Holsatiâ, & Germaniâ.* Hujus belli eventum suo tempore memorabo.

Dum hæc in *Germaniâ* geruntur, *Gustavus Suetia Rex*, genere, famâ, virtute insignis, cum *Classe Navium Septuaginta Cursum Livoniam versùs tenuit; appulsisq; Rigam navibus, atquè ibi expositis* x x *Millibus militum*, primo adventu Provinciam famâ nominis sui terruit; & Præsidijs *Sarmatarum Vrbibus* ejectis, brevi omni *Livoniâ* potitus est: Suis, ac Suorum auxilijs, *Danum* enixè juvit; effecitquè Industriâ & diligentiâ, *ne Sarmatæ res Germaniæ respicere possent.* Cæterùm, longè maximus, omnium ætatis suæ Regum, fati fælicitate, fuit: Majorque indoles in illo, & animi & corporis extitit, quàm in ullo Majorum suorum: Qui victis *Sarmatis*, ac multis Cladibus Præliorum, & Urbium expugnationibus, *attritâ potentiâ Cæsareâ*, adeò Terrarum Orbem gloriâ nomiois sui implevit, ut unus dignus Imperio crederetur. Nec intereà reliquæ Nationes silebant: Nequè Tonitrua divinæ Ultionis quiescebant.

In *Valle Telinâ*, Principio Veris, *Coverius Præfectus Gallicus* Copias ex Præsidijs educit, *ad Vrbem Ripam obsidendam* contendit, ac propè Muros Castra ponit. Urbi præerat *Popenhemius*, dux bello strenuus, cum Germanicis Cohortibus *à Cæsare in Italiam missus, Iberis auxilio*; & acres impetus *Gallorum* fortiter sustinebat. *Feria Dux, Præses Mediolanensis*, cum literis, Nuntijsquè cognovisset, *Ripam clausam multis Gallorum, Venetorum, Rhætorumquè Millibus*, Auxilia summisit ad Opem *Popenhemio* ferendam; crebrisquè inter se *Hispani & Galli* prælijs contenderunt; variâ fortunâ. *Coverius*, cum complures dies in Obsidione consumpsisset, & Bellum necessario longius duci intellexisset, Centuriones, Tribunosquè orat atquè obsecrat, ne discrimini suo, neu labori parcerent: qui nequè periculum, nequè laborem, pro gloriâ gentis, ac Salute Sociorum recusarunt. Sed *tracto in Autumnum bello, Galli, Rhæti, & Helvetij, Mutationem Cæli Soliq; haud tolerarunt:* nec infirmas legiones suas hostibus objicere ausi sunt. Quamobrem, *Iberi* conandum atquè tentanduo aliquid judicant, cum infirmas hostium Cohortes cernerent: & in *Munitiones Gallorum* circà *Circinum, & Traonam*, Præsidij causâ, relictas, noctè irrumpunt, ad opprimendos inopinantes; quorum aut animi, aut vires videbantur Impetum sustinere non posse. Hoc repentino Incursu multi erant oppressi; plures Munitionibus dejecti, *Morbegnum* se receperunt; qui Receptus salutem ipsis attulit. Hoc tumultu nuntiato, *Marchio Coverius Quatuor Cohortes Neustrica legionis, totidem ducis Condala, & Venetorum auxiliares Copias, cum Equitatu*, ad eundem occupandum locum præmittit. *Melsandrum*, impigrum Tribunum, *Iberorum Munitiones* occupare jubet, quæ paulò antè *Gallorum Præsidijs* tenebantur. Is, primâ luce, inopinantibus advenit, *atquè occupat arduum, ac difficilem Rupem, Castris hostium imminentem.* Galli planis atquè inferioribus locis *ad Vallum & Fossas perveniunt*, ac prælio lacessunt. Nequè *Meloander* ex loco Superiore procùl Missilibus lacessere intermittit. *Iberi polluuntur*, ac terga vertere coguntur. Ex his in Congressu *circiter Centum* x x *ceciderunt*, non sinè pernicie *Gallorum*. Reliqui, qui Cædibus superfuerant, sese in Montes proximos receperuut: & indè in *Insubrium Regionem* turpem fugam consciverê. *Galli* Munitiones occupant, fugâ hostium relictas. Ita æquatæ res, ad *Circinum & Traonam*; extractaquè *Ripa Obsidio*, donec Hyems necessariam bello quietem daret.

Omissâ nunc *Valle Telinâ, Qui Motus hoc Anno in Italiâ fuerunt*, tempus est referre. Nam *Novum Incendium* excitatum, totam penè *Italiam* afflixit. Operæpretium videtur, transgredi paululùm ad enarrandum hujus belli Causas, & Eventum. *Philbertus, Allobrogum Dux*, acer & vehemens, *Spe Francica Affinitatis, & Venetorum Societatis*, Copias præparat adversùs *Genuenses*, tutos sub *Philippi Regis* auxilio. *Francum* veteres Reip: Inimicitiæ, & recens dolor *Injuria, Marinio Legato sao facta*, incitant in perniciem Ligurum. *Veneti irati Genuensibus, quod Hispanum respicerent*, atque ejus gratiam sequerentur, & *Iberis, Italia inimicis*, Januam aperirent. *Liguribus* hoc tempore *nequè Exercitus* in Provinciâ validus erat; *Nequè Dux strenuus*, quem hostibus opponerent. Proinde *freti Amicitiâ Philippi*, Auxilium ejus implorant, impetrantque: Qui *Genuensi Reip: in tali discrimine se non defuturum pollicetur.* Mox militant pro *Genuensibus*, jussu ejus, in Italiâ, *Præses Insubrium Feria Dux, & Consalvus Cordubensis*; qui gloriam laudemquè *Germanicis* Expeditionibus meruerat. *Dux Etruria, & multi Reguli, Philippi*

partibus

1625.

partibus favent: sed desiderio indigentium, omnia lentius, *More Batica gentis*, parabantur, instruebanturquè. *Digierus, Magister Equitum, Decem Gallorum Millia in Italiam traduxit*; *prætereà magnum numerum Cataphractorum Equitum.* Adjectus ei, ætate fesso, *Crequius gener*, Magister militum: jussiquè simul consulere. Bellum hoc peropportunum visum est, *ad multitudinem rebellem exonerandam, Ducesq́; Protestantium ablegandos*; ut purgarent corpus Reip: jam diu ægrum, ne iterùm in graviorem Morbum recideret. Lætissimus *Allobrogibus, Venetisq́;*, Magistri Equitum adventus fuit. Qui certiores facti de adventu *Gallorum*, ac itinere, *Astam obviam iverunt*; Copias celeriter conjunxerunt; Castra *in finibus Ligurum* posuerunt: non Agros modò vastarunt, sed Urbibus etiam proximis terrorem intulerunt, maximè *Genua, Vrbi valida, ac opulenta. Guam* per Deditionem receperunt; nec *Novium*, nec aliæ Urbes, quæ *Partis Genuensium* erant, *Gallorum* impetum tulerunt. Duces inter se munera Belli ita partiti sunt, *ut Allobrox bellum adversùs Montanos gereret, cum decem Millibus Peditum, & parte Equitum; Magister Equitum, Ligurum Vrbes expugnaret.* Qui Castra circà *Gavium Vrbem* posuit. *Quingenti Neapolitani* frustrà eò pervenire festinantes, *à Gallis caduntur*; & Urbs per deditionem capitur; ad reliquarum, ac maximè *Genua* terrorem. Intereà, *Philbertus Allobrogum Dux*, vir acer & impiger, *Russilione Monte occupato, quem Trium Millium Præsidio Nicolaus Doria Ligur insederat*, ipsum Jugis dejectum, in Urbem fugere coegit; Militesque, consternatos non Cæde solùm, sed & etiam fugâ, cum alij super alios ruerent. Patris virtute incitatus Filius, *Subalpina Gallia Princeps*, incompositos ac dispersos *Ligures* Equestri procellâ sæpè fudit, fugavitquè: *Occidentalem Genua Oram*, Excursionibus, ac direptionibus infestam reddidit; & de Possessione Imperij *Genuenses* deijcere conatus est. Is præclarâ Indole, meruit (quæ non in Prælijs modò, sed & in Urbibus expugnandis enituit) ut honorificentissimam Affinitatem cum Galliarum Rege contraheret; & Sororem ejus Nuptijs sibi jungeret. Atquè ejus fama totam *Italiam*, & proximas Regiones pervasit; misitquè, *qui Lutetiam Victoriam, captasq́; Vrbes nuntiarent*; *plurima Signa, Vexillaque hostibus erepta, ad Regem Francorum ferrent. Ligures*, continuis Cladibus attriti, Miserias suas deplorant apud *Feria ducem*; efflagitantque, ut Opem ferret, priusquàm penitùs opprimerentur. Ille nequaquàm *Gallorum, Allobrogum, & Venetorum Copijs* par, Curâ tuendi *Genuenses*, Socios, *x x Millia Peditum, & Quatuor Equitum contraxit.* Re jam non ultrà recipiente moratoriam Cunctationem, *Montemferratum Agrum* petit; ubi *Aquensem Vrbem*, Salubritate aquarum celebrem, Præsidio *Gallorum* infestam, oppugnavit; & haud magno certamine recepit. Qua re cognitâ, *Digierus* Exercitum convenire jussit: & simul denuntiavit, ut intenti omnes, armatique, *Signum Profectionis* postero die expectarent. Ys editis Mandatis, corpora curare jussit. Luce insequenti, profectus est, *ut Feria Ducem* descendere in Aciem, ac dimicare cogeret. Qui instantis periculi certior factus, *Castra intrà Tanarum, Padumquè communijt*; Itinera omnia obsepsit; & Aditus Custodijs obsedit; ne quid à *magistro Equitum* timeri possit. Ille cum omnes aditus arduos, ac interclusos videret, ac nullâ ratione ad Prælium elici posse *Iberos* cerneret, *Castra ex eo loco, in Cisalpinam Galliam movit*, ut commodiore Annonâ, ac salubriore Aurâ uteretur; Nam *Gallorum* vires & Numerum æstus deminuerat.

Tum paucis diebus, magna rerum Commutatio facta. *Itali*, qui antè dubij fuerant, *ad Iberos se converterunt: & Vrbes Ligurum, pleraquè capta: dejectis Gallorum, & Allobrogum Præsidijs, defecêre. Aliæ fadius trucidatis Præsidiarijs, se in libertatem vindicarunt, ut Albenga, & Novium.* Genuenses Cæde nefandâ *Francorum* lætati sunt; & prædam Incolis concesserunt. *Feria Dux* factum nec improbavit; nec laudavit Proditionem. Magni concursus ad eum indies, magnæ gratulationes fiebant. *Galli Proditionibus Præsidiorum territi, Gavium, & Castellum, Commeatuum plenum, Pacto Salutis, dediderunt; non sinè Suspicione Perfidia, & Proditionis.* Nam *Governonius, Præfectus Gavij; filius ejus, qui Arci præerat; & Ioannes Gerardus*, Socius Criminis, arguuntur *Gavium perfidiosè hostibus prodidisse.* Filius, & *Gerardus*, Conscientiâ sceleris sibimetipsis Exilium consciscentes, Procellam temporis devitarunt. *Pater antè Vadimonium mortuus, Sepulchro effossus, exploratusquè si Mortem sibi consciverit*, accusatur; daturquè Procurator litis, Dignitatis, & famæ: qui à Reo Crimen in Milites transferebat, quod vim hostium sustinere nequiverint. Mox Testes producti, Jurati dixerunt, *Deditionis Pavorisquè initium à Præfecto ortum; non victum armis; non Inopia Commeatuum confectum; non Insidijs circumventum; sed Pecuniâ, Donisq́; corruptum, Claves Portarum tradidisse.* Absentes, & Exules Edictis adesse jubentur. *Iudices Præfectum defunctum Proditionis reum pronuntiarunt*; & Memoriam Mortui in perpetuum damnarunt. *Filius, & Gerardus*, absentes metu Judicij, condemnati sunt; subtractis corporibus, *in Effigie, More Patrio, luerunt*: statueruntquè, Damnatorum bona *Fisco* vindicanda: & requirendos Contumaces Reos esse per Præsides Provinciarum; ut debita Maleficij pæna irrogetur, & Exemplum ad memoriam Posteritatis statuatur. Quia hoc tempore Exemplo opus fuit, ad acuendam Audaciam, & coercendam Perfidiam ducum: qui reliquarum ferè Urbium Præsidio discessêre, ne fraude *Italorum* opprimerentur; *quemadmodùm Albinga, & Novij Præsidia circumventa, & nefariâ Crudelitate trucidata sunt.* Cæteris cunctantibus, ac Deditionem differentibus, *Feria Dux* Incendium, ruinam, Excidium ferociter minitatus est, *nisi Claves Portarum traderent: & Arcium Custodiam in Monferratiensi Agro desererent.* Metu plures imperata fecerunt. Hoc Successu elatus, *Cisalpinam Galliam* in potestatem suam redigerë intendit, *Vindictam Allobrogis* quærens; & se, ad *Astam Vrbem* oppugnandam paravit, quam *Subalpina Gallia Princeps, & Crequius*, Magister rei militaris, præoccupantes, acerrimè defenderunt. Nec tot defectiones

1615. defectiones Urbium, nec Clades Præsidiorum terruerunt; sed adversùs instructos *Iberorum* Equites processerunt; & discedere, irrito incæpto, ac ab *Astâ* movere Castra, desperatâ Oppugnatione, coegerunt. *Feria Dux* exclusus *Astâ*, Consilio destitit: insequentes Gallos *Crequius* revocavit. Hoc tempore, *Digierus* summâ Senectute, ac labore militiæ defatigatus, *Astâ Vrbe* exivit; ut valetudini daret operam, ac saluti consuleret, Aeris salubritate, in suâ Imbicillitate, affectâquè jam ætate. Quippè perditâ valetudine, magis conficere Se, quàm Urbem tueri poterat.

Feria Dux, Ignominiâ & dolore irriti Conatus permotus, ac veritus ne hostibus cresceret animus, *Verrucam Vrbem*, in præaltâ Rupe sitam, *Pado* imminente, tentare instituit; & vim omnem belli in eam vertere. *Crequius*, cognito *Iberorum* consilio, ut Urbi Præsidioquè opem ferret, cum omnibus Copijs profectus est: eò *Allobrogum Dux*, ad partem periculi capessendam, cum delectis Peditum Equitumquè advolat: & Copijs, per novum dilectum comparatis, filium præfecit. Eodemquè tempore, *Præfectus Venetorum venit: contràq; Castra Batica, cis Padum fluvium, Galli, Allobroges, Venetiquè in patentibus campis consederunt.* Mox traductâ parte Exercitus, & *Ponte strato*, Vallem Arci subjectam, & propinquos Colles occupavêre: Castellaquè ibi muniverunt, ut Conatus *Hispanorum*, in Urbe expugnandâ, impedirent; quia videbantur eam Urbem maximè oppugnaturi. Intereâ, *Apolecti ab Vrbe in Castra Francorum venerunt, nuntiantes, se vim hostium sustinere non posse, nisi auxilium* mittatur. *Marchio S. Rerani cum Mille delectis Peditibus, inter bina Castra, Verrucam intravit:* Ibiquè circumsessus, crebris Eruptionibus hostem vexavit. *Galli, Hispaniquè* de gloriâ, de Imperio Quotidiè levibus prælijs certarunt. Urbs defendebatur acrius à Gallis, Socijsquè, quàm obsidebatur ab *Hispanis*. Demùm ut ea Obsidio tardior expectatione apparuit, *Feria Dux* potiundæ Urbis spem abjecit; multis amissis in Oppugnatione Ordinum ductoribus; deminutoquè Veterum militum numero, re infectâ indè discessit, & *Montemferraeum* Exercitum abduxit. Ita retenta *Verruca*, nequè Muris, nequè Viris valida, *Gallorum*, Sociorumquè animos erexit; defectionesquè aliarum Urbium cohibuit. Variè hominum animi, pro cujuslibet Amore, aut Odio, affecti sunt. *Belga, Astam primo impetu oppressam; Verrucam haud magno certamine receptam*, temerè prodiderunt: *& tumultuarium Gallorum Exercitum, Batico Exercitui imparem. Galli, Sociquè*, Captivitates Urbium, Clades *Ligurum*, Peritiam Militum, fortia facta Ducum, *& se Victores, Iberos victos* prædicarunt. *Verruca* oppugnata, ac petita in Servitutem *Subalpina Gallia, Philippum & Ludovicum* hostes; cunctaquè invicem hostilia fecerunt. Cum anteà dimicarent, de honore, gloriâ, Potentiâ; Alternis Edictis diremptum inter Gallos & Iberos rerum necessariarum Commercium: & Bellum occultum Opinione hominum, inflammatum, Fati fælicitate, insequenti Anno restinctum est.

In hoc *totius Europa* Motu, *Pannonia Superior* quievit. *Bethlemus Dacus*, famâ rerum gestarum celebris, molitur *Affinitatem Brandeburgici Vij viri, & Sororem ejus ducere cupit.* Ad eam rem confirmandam, Tempusquè Nuptijs statuendum, mittit Legatos: accersitquè *Virginem*, datâ ultrò citroquè fide Conjugali. *Nuptia* magnâ Procerum frequentiâ, *Cassovij celebrantur.* Inter alias gratulationes Principum, & Vij virorum, insignes erant *Legationes Cæsaris, & Bisantini Imperatoris, Hispania, & Sarmatia Regum:* quæ ad cohonestandum Matrimonium, Officij causâ, convenerant. Ad hoc concurrerat Spectaculum Multitudo omnis generis, *ex utrâq; Pannoniâ.* His Nuptijs haud paruum tuendis *Saxonia Regulis* momentum adjectum, pleriquè temerè crediderunt. Sed *ea Nuptia, & inita cum Brandeburgico Affinitas, paruum commodum Societati Regulorum attulerunt*; aut senescente *Bethlemi* potentiâ, qui Commoda Pacis Amicorum Commodis, ac rationibus prætulit; aut recenti Amore, fortitudine animi & corporis deminutâ, Cupiditati servivit, & Bello abstinuit.

Hoc Anno, Nobilissimus *Oxonia Comes*, in ætatis robore, apud *Batavos* extinctus est, nullâ Prole superstite. ejus Patrimonium amplissimum, sumptibus immodicis à Patre exhaustum, haud amplum, *ad proximum Agnatum ex virili stirpe* pervenit. Hic, ob eximiam virtutem, & Magnitudinem animi, non solùm apud *Britannos* in honore & gratiâ erat, sed pro Jure dignitatis, ac veteris Potentiæ, apud hostes etiam laude celebratus est: quam in *Breda Obsidione* meruit. Defunctum Populares, quibus longè erat charissimus, laudibus ad Cælum extulerunt; & Interitum amplissimæ familiæ, ad Inopiam dilapsæ, Paternâ profusione, acerbissimè defleverunt. Lætissimis autem animis acceperunt, *Præpositeuram Regia Camera, amplissimum Magistratum, Oxoniensis familia hereditarium, Villoubao, veteris potentia Baroni, Comitiali Auctoritate demandatam*; ob sanguinis Propinquitatem. Nam *Maria ejus Mater, ex Oxoniensi familiâ erat: & Ipse proximus Masculus ex fæminâ descendens.* Mentio quoquè contracti honorifici *Matrimonij, cum Dianâ Ceciliâ, Excestria Comitis filiâ*, facta est. Quæ *Secundis Nuptijs* non tantum decus addiderat, quantum Memoriæ Mariti, splendidissimis Natalibus orti, debitum erat. *Delatum in Britanniam cadaver*, exquisito apparatu funeris, *in Marmoreo Monumento Majorum.*

Meritò Claris viris annumerare possum *Ricardum Fishburnum, Mercatorem Serica Societatis.* Qui *Venantoduni* natus, Urbem Natalem *Annuo Censu Centum librarum ditavit.* Largâ rei pecuniariæ *in Pauperes* erogatione, & Beneficiorum Ecclesiasticorum emptione, *Ministros Ecclesia idoneos* auxit, & Proventibus locupletavit. Cujus Pietati summa tribuenda laus est. Sed ista viri optimi Pietas, & aliorum Sanctissimorum hominum ergà Numen, & Sacrosanctam Ecclesiam, Calumniâ posteà non caruit.

Nec

Nec prætereire queo *Thomam Valum*, *ejuſdem Societatis Civem*. Qui Agros in *Cantabrigienſi* Provinciâ emptos, *Coventria Magiſtratibus* legaverat, *ad Didaſculi, & Hypodidaſculi alimenta, ac ſublevandam Pauperum per Civitatem Inopiam*. Fructus autem harum Donationem hi ſecuti ſunt, *ut viri Pij, & Docti, Beneficijs honorarentur*; qui Pietate, Charitate, Doctrinâ, & Vitæ exemplo gregi prælucerent. *Rex* Juſtitiam colens, & Pietatem, *Præſules* piè monuit, ut viros Virtute ac Eruditione præſtantes ſibi commendarent, quos *ad honores Præmiaq́; Eccleſiaſtica* promoveret; ut *Boni* alacres ad Sacras Diſciplinas animum intenderent; & *Ignavi* viam ad Sacerdotia interclusam intelligerent. 1625.

IN *Comitijs*, hujus Anni initio, *Plebejus Ordo* nullo modo contineri poterat, quo minùs Iram, ac Indignationem adversùs *Bucingamium* exprometeret: qui Odium publicum ſuâ Temeritate vehementer auxerat; vim, Arrogantiamquè inrenderat: ſubactis jam Procerum Cervicibus, *ut nemo adversùs eum in Superiore Conſeſſu hiſcere auderet*; quaſi de Reip: malis non liceret liberè dicere. *In Inferiore, Turnerius quidam, Medicus*, homo ingenio, animoquè liber, Silentium rumpere auſus eſt; & conqueri propalàm, Homine nominatim compellato, *exhauſtum Ærarium*; *Privatorum fortunas direptas: Rem Navalem malè administratam: Portoria, ac Vectigalia in privatos uſus verſa: gloriam gentis vetuſtam labefactatam: Impunitam omnium rerum licentiam: honores, Munia publica, Sacra, Profanaquè, omnia venalia. Hortatus eſt, ut Cauſam præſentium, ac imminentium Malorum exquirerent, ac ſalutare Remedium, in publico gentis Concilio, adhiberent*. Primò ſtupor Audientes defixit, & Silentium indè aliquandiu tenuit. Mox nonnulli ejus Audaciam ſequuntur. Ex alterâ parte, Amici, Clientes, ac Neceſſarij *Bucingamij*, Acerbitate Querelæ commoti, turbulentos Impetij Obtrectatores increpant; & Vindictam aliquam expoſcunt. Ille nec à Sententiâ ſuâ diſceſſit; nec Minis Amicorum *Bucingamij* deterritus eſt: qui pro eximiâ Liberalitate, maximiſquè Beneficijs, honorem Dignitatemquè Patroni, pro virili parte tutati ſunt. *Plures Sententiam Turnerij ſecuti ſunt*. Res ad diſquiſitionem venit. Quidam Malevolentiâ, aut Livore præoccupati, congeſtis Probris inſultant, *Phaetontem Orbis Britannici appellant*; & Contumelijs lacerant. Dicuntur etiam à Nonullis ſententiæ graves, Dicta factaquè ejus arguentes. *Ioannes Eliotus, Equeſtris gradus, Ducis intolerandam Arrogantiam, Inſolentiam, Dominatumq́; exagitavit, ac honores nimios: ut Prænomen Ducis; Senatoriam dignitatem; Periſcelidis Ornamenta; Curam Equorum; Præfecturam Maris; Curam ac Imperium Exercituum; inſuper Saltuum, & Sylvarum cis Trentam; Magiſtratus ampliſſimos; Agros uberrimos, Præmiaq́; rei pecuniaria immenſa. Omnium Miſeriarum cauſam in eum, ut Authorem, retulit; qui ſemper in Reip: Calamitatibus Sceleris ſui faces inſlammaret: & Quæſtionem de Maleficijs, ob facinorum magnitudinem, habendam decrevit*. Hanc ſententiam plures ſecuti ſunt. & in his *Clemens Cokus, Eduardi filius*, qui Paternæ ferociæ, ac Pertinaciæ hæres, Seditioſè in Comitijs locutus arguitur, abſoluiturquè; non ſinè repræhenſione Accuſantium. Ut quiſquè acerbiſſimè ſententiam dixit, ita maximè ab Inimicis *Bucingamij* laudatur. Iſti, ob immodicam linguæ libertatem, & reliqui ejuſdem furoris Socij, Regi inviſi fuerunt. Pleriquè qui in Rep:, Judicijſquè plurimum poterant, à *Plebeij Ordinis* Injurijs, & famoſis Convitijs eum defenderunt; ut gratiam tàm potentis viri conciliarent. Qui cum à Multis defenderetur, arguereturvè, Cauſa magnorum Certaminum fuit: Jactitantia, atquè Oſtentatio ſui nunquàm deerant. Undè ab Amicis incitatus, *in Cœtu Procerum*, Iniquitatem Inimicorum commemorat: *circumventum, & depravatum Plebeium Ordinem, Invidiâ atq́; fraude quorundam, perniciem ſuam machinantium; quorum ipſe Honori, ac Dignitati ſemper faverit. Se Imperata facere, & honoris ac vitæ jacturam pati Reip: causâ paratum; cui ſemper ſtuduerit, ſi aliquâ ratione prodeſſe potuiſſet*. Dein, *Merita ſua in Hiſpaniâ in Regem, Regnumq́; percenſet; exponitq́; ſuos pro Rep: labores, non ſinè Tædio Audientium. Quia etſi vera eſſent, quæ dicebantur, tamen nihil ad levandam Culpam pertinere videbantur. Errorem, Imperitiamq́; in rebus gerendis faſſus, culpam abnuit: & pollicetur intentiorem fore Oræ Maritimæ, littorumq́; curam; ſi Iracundiam, & Indignationem Ordines dimitterent, nequè Immerenti iraſcerentur*. Deniquè Queritur, *Beneficia ſibi à Rege conceſſa, petulantibus Maledictis exprobrari; & belli Navalis fortuitos Caſus Culpæ ductoris aſsignari; ac in ſuam Contumeliam rapi*. Exeunte *Martio*, Rex, vocatâ Concione, Proceribus gratias egit, pro Fide, Verecundiâ, Obſequio: & *Plebejum Ordinem increpuit, immodicæ Libertatis Authorem, Modeſtiæ neſcium, à Verecundiâ Majorum degenerem. Demonſtravitquè, hoc Sæculum Inaniora parere ingenia; ac nonnullorum tumidiorem Sermonem eſſe. Velle ſe Bucingamium Civibus purgatum; orat, obteſtaturquè, ne ea quæ Salutis publicæ causâ egerit, in ejus Præjuditium detorqueant: Neu cum illi nocere avidè cupiant, Reip: noceant*. Addidit inſuper, *ſi Ordini, & Curiæ Verecundia Majorum conſtaret, non eſſe eorum æſtimare, quem ſuprà cæteros Dignitate, aut quibus de Cauſis Princeps extollat; qui tacito ſuo Arbitrio Munia publica diſtribuit*. Diſſeruitquè, *Nulli magis convenire, Salutem Incolumitatemq́; Regni conſervare, quàm ipſi: Nec alium ſufficere Oneri, quàm Bucingamium, Iuditio Optimi Patris approbatum; illumquè ſemper Publica negotia Privatis Commodis potiora habuiſſe; neq́; tot Muneribus, tantis honoribus auctо, Plebeium Ordinem fruſtrà invidere. Inſtit, ut ſuperſederent ulterius Invidioſè inſectari, improbis, petulantibuſq́; Maledictis, aut fictis Criminationibus; ſi Indoles Majorum ſoboli ineſſet, aut Officium Curiæ conſtaret*. Poſtremò adjecit pauca verba, cum Iracundiâ conjuncta, *Malle ſe hoſtium diſcrimini objici, atquè omnia permiſceri, quàm Principalem Authoritatem à Subditis palàm labefactari*. 1626.

Pembrochiæ Comes, moderati animi vir, Aſperitatem Orationis Regiæ Interpretatione lenivit;

verbaquè

1626. verbaquè velut gravius atquè Rex sensisset accepta censuit: & ostendit, *Paucorum Contumacium Culpam esse, non universi Ordinis*: obsecravitquè, ut Temeritatis veniam eis daret. Multi in eandem sententiam locuti, obtinuerunt. Quia *Rex* omnia patienda esse duxit, quoad Spes ulla Concordiæ Ordinum relinqueretur: atquè omnem Memoriam discordiarum Oblivione sempiternâ delendam censuit. Ac ne sic quidem prævaluit, obstinato adhuc *Plebeio Ordine*; & immoderatius perseverante, *ut Bucingamius Administratione Reip: summoveretur.*

Actum deindè in *Comitijs*, ut publicis Necessitatibus consulerent, *in Stipendium Militum, Nautarumquè*, quoad sinè jacturâ singulorum fieri posset. Nec deerant Turbulenti, qui dicerent, *Intolerabilia Tributa à Civibus exigi*: cum Census ac Tributa Civitatum æqualiter tolerarentur; Nec *Rex* ullum Extraordinarium Subsidium appeteret. Itaquè re diu agitatâ, & *Nobilitate* interveniente, *Tria Subsidia, totidemq; Quindenas Consensu decreverunt: sed in Acta referre noluerunt*: ne liberè Potestas decernendi in alijs rebus eriperetur. *Rex Tribus Subsidijs, quæ offerebantur, non contentus*, postulavit, *ut in Sumptus Belli largius, pro modo facultatum, conferrent.* De hac re *posteà consulendum*, responderunt, *cum gravior Inopia urgeret, quàm quæ Privatis opibus sublevari posset.* Undè exortæ rursùs *Novæ difficultates: & Plebejus Ordo acrius exarsit, ad Libertatem conservandam, & Bucingamij Potentiam extinguendam.*

Actum quoquè *de Fundis, Saltuensibus, & Cervitrophis, ut abundanti jam Multitudine, Alimenta egenis suppeditarent; Coronæ reditus augerent; Inopiæ publicæ, turbidis his temporibus, subvenirent; ac Tributa Plebis imminuerent; De Maritimis Latrocinijs; Littorum, & Portuum neglectâ Custodiâ; Præfecti Maris incuriâ; illicitis Fori Exactionibus; Immodico sumptu in veste, Cultuquè; Sellis inauratis, & Carpentis; luxuq; Muliebri in poliendo, pingendo, comendoquè, severissimis legibus coercendo.* Consilia, ac Motiones tantæ rei non prævaluerunt, ad corrigenda adulta ac prævalida Vitia, quæ *Muliebri Lasciviâ*, licentiâquè temporis alebantur.

Nec expers criminum Clerus erat. Nam *Balam Bangorensis Episcopus, Simoniæ, Perjurij, Adulterij, in Plebis Consessu suspiciosè arguitur; & de Vitâ, ac Moribus ejus quæritur*; Privatis acerbissime accusantibus, ut Causâ examinatâ *Populari Trutinâ*, Procerum Ordini pronuntiandæ Sententiæ Jus esset. è diversâ parte, *Proceres Regni*, & Ecclesiæ Paci, Ordinumquè Concordiæ consulentes, *Causam apud se dicere, More Majorum, jusserunt; ne Præsulum Ordo Iacturam dignitatis atquè honoris*, inusitato Exemplo, pateretur. Ubi *Præsul* de Acerbitate inimicorum conquestus, postulat, *ut Innocentiæ suæ rationem haberent; ex Personis hominum dicta pensarent; Maleficentissimorum Calumnias, in Criminandis Episcopis, & Clericis, vindicarent.* Cujus vocibus, & Authoritate *Præsulum*, deterrentur Accusatores: *Plebejo Ordini decernendi potestas eripitur; & ad Superioris Ordinis Consilium, Authoritatemq; revocatur.* Iste Præsul edidit librum *de Praxi Pietatis.* Cujus Argumentum Suspicionem objectorum Scelerum refellere potuit, *nisi aliena potiùs Industriæ debuisset, quàm Suæ. [Q]uam Minister Ecclesiæ pius, ac doctus, Author Libri fuisse credebatur*; Cujus Uxor non dubitavit idipsum in Comitijs asserere, ut Vanitatem *ficti Authoris* redargueret; qui suppressâ mentione Mariti, gloriam Ingenij quæsiverat.

Ricardus Montacutus quoquè, meliore Literatura quàm famâ, frequenti *Inferioris Ordinis Consessu*, accusantibus Ministris, *arguitur à nostris Sacris descivisse; cum Papanis, & Erminianis sensisse; Pacem, Concordiamq; Regni turbasse.* Statim hæc res ad Apolectos refertur: qui fortiter, & audacter Sententias in suo Cætu dixerunt, & Scripta, recitantes Errores, proposuerunt; & ad Ordinis sui Censuram, Auctoritatemquè retulerunt. Iste *in Præfatione Ecclesiasticarum Exercitationum, adversùs Baronium Purpuratum*, non dubitavit profiteri, suam Adiaphoriam; *& malle se Charitatem inter Partes, quàm Bellum internecinum, ac Odia immortalia.* Pro quâ Libertate, *jacturam Ecclesiastici beneficij facturus videbatur*, nisi exortæ Tempestates *Comitia* disturbassent. Ob eam ipsam Audaciam, peractis *Comitijs*, promotus ad ampliorem gradum Ecclesiasticæ Dignitatis, *Episcopus est factus*, collaudatusquè amplissimis verbis.

Jam etsi nulli erat dubium, quin atrocia Crimina adversùs *Bucingamium* in *Comitijs* instruerentur; tamen imminentem procellam contemnens, patienda omnia duxit, quoad Spes aliqua superesset, Jure disceptandi, *ne esset dissolvendorum Comitiorum causa.* Multi præferocis ingenij homines, detrudi posse sperantes, & Superbiam violentiamquè ejus detestantes, sustulêre animos, *exaggeraruntq; Potentiam, Gratiam, Dominatumq; in Curiâ, in Senatu, in Foro, in Iudicijs: Injuriam in usurpandis amplissimis Reip: Muneribus; Spe Præmiorum, atq; honorum Clarissimis Proceribus ademptâ: Singulaq; recensent; Curam Oræ Maritimæ, Custodiam Quinq; Portuum; Saltuum, Sylvarumq; cis Trentam Procurationem; Præfecturam munitissimarum Arcium, Dorobernia, & Vinsora; varia, ac extraordinaria Imperia domi Militiaquè; arguuntquè, Præfecturam Maris à Notingamiæ Comite trium Mille librarum pretio, & Annuâ Pensione Mille Librarum ex Ærario mercatum esse; non Meritis honorem istum consecutum, idq; contrà Leges ac Instituta Majorum fecisse: in Curâ Oræ Maritimæ remissionem negligentioremquè fuisse, quàm conveniret Præfecto Maris; agrèq; retentos in Officio Nautas, sociosq; Navales: Francum, Fœdere, & Affinitate junctum, Injuriâ raptorum Bonorum excitasse; Imperium freti Britannici Clientibus dedisse: Senatoria, ac forensia Officia, & Procurationes amplissimas pretio, aut gratiâ petentibus donasse, quæ acrem Curam Diligentiamq; desiderarent, & Præmium potiùs, quàm Pretium pro Operâ: Avaritiam in exigendis pecunijs: Reumq; esse expilatæ pecuniæ, Peculatus, Perfidiæ, Infidelitatis; nullumquè vitium tetrius Avaritiâ in Remp: gubernantibus: Decem Mille libras, terrore potentiæ, ac obtentu Iuris, ab Indicâ Societate extorsisse; quæ sese expoliare maluit, quàm ei pecuniam non sub-*

non subministrare: Eadem licentiâ omnium locupletum Bona, Spe & immensâ Cupiditate, devorasse. Caterùm, 1626. *auctionatum esse non solùm in rendendis honoribus, sed etiam in amplissimis Reip: muneribus distribuendis, Præfectisquè constituendis. Robertsio cuidam locupleti, qui fœnus apud Danmonios exercuit, invito & recusanti, pro impetratâ Baronis Dignitate, decem Mille libras vi expressisse. Paucis pro peculiari Merito gratis indulsisse. à Mandevilla Vicecomite* x x *Millia librarum, pro Quæstura Munere exegisse: à Leonello Craufeldio, Publicano Vectigalium, Trinobantum posteà Comite, sex Millia pro Pupillorum Custodiâ: Fiscum, Tributa, Vectigalia, Portoria in privatos usus convertisse: immensa ab Iacobo Beneficia impetrasse: Fundos, Domos, Villas: cuncta pro libidine in Rep: gessisse: Maleficentissimos incolumes præstitisse: Britanniam dedecorasse: Hispaniam, Contumeliâ irritasse: Franciam, direptione Navis à S. Petro cognominata, alienasse: Orbem Terrarum Vi & Ambitu turbasse: semper privata Commoda publicis utilitatibus habuisse potiora: Præsentium, imminentiumquè Malorum omnium stirpem ac Semen esse.*

Plures jam Malevoli, quàm grati in hoc Consessu fuerunt. *Bucingamius* haud ignarus, quanta Invidiæ Tempestas immineret, cum Oculis discrimen ipsum videret; habuit *ad Regis gratiam atquè Benevolentiam* receptum, ut superioribus temporibus facere consueverat: eiquè Malitiam, Sæviriam, ac Iniquitatem Inimicorum exposuit, à quibus *Plebeium Ordinem* seductum & depravatum questus est: *& præcipuam Calumniandi materiam, Mortem Optimi Patris, fato functi:* cum scirent inultam sibi Calumniam futuram; cuperentquè nefariè Regni primordia sanguine suo consecrare; aut æternam Ignominiam immerenti inurere. *Rex* suprà modum irritatus *Asperitate Plebeij Ordinis*, ad sententiam usquè perseverantis, liberè decernendi Potestatem *Proceribus* permittere decrevit: quorum *plerique Amici, Affines, aut Necessarij Bucingamij fuerunt.* Nec justus Metus suberat, *Proceres Plebejo Ordini se comites daturos.* Tanto, taliquè Juditio exagitatus, Authoritatem *Plebeij Ordinis* non exhorruit; *sed instituit eum Ordinem coercere.* Igitur, quoniàm Criminibus *expilata Pecunia, Peculatus, direpti Ærarij tanquàm ab aliquo nefario Prædone, Ambitus, Prædæ, Spoliorum, Venditionumq; Munerum* deterritus non est; *universus Ordo* nimis infensè atrociterquè insectatur: ut excitetur Odij atquè Invidiæ Offensio, eum tanquàm Reum accusant, & arguunt. *Medendæ defuncti Regis valetudini, Emplastrum noxium adhibuisse: Potionem miscuisse: Medicis Regis, quorum interérat, quæ in curando adhibuerat, nosse, non aperuisse, ut Emplastrum ipsum Oculis viderent, & Potionem prægustarent: Iudicantquè, non debuisse imperitum Iuvenem affectare Artem, in usu & Experimentis positam; in quâ intelligeret, Imperitiam suam alijs nocituram.* Hæc Criminatio Calumniæ, quàm veritati propior fuit. & ego in hujus rei Narratione invitus versor: mirorquè, fuisse qui dicerent *Regem Veneno necatum:* cum Fato obierit, *nec Mors prætulerit ulla Veneni signa.* Medici, qui Curationi præerant, producti, interrogatiquè, *Remedia salutaria fuisse responderant.* Unus ancipitem Curam cogitandi Audientium Judicio reliquit; ut suo dicam loco.

Res atrox, & invidiosa. Varijs rumoribus in Civitate jactata est. Cum Alij, propter incredibilem Magnitudinem sceleris, *Improbitatem temerè Accusantium arguerent*; & quæ objicerentur, falsa ac ficta prædicarent. Alij, livore ac Odio incitati, *Veneno interemptum Regem* temerè suspicarentur. *Butlerus* quidam, Natione *Hibernus*, sordidæ Originis, maleficæ vitæ, per Obtrectatores *Bucingamij*, *Minister Veneni insimulatur*, rumoribus improbissimis dissipatis. Hunc maleficum, ob facinorum magnitudinem, Vulgus putavit; & *Magicis Artibus* vitam Insontium labefactare non dubitavit. *Ordo* Maleficiorum labe pollutum comprehendi jussit, & illum ad se pertrahi. Ille, metu perculsus, fugâ se *Ordinis Iudicio* subtraxit: statimquè ex Urbe *in Belgium profugit*; donec Rumores exolescerent. Ubi in Carcerem conjectus, periculum vitæ adijt. Nec multò post liberatus, *triumphanti similis in Britanniam rediit, se Ormundiæ Comitis filium falsò ferens: & ita se extulit, ut Virginem Illustri stirpe ortam ambiret, ac Nuptias ejus penè conciliaret*; nisi divinæ vires erubescendæ Impudentiæ obstitissent, ne Illustris sanguis sordidâ Contagione inquinaretur. Sed dum *Præstigijs* ad summum Audaciæ fastigium nititur, Inopiâ consenuit. His de causis, aguntur omnia turbidè *in Plebeio Consessu*; & dicuntur à nonnullis Sententiæ, quibus plures assensêre, *ut Apolecti ad Proceres mittantur, qui objecta Crimina eis proponant.* Decernuntur Primores Equitum *Dudlem Digius*; *Ioannes Eliotus*; *Seldenus, legum, & Antiquitatis peritus*; *Ventuorthus, Leguleius*: Qui ad accusationem conficiendam spatium postulant, impetrantquè. Interim Primores Civium, *Proceres* orant atque obsecrant, *ut Causæ Cognitionem suscipiant, atquè integris animis dijudicent.* Quod ægrè ab ijs impetratum est; dubitantibus, *utrùm prætermitti, an exquiri debeant temerè vulgata, & Levitate, aut Malitiâ excogitata, adversùs summum Magistratum, gratiâ & Authoritate suffultum, singularem Principalium Onerum Adjutorem in omnibus.*

Mox alia Querela in *Superiore Consessu* secuta est; Namquè *Bristoliæ Comitis uxor* Proceribus Supplicem libellum obtulit, eorum Opem in asserendâ Dignitate Mariti implorans: exposuitquè ferocius, *quâ fiducia Conjugalis Innocentiæ, quantaq; Inimicorum Crudelitas*; non sinè apertâ Insectatione *Bucingamij*, per lacrymas, & preces inexorabilis. *Cujus Criminationibus coaluissent Pericula Conjugis, ejusdem Societatis, & Ordinis, in legatione Baticâ.* Contenditquè magnoperè, *ne Sonti parceretur; Innocenti consuleretur.* Uxorem pro Marito pertinaciter deprecantem repudiare, Verecundia non sivit; cum *Bucingamius* nec Iræ, nec Ultionis modum teneret. Itaquè evocant ad se Proceres *Bristoliæ Comitem*, aliam Accusationem instituentem adversùs eum, ad Injuriam suam vindicandam; quam ille impedire non destitit. Is apud eos professus est, *se Bucingamium reum deferre: & Accusationis Capita in Scriptis proposuit, ut in Comitijs recitarentur.* Rex aliquamdiu restitit, *ne qua fieret Accusatio;*

cum

1626. cum Accusator suum dolorem immoderatius persequeretur, ac anteà *Ducem* calumniatus esset. Verùm, ut comperit ad cognoscendum paratos *Proceres*, spontè cessit; *ne Ius Comitiorum infringere videretur.* Delata ad tempus *Plebei Ordinis* Querela. *Bristolensis Comitis Causa* civiliter agitari cœpta; *ad Bucingamij Criminationem* similiter dilapsa est. Utramque Causam *Proceres* integris animis dijudicandam susceperunt; *Comitemq;* monuerunt, *ut cuncta proferret, quibus Innocentia sua probari posset: aut si qua fuisset Ducis Iniquitas in Hispaniâ, coargueret, inania omitteret: cum sciat, Calumniam Præpotentis Ministri inultam non futuram. Comes,* Spectâ *Bucingamij* potentiâ, *studium Romanæ Religionis; Receptum à Pontifice Maximo Nuntium; Palatinatum ejus Operâ, Dolovè malo amissam; multa in Hispaniâ ambitiosè, nefariéq; gesta, adversùs Majestatem Principis, & adversùs Securitatem Instauratæ Religionis: adjecitque, Crimen, ad exemplum insequentium ætatum, vindicandum, quod antè commiserat, quàm in Legationem venerat; Nempè, Consilium cum Gundimario Batico Legato initum, ut Cambriæ Princeps in Hispaniam proficisceretur; ibiq; Romano Cultu imbueretur, in publicam perniciem: nisi Pietas, Constantiaq; Regis avertissent periculum, & gladios à Iugulis Civium depulissent.* Alia multa adversùs eum cumulavit, quæ piget referre: oravitquè, *ut publica hâc Peste sublatâ, certam salutis Spem Bonis omnibus ostenderent.*

Contumacia Comitis, impotentius loquentis, *Indignationem Regis* accendebat, cui *Majestatis reum agere* placuit, & ad disquisitionem Procerum vocare. *Procurator Regius* ad causam actitandam vehementer incubuit. Verùm, impetu Offensionis Regiæ languescente, Actionem deposuit, donec Ambo, Decreto Procerum, censerentur. *Bucingamius*, salutis suæ certus, *Bristolij Criminationibus, aut Plebeij Ordinis Querelis deterritus non est.* Exin Sex dierum spatium Criminibus diluendis statuitur: quæ enixè diluens, veluti fiduciâ Innocentiæ suæ, in Accusatorem transtulit: Operaquè Procerum, in asserendâ Dignitate concurrentium, compescuit.

Sed recidit ruesùs in Discrimen aliud *Inferioris Ordinis.* Apolecti, viri Primores, *gravissimos Ordinis sui questus, pro Rep:, ad Proceres deferunt, paratos obstinatosq; ad resistendum*; nisi labantes sustinuisset *Arundelij Comitis* Authoritas, admonentis *quanta à Plebe instaret Invidia, si Postulata aspernarentur.* & hortantis, *ne propter unius gratiam, Plebeij Ordinis preces negligerent.* Ob eam causam evocant ad Colloquium Apolectos, ut quæ vellent exponere, possent. Postero die, introducti in Curiam, petierunt Audientiam: quâ impetratâ, *Digius* prodijt, & impotentissimæ dominationis Scelera, *in Cœtu Procerum*, generaliter exposuit: *Neglectam Oram Maritimam, & rei Navalis curam, ad perniciem Navigantium. Iniquitate, & Injuriâ ejus, diremptum Commercium: Multa fœda, & indigna à Turcis, Afrisquè crudeliter edita; raptos ex Complexu parentum Impuberes; promiscuè Viros Mulieresq; asportatos, Misericordiam implorantes, quorum lamentabiles Ploratus trepidæ Vicinorum aures receperunt: ista omnia accidisse Incuriâ, aut Injuriâ Præfecti Maris. In Pace tranquillâ Bellum Baticum excitatum: Superioreq; Anno, Navalem Expeditionem susceptam infaustam, ac infructuosam: arctiorem Amicitiam, & Affinitatem cum Gallo, ejus maximè operâ, inchoatam, Direptione Bonorum violatam, cum nullam Causam belli haberet: Decretum factum, ut Francis omnes res suæ redderentur, non Iussu Regis interveniente; non Maritimi Iudicis Decreto restitutionem factam. Bona contrà Ius fasq; detenta, Fidem Socialem ubiq; prostratam, & Terrorem Direptionis vicinis injectum; quos sibi hostes ad arbitrium desumpserat. Omnia simul Divina atq; Humana Iura, Licentiâ atq; Improbitate ejus violata: Plebemq; superbè & crudeliter habitam: Mercatores vi, & fraude, oppressos: Classiarios Mercede fraudatos: prodigiosam Potentiam, detestandam Arrogantiam, immensam Cupiditatem, ne Ærarij quidem spoliatione abstinuisse. Vetera, & desuesa Vectigalia revocasse: Nova, & inusitata excogitasse: Munia publica, apud Majores Præmia excellentis virtutis, usurpasse, aut propalàm Pretio Immerentibus vendicasse: honores venales habuisse: Discrimen Ordinum pecuniâ sustulisse: Vnum invitum Baronis Dignitatem emere coegisse: Fratres quoquè, & Affines inopes honoribus, ac Opibus cumulasse, ingenti Onere Regni: Bonis, ac fidelibus Subditis atroces atq; indignas Injurias intulisse. Nondùm tantarum Injuriarum Pœnitentiam factam, aut Satietatem captam: nisi perditas res Miserorum Civium respicerent, vi aut dolo oppressos sublevarent, & funestis Conatibus evertendæ Reip: occurrerent.* Tandem temperare animo nequivit, quin *stellam Crinitam* appellaret, *magnarum Calamitatum prænuntiam: ac Fatale Portentum, Prodigiumq; Reip:* hæc *Digius* universè disseruit. Socij singula Crimina proposuerunt.

Indè *Seldenus* de Mandatis *sui Ordinis* agere incipit: disserit, *contrà omnia Vetustatis Exempla, Præfecturam Maris, summum Magistratum pretio emptum: & proindè Bucingamium de facto, non de Iure Præfectum Classis: Nullam curam rei Maritimæ adhibitam; Facinoraq; alia super alia quotidiè Mari edita: assiduos Barbarorum incursus; à Turcis prædas actas; Dunkircanos latrones Maritimam Oram depopulatos, cum omni genere Prædæ onustos revertisse: Naves Onerarias Commeatum, Carbonesq; supportantes, hostiliter diripuisse; Portus, littoraq; omnia Classibus occupasse; Multa Millia hominum capisse, & occidisse. Ista Misera magis, quàm indigna patientibus esse; cunctaq; ejus callidâ Malitiâ, aut supinâ Negligentiâ accidisse. Illum Bella nunc Batica, nunc Gallica excitasse. Cum Palatinatus in libertatem Bello vindicandus esset, nec tàm hostes quàm fœderatos lacessivisse. Gallos pacatos, Direptione Navis Franciscopolitanæ, à S. Petro cognominatæ, irritasse. Decreto facto, juxtà leges Maritimas, ut rapta Bona redderentur, contumaciter non paruisse. tantos Spiritus sumpsisse, ut nullis Iudicum Decretis obediret. Injuriam in Diripiendis Sociorum Bonis commemorat; Avaritiam, Cupiditatemq; in retinendis, ut posteà ad arbitrium distraheret. Deplorat temporis statum; Vastationes, Populationesq; Oræ Maritimæ; infaustam Gaditanam Expeditionem; Interitum Ducum; extinctum vigorem animorum; Virtutem militarem sopitam; vetustam gentis gloriam conculcatam: leges, ejus Audaciâ, eversas:*

diremptum

diremptum cum Socijs Commercium: Dominium Maris Britannici, Majorum virtute partum, ejus Negligentiâ amissum. Quamobrem, orat atquè obsecrat Proceres, ut Remp: suscipiant, & rem Navalem neglectam administrent. Exempla superioris ætatis, in puniendis ejusmodi delictis commemorat. Suffolcia Ducem, tempore Ri: 2, accusatum, damnatum, & relegatum, publico Ordinum Iudicio; quod rem Navalem malè administrarit: arguitq;, Exemplum in Neminem justius sanciri posse, quàm in Reum, ob summam Iniquitatem, & Injuriam in Præfecturâ Maris; quam Gallia iniquo animo patitur, in Occasionem Vindictæ intenta: Nec reum Privilegio Dignitatis defendi oportere; cum omnes animadvertant, quo tendant funesti ejus Conatus; quantoquè exitio Reip: erupturi sint; nisi in tempore, singulari Prudentiâ occurrerent, compescerentquè. Hæc Seldonus. 1626.

Ventuorthus, sæpè memoratus, turbulentus Obtrectator temporum, Naturæ vitio impotentius locutus, quasi Veneficij accusavit: arguitquè, optimum Regem per adversa Medicamenta interceptum. Reum, rudem, inscium, & imperitum, nimis per Ambitionem peccasse: Neq; Iure, neq; More Medicinam exercuisse: si non malo Animo, malo Exemplo id eum admisisse, ostendit. Tempore Hen: 6. Ioannem Arundelium, Archiatrum, & Cæteros Medicos Regios, nisi interveniente Senatu, & jubente, Saluti Regis subveniendum non putasse. Apud Majores tantam fuisse Majestatis reverentiam, punitos Medicos si prospero eventu, sed pravo Consilio, Medicinam exercerent: & Temeritatem, in quâliscunquè hominis Nece, legibus vindicatam. Post hæc, omnes latebras Suspicionum dicendo peragravit; dubias Conjecturas, Vulgi rumores, atrocissimam Suspicionem Emplastri, & Medicatæ Potionis; referens acerbè, secuta Symptomata, Syncopem, Stuporem, languentem Pulsum, Delirium, Animi vigorem deminutum, dejectas Corporis vires, & fatalem tandem Exitum: clamitansquè, indignum esse facinus, Regem occidere; nec minus, Iuvenili licentiâ Causam Mortis præbere. Qui suspiciosius, aut criminosius diceret, Proceres audivêre neminem.

Bucingamius Criminibus Ambitionis, Avaritiæ, Peculatus, Latrocinij Maritimi, quæ à Digio & Seldono objecta erant, parùm movetur; reputans secùm, expurgare, ac diluere facile esse: Veneficij verò tàm vehementem Suspicionem nullo modo tolerandam existimavit. Sed à sese tàm atrocem Injuriam propulsavit, & Accusatori falsi Crimen intendit: defenditquè Emplastrum Theriaca innocenter adhibitum: Potionem, salutare Remedium intermittentibus Febribus repertum, multis ægris sæpè profuisse. Sua præcipuè interfuisse, ut salus Principis conservaretur, quoad Natura pateretur. Neq; Malo animo, neq; Malo Exemplo Medicamentum datum. Inficiari non potuit, nimis se per Temeritatem peccasse; affirmans, non debere fatalem Exitum, & Mortalitatis eventum sibi immerenti assignari: nec secutis Symptomatibus temerè credendum; quæ saluberrima Remedia aliquandò comitantur. Cum tàm atrocis rei Suspicio esset injecta, nec Fides Criminis fieret Testibus, aut Testimonijs, Causæ Cognitionem susceperunt, ne fama Rei, Criminatione tàm vehementis, tàm Temerarij, tàm eloquentis Inimici, in periculum ac discrimen adduceretur; quæ tacitâ Opinione omnium pene damnata est.

Postero die, Eliotus, homo natus ad singularem quandam dicendi facultatem, Breviarium objectorum Criminum paucis complexus, demonstrat, hominis Impotentissimi Vi & Ambitu, ita oppressam Remp:, ut in eâ, nec publicum gentis Concilium, nec Regni Proceres, nec leges, ejus Audaciâ eversa, nec Fori Iudicia, vim haberent ullam: cum in Senatu, Cætu Procerum, Tribunalibus Iudicum, indignos pretio aut gratiâ collocaret; ac turpissimo Mercatu omnia venalia haberet: tantam ejus Superbiam, Insolentiamquè, ut non solùm Vocem, sed Vultum quidem liberum ferre posset cujusquam: tetterrimam Avaritiam, Cupiditatemquè in extorquendâ pecuniâ, Calumnijs, Rapinisquè: Publicè Fisci Inopiam, exhaustum Ærarium, Nervos Reip: hebetatos: privatim in Possessione ejus uberrima Coronæ Prædia; in ædibus gazam Persicam, pretiosam Supellectilem, Tabulas, Statuasquè operis Italici, Margaritas, gemmasquè: Patrimonium illi non amplum à Parentibus relictum, Munificentiâ duorum Regum, Conductione Vectigalium, Direptione Civium ac Sociorum, mirum in modum auctum: Neminem unquàm natum tàm ardenti Avaritiâ, tàmquè effrænatâ Cupiditate: ex hâc Luxuriem ortam, ferculorum varietate, ac ædificijs sumptuosis infamem; quibus indies aliquid Novitatis adjectum est, ut pro Miraculo Vulgò viserentur. Indè Clientibus, Amicisquè licentioris vitæ fiduciam latam, Spe alienarum Opum. Questusquè est, Illum Ærarij Cancrum, Tineam, ac Soricem Reip: honore, gratiâ, Potentiâ, abundantissimis Opibus florere: Cæteros summos Proceres, humi prostratos jacere. Maritimi Officij terminos prætergressum, Terrâ Mariq; latrocinia exercuisse: impiè, nefarièq;, vitam egisse. Illius immensam Potentiam excidium Regni esse. Ex nimiâ Principis Charitate in eum, publicum Exitium imminere; nisi Remp:, in extremum discrimen adductam, stabilirent; Modestiæ nescium, ac Pudoris oblitum, in Ordinem redigerent. Quare Proceres deprecatur, ut fortiter Remp: capesserent; leges Patriæ tuerentur; libertatem Comitialem conservarent; sancirent Majestatem Regiam; vindicarent Injurias Plebis, ac Ius æquabile constituerent: nisi turbari omnia, ac permiscerè vellent. Proponit insuper Eliensis Episcopi Exemplum; Qui tempore Ri: 2, Ærarium exhauserat: ad retinendam autem Potentiam Nepotes, Neptesq;, humiles, & Sordidos Nobilissimis viris Connubio junxit; Obscuros homines, & Ignotos Arcibus præfecit; fidemq; venalem habuit, ut Supplicantibus Deprecator apud Regem adesset. Senatores, Vsu ac Prudentiâ claros, Senatu Vi & Minis expulit, quod de Belli ac Pacis Negotijs liberè locuti essent. Per hæc, utroq; Ordine graviter offenso, Odium publicum provocavit. Vndè per totam Insulam, Voce Populi proclamatur, Pereat is, qui perdere cuncta festinat: opprimatur, ne nos opprimat. Reliqua Oratio Comparatio Bucingamij ac Sejani fuit. Sed à Veneficij suspicione abstinuit; Ciceronis Authoritate, deterritus, ut ipse dixit, ne gravioribus uteretur verbis,

1626. quàm Natura ferret; aut levioribus, quàm Causa postularet. Sic Triduum gravissimis Querelis extrahitur.

Bucingamius interfuit Apolectorum Querimonijs, quæ de ipso apud frequentes Proceres habebantur; *Neutram in partem mutato vultu*; ne læto, Vanitatem, & Insolentiam tumidi animi; Subtristi, objectorum Scelerum Conscientiam profiteri videretur. Verùm, commotus verborum Asperitate, *queritur de Injurijs Plebeij Ordinis*, & atrocissimis Inimicorum Calumnijs; Malitiâ, aut Improbitate quicquid Sceleris fingi, excogitarivè potuerit, nefariè criminantium, ut Invidiam Vulgi concitarent, ac æternam Ignominiam inurerent. Tacentibus jam Socijs, *Elietus* (quoniàm præsente Reo, decerni nihil posse videbatur) oravit, obsecravitquè Proceres, *ut Cognitionem singulorum Criminum extrà Præsentiam partis adversæ susciperent: darent Vltionis Exemplum posteris; seponerentq́; Reum à Cætu suo, ac Domo Principis interdicerent; donec Maleficiorum rationem redderet*, quod citrà Authoritatem Regis concedi non poterat: & turpe erat, *Reum inauditum, indefensumq́;* à Cætu Ordinis sui dimittere; aut Privilegium summæ Dignitatis adimere. Tandem, multis Sententijs dictis, *Causa ad Peoceres ejecta est; ut Reum Insontem absoluerent; aut Iniquitatem coarguerent.*

Quâ re cognitâ, *Plebeius Ordo atrocißimam Veneficij Suspicionem Saio Regulo demandavit.* Id ille fide, Virtute, Consilio perficiendum suscepit, & summâ Industriâ præstitit. allectis ad se jam aliquot Proceribus, & in his Nobilissimo *Arundeliæ Comite*, qui in Rep: tùm plurimum poterat, apud Proceres Orationem habuit, quæ ex ipsius ore *Ventuorthi* mitti videbatur, mutatis ferè verbis; & exagitavit *Bucingamij inconsideratißimam, ac dementißimam Temeritatem, in affectando Medecinæ Artem, in quâ intelligeret Imperitiam suam Optimo Regi nocituram*; & ejusmodi Inconsiderantiam, in qualiscunquè hominis Morte, legibus vindicandam: nedùm in Principis Nece; qui tot honoribus, tot Beneficijs immerentem oneraverat. Retulitquè, *tempore Hen: 6. Nobilißimos Medicos, usu atq́; Exercitatione præditos, qui Salutis Regiæ curam Iurati agerent, inconsulto Senatu, Medicinam ægrotanti Regi exhibere noluisse. Nunc Iuvenem inscium, imperitum, & Temerarium, sinè modo, sinè Iuditio, inconsultis Medicis, qui Vigilijs, Curis, Consilijs intumbebant, ad ægri Salutem Emplastrum adhibuisse: Quo cum usus esset*, mox secutam Sitim, Deliquium animi, Delirationem incredibilem, Pulsus varietatem, ac differentiam: *atq́; ut primùm Mentis compotem sensit, cum Potulo, in quo Medicamentum diluerat, intrasse, Narcoticam Potionem dedisse: statim à Potione, Regem exclamasse*, se maximum Dolorem sentire. *Hât Potione non contentum, alteram miscuisse, & dedisse, non meliore successu. Hæc Symptomata Suspicionem Plebeij Ordinis confirmasse; & Mortem necessitatem fati non habuisse, sed aut Culpæ reprehensionem, aut stultitiæ vituperationem subeundam.* Postremò, obtestatur, ut æquitate & Conscientiâ objecta dijudicarent; *Pœnam, si non Culpæ, saltem transcendentis Præsumptionis statuerent: ne sit Posteris similia audendi datum exemplum; & Plebeium Ordinem justo solatio afficerent.*

Bucingamius, flexo in mæstitiam vultu, *queritur Invidiam sibi tali Oratione conflatam, tanquàm Veneno Rex sublatus esset, non Fati necessitate.* Cuncta profert, quibus Innocentia sua probari posset; ostenditquè *Pautrestum Medicamentum fuisse: Nulla Remedia, quæ Morbis adhibentur, majorem facere dolorem, quàm salutaria per Venas diffusa. Primo pulsum arctè micasse; dein Cor parùm languisse; moxq́; pristinum vigorem redijsse; Cætera Symptomata commemorata falsa esse, ac temerè vulgata.* Hæc locutus, orat Proceres, *ne objecta facinora pro approbatis acciperent; usq́; Errori ejus ignoscerent, qui salubribus Remedijs Saluti Regis subveniendum putavit; ne sinè ullo Remedio, atq́; Allevamento, vita Reip: periret.* Reus Defensores dignitatis, ac Salutis, summos Proceres habuit; qui de Singulis Criminibus breviter disputarunt; & Juvenilem errorem dicendo excusarunt. Alij, Voce, Vultuquè ejus, & terrore præsentis Potentiæ perculsi, decernere, quæ vellent, ausi non sunt: Nec Quisquam repertus est, qui super re tàm atroci censere auderet, aut Sententiam pronuntiare. Cæteris jam attonitis, *Thomas Havartus, Arundeliæ Comes*, Natalium splendore, familiæ Opibus, Majorum Meritis, ac Prudentiæ famâ conspicuus, *Reip: se non defuturum Operâ, Consilio, Labore pollicetur, si Proceres animosè sententias dicerent.* In eandem Sententiam liberè loquitur *Sajus Regulus*. Pauci Vultu magis quàm Voce assensêre, *Concordiam Procerum ac Plebis optantes.* Tandem, unanimi Consensu, *Medicos, qui Curationi præerant, ad dicendum Testimonium secundùm fidem, ac religionem, evocant.*

Rex, cum in *Comitijs* obstinatius omnia agi cerneret, Accusantium nimijs studijs Jure succensuit. *Dudleus Digius, & Ioannes Eliotus*, qui Mandata *Ordinis sui* pertulerant, *insimulati Sermonis adversùs Majestatem habiti, in Carcerem conjectè sunt*: non sinè fremitu *Inferioris Ordinis*. *Ventuorthus*, cui implacabilius irascebatur, propter crebras Contentiones, hoc tempore præteritus est. *Arundelius* quoquè, genere ac dignitate Illustris, *in domum suam sepositus est*; non minùs fremente Nobilitate: Nequè adiri à quoquam, nisi Rege consulto, permissus est. Causa obtendebatur, *quod Nuptias Primogeniti, cum Levinij Ducis filiâ, inconsulto Principe, celebrarit*: Quæ plenæ Dignitatis, plenæ Concordiæ, faustæ, lælicesquè Reip:, ipsis, liberisquè eorum fuerunt. Primores *Plebeij Ordinis* impetum Offensionis Regiæ lenire aggrediuntur; suppliciterquè demonstrant, *Iura Ordinis sui labefactari: Digium, & Eliotum, Mandatarios, sinè More, sinè Exemplo, Carceri mancipare: Contumeliosa dicta adversùs Regem falsò excogitari, ut Iracundiam in Iuvenili pectore accendant, & Innocentes circumveniant; non dißimulantes, cujus Irâ premerentur.* Summis *Apolectorum* precibus impetratum est, *ut Causa ad Cognitionem Procerum referretur.* Re in *Superiore Consessu* agitatâ, *Equites Iuditio Ordinis absoluti*; &, Mandato Regis, Custodiâ liberati;

1626. liberati; non sinè Infamiâ Delatorum, ac Suspicione fraudis. Rex *Digio*, & *Elioto* denuntiavit, *sibi Constantiam non defore, ad coercendos Turbarum Authores, qui operam dederant, ut quis Innocens condemnaretur: Quippè debitum Obsequium si à Volentibus impetrare nequeat, ab Invitis expetiturum.* Nec minùs pertinaciter *Proceres Arundelium efflagitarunt*, ut capesseret partem Muneris publici, ac in communi consuleret Concordiæ Ordinum, ac publicæ Utilitati. *Rex*, fervente adhuc Irâ, aut *Bucingamij* gratiâ prævalente, exorari diu non potuit. Verùm, deprecantibus sæpè Proceribus, & pertinacius pro Libertate instantibus, concessit tandem. *Qui Bucingamij opprimendi causâ dimissus credebatur*: Nihilque lætius Proceribus acciderat, *quàm Reditus ejus in Curiam Comitialem.* Ubi Certamina Procerum acrius exarsêre.

Nec *Plebeius Ordo* Querelis, aut Exprobrationibus *Bucingamij* abstinuit, vincente Metum Odio: ubi plures jam quàm *Digius, Eliotus, & Ventnorthus*, vociferantes acerrimi Accusatores *apud Utrumq; Ordinem* exstitêre; deprecantes Proceres, *ut eorum quæ contrà Iura, legesq; gessisset, rationem redderet.* Plerique, ut Officium, & memorem animum in bene meritum *Bucingamium* ostenderent, disseruerunt, *Opes, Potentiam, & gloriam, maximis in Regem Meritis, præstantissimisq; rebus gestis esse consecutum: & omnia, quæ ad dignitatem Regis, & Commoda Populi augenda pertinerent, summo studio, fide, ac Constantiâ suscepisse. Fælicitatem ejus offendere eos, qui Splendorem Vitæ, & dignitatem intuebantur; Curam, laborem, Pericula perspicere non poterant.* Negantibus Adversarijs vera esse, quæ prædicabantur, mox brevius visum Curiæ, *Civilia delicta* peragi, quorum obvij testes erant: *repertiq; Accusatores & Testes, qui publica pecunia Peculatum detulêre: & adductam Remp: ejus operâ ac Consilio in maximum periculum, ac extremum penè discrimen: omnium Munerum, & honorum delectum pecuniâ sublatum.* Ille Proceres, ad communem omnium Causam defendendam, & Libertatem Ordinis sui conservandam, excitat: & per *Procuratores* se enixè defendit. *Munera recepisse se non infitiatur; sed Rege, fato functo, non inconsulto.* Pleraquè objecta Crimina, *Abolitionis diplomate* diluit. In *Veneficij suspicione Capitali*, summam fiduciam Innocentiæ ostendit, implarato *Medicorum* Testimonio: Qui producti, interrogatiquè, deposuerunt, *Nullis Criminationibus implicanda adhibita Remedia; quibus nullius Salus læderetur.* Rex monuit Proceres, qui publico Juditio præerant, *ut Memoriæ Optimi Patris consulerent*; Exemplumquè Posteris præberent, *ne quis Innocens conveniretur*, condemnareturvè. & *Ramseum Medicum, qui noxium Medicamentum, negantibus alijs, professus est*, ob malevolum animum, in Carcerem conjecit; ac Calumniæ metum injecit. Varijs deinde Criminationibus jactatus, multorum Odia expertus est Reus. Sed plures Proceres in asserendâ Salute, ac Dignitate, Adjutores, Propugnatoresquè habuit, quàm Adversarios. *Et Rex fidei, Constantiaq; suæ duxit esse, Ministrum intimum protegere, tueriquè.* In hujusmodi Altercationibus fuêre *Tres Menses*, cum non mediocri Regis Offensione, consumpti.

In hoc turbulento statu Comitiorum, Subsidium ad Necessarium Reip: usum expetivit: monuitquè, ut id sinè Cunctatione fieret, cujus gratiâ Concilium gentis indixerat. Respondent Ordines, *Cum ea pertigissent, quorum administrandorum major esse Necessitas, se Mandata confestim executuros*: tacitè innuentes, *cum Reum absoluerint, condemnaverintvè.* Deniquè *Idibus Iunij*, cum *Comitiorum* æstus tumesceret, ac *Bristolius* novis Criminibus obstreperet; & Ordines nec Iræ, nec decernendi modum reperirent, *Diplomate Comitia dimisit; non sinè luctu, Mærore, Indignatione Civium: & acerbâ Protestatione Plebeij Ordinis, adversùs Bucingamium.* Quam Rex proposito severissimo Edicto minaciter coercuit: *vetuitq; lectitari, aut in manibus hominum haberi: adjecto Præmio, si quis Nomen Contumacis cujuspiam deferret.* Quia placidum ejus Ingenium tam atrox Injuria & Iniquitas Inimicorum *Bucingamij* accenderant, mox *Bristolium* in Turrim duci jussit; quod Operam dedisset, *ut Bucingamius rei capitalis damnaretur.* Undè ingens Metus incesserat cæteros Proceres, ejus Adversarios, ne in Carcerem conijcerentur. Sed *Rex* Clementiâ Concordiam refovere maluit, quàm justâ ultione Vindictam explere. Ita Popularis Invidia amplissimæ Potentiæ incrementum extitit; non sinè ingenti *Plebis* indignatione.

Eodem die, quo *Comitia* dimissa sunt, aliquid Admirationis Londinensi Civitati Tempestas attulit: *Subitò enim Tamesis Imbribus auctus, Solitum modum excessit; & ædificia, quæ flumini prætendebantur, Alluvione afflixit.* Item, Sævi exorti *Turbines, Tonitrua, & fulminum ictus, homines exterruerunt; & Murum Fani Andreæ diruerunt*: quæ non fortuito Casu, sed divinâ Numinis Providentiâ accidisse Vulgò credebantur. *Et duæ Acies in Nubibus, magnis viribus inter se concurrere videbantur*, funestis ominibus intuentium. Nequè omnia illa *Bucingamium* de suo Cursu dimovere potuerunt: quem nunquàm ulla vis, ulla Invidia labefecit; sed semper in Proposito, susceptoque Consilio permansit: pleno fiduciæ spiritu animos Inimicorum contudit: & non modò stimulos Contumeliæ, sed etiam fulmina efferuescentium Verborum contempsit. Undè majore Invidiâ flagravit. *Eglesbamius enim, Medicus,* omnis in Scribendo Modestiæ oblitus, *interceptum Veneno Hamiltonum, amplissimum virum; atq; tabifica Medicamenta Regi ægrotanti, Bucingamij dolo malo, data, libello edito temerè prodidit*; vel mentiendi licentiâ, vel Calumniandi libidine; vel Ulciscendi cupidine. Is Calumniæ pænam veritus, in *Belgium* exulatum abierat: ubi extorris, cum magno famæ suæ detrimento, consenuit; Paupertatem comitem habuit, & Ultorem Deum falsi fictique Criminis.

Ab hâc horridâ, & tristi fortunæ Procellâ ad lætam & prosperam transeo, sed non diuturnam. *Bucingamius Præturam Cantabrigiensis Universitatis, morte Suffolcij Comitis vacuam*, unanimi Cleri

1626. Consensu adeptus, pollicitus est, in *Academicorum* Commodis augendis, grati animi Benevolentiam nunquàm defuturam. Hæc Electio vulgi rumore jactata, atquè in omnium ore versata est; obstrepente Plebe, in Eligendo erratum esse: *net nunquàm existimasse se, tantâ Caligine offusam Academiam, ut ei Amplissimum Magistratum deferret, cui nullus honos deberetur.* His commotus *Clerus*, respondit, *se plùs scire, quàm Plebem, quid Vniversitati expediret.* Quâ voce Vulgum à pertinaci rumore depulit: atquè *Apolectos* in Curiam, *Procancellarium*, & alios Viros idoneos, ad congratulandum misit. Qui in Collegium Musarum asciverunt; *& Præturam ei in Academiâ detulerunt.* Pro quâ Humanitate, gratiarum actione petactâ, *Apolectos* abundantissimum Epulum dedit, Comitibusquè eorum; & Muneribus cultos dimisit: Singulos obtestans, *ut Existimationem, Dignitatemq; suam ab Inimicis defenderent.* Quos posteà rerum suarum *Præcones, Testes, Laudatores habuit in Concionibus*: quibus monuerunt Plebem, ut excellentium Procerum virtutem Imitatione dignam, non Invidiâ censerent; vetere Odio abstinerent: Ne statum Reip: convellerent. Mox melioris Notæ Artifices adhibuit, qui in Tabulâ eximiæ *Artis, Novem Musas, Ipsum Apollini in Parnasso offerentes, venerantesq; pinxerunt*: quam in Cubiculo, inter statuas Imaginesquè Illustres dedicavit: Nihilquè magnificentius duxit, quàm Suffragijs Academiæ Præturam decerni sibi, Præfecturamquè *Cantabrigiæ.* ac perculsâ eorum Procerum Factione, qui æmuli Potentiæ, florentissimæquè gratiæ erant, indies honoribus auctiot evasit. Jam & Subditis, & Exteris Potentiâ, Opibus, gloriâ conspicuus, publica Munera, Præfecturasquè Provinciarum, non sinè Pactione Mercedis, distribuit. Turri, munitissimisquè Arcibus familiares servos præposuit: eoquè Arrogantiæ progressus est, ut non modò honores nimios, ad libidinem, reciperet; sed & omnes despiceret. Verùm longè majore *apud Regem*, quàm apud *Optimates, Plebemq;* in gratiâ fuit.

Mox adversantem Conatibus suis *Penbrochiæ Nobilissimum Comitem*, Affinitate sibi conciliavit; *& Quadrimam filiam suam Mongomery Comitis filio despondit*, ad obtinendam potentissimæ familiæ Necessitudinem; quia *Penbrochius frater, ex Vxore, Salopiensis Comitis filiâ, & Cohærede*, insanabili mentis Morbo implicitâ, nullos habuit liberos, speravitvè. Cum Sermo de Nuptijs, & earum Conditione crebuisset, territi sunt Proceres, qui æmulatione gratiæ florentissimæquè fortunæ, Duci infensi, Beneficia Principis eripere ei voluerunt. quibus summâ ope restitit. *Roberto Nantono* Senatorium locum, quem *Gundimarij Legati* Criminationibus amiserat; deditquè, in Solatium amissæ dignitatis, *Orphanophylacium.*

Exin Armorum studio teneri cæpit. Nautas, Sociosquc Navales, in suum ac Regni auxilium, quantâ potuit Industriâ, contraxit. *Classem ad Ostium Plini fluminis instruxit*; Copiasque Terrestres ingenti Mercede paravit, quibus ipse præesset. *Oppidis Maritimis* imperavit, ut rei Navalis curam intentius agerent: destinavitquè animo, *Gallos Reginæ peculiares Servos Aulâ expellere, quibus se invisum sentiebat; ut sui studiosos substitueret, non jam æquior Franco, quàm Hispano; licet fælicium Nuptiarum Conciliator esset.* Mareria Offensionis extitit *intercepta ab Anglis Navis Gallica, in Neustriæ litore, referta Opulentiâ publicâ;* privataquè Bona direpta, & inter Servos, Clientesquè Præfecti Maris divisa: Nec ipse expers Prædæ habebatur; ut in Comitijs acerbè commemoratum est. *Franco reposcenti Navem non reddidit; sed Merces summâ tum Injuriâ detinuit. Normani*, ut Injuriam, Ignominiamquè vindicarent, *Anglorum Naves Onerarias interceperunt.* Commotus his *Carolus Rex, indies à Franco alienior fiebat*; exstimulante acerrimè *Bucingamio, ut Præsulem, Clericos, Servos, Clientesq; Reginæ submoveret*; quod per Ambitionem, & ultrà præscriptas Pactiones, irrepsissent despicatissimi, & contemptissimi homunciones, in Aulâ dominantes. Re deliberatâ, & consentiente Senatu, *Gallos abire ex Vrbe, atq; totâ Britanniâ jussit: Quæstoremq; domum misit, ut Impensa ipsis præstarentur; Navesq; pararentur: Reginâ Fletu & lachrymis multum dissuadente.* Sed Conjugalem Charitatem vicit privata utilitas. *Rex* eam Promissis suis excitavit, & humanissimis verbis solatus est. Sententiâ à Rege pronuntiatâ, Galli inviti imperata fecerunt, lugentes fortunas suas; quærentesquè in Præmijs & honoribus omnia arctata. *Comploratio Reginæ, flebilesq; Francorum Querela* celebrari Vulgi sermonibus cæperunt: quos partim *Misericordia Gallorum*, partim *Odium Bucingamij* excitabat, atquè inflammabat. *Francis* pulsis, *Ducis Vxor, Mater, Soror, Carleoli, & Hollandiæ Comitum Conjuges, præcipuum apud Reginam locum obtinuêre*, partitis inter se *Gallicarum* fæminarũ Officijs. Interim *Regina* Maritum obsecravit, *ut Nutrici Misericordiam, se deprecante, tribueret; & ex Itinere retraheret.* Cui suppliciter postulanti, ac piè lugenti respondit, *mox affuturam.* Quare protinùs ex Itinere revocatur, & Contubernio Reginæ additur, approbatâ Conjugis Indole, ac *Pietate in Nutritem.*

Carolus Montacutum cum Mandatis ad Francum misit, quorum summa erat, *Cognitum compertumq; sibi, Præsulem, Clericosq; alieno fuisse in Remp: animo: ab his Gynecæum depravatum; Servosq; Reginæ seductos.* Quibus rebus cognitis, *Francus Congressum, Colloquiumq; negavit.* Insuper *Galli pulsi*, in Senatum introducti, multa de Clementiâ & Humanitate *Caroli Regis* verba fecerunt; *in Bucingamium, nullâ suâ Offensâ implacabilem, culpam avertentes. Francus* suos pulsos indignè ferens, *de ratione componendi Motus Britannici, cum intimis Consiliarijs egit.* Quorum plerique censuerunt, *ut Reges Amicitiâ, & Affinitate juncti, resocillatâ Benevolentiâ, Iratundiam remitterent; ac modum dissensionum facerent.* Verùm, *Præsules* hostili animo adversùs *Anglos* animati, dissensêre: *& Britannorum Injuriam, ac Contumeliam, nullâ Pænitentiâ, aut Satisfactione expiabilem esse decreverunt, nisi post Delictis publicam Confessionem, Francorum restitutione in integrum. Francus iratus* languidiora adhuc Consilia cæpit; pronus ad retinendam *Britanni Necessitudinem, at Affinitatem*, rem ad Senatum retulit. & dicuntur à pluribus Sententiæ, *ut Legati ad Britannum mittantur, qui voluntatem Regis ei proponant.* Missi ilicò *Bassompetra, Magister militum,*

& Tilierus

& Tilierus Comes, Britannicæ Reginæ Cubiculo præpositus, perpetuandæ Concordiæ causâ. Qui Commeatum traijciendi in Insulam requirunt. *Tilierus* cognitus alienâ esse mente in Britannum, ob iratum & malevolum animum, *appellere prohibitus est.* Quod idem, paucis antè diebus, *Montacuto Britannicè Regis Nuntio acciderat.* Qui continuato Nocte & die itinere, ac mutatis ad celeritatem equis, *in Britanniam contendit*; ut negatum Colloquium Regi nuntiaret. Undè *Bassompetra* ægrè Commeatum traijciendi impetravit. Quem *Cantij* Proceres, jussu Regis, *à Portu Dotobernia ad Cantuariam, atq; indè Loudinum, summâ Celebritate, lætitiâq; deduxerunt.* Ubi honorificè cultus est. Moxquè introductus in Curiam, de Mandatis Regis sui agere cæpit; *non modo Legati, sed etiam Arbitri fungens Munere*; & pari utrinquè Moderatione animi utens, ut res ad Concordiam deduci posset; quia Præterita corrigi non poterant. *Rex*, adhibito *Bucingamio*, expetita Colloquia & denegata commemoravit: jussit Senatui, ea quæ acturus esset exponere. Cui liberè decernendi potestas permittitur. Re diu in Senatu agitatâ, pervicit Legatus, *ut Decem Sacerdotes, cum Antistite, & aliquot Mulieres Gallicæ Comitatui Reginæ rursùs adijcerentur. Pontificij grandi pecuniâ, quam penderent, non ultrà mulctarentur. Bona Mercatorum direpta, & Fisco venditata, hinc indè restituerentur. à Manuum Injectionibus in posterum temperaretur.* Sic aliquot dies Disputationibus extrahuntur, ut Controversias tollere possent. *Bassompetra Conditiones Pacis, ac Concordiæ approbare recusavit, inconsulto Rege suo*: quare *Caletum* protinùs repetit, Tempestate in trajectu conflictatus. & Indè magnis Itineribus *Lutetiam* petere cæpit. Quò cum venisset, Conditiones renuntiavit Regi: ostenditquè, se Authore nihil constitutum; liberam decernendi Potestatem ipsi ac Senatui relictam. his addidit pauca privati Officij Mandata, *velle Britannum se Fratri purgatum, ne ea quæ publicæ Salutis causâ egerit, in suam rapiat Contumeliam. Vtrumquè, pro suâ Dignitate, debere Iracundiam publicæ Vtilitati remittere; ne Spectatoribus Iberis, cum mutuâ pernicie dimicarent.* Conditiones ita auditæ erant, ut eas negligi appareret. Proximus indè diebus *habetur Senatus*, ubi *Bassompetra* eadem illa, quæ Regi nuntiaverat, exposuit. *Rex* à suâ Sententiâ non discessit: respondítque, *Se oblatis Conditionibus non usurum; nec desperare meliores impetrari posse.* Præterea, *cognitum compertumq; sibi, alieno esse animo in Francos Britannum; & Iura Societatis, expulsis Gallis, violasse.* Permulsit Iram Regis *Bassompetra*: disseruitquè, *Concordiam utriq; ex æquo utilem; Discordiam communibus Inimicis gratam, publicè exitiosam*, tanto detrimento accepto. *Rex* interfatus, *plura loqui de Compositione vetuit.* Neque *Francorum Regina, ejus Mater, Britanni Socrus*, certantibus Regibus Auctoritatem interposuit, ad eorum pacandas mentes; *Neq; sui Iudicij, Neq; suarum virium rem esse dictitans, utra pars Iustiorem haberet Causam.* *Francus* deprecando factus ferocior, Injuriam in expellendis Gallis prædicat, *Naves Britannorum Onerarias, quibus Vina Burdegalâ supportabantur, in Garumnâ flumine intercipi jubet; ac Britannicam Societatem abrumpit.* Undè accidit, ut *Britanni* magnâ Inopiâ Vini hoc Anno conflictarentur. Hujus Injuriæ Acerbitas altius *Britannorum* animos penetravit: omnesquè ad rei Navalis studium excitavit. *Carolus*, postquàm *Francum* indomitum atquè implacabilem cernebat, Vi atquè Armis coercendum ratus, ad cogitationem Maritimi belli se convertit. *Peningtonus*, coactis navibus, Galliæ Oppidis Maritimis terrorem, Pavoremquè, conspectu Classis, intulit. *Naves Francorum complures Mercibus onustas, in Armorica Britannia Portibus & stationibus intercapit.* Prædam Præfecto Maris concessit, & Incolumitatem Captivis. Hoc tempore, *Vinum, cujus Inopia erat, Batavi advexerunt.* Quâ re cognitâ, *Rex Edictum promulgavit, ne Exterorum Navibus Vina Londinum comportarentur. Batavi* æquitate Edicti permoti, Vecturâ abstinuerunt. *Franci* Calamitates proprias suas senserunt. Hæc posteà Contentio difficilem habuit exitum; & in Navigantium perniciem erupit: omnesquè eum Mercibus atquè Oneribus ultrò citròquè commeantes, magna damna passi sunt. *Solus Bucingamius, Præfectus Maris, Emolumentum sibi fecit, Decimam Prædæ acerbissimè exigens.* Quo facto Invidiam, & Obtrectationem auxit.

Cæterùm, Rex ut Pacem ac Concordiam Ecclesiæ stabiliret, suum studium non solùm observandæ, sed etiam amplificandæ Instauratæ Religionis, Edicto testatus; *Clerum ab omni Contentione, Disputatione, Captationeq; verborum revocavit*: vetuitquè, quemquam in Concionibus prædicare Nova Dogmata, Doctrinæ & Disciplinæ Ecclesiæ contraria, aut repugnantia.

Item hoc Anno *Daniæ Legatus in Britanniam appulit, qui res in Germaniâ à Dano gestas retulit, adversùs Tilium, & Valsteinum*, duces Cæsaris validos ac potentes. *Satis Militum superq; habere Regem; sed Impensâ magnâ egere, in stipendium, Commeatusq;: petijtq;, ut Sumptus à Daniæ Rege in Bellum Saxonicum facti, pro ratâ parte refunderentur.* Cum Legatus æquum postularet, nec tamen solvendo Æri alieno Ærarium esset, facere quod e Rep: esse videretur Senatui permisit. His tantis Belli sumptibus, cum *inops Ærarium* non sufficeret, *rei Nummariæ* expediendæ Proceres incumbebant; ne Bellum inchoatum turpiter destituerent. Primùm *Nummi Aurei, minoris pretij, cusi*, non sinè Invidiâ, ac Obtrectatione Civium, adversùs machinantes. Obstrepente Plebe, res in Senatu agitata, adhibitis *rei Monetalis* peritis; & *Roberto Cotono*, Equite claro, ac de Rep: benè merito: qui interrogatus Sententiam, acerrimè contendit, *hanc conficiendæ pecuniæ rationem, majoris detrimenti publicè privatimq; fore, quàm Emolumenti*: exposuitquè, secutura domestica mala, *publicam Inopiam, Annonæ Caritatem, Malignitatem Subditorum, in augendo Mercium pretio; Fraudes Argentariorum; Fisci Præjuditium; Commercij Naufragium: petijtq; Authores, More Institutoq; Majorum, Cervice furcæ insertâ, puniri.* Hæc Oratio animos Procerum, ad rem inspiciendam, convertit: & omnes in Assensum traduxit. *Rex* assidens, audito perspectoquè publico damno, versâ repente voluntate, privatum Commodum publicæ Utilitati remisit:

& Nevor

1626. *& Novos Nummos in Commercio hominum esse Edicto prohibuit*; ingenti Plebis gaudio, Justitiam Benignitatemquè laudantis.

Inde Senatus summâ Ærarij Fisciquè Inopiâ, pecuniæ expediendæ aliam viam aggressus est: decrevitquè, scribendum omnibus Civitatibus, & Provinciarum Præsidibus, Authoritate Regiâ interpositâ, *ut Benevolentia nomine, aut Privati Sigilli securitate, Tributa conferrent, in Novam Classem parandam, & in Commeatum expediendos.* Cæterùm, cum pecunia in Ærario non esset, ac Collatio lentè procederet, hoc Consilium quoquè omisit: & Silentio per Præconem facto, *Abolitionem Literarum, ac Privatorum Sigillorum, publico Edicto confirmavit*: Quo audito, ingenti lætitiâ omnes perculsi sunt. Cum in hâc difficultate expediendæ Pecuniæ Consilium hæreret, & difficilem Assensum Conferentium perspiceret; ad rem deliberandam expediendamquè *Senatum* vocavit, *Quo Pacto tanta Inopia succurrendum esset?* Ibi complures Senatorij Ordinis disseruérunt, *Regem, Nec suam Dignitatem, Nec Regni Securitatem, Nec Sociorum salutem, sinè Classe tueri posse; Nec tuta Britannia litora esse; Nec Philippum arceri posse; Nec Gallos Prædatoriâ Classe debellari. Itaq; nisi mutuâ pecuniâ sustentaretur, Resp: publicis Regni opibus non staturam.* Decreveruntquè, *ut Proceres, Equites, Magistratus, Cives, Agricolæ, per Provincias, Civitates, Vrbes, Vicos, & Castella, ex Censu pecunias conferrent.* Senatusconsultum *Rex* Edicto comprobavit: adjecitquè, hanc rationem initam *urgenti Ærarij Inopiâ, ac publicâ Necessitate: periculum in Morâ; nec in exemplum posteà trahendum, ad perdendam, lacerandamq; Plebem.* Carpsitquè, eodem Edicto, nonnullas Malevolorum voces, in occulto dicentium, *Regem Tributo sumptus suppeditaturum; nec Comitia Regni ullius in posterum usus fore.* Sibiquè esse in animo ostendit, *Conventum Ordinum habere, quotiescunq; opus esset; cum quibus de Reip: negotijs tractaret: & Comitiorum quoq; pristinum Ius incorruptum servare. Nunc Impensâ magnâ egere, in Stipendia, Commeatusq;.* Decretum Senatus, Proceres, & Civitatum Magistratus secuti sunt: Consensum Procerum Equestris Ordo; dein Equestris Ordinis Assensum Populus secutus est. Non solùm Urbibus, sed Vicis, Villisquè multi conferunt sinè Edicto, sinè Cohortatione Magistratus. *Cives Vestmonasterienses* ultrò nomina sua publicis Tabulis inscripserunt. *Cura rei Nummariæ* in Civitate, Prætori Urbano & Senioribus delegatur; ac intensissimè agitur. Pauci Inopiam, aut Calamitatem aliquam excusarunt. Complures *Senatorij Ordinis*, viri gratiosi, *Apolecti in Provincias præfecti sunt*, ad hominum excitanda studia: qui *adhibitis Præsidibus cujusq; Provinciæ*, expediendæ pecuniæ operam dederunt: disserentes, *Salutem Reip: supremam legem esse: & Collationes ipsi Regnoq; salutares. Iceni*, æquitate Edicti, & Authoritate *Custodis Sigilli*, permoti, imperatas pecunias aliquanto facilius, quàm Spes erat, soluerunt. *In Agro Northamptonensi*, conficiendæ pecuniæ ratio aliquanto difficilior fuit. Nam *plerique aut Calamitatem propriam suam; aut temporis statum deplorarunt: & imminutum conferentium Numerum Pestilentiâ ostenderunt. Coritani* turbidè recusantes fremuerunt, id *Onus extrà ordinem injunctum esse. Lincolniensis enim Comes*, Princeps ejus Regionis, obscuro quodam astu adversabatur. *Apolecti, & Coactores*, Spatium ijs ad deliberandum dederunt, ut spontè potiùs quàm coacti contribuerent. Nunc castigantes Contumaciam; nunc obtestantes, ut Remp: periclitantem adjuvarent. *Nec persuadere Humanitate potuerunt.*

Per idem tempus, *Scrupius Regulus, Eboracensi Provinciæ præpositus, & Ioannes Savelius, paulò antè in Ordinem Senatorium electus*, reluctanti Plebi Authoritatem interposuerunt; obtinueruntquè, *Eboraci*, & in totâ Provinciâ Subsidium rei Nummariæ.

Cæteris Provincijs non parcè conferentibus, *Northamptonienses, & Lincolnienses* plerìquè, nullâ Auctoritate, nullo Imperio cogi potuerunt. De quibus rebus *Præsides* cujusquè Provinciæ ad Senatum retulerunt: rogantes, *de Contumacibus quid fieri vellet?* Senatusquè *in Carcerem conijciendos* censuit. Mox multi Nobiles, Equites, in Carcerem tradiri, *quod contumacius Collationibus se opponerent.* Non est operæpretium singulorum nomina referre. *Septentrionales, in Meridionalem Regni partem; Orientales, in ultimas Occidentis oras relegantur. Thomas Ventuorthus, Eboracensis Eques*, clarus non modò ingenij magnitudine, sed etiam Animi, & Opum, adhibuit in Senatu liberam Contumaciam, à magnitudine animi ductam: dixitquè, *pristinum Comitiorum Morem immutatum, & novam Consuetudinem Collationum, sinè Comitiali Auctoritate inductam*: quam obstinatissimè recusavit; & Proceres offendit. His commotus Senatus, in Carcerem conjecit; ac Contumaciam ejus Suffragijs suis vindicavit. Quæ paulò post erexit ad gloriam, & summam Dignitatem. Nam is, in robore ætatis, charus acceptusquè Popularibus, vires ingenij in *Comitijs* ostendit. Mox Aulicam gratiam captans, *& in Procerum Ordinem adscitus, Plebejum Ordinem reliquit, Comitialem Causam deseruit*; infensus, invisusquè Plebi. In tàm prospero fortunæ suæ eventu, *Eboracensem Provinciam* rexit, utilior aliquanto Regi, quàm Reip:. Deniquè undè processerit, & quo pervenerit, suo loco dicam.

Pro simili Contumaciâ, *Comes Lincolniensis*, expediendis pecunijs adversus, *in Turrim; & Sajus Regulus, in Fletam conjecti sunt.* Rex potentissimorum hominum Insolentiam, Superbiam, Contumaciam ægrè tulit: edixitquè, ut *Ioannes Hollandius, Dispensator Comitis, & Robertus Blaus, Procurator Obsoniorum, contumaci improboq; ore hortantes Coritanos, ne Tributum conferrent, comprehenderentur*; propositis in Edicto corporum Notis, ut dignoscerentur. Itaquè alienato Populo, per Civitates, Urbesquè, exortæ rursùs *Novæ difficultates, in cogendâ pecuniâ*, ad sustinendum gerendumquè bellum: ac nonnullæ Civium voces auditæ sunt, conquerentium *prætermissa Vectigalia revocari; Nova excogitari; Vetera augeri; Publicanorum rapacissimum quemq;, ex Industriâ promoveri; imperari pecuniam sinè Comitiali Auctoritate;*

ritate: ista nec More Institutoq́, Majorum, nec legibus fieri. Rex cum Senatu collocutus, *Tribunalium Iudices votavit*, ut in Commune consulerent, quibus Cognitionem detulit, *an Regi, Necessitate jubente, liceret, negatâ sibi gratuitâ Civium Benevolentiâ, pecuniam mutuam exigere? Et an Plebis recusatio æquitate niteretur?* Judices cum diu disceptassent, tandem respondendi Potestatem *rerum Criminalium Iudici* permiserunt; qui hoc tempore Clementer, & Moderatè Jurisdictionem exercuit. Ipsi ad sustentandam Ærarij difficultatem libenter contulerunt, ut Plebi Exemplo essent. Postero die, *Randolphus Crujus, rerum Capitalium Iudex integerrimus*, sententiam rogatus, respondit, *Regi licere, Iure Prærogativæ seu Absoluta Potestatis, urgente Ærarij Fisciq́, Inopiâ, Tributum in Classem, & Stipendium exigere. Sed Consuetudine Fori, Lege, Institutoq́, Majorum, non licere, citra Comitiorum Authoritatem.* Quâ libertate loquendi, gravissimam contraxit Offensam. *Senatus Crujum à Munere judicandi removendum censuit.* Hoc Decreto facto, *Rex responso irritatus, eum exauctoravit.* Ille Ignominiæ dolore permotus, reliquam ætatem in Otio moderatè transegit. Ad id factum fremitus hominum fuit. *Nicolaus Hidus*, Bucingamij gratiâ magis, quàm Merito suo, ei suffectus est. Vulgus, in petitione Muneris, adjutum putavit *Roberti Piti, Procuratoris Scacarij suffragio*, in primâ Juventâ famuli ejus, tunc gratiâ *Bucingamij* florentis: & illum exutum insigni *Elogio decoravit*; hunc Successorem *Versiculis deploravit. Ioannes Valterus, Eques, Procurator Regis, cum Cambria Princeps esset*, apud suos non solum Juris Scientiâ, sed Æquitate, Humanitate, ac Solertiâ præstans, Sorti *Randolphi Crui*, Munere exuti, illachymavit, & ingemuit; ignarus Sortis sibi imminentis: qui neque tristi Exemplo compelli, Neque Muneris magnitudine adduci potuit, quò se magis obnoxium in Foro & Curia gereret; aut de Rep: sentiret, quæ Reip: rationibus non putaret conducere. Pari Moderatione, & Humanitate, *Iacobus Lem, Quæstor, Marleberiensis Comitis dignitate auctus*, egit: qui dixisse fertur, *hâc conficienda pecuniæ ratione, Regem citiùs Carceres Civibus, quàm inops ærarium pecuniâ repleturum.* Elogia horum hominum, & Vulgi famam de Gravitate, Constantiâque eorum exequi supervacaneum est. 1626.

His temporibus, Nautæ, Socijquè Navales, & pessimi quiquè, Prædandi cupidine ad omnem licentiam, Insolentiamquè proruperant; *Londinum, ac Palatium* pedibus commeantes, *flagitantesquè tumultuosius Stipendia Navalis operæ: & Bucingamum Præfectum Maris præcipuè incesserant.* Qui veritus, ne Nautarum fortuitus furor in Seditionem erumperet, hoc Responso Temeritatem concitatæ multitudinis mitigavit, dictitans, *Ærarium inops, nec pecunia quicquam in publico esse, ex quâ stipendium acciperent.* Affirmavitquè, *daturum se, cum pecunia in Ærario esset; aut si brevi non abundaret, è peculiaribus loculis suis numeraturum; vel ab Amicis mutuam sumpturum.* His dictis pacati discesserunt. *Rex* Nautarum tumultu ob Inopiam Stipendij, & discrimine *Bucingamij* anxius, eos Edicto severissimo coercuit; *exprobravitquè Audaciam, Licentiamq́,* ne foribus quidem Curiæ coercitam, quò minùs magnâ frequentiâ irrumperent: monuitque, *ne propiùs Aulam, cum illâ suâ Conscelatorum manu, accederent. Si quid æqui haberent, inturbidè Supplicibus Libellis efflagitarent. Se Supplices Calamitososq́, audire, misereriq́, paratum; ita ut leges coli, Constitutionesquè suas sanctè servari velit.* Classiarij, hoc tempore, Edicto paruerunt; & per diversa Urbis itinera ad pristinas stationes redierunt. Mox Obsequij rudes, *ad Seditionum procellas acrius exarserunt*, in Urbe vagantes, & Stipendia pertinacius flagitantes: jactitantesque atrocia verba, ac Minas in *Bucingamium*, dixerunt *se venturos, & domum ejus disturbaturos.* Quod cum Regi nuntiaretur, periculum veritus, rem ad Senatum retulit. Qui *suburbanas Cohortes armari jussit*, cum Militiæ Insignibus; *ut Præfectum Maris à vi ac Injuriâ perditorum tutarentur, si Impetus fieret: & Classiarijs, ruentibus ad perniciem ejus, aut Direptionem domus, resisterent.* Id illi facilè perfecerunt; eripueruntque eum à Peste summi periculi, *& domum ab Incendio*, ac vastitate. *Mitissimus Princeps*, turbidis his temporibus sollicitus, ne aut Nautæ peccando, aut ipse puniendo modum excederet, *Marburiensem Comitem, Præfectum Ærarij*, ad mitigandum *Classiariorum* furorem misit. Qui ingenti turbâ circumfusus, frementium, se omnibus Necessarijs rebus egere, Inopiam Ærarij excusavit, Calamitatem temporum, Malignitatem Tributa conferentium; & ad Modestiam, ac Obsequium cohortatus est, nunc castigando, nunc monendo, quantas Terrestres Navalesquè Copias Rex aleret: disserens, *pereunte reverentiâ Majestatis, Imperium interire, ac Auctoritatem Magistratuum, vigoremquè Disciplinæ; Sedítiones ac discordias oriri; denuntiavitq́, ut domos inturbidè redirent; paucorum dierum Moram æquo animo ferrent. Darentq́, tempus ad expediendam pecuniam; & debitum Stipendium brevi sperarent.* Classiarij æquitate ac Humanitate *Quæstoris* permoti, tutius rati fidem ejus, quàm Iram Regis experiri, in potestate se futuros pollicentes, Imperio paruerunt. Exitus Turbarum fuit, *ut Stipendia singulis summâ fide numerarentur.*

Rex, cum *Classiarios* redire videt ad Officium, fide, Consilio, & Authoritate *Quæstoris*, Classem *Quadraginta Navium* instruit, ut in *Hispaniam* quàm primùm traijceret, quam sibi Armis Animisquè infestam, Inimicamquè cognovit. Item, circum omnem Oram Maritimam misit, ut *Naves Onerariæ* cum Commeatu, rebusque necessarijs, ad *Plini fluminis Ostium* contraherentur. Et *Villoubeum Baronem, Lindesiæ Comitis dignitate auctum, Providere, quod ad Philippum Bellumq́, Baticum pertineret, jussit.* qui, satis instructâ apparatâque Classe, Naves conscendit, ut Ignominiam *Gaditanâ Expeditione* acceptam ulcisceretur; edixitquè gubernatoribus, *ut Hispaniam peterent*, & Tubâ Signum profectionis darent. Qui vento secundo profecti; prosperam Navigationem habuêre. Sed cum Oram Maritimam *Hispaniæ* legerent, *jactatâ Tempestate Classis, se in Plini fluminis Portum recepit.* Ipse *Lindesius*, vi Tempestatis conspectu terræ ablatus, & in Mare provectus, cum Naves aliquot *Hamburgenses*, Ger-

manicis

1626. manicis Mercibus onustæ, non longè ab eo iter facerent, illas Secundo vento aggressus, intercæpit; *quia publicè in Hispaniam ad mercaturam exercendam mittebantur.* *Madritium* cum esset nuntiatum, *Classem Britannicam ad Hispaniæ litora appulisse, vires superbè ostentantem, tortò fortè Vento à conspectu terræ ablatam:* Supplicatio est publicè decreta. Constat autem, his temporibus *ita Iberos Anglicæ Classis Famam perhorruisse, ut Nautæ perterriti magnitudine Navium, se tum Navibus suis Littori applicarent; aut Portus propinquos occuparent.* *Lindesius*, reductis Navibus, *Londinum* rediit. Plùs in hâc Expeditione Ostentationis, quàm Emolumenti erat.

His atquè talibus ausis instincti *Britanni, Hispaniq;* nullum invicem Crudelitatis genus prætermiserunt. *Dunkircani Prædones nacti Naves Anglicas, aut Scoticas,* quæ ad Mercaturam instituebantur, bona diripuerunt; *Mercatores dominosq; Navium* interfecerunt; *Nautas, Navarchosq;* captivos abduxerunt.

Bucingamius, per hos dies, propter Invidiam, aut periculi metum, Salutem navigantium Civium neglexit, *ad Auxilium Rupellæ pronus*, rei pecuniariæ expediendæ incubuit, & *à Paulo Banningo* Equite Urbano, ac *Iacobo Craveno*, Opulentissimi Civis filio, immensam pecuniam, pro imperatâ dignitate, expressit: quæ *Subsidium Rupellanæ Expeditionis* fuit. Nam *Rupellani*, instigante animi dolore, & Religionis jacturâ, *Britannum* per literas ac Internuntios orare cæperunt, *ne Vrbem vicinam & fœderatam perire sineret.* Demonstraruntquè, omnium Oppidanorum unam mentem esse, *ut Tyrannidem Pontificiis effugere vellent.* Hæc Oratio animum Regis ad respiciendas *Rupellæ* miserias convertit. Tum Nuntij deprecari *Bucingamium*, & Proceres qui aderant, institerunt, ut festinarent decernere. Ille eorum precibus in Misericordiam prolapsus, reliquis in suam sententiam traduxit. *Subisio, Patrono Civitatis*, acerrimè instigante, ne opprimerentur *Rupellani*; aut impotentius dominarentur *Pontificij*; ac nuntiante, quanto *Vrbs* in discrimine esset, nisi *Rhatensem Insulam* occuparent; & Urbem sociam in libertatem vindicarent. *Rex* fidei, Dignitatisquè non putavit esse suæ, *Vrbem benè meritam deserere*; Nequè sinè Auctoritate Senatus arma capere. Quare in Senatu *de Rupellâ* retractatum: & assentiente omni Consilio, *Patrocinium Sociorum sustepit: Auxilia Terrestria, Maritimaq; affirmavit se missurum, ut Pacem terrâ Mariq;* habeant. & *Subisium* præsentem monuit, *ut Testis Promissorum esset.* Oratores læti redierunt. Mox *Rupellani*, suscepti belli, accitiquè Externi Auxilij Crimen *Apologetico libello purgarunt.* Indè Classis magnâ impensâ, curâquè instruitur, per *Præfectum Maris, ac Procuratores ejus.* Hi erant *Alanus Apslew, Præfectus Turris, & Ioannes Apslew, qui Arci Dorobernia præerat:* Amici Venerei, donis Muneribusquè cumulati; qui semper in Reip: malis Cupiditatis suæ faces inflammabant; & uberius emolumentum ex Adipe & tergoribus boum indies faciebant. Heri potentiam ex Servorum Audaciâ metiri licet, cum Captivos & Prædam ad arbitrium disponerent. Ipse *Præfectus* interim cuncta pari Curâ obivit; Nautarum animos sibi donis ac Pollicitationibus conciliavit; contrahendis Navalibus Copijs, & reficiendis Navibus, quas quassaverat Ventus, aliquot dies absumpsit. *Ioanni Borrovesio*, fortissimo Tribuno, Curam Pedestrium Copiarum permisit. Qui exercendis Militibus intentus, corpora simul animosquè ad bellum excitavit. Per hunc solicitati alij viri fortes, ut in Religionis discrimine, ac vitæ periculo, Socijs labotanribus subvenirent. Qui certatim Nomina sua dederunt, adversùs vim atquè Injuriam *Pontificiorum*, pro Salute Sociorũ dimicare. Cuncta belli apparatu strepebant. Sed desiderio indigentium Auxilij, omnia lentius parabant; *quod Collatio pecuniæ Spe parcior esset.* Proindè æs alienum *Coronæ* indies auctum est, cum nec Pecunia in Ærario esset; nec ex Privato Cives libenter conferrent. Non deerant, qui crederent, *Cupiditatem Præfecti causam Moræ fuisse.* Alij in vulgus jactabant, *Gemmas, Margaritasq; oppigneraße,* ad Classis impensas, ac Sociorum salutem tuendam, qui se dediderunt in Potestatem Ditionemquè *Britannici Regis*; haud ignari, quantum sibi virium, *Rupellâ amissâ*, decederet.

Inter quæ, Magistratus Urbici *Crucem Auream*, in medio foro, temporis vetustate deformatam, refecerunt; fabris omnium generum adhibitis, qui exornarent Auro *statuas insignes*, & Veterum Artificum labores. quo facto Civitatis gloriam auxerunt, sed *Ministrorum* Iram accenderunt; quibus intempestiva *Iconum pulchritudo* displicuit: ac Aureâ Celaturâ Cruce refectâ, dispositæ Vigiliæ ad custodiam ejus, *ne Puritani in Imagines sævirent*; quæ Occasionem Offensionis darent. Inter hæc, homines Curiosi in Speculis stetêre, observantes quemadmodum unusquisq; se gereret, *in retinendâ Instauratâ Religione, spretâ Romanâ.* Multitudo plurima indies Operibus aspiciendis conveniebat: multiquè etiam *Pontificij* ventitabant, ut Signa viderent quasi *reviviscentis Romanæ Religionis.* Noctu ad Crucem velatæ accessêre Anus decrepitæ, *ut Simulachra Divorum venerarentur.* Undè graves *Ministrorum* Querelæ, sermonibus hominum celebratæ sunt, palàm dictitantium, *ad Dei gloriam pertinere, ut pravi istiusmodi Cultus penitùs abolerentur, & Statuarum Vsus, tanquàm in Deum contumeliosus, è conspectu hominum tolleretur, qui animos bonorum offenderet.* Quidam *Prædicatores*, metu periculi frænari non potuerunt, quo minùs hâc de re *in Concionibus liberè loquerentur*, quererenturquè *die Inventionis S: Crucis, Velum refectæ Cruci ademptum, Specie Papanæ Pietatis: & usum Imaginum, S: Patrum testimonijs damnatum, in integrum restitutum; hanc Ecclesiæ Pestem revocatam, quasi stirpem, ac semen Malorum omnium, nisi tempestivè extingueretur, ac deleretur.* Adversarij, *Imagines in foro, in Templis, non ad vanam superstitionem, sed ad Speciem Vetustatis valere voluerunt. Itaq; Imaginum profligatores seditiosos censuerunt, ut resisterent & Levitati Multitudinis, & Catharorum Temeritati.*

Per hoc tempus, in *Vlteriore Britanniâ, Thomas Hamiltonius Milrosiæ Comes*, pecuniâ & Agris potens, *Secretarij loco exutus est*, quem multis Annis obtinuerat; quòd clàm Regis Conatibus adversaretur; &

Avaritiam

Avaritiam inexplebili cupiditate exerceret. *Gulielmus Alexander*, Equestris gradus, cujus operâ *Iacobus & filius in Supplicibus libellis usi erant*, ejus locum, ac amplissima Præmia pro præteritis suis Officijs adeptus est; & Munia *Scotici* Imperij obivit, pleraque ex præsenti usu. Celebrata in vulgus *Alexandri* fama; nec Proceribus ingrata fuit: tulitque demum Dignitaris Ornamenta, nec Sibi, nec Majoribus sperata. *Hamiltonius* his rebus permotus, atquè animi Conscientiâ, adversùs publicum Odium Abolitionem Criminum impetravit. 1626.

Cæterùm *Rex* cum quid placeret magis de *Decimis, Cænobijs, & hæreditarijs Muneribus, generali Revocatione* ostendisset, quàm Principali Auctoritate constituisset; citati Proceres protinùs in *Cænobium S: Crucis* venerunt, quò *Apolecti* edixerant Conventum: multiquè etiam *Inferioris Ordinis* convenerunt. Postularunt Apolecti, *ut Proceres, Cænobia, ac Decimas suâ sponte sursùm redderent: non desperanda Regis Benignitati se submitterent: & Ecclesiasticorum Pensiones ratas esse finerent: utq; Rex præstantibus magis debitum Officium, quàm exigentibus gratiam referret.* Auditis Postulatis, fremitus multorum *Procerum* fuit, non in occulto, sed coràm *Apolectis Regis*, fortunas & rem familiarem defendentium, & Cautiones in re tanti momenti adhibentium, in quâ *Majores Regis* cùm Nobilitate largè liberaliterquè egissent. Has ob causas decrevêre Proceres, *ut Rothusia & Limnuchi Comites, ac Laudonim Vicecomes, ad Regem, levandi gravaminis Causâ, cum Mandatis mitterentur.* qui Iter ingressi haud lentè festinabant. Cum eorũ adventus *in Aulâ* percrebuisset, *Rex* sperni Majestatem suam hoc facto ratus, *missis literis, jussit, quocunq; loco occurrissent, in Scotiam redirent.* Quæ *Stamfordia* in viâ redditæ, Metu ac Indignitate exanimarunt legentes. Proceres attoniti, *Postulata Consiliarijs Regis edunt:* atquè petunt literis, *Sibi Senatum dari.* Rex ad retinendam Auctoritatem, *in Conspectum suum venire vetuit.* Cum in hâc difficultate rerum *Proceres Stamfordiæ* hærerent; *Alexander ab Epistolis*, adhibito *Taichia Comite*, Regi consuluit, ut Sententiam mutaret, *ne quis impediti Nobilissimos viros dicere posset, quo minùs de Injurijs liberè quererentur.* Qui Congressum, Colloquiumquè Regis eis impetravit, suffragante *Taichia Comite, jam Senatus Scotici Præside.* Inde à *Veredarijs* protinùs in viâ aditi, quos *Alexander* datis Mandatis misit, *Londinum* venerunt: introductiquè in Curiam, *ad genua Regis procubuerunt, orantes ut veniam eis daret Iuvenilis Temeritatis, & in gratiam reciperet.* Rex ætatis & Conditionis admonens, palàm dixit, *eos esse Dorcadibus similes: quia Seniores, urgente discrimine, inter venandum, Iuniores periculis objiciunt.* Cum hoc Responso dimisit; & *Postulata ad Taichia Comitem, & Alexandrum ab Epistolis remisit*; ut liberius, absente se, consulerent: & Querelas delatas audirent. Qui crebra cum *Apolectis* Colloquia habuerunt, *ut quoad sine Iacturâ Coronæ fieri posset,* fortunis Procerum consuleretur: disseruerunt què, *nihil fieri, nisi quod liceat; concessumq; sit Veteri Instituto Majorum: & ad Majestatem Principis pertinere, ne Acta ejus per Proceres rescinderentur, cum quibus benignissimè semper egisset.* His rebus auditis, Apolecti spatium ad benè deliberandum sumpserunt: tandemquè partim Spe, & gratiâ, partim Metu Offensionis, *Revocationem cum Conditione approbarunt*; ut Apolecti Regis, *habitâ ratione personarum, & Possessionum, Civili mente judicarent, ac decernerent; Stipendia Ecclesiasticis, pro modo Rustici cujusq; Prædij, assignarent, qui Sacris præficerentur.* Item decreverunt, *Regi, pro singulari ejus Merito, ex Decimis Annuam Pensionem, à singulis Possessoribus exigendam: & in eam rem operam suam pollicentur, in Conventu Procerum: & debitis Resp: Muneribus se non defuturos, Neq; Regis Auctoritati refragaturos.* Hæc cum ad *Regem* referrentur, *Taichia Comite referente*, Proceres benignè appellatos dimisit: *pro Decumanâ liberalitate gratias egit: Postulataq; eorum ad Collegium Apolectorum retulit: Diploma Revocationis in paucis immutavit, restringens verba generalia, ad Alienationes Patrimonij Regij, & Ecclesiastici, adversùs leges factas.* & admonens *Procuratorem Fisci*, literis datis *in Regiâ Londini*, XXVI *Ianuarij*; & alijs datis *Vanstedij, undecimo Iulij, ut Recusantes Apolectorum Iudicium spontè subire, in Causâ Revocationis, nomine suo prosequeretur. Et hæc ita observari Principali Auctoritate præcepit.* Diploma perferendum *Edimburgum*, *Taichia* Comiti tradidit; cui summam rerum *Scoticarum*, suffragante *Bucingamio* permisit. Atquè ille ut semper fuit apertissimus, insitâ naturæ Vanitate, ac Insolentiâ intolerabili, *Invidiam* primùm concitavit, deinde *Odium* acerbum provocavit, postremò *Occasionem Inimicis præbuit exercendæ Vindictæ*: cum voces ejus temerariæ percrebuissent, quas habuisse in familiari Colloquio ferebatur, ut suo tempore dicam. *Causa autem Revocationis*, mota hoc Anno, & Superiore inchoata, *tracta ultrà Trigesimum tertium est; in quo, de Iure Coronæ, & Ecclesiasticorum Bonorum, præsente Rege, plenius constitutum est.*

Carolus Rex ad Danum Avunculum sustinendum, nihil non Curæ diligentiæquè adhibuit. Jussitquè, *ut Veterani Scotorum Tribuni, Legiones supplerent; Spineus Baro novam legionem conscriberet; Nithisdalia Comes tria Millia Peditum, in Scotiâ mercede conduceret: Carolus Morganus, Anglorum Tribunus, Quinquè Millia Veteranorum, in Belgio gratiâ & pecuniâ compararet.* Tribuni, Centurionesquè cum Militibus, pleriquè etiam suâ sponte in *Germaniam* profecti sunt. *Nithisdalia Comes*, Copias quas scribendas curaverat non traduxit.

Nunc *à Britannicis rebus, ad Germania bellum transgredior.* Ubi hoc tempore, *Mansfeldius Pontem Dessaviensem, & Vrbem, Altingeri Tribuni Præsidio insessam*, ex improviso aggreditur. Creditur, non ob prædandi, aut spoliandi cupidinem, in curam Oppugnationis versus; *sed ut Transitu Albis hostes arceret.* Primo impetu cæsi, disjectique *Mansfeldiani*. Irritatus eo Successu *Mansfeldius*, vertit Iram in *Propugnaculum Pontis impositum*; quod non meliore eventu tentavit. *Velstenius*, cognito hostium Consilio, *& Obsidione Pontis*, præmissis *Sblecij* Cohortibus, ad auxilium *Altingeri*, ipse cum reliquis Copijs subsequitur. Fama fuit, *ejus Exercitum* XX *Millium numerum supergressum.* Ut in conspectu Acies fuêre,

Tubæ,

1626. Tubæ, Cornuaquè cecinerunt. *Mansfeldius* præliorum avidus, Occasioni non defuit; Militum suorum Audaciam accendit; atrox Prælium, & diu anceps fuit. *Sed ut turbatos vidit Pedites, cum Equitatu elapsus in Agrum Brandeburgensem perfugit.* Cæsariani lentè fugientes persequntur, ne parta Victoria Temeritate militum corrumperetur; quos plura Passuum Millia insecuti, assequi non potuerunt. Spe consequendi abjectâ, *Zerbium, quod Mansfeldij Præsidio tenebatur*, trucidatis Præsidiarijs, recuperarunt; Novoquè præsidio firmarunt. *Multi hujus Cladis culpam in Niphausonium Tribunum meritò transtulerunt, Proditioni magis, quàm Prælio intentum.* Qui dùm miscerentur Acies, abjectis armis, *Legionem suam Valstenio tradidit*: quæ res Cæteros Pedites repentino terrore turbavit, & in fugam præcipites egit. cæsi qui restiterant, *capti fugientes Mille Quingenti, & duo Tribuni; Præfecti, Centurionesq; aliquot.*

Ipse *Mansfeldius* recuperandi decoris cupidine incensus, nequaquàm animum despondet, dispersos Pedites colligit; quos in Legiones distribuit; bellum renovat. *Megalopolitanus Dux duas Legiones*, in Auxilium ejus mittit. Præter has, *tres Legiones ex Scotiâ* expectat, quas *Nuhisdaliæ Comes* scribendas curaverat; *& unam, cui Spinaus præerat.* Prætereà magnum Numerum militum *ex Inferiore Saxoniâ*, Supplementi nomine. Auctis Copijs, improvisis Incursionibus nequè die, nequè nocte ullam hostibus quietem relinquit. Plurima, eodem tempore, ad *Tilium* Auxilia convenerunt. Nam & *Ferdinandus Imperator, & Isabella Equites, Peditesq; ad illum miserunt: ex Germaniâ verò, Bohemiâq; Tribuni, Præfectiq; cum Turmis Cohortibusq; venerunt.* Quibus viribus fretus, Bellum moliri *adversus Danum* acriter cæpit.

Per eosdem dies, *Christianus Brunsuicensis Regulus, effusus per Ditionem Moguntini Præsulis*, ferro igniquè cuncta populatur; & *Mauritium Hassiæ Principem* sibi conjungit cum Copijs, quas raptim cogere poterat. *Moguntius* Nuntijs ad *Tilium* missis, quanto Regio, omnibus belli detrimentis affecta, in discrimine esset, certiorem facit. Lamentabiles Nuntiorum querelæ, *bellum omittere, quod in manibus erat adversùs Danum, coegerunt.* Ejus adventus *Brunsuicensis Reguli* impetum tradavit: terruitquè *Mauritium Hessorum Principem.* Inter quæ *Brunsuicensis*, æstu & diuturno labore Militiæ jactatus, *cum febri Volfeboteliam rediit. Ibi multò gravius vehementiusq; conflictatus, extinctus est, in robore ætatis.* Vir quidem egregius, sed Juvenilì fervore ferocior, quàm tempora Belli, vel Ingenia hostium postularent; temperatumquè fervidum ejus ingenium, toto Germanico bello, Prudentiâ ac Moderatione *Mansfeldij Collegæ*: magnoquè ejus Mors damno *Dano Avunculo* fuit; quod nec operâ, nec Auxilio talis Viri diutius uti posset.

Tilius, extincto æmulo, in Regionem *Mauritij Hassiæ Principis* universum Exercitum traduxit. Ibiquè *Cassellæ*, primario Regionis Oppido, Castra admovit. *Mauritius* periculum veritus, *quæ imperasset Cæsar obedienter facturum se pollicitus est; & Operâ ac Consilio adjuvandi Regulos destitit.* Omisso igitur *Hassiæ bello*, omnes Copias *in Agrum Brunsuicensem duxit, & Mindam gravi Obsidione cinxit*: trucidatoquè ibi Præsidio *Danorum, & Clutio Tribuno qui Urbi præerat*, magnum, excidio ejus Urbis, pavorem vicinis injecit. Tum hoc Successu elatus, longius procedendum, & *Getingam Oppidum, Danorum Præsidio insessum*, oppugnandum existimavit. In hâc perturbatione *Germaniæ*, *Mansfeldius* auctis Copijs *ex Scotiâ*, Regionibusquè *Germaniæ* propinquis, *duodecem Millium numerum* explevit. Vires hostium, difficultatem Belli, & recentem Cladem suam secùm reputans, desperatis in Germaniâ rebus, *Pannoniam Inferiorem petere intendit, ad sollicitandum Bethlemum, Daciæ Principem, adversùs Cæsarem*: vaticinansquè, *graviorem, se futurum in Pannoniâ hostem, quàm in Germania fuisset.* Sed occultat Consilium, ne præscisseret *Valstenius*, omnibus ejus Conatibus intentus. *Et Nocte in Silesiam, cum Veimariensi Saxone proficiscitur. Valstenius* parùm gnarus quam Regionem peteret, Turmas Equitum ad explorandum, quò Iter faceret, misit: *qui Silesiam petere cum omnibus Copijs retulerunt.* Quâ re cognitâ, relictis gravis armaturæ militibus, & aliquot Equitum Turmis, ut *Tilius* ijs Copias suas augeret, Equitatu præmisso, ipse cum expedito Peditum agmine, *digredientem in Silesiam magnis Itineribus persecutus est*; ut à latere, aut à tergo, in Augustijs carperet Postremum Agmen. *Mansfeldius* peritus rei Militaris, cunctis Belli artibus ludificatus est hostem; & facilem securumquè Transitum in *Silesiam* invenit.

Inter hæc *Tilius Hessiâ discedit; & Gatingam, in Agro Brunsuicensi, arctâ Obsidione cingit.* Præsidiarij fortiter impetum ejus sustinuerunt: atquè ultrò in Obsidentes irruerunt, studium Alacritatemquè pugnandi ostendentes. *Danus*, ne cum infamiâ Castris se contineret, cum omnibus Copijs *ad Gatingæ Obsidionem solvendam profectus est*; quam summâ vi *Tilius* oppugnabat: Misitquè Nuntios ad Obsessos, ut commemorarent, *se in tempore affuturum, si Obsidionem tolerarent. Tilius ubi Regem Volfeboteliam venisse* cognovit, majore vi Urbem noctu ac interdiu adortus, Conditionibus demùm in Deditionem accepit. Et tentandum sibi *Northemium* destinavit. *Rex de Northemio sollicitus*, ne *Tilius* eò converteret Copias, Præfectos cum expeditis Cohortibus præmisit, ut Oppido providerent: qui Commeatus, & alium Belli apparatum importarunt. Ita Urbi Industria regis salutem attulit. Ubi *Danus* appropinquare dicebatur, *Tilius* Pugnæ avidus, *Valstenij* legiones Turmasquè relictas per literas Nuntiosque accersit; Copijs suis conjungit; *Northemium* oppugnare desistit; & magno impetu contendit ad Regem.

Eodem tempore *Philippus Hessiæ Principis filius*, summæ Nobilitatis Adolescens, cum Equitatu ad

Castra

Castra Regis advolavit; lætissimus *Danis* adventus ejus fuit. Rex, cognito *Tilij* adventu, Prælij Consilium abjecit; *Aubsfeldiam* versùs Iter facere cœpit, & *Dudarstatum* oppugnare instituit. Sed tenuit vestigia ejus *Tilius*, quacunquè flectebat: assecutusquè eum propè *Lutram, Brunsuicensis Reguli Arcem:* in Tumulo haud procul distante à Castris Regis consedit; & descendere Regem in Aciem, ac dimicare coegit. Erat inter bina Castra aliquot Passuum planicies. *Danus* hunc locum idoneum ratus est, quia *Equitum Multitudine* pollebat. Postero die, utrinquè in Aciem est discensum. *Tilius* luce primâ, Copias omnes Peditum Equitumquè eduxit: hortando, pariterquè obeundo Munia Ducis, suos accendit. *Danus* sibi dubitandum non existimavit, quin Acie dimicaret: & Copias ex adverso instruxit; ad studium Alacritatemquè pugnandi cohortans Milites. Nec mora Prælio. Tubæ, Tympanaquè cecinerunt. *Cæsariani* subitò impetum in hostes fecerunt. *Regij* fortiter eorum impetum sustinuerunt. Atrox utrinquè Cædes. *Hessia Princeps*, Turmis obequitans, globo per pectus trajectus, cecidit. Ipse *Tilius*, ad partem periculi capessendam progressus, laborantibus Auxilia summisit. Ubi supervenerunt *Veterana Cohortes*, vicit Veterum Militum virtus, & exercitati Ducis Prudentia: tantusquè terror *Danis* incussus est, ut passim diffugerent. *Pedites fermè omnes cæsi. maxima pars Equitum, cum ipso Rege fugerunt, Volfenbotelium petentes:* eòque Pedites, qui supererant, vestigia equorum sequentes, se contulerunt. *Tilius* Victoriæ certus, omnem Equitatum, expeditissimosquè Milites ad persequendum Regem misit; *qui non effusâ fugâ, sed cedendo sensim Volfenbotelium pervenit. Tiliani*, timentes ne sequendo fessi circumvenirentur, ad suos redierunt. Proditum à Cæsarianis temporis illius Scriptoribus, *Ducentos de Exercitu Cæsaris interfectos: suprà Quinq, Millia Danorum eo prælio cæsa: duo Millia capta: Sexaginta Militaria Signa, & Tormenta Viginti duo erepta. Spectatum in Aere Sanguinolentum gladium; & Aciem ejus in Dani Exercitum porrigi visam.* Quæ res erexerat animos *Tiliani* in pugnâ: Miraculi fides sit penès Authores. Non paruo Interfectorum numero Scriptores inter se discrepant. Ipse in re dubiâ Numerum adijcere nolo. Inter Occisos præcipui Nominis fuerunt, *Philippus Mauritij Hessia Principis filius; Fuxius Præfectus Regius; & complures Tribuni, Legatiq, legionum:* Nec incruentum *Cæsarianis* prælium fuit. *Tilius* recenti Victoriâ ferox, *Cæsarem, & Isabellam* de suis rebus gestis certiores fecit: exposuitquè, *fusum fugatumq, hostium Peditatum: suas Legiones incolumes: concussum jam, & penè fractum Danum: debellatum in Germaniâ esse; finemq, Bello impositum.* In eam Spem erectus *Cæsar*, majora moliri cœpit. *Isabella Tilium, ad Reliquias Dani persequendas instigavit.* Qui in Urbibus Arcibusquè recipiendis, quæ Præsidio *Danorum* tenebantur, tempus terit: omnesquè ferè Vi aut Metu subactas, in Ditionem accepit: & *Inferioris Saxonia Regulos in Obsequio Cæsaris tenuit.*

Nec *Danus* victus quievit. qui objectum se periculo cernens, antequàm *Albim* traijceret, cum ijs quæ prælio supererant Copijs, *flumen trajecit.* Delectu raptim per Urbes *Inferioris Saxonia* habito, ad *Fœderatos* misit Nuntios, ut partem belli capesserent; & Copijs adjuvarent. Jam securus, adversùs hostem, dissipatis Copijs collectis, & alio *Peditatu* per delectum comparato, *Albiq, rursùs trajecto, Bremam versùs Castra movit; ut pro Religione Orthodoxa, & Germania Libertate dimicaret, in quâ genitus, educatusq, esset; proquè Socijs Regulis, ac Amicis.* Indè progressus, ad videndum quâ maximè parte *Hojam Arcem* aggrederetur, *globo brachium ictum est.* Curato vulnere, Arcem, post paucos dies, in Deditionem accepit. Deinceps alia quædam Oppida ignobilia occupavit: & *Volfenbotelium, Neostadium, ac Steinburgum* in partibus suis tenuit. *Tilius*, si institisset Regi, egregium Victoriæ fructum habere potuisset. Sed patiendo *eum Albim traijcere*, & rursùs vires colligere, Bellum Cunctatione aluit: aut milites ejus, gravitate Belli, & Inopiâ Alimentorum conflictati, pugnandi Alacritatem deposuerunt.

Per hos dies, *Mansfeldius magnis Itineribus in Silesiam pervenit.* Ibi concitatis Popularibus, apud quos magnæ Auctoritatis erat, cum in *Bohemiâ* militaret, *tres Vrbes, Techenam, Lagendorsium, ac Tropariam* accepit. *Valstenius* insequens, levibus sinè effectu Certaminibus, multis ex suis amissis, parùm profecit. *Vimariensis Saxo*, in tumultuariâ pugnâ fortiter restitit: multisquè prosperis Prælijs partes adjuvit. *Mansfeldius* agitans jam animo *Iter in Moraviam*, Copias inspexit, Arma, Equos, & cætera instrumenta Militiæ. Indè partito Exercitu, ut parti alteri *Vimariensis* præesset; *Sibi Milites* agilitate corporum præstantes, delegit: *Et* Peritissimos Urbium oppugnandarum delegavit. Sed antequàm in *Moraviam* proficisceretur, ne *Silesia* sinè Præsidio esset, *Vimariensem* cum Copijs præfecit. Qui propè *Oderam* Castra permunijt: *Techeniam, Iagendorsium, ac Tropariam* Præsidio Commeatibusquè firmavit: procul domo, graves Militiæ labores, discriminaquè toleravit: *Lichnitzium Oppidum* primo impetu expugnavit; omnes qui restiterant ad unum interfecit; ac *Trecentos Milites* in præsidio Urbis collocavit. *Mansfeldius*, ita divisis Copijs, tentandam sibi *Moraviam*; atquè indè in *Hungariam* proficiscendum existimavit. Qui cum expeditis Cohortibus, Turmisquè Equitum extemplò profectus, *Viginti duos Pagos Cardinalis Ditrichtenij diripuit, incenditq,:* æquè raptim *Tres Vrbes in finibus Moravia* occupavit, *Oderburgum, Ostram, & Tessaviam;* ac multas villas fumantes in Provinciâ reliquit. *Valstenium* propè vestigijs instantem, flectendo Itinera per anfractus Montium, elusit: & in *Hungariam*, ex magnis belli Motibus satis tranquillam, penetravit. Ubi in limine Regni, *Ornatus Istuanus, Præfectus Dacia Principis, Buccojana Cladis Memoriâ insignis*, cum magno Equitum agmine occurrit; & ad *Bethlemum* deduxit; qui multâ Comitate coluit, fovitquè. Hic finis sequendi *Mansfeldij* fuit. *Valstenius* considere, ac conquiescere Agmen jussit, tum diuturno Itinere fessum.

 Quia

1626. quia Mandatum *Cæsaris* habebat, ut ibi militaret, ac majores Copias opperiretur, si bellum ingrueret.

Atquè interim *Mansfeldius Bethlemum accendit: oravitq;, ut datis Dacorum Auxilijs, bellum se inferre Cæsarianis pateretur.* Post paucos dies, *Dacia Princeps decrevit, ut Bellum Cæsari indiceretur, quod Hungaria Palatinus, Legatus Cæsaris, rupto Fœdere, bestialiter egisset:* eamquè Injuriam se Bello ulturum commonefecit. Simul magnas Copias comparavit; & conjunctò sibi *Mansfeldio*, partem Provinciæ Cæsareæ Ditionis ferro ignique depopulatus est. Concursum sæpè magnâ Cæde, & dubio Eventu; *missiq; è Belgio in Subsidium Valsteinij equites. Merodo quodam Præfecto ardentius Prælio congressi, turbantur; Trecentis ex ijs interfectis*; Spoliaque & Prædæ referuntur; arsitquè bello Provincia: utriquè *Flumine* pro Munimento usi sunt. Gravis hæc Militia *Germanis* per Autumnum esse cæpit, procul à terrâ, in quâ geniti essent: *plurisq; gravitate Cæli, quàm gladio periêre*; maximèquè qui sub *Mansfeldio* militarent. Tum ipse *Valstenius* renuntiari Cæsari jussit, *se tanquàm gravem ac duram horrere Pannonicam Militiam. Debiles, atquè inutiles, tædio belli, milites esse: cupere omnes exauthorari cum gratiâ Cæsaris; aut domi militare.* His commotus *Cæsar, misit legatos ad Daciæ Principem*; qui suo nomine expostularent, *cur nuper icto Fœdere, redintegratâquè Amicitiâ, Bellum renovaret, sinè justâ causâ?* Ipsi ad *Bethlemum* profecti sunt, eiquè Mandata exposuerunt. Respondit, *se Injurijs Palatini Hungariæ provocatum, Arma sumpsisse; pro certo habere nequè Iussu, nequè Voluntate Cæsaris, facta esse, quæ Palatinus nefariè fecisset: Malle se Iure disceptare, quàm Armis experiri; locumquè delegit Presburgum Colloquio Apolectorum, ut de Injurijs cognoscerent.* Legati Principi gratias egerunt; *& Cæsarem Apolectos Presburgum missurum dixerunt.* Ibi facta Pax, & resocillata Amicitia est. Quod graviter, & iniquo animo *Mansfeldius* tulit. Jam omni Spe perditâ, Propositum Ultionis retinens, *relictis ibi cum Dacia Principe Copijs, Bello Morbisvè non absumptis*, Tormenris, Machinisquè; Ipse modico comitatu *Duodecem Tribunorum, Præfectorumquè, Budam concessit*, quæ Præsidio *Turcarum* tenebatur. Atquè indè *per Bosniam, & Dalmatiam, Venetias Mari petere intendit, ut Odium adversùs Austriacam familiam conceptum acrius exerceret*; Bellumquè funestum renovaret. Sed Consilia ejus ad nihilum reciderunt.

Atquè interim *Ioannes Saxo Vinariensis in Silesiâ circumfert Bellum*; quos fidos *Cæsari* cernebat depopulatur. Indè progressus in *Moraviam*, proximam sibi Præfecturam palàm bello vexavit: Munitissimam *Artem Cardinalis Ditrichteinij*, privatâ ac publicâ Opulentiâ refertam; deinceps alia Castella, Urbesquè occupavit, firmavitquè Præsidijs, ac Munimentis; *& in Silesiam rediit*, meliore famâ, quàm Fato: quià post paucos dies Morbo absumptus, famam suam prospero Belli eventu auxit; Vitæ finem diuturnitate laboris periculique maturavit: dignus longiore ævo, si Numini placuisset. *Cujus morte ingemuit Dania Rex.*

Sub idem tempus, *Agrestes Austriæ commoti, magno tumultu ad Bellum consurrexerunt.* Qui prædæ aut Ultionis cupidine, sed Religionis Obtentu, grassantes per Agros, finitimam Regionem Ferro Igniquè vastarunt; Spolia Prædasquè domum referentes. Hoc tempore, *erat ea pars Austriæ Bavariæ Duci à Cæsare oppignorata, pro Impensâ in recuperandâ Bohemiâ factâ.* Qui Comitem *Erberdorfium* Rectorem præfecit; & *Lintzij* considere jussit. Is compertâ Seditione, seu *Rusticorum defectione*, non dubitavit totam *Austriam* arsuram teterrimo Bello, nisi promptius ortum Incendium extingueret; cum aliquot Cohortibus Peditum, & Turmis *Croatarum Equitum* Conatibus obviam ivit. *Agrestes homines* Prælio congressi, in præcipitem fugam, & *Lintzium* repetere coegerunt. *Hic Casus ortam Seditionem auxit*; & plures ad Arma excivit. Qui *Stephano Fadingero duce, Austriam usquè ad Dravum fluvium incursavère*, raptantes spoliantesque: & omnes Urbes in ripâ fluminis *Velsiam, Lampacham, Vakenburgum, Gemundam* occupavère; & alia deinceps Castella. *In Corpora Pontificiorum nefanda Supplicia ediderunt, truncatis Naribus, Auribusquè: & Templorum spoliatione*, præ Impotenti Irâ, non abstinuerunt; dirueruntquè non *Altaria* tantùm, sed & *Monumenta*. Post paucos dies, auctis Copijs, *ad Lintzium, cum decem Millibus Peditum, accesserunt, Bavarorum Præsidio insessum; & Cohortibus Croatarum. Erberdorfius Præfectus Bavari, Urbi præerat*: sed priusquàm oppugnarent, miserunt ad Oppidanos, qui monerent, *ut Præfectum dederent, si vim experiri nollent. Id ni fieret, Direptionem, ac Incendium Civibus & Præsidiarijs minitantur.* Qui Minis non territi, Tormentis per Muros dispositis, temerè subeuntes coercuerunt. Hæc Oppugnatio diu *Rusticos* tenuit, imperitos oppugnandarum Urbium. Ea cum audisset *Ferdinandus Cæsar, & Lintzium oppugnari*; ne qui Motus major in propinquis *Vienna* Provincijs oriretur, consultavit, *Vtrùm in Seditiosos animadverteretur? an fervente adhuc Bello, lenius agere placeret?* Vicit lenior Sententia: Missiquè Apolecti à Cæsare, ad leniendam Seditionem. Qui *Lintzij* Obsidioni supervenerunt. Beneficia Cæsaris in Rusticos, & cuncta quæ ad eorum sanandas Mentes pertinere arbitrabantur, commemorantes: *& percunctantes, quæ causa Seditionis, Defectionisquè subita esset?* Quibus ferociter respondent, *Atroces atquè indignas Injurias à Comite Erberdorfio, legato Bavari viri; Bavarisquè militibus, fidelibus Cæsaris Subditis factas. Nec usquè aliò se, quàm ad Cæsarem, Querelas delaturos. Orant, ut Apolectis suis Cæsarem adeundi, deplorandiquè Miserias Rusticorum hominum, atquè ex Auctoritate hac renuntiandi, potestatem facerent.* Causis Rebellionis auditis, potestatem fecerunt. *Missi Viennam Sex Rusticorum Primi.* Qui auditi, Agrestium ærumnas, ad eam diem ignotas, flebili voce exposuerunt: obsecraruntquè suppliciter

supplicìter Cæsaream Majestatem, ut, ex innatâ Principali Benignitate, Confessionis Augustanæ liberum 1626.
Exercitium, atquè ex Cæsareâ Auctoritate permitteret; ac Bavaricas Copias, libidine, ac licentiâ grassantes, Provinciâ deduceret: Erberdorfijq; Præsidium Lintzio excedere juberet. Quibus impetratis, Obsequium Fidemq; nunquàm defuturam pollicentur. Cæsar Injurias Rusticorum in se commemorat, & Culpam Defectionis: indignatur, bonis ac fidelibus Subditis, qui in Austriaca Familia fide antiquitùs erant, gravissimas Injurias factas; Initium Belli inferendi ab ijs ortum: & obsessum Lintzium queritur. Atq; ex Auctoritate Cæsareâ denuntiare jubet, Conditionem nullam se admissurum, nisi Agrestes ab Armis discederent; Obsidione abstinerent; Copias dimitterent: Clementiæ omnia permitterent: ac Authores nefariæ Defectionis traderent. Adjecit, nisi Voluntati obtemperarent, frustrà posteà Veniam quæsituros. Præbuitquè hoc tristi Responso Alimentum Seditioni; ac intempestivis Remedijs furorem in Rabiem vertit. Apolecti frustrà diebus aliquot consumptis, infectis ijs, quorum causâ venerant, in Castra undè profecti erant, redierunt: & Iram Imperatoris renuntiarunt. Quâ compertâ, Indignatione simul ac desperatione Salutis accensi Rustici, Obsidioni Lintzij acrius institêre. Nam missi Viennam Nuntij, expectatiquè indies, aliquamdiu Otiosos Obsidentes tenuêre. Mox Muri pars strata Tormentis, quam ferociter aggrediuntur. Sed Croatæ Præsidiatij impetum fortiter sustinuerunt, repuleruntquè à Muris, Missilibus; ac Ruinam refecerunt.

In hâc Obsidione Stephanus Fadingerus, Supremus dux Rusticorum occubuit. Post obitum ejus, ad Agatzium Villingerum, Fabrum ferrarium, omnium Suffragio, Imperium delatum est. Qui divisis Copijs, ita ut pars altera Obsidionem continuaret, Ipse cum aliquot expediris Millibus, Ens Oppidum, in ripâ fluminis ejusdem nominis situm, primo impetu expugnavit: Armatos omnes, fugientes pariter, ac repugnantes, fædè atquè hostiliter trucidavit: & ingentem pavorem vicinis Urbibus injecit. Quod ubi Bavariæ Duci relatum est, Opem ferre circumsessæ Urbi constituit; misitquè in Subsidium Quatuordecem Naviculas, Commeatu, alioquè belli apparatu onustas. Quæ medio fluvio defluxerunt; Vrbemquè nocte intraverunt; minùs intentis in flumen Rusticis. Hic Casus Rebellantium animos perculit. Qui Spe potiundæ Urbis abjectâ, relictâ Obsidione Castra indè moverunt. Eoquè non minùs sibi cessandum ratus Bavariæ Dux, misit quosdam è Præfectis suis, cum aliquot Millibus Peditum, Equitumq;, ut sparsos & inconditos Rusticos opprimerent. Dux Holsatiæ, cum sua legione, propè Lichteneccam Agrestes inopinantes adortus est; tantumquè Metum incussit, ut Munimentum oppletis fossis desererent; & ad doloo animos converterent, cedentes simulati timoris specie. Mox pulsatis Campanis, Sparsos & inconditos sinè Ordine ac Signis convocarunt. Dein Acie instructâ, flexoq; subitò Itinere, ad pugnam redierunt; & ingentem Bavaris terrorem injecerunt: plurimos vulneratos, compulsosquè in Fossas, Telis obruerunt. Deinceps milites Limbeij, Bavarici Tribuni, sparsi atquè cæsi sunt. Hoc successu inflati Rustici, Caurzinum, in Bohemiâ, ex occulto occuparunt: ubi Tectis publicis, privatisque quàm plurimis locis ignem subjecerunt.

Gliscenti indies Seditioni, Lobelius strenuus Cæsaris Tribunus arma opposuit. Ens Oppidum recuperavit; & alia ignobilia Oppida, partim voluntate, partim metu, deserta. Rustici, proprio in Cæsarianos odio accenduntur, excidium Servitiumquè metuentes: & Spem expugnandi Ens Oppidum capiunt. Verùm, cum multis suis vulneribus pulsi, in proximos Vicos refugiunt. Lobelius perculsis terrorem addidit: Mille ferè cæsi, & decem Tormenta capta. Ipse dux Villingerus, inter tumultum ægrè evasit. Hâc Calamitate edocti Rustici, iterùm Congressum Colloquiumq; Apolectorum Cæsaris petiêre: quo impetrato, miserabilius quàm antè Vastationem Populationemquè Bavarorum deploraverunt. Sed pari Misericordiâ auditi sunt. Responsumquè ab Apolectis, Veniæ locum non esse, nisi Clementiæ Cæsaris se committerent. Hoc Responso irritati, acceptæ Cladis acriores vindices ultoresquè fuêre; & haud procul Velsiâ, cum Lobelio Prælio congressi, tergum vertere coegerunt. Is post paucos dies, rursùs cum ijs, ad Gemundam pertinaciter conflixit, haud imparem eventum expertus. Ubi Mille ex suis, qui Primi Agminis fuerant, amisit: & inter eos quosdam genere Illustres, Baronem Posbemium, cum duobus Shafenbergæ dominis; ac aliquot Primarijs viris. Arsissetquè Rusticorum bello Austria, nisi Popenhemius cum sex Millibus Veteranorum, in tempore subvenisset. Is promptus, & acer, cum Agrestibus Quatuor Prælijs congressus; Pernelo eorum duce, Primoribusquè vulneratis, aut interfectis, Cæteros continuis Cladibus fregit, contuditquè. Postremò, apud Efferdingam fudit, fugavitquè. Ibi suprà duo eorum Millia cæsa: Cæteri fermè omnes Danubio hausti sunt; quia non patebat effugium. Ita Popenhemij Industriâ, Quies Austriæ reddita: cui gloriam ejus gesti, perfectiquè belli, omnes concesserunt. Quâ re cognitâ, Cæsar non dubitavit, quin nefariæ Seditionis Authores sanguine luerent: ac in futurum tempus grave documentum statueretur, ne quis unquàm talia auderet. Decrevitquè, ab ijs Perfidiæ, Sævitiæ, ac Sceleris pœnas expetendas esse. Cæteris pœnitentibus Culpæ veniam dandam. Tum Defectionis Authores requiri cæpti: qui propter Conscientiam Perfidiæ discessu ac fugâ sibi consulunt, metuentes Supplicium, quod meruerant. Cæteri Clementiâ compositi, ad Aratrum redière. Hæc hoc Anno in Germaniâ, Pannoniâ Inferiore, & Superiore gesta.

In Belgio Spinola, toto hoc Anno, belli securus, magnum Opus ac arduum aggreditur. Inter Rhenum Mosamq; Amnem, latam Fossam, immensâ Altitudine, producere instituit; ut Rhenum Mosæ, apud Venloam conjungeret; & Commercium Batavis hostibus averteret. Innumera Multitudo effodere, aut Terram humeris egerere conspicitur: Nec minor Populus Agrestium, proximis è Pagis, & ex Urbibus ipsis, visendi

1626. visendi cupidine effunditur. Cum cæterâ turbâ, *quidam Batavi, ad Opus visendum, excurrunt.* Multus super eâ re variusquè rumor, diversis studijs celebratur. *Bergensis Comes, Præfectus Equitum, Operi præsedit; Baticis Legionibus, Turmisquè Equitum per Aggerem dispositis; additis etiam Munimentis:* quo facilius Opus molientes tueretur, si hostium vis ingrueret. *Eodem posteà Aurasionensis Princeps venit;* & metum tantum ex propinquo Fodientibus ostendit; *derisitq; Vanitatem irriti Operis*, in nihilum recasuri, & facilitatem Credentium. Rumor *Canalis inchoati*, in Circulis, disputationibus, Colloquijsquè familiarium habitus, magnâ formidine *Populum Batavorum* affecit. At Prudentiores securi, *non satis latum Canalem, Nec satis altè effossum, ad Iter aquarum disseruerunt; Spemquè perficiendi operis inanem ostenderunt.* Tandem non modò *Milites*, sed & *Pagani*, insolitum laborem pertæsi, cum parùm proficerent, ab opere cessarunt, diuturnitate laboris fatigati. Difficultas Operis manifesta fuit; ac Inane cæptum evasit. *Spinola, publicis Opibus in Fossione exhaustis, Somnia sua falsa, sequè Spe inani elusum sensit.*

Cæterùm, in *Galliâ*, Pace compositâ, Civilis Belli Incendium extinguitur; Regni Securitas restauratur; Subditorum obsequium revocatur: *Regia* dignitas pristino Splendori restituitur. Pauci Nobiles *Protestantes*, ad Spem novandi res versi, Præmijs in Officio continentur. *Mittuntur in Provincias Apolecti, firmandæ* cum *Protestantibus Pacis causâ:* Qui cum *Rupellam* venissent, Magistratus eum Insignibus Urbem intrantes publico hospitio exceperunt; & extemplò in Curiam vocarunt, *vt quævellet Rex coràm in communi Consilio exponerent.* Introductis Apolectis Potestas dicendi facta est. *Qui de Bonis Pacis, Cladibus intestini Belli, tot Vrbibus dirutis, tot Provincijs evastatis; ac de Beneficio Regis, Pacem ac Libertatem Religionis concedentis, multis verbis disseruerunt.* Ibi primùm *de Missâ celebrandâ* Mentio injecta: *quæ Consensu Civitatis, die Ascensionis, in Templo Beatæ Margaretæ, celebrata est.* Et omnia Voluntati Regis permissa, ut Conventum erat; ne bellare necesse esset. *Edictum deindè Pacis per Præconem propositum est*, ut Mos est Gallis. Quo audito, magno & inopinato gaudio Cives percussi sunt. *Flagitatumq;*, Nomine Regis, *ut pristinum Vrbis Regimen maneret: Prætor, Vrbicique Magistratus, communi Consilio, res administrarent: Quadraginta Octo Syndicos Civitatis, immoderatè, ac intemperatè vivere suetos, exauthorarent: Monitiquè, ne Consilia cum Externis Principibus consociarent.* Prætor, Magistratusquè Obsequium profitentur; *& Majestatem nominis Regij vim majorem habituram, quàm Arma: nec nisi Spe omni abscissâ, Auxilium Britanni imploraturos.* Ita dimisso Consilio, Apolecti in hospitium revertêre. Motæ autem *Syndicorum* mentes sunt, secretas Conjurationes intrà se voluentes. Magistratus suadent magnoperè, ut Seditione abstinerent, Regiquè ac Edicto parerent; debitam, justamquè Ultionem exhorrerent; Memores veterum recentiumquè Cladium. Hæc Magistratuum vox erat, pro Auctoritate Imperij, quod gererent. Cæterùm, Vulgi alia Sententia fuit, *Syndicos* pertinaci Acclamatione foventis; & Probra in Apolectos jacientis. Ac primò *Sermones tantum occulte* in Circulis habiti; *Seditio* deindè erupit; postremò, *ducenti armati Vestibulum Prætoris Vrbani compleverant: Vbi ille esset, procaciter percunctantes, cujus Imperium sequerentur:* digressis qui Prætorem frequentabant Satellitibus, solus deprehenditur, abripiturquè vi; propalàm abnuens, se Seditionis Defectionisquè eorum futurum Socium. Vulgatâ Civilis furoris rabie, Optimates de vitâ Prætoris solliciti, Juventute urbanâ excitâ, arma cæperunt; dilapsisquè Seditiosis, qui vim Imperij abstulerant; *Prætorem Iura reddere fecerunt.* Is stipatus Armatorum turbâ, Fora, Vicosquè circumiens, Seditiosos Animi Vultusquè Constantiâ terruit; evanuitquè temerè ortus furor, sinè vulnere, sinè Sanguine. Postero die, Prætor, Magistratusquè Apolectos certiores fecerunt, *expertes Seditionis Cives fuisse: Plebem sinè publicâ Authoritate concitatam; mitigatam placido Sermone procellam: nihil tristius esse admissum: Civitatem in Fide, ac Officio mansuram; & compositam cum Rege Pacem sanctè servaturam.* Apolecti *se ea relaturos ad Regem* responderunt; & *Rupellanos* compositâ Pace gaudentes, ac *Tadonium Propugnaculum demolientes*, haud procul Muris, reliquerunt.

At Fato turbidæ res secutæ sunt. Quippè *Toirasius, Rhetensi Insulæ Præpositus, eam permunijt*, Subsidium adversùs Rupellanos, si Pacem turbarent: omnem *Santonum* Regionem Armis, Viris, Equis complevit; & Oram Maritimam Navibus. *Rupellani*, cum viderent, quid sibi extemplò patiendum foret, *cum Toirasius hostis antè Portum esset; Munimentum Ludovici æterna Servitutis Iugum, Causa belli, adhuc staret, quod dirui debuerat; & Pontificij Muris appropinquarent, ad eliciendos Cives;* sustulerunt animos, ac *Rebellionem* cæptavêre: Unicam Spem Salutis suæ in Armis ponentes; & de *Libertate Religionis* cogitantes. Auditâ Rebellione, *Francorum Rex* diu dissimulatum Bellum *Rupellanis* inferre parat. Cæteros *Protestantes* Clementiâ composuit, ut communi Saluti in perturbatâ Rep: subveniret. Hic Civilis Furor temerè ort[illegible] Tranquillitatem Pacis Tempestate discussit; *& munitissimæ Vrbi exitium attulit*, ut suo tempore dicam.

Insuper, *in Valle Telinâ Pax firmata*, & repentina Quies Provinciæ Cultoribus reddita. Conditiones Pacis dictæ, *ut Hispanorum, & Francorum Reges bellandi finem facerent: Nova Munimenta, Belli incitamenta, diruerent; Neu posteà reficerent. Incolæ Liberi suis legibus, Moribus, Institutis viverent: Quosq; fines in tranquillâ antè bellum Provinciâ habuissent, tenerent. Rhætorum Iurisdictioni eximerentur. In Causâ Religionis Pontifici Romano, ut Animorum Parenti obtemperarent: Propugnaculaq; ei diruenda traderent; Neq; alia exstruerent.* Hæ Conditiones Pacis *Monsonij in Hispaniâ* conscriptæ, consignatæque sunt. *Legati Gallici* domum ferre jussi, *Regi* ediderunt. Ita *Hispanorum & Francorum Reges discordes, coerciti dissensionibus,*

1626.

dissensionibus, in gratiam redeunt: diremptum Commercium in integrum restitutum; & à Manuum injectionibus posteà temperatum est. Hinc Mercatores, & Navicularij lætari cæperunt.

Inter tot Casus fortunæ, Ducum, Agminumquè Clades, *Gustavus Sueciæ Rex, Major ullo ætatis suæ Regum*, Heroicâ Indole animi, ac Militari gloriâ, cum *Livoniam totam* fere in potestatem suam perduxisset; hoc Anno, *coacto Exercitu XXVI Millium armatorum, in Borussiam, quam alij Prussiam nominant, magnâ Classe descendit; & Fauenbergam*, tradentibus Civibus, in Deditionem accepit. *Braunbergam* indè majore labore cæpit. Deinceps *Elbingam, Mariburgum, Vrbesq; Prutenicas Maritimas* in potestatem redegit. Cum tot opportunæ Urbes in Ditionem venissent, *Gedanum, vulgò Dantiscum, Metropolim adortus*, terrâ Mariquè obsidere parat. Ponte strato, & Munimento excitato propè *Dursbavium*, non *Vistulâ* modo flumine adeuntes arcuit; sed *fauces quoq; Portus* navi Bellicâ occupavit; & Navigationem Civibus infestam fecit. Intereà *Suecus*, Regio animo usus, *Gedanensium* Magistratus monuit, ne Initium Belli ab ijs oriretur: petijtque *ut Vectigalia quæ Sigismundo Poloniæ Regi penderent, ipsi persolverent: Navesq; Polonicas, quæ in Portu erant, cum Tormentis, Machinisquè traderent: & Neutrum eorum contrà alterum juvarent.* Illi memores veterum Beneficiorum *Poloniæ Regum*, in quorum fide antiquitùs erant, nihil Pacati responderunt; Milites conscripserunt; pro numero Militum pecuniarum summas descripserunt; Muros, & Munimenta refecerunt. Quâ Pertinaciâ eorum permotus *Suecus*, acrius in Ultionem exarsit: omnibus Belli detrimentis *Dantiscanos* affecit; & terrore præsentis Exercitus, universam *Borussiam* implevit. *Sigismundus*, cum jam vix sustinerent Obsidionem *Gedanenses*, in Subsidium *Sex Millia Equitum, & duo Peditum è Sarmatiâ misit; qui Torvvio, Præfecto Sigismundi se conjunxerunt. Karndevitzium*, locum Castris cæpêre; & Spem Auxilij Obsessis ex propinquo ostenderunt. *Gustavus*, Artis Militaris peritus, Equitum numero impar, Equestre Prælium devitavit: & loca aspera Castris delegit, *juxtà Poplizij Cænobium, Quinq; Millia Passuum ab urbe Gedanensi*: ubi Hyemare constituit; Præsidijs receptis Oppidis impositis, & Custodijs diligenter dispositis, ut Obsessi Commeatu, & Auxilio prohiberentur. Sed sæva hyems liberum Commercium Onustarum Navium, ex omnibus Provincijs, Obsessis præbuit. *Torvvius quoquè Sueci Munimentum, propè Dursbavium excitatum, oppugnare aggressus est*, ut Civitatem Obsidione eximeret, ac *Vistulam fluvium interclusum aperiret*: sed multis vulneratis, interfectisquè, à Præsidio *Suecorum* pulsus, omisso Incæpto temerario, in Castra redire coactus est. Ut Metum *Sarmatis* defensum Munimentum intulerat; ita *Suecis* fiduciam auxit. Cum Castra Castris haud procul distarent, levibus quotidiè Certaminibus contenderunt. Quibus tumultuarijs Prælijs *plures Sarmatæ, quàm Sueci cadebant.*

Annus hic *Funeribus Militarium virorum* insignis, inter quos celeberrimi nominis duces Fato concesserunt. *Ernestus Mansfeldius, Familiæ Austriacæ semper acerrimus Inimicus, cum ad Venetos per Bosniam Moldaviamquè proficisceretur, Pthisi in Itinere correptus, gloriosam animam, in Moldaviâ, Deo reddidit.* Is privatas Inimicitias cum *Hispano* habebat, ex Injuriâ fraudati Stipendij, in *Belgio* conceptas; quam adeò ægrè tulit, ut per multos Annos Militiâ abstinuerit. Cæterùm, inchoato *Bello Bohemico*, præferens in vultu gestuquè memoriam Injuriæ acceptæ, ex calamitate *Austriacæ domus* Ultionem quæsivit; *Germaniâ* crudeliter evastatâ, ac *Cæsarianis Provincijs* gravi damno afflictis. *Nemo magis enixè Palatini Partes juvit, in tuendâ Bohemia, in recuperando Palatinatu; sæpèq; renovando Bello*, ut in Contextu Operis patet. Rumor absumpti *Mansfeldij* ad Cæsarem venit; missiquè extemplò, *qui Bruxellas, ac Madritum gaudium ingens nuntiarent.* Totam *Europam* fama Mortis pervasit; varièquè animos hominum affecit, pro insito Amore, aut Odio in Papanos. *Austriaci*, gloriæ Viri infensi, *Athilam Hunnorum Regem appellabant*; qui tot Funerum, tot Cladium causa fuerat. *Germani*, suæ Partis homines, *ut Vindicem Libertatis, Imperijq; celebrabant*; quod incredibili virtute, periculoquè vitæ suæ, Bona fortunasquè eorum conservarit. *Danus* Morte ejus vehementer indoluit; *& abscissum sibi Brachium prædicavit. Veneti* ob res benè, fortiter, fæliciterquè gestas, & insitum in ipsos Amorem, *Monumentum quàm amplissimum, publicâ Impensâ, faciendum curarunt*; ad Memoriam Posteritatis sempiternam; ac Titulum humati adhibuerunt.

In *Galliâ Franciscus Bona Digierus, Magister Equitum, Septuagenario major, moritur*. Is in primâ Juventâ, Juri Civili operam dedit; & Forensem Industriam *Grationapoli* exercuit. Deindè in robore ætatis, Armorum studio teneri cæpit; seque totum, *abdicatâ togâ, & sumpto Sago Militari*, ad Arma convertit; & *Protestantium* partes Civilibus Bellis secutus, vigorem animi in Prælijs, Peritiam in obsidendis Urbibus, in Militari disciplinâ singularem Industriam ostendit: ac per omnes Militiæ gradus, ad summum Militaris gloriæ fastigium ascendit, extincto *Luinio Æmulo*; *Sed mutatâ Religione*, in quâ genitus, educatusquè esset, fluxæ Fidei documentum Posteris præbuit; materiamquè sermonibus hominum, *cum habitu novæ fortunæ, Noviq; Magistratus, Cultum Romani Pontificis induisse objectantium*; *quem antè Magistratum spreverat.* Referre piget nimiam cupiditatem *Pellicum*, in Juventâ, quæ indies aucta, in extremâ Senectute mitigari non potuit. *Gallicarum rerum Scriptores*, Clarissimis Romanis ducibus *Marco Catoni, & Fabio Maximo comparare ausi sunt.* Audeo affirmare, sinè Adulationis metu, *Ernestum Mansfeldium Principem, promptiorem Acrioremq; Ducem fuisse*, si hominem cum homine, Ducem cum Duce conferre velint; & Vitia Naturæ, ac fortunæ, justâ Trutinâ pensare; quamtalibet Magnitudo hominis, *Francorum* animis concipitur. Collectâ *Civilium Bellorum* Fælicitate, in *Italiâ* tamen ei prospera fortuna non fuit; & tot Annorum Fælicitatem penè in discrimen adduxit.

1626. In *Germaniâ* quoquè, hoc Anno, duo Imperatores, *Brunsuicensis, & vinariensis*, fato occubuerunt, Virtute, Consilio, Magnitudine animi, rerum gestarum gloriâ *Digiero pares:* qui Germaniam fractam *Cæsarianorum* armis, fœdissimâ Servitute liberarunt; Salutemque Patriæ vitæ suæ præposuerunt.

Didacus Sarmienta, Gundimariæ Comes, Famâ Ingenij, ac *Britannica* Legationis notus, in *Angliam* contendit, quò Philippus eum miserat, *ut Iacobum Regem, gravi periculosoquè Morbo affectum conveniret*; qui vi Morbi oppressus est. Is Morte Regis nuntiatâ, abjectâ Spe Reconciliationis, modico Comitatu in *Hispaniam* proficiscens, longinquitate Itineris, & gravitate inveterati Morbi sessus, *in Legatione vitam amisit; cum Pyrenaos Montes transcendisset, etiam propè Gallitiam venisset*. Cujus nec Prudentiæ, nec diligentiæ *Philippum* ullo tempore pænituit, in maximis Regni Muneribus.

Thomas quoquè Scotus, gente Anglus, qui *Famosis libellis* ingenij famam quæsivit, *Batavorum gloria contrà Nomen Baticum semper favit*, voluntarium sibimet Exilium indixit; & adversùs *Gundimarum Legatum* scribere libere ausus est; hoc tempore *Vltrajecti Exul* (furore, an fraude gregarij militis incertum) interfectus est; *Vocem Maris liberam, Voci Populi adjecturus*, (ut ferunt) si diutius vivere contigisset.

In *Britanniâ*, hoc Anno, Mortui sunt *Thomas Havartus, Suffolciæ Comes*, genere Illustris; & *Franciscus Baconus, S: Albani Vicecomes*, qui Sigilli Custos factus, paternos honores superavit; sed fœlicitatem ejus æquare non potuit. Nam *Pater Nicolaus Baconus*, Equestri gradu contentus, infrà *Praturam* mansit; & gratiâ, Imperio, Auctoritate ad vitæ usquè finem floruit; vir dignus maximo Reip: munere. *Filius Praturam adeptus*, Varius, Levis, Futilis habitus; Sordiumquè, Judicio Ordinum, damnatus, Spectaculum acerbum & miserum humanæ Sortis præbuit. Hi duo, *Suffolcius, & Baconus*, non magis congruente tempore Mortis, comparabiles mihi videntur, quàm congruentiâ Morum ac fortunæ. Haud dispar quoquè habitus animorum fuit. *Vterq; publico Iudicio Sordium damnatus. Hic Praturâ, ille Quæsturâ exutus:* intolerandæ Potentiæ Invidiam sibi conflaverant; & Neuter eorum satis dignum splendore anteactæ Vitæ finem habuit. *Baconus sinè magnâ Impensâ sepultus est, sinè Marmore, sinè Effigie*, ne diri hominis Simulachrum Spectaretur. *Suffolcius Fato functus, sinè publico honore elatus est.* Delatum in *Agrum Cantabrigiensem* à Cognatis & Clientibus Cadaver, ubi *Theophilus filius, & Hæres, apud ædes suas longè pulcherrimas, Marmoreo Sepulchro honestavit:* quia Familiæ creverant Opes, Munificentiâ *Iacobi Regis*, & Affinitate *Baroduni Comitis, opulentissimi; cujus filiam Theophilus in Matrimonio habuit:* coluitquè Fidem Conjugalem, usquè ad vitæ exitum.

Eodem Anno *Lancelotus Andreas, Præsul Vintoniensis, exacta ætatis, moritur*. Vir certè ob Virtutem, omni laude dignus; qui doctissimo, præstantissimoquè ingenio, summâ Virtute, Pietate, Probitate Morum, vitæ Sanctimoniâ, Munificentiâ in Pauperes, longè antè alios eminebat. Is opimis *Sacerdotiorum* Reditibus; ditissimus evadens, multa moriens *Divinæ Charitatis Monumenta* reliquit: sed maximè *Aulam Penbrochianam*, cujus in Juventâ Alumnus erat, opibus auxit: quæ Beneficia ejus Posteria commemorabit. Honor Sepulturæ maximus habitus est Mortuo, & *undecimo die Novembris*, quàm amplissimè funeratus est. *Episcopus Eliensis, funebri Oratione, in Templo S: Salvatoris laudavit:* & in ejus Morte decorandâ nihil prætermisit: cui nullus honor tribui, nisi debitus, potuit. *Epitaphium* meditatum in Memoriam Posteritatis subjeci.

LECTOR

Si Christianus es, siste:
Mora pretium erit,
Non nescire te, qui vir hic situs sit;
ejusdem tecùm Catholica Ecclesia Membrum,
sub eâdem fœlicis Resurrectionis Spe,
eandem D. Iesu præstolans Ephiphaniam.
Sacratissimus Antistes Lancelotus Andreas,
Londini oriundus, educatus Cantabrigia,
Aulæ Pembroch: Alumnor: Socior: Præfector:
unus, & nemini secundus.
Linguarum, Artium, Scientiarum
humanarum, Divinarum omnium,
infinitus Thesaurus. Stupendum Oraculum,
Orthodoxæ Christi Ecclesiæ,
Dictis, Scriptis, Precibus, Exemplo,
incomparabile Propugnaculum.
Reginæ Elisabethæ à Sacris,
D. Pauli London. *Residentiarius,*
D. Petri Vestmonast: *Decanus,*
Episcopus Cicestrensis, Eliensis, Vintoniensis,
Regiquè Iacobo tùm ab Elemosynis,
tùm ab utrinsq; Regni Consilijs,

Decanus

1626.

Decanus deniq; facelli Regij.
idem ex
indefessâ operâ in studijs;
summâ Sapientiâ in rebus;
assiduâ Pietate in Deum;
profusâ Largitate in Egenos;
rarâ Humanitate in suos;
spectatâ Probitate in omnes;
æternùm admirandus.
Annorum pariter, & publica Fama satur;
sed Bonorum passim omnium cum luctu denatus.
Calebs hinc migravit ad Aureolam Cælestem,
Anno
Regis Caroli II°. ætatis S. LXXI.
Christi M.D.C.XXVI.
Tantum est (Lector) quod te mærentes Pôsteri
Nunc volebant; atque ut ex voto tuo valeas. Dicto
Sit Deo gloria.

Iacobus Matonelius, Æbudanus, Insulis exactus, & in vincula ob Maleficia, Contemptum legum, & Magistratuum conjectus, Carcere erupit; & suis rebus planè diffidens, in *Belgium* profugit. Ubi aliquot Annis Exul, in maximis Miserijs vixit. Revocatus indè *Iacobi Regis Clementiâ, ac Annuâ Pensione Sexcentarum librarum munificè donatus*, Luxu ac Libidine profudit. Vergente deindè ætate, hoc Anno, in Angliâ, non in Patrio Solo, *Lue Venereâ confectus*, impuram vitam finivit. Is corporis & animi robore commendatus, *Maclenium Cantiera dominum*, multis Naturæ dotibus insignem, eximiâ formâ, ac Proceritate corporis, crudelissimè interfecit: insitâ Naturæ Ferociâ, intestinas discordias in Insulis fovit; & externis viribus Potentiam suam stabilire nixus est. Insulani domino liberati, & metu coacti, omnium rerum Arbitrium Regi permiserunt. qui magnam hâc Moderatione, Clementiâ, ac Munificentiâ, laudem assecutus est.



RERUM BRITANNICARUM HISTORIÆ,

Auctore ROBERTO IOHNSTONO.

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.

1627. N *Britanniâ* ea præcipua cura erat, *ut Classis pararetur, instrueturq;, in Auxilium Rupellanorum*, Opem ferre orantium. In ultimo fortunarum omnium discrimine, prætermitti Defensio Sociorum à Calamitate; deseriquè Officium, sinè Ignominiâ, non potuit. *Bucingamius Præfectus Maris*, cui liberum hujus Belli arbitrium permissum, dilectu raptim per Provincias habito, Copias Terrestres, Maritimasquè comparavit. Omnem Curam ac diligentiam adhibuit, ut Centuriones, Tribuniquè eos potissimùm eligerent, quorum Corporis species, roburquè virium, aptum Militiæ videretur. *Ioanni Borrovesio, Fortissimo Tribuno, Imperium Terrestrium Copiarum, & Legati Auctoritatem demandavit.* Qui *Germanico Bello* summâ Virtute ac Industria laudem meruit: multis gaudentibus, quod *Gallico* etiam Consilio, ac Operâ talis viri usa esset Resp: Is omnibus alijs omissis, *Tirones* armavit, instruxitquè; Telis, Armisquè instructos Signa sequi, & servare Ordines docuit; alijsquè Militaribus Institutis exercuit. Sed cum animadverteret, *Gallos Equestri Marte fidentes*, ex Juventute duas Equitum Turmas conscripsit; *quarum alteri Bucingamius Carolum Montsojum Iuvenem*, indole animi, & Patris Militari gloriâ insignem; *Alteri, Gulielmum Cuningamium*, optimâ Disciplinâ sub *Mansfeildio* institutum, præfecit. Indè Copias per Vicos, Villasquè dispertit: Commeatum per Provincias Maritimas contrahit; Curam Navalis Apparatus diligentissimè habet: item Minora Navigia fabricat, Præsidij causâ; quæ vel *Portus Maritimos* undique servarent; vel lacessentes *Pradones* ulciscereutur. Deniquè curat, *ut à Piratis Mare sit liberum*, & Negotiantibus tutum Mercibus supportandis, exportandisvè, cum Quæstu, Compendioquè & Principis, & Populi. *Peningtonum prædatum in Galliam mittit*; qui omnem Oram *Neustria, & Armorica Britannica* devastavit: multisquè Navibus aut metu, aut voluntate in potestatem redactis, fortunas plurimorum Civium diripuit; ac Injuriam, *in Garumnâ flumine* acceptam, severissimè ultus est: ex eoquè tempore, tantæ discordiæ secutæ sunt, *ut in Galliâ Mercatorum Navigatio conquiesceret; in Britanniâ, Regione Mari cinctâ, Insulis circumdatâ, non solùm Præsidij, sed etiam Prædandi causâ, navigaretur.*

Vervicensis Comes, Charitate Patriæ Juvenilem animum stimulante, Principio Veris, *cum Classe octo magnarum Navium, suis sumptibus ornatâ, in Hispaniam trajecit*; sperans se onustis Navibus *Iberorum* occurrere posse. Interim *Philippus*, nec sibi nudanda *Litora*, Neque nudandos *Portus* existimavit. Quare *Propugnacula Batici Imperij, Arcesq; Maritimas Præsidijs firmavit*, Stationes, omnemquè Oram Maritimam Classe occupavit, Custodijs circà Portus diligenter dispositis, ut suos à Maritimis Incursionibus defenderet; ac prædandi licentiam coerceret. Sed *Comitem* propè afflixit Fortuna: *qui per Nebulam ad Classem Regiam delatus, instructam & pugna paratam*, cum Errorem cognosceret, nec effugium inveniret, pugnare coactus est. Ibi sustentatâ diu pugnâ, crebris Tormentorum ictibus penè obrutus, in Altum vela fieri jussit; & celeriter evectus, invectâ in tergum aliquamdiu *hostium Classe*, se in *Portum Plini fluminis* recepit: Ibiquè reliquas laceras Naves expectavit; quæ brevi secutæ sunt. *Franciscus deindè Stuartus, toti Officio Maritimo, poste Comitem, præpositus*, multis Tormentorum ictibus in redeundo defatigatus, serius eundem Portum tenuit. Hic Exitus hujus Expeditionis fuit; quæ *ipsi Comiti*, immenso sumptu, perniciosa, parùm Reip: profuit.

Inter hæc, *Spinola* magno in terrore erat, *à Classe Britannicâ*, & periculo Belgicæ Oræ. Nec minùs territi *Franci* tantâ Mole Belli imminentis perculsi, & detrimento rei Navalis accepto. *Legatos Hagam miserunt; qui nuntiarent Batavis, communibus Amicis, eò si venirent Britannici Oratores, ad Colloquium de Conditionibus Pacis, non diffidere cum ijs omnia conventura; & Causas Certaminum Æquitate, ac Humanitate aboleri posse.* Ut satis apparuit *Carolo Regi* tædere Belli Francum, *Dudlaum Carletonum*, in numerum Procerum adscitum, *Hagam misit*, ut de Compositione ageret. Qui ibi *Tilierum Comitem* cum familiari Comitatu operientem, invenit; & de Conditionibus refocillandæ Amicitiæ agere cæpit. *Batavorum Summa fuit voluntas, ut componeretur*, ac ab Armis discederetur; differentium, *duorum Regum Æmulationem in perniciem utriusq; erupturam.* *Tilierus* Iracundiâ commotus, & dolore repulsæ, quam in Angliâ perpessus est, *Querimonias magis quàm Postulata perpetuanda Concordia edidit.* Que-

stusquè

ſtuſquè eſt, Regis ſui nomine, *ſervos Reginæ per vim expulſos: Mercatores crudeliter direptos, ac facultati-* 1627
bus ſpoliatos; Noviſſimum fœdus Affinitate fultum, violatum, & ruptum. Pontificios, quibus Fœdere cautum eſſet, exulare, aut domi Injurioſius tractari. Adjecitquè *ſuſcipiendum quidem bellum ut in Pace vivatur, ſi nihil æqui impetrari poſſet. Carletonus, qui jam antè Legatione in Galliâ functus erat,* ad eas Controverſias diſceptandas, & leniendam Iram Regis reſpondit, *Inſolenter & arroganter abuſos eſſe Servos Reginæ Indulgentiâ Optimi Regis; traductamq́; in Britanniam Magnam Multitudinem, contrà Ius fœderis. Pulſos Eccleſiaſticos, quod Licentiam Vocis, & linguæ exercuiſſent; jactitaſſent ſeſe Contumelijs, ac Convitijs Proteſtantium; & locum Publici Supplicij Devotionibus frequentaſſent, ad Infamiam Regij Nominis, ac Imperij.* Deindè expoſtulavit, *Regis Britannici* nomine, *Fidem Pacis pacta Rupellanis, & Monpelianis publicè datam, violatam. Eos quotidianis Querelis nihil proficere, in Proteſtantium Injuriâ Regem ſuum eſſe deſpectum; Auctoritatemquè ejus ſpretam. Hanc atrociſſimam Injuriam funeſti Belli cauſam fore, niſi pacta fides ſervaretur.* Poſtremò denuntiavit, *ut à Rupellanis, Socijs Britannici Regis, abſtineret: ſi id fieret, pronuntiavit omnia Francis integra eſſe, ad inſtituendam fideliter Amicitiam, cum Britannicâ gente; ac conſtituendos Apolectos, ad Controverſias diſceptandas.* Elatus deindè Irâ *Legatus Gallicus*, dixit, *Crimina quæ Servis Reginæ, & Eccleſiaſticis objicerentur, meras Calumnias eſſe.* Res extracta eſt varijs Altercationibus: & diſceptatio ſine exitu fuit: cum Mercatores, & Nautici, hinc indè, Fortunas direptas graviter conquererentur, & Aurum atquè Argentum ablatum non ſinè Contumeliâ, ac laceratione corporum; Nec Spes reſtitutionis affulgeret, in tanto detrimento, Bonorumquè direptione.

Inter hæc *Præfectus Maris Colloquij eventum operitur*; aditus ſæpè à *Subiſio*, ut feſtinaret orante. Cujus precibus permotus, quia Conditiones Pacis tranſigi non poterant, omnes ſuas Terreſtres, Maritimaſquè Copias contrahit; inſtruendi, ordinandiquè Curam Præfectis, Tribunis, Centurionibuſquè mandat: & locum conveniendi militibus, Nautiſquè *Portus Oſtium* ſtatuit. Intereà *Novi Apolecti à Rupellanis, jam tertiò Londinum venerunt, Auxilium adversùs Obſidium, haud dubiè imminens, orantes;* nuntianteſquè, *Toiraſium, Rhatenſem Inſulam, contrà Rupellanum Portum, munire. Celeritate magis, quàm Apparatu opus eſſe; urgere Bello Oppidanos, & nullam niſi in Armis Spem relictam: hauriendum Sanguinem, laceranda corpora, Vrbem diruendam, niſi extemplò Opem ferrent.* Mox placuit Regi *Bucingamium, cum Claſſe, Rhatenſem Inſulam petere,* priuſquàm corrobararentur hoſtes; & Munitiones inchoatas perficerent. Apolecti ſuppliciter agnoverunt Benevolentiam Regis; & Spem, Opem, Salutem in eâ ſitam, quod Bellum pro ipſis ſuſciperet. Itaquè *Claſſe* confeſtim ad Portus Oſtium traductâ, Nautæ, Socijquè Navales, ſinè tumultu conſcenderunt. Eodem Tribuni, Centurioneſquè cum Copijs convenerant; quæ erant *Sex Millia Peditum, & duæ Equitum turmæ*; quibus *Montiojus* præerat. Imponendi, ordinandiquè Milites *Borroveſio* cura fuit data. *Lindeſius Claſſis Subpræfectus erat*: qui Nauticos in Officio continuit. *Ipſe Rex Spectator aderat*, & luſtrandi Copias ſibi curam ſumpſit: *adhortans univerſos, ut laborantibus Socijs opem ferrent; & Præmia virtutis ex ſuâ Munificentiâ ſperarent.* Undè magnus omnibus ardor erat, *in Galliam* traijciendi; ne *Francus* Maritimam Civitatem, Conatibus opportunam, & vicinam Inſulam occuparet. *Bucingamius*, pecuniâ undiquè conquiſitâ, ſe ad iter comparavit: *Tormenta, Machinaſquè omnis generis, Vectium, ligonum, reliquiq́; ad fodiendam Terram inſtrumenti vim ingentem; cæteraſquè abundè Commeatus, in Naves aſportari curavit*; & magnâ Celeritate ad Regem contendit; *ut communiter conſulerent cum Subiſio, & alijs Exulibus è Franciâ;* cum quibus communicare *de rebus Gallicis* conſueverant. *Subiſius jurat, ſe Bucingamium non deſerturum,* & eundem Caſum ſubiturum, quemcunquè fortuna dediſſet. *Sanblancardus, & reliqui hocidem juraverunt, & fidem præſtitêre. Præfectus Maris*, ſalutato ſuppliciter Rege, *Menſe Iulio Naves conſcendit*; impoſitiſquè Militibus Vela fieri juſſit; completis ad Spectaculum Oppidi Muris, *& conclamantibus omnibus, ut Numen proſperum Curſum Navibus daret.* Quæ poſt paucos dies, ſecundâ admodùm Tempeſtate, *Rhatam* appulſæ, in Anchoris conſtiterunt; & inuſitatam, atquè egregiam *Claſſis Faciem* præbuerunt. Tubarum concentu, & Tympanorum ſonitu, *Littora Santonum* perſonabant. Sed haud facilem, maturumquè trajectum *Galli* expectabant. *Toiraſius quoq́, qui Inſulæ cum Præſidio præerat*, magno in terrore erat, propter adventum Claſſis; miſſiſquè literis, Regem, jam *gravi Morbo* implicitum, certiorem facit, *Bucingamium Septem Millia Militum advexiſſe: miſtos Francos Exules, Angloſquè, magni roboris Auxilia ex Aquitaniâ, & Narbonenſi Galliâ expectari. Niſi mitterentur extemplò, qui Rohanum, & Proteſtantes Rebellantes Bello occuparent, ſe cum invalidis Copijs Inſulam quoad poſſet defenſurum.* Auxerunt *Lutetiæ* formidinem hæ literæ. *Rexquè Morbo invalidus, totam rem ad Richlium Cardinalem rejecit.* Qui nullam rei gerendæ prætermiſit Occaſionem; Præfectos exire in Provincias coegit, ad tutandam Maritimam Oram. Inter hæc, *Toiraſius* adhibitâ Audaciâ & Virtute, quocunquè Littore applicuiſſent hoſtium Naves, deſcenſum impedire paravit. Poſtero die, *Præfectus Maris*, Scaphis magnarum Navium, *Navigijſquè compluribus contractis, Milites delectos impoſuit*: atquè eos in Promontorio, quod in aliquantum Maris ſpatium extenditur, expoſuit. *Sanblancardus, Gallus Exul, ſe in Scapham cum ſaltu conijciens, Vndis abſorptus eſt.* Eundem Caſum ſubijt *Ioannes Heidonus Eques, nobilis; Iohnſonus Architectus, & aliquot gregarij milites; Sexcenti incolumes in Terram lintribus tranſvecti ſunt.* Expoſitis Militibus, Scaphæ confeſtim remittuntur, ut reliqui in terram ſummâ celeritate exponerentur. Huic Officio præpoſitus *Borroveſius Legatus*, curam & diligentiam adhibuit. Inter hæc, *Toiraſius Arenæ tumulis tectus, cum Equeſtribus turmis, Voluntarijs, & Veteribus Militibus conſtitit*; cuncta quæ apud hoſtes gererentur vidit: Impetum Claſſis propinquæ

1617. timuit; minoremquè fiduciam prohibendi descensum habere cæpit; quoniàm primò venientes non prohibuisset. Ipsi Milites orare instituerunt, *ne morando Occasionem amisseret*. Ille *ducentos Cataphractos Equites*, cum expeditis Cohortibus, in Aciem eduxit; & Signo dato, incomposito Agmini terrorem intulit, cum appropinquaret. *Lindesim*, invectâ Classe, Tormentorum fulminibus intonuit; *stravitquè passim Corpora hominum & Equorum. Toirasij frater globo ictus è Navibus, interijt; & complures Equites eundem Casum subiêre.* Reliqui adorti Anglos Navibus egressos turbant, occidunt, vulnerant. Centuriones, Tribuni, & Fortissimi quiquè se ferocienti hosti opposuerunt; quorum plerique ceciderunt, fortiter pro Patriâ occumbentes. *Borrovesim* Navibus egressus, laborantibus suis opportunè Auxilium tulit; diligentiâ ac perseverantiâ Nautarum, & Equestres Turmas perculit. Inde Acie Anglorum instructâ, pugnæquè paratâ, pulsi Equites, cum aliquor Militum Centurionumquè nostrorum Jacturâ. Pedites, Tormentorum Fulminibus perterritos, in fugam avertunt; qui integri, atquè intacti ferè abierunt, ut Munimento clausi fame potiùs, quàm Ferro morerentur. Ex Nobilitate *Gallicâ* Primarij Juvenes permulti se in Munimentum inferre, non dubitaverunt. Postero die *Gallus quievit.*

Bucingamius, in descensu modico ab hostibus detrimento accepto, nec minore eorum jacturâ, Concilium habuit, cui *Borrovesius* affuit. Ejus eo inclinabat Sententia, *ut Castellum Prati, ab hostibus neglectum, ac invalido Præsidio insessum, quàm citissimè expugnaret; tempus oppugnandi S: Martini Munimentum differret, quod & Numero Militum præstaret, & majorem Circuitum haberet.* Authores erant plures, *ut protinùs Urbem S: Martini peteret; Munimentumquè oppugnaret; quod captum, Metum Castello, & proximis Insulis injiceret.* Itaquè post Triduum, cum Milites vulneribus, Salo, & Nauseâ confectos refecisset, cum omni apparatu oppugnandæ Urbis eò proficiscitur: *& sinè ullâ militum Jacturâ, Urbe potitus, Munimentum operibus obsedit, circumvallavitq;*; ut Commeatu, & Auxilijs intercluderet. *Lindesius* quoquè, qui absente Præfecto, Classi præerat, *litora Insulæ longè latèq; occupavit*; Auxilia Francici Regis prohibiturus; Portus Custodijs clausos diligenter tenuit: magnumque toti Oræ Maritimæ terrorem injecit. Quibus rebus elatus *Bucingamius*, Regem certiorem fecit, *possessam Rhatam, clausos hostes se, Obsidione Munimenti, tenere; Spemq; certam expugnandi esse.* Ille quasi Bello melior, quàm Pace clarescere cæpit, ut læta apud Cognatos, Affinesq; gloria, ita apud Vulgum adversùs Rumor, ac sinistra fama; *quod validas gentes conciret; Regem funesto bello illigaret; Inimicitiasquè ex privatâ Simultate conceptas, acrius exerceret:* quas Reip: nomine susceptas Amici dixerunt. Viri Militares disseruerunt, *adductam Remp: in maximum periculum, & extremum ferè discrimen; Exercitum Tironum magnâ ex parte esse: Eventum totius hujus Obsidionis in unius fortissimi Tribuni vitâ positum.* Nec fefellit Opinio; *Borrovesio exstincto.*

Inter hæc, *Toirasius, què Arci Præsidioq; præerat*, intentus in omnes Occasiones rei gerendæ, Stationes, Vigilias, diurna Nocturnaquè Munia in armis agitavit: Tormentis, Missilibusque Munimentum tutatus est: & omnem Curam ac diligentiam adhibuit, ut Commeatus toti Præsidio æqualiter distribuerentur. Modestiâ certarunt Milites, ne quid ultrà usum necessarium flagitarent. Ita præparatis utrinq; ad Oppugnationem, & Defensionem animis, *Bucingamius* scripto demonstravit, *se non inferendi Belli, sed liberandæ Rupellæ causâ in Franciam trajecisse. Iustum Bellum esse; & non sinè causâ susceptum. Protestantium atroces Injurias, spretam Britannici Regis, reconciliationis Authoris, Majestatem; & Religionem nuper icti fœderis, legatorum Britannicorum Sponsionem interpositam, apud Francum nullius Momenti fuisse. Rupellam, Sociam Urbem, Vi atq; Armis oppressam, cum diruere Munimentum Ludovici fides data esset. Ejus rei Fidem non servatam; Fraudem fœderis in perniciem Protestantium commentam, etiam si initio occultior fuerit, jam manifestam. Nihil æqui impetratum toties Legationibus missis: Armatum Regem suum aliquid impetraturum. has pij Belli causas esse. Paratam ad partes Protestantium sublevandas, & Injuriam Regis sui, ac Sociorum Armis vindicandam Classem: contractum Exercitum, & omnis generis Commeatus; majoresq; Copias mox venturas.* Deniquè rogavit *Francum, Edicta in Protestantium gratiam facta à se, religiosè servare, ne ad externum Bellum domesticam Seditionem adjiceret. Id si posset inducere in animum, pollicetur Deprecatorem apud Regem suum se futurum, & Reconciliatorem Pacis.* Hanc *Ducis* Magniloquentiam legere, audirevè sinè Indignatione *Franci* non potuerunt: dixeruntquè, *Protestantes neq; Vindice Libertatis egere, cum liberi viverent; Neq; Auxilio indigere, cum Pacem, Beneficio, ac Indulgentiâ Galliarum Regis, haberent.* Proindè ad *Rupellanos Thomam Bichierum, Equitem misit*; ut renuntiaret propensam ergà eos Britannici Regis voluntatem; quod implorantibus Auxilium Apolectis eorum, haud gravatè obsecutus esset; & celerius Spe omnium Opem tulisset. Is à *Prætore Urbano*, quem Vulgò *Majorem* appellant, in Concilium introductus, longâ Oratione Mandata exposuit; & dimisso Concilio, cum magno favore Multitudinis exceptus est, omnia in *Britanno* Præsidia vitæ posita existimantis. In præsentiâ curæ fuit *Rupellanis*, ut rerum Necessariarum Copia Auxiliaribus suppeditetur; & vulneribus ægri curentur. Cæterùm *Bucingamio* omnia suâ spe expeditiora fuêre. Quippè *Protestantium Octingenti instructi, armatiq; conjunxerunt se ei.* Sed fælicitatem suam Mora corrupit; *dum Arcem S. Martini obsidet magis, quàm oppugnat.*

Inter hæc, *Engolismensis* ad tutandam Oram Maritimam, à Senatu Dux delectus, *Rupellam invadere jussus est*, ne Commeatum, reliquumquè belli apparatum hostibus subveheret. Is legionibus, Prætorijs Cohortibus, & Equitibus armatis undique excitis, Castra antè Rupellam posuit; quam clausam terrâ tenuit, quoad *Rex* vi expugnaret. Sed *Classis Anglica* parata instructaquè, *Portum apertum* servavit. *Rupellæ Obsidionem ab Engolismensi inchoatam*, Rex toto animo agitavit, bellum terrâ, mariquè parari jussit, & salutem Regni vitæ suæ præposuit.

Intereà

Intertà Toirasius, qui Arci Præsidioquè præerat, nihil non curæ ac diligentiæ adhibuit, ut Munitiones festinatis operibus perficerentur; Milites à Tormentis Missilibusquè Tuguriolis defenderentur; aditusquè Gallicis Navibus pateret, quæ Frumentum Commeatumquè supportarent. Quod ubi à speculatoribus *Britannicis* animadversum est, renuntiatumque *Bucingamio*, ille Quatuor *laceras Naves, multâ saburrâ oneratas, colligavit, faucibusquè Portus objecit; in quibus Molem excitavit, quam Tormentis Machinisquè compleverat, ut Naves Gallicas ingressu ac recessu prohiberet*: Mariquè intercluso, Inopia Munimentum premeret. Præfectus *Toirasius* labore ac Patientiâ nostros vicit; & Munitiones Scalis transcendere tentantes, deturbavit, paucis suorum in defensione Munitionum amissis; multisquè nostrorum interfectis, vulneratisvè. Nec *Bucingamius* Munitiones remisit, Navalesquè Socios fessis Militibus, quotidianis laboribus, summisit. Frequenter etiam ex Transfugis cognovit, *Obsessos in summis Angustijs rei frumentariæ esse; tùm Aqua magnâ Inopiâ affectos; quia Putei æstibus exarescebant, & Fontes à Munimentis aberant longius.* Francos, tantâ undique Mole circumsessos, fors adjuvit. *Nam Moles Portui objecta, vi Tempestatis dejecta est. Bucingamius* ubi Propositum tenere non potuit, secundo usus Consilio, *obstruere Portum Malis, & Trabibus inter se connexis, aggressus est.* 1627.

Jam duo Menses transierant, & Autumnus præcipitaverat, cum *Toirasius*, nequè terrâ, nequè Mari adjutus, de Commeatibus propè desperaret: quod tantâ diligentiâ *Littora à Classe Anglicâ tenerentur; & Portus Novis operibus obstrueretur.* Quibus cognitis rebus, *Cardinalis*, cujus Curâ cuncta administrabantur, *agro adhuc Rege*, Milites Commeatumquè ex propinquis *Santonum, & Aquitaniæ regionibus*, Obsessis supportari, Scaphis & Lintribus jussit: Vecturamquè Frumenti *Maritimis Urbibus* descripsit. Ac nullæ ejus rei Occasiones prætermissæ, cum idonei flarent Venti. Navicula *Veredarij nomine, ob Celeritatem appellata*, per obscurum Noctis opem ferre Obsessis tentans, intercæpta est. Navicularij quidam cæsi, quidam capti, & ad *Bucingamium* perducti, *in conspectu ejus suspenduntur; Cadavera, truncatis manibus, brachijsquè in Mare abjiciuntur*; ut alij à tali Vecordiâ deterrerentur. Non tamen defecêre animis Obsessi, multùm adhortante *Toirasio*, Auctoritate & Exemplo, *ut Inopiam æquo animo ferrent.* Jam in his angustijs, per literas, *Nuntiosquè natantes, Cardinalem* certiorem fecit, *se, & quod cum eo Præsidij sit, in summo discrimine esse, nisi properè Commeatus supportarentur.* Quibus rebus permotus, huic toti negotio *Beaumontium Tribunum, Marsillacum Abbatem, Episcopum Mandensem, & Ricardierum*, præfecit; qui curam & diligentiam adhibuerunt, & Frumentum undiq; conquisiverunt. *Marsillacus Sex Naves*, Commeatu alioquè Belli apparatu onustas, *in Portu Olonensium* parat. *Ricardierus Totidem*, rebus omnibus necessarijs, in Subsidium Munimenti instruit. Quibus rebus cognitis, *Lindesius decem Naves Bellicas ad Fauces Portuum prodire jussit*; atquè alias prope Littus pluribus locis disposuit; ut Obsessi Commeatu, & Auxilijs prohiberentur. Fama *Anglicæ Classis* Incolis Oræ Maritimæ metum injecit; & Auxilia tardiora fecit, desiderio indigentium; quantoquè enixius *Galli* operam navabant suis laborantibus subvenire, tantò erant intentiores ad Custodias *Angli*, qui Navibus præerant; majoremquè Spem prohibendi habebant.

Cardinalis longius Obsidium ductum iri cernens, *& de Olonensium Commeatibus desperans*, quod tantâ diligentiâ, Portus litoraquè ab *Anglis* servarentur; juvare *Toirasium* minoribus Navigijs statuit, quæ appellantur *Pinnassæ, & Remis Velisq; pariter utuntur*: Scripsitque ad *Gramontium, Bajonæ Præfectum, ut Quindecem confestim armarentur, & ad Bronagium, sivè Portum Olonensium, cursum dirigerent.* Ille impigrè armavit, instruxitquè, pecuniâ ex Ærario in impensam constitutâ; eisquè *Balinum Navarchum*, animi fortitudine insignem, præfecit. Qui idoneum Ventum nactus, ad litora *Santonum* cursum direxit, & *Olonensium Portum* tenuit, ut Milites, Commeatum jam antè præparatum, aliumquè Belli apparatum *Obsessis* supportaret: quibus impositis, Silentio Noctis, Naves soluit, *& vi Venti, ac Remorum agilitate prætervectus, impetum Classis vitavit; & Portum, haud procul Munitionibus Gallicis, cum Quindecem Navigijs nactus est.* Quorum aliquot majoris formæ *concatenatas Trabes, & objecta in Alveo Portus impedimenta superarunt.* Reliqua Minora, revulsis vi vehementioris Venti, magnâ ex parte repagulis, *Malos Trabesquè propulerunt*: ac Fortunæ beneficio, & Nautarum diligentiâ *Portum tenuerunt*; Commeatus, & reliquum belli apparatum exposuerunt; & Obsessis solatium magis, quàm Auxilium tulerunt. Expositis Militibus, Commeatu, & reliquo Belli apparatu, omnes, incredibili fælicitate, *Custodias Anglorum elapsa, incolumes nocte insequenti redierunt*: infirmis Militibus in Terram expositis, quos devehendos Obsessi tradiderunt. *Angli* ægrè ferentes, Milites Commeatusquè ex Continenti advectos, meliore Custodiâ caverunt, ne quid posteà importari posset: & Novi operis molem orsi sunt; *demersas Naves rudentum nexu jungentes, ut Introitum Portus impedirent.*

Inter quæ, *Toirasius*, adhibito dolo, tractandis Conditionibus, *& Simulatione Deditionis*, tempus extraxit. *Bucingamius*, confisus syncerâ fide secùm agi, Incolumitatem Deditis pactus est. Ille extractâ jam æstate, per ludificationem hostis, de Deditione adhuc simulanter agere perseveravit; nihil aliud quàm Moram, & Dilationem quærens; ac *Bucingamio* significavit, *Regem consulendum esse; velle se idoneum hominem Lutetiam mittere.* Atquè ab eo petijt, *ut ipse suum hominem eò mitteret, quò majore cum Dignitate Pax, æquioribusq; Conditionibus, tractari conficiquè posset.* Quâ re impetratâ, *S. Surium* cum Mandatis ad Regem misit. *Cui Bucingamius Ashburnhamum, Cognatum suum comitem adjunxit*; confidens, Francum Conditionibus Pacis usurum. *S. Surius*, Nocte & die continuato Itinere, *Lutetiam* contendit, ut de Mandatis suis, & *Ashburnhami* adventu Regem certiorem faceret. *Ibi à Surio*

certior

1627. *certior factus est, de Postulatis Toirasij, Adventu Ashburnhami ad Colloquium, situ ac Formâ Castrorum, & Custodijs Classis, Inopiâ Alimentorum, Mari interclusos.* Rex ex gravi & diuturno Morbo recreatus, *Congressum Colloquiumq́, Ashburnhami vix auribus admisit*; jussitquè, ut renuntiaret, *Nullam Spem Pacis esse, nisi Angli Insulâ excederent; relictis Rupellanis.* Mox convocato *Consilio Procerum*, quæ mandata ad se *per Surium* delata essent, exposuit. *Nulli Pax placuit.* proindè decrevit, *pellendos Insulâ Anglos*: Nuntiumquè remisit, *hortans Toirasium, & Præsidium, ut labores & ærumnas æquo animo ferrent, ac Subsidium, in tempore expectarent.* Qui curam, laborem, Patientiam non remiserunt; nequè ullum periculum pro gloriâ Principis recusarunt.

Apud nostros, ex Mentione & Spe Pacis, *Negligentia in Castris* orta est. Tandem, relato responso *Francici* Regis, *Pacis Spem nullam esse*; Bucingamius acrius Obsidioni institit, Terrâ Mariquè. Per hos dies, *Borrovesius*, vir spectatæ Fortitudinis, ac Prudentiæ, in Vallo obambulans, & ex propinquo Opera hostium contemplans, *globo trajectus est.* Legato amisso, quantum detrimenti Exercitus acceperit, neminem præterit. *Classis* Mortem ejus vehementer indoluit; *& Missilibus* à Mari, *Munimentum* aggressa est; majore Obsessorum metu, quàm damno. Cum talis vir in Exercitu, ob Remp: obierit, placuit Regi, eum *quàm amplissimè funerari*; ut alij promptius pro Patriâ discrimen subirent: *ac afferri corpus Londinum jussit*, ut conspiceretur à Civibus funeris honos. Die funeris solenni pompâ elatus est, prosequente Senatu, ac ingenti Procerum turbâ; *æmulante Rege Magnificentiam Elizabethæ, in celebrandis Sidnei Exequijs. Sepulchrum Vestmonasterij, in Æde D. Petri, publicè datum est.*

Rupellæ Obsidionem, ab Engolismensi inchoatam, Francus toto animo agitabat; quod eâ Urbe in potestatem redactâ, debellatum existimaret; & magnum se, Excidio ejus, terrorem cæteris injecturum. His anxius Curis, *& leviculis Morbi* tentationibus, *Aurelianensem fratrem Terrestrium Copiarum Legatum constituit; Navibus, Maritimaq́, Oræ præfecit Guisium*; quem & ante præfecerat. Cæterùm, cum suis viribus *inexpugnabilem Classem* cerneret, coactus Necessitate, Præsidium ab Exteris quæsivit; *& Batitam Classem, per literas, Nuntiosq́, accersivit ad auxilium*; ne quid non contrà *Anglos* egisse videretur. Sed *Hispanus*, More suo, *magis Spectator, quàm Adjutor belli fuit*: & nec Juvare, nec prohibere Oppugnationem voluit. *Aurelianensis, Toirasio auxilium ferre contendit*, cum Inopiam pati ultrà non posset. Is postquàm *Castra Rupellana* attigit, ab *Engolismensi* festâ Tormentorum displosione salutatus, Mandatum sibi à Fratre Imperium accepit; convocatoquè *Consilio Procerum, Præfectorumquè*, curavit, *ne qua Eruptio ex Vrbe, aut impetus in Castra fieret*; & ad Curatores Annonæ scripsit, *ne Occasionem supportandi Commeatum dimitterent, quoties flarent idonei venti.* Quibus literis permotus *Ricardierus*, *Sex Naves Onerarias noctu misit*, ut supportarent Commeatum. Quarum *Quinq́*, hostili metu perculsæ, turpiter fugerunt; *Vna Portum tenuit*, & paucorum dierum Alimenta transportavit. *Ricardieri filius*, qui Navi præerat, *Præsidiarios infirmos, at Inopiâ laborantes*, confirmare vix potuit; quamvis renuntiaret, *magnum undiq́, Navium numerum contractum, qua Commeatum comportarent, Neq́, ullum flare Ventum posse, quin aliquâ ex parte Solatium expectarent.* Hæc spes trahere *Obsessos* tempus cogebat, atquè Inopiam sustentabat; quod celeriter se habituros Copiam confidebant. Nec eventus defuit. Nam *Aurelianensis, ex Olonensium Insulâ, & Bravagio*, x x v *minora Navigia coegerat*; *decem Pinnassas Bajonæ instruendas curaverat: quibus, jussu Gramontij, Andovinus præerat: atq́, Triginta Quinq́, numerum expleverat*: quibus delectos Milites, Commeatumque imposuit. *Præfecti, Navarchiq́,* Navigia conscendunt; & nacti idoneum ventum, ac subnubilem Noctem, vela fieri jubent; atque post paucas horas, *Classem Anglorum* prætervehuntur. Qui cum viderent appropinquare, crebris Tormentorum ictibus incessere. *Retinent tamen Cursum suum Franci*, magno certamine, pulsuquè Remorum. *Minora Anglicæ Classis Navigia nihilò segnius persequuntur*; Missilibus infestissime lacessunt; faces ingerunt, *& duobus Navigijs captis, Cætera ingenti terrent metu.* Nihil verò *Franci*, ob eam rem, Conatu desistebant; sed labore & perseverantiâ *Portum nacti, præcidi rudentes jubebant, quibus connexa Naves erant, in fauctibus Portus demersa.* Illud principium novi atquè integri laboris erat: jamquè scindi cæperant Vincula, remulco trahi Navigia. Inter hæc, *Angli* accensas faces ex Bitumine & Sulphure, in hostium naves jactabant: Ministeria Nautarum, & Remigum, Missilibus turbabant: nec segniter quicquid ad impediendum hostilium navium impetum exsequebantur. Ubi illuxit, procul è Munimento Tormentis, Machinisquè submoventur. Tandem *Alveo Portus, magno labore & periculo, purgato, eò* x x v i i *Onerarias laceras Franci introduxerunt. Nam Quinq́, trepidantes in Continentem refugerunt, una vi expugnata, in potestatem nostrorum venerunt.* Ita expositis Commeatibus, repletum omni rerum Copiâ Munimentum. quæ res Fiduciam Obsessis, Metum Obsidentibus injecit.

Bucingamius, desperatâ Artis Oppugnatione, abire statuit; Nequè amplius fortunam periclitari. Cui anxio *Subisius* advenit, *Rupellâ* nuper advectus. Qui oravit, obsecravitquè, *ne Rupellanos, benè meritos Socios, in tantis angustijs desereret; & monuit, paucorum dierum advecta Obsessis Alimenta: deseriq́, Obsidium non posse, sinè Infamiâ apud Exteras nationes.* Deniquè disseruit, *nihil tàm liberale, tàm gloriosum, quàm Opem ferre crudeliter oppressis; dare Salutem; liberare periculis: Nihilquè turpius, quàm Socijs auxilium ferre non posse.* Quibus rebus permotus *Bucingamius*, in Obsidione perseveravit; *scripsitq́, ad Britanniæ Regem, quid aut Terrestribus aut Navalibus Copijs opus esset.* Literæ deinde *Præfecti Maris* in Senatu recitatæ sunt: decrevitquè Senatus, *ut Commeatus prospicerentur, Copiæ, & Auxilia undiq́, contraherentur; omniaquè ex literis Præfecti Maris fierent.* Missus illicò *Dolbierus, natione Germanus*, ad Bucingamium, cum Mandatis;

Mandatis; quem pro suis Meritis *Rex* judicaverat idoneum, quod apud eum Authoritatem haberet. 1617.
Is prosperâ Navigatione usus, Mandata exposuit; *contractos omnis generis Commeatus; parataq́, Auxilia ex Scotiâ; at omnem Apparatum belli. Auxiliaribus Copijs, & toti Maritimo Officio, Mortonia, & Hollandia Comites præpositos.* Eodem ferè tempore, *Vilmotus Baro*, cum *Hibernicis Auxilijs* advectus, *duo Millia* exposuit. *Bucingamius*, spatio deindè ad quietem Militibus dato, & Classem, & Machinas pariter admovit; ut utrinquè Obsessis instaret, & Terrestri simul, Navaliquè Clade obrueret.

Inter quæ, *Francus viribus corporis recuperatis, Lutatiâ proficiscitur; atq́, mutatis ad Celeritatem equis, ad Castra Rupellana pervenit*; Ubi Milites lætis animis excepêre, & mirabili veneratione prosecuti sunt. *Aurelianensis frater*, Proceres, Tribuni, Præfectiquè dexteram ejus amplexi, grates Numini habebant, quod Expectatione maturius vigorem suum recuperasset. Cum quibus collocutus de Oppugnatione tàm validæ ac munitæ Urbis, nullum laborem & periculum, pro gloriâ Principis recusant. Tum ad Munimenta, Armamentaria, aliumque Belli apparatum visendum processit. Deindè *Toirasium*, Alimentorum egenum, per literas & Nuntios solari, ac erigere, omniaquè ei auxilia polliceri cæpit, si Obsidionem sustineret. Undè Obsessi, Tædio, ac Egestate Annonæ fessi, sustulerunt animos; & Spem habere cæperunt, aliquantò majorem, ex propinquitate Regis; qui singularem curam, ac diligentiam adhibuit, *ad pellendos Insulâ Anglos*. Postremò, lustravit Exercitum, *& Quatuor legiones bonas ac firmas* ex omnibus Copijs delegit, *& Trecentos Equites*, quibus *Shombergium* Magistrum rei militaris præfecit. Accendit petereà animos, & hortatur, *ut facerent, quod si quisq́, dignum ducerent: in Prælio potiùs, quàm in fugâ caderent: Præmiaq́, ex Victoriâ sperarent.* Dicta Regis, Tribuni, Præfecti, Centuriones, Turmæquè equitum approbant: conclamant Milites, & Voluntatij complures, quicquid imperaret se esse facturos. *Jussi, ut trajicerent, ad Bucingamium detrahendum ex Insulâ*, non segniter arma capiunt: deductiquè ad Mare, infestis Signis Naves conscendunt, *cum Exercitu Tirone, & Semestri duce* pugnaturi. Et Navigatione factâ, intempestâ Nocte, difficillimâ, inter Tonitrua hostilium Tormentorum, *ad Castellum Prati appellunt*, tutum loco ac præsidio Gallorum; ibiquè Commilitones operiuntur. De *Gallorum* adventu Nuntij tumultum *in Castris Anglorum* excitarunt; confestimquè aliquot Cohortes, per silentium noctis, ex Castris *Bucingamius* educit, ad opprimendos hostes qui descendebant, turbandosquè alios egredientes ex Navibus. *Galli*, instructâ Acie, in litore Tumulos, proximos Castello, occuparunt; ut hostes vim facientes procul ex Arce Missilibus submoverentur: decreveruntquè, *sibi aut pereundum esse, aut vincendum.* Paratis jam, instructisquè *Gallis, Bucingamius per tenebras impingitur, & tumultuario Prælio confligit*, Agminibus magis, quàm Acie. *Riccij, & Hallesij Cohortes* præmittit; ipse delectos Milites ducit. Fit Prælium intempestâ Nocte, varium & anceps; loco Gallos, Anglos Multitudine militum juvante. Mox *Galli* veriti, ne sparsi & inconditi, Multitudine circumfunderentur, paucis amissis, *in Loricam Castelli receperunt se*. Obscutum Noctis saluti fuit: Fors etiam adjuvit; *quia non institerunt Angli, timentes advectam Classem; tumultum egredientium ex Navibus; & facie minaci versa Arcis Tormenta.* Quare signo dato, in Castra redière; *& spatium trajiciendi postremum dedère.* Hic dies, *ultimus Octobris*, hoc modo abijt; & Naves, quæ milites vexerant, redière. Postero die, *Francorum pauci equites* audacius progressi, obtulêre se hosti. Indè cedunt, *simulati timoris specie, ut Montiojum Præfectum Equitum, ad temerè insequendum, elicerent. Angli* celerem Gallorum receptum conspicati, restiterunt. *Tum Shombergius, cum reliquis Copijs in Insulam trajecit*, & spem Auxilij Obsessis ostendit.

Bucingamius incertus, utrùm perseveraret, an abiret; Consilio Militarium virorum convocato, de statu rerum suarum deliberavit. Alij *summâ vi oppugnandum Munimentum* censuerunt. Alij *ab Obsidione removendum* putarunt. Placuit quibusdam, *Acie dimicare.* Ipse, deficiente rerum Necessariarum provisu, *Recessum magis, quàm Dimicationem animo agitavit.* Sed ne quid inexpertum relinqueret, *Munimentum multis simul partibus oppugnare aggressus est*; & vim facere paravit. Verùm, à tergo se ostendente *Gallicâ Acie*, Conatu abstinuit. Cæterum, *discedere inglorium; diutius morari, periculosum existimavit*: & vanis tot Conatibus, Spem tàm munitæ Arcis expugnandæ omisit.

Postero die, relictis Castris, instructo Exercitu progressus est, ad Maritimam Oram, Naves conscensurus; & *Gallis*, vim facientibus, resistere paratus. Indè ad explorandum Iter præmisit; quia *Fretum angustum* ei transeundum erat; *quod Ponte stravit*, & præmunire jussit. Tum *Toirasius* Munitione egrediens, hominum ora, vultusquè in se convertit. Præfecti, Tribuniquè *defensum Munimentum ei voce maximâ gratulati sunt. Shombergius* Magister militum, ad sequendum paratus, advocato extemplo Consilio, de ratione rei gerendæ consultavit. Quidam, ingenio præcipites & præferoces, pronuntiarunt, *ut statim in hostes impetum facerent*; at Majores natu censuerunt, *Anglos improvisò aggrediendos esse, si loca iniqua ingrederentur; aut, per Imperitiam, in aliquo flexu viæ, ruerent: aliter nihil fortunæ committendum: & eadem sententia erat Shombergij ducis, Toirasij Præsidij præfecti, & primorum Ordinum ductorum.* maximè, quia loca arcta præruptaque Iter eorum impeditura videbantur. Ipse, modico ab hoste intervallo, Agmen duxit; ut nequè omitteret eum, Nequè invitus dimicare cogeretur. *Angli, memores pristinæ virtutis, circumactis signis, in Campo patenti, haud procul Covardâ Vico, pugnandi potestatem Gallis fecerunt: ut magnâ cum Infamiâ discederent, nisi Prælio decertare vellent.* Quorum ardorem, Alacritatemquè pugnandi cum cerneret *Shombergius*, sustinuit Signa: & circumivit ipse Ordines, *hortans suos, ne Prælio contenderent: atq́, plùs Consilio, quàm fortunæ confiderent:* quia eo tempore statuerat

Vvvv non

1627. non esse dimicandum. *Angli contenti, quod per Gallos moram Pugnæ esse scirent; neq́, audere Prælio decertare*; ubi quieta omnia apud hostes viderunt, majore labore; & periculo iter facere perseverarunt; ut expedito itinere *Pontem transire* possent; ubi omnem apparatum Belli, & Tormenta collocaverant. Atque ubi *Covarda Villa* appropinquarunt, *Grajus Præfectus Tormentorum, cum Bucingamio collocutus, arctam & difficile ad Pontem Iter monuit*; oravitquè, ut mediocri latitudine fossam, ac Vallum prætenderet; ac ingruentes à tergo hostium Copias distineret. *Ille jussus cum Coreneio Tribuno colloqui, cui Cura Postremi Agminis obtigerat*, vehementer institit ut id fieret; *cum, si alter fecisset, Injuriam Imperatori facturam dixit.* Ille mandata *Graij* aspernatus, in *Villâ* Copiolas collocavit; *& Signa Militaria plura quàm Cohortes*, ut metum Multitudinis hostibus incuteret, ac Præsidio suis, se recipientibus, esset. Inter hæc *Bucingamius*, cum reliquis Copijs, impeditissimum Iter ingressus, *inter Vligines Paludum, Fodinas Salis, & Tumulos Arenæ*, citato agmine Pontem transgressus, eò quo intenderat pervenit. *Shombergius*, postquàm citatum Agmen, per angustam & impeditam viam duci raptim vidit, Equites omnes emittit, *& levis Armaturæ milites* accelerare jubet, ut in hostem, aliquantùm prægressum, impetum facerent, *ac Postremum eorum Agmen carperent.* Ipse cum reliquo suorum Agmine subsequitur. Nec mora fit Prælio. Tum *Galielmus Cuningamius, cunctante Montioio Equitum Præfecto*, subditis Calcaribus equo, per confertissimam hostium Turmam penetravit; Ipse, Comitesquè ejus interfecti sunt. Mox *Montiojus Præfectus Equitum pulsus, turbatusq́, suos ipse Ordines conculcavit, & turbavit.* Pugnatum utrinquè est, sed *Angli* in tàm inæquali loco, sustinere *Gallorum* impetum diu nequivêre. *Marilliacus, strenuus Tribunus* cum perturbatos & trepidantes hostes videret, descendens ex equo, summâ vi petebat. Eum *robora Gallorum* sequebantur; terrorem periculumquè augebant; & acrius instabant perculsis. *Multi Præfecti Tribuniq́, Anglorum, & Primorum Ordinum ductores, qui se irruentibus objecerant, cæsi*: in eo fuêre numero *Riccius, & Brettus, Tribuni; & complures Centuriones.* Unde fuga fieri cæpit; Milites alij super alios in Angustijs viæ præcipitati; *quidam aut Paludibus hausti sunt, aut Arenæ tumulis obruti. Montiojus præfectus Equitum, & Grajus Tribunus, capti.* Jamquè in terga fugientium *Anglorum* Galli pugnabant; qui ingentem terrorem, Cædemquè *usq́, ad Pontem* fecêre. *Marilliacus*, ardore pugnandi accensus, *ad difficilem transitu Pontem venit.* Ibi *Percius Crosbeus, Eques, natione Hibernus*, statione Militum oppositâ, Impetum ejus sustinuit, atquè loco depulit. Indè de integro pugna exorta est. Nam *Galli* Subsidio suorum adjuti, Prælium audacius restituerunt. duas ferme horas tumultuariâ pugnâ certatum est. Tandem *pulsus Marilliacus*, ad suos se recepit. Ita eo die Prælium diremptum; & hic Exitus Oppugnationis fuit. Sed haud pari Certamine digressi. *Galli, paucis interfectis, & vulneratis, sese ad suos receperunt. Angli, Mille ducentis amissis, ad Classem contenderunt. Shombergius* Regem certiorem facit, liberatum Obsidium, fugatosquè qui Expugnationem tentaverant. Celebrata Victoriâ *gratulatione Pontificis Romani, qui literis Shombergio, Magistro Militum, & Toirasio Munimenti Præfecto, gratias egit, singularibus verbis. Franci* hâc obscurâ Cladè inflati, id magnoperè virtuti suæ tribuerunt, quod Errore acciderat. Nam *Angli* Iniquitate loci, atquè Angustijs, sibi majus attulerunt detrimentum, quàm ab hoste receperunt, acri Concursu, aut prælio. Cæterùm, integri atquè intacti abijssent, si loco æquo constitissent, ut suprà demonstratum est. *Bucingamius*, Necessario capto Consilio, *Saucios scaphis magnarum Navium tolli, portariq́, jussit; & Aquam supportari.* Secundùm hæc, Milites imposuit, Naves conscendit, *& Sublatis Anchoris in Britanniam trajecit.*

Ibi præstò ei fuêre, in appulsu, *Præfecti Auxiliorum; Hollandiæ Comes, cum Supplemento, & Commeatu; Moreonius ejusdem Ordinis, cum Auxiliaribus Scotis.* Qui summâ cum lætitiâ excepêre: & cum Auxilijs, ac Commeatu, applicatis terræ Navibus, unà rediêre. *Bucingamius* in Curiam advolat; gratiam *Regis*, & Obsequium Procerum experitur; sed non pari facilitate studium Vulgi, Spiritum magnum magis, quàm utilem gerens. Intereà *Francus*, Victoriâ lætus, Præfectis, Tribunisquè, prout cujusque opera erat, gratias agit: *Captivos Britannos, magnificè benignèq́, cultos, sinè pretio remisit. Galli* Virtutem fælicitatemquè Regis extollunt, & Indulgentiam in Captivos: famamquè fortissimæ gentis, insolenter gloriantes, obterunt; haud recordantes veteres Belli Casus, *Cresciacam Victoriam; Pictaviensem Cladem; Agencurtanam pugnam; adversa ad Blangium, & Vernolium Prælia: tot Exercituum, ducumq́, interitus: Captivitates Regum; Vrbiumq́, direptiones. Carolus Rex*, tàm promptam, & tàm exquisitam *Francici Regis* Humanitatem meritò remunerandam esse existimavit; *& Gallos omnes Captivos, benignè salutatos, dimisit.*

At *Francus Rupellæ Obsidionem, ab Engolismensi inchoatam, ab Aurelianensi fratre promotam, continuandam sibi paravit*: magnisquè additis Munitionibus, Turres extruxit; quod eâ Urbe in potestatem redactâ, *debellatos Protestantes* existimaret, ne attollere caput posteà auderent. Igitur exstructæ Turres, promoti Aggeres, Machinæ, Tormentaquè in Munimentis disposita; & quicquid ad Urbium Excidia pertineret, comparatum est. Oppidani Munimenta tutabantur; crebrasquè indies Eruptiones faciebant: Nequè Munitiones *Regis* prohibere poterant. Sed expugnari vi non poterant, *nisi Francus possessionem Portus hosti adimeret, Commeatum prohiberet, averteretq́, Obsessos à spe Britannici Auxilij.* Habitum est indè *Militare Consilium*: Iussi Præfecti, Tribuniquè simul deliberare. Qui decreverunt, *frustrà se tot labores suscipere, nisi Alveus Portus obstrueretur; faucibusq́, Moles objiceretur.* Decreto facto, *Rex Novi Operis Molem orsus est, ex strue lapidum lignorumq́, coagestâ, & Terrâ injectâ: ac Naves, quæ Commeatum supportarent, Portus introitu prohiberet.* Nec Obsessi, quicquid ad impediendum

Opus

Opus excogitari poterat, prætermittebant, multis vulneratis, interfectisquè. Igitur *Rex* Munitiones 1627. perfici jussit, ne quo loco *Obsessi* erumperent; & Opus molientes, post tergum, adotirentur. Milites haud segniter Jussa Regis exequuntur. *Nequè Oppidani Regios opere prohibere poterant*; quia Munitiones perfectæ fuerant, labore ac perseverantiâ Militum; *& duæ Turres erectæ in Faucibus Portus erant*. Jamquè indies Moles crescebat; quâ conspectâ, ingens animos *Obsessorum* desperatio incessit, nullâ humanâ Ope sublevari posse. Sed adversùs vim Numinis non satis cauta est Mortalitas: *quia hâc Hyeme atrox vis Tempestatis exorta, Procellosum Mare illisit in Molem; crebrisquè fluctibus magnum Operi attulit incommodum, prorutis lapidum ac lignorum Cumulis*. Rex Novi Operis continuandi cupidus, majorem Latitudinem Aggeri adjecit, Industriâ *Pompeij Targonij, Itali, Præfecti Fabrorum*; ut posteà procul tali Casu abesset, si sæva vis Tempestatis ingrueret; aut Mare acrius fureret. Nec Milites, dorso Onera portantes, segniter ministeria exequebantur, usquè ad extremum. *Præsentia Regis* Alacritatem eorum, & continentem laborem vehementer accendebat.

Eodem tempore, *Fredericus Toletanus, qui Classi Baticæ Quadraginta magnarum Navium præerat, in Armoricam Britanniam nuper advectus, ad Rupellam, serum Auxilium venit*: quem *Francus* benigno vultu excepit, coluitquè Muneribus amplis; frementibus Gallis, frustrà *opem Iberorum* imploratam; *pulsis jam Anglis*, Spectatorem magis, quàm Belli adjutorem venisse. Per hos dies, *Obsidentes* quotidianis laboribus, Vigilijsquè fessos, *non unus Morbus* invasit; magnumquè Numerum Militum deminuit. Proceres sævitiâ Hyemis, *tetro Odore, & Gravitate Cœli, adversâ valetudine, ac Purpureis Febribus correpti sunt*. Inter quos præcipui nominis, *Rupisuronius, Marchio Rethelinus*, Viri Nobilitate insignes; *& Episcopus Mandensis*, erepti ingenti Regis dolore. Duces, Satrapæquè *præcipuam curam de Rege habuerunt, ne quod Febres vitæ periculum rursùs afferrent*: orantes, obtestantesquè, ut aspertimâ hyeme, *Lutetiam secederet, donec vis Morbi saltem languesceret*. Ille gloriæ magis quàm vitæ cupidus, ab Obsidione non removendum putavit, quia prope ad Finem laborum ac periculorum perventum esse existimavit; & ferocius atquè audacius *Rupellanos* premere perseveravit: Cohortans milites, *ut labores & Pericula forti animo paterentur, donec expugnaret Urbem, quæ quietem Galliæ turbare ausa esset*. Ducibus deinde negotium dedit, ut suos quisque Ordines erigeret. Secundùm hæc, *Fredericus Toletanus, nullâ re gestâ, Hispaniam repetit*, nequè Terrâ nequè Mari adjuto Franco: à quo relictus, suas Navales Copias instruxit, suisquè viribus se tutatus est; fremente Multitudine, *Classem Baticam sinè causâ venisse; & abijsse, audito adventu Classis Anglicæ*. Rex præcipiti jam hyeme, Procerum precibus victus, *Lutetiam secessit*; cum magno gaudio, & gratulatione Civium, per Clamorem Favoris indicem, salvum atque incolumem redijsse exultantium. Non magis virtus, fortunaquè ejus, quàm Principalis Benignitas, hominum animos sibi conciliavit.

Cæterùm, *Rupellani* anxij cum Terrâ Mariquè urgerentur, *Britanno indicant Miserias suas, & petunt Commeatus, ac Auxilium. Carolus socijs Opem implorantibus suam annuit, addito hoc Pacto, ut vetus Britannorum Imperium respicerent; & Majestatem Regiam comiter observarent*. Cum hoc Responso Apolectos dimisit. Ipse Commeatus laborantibus summittere jubet; eripereque ex Obsidione Urbem, Terrâ Marique circumsessam. Huic Maritimo Officio præpositus erat *Denbiensis Comes, qui sororem Bucingamij in Matrimonio habuit*; & permissu ejus, Oræ Maritimæ curam.

Itaquè Auxilio decreto, *Rex ad novam Classem parandam, & in Stipendium Nautarum Subsidio rei Nummariæ indiguit*: exegitquè mutuam Pecuniam, pro cujusquè facultatibus. Verùm, quia plerique mutuum dare abnuebant, Remedium Severitate quæsitum est. Multi minutis Mutuationibus fatigati, *obsurdescunt ad vocem Mutui*. Primores Equitum *in Carcerem trusi, Auxilium legum, & Iudicum implorant*. Judices Cognitionem incipere non ausi, ignaro Rege, efflagitarunt Consensum ejus. Ille Author fuit, *ut Cognitionem susciperent; æquo cùm Equitibus Iure agerent*; *dictitans, nihil aliud læso Principi relictum, quàm ut Contumaces, Mandata sua spernentes, Carceri manciparet: tribuendumquè aliquod telum, quod spretam Majestatem tueretur*. Mox Equites *ad Tribunal Regium* evocati, formulâ Juris Municipalis, quam, *habeas Corpora*, appellant; *Libertatem postulant, Vades Prædesq; offerunt*. *Procurator Regius* contrà tendebat: ostendebatque eos *Contumaciæ pœnas* meritas habere. Incarceratorum Advocati differuerunt, *spretam magnam Chartam; abolitas Majorum Immunitates; denegatum legis auxilium justè deprecantibus; & Cautionis Remedium unicuiq; lege indultum; nisi Majestatis, Furti, Cædis Criminibus tenerentur*. Judices re diu pensitatâ, *Reos Contumaciæ manifestos in Carcerem retrahi jusserunt*, ut alij à vecordi Contumaciâ, Exemplo deterreantur, & Metu coerceantur, per Speciem retinendi Libertatem, Obsequium abrumpere: differuerunt que, *modicas Principis Injurias acriter ulciscendas; Equitum Contumaciam ipsis exitiosam esse: Nihil, horum Exemplo, communi Iuri derogatum: Incarceratis relictum Veniæ ac gratiæ locum, si se non desperandæ Regis Clementiæ permitterent: sin in Proposito obstinatè perseverarent, justam Principis Severitatem expectaturos*. Hæc Sententia præbuit materiâ Obtrectatoribus, arguendi Judices; vulgatiquè variè, pro ingenio cujusquè, Sermones; arguentes, *dimittendos Equites Auxilium Legum implorantes, captis Fidejussoribus; non in Carcerem remittendos, nimiâ Iudicum Severitate*; extollentesvè Moderationem Principis, in coercendâ Contumaciâ, imperatas pecunias recusantium. Optimus quisquè Reip: curâ mærebat. Actumq; in Senatu, de Oneribus Imperij, *& Collationibus in Sumptum Belli propè necessarij, pro salute Sociorum, & Securitate Religionis*. Plerisq; placuit, ad extremum Remedium descendere; *& Vectigalia Nova, ac Tributa, Exemplo Majorum, imponere, nullo rerum genere omisso*: ne suetam

Moram,

1627. Moram,& Comitiorum Tædium,urgente Necessitate,ac periculo Sociorum,operirentur. *Rex* integrum id Negotium ad Senatum retulit; propter Ærarij tenuitatem,assiduitatemquè sumptuum. Qui pronuntiavit, *si Cives salvi esse velint, Necessitati esse parendum; Tributumq; conferendum,non solùm Præsidij, sed firmandi Imperij causâ.* Tum *Robertus Cottonus*, Eques sæpè memoratus, in Senatum evocatus, & dicere jussus, *Quid è Rep: censeret?* Pluribus verbis disseruit; *Extremum illud Vectigalium, & Novorum Tributorum remedium, nunquàm à Majoribus adhibitum fuisse, nisi in Desperatione salutis. Præterea, cognitum, compertumquè sibi, alieno esse animo à Tributo plerosquè Cives, Equites, Proceres. Unicum in rei Nummaria difficultate, apud Majores nostros, Remedium fuisse Comitialem Authoritatem; idquè apparere ex Statutis Ed: Primi, Anno Regni x x v; & Anno Trigesimo Tertio Eduardi Tertij. Proindè, ad Comitia, More Majorum, recurrendum esse: Neq; alia Viâ Extraordinariâ aliquid tentandum.* Plures sententiam *Cotoni* secuti sunt. Pauciores Tributa Nova excogitanda censuerunt. His de Causis, aguntur omnia domi raptim, & turbidè: *unum Bucingamij Invidiâ à Plebe peccatur:* qui non statuendo Fælicitati suæ Modum, Odium publicum indies auxit; & in se Plebem malè animatam reperit.

Per eosdem fortè dies, *Maneringus, Concionator turbulentus, aut Temerarius*, Ambitione,aut Avaritiâ incensus,temerè prædicavit, *Regem in omnium Civium Bona Jus habere; ac omnia Regis esse,non solùm quoad Jurisdictionem, sed etiam quoad Proprietatem; actumq; de Rep:, nisi Privatorum Copiæ publicis Necessitatibus subvenirent.* Concio illa plena Vecordiæ, assiduis hominum Sermonibus, in Convivijs, & Circulis exagitatur; dicentium, *Nostra non esse Nemora; Nostras non esse Villas; Nostras non esse domos; Neque tàm præcipitem Audaciam, & Licentiam Concionum impunè ferendam.* Quare *Maneringus*, Moderatam sui Tutelam non deseruit; *sed Concionem Typis impressam edidit*; ne Temerarij cujusque linguâ Populus incenderetur; non ex rumore Vulgi statueretur; *eripereturquè Episcopis Jus statuendi de Libertate immoderatâ, ac Licentiâ Prædicantium. Cantuariensis Præsul*, hujus Concionis Temeritatem damnavit. *Dunelmensis, & Bathonensis*, haud improbarunt. *Ceteri verò Antistites*, Sententiam *Cantuariensis* secuti, securiorem Plebem, & Optimates fecerunt, in Proprietate rerum suarum; ut Sua quisquè Bona teneret, ac dicere posset, *hæc est domus mea; hæc est Villa mea, hic est fundus meus.* Hujus *Concionis* Temeritas altius Mentes hominum penetravit, & atrocem Procellam in *proximis Comitijs* excitavit; ac *Libertatis amittendæ Metum*, ut sequente Anno memorabo.

Bucingamius, Malevolorum Obtrectatione, & Invidiâ insimulatur, quod Bella Inutilia susciperet; rudes, imperitosquè Militiæ præficeret; præteriti temporis gloriam aboleret, futuri Spem imminueret; benè meritos Cives opprimeret; & majora moliretur, in perniciem publicam eruptura. His turbulenti cujusquè vocibus incitatus, de supplendo *Hibernorum* Numero cogitavit; quos sibi maximè fidos, pro privatis Beneficijs sperabat. Et *Tria Millia Germanorum Equitum*, Præsidij causâ, comparavit: *quos in Frisiâ Gulielmus Balfourius, Eques Scoticanus, & Dalbierus Germanus, Triginta Mille Libris scribendos, armandosquè curaverant*; ignorantes quem ad usum armarentur. Neq; à tàm præcipiti Consilio revocari potuit: cum videret, suspectâ re, *Metum domesticum Subditis injectum*; & Civitatem, Mentione tàm atrocis rei, sollicitam, ac Metu suspensam. Verùm tantorum dedecorum disseminatos dispersosquè rumores sprevit, deflexâ omni Acerbitate in Obtrectatores,atquè Adversarios suos, ac Levitatem insanientis Vulgi.

Eodem tempore *Cantores, Citharœdiquè*, ob immodicam licentiam Cantionum, *& probrosa Carmina*, ad Infamiam Ignominiamque *Ducis* decantata, in Convivijs, ac Tabernis, coerciti sunt, ad Exemplum; ne quid tale posteà auderent. Actum de hinc, de *Purbeckij Uxore*, Illustri fæminâ: quæ, ut retuli, post damnationem cessit Urbe; latuitquè, ne publicè peccati Pænitentiam ageret. Statuiturquè *Judicio Præsulum*, cum de Adulterij Crimine non ambigeretur, *at qui nati essent liberi pro Nothis haberentur; at Spuria vitilamina in Illustri Ducis familiâ, radices agerent.* Illa perculsa Fortunæ Procellâ, per Nuntios, literasquè, *Bucingamium* suppliciter rogavit, si quâ Misericordiâ flecti posset, ne se funditùs perderet, & affligeret. Amici quoquè & Propinqui ejus supplicare non destiterunt. Ille ad perniciem magis, quàm ad Miserationem, per Iram ac Odium, incubuit. Non movit eum pristina Fortuna florentissimæ Fæminæ, Fratri nuptæ; quæ quondam Opibus, formâ, gratiâ floruit; jam dejecta, afflicta, & Latebris tecta, metu Judicij delituit; præferens in vultu habituquè Pænitentiam. Causamquè Sermonibus hominum præbuit, insignis ejus Calamitas, cujus Dux non misertus est.

Insuper *Allobrogum, Venetorum, & Mantuanorum legati, de Pace Londinum venientes*, honoribus & Muneribus culti sunt: impetratoquè Congressu, ac Colloquio Regis, multa suppliciter locuti, *de Reconciliatione gratiæ*, disseruerunt, *Satis esse magna utrinquè Damna, ac incommoda accepta: jam Pacem Britannis, & Gallis ex æquo utilem: & Regem melius Societate Francorum, quàm Damnis mutuis, Populi sui Saluti, ac Sociorum Securitati consulturum. Contrà, Imperatori Germanorum, & Batico Regi, domi Pacem immotam, & unam Bellum Germanicum foris esse. Hortantur, ut, omisso Bello Gallico, tuta ac salutaria capesseret Consilia; positis Simultatibus, communi animo, Consilioq; res gereret: effervescentem Iram, prudenti Moderatione, cohiberet; modicas Injurias publicæ Utilitati remitteret. Iberos duceret communes omnium Regum hostes: admonentq; Iracundiam à Juvenili fervore profectam, in utriusquè perniciem erupturam; & hoc Bellum triste Socijs spectaculum esse; qui in eodem velut Navigio, participes essent laboris, & periculi.* Rex implacabilis, *nihil opus esse Reconciliatione* dictitans, Mentem suam, & Aures aversas ostendit; Responditque,

post

1627.

post Affinitatem ruptum hostiliter Fædus; Centum Naves Onerarias, in Garumnâ flumine interceptas; Mercatores, Navicolariosquè retentos, & contumeliosè tractatos. eis repetitas non redditas. Protestantes crudeliter devastates; Religionis libertatem sublatam; Se Pacis Authorem fuisse, Auctoritatemquè suam, per Legatos, interposuisse, Pacta conventa cum Monpelianis, & Rupellanis inviolata fore: Spretum se in illorum Injuriâ. Fidem Fæderis violatam, & Socijs Injuriam à Franco factam. Quare propter Socios Injustè lacessitos, Iustum piumquè Bellum suscepisse. Si Pax inter Francum & Protestantes maneret, se eam quoquè Amicitiam integram mansuram. Mantuanus Legatus; maximè reconciliandæ gratiæ viam quærebat, *armante se jam Mantua Duce adversùs Austriacos*, & Gallici Regis opem implorante: instabatque, *ut Reges Certamina, & Æmulationes finirent; ab Armis discederent; sibi, ac suis intentias consulerent; verbis potiùs de ijs quæ ambigerentur disceptarent, quàm Franciam, Britanniamquè ad funestum Bellum armarent.* Sed non erat tempus de Pace agendi, dùm sibi uterquè confideret; & *Britannus* esecrabilem Sociorum desertionem censeret. Qui cæteris in rebus *Comis ergà Legatos*, atquè benignus fuit.

Interim *Galli profugi, & Rupellani Apolecti* postulant, *ut in fidem, & Clientelam receptos tueretur. Civibus vi atq; armis oppressis, in ultimo fortunarum omnium discrimine, Opem ferret.* Fides data acceptaquè est, *& Novi fæderis Conditiones* conscriptæ. Prætermitti Defensio, deseriquè Officium diutius non potuit. *Missus illicò Comes Denbiensis Subsidio, cum sexaginta Navibus Bellicis*: qui Militiam, remquè Navalem semel anteà, *in Gaditana Expeditione*, administraverat. Is Nautis, & Classiarijs undiquè excitis, contractoquè Commeatu, maturavit. At *Nautæ* in furorem versi, jurarunt, *se nusquàm indè moturos, nisi stipendium accepissent.* Tumultu nuntiato, Classem *ad Plini Ostium Bucingamius* invisit. Ibi Nautarum increpitâ Cupiditate, Insolentiâque, stipendium persolvit: *& Classem Denbiensi cum Imperio tradidit, ut Rupellam peteret, & Obsessis auxilio esset.* Ipse in Aulam redijt.

Tum *Anglorum* adventu cognito, *Francus, Lutetiâ relictâ, ad Castra Rupellana advolavit*: Ibiquè omnia adversùs præsentem hostem provisa invenit: *atq; faucibus Portus*, (quia perfectum Opus non erat) *Naves Onerarias submersas objecit, ut introitu hostes prohiberet. Denbiensis* Littori appulsus, displosione Tormentorum Signum ex Navibus dari jussit, *ut Obsessi adesse auxilium scirent.* Qui ad Portus, & Muros undiquè discurrentes, *Anglorum Classem in Anchoris stantem*, haud procul Urbe & Munitionibus Regijs, læti conspexerunt; de Commeatibus haud desperantes. *Regis* Milites, Tormentis in Turribus opportunè dispositis, Navium stationem infestam faciebant: Missilibusquè cujusquè generis hostes terrebant; Commeatus advectos importari in Oppidum prohibebant. *Denbiensis*, diebus aliquot ibi nequicquàm consumptis, *satis habuit sinè detrimento discedere, ac re infectâ redire: cum objectam Molem, submersas Onerarias, exstructas ad Introitum Turres, & haud neglectas Custodias cerneret.* Laudata est à quibusdam *Denbiensis* Sapientia; qui per Temeritatem peccare noluit; aut objicere Classem tot impedimentis.

Hæc inutilis Expeditio ingentem *Obsidentibus* ardorem, & Pavorem *Obsessis* injecit. Qui etsi summis erant in Angustijs, Inopiam tamen Spe futuri Auxilij sustentabant, ultrà quàm vellent, aut quàm possent. Quibus rebus cognitis, *Carolus Rex* secretò in Consilium arcessivit, quos fide, & rerum usu cæteros anteire noverat; *& cum eis Expeditionis Eventum, Acta, & Agenda communicavit.* Qui fortiter, & liberè censuerunt, *Novam Classem mox parandam esse; & Copias Terrestres, ad Rupellam, ex Fœdere liberandam. perseverandum in Bello esse; & penetrandum in Vrbem.* Hanc sententiam universus Senatus comprobavit: disseruitque, *non satis Præsidij Socijs laborantibus fore, nisi Comitia Regni indicere vellet; ut Nautæ, Militesq; Tributo alerentur.* Decreto Senatus in id facto, *Comitia in XVII diem Martij edixit*: & Regio animo usus, *Equites in Carcerem conjectos*, nimis præfractè Instituta Majorum defendentes, & Mutuam pecuniam recusantes, incolumes dimisit: monuitquè, *pro Merito cujusq; ergà se, paratam gratiam, aut Pœnam esse.* Nec fefellit Vulgum, quò spectaret, tàm benigna Clementia, ut se Acrem, ac humanum Principem ostenderet.

Exitu hujus Anni, Clades rei Navalis accipitur: XX *Naves, in Ostio Plini fluminis, fœdissimâ Tempestate lacerata, in Littora ejecta sunt.* Eadem Tempestas *multas Onerarias, Carbones Tamesi subvehentes*, afflixit; ita ut eliderentur, aut Naufragio interirent. Nautæ item conflictati Vi Procellæ, qui propiores littori erant, enatant. His detrimentis acceptis, Civitas rerum Necessariarum Inopiam sensit: quia *Dunkircani Mare Britannicum infestum Prædatoriâ Classe fecêre.* Undè Magistratus Urbani Querelas ad *Præfectum Maris* suppliciter detulerunt, *contrà Decus Imperij Britannici, Dunkircanas vagari Classes. Orant, obsecrantq; ut à Piratis Mare esset liberum, & Navigantibus tutum. Mercatorum Injurias ulcisceretur. Pœnas à Dunkercanis Prædonibus exigeret.* Strepunt aures clamoribus plorantium Civium, & Opem invocantium. Ille respondit, se Classis apparatu occupatum. Quæsivitquè ab ijs, *detulissentnè eas Querelas ad Præfectos freti Britannici, quibus tuendi Commercium Cura erat demandata?* Responderunt, *eos indulgere Licentiæ Prædonum, ad perniciem Navigantium; ac Spoliorum participes esse. Quare, rumore periculi, Mercatorum Navigationem conquiescere; Vectigalia imminui; Pannificium, & alias utiles vitæ Artes deseri.* Tum ille subjecit, *si vera essent, quæ objicerentur; Causa cognitâ, Imperium ijs Oræ Maritimæ abrogari oportere.* Præfecti Maris in hàc re Avaritia, aut Negligentia suspecta, Iras Civium excitavit, deplorantium Calamitates suas, ac direptiones Bonorum. Posteàque, Civitas, positis omnium aliarum rerum Curis, in apparatum rerum Necessariarum intenta fuit.

1627. Hoc Anno in *Germaniâ* non modò non restinctum Bellum, sed etiam inflammatum videtur. Nam *Danus* promptus ad ferendam Opem *Regulis*, & recuperandam gloriam adversi Prælij, omnes Navales, Terrestresquè Copias contraxit; divisâque Classe, *partem Bremæ in statione habuit, partem in Ostio Albis collocavit; ne transitus Cæsarianis Liber ac tutus pateret.* Ipse magnâ cum Multitudine hominum, *in Stormarsiam processit; ac propè Albim, rapidum fluvium, Castra posuit; Regulis* laturus Opem, & Urbibus, quæ Præsidijs Popularium tenebantur: eò namquè omnem Novi Belli molem inclinaturam augurabatur: *accersivitq; adversùs Cæsarem Auxilia, ab Amicis; Socijsq; Regibus.* Missus extemplò *à Britanno Morganus Tribunus, cum Quinq; Millibus Anglorum; & Supplemento, ex Veteranis Militibus Batavorum*: qui tantâ fide, atquè animi magnitudine, *Bredam* defenderat. Præter has Copias, *Quatuor Millibus Gallorum adjutus est*, quibus Nobiles Volones præerant. *Solmensis Comes Mercenarias Cohortes adduxerat: qui Dano, summâ fide, stipendia fecerat.* Itaquè duplicato ferè Exercitu, *Danis* crevit animus, & perculsi sunt Multitudine hostium *Cæsariani.*

Intento in Apparatum Novi Belli *Dano, Tilius* partæ victoriæ memor, nequè ignarus hostilium virium, suas vires auget *Veteribus Novisquè Copijs*, in Supplementum contractis. *Northemium, & Neoburgum petit*, quæ validis *Danorum* Præsidijs tenebantur; Spem Commeatuum interclusurus. Sed *Dani* qui Urbibus Præsidijsquè præerant, effusi passim *per Agros Mindensis Episcopatus*, pecudum Prædas agebant; & Frumentum in Præsidia convehebant. Nec prohiberi poterant, quin erumperent in vicinos Agros, Villas, Vicosquè incenderent, ac Ferro flammâquè crudeliter grassarentur. *Tilius* ubi nequè Vi Præsidia expugnare poterat, Nequè Minis terrere; confestim Aditus, Exitusquè omnes armatis clausit. Quæ res Numerum Copiarum ejus deminuerat. *Sed expectabat cum Popenhemio ex Sueviâ Legiones victrices, & Copias quas Maximilianus Saxo scribendas curaverat.*

Nequè segnius à *Valstenio* bellum in Silesiâ geritur, adversùs hostes, quos ibi *Mansfeildius*, superiore Anno, Præsidij causâ, cum *Vimariensi Saxone* reliquerat. Hunc *Freidlandia Ducem Cæsar dicit*, ut majore cum Authoritate rem gereret. *Is Lunburgensis deindè Reguli Copijs auctus*, hostes vagos intrà sua Præsidia commigrare coegit.

Interim *Dano, propè Bremam*, liberam Civitatem, & immunem, Castra habenti, *conjunxerant se Angli, & Morganus Tribunus.* Qui auctus Copijs ex *Britanniâ, ac Germaniâ*, & nactus tempus vacuum à Bello, atque hoste, loca peropportuna præoccupavit; omniaque Præsidijs firmavit. *Visurgis, & Albis Transitus clausit*, opportunè positis in utrâquè Ripâ Castellis, Propugnaculisquè; quò tutius ultrò citròquè commeare Auxilia possent. Juxtà *Bremam* quoquè Castella permunijt, ac Præsidium cum Tormentis, Machinisquè imposuit; *Classem in Mari Baltico ornavit*; cujus Metu *Vandalicas Civitates* in partibus tenuit; & Mare proximum in Potestate habuit. *Præfecturam Volfenbotelia, Solmensi Comiti dedit.* Mercatores, & Agricolas à licentiâ Militari, Calamitate, Populationequè, Edicto proposito conservavit. *Cæsar* certior factus, in *Saxoniâ Inferiore* longius bellum ductum iri, *Auxilia ex Austriâ, Croatiâ, Stiriâ, Carinthiâ, Carinolaq; summisit.*

Inter hæc, *spes data Dano est, per Saxonem Vijoirum, firmandæ pacis.* Summa Postulatorum *Tilij* erat; *ut Regia Præsidia Northemio, Neoburgo, Volfenboteliâ, & Cæteris Saxonia Oppidis deducerentur; vacuaquè Cæsari restituerentur. Ne quam societatem cum ullo Regulorum institueret. Neu Commeatu, Neu quâ aliâ Ope juvaret. Nevè cum Cæsare, eisvè, qui sub Ditione ejus essent, bellum gereret. Danus* eum tàm gravia ac indigna imperarentur, leges Pacis aspernatur; vires suas, hostiumquè æstimat; Numero par, sed genere Militum inferior. Omnis *Holsatia* Juventus excitur; & haud segniter bellum apparatur. *Tilius*, cum Terrâ Mariquè Bellum immineret, tantâ Mole imminentis Belli territus non est; at defectione *Holsatia* anxius, ad tentandos Incolarum animos Nuntios cum literis præmisit: rogavitquè, *ne se Nudos ac Inermes periculo objicerent; aut totam Belli molem in se verterent; Nevè Consilium caperent, cujus illico pœniteret.* Illi responderunt, *Omnium Holsatia Procerum, Magistratuum, & Incolarum unam mentem esse, ut Tyrannidem Baticam effugere vellent; & pro suâ libertate arma capere.* Nec dubitarunt profiteri *Fidem, ac Obsequium ergà Dania Regem; & quicquid Fortuna Belli prosperè aut secùs tulisset, se æquo animo laturos.* Nuntij hoc Responsum retulerunt ad *Tilium.* Quod ubi nuntiatum est, excitavit magnum Odium in omnes *Holsatia* populos. *Ad Brunsuicensem quoq; Regulum missi Nuntij*, ad expostulandum, *quod Danum Armis, Auxilijsquè suis juvisset.* Responsum ambiguum datum est, *se non spontè, sed vi coactum, Danum Armis Opibusq; juvisse: eâ vi liberatum, incæpto destitisse.*

Inter quæ, *Popenhemius* acerrimus Juvenis, qui tantâ animi Magnitudine *Rusticos in Austriâ* debellaverat; *Veteranas Copias*, Supplementi nomine, adduxit. Mox *Rodolphus Maximilianus, Saxo*, cum suis Auxilijs venit. *Georgius Lunebnrgensis Regulus*, ut modò memoravi, *suos Milites Valstenianis in Silesiâ admiscuerat, ad pellendos Mausfeildianos*, qui in eâ Provinciâ consederant. *Tilius*, aucto Exercitu, tentandas sibi Urbes existimavit, quæ in Ditione *Dania Regis* essent; & *Northemium* Operibus oppugnat: Obsidionis curam *Fustenbergensi Comiti* demandat, quia res egebat Morâ, si expugnare vellet. Intereà à *Fustenbergensi Comite* Urbs summâ vi obsideri cæpta est, ne ex proximis *Danorum* Præsidijs succurri posset. *Danus* Obsessam Urbem non neglexit; Commeatumque Inopiâ Alimentorum laborantibus summisit. Indè levia per Excursiones prælia fieri cæpta, vario eventu; nequicquàm sæpè conantibus *Equitibus Danis* Commeatum supportare: sed pulsi sunt *ab Anboltino Comite, Cæsarianorum Equitum Præfecto*; qui multa egregia facinora, pro fide ergà *Cæsarem*, edidit. Obsessi fortiter Impetum

hostium

hostium tulerunt; Eruptionisquè capto consilio, compluribus *Cæsarianis* interfectis, vulneratisquè, incolumes se in Oppidum receperunt. 1627.

Dum tempus in Obsidione teritur, *Freidlandiæ Dux*, expletis Legionibus, ad hostem pergit, & *Brandeburgensi Regulo* inferre arma jussit. Is *Dano*, privatâ injuriâ infensus, impigrè contractis Copijs, *Brandeburgensis Agri* tentavit Urbes, quæ in Ditione *Dani* essent; extemploquè *Plagam*, *propè Brandeburgum*, Præsidiarijs interfectis, captisvè, intercepit. Indè *Brandeburgum, Caput Regionis, Ratenaviam, Parlebargam*, & alia loca opportuna occupavit. Postremò, *Holsatiam* hostiliter ingressus, à repentinâ Populatione bellum orsus est, ut *Danum* ad sua potissimùm tutanda averteret.

Inter quæ *Fustenbergensis* omnem undiquè terrorem Obsessis injecit: qui tandem, obseptis Itineribus, ac desperatis Commeatibus, Pacto salutis ac securitatis, *Vrbem tradiderunt*. Hæc Deditio renuntiata, ut luctum & Metum *Danis incussit*, ita fiduciam sui, Audaciamquè *Cæsarianis* addidit; ut non Concursu facto, non Prælio commisso, vicisse sibi jam viderentur. *Danus* ab Orâ Maritimâ, *Bremâquè* discedens, *ad Albim perrexit*, trajecitquè; ut *Holsatia*, si quid hostile ingrueret, Opem ferret; *Transitum fluminis*, ut ipse rebatur, Castellis, Munitionibusque inexpugnabilem fecit: atquè ibi *Marchionem Durlacensem, & Turrensem Seniorem* Præsidio reliquit. *Tilius* ambiguus Consilij, *num hostem peteret? an Neoburgum, & Volfenbutelliam obsideret, oppugnaretq;?* Consilio habito cum Præfectis, Tribunis, & fortissimo quoque Centurionum, Urbes obsideri oppugnariquè placuit; sufficereq; ad id partem Copiarum; Ipsum, cum reliquo Equite, Peditequè, *Daniæ Regi* instare.

Igitur *Tilius*, tutâ post tergum ea *Saxoniæ Regione* relictâ, *Albim* tanto ardore petijt, ut ne *Valstenius* expectaretur, ex *Silesiâ* Victor properans, ut adversùs *Danum* partem periculi, ac gloriæ capesseret; ac Propugnacula quæ in citeriore ripâ posita fuerant, impetu magis quàm Consilio, aggressus est; amissis *Centum & Quinquaginta ex suis*, qui incautè improvidèquè se hostibus objecerant. Nec *Tilius* pulsus quievit: sed multò acrius institit; & acciris *Veteranis*, subitam Formidinem Obsessis incussit. Verùm Oppugnatione, quia Serum diei erat, abstinuit. Obsessi perterriti, *magis de Fugâ, quàm de Castellorum defensione cogitabant, ac Terrorem, nocturnâ Fugâ ex utràquè Munitione testabantur*. Obscuritas Noctis fugientibus saluti fuit. Postero die, deserta Munimenta, & Tormenta relicta invenit. Mox *Ponte raptim facto*, in ulteriorem Ripam, in quâ erant *Castra Regia* transgreditur. Hîc paulisper pugnatum est, cum *Dani* objectas Munitiones defenderent, & hostes transitu prohiberent; Illi majore Corporum, Animorumque robore contrà niterentur. Multi utrinquè cadunt, vulneranturquè. Tandem incondita *Regiorum* turba, nec virium, nec Animorum satis ad resistendum habebant. *Tilius Albim transgressus*, traducto Exercitu, opposita in ripâ Propugnacula in potestatem redegit; *& Danos, Munitionibus dejectos, terga vertere coegit: qui territi, & trepidi, subitâ Irruptione Cæsarianorum, nihil usquàm Spei nisi in Receptu ponebant.* Rex ubi rem inclinatam, & suos perterritos vidit, *relictis Munitionibus, & Impedimentis præmissis, in Holsatiam profectus est*, ut Incolis esset auxilio, hostes omni Orâ Maritimâ excluderet; Aditumquè Navibus haberet. Ibi propè *Reinoldburgum, nobile Holsatiæ Oppidum*, Castra posuit, sollicitus admodùm de Tutelâ Provinciæ. Nequè verò *Tilius*, cognito ejus discessu, Moram ullam ad insequendum interposuit; *ut abductum illum à Mari, secùm dimicare cogeret; aut fusum, fugatumq;, cum Pudore Regnum repetere*; & Castra, modico à Rege intervallo, posuit. Cum jam fertilis Provincia, effuso *Cæsarianorum* Exercitu, vastaretur, nusquàm Acie congresso hoste, *multæ Holsatiæ Nobiles Vrbes, Portibus inclytæ, priusquàm vim experirentur, Metu in fidem Tilij, ac Ditionem Cæsaris venerunt*: qui nactus Spem *Holsatiæ* potiundæ, antequàm *Valstenius* æmulus adventaret, *omnia ejus Regionis Oppida in potestatem redegit, præter Crempam, & Glucstadium; quæ magnis Danorum Præsidijs tenebantur.* Qui Successus *Cæsarianis* animos auxit; *Danis, Regiq; eorum* magnum attulit terrorem. Indè *Dani* inopinato pavore perculsi, *Propugnacula, Castella, ac Præsidia Vrbium deseruerunt; & fuga simile Iter fecerunt. Ipse rex Glucstadium, Maritimum Oppidum, se recepit*; ac aliena defendendo, propria penè amisit.

Valstenius Silesiâ victor digressus, adjunctis *Luniburgici* Copijs, cum numeroso Exercitu Iter in *Holsatiam* expeditum habuit; *& Tilio se conjunxit*, horridus, sævus, gloriæ avidus. aggrediendæ *Daniæ* Consilium cæpit; quia profligaverat Bellum *Tilius*, partâ jam Victoriâ, *ac solâ Oppugnatione Peninsulæ reliquâ*. *Danus* quoque magno in Metu erat, propter adventum *Novi Ducis*; quem cum ambitioso Imperio, & gravibus Minis adventare audiebat. *Duo Duces, Tilius, Bavari; Valstenius, Cæsaris Legatus, Invidiâ ac Æmulatione discordes, positis Odijs, in commune consuluêre.* Hic, insitâ Naturæ effrænatâ violentia, *Dano* infensior, Excidium ejus moliebatur. Ille Modestiâ, Industriâ, ac bellicâ virtute, posito odio, certabat. Antequàm *Valstenius* infesto Exercitu veniret, *Danus Copias in loca Maritima distribuit: fossis, Valloq; urbes communivit; tutumq; Mare Balticum Classe tenuit.* Frumentum, quod propè jam maturum erat, demessum, & in Urbes Castellaquè convectum; Crescens attritum, & conculcatum est, ne hostes fruerentur. *Valstenius* magno Conatu profectus est. Sed Rege incluso in Maritimâ Urbe, nec satis instructo ad subeundum Pugnæ Casum, omisso hoste, *Cimbricam, Chersonesum, vulgò Iutiam invasit*; Calamitatibus Agrestium explevit Sævitiam; Pecudum, hominumquè abacta Præda; *Prædonum magis, quàm Militum more*. Ita *Cimbricum Bellum* à repentinâ Populatione cæptum est; multiquè dies vastandis Agris absumpti. In proximas Insulas, Agricolæ victi malis, refugêre cum Conjugibus, ac liberis: Nuntiosque ad Regem misêre, qui de statu suo certiorem facerent. Intereà

Tilius

1627. *Tilius in Ditmarsiam, finitimam Holsatiæ Provinciam, flexit*: & subitâ Irruptione Peditum, Equitumquè, magnam partem Regionis in potestatem *Cæsaris* redegit; *occupassetq́, totam, præter Bremam, Vandalicam Civitatem, nisi vulnere in tibiâ accepto, cæpisset claudicare.*

Anholtinus Comes, Equitum Præfectus, cujus, secundùm eum, plurima fuit opera in isto Bello, curam præsentis Exercitus suscepit; & ad Consilium, Spe amplum, Eventu arduum, animum adjecit. Fortè ita tulit Casus. Hâc Tempestate, *velut Contagio Germaniæ Civitates invasit, ut Plebi passim à Magistratibus dissentiret: Magistratus, & Optimates, fautores Cæsareæ dominationis essent: Multitudo tota Regulorum Rebellantium.* Quâ re cognitâ, Spem cæpit habere, Civitatem expugnari posse. Igitur cum expeditis Cohortibus, & majore parte Equitatus, *Bremam*, objectis per omnes aditus operibus, obsedit: circumjecta Castella Vi aut Metu recepit; *& Morganum, cum Copijs Anglicis, Stadam se recipere coegit.* Ibi *Croatarum* velocitas, ad Incursiones, ac repentinos impetus, magno usui fuit.

Per idem tempus, *Dani* subacti Expeditione *Freidlandiæ* Ducis, *Legatos ad Cæsarem misêre*, percunctatum, *Quod ob factum suum, Bello eos lacesseret? oraruntq́, ut remoto Exercitu, Iure secùm disceptaret.* Nihil eum, ferociorem jam ad perseverandum in Bello, Legatio movit. *Postulata eorum ad Freidlandiæ Ducem remisit; ut quod ei videretur, statueret.* Ita debilitatis, ac propè fractis *Dani* viribus, ut rebatur, cum jam hyems appeteret, *retrò in Austriam rediit*; præferentibus eum *Legato Bavari*, rerum gestarum gloriâ, Militibus suis. Quam Opinionem ipse, insitâ Naturæ Vanitate, aluit; & *Cæsareas opes* luxu, ac Magnificentiâ, in Convivijs exhausit; quâ omnes Præfectos Cæsaris longè superavit.

Tilius, Civilis animi vir, Veste Cultuquè corporis vix Privatum modum supergressus, *Sanato vulnere*, ac Præsidijs *Holsatiæ* Urbibus relictis, *in Saxoniam Inferiorem rediit*, ad occupanda Oppida Præsidijs *Danorum* iosessa; *tentavitq́, arte Neoburgi Præsidiarios, ut se Fidei Cæsaris permitterent, desperatis omnibus Auxilijs.* Qui viribus, Situque Urbis freti, Conditiones aspernati sunt. Ubi oequè Promissis in Amicitiam allicere potuit; Neque Minis terrere; Vi atquè Armis propalàm usus est. Nec parum laboris Operisquè in eâ Oppugnatiooe fuit. Nec *Limbachius Tribunus, qui Vrbi præerat*, segnirer defensionem parabat. Qui nocturnis pariter diurnisquè laboribus defatigatus, graviquè Morbo implicitus, decessit. Eo mortuo, fracta *Danorum* ferocia: nec multò post *Deditio facta est; ut Præsidiarij incolumes, cum Armis dimissi, in locum tutum deducerentur.* Dimissi à *Tilio* inviolati omnes; & ad *Volfenboteliam*, firmo *Danorum* Præsidio infessam, deducti. Tum *Cæsarem, Bavarumquè* certiores fecit, *Neoburgum in potestate esse*; cunctisquè apparuit, *Tilij, non Freidlandiæ Ducis, tot captarum urbium gloriam esse.*

Metus hujus Deditionis *Volfenboteliam, prævalidam ac munitam Vrbem, & Arcem ejus inexpugnabilem*, ad Deditionem inclinavit. Cum *Cæsariani* acrius infestiusquè obsiderent, *Solmensis Comes, Regius Præfectus*, consternata omnia circà, Pavoremquè Militum cernens, *Deditionis Author fuit*; transegitquè, conterritus Obsidionis metu, *Pacto salutis, & Securitatis suæ, atquè Militum.* Conditionibus peractis, ut iocolumes abirent, excesserunt Urbe: Ibiquè validum *Cæsarianorum* Præsidium relictum. Clara ea per *Germaniam* Deditio fuit; quod haud dubiè adempta *Dano* Saxonia esset. *Tilius Volfenbottliâ potitus*, facilè igoobiles Urbes, Propugnacula, Castellaquè *Inferioris Saxoniæ*, partim terrore, partim Voluntate, in Ditionem Imperij redegit; ne *Danus*, cum vellet; rursùs Exercitum induceret.

Qui spatio ad respirandum dato, Bellum non omisit: Navales, Terrestresque Copias, *Saxoniæ Subsidio*, comparavit. Ex Amicorum numero *Apolectos ad Morganum Anglorum Tribunum misit*, ut ea quæ maximè ad Bellum pertinere viderentur, ageret. *Is Stadam se receperat, cum Quinq́, Millibus Anglorum*, (ut suprà memoravi.) Senteotiam suam de ratione universi Belli, Regi per literas Nuotiosquè exposuit; ac fortem fidelemquè operam suam in defendendâ Urbe pollicitus est. Namquè *Tilius, tot expugnatarum Vrbium Successu elatus, summâ Ope parabat se ad Stadam oppugnandam.* Quo Consilio cognito, *Morganus* peritus rei militaris, Præsidia locis idoneis imposuit: Præfectis, Centurionibusq; quid fieri vellet ostendit. Oppidum, loci Naturâ invalidum, celeriter munire cæpit, timens *Tilium*, ne omnibus Copijs aggrederetur. Cæterùm, eum absistere Conatu coegit *Hyems*, quæ jam acrius instabat; & in hiberna Copias distribuere; ut datâ quiete, Corpora Animosq; Militum acueret, ac *Vere proximo* ad hostem duceret.

Cum hæc in *Germaniâ* gererentur, in *Belgio Iberi*, quooiam propositum, *Conjunctione Rheni & Mosæ*, Superiore Aono obtinere non poteraot; hoc, *Mosam Amnem Scaldi flumini committere conantur.* Huic operi magna Multitudo vacabat. Fæminæ è propinquis Vicis, Cibaria fodientibus comportabant. *Batavorum Equites Hispanos sæpè aggressi sunt*, qui pro Fossoribus iotenti armatiquè steterant; & stratis eorum corporibus, Campos repleverunt. *Plures Calcibus equorum obtriti, quàm ferro trucidati.* Itemquè Fossores malè accepti. Hâc Audaciâ inflammatus *Spinola*, Opus non intermisit; sed Peditum Equitumquè numerum auxit, ne Fossores posteà ab Equitatu hostium circumventi, opprimerentur. Cæterùm, *nihilò eis facilior fuit hæc Machinatio, quàm Rheni & Mosæ Conjunctio, superiore Anno inchoata.*

Ita intentis Operi maximè hostibus, *Aurasionensis Princeps*, singulari virtute, scientiâ rei Militaris, & Coosilio, *ad Grollam Castra posuit*: Urbem incursionibus hostium opportunam, ex omni parte obsidere,

1627.

obsidere, oppugnarequè aggressus est; ac Munitiones celeriter perfecit, priusquàm Auxilia accurrerent. *Spinola Britannica Classis famâ territus, Bruxellæ se continuit.* Jam cum videret, eam nolle in *Belgium* transire, ac instrui repentinam Oppugnationem, *Bergensem Comitem, cum Equitum Copijs, & Decem Millibus Peditum misit, ut eximeret Obsidioni Vrbem sitam opportunè*, ad Impetus in proximos *Batavorum* Vicos faciendos. Qui propè Castra hostium Signa constituit; Itineraquè, quibus subvehi Commeatus videbantur, obsedit. *Aurasionensis*, usus singulari Militum diligentiâ, ad Murum magno labore pervenit; & ejus partem crebris Tormentorum ictibus stravit. Itaquè trepidatio totâ Urbe fuit. *Præfectus Præsidij Batici Nuntios ad Bergensem mittit:* qui nuntiarent, *se diffidere Munitionibus Oppidi, nisi propterè succurreret.* Ille periculo Obsessorum cognito, paratus, instructusquè *ad proxima Scotorum Auxiliarium Castra oppugnanda ducit*, irrumpitquè. Ibi *legio Brogij, Veterani Tribuni*, atrocissimum edidit Prælium; & Vallum scandentes comminùs, eminùsquè vulneratos interfectosvè deturbavit, propulitquè à Castris. *Bergensis* tantâ Ignominiâ pulsus, Signo receptui dato, in Castra redijt; & confestim *Bruxellas sese ad Spinolam recepit.* Obsessi, desperatis omnibus Auxilijs, *Apolectos ad Aurasionensem, de Conditionibus tradendæ Vrbis miserunt*, quibus impetratis, sese dediderunt. *Aurasionensis*, hujus Urbis exemplo, reliquis *Hispanorum* Præsidijs formidinem incussit; auxitquè famam nominis sui; & Arrogantiam *Baticam* deminuit.

Flagrante in Germaniâ, & Belgio bello, Gustavus Fortissimus heros, Principio Veris, in Prussiâ, impigrè terrâ Mariquè Bellum renovavit. Navibus, Maritimæque Oræ, *Turrensem Comitem Iuniorem* præfecit; maximè ad *Gedanensium* terrorem, ipse Terrestres Copias comparavit; atque *obsidendo Gedanum* terrâ Mariquè, arcere Commeatibus Urbem tentavit. Interim *Sarmatarum* spes, ad sublevandam Urbis inopiam, *& pellendos Prussiâ Suecos*, accensæ erant: & Munitionibus, quibus *Turrensis* præerat, Custodiæ causâ, imminebant. *Præfectus Præsidij*, quanquam in certamine virium Spem propè certam haberet, tamen *Insidias quoquè hosti struxit Tormentarij Pulveris Incendio*; & die nocteque *Cuniculos occultè egit; ubi magnam vim Tormentarij Pulveris* reposuit. *Sarmatæ* cum viderent, nulli Occasioni fraudis hostem patere, vi ac propalàm agendum censuerunt, & magno Conatu Munimentum aggressi sunt. *Sueci Metum simulantes*, levi Certamine inito, profugerunt; & *Sarmatæ* Successu inflati, potiti Munimento sunt; nihil minùs suspicantes, quàm illo loco & tempore Exitium affuturum. *Mox Cuniculus, igne concepto, latim fundere Incendium capit; & Quatuor Millia Sarmatarum fœdâ Cæde absumpsit.* Ambusti Artus, & lacera Corpora, Spectaculum miserum atquè acerbum præbuerunt. Paucos interà dies, indè *Sarmatæ Vltionem petentes Insidiarum*, quas tàm fœliciter hostes experti sunt, infensis animis propè *Vitendam* concurrerunt: *ubi multi ex ijs fœdè trucidati*, magnam vim Frumenti, Commeatusquè omnis generis *Suecis* reliquerunt. Cum omnes Conatus ludibrio essent, *Sigismundum rogarunt, ut adversùs Gustavum, Prussiam tueatur, defendat, incolumemquè conservet; Naves, Nautas, Copias, ad id bellum gerendum mittat.* Post paucos dies, *Auxilia Germanorum, & Polonorum in Castra Sarmatica venerunt.* Quibus freti, *Hamerstaninum Oppidum* vi atquè armis adorti, & cum multis indè vulneribus ter repulsi, oppugnare non destitêre, donec dederetur. Intereà, *Suecos*, cum Bello Maritimo *Gedanenses* urgerent, Naves Sarmaticæ absistere incœpto coegerunt. Ita Maritima Oppugnatio est aversa. *Gustavus* Naves, Nautas, pecuniam, cæteraque quæ ad Maritimum Bellum gerendum pertinerent, summâ ope paravit, ut Bello Navali, sicut antè, *Vrbem vrgeret*, opulentissimam, beatissimamquè Portu egregio, ad sublevandam omnium rerum egestatem: mandavitquè *Turrensi Comiti*, ut cum expeditis *Quinquè Millibus Peditum, & Quingentis Equitibus, Sarmatas Commeatum in Vrbem supportantes, extemplò opprimeret.* Is haud dubius opprimi sinè ullo certamine posse, incompositos adortus est, & primo Impetu turbavit. Quod ubi *Sarmatæ* animadvertunt, Sarcinis in medium conjectis, infestis Signis *in Gustavi Equites impetum fecerunt*; Peditesquè acrius instare cœperunt; *quorum impetum non tulit Turrensis. Qui fortissimè pugnans, ab Equitibus interfectus, cum Quatuor Millibus militum.* Is paucos antè dies dolum struxerat, cujus suprà mentionem feci; & *Gustavum* operâ ac virtute vehementer adjuverat. Hoc damnum aliâ mox Clade compensatum, *Sarmatis* interà Vallum compulsis, & summæ rei diffidentibus.

Tum hâc Æstate, *in Gedanensi Civitate* cum magna Alimentorum Inopia esset, victi Necessitate Cives, *Legatos ad Sigismundum miserunt, qui Pacem æquam certantibus Regibus suaderent.* Legati quoquè *à Batavis*, ad finiendum Bellum, in Castra pervenerunt. Qui missi erant, liberius cum Regibus colloqui cœperunt: eosquè hortari, *ut Controversiarum, ac Dissensionum obliviscerentur. Suum Officium Civitati præstarent.* Qui cum Pacem non impetrarent, 30 *Annorum Inducias*, his Conditionibus, postularunt, *ut Gustavus Oppida, ardente Bello, capta, restitueret. Præsidia ex Livoniâ, & Lituaniâ deduceret. Prussiâ decederet. Et Gedani Obsidione abstineret. Locum ad consultandum constitueret, de Iure Regni Sueciæ. His legibus, Sigismundus Stipendium Militibus, & Impensam Belli præstaret. Suecus, Prussiâ* omni egregiâ peragratâ victoriâ, erectus in Spem *Gedanensis Civitatis* potiundæ; amplificandæ Ditionis; ac retinendæ Potentiæ; & *Polonus* prospero Belli Eventu adversùs *Turcas* elatus; ac Fiduciâ futuræ Victoriæ ex victis hostibus, *Inducias abnuere; dum Vterquè jactaret, Victoriam se, non Pacem domum reportaturum.*

Inter quæ, *Gustavus securum hostem in Castris invadit.* Ibi trepidatum aliquamdiu: Jamquè sedato paulatim tumultu, *Sigismundi Præfectus*, dato Signo, Equitum Turmas, & *Cosaccos* repentè in hostem

1627. emisit; qui Equestrem Procellam excitarunt. Tumultum *Equestrem* auxit Clamor, *à Peditibus* additus; omnisque Multitudo Castris se effudit. Ipse Præfectus equo advectus, fortiter pugnam ciet. *Gustavus* acer impetu, atque animo, ingentem suis quoquè Ardorem injecit. Atrox ibi Cædes; ac Eventus Prælij anceps; *utràquè parte sibi Victoriam vendicante*. Multi non obscuri generis, sed Clari, Illustresquè utrinquè cecidêre. Equites *Sueci*, qui primùm hosti se obtulerant, magnâ ex parte cæsi. *Præfectus Equitum, Tribuni aliquot, Centarionesquè interfecti, vulneratiquè*. ex alterâ parte, *Præfectus Sigismundi*, cum singulari Audaciâ in ferrum rueret, confosso equo, discrimen vitæ adijt; multiquè viri fortes, gravati vulneribus, perierunt. *Sarmatis* ferociam augebat hoc Prælium. *Suecis* addebant animos, tot Belli decora, superioribus pugnis, *in Livoniâ & Lituaniâ* parta; *Gustavi* exercitati ducis gloria, ac virtus Militaris, cujus ductu, Auspicioquè regerentur; nec Disciplinam modò Militarem ab ipso, sed Exemplum etiam fortitudinis discerent, inter infimos Militum Munia Belli obeunte, mediâ in rabie Præliorum.

Post paucos dies, *Sarmatæ* Trepidationem hostibus inijciendam rati, crebris Tormentorum ictibus *Suecos* provocarunt. Nequè *Gustaviani* suo officio defuerunt: nam Prælium pari Spe, ac fiduciâ commissum est. *Sigismundi Præfectus*, virtute suâ fretus, in hostes irruit; *Equitesq́ Sarmatici* hoc acrius instare cæperunt; in temerario incæpto periculi expers non fuit: nam, interfecto rursùs equo, parùm abfuit ne opprimeretur; sed saluti fuêre sequentes Equites, *qui latentem, attonitumq́ Ducem sublevantes, in alium equum properè subjecerunt*. Ita nequicquàm sæpè conati *Sarmatici Equites* hostium Aciem turbare. In medio ardore Pugnæ, & Certaminis, *Gustavus cum Equitibus evectus, in medios hostes, quosdam cominùs obtruncat, vulneratq́*. Hoc Spectaculo accensi comites, in *Sigismundi* Equites impetum fecerunt, ac ingentem stragem edidêre: æquo Marte per aliquot horas dimicatum est. Intereà *Gustavus, cum pertinatius confligeret, Vulnus globo accepit, ac saucius excessit Pugnâ*. Tum commotæ *Suecorum* Acies, cum auferri ex Pugnâ *Regem exanguem* cernerent: sed gradum sensim referentes, sub Signia ordines servabant. Fatigatio hominum, Equorumquè, exitu incerto Prælium diremit; ac *Moram Victoriæ Regis vulnus attulit*; longiusquè Certamen fuisset, *nisi vulnere Regis cessatum esset*, cum Victoriam propè in manibus haberet.

Tradunt *Poloni*, insolenter gloriantes, in hoc Certamine & Prælio *Suecos victos, & in Mare, ac Naves fugere compulsos*. Quod temerè vulgatum est. Namquè *Rex, sanato vulnere*, paruoquè intermisso temporis spacio, *ad Gedanum oppugnandum redijt*; & Munimenta, quæ inchoaverat, permunijt; omnia circà se, *Livoniam, Lituaniam, Prussiam* armis domuit. *Polonorum* multi Præfecti, Centurionesquè, in sustentandâ Acie, cecidêre. *Virorum fortium, qui ceciderant in Pugnâ, sepeliendorum curam Præfectus Regius habuit: & Mortuos suos jussit in Plaustris, Versoviam deportari, ut honoribus Ornamentisq́ decorentur*. Nec *Suecis* incruentum Certamen fuit, quorum multi Telis pariter obruti sunt.

Cæterùm, hoc Anno apud nos decessit *Tobias Mathaus, Eboracensis Archiepiscopus*, vir cùm bonus, tùm perhumanus: *qui non Doctrinâ modò, ac comptâ Oratione in Concionibus, sed Exemplo vitæ etiam gregi præluxit, sanctis Moribus*: suâ Humanitate, Munificentiâquè in Pauperes, Ecclesiasticas Dignitates, summamquè laudem sibi peperit: & eundem tenorem Vitæ deinceps per omnes Dignitatum gradus servavit: in Sacerdotijs magnis, paruisquè, Cultu, habituquè promiscuus; *usitatas Conciones diebus Dominicis haud gravatè obivit*; atquè Calamitosos suis Opibus sublevavit. Is remissior gravitate, quàm *Lancelotus Andreas* erat; sed aptior Sermone, Urbanitate, Jucunditate, & Comitate præstantior. Plerìquè *diserti Senis Iucunditatem*, naturaliter innatam, inaffectatam crediderunt, quam nulla Imitatio consequi posset.

In *Vlteriore Britanniâ Robertus Gordonus, Lochenuarius, Equestris dignitatis, Calculo extinctus est*. Qui excelsi corporis robore, & animi Magnitudine, in omni ætate conspicuus viguerat. Undè singularem gratiam apud Magnanimum *Principem Henricum* promeruerat; solenniquè Armorum Exercitatione, in Aulâ Victor evaserat; ac Præmium meritæ Palmæ tulerat: *Henricoquè mortuo, fabricatis Navibus, ultrà Æquinoctialem Scotici nominis famam propagare destinaverat*. Verùm, Morte ejus tàm laudabilia Conatus evanuit.

Fulserunt hoc Anno, ubiquè *in Britanniâ, eximia Charitatis Decora, tum præcipuè in Vrbe Regiâ*; quæ libuit Oculis subijcere legentium, ad Memoriam Pietatis, ac amplissimæ Civitatis laudem; ne Opera *domestica Charitatis*, etiam ab infimis edita, Memoriâ intercidant. *Henricus Smithus ferrivendulus Mercator*, vitam *Londini* exegit, Egenis perbenignus: *qui moriens Captivis Turcicâ Servitute oppressis opem tulit; & Mille Libris redemit Captos à Prædonibus Maritimis*. Idem *Rigaulto, Surriæ Oppido, Mille libras, ad sublevandos Pauperes legavit*. Nec minore Summâ *Ricamontium*, ejusdem Provinciæ Urbem, locupletavit; *Vansuorthiumquè*, propinquum Pagum, *Quingentis*. Idem *Decem Mille Libris, Beneficia impropriata à Possessoribus Laicis redimi jussit: Testamentoquè cavit, ut Doctis Theologis distribuerentur, qui perpetuam Residentiam præstarent; & Parochos Doctrinâ ac Disciplinâ libentissimè imbuerent*. Quâ Beneficentiâ in Patriam, eximiam sibi laudem vendicavit; aliosque Locupletes, ad Imitationem excitavit.

Hoc

HOc autem tempore, *Mors Eboracensis Archiepiscopi*, superiore Anno memorata, novis *Præsulum* 1628. honoribus locum patefecit. *Montanus, Londinensis Præsul*, ætate ac hydrope confectus, haud difficùlter obtinuit, ut *Eboracum*, sicuti magnoperè cupiebat, à Rege mitteretur. Verùm, Dignitati ejus fortuna invidit: nam, vi Morbi oppressus, vitam amisit, antequàm eò perveniret, quo *Rex* eum miserat. *Housonus, Oxoniensis Episcopus, obtinere Episcopatum Dunelmensem jussus; Nelus Dunelmensis, ad Vintoniensem; Laudus, Bathoniensis, ad Londinensem translati. Montacutus*, adversùs quem in superioribus Comitijs Actio constituta est, *Præsul Cicestrensis inauguratur; minore Plebis gratiâ, quàm Literaturâ.*

Gulielmus Laudus, futurus posteà maximus ætatis suæ Præsulum, Auctoritate, Opibus, & Regis gratiâ, auctior indies evasit; obsolescente paulatim *Cantuariensis Præsulis* Potentiâ, ac gratiâ, *ob fortuitum Homicidium*, quod Famam nominis sui deminuerat. Itaquè *Laudus*, his dotibus animi instructus, quæ ad conciliandam *Principis* gratiam potentissimæ æstimantur, *facilè præcipuum inter Proceres Ecclesiæ locum obtinuit*; in quo sæpè magno usui Ecclesiæ fuit. Effrænatam *Catharorum* Licentiam domuit, *& ædem D: Pauli, vetustate labentem*, pijs Largitionibus reficere instituit, *post Obitum Montani, Prædecessoris sui*; qui idem Opus, congestis lapidibus immensæ Magnitudinis, destinaverat. Sed exhaustus, atquè egens, Beneficentiæ ac lautitiæ studio, perficere non potuit, quod inchoaverat. *Cæleste Numen oro, obtestorq́, ut Votis tuis, tàm religiosè susceptis, usquequaq́, aspiret, Maxime Præsul, si quidem Ecclesiam Tranquillitate, atq́, Opibus florentissimam reddere contendis; ac Pietatis studium pulcherrimo Opere ostendis; cujus Author, & Adhortator extitisti. & faxit Deus, ut hujus pij, præclariq́, Voti, tibi gloriosi, publicè utilis, Civitatiq́, Decori, compos fias: quod Incepto egregio, non Eventu æstimari debet.* Claudatur hoc exemplo *Ecclesiastica Narratio*. Nunc ad *res Civiles* redeo.

Carolus Gustavum, Sueciæ Regem; & Henricum, Aurasionensem Principem, in Periscelidis Ordinem adscivit; ita de se meritos, ut his Ornamentis decorari debeant. Misitquè *Feciales*, ac Ministros idoneos, qui Solennia Cæremoniarum procurarent. Hi amicè atquè benevolè excepti, cultiquè fuerant.

Conversus hinc ad Reip: curam, *Vestonum Proquæstorem in Quæsturam adscivit*, quasi magis idoneum rebus gerendis; *ac seposuit Leum, Marleburiensem Comitem*; qui abdicatâ Ærarij curâ, in Portum Otij honesti secessit, ad Contemplationem rerum Cælestium, in Curiâ *Lincolniensi*.

Appropinquante deindè *Comitiorum die*, XVII *Martij*, voluit animo *promissa Rupellanis Auxilia*, & Fidem interpositam: statuitquè *Rupellanis laborantibus, omnibus alijs rebus omissis, Opem ferre.* Dicto die, *Summi Proceres, Primores Equitum, & Procuratores Civitatum, Londinum venerunt*; ut tot Regni procellis remedium salutare adhiberent. Eoquè die, Rex Purpureâ veste velatus, in sublimi Sellâ consedit; & Silentio facto, convenientem tempori Orationem habuit: exposuitquè Causas, ob quas Publicum gentis Consilium convocaret, difficillimo Reip: tempore, *Religionis Securitatem, Regni salutem, Sociorum Tutelam; quæ pretermitti sinè Ignominiâ non posset; tum Auxilia ex Fædere petantur.* Intereà æquum esse, *ab ipsis, Religionis & communis Salutis causâ, Subsidium rei Nummariæ parari, ad Novum Bellum, quod magnâ Classe, magnoq́, Exercitu gerendum esset. Occasionis rem esse, non Consilij. Dignitatem Ecclesiæ, Authoritatem Regis, Salutem Regni, ac Singulorum, syncero Publici ac Privati Officij tenore, posse servari: deseriq́, Officium, tempore tàm Necessario, sinè summo Reip: discrimine, non posse.* Oravitquè Amplissimos Ordines, *ne Dilationes, ac Moram quærerent, per Causam Emendationis speciosam: Nec tempus agendi inutili Cunctatione tererent: quod non solùm privatim calamitosum, sed publicè etiam exitiosum foret.* Cæterùm disseruit, *se in primis publicæ Salutis Custodem, Præsidem, Propugnatorem, excubare pro Salute, Honore, ac Dignitate Reip: non debere interim Membra torpere: sed ipsis pro Religione ac Patriâ vigilandum esse; ac publicis Necessitatibus, Armis Opibusq́, subveniendum. Malle ipsorum Concessu, & Comitiali Auctoritate, sibi Sumptum ferri, quàm Iure Regio vendicare. Sed si Officio, tali tempore, deessent, se pro Potestate divinitùs datâ, Reip: non defuturum, Consiliumquè Sibi Regnoquè seperatim capturum, ut fidem ac Conscientiam suam ergà Deum exoneraret, ac periclitantis Reip: salutem procuraret; quæ Suprema Lex est. Neq́, minitari sese Ditionis suæ Subditis: dignumquè ducere Majestate regnantis, cum Paribus, Minis ac terrore certare.* Deinceps monuit universos, *intrà Modestiæ Cancellos se continere; Nequè ulterius, altercari cum Rege, ac Supremo domino, ut Superioribus Comitijs fecerant. Id si facere in animos induxerint, & compensare Offensas Amore ac Obsequio, paratam gratiam, Offensionum Oblivionem, & in eorum Commodis augendis gratam animi Benevolentiam non defuturam. Sed si in Contumaciâ perseverarent, & Remp: novis Dissidijs, ac Dissensionibus distraherent, grave Odium, ac periculum Capitibus eorum imminere. Deniquè hortatus est, ut Saluti Regni, & Ecclesiæ, sinè dissensione, ac Dissidijs, consulerent; quod publicè expedire judicarent, ardenti studio statuerent; Subsidium in stipendium Militum, Nautarumquè maturarent: Rixas, & Discordias finirent; Pietatem, Pacem, at Concordiam colerent.* Tum *Coventrius, Sigilli Custos*, Regis voluntatem fusius explicare jussus, laudatâ ejus in Subditos, in Socios, in Ecclesiam, ac Remp: egregiâ Pietate, Benevolentiâquè, *statum Europæ* compositâ Oratione exposuit; *Austriacam familiam, Orbis Terrarum Imperium affectare; omnia Maria, omnesquè Terras, vi & Armis occupare; Freto Danico, & Portibus Vandalicarum Civitatum inhiare; Francum conspirare, & Conatus ejus improvidè inconsulteq́, fovere. Protestantes, in Aquitaniâ, penitùs extinctos: Amicos Reges, Populosquè, Vi aut Metu oppressos: omnia lachrymis, gemitu, Cladibus, in Germaniâ referta: ardere Bello Daniam: Saxoniam Cæsarianis Armis recuperatam:*

1628. *Suecum, strennum & acrem Bellatorem, Borussia Bello, ac Gedanensi Obsidione implicitum: exhaustos Batavos Orientis, & Occidentis longinquâ Navigatione, ac immensis militum stipendijs; Fastidiosum, in æstimandis bonis suis, Populum Britannicum; qui Optimi Regis, Patrisq; Industriâ, ac virtute, salutari Pace fruerentur. Ad id verò eos convenisse, sicuti ex Rege ipso jam intellexerant, ut Saluti Ecclesiæ, Securitati Regni prospicerent: in Communi periculo ac discrimine, Opem Socijs, Regibusq; Amicis ferrent: cum prætermitti Defensio, deseriq; Officium, sinè Piaculo non posset. Bellum necessariò gerendum; Subsidio rei Nummariæ egere; Pecuniam esse Nervum Belli: eam jam non exigi, urgente Necessitate, non locupletibus imperari, contrà leges, vario Tributorum genere; sed laudabili Consuetudine Majorum, Ordinum Authoritate, & viâ Ordinariâ implorari: cum Rex Cimelia Coronæ, Ornamenta sua, & Supellectilem Aulæ vendiderit, ad sustinendas Impensas, ac tanta Onera Reip:. Neminem autem virum bonum, aut Amantem Patriæ Civem, justè deprecanti Auxilium denegare posse, Iure Divino & humano debitum, Virtutis ergò, Benevolentiaq;, quam ergà Populum Britannicum haberet.* Ostenditq; etiam, *si Regi commodum* videretur, Pecuniam aliâ ratione conficere posse, *Iure Absolutæ Potestatis; ac Pænalium legum Severitate: sed ab hâc conficiendæ pecuniæ Consuetudine, justum ac Moderatum Principem, suâpte Natura benè constitutâ, vel Conscientiâ suâ, abhorrere; & Ordinum Authoritate, à Majoribus sapientissimè institutâ, uti: omnemq; Spem habere in Civium Benevolentiâ.* Quamobrem hortatus est Ordines, *ut optimis, & sanctissimis Regis desiderijs satisfacerent; Opem Ecclesiæ, Reip:, Populo, Regibusquè Amicis, in ultimo discrimine fortunarum, ferrent: Nec parcè, nec serò contribuerent: Proceres, ad Imitationem Majorum, Plebeio Ordini Exemplum proponerent: utq; Rex cunctorum ergà se Fidem, ac Benevolentiam experiretur. Quod si cunctentur facere, brevi totius Regni ruinam secuturam prædixit; Detrimentum ad ipsos redundaturum; & Socios extorres in Britanniam venturos, non sinè Contumeliâ Nobilissimæ gentis.*

Illa Oratio Regis, cum Custodis Paraphrasi, Consensum, & Concordiam summi Ordinis, ad defendendam publicam salutem, & liberandos Socios, excitavit. Itaquè *Proceres*, & proprio ingenio, & terrore imminentis periculi admoniti, *in re Pecuniariâ expedienda cessandum sibi non existimarunt. Procuratores quoq; Civium non recusarunt Collationes, ad Novum Bellum: si Ordines Plebis Libertatem, & Commoda tuerentur, charissimasquè Possessiones inviolatas conservarent.* Quâ Querimoniâ permoti *Primores Equitum*, ad defendendam Bonorum, ac Personarum libertatem, omni studio incubuerunt: & Sententias audacter, ac fortiter dixerunt, pro Communibus Commodis. Quorum è Numero *Franciscus Seymerius, Hertfordtana familia Nobilitate clarus*, in primis referri debet: qui liberè disseruit, *in Publico totius gentis Concilio prospiciendum Regi, Regnoq;: Consulendum tantis Procellis, deformitate, atquè indignitate offusæ Reip: More Majorum, sinè Fuco & fallacijs; non vitiorum illecebris, aut Cupiditatum lenocinijs, More Consiliariorum Cambisis, dicentium, Persarum Regi licere quod liberet. Iacobum Regem, qui honore & gloriâ floruerat, in Quartâ Oratione Comitiali aliter censuisse; cum diceret, Absolutam Regum potestatem, legibus circumscribi placere: Gnatones, qui aliter sentirent, Viperas venenatas esse, Regumquè simul, ac Rerump: Pestes atrocissimas. Nec oportere priùs Subsidium Rei Nummariæ decerni, quàm de Proprietate Bonorum, ac Libertate Personarum constaret. Neminem justè dare, & contribuere, quod suum non esset.* Questusquè est graviter, *Novas Servitutis leges imponi, Fraude ac Avaritia Præsidum: adimi Bona, sinè hujus Ordinis Authoritate: trudi in Carcerem Libertatis Custodes, ac Propugnatores insontes: Invalida Legum Auxilia: magnoquè malo Reip: divisos per Provincias Hibernos, Naturâ & Moribus feros: perquè Rusticorum domos, Milites in Otio ali, in Bona, ac Fortunas Aratorum sævientes. Novorum Onerum Inventores, genus hominum publicè exitiosum, & sæpè legibus coercitum, rursùs omnia miscere: paulatim gravissima Onera Servitutis serpere: ac si in præsentiâ taciti ferrent, perpetua fore: Nihil profici Tolerantiâ, Patientiâquè, nisi ut graviora indies imponantur. Multas inferri Injurias: tot tantarumq; Injuriarum Culpam, ab Optimo Rege procul abesse; unius hominis Authoritate uti Magistratus, Præsidesq; Provinciarum. Insuper Prædicatores à Majorum Pietate descivisse. Concionem Temeritatis plenam à Mauerino habitam, in hanc Sententiam, Privatorum Bona Regis esse, quoad Iurisdictionem, ac Proprietatem. Verba illa abhorrenda, ac abominanda, in Perniciem Civium pronuntiata, Deum Vltorem habitura.* Demùm oravit, *ut deligerentur ab universo Ordine Optimates, & Subditorum Querela, Onera, atq; Incommoda ad eos referrerentur; qui Regem adeundi, deplorandiq; Ærumnas Subditorum Potestatem peterent; Questusq; liberè ac publicè exponerent.*

In eandem ferè Sententiam loquitur *Thomas Ventuorthus. è Rep: visum, ut Comitia Regni cogerentur, & ex eorum Sententiâ, ac Authoritate, Medicina adhiberetur Reip: Publicè interesse, ne Regis Regniq; Salutem, Religionis Securitatem, & Civium res perditas respicerent. Plurimum in eo Momenti, ut salutare Remedium properè adhiberent. Eum quippè usum Comitiorum esse, ut de Rep: in Commune consulant; ac idoneis Remedijs Miseriæ publicæ Medecinam afferant.* Postulatquè Supplex, *in audiendo Patientiam; in statuendis Remedijs Curam, ac Industriam.* Tum subjecit *acerbissima Militum Scelera; Licentiam, Libidinem, Sævitiam in liberos, ac Conjuges miseræ Plebis exercere: multa nefanda ac indigna perpetrare; & Agricolas multo majores Injurias ab hospitibus accipere, quàm Colonos Gallicos ab armatis Equitibus: eripi Pecunias, per Procuratores, Præsidesq; Provintiarum. Repertores Novorum Onerum æquè Subditis exitiosos: excisas Libertatis Radices, nisi Princeps non voluntate solùm, sed etiã Ope, ac Iustitiâ rursùs plantaret. Pro Certo se habere, hæc omnia quæ nefariè acta essent, Inscio & Invito Rege facta esse, conculcatâ Numinis reverentiâ, spretâq; ejus Authoritate.* Postremò, Salutaribus Remedijs opus esse, disseruit, *quibus Libertatem Bonorum, ac Personarum tuerentur; Carcerem, ac Servitutem à Cervicibus depellerent. Novorum Vectigalium Inventores, & Coactores, Plebis hirudines, pænis severissimis coercerent. Abolitas Desuetudine, aut Licentiâ, antiquas leges revocarent; Novasq;, quibus mederentur Reip: conderent.*

Dein

1628.

Dein Robertus Philippm præfatus, in More positum fuisse apud Romanos, ut Servi quot annis solenne Festum celebrarent; deplorandiquè ærumnas suas liberè potestatem haberent. Idem Subditis hoc tempore contigisse, Injurijs atq; Collationibus oppressis, ac omnia passis, quæ Servi patiuntur; ut Miserias suas audacter exponere possint, habitâ publicæ Vtilitatis ratione. Adjecit, Neq; Plebeio Ordini operæpretium esse, singula Reip: mala audire; nec sibi facile Sigillatim referre. Vnum esse, de quo nominatim queri cogeretur; Religionem venalem fuisse, in Perniciem Protestantium; & solutos Legibus summâ Pecuniariâ Papanos, ut impunè Romana Sacra colerent, & Licentiam atq; Idololatriam exercerent; conculcatâ Numinis Reverentiâ, spretâq; Legum Potestate. Duo Capita Malorum superesse, Acta absoluta Potestatis adversùs Leges, & Iudicia Tribunalium, contrà Libertatem Civium; Famam, Fortunas, Vitamq; omnium in Iudicum potestate esse; Nec Leges quicquam posse. Pecunias exactas, gravi Tributo Subditis imposito: Carceres, & Custodias Collationes recusantium: Publicam pecuniam Peculatu aversam: Privatorum eripi Bona; abigi Pecora; graviusq; Tributum imminere. Hæc omnia Mala Servitutis, proficisci à Præsidum Provincialium impotenti dominatione; Civium libertati gravem esse Arrogantiam; eorum vim, Contumeliam, Superbiam legibus coercendam; libertatem Corporum suorum, ac Bonorum tuendam. Deindè, adversùs Judicum Ordinem Libertatem exercere non dubitavit: Iniqua Iuditia incusavit Tribunalis Regij adversùs Insontes Equites, Senatm jussu in Custodiam traditos, ac habeas cotpora implorantes, Legumq; Auxilium justè deprecantes. Similiter decretum Scaccarij, Nova atq; insitata Vectigalia licita pronuntiantu: Quo gravi Iudicio, Barones majorem partem Mercatorum exasperarunt. Demùm Indignatione accensus, aut studio Libertatis, latius evectus, exclamavit, ô Majores, improvidi rerum nostrarum? insimulavitquè, quod Libertati Comitiali nimium indulsissent; & interim Libertati Corporum ac Bonorum parum prospexissent. Ut secundis auribus Orationem accipi animadvertit, pronuntiavit, Novis legibus opus esse; sibiq; placere, ut Apolecti optimi, ac prudentissimi deligerentur, qui rem apud Proceres arguerent; peterentq; supplices à Rege, ut ipsis Libertatem, Legesq; suas, Desuetudine abolitas, restitueret.

Hæc cum à Primoribus dicta essent, partim Vera, partim Veris similia; dixit Benjamium Ridgerus, ejusdem Ordinis, leniorem Sententiam. Hunc diem Criticum Comitiorum, Socijs magis, quàm hostibus metuendum; Exteris Regibus fiduciam præbiturum; Fortunas, Famam, Vitam Civium, Salutemq; Sociorum in Plebeij Ordinis Concordiâ ac Consensione collocatam esse: Exitiumq; grave Reip: imminere, nisi Collationes extemplò præstarentur, quæ in Classem & Stipendium Militum erogarentur. Vanas ac irritas Onerum Querelas, quæ Ordinarij Reip: usus absumpserant. Itaq; Religionis, Vi ac Armis oppressa, in primis curam habendam; secundùm eam Bona & Corpora libera esse debere.

Pleriquè hanc sententiam velut temperatiorem secuti sunt: & Piaculare Iejunium, ac preces institui à Rege, ad præparandos hominum animos postularunt. Quod impetratum est, summâ Apolectorum Contentione: & Supplicatio, Regiâ Authoritate interpositâ, decreta est, ad Numinis gloriam, Religionis Securitatem, & Principis Fælicitatem; Votis nuncupatis, & Precibus, ut publica Consilia benè ac fæliciter evenirent. Statim de Libertate Personarum, ac Bonorum refertur ad Apolectos, ut bonæ & sanctæ leges, Regis Authoritate, ex Ordinum Sententiâ conderentur, quæ religiosè in posterum serventur: Pestes Reip: ac misera Plebis hirudines exterminentur: Supplicio paucorum Maleficia expientur. Interim non recensarunt Impensam, ad Novum Bellum, quod Magnâ Classe, magnoq; Exercitu gerendum esset: Sed liberius questi sunt, Privilegia, More Institutoq; Majorum, ac Principali Authoritate indulta, minui: Novas Servitutis leges imponi: Bona Fraude & Avaritiâ diripi: Primores Equestris Ordinis in Carceres conijci: Milites per Provincias, perq; Rusticorum domos, in Otio ali: Delatores, & Novorum Onerum Inventores, genus hominum publico exitio natum, & sæpè legibus coercitum, in Subditorum Bona, subdolis artibus sævire; paulatim hanc Consuetudinem serpere; ac si in præsentiâ taciti ferrent perpetuam fore: pollicitiquè sunt, si mederetur Reip: vulneribus Mitissimus Princeps; ac Libertati Civium, quam à Majoribus acceperant, indulgeret; se pro Fide, ac Obsequio Imperij, Reip: non defuturos. Ipse Bucingamius eorum Postulatis suam operam pollicitus est, præstititquè.

Proximis diebus, antè omnia Pietas ac Religio in Ordinum animis maximè versatur; prospiciturquè, ne perversa atq; impia Superstitio Romana in Remp: irreperet. Secundùm eam, Apolecti, sicut mandatum erat, Curam Libertatis habuêre; de Proprietate Bonorum, ac Libertate Subditorum, cum verecundâ gravitate disseruêre. Hæc relata Regi cum essent, non benignè modò respondit, sed palàm etiam pronuntiavit, Omnes Subditos servitutis expertes, à Tributis, Oneribus, & Contactu dominationis immunes, nisi Comitiali Authoritate impositis, quoties Belli Necessitas urgeret: Multitudinemq; Militum per Provincias dispersam, missam brevi fore, si stipendium, in singulos dividendum, numerarent. Delatores, & Inventores Novorum Onerum pœnis meritissimè coercendos. Nihil, hoc hominum genere, in Reges immodestius, in Subditos impudentius, & calumniosius. Quod quidem Responsum, non solùm totâ Aulâ, sed in Comitijs etiam percrebuit; effecitquè, ut Subsidium rei Pecuniariæ decerneretur, nullo genere hominum omisso: Decretoquè facto, Ordines Quinq; spontanea Subsidia dederunt, ac concesserunt: Seq; præstituros ampliora Obsequij Officia magnâ voce pronuntiaverunt. Audeo affirmare, illum Consensum universæ Britanniæ salutarem fuisse; ac hostibus nostri Imperij formidolosum. Rex Subsidia ista justâ æstimatione perpendit parva esse, reputans secùm Molem Belli ingruentis. Quod ubi cognovit Bucingamius, in Senatu Regi exposuit, quali animo Cives, quali Proceres ergà eum essent; & Quanto amore ejus omnes Ordines flagrarent, ut neq; Se, liberosvè suos cariores haberent: nullumquè Charitatis in Patriam clarius observari Exemplum: in quâ testifi-

1628. *candâ Quinquè Subsidia, velut Arrhas, in præsentiâ contulêre: magnoperè se confidere, firmiora ac ampliora posteà præbituros; Novisq; subindè Collationibus cumulaturos. Eorum ergà Regem Benevolentiam, Munificentiamq; collaudavit.* Deindè sua Postulata subjecit, suppliciter deprecans, *ut Fautoris Nomen sibi anceps, Vulgo Odiosum, in Ordines transferret; Procerum studium, & Plebis amorem hoc Titulo conciliaret; utq; ne cui posteà Delatori aures patefaceret.* Postremò, pauca adjecit, ad elevandam sinistram de se Vulgi Opinionem. *Exposuitq; Tormenta, Angores, & Cruciatus animi; Somnum Curis inquietum; vitam amarissimam; nec in tot honoribus, Fortuna Amplitudine ullum Solatium repertum; cum Membra à Capite dissiderent, atq; discordarent. Hodiè in Contrarium Cuncta cecidisse: hunc Diem, Natali suo longè præferendum, felicissimum sibi illuxisse, ac Molestijs omnibus vita liberasse: scire se nihil Concordiâ Ordinum ad Remp: tuendam firmius esse: mirificè hunc Cœtum in præsentiâ colere, atq; amare; neq; unquàm posteà aut colendi aut amandi voluntatem defuturam. Ut Rex Ordines colat, diligatq;, meditatis compositisq; verbis hortatur: Moderatum atq; Concordem Regni statum, ac gratiæ Reconciliationem gratulatur; tantamq; Conjunctionem, ac Concordiam omnium Ordinum, ad defendendam Majestatem Regiam, & gloriam Nominis Britannici.* Postremò, in hâc Precatione dicendi Finem fecit, *Ita me Deus amet, liberosq; meos; ut ego hunc Diem colo, diligoq;.* In hanc Spem cum adduxisset *Regem*, præparandos sibi *Procerum, ac Plebeij Ordinis*, animos existimavit, partim Donis, partim Spe Præmiorum, & honorum propositâ: frequentes Coetus, Consilia, atquè Secretas Consultationes habuit, quibus animos multorum sibi conciliavit, & ad suos usus adjunxit, qui veteres Inimicitias cum ipso gerebant.

Itaquè de summâ rerum *Ordines* deliberare incipiunt; ac ad se conservandum, & ad suum statum ac Libertatem tuendam, omni curâ incumbunt; sicut antè dictum est. Mox *Supplex Libellus pro Libertate Subditorum* decernitur: & refertur confestim ad Optimates. De formâ *Supplicis Libelli*, Regi offerendi, diu dubitatum *inter Proceres, & Plebeium Consessum.* Quidam summæ Dignitatis, audacter Sententiam dixerunt, *minui Iura Supremæ Potestatis: gliscere Plebeij Ordinis Licentiam; nec posse, nec velle, concedere quicquam, quo Prærogativa Regis læderetur.* Rogaruntquè, *ut & tempus sibi sumerent, & Regi ad deliberandum darent.* Ancipiti igitur Deliberatione *Libertas* fluctuabat. Apolecti ad Proceres missi, cum Remedium unicum in Precibus restare animadverterent, deprecari perseveranter institêre, *ut festinarent decernere Libertatem, ac Bonorum Propietatem, legibus ac Statutis toties inductam, salutarem per multa Sæcula Plebi, Patriæq;.* Nec preces *Apolectorum* Proceres ultrà aspernari sustinuerunt. Itaquè in asserendâ Plebis Libertate consensêre; cunctisquè Suffragijs decrevêre, *ut Regis Potestati nihil derogetur; Populi Libertati, ad arbitrium ejus, consulatur.* Tandem *Supplex Libellus Regi offertur*: introductique in Curiam *Apolecti*, Mandata, quibus acceperunt verbis, peregerunt. *Rex*, ut omnibus Virtutibus, ita Comitatis laudibus cultissimus, Præcibus rescripsit, *fiat Iustitia secundùm Leges, ac Constitutiones Regni.* testatusquè est, *non minùs sibi Curæ fore Libertatem eorum, quàm Prærogativam suam Regiam.* Cum renuntiatum Responsum esset ijsdem verbis, ne quid ultrà quàm responsum esset loquerentur Apolecti, *audito Absoluta Potestatis verbo, Plebeius Ordo exarsit; & se dignum Libertate judicavit.* Cæterùm, cum Remedium unicum in Precibus *Regi* rursùs offerendis restaret, supplicare iterùm placuit. *Rex* ne aut durus, aut injuriosus in suos videretur, *Concordia candâ consensit, ac Libertatem largitus est, in Curiâ Comitiali*: rescripsitquè, More Majorum, *fiat quod petitur*: & per *Scribam Comitialem* hæc verba recitari jussit, *Soit Droit fait come est desirez.* Quâ Humanitate aut æquavit præstantissimorum Majorum gloriam, aut superavit. *Vespertino Igne in Areis, Plateisq; accenso*, publica Lætitia apparuit, ob mutuam inter Regem, & Subditos Concordiam; ac synceram Amicitiam. *Rex* Finem Contentionibus hâc suâ Munificentiâ impositum credidit: *maluitq;, Vicesimam rerum exportandarum supportandarumq;, Ordinum concessu, ac Comitiali Authoritate, obtinere, quàm suo Iure vendicare.*

Sed ut de hâc re agi cæptum est, Pleriquè Plebeij Ordinis rursùs exarserunt, *Vicesimam denegantes*: & recens Beneficium *Libertatis* tàm pium ac munificum, *in Præjudicium Regis* interpretantes, hanc jucundissimam Concordiam diremerunt. Quorum vocibus, & Concursu, Alij in *Bucingamium* concitati sunt, *hostem publicum* identidem appellantes; quod Potentiâ & gratiâ leges ac Juditia perfringeret. Non deerant Amici, atquè Necessarij, qui eum contrà *Plebeij Ordinis* Acerbitatem, Crudelitatemquè defenderent; & recens *Libertatis Beneficium* in memoriam revocarent. Ille verò repentinâ *Mutatione Comitiorum, ac Tempestate Populari* perculsus non est. Norat studia Vulgi; audiebat Clamores, & Concursus *Plebeij Ordinis*; penitùsquè negligebat.

Refertur etiam de *Manerino* ad Apolectos, ut gravissimè puniatur. Is sicut suprà memoravi, temerè prædicavit, *Regem in omnium hominum Bona Ius habere.* Et pro Defensione impij Dogmatis *scribere ausus est*; ac suæ Causæ confidere. *Quare in Iuditium vocatus, quod intempestivam Concionem habuisset, de Proprietate Bonorum.* Tempori cessit, & se in Fugam, atquè Latebras conjecit, ne comprehenderetur. *Damnatusquè Absens, Ordinum Suffragijs, pro Temeritate, ac inconsultis vocibus adversùs Iura Civium, & Mille Libris mulctatus est. Comprehendi etiam, & custodiri jussus, velut Profugus; ac Beneficij fructibus, in Triennium, privari*: additumquè gravissimo Decreto, *Ne in Regiâ posteà concionaretur.* Iste Comitiali Juditio damnatus, *in occulto latuit, durante Ordinum Conventu.* Mox in oculis hominum positus, *ad Pedes se Regis suppliciter prostravit: absolutusquè Clementiâ ejus, abijt latus, locuplesq;*; cum effugere debitam Pænam nullo modo posse crederetur. Misericordia ergò illum, non Innocentia, Criminis Censuræ exemit.

Brevi

Brevi post, quantam vim ad exstimulandos hominum animos Iracundia habeat, apparuit. Nam 1628.
pleriquè *Plebeij Conventus Præsides* ad veteres ac inanes Querelas revoluti, *Bucingamium*, Novis Criminibus objectis, acerrimè insectati sunt. *Ioannes Eliotus* ei pertinaciter infensus, se nullum periculum, Communis Salutis causâ, recusare profitetur: disseritquè, *Neglectam Religionem; afflictam Angliam; exhaustum Ærarium; Cives hostiliter direptos; Iniusta Reip: vulnera; Infælicitatem Ducum, Exercituumq; Ignaviam Militum; Negligentiam Magistratuum, Ministrorum Regiorum Rapacitatem; Disciplinam Castrensem extinctam: Lasciviam in Vrbibus; Desidiam in Aula; Inverecundiam in Theatris; Laudem, ac Dignitatem Nominis Britannici domi peregrèq; prostratam; Comitum autem, Baronumq; honores venales; Majorum Instituto, non quoslibet promiscuè, sed Dignos tanto honore ac gloriâ creari solitos, Adolescentesq; qui Nobiles essent, ad Majorum suorum Imitationem excitatos, ut Corporum, Animorumq; virtute Nobilitatem consequerentur.* Hi omnes *Ministrorum Regiorum* fremitu, & Minis Amicorum *Bucingamij* exagitantur; monenturquè, Quantas gratias ei deberent, per quem Libertatem consecuti essent. At verò *Bucingamius* eorum potitus, sui impotens, Acerbitatem hujus Ordinis contempsit; adjecitquè ad tàm insignem Contumeliam arrogantius dictum, *Se, invito eo Ordine, Authoritatem retenturum.* Undè inexpiabilem sibi Invidiam accendit; *Plebe* palàm exprobrante Dominationem.

Posteà, audaces & præferoces *ejusdem Ordinis* viri, in nimias *ejus Opes, ac invidiosam Potentiam invecti sunt; omnium Calamitatum Authorem asserentes; Quod Patriam, in quâ genitus, alitusq; esset, opprimere voluisset. Traijcereq; in Britanniam Tria Millia Germanorum Equitum, Præsidij Specie; nemine gnaro quidnam facturus esset; multis opinantibus paratum Germanicum Equitatum, ut Libertatem Subditorum opprimeret, ac Servitutem induceret; nisi tuendæ Libertatis remedium properè quærerent, & Servitutis Iugum à Cervicibus tempestivè depellerent.*

Cæteri ambitiosi *Procuratores Civium*, pro cujusquè gratiâ, vel Odio, variè disseruêre. *Ventuorthus, Digius, & Spenserius, celebres Reip: Propugnatores*, propter Colloquia *Bucingamij* suspecti, nonullâ Levitatis Infamiâ Vulgò aspersi sunt; *Quod ei, Spe Præmiorum ac honorum, se venditarent; tacerentq; in Conventu, ne ei Suspitionem reconciliatæ gratiæ darent:* Ideoquè *Transfugæ* appellati sunt. Quod adhuc erat suspiciosum, res ipsa perspicuum mox faciet. Nam intercedente *Bucingamio*, *Ventuortho contigit Vicecomitis Dignitas*, in Familiâ suâ; & *Eboracensis Provinciæ Præfectura*: ubi se Acrem & severum *Præsidem* ostendit. *Digius, Custos Rotulorum designatus*; ubi locus vacare contigerit, Morte *Iulij Cæsaris*, jam Senis. *Spenserius, apud Batavos Ordinariâ Legatione functus est. Seimerium, Eliotum, Philippum*, & alios vindices Libertatis, nequè Munera, nequè Honores concutere potuerunt, quin queri perseverarent de gravissimis afflictæ Reip: malis: conculcatâ Religione; & nullâ publicæ Salutis habitâ Curâ; Regni statum, Dominatione convulsum, suis Consilijs ac Suffragijs stabilire, defendere, servare; Laudi, ac gloriæ Posteritatis servire. Hi acerbâ insectatione *Bucingamij* non contenti, singulas *ejus Expeditiones*, ut infaustas & publicè calamitosas, non in *Britanniâ* solùm, sed etiam *apud Exteros*, exagitarunt.

Missi indè ad conquerendas Injurias apud Regem *Apolecti*; moniriquè, ut ad Curiam pergerent; *nec nisi in Æde Convivali, frequenti Cætu Procerum, Mandata exponerent.* Qui, factâ dicendi potestate, *suam ergà Regem Benevolentiam, studium, ac Obsequium declararunt*: insimularuntquè *Bucingamium præsentem, Divinæ Religionis conculcatæ; intolerandæ Superbiæ, Rapacitatis, Avaritiæ, Crudelitatis in pulsos Iudices, ac Magistratus; & aliorum Criminum atrocium; quæ ille, gratiâ, Potentiâq; abutens, perpetraverat.* Referuntquè, *Dilectum Germanorum Equitum, turbandæ Reip: causâ, habitum: Tonnagium, & Pondagium, Vi atq; Audaciâ imperatum: Multa contrà Remp:, pernicioso Exemplo, introducta: Concilium Plebeij Ordinis vi atquè Ambitu turbatum; Auctoritatem Ordinum sublatam: cum Dunkircanis Prædonibus se conjunxisse; & partem Prædæ occultè pepigisse; Tutiorem Hispaniæ Oram, quàm Britanniæ fuisse*; Demùm, Regem suppliciter orarunt, *ut Sibi Regnoq; ac fortunis Subditorum consuleret; impotentissimæ Dominationis facinora coerceret; prehendi, atq; in Carcerem duci juberet.* Talia remonstrantes *Rex* non libenti animo audivit. Peractâ Relatione, *Dux Dextram ejus exosculatus est, gaudio exultans; gratiasquè agens, quod falsas & fictas Calumnias Plebis aspernaretur.* Undè factus est strepitus, & magna Circumstantium admurmuratio; repenteque magna Querimonia *Apolectorum*, lugentium discessum, illum tantum gratiâ atquè Auctoritate valere, ac plurimum posse in rep:.

Bucingamius Criminationibus Inimicorum exulceratus, *multò acrius in universum Ordinem exarsit*: & quasi comprobatâ Dominatione, cæpit esse tanta Insolentia, *ut Publicum Plebis Concilium sperneret; & Libertati Subditorum insidiaretur.* Hæ inter *ipsum & Plebejum Ordinem* Dissensiones, publicis Concilijs offecerunt. Amici, atquè Familiares ejus, omnium Sermones indies retulerunt, & Probra in ipsum jactata, *Plebejumq; Ordinem* in multò majorem rabiem versum, exposuerunt. Ille secùm reputans, quam in Fortunam, quamquè in Amplitudinem *Rex* deduxisset, *spretâ Comitiali Auctoritate*, Adversarios, Inimicos, Malevolos, contempsit; Securus jam adversùs Casus fortuitos, Securus adversùs homines, ut ipse rebatur. Nec minùs *Rex* eum adversùs Vitilitigatorum objecta Crimina *enixè defendit*, aucto indies Favore: *Monuitq; Plebejum Ordinem, ut istis Disputationibus statuerent modum: & Vicesimam Mercium, sapientissimè à Majoribus institutam, & sibi Iure Imperij debitam, Consensu comprobarent.* Illi suppliciter deprecati sunt, *ut Tempus ipsis ad deliberandum daret, Sibiq; sumeret; ne quid Resp: detrimenti caperet*: Subjeceruntquè, *Superioribus aliquot Regibus, Concessu Ordinum, pro Termino vitæ,*

aut ad

1628. aut ad Tempus datam; non perpetuâ lege stabilitam. Indè manasse Consuetudinem, in primis Regni Comitijs, Regibus dandi, ut in Navigantium Securitatem summâ diligentiâ, Vigilantiâq; incumberent. Sententia Regis una eademquè semper erat, Subsidio Tonnagij, & Pondagij uti frui Iure Regio; ac Exemplo multorum Majorum; si Plebeius Ordo petenti inurbanè denegaret. Sed cum Plebeij consentire cunctarentur, & adversum ferè omnem Ordinem videret, Conventum dimittere cogitavit.

Eodem temporè, in Plebeio Consessu, de Religione neglectâ actum; & de honore Numini habendo; eamquè non extrà periculum solùm, sed etiam extrà Metum periculi conservandam statuerunt: insimularuntquè Præsules Vintoniensem, & Londinensem, Erminianæ Sectæ hominibus favere; & callidis Artibus Vnitatem Ecclesiæ convellere. Adjeceruntquè Privatos in Religione, suo periculo, peccare; Præsules Exemplo; sollicitandoq; animos aliorum, nocere. Illi Crimen objectum purgarunt, in Superiore Consessu; commemorantes, sese non modo à Culpâ, sed etiam à Suspicione Culpæ immunes esse: ac semper censuisse ex Conscientiâ suâ, Nihil esse in Rep: tàm diligenter, quàm Instauratam Religionem, retinendum. Proceres Regni addiderunt Favorem Præsulibus, Plebeijq; cesserunt, victi Auctoritate Procerum, & Metu Calumniæ. Hæ Altercationes aliquot dies absumpserunt.

Illud in primis Ordinum Consensu decretum; Ne quæ Spectacula Vrsorum, Taurorum, die Dominico inspicerentur: Neu qui Ludi Scanici, Thymelici, aut Majuma exhiberentur. Lege prospectum est quoquè, Ne eo die Vectores, Lanij, Pecudum Agitatores, ultrò citròq; commearent: Neu Curribus, Vehiculis, aut Iumentis, per terram aliquid veherent.

Rex ubi sensit æstum Comitiorum non languescere, sed Plebeios Indignatione accensos Bucingamium acerbè insectari; & de Iure Vectigalium disceptare, quæ haud dubiè Regij Iuris essent, Majorum Concessu, ac ipsorum Confessione; victus Pertinaciâ Plebeij Ordinis, propere dimittere Comitia decrevit: ac XXVI Iunij in Cœtum Procerum venit: ibiquè, quò majorem concessæ Libertatis fidem faceret, se verbo Principis obligavit, ratam fore; quod Privatorum Juramento firmius censetur. Tum adjecit, Iniquè secùm agi, quod tot, tantisq; Beneficijs cumulati, Subsidium Tonnagij & Pondagij, Proavis Attavisq; concessum, justè potenti denegarent. professusquè est, malle se ipsorum Concessu habere, quàm suo Iure vendicare: sed si cunctentur, se sibi Consilium capturum; Neq; Iuri Regio quicquam derogari passurum. Postremò, ut finiret disceptationem in re præsenti, ac Æstum Comitiorum languescere sineret, Conventum Ordinum in Idus Decemb: prorogavit: cessitquè in præsentiâ Audaciæ, & Licentiæ Plebeiorum.

Dimissis Comitijs, multa eum simul perturbant; Tempus quod adest Sollicitudinis plenum; quod futurum est, formidilosum; Bellum Baticum, Gallicum, Germanicum; Periculum Rupellanæ Obsidionis: quæ singula animum ejus Curis implicitum excruciant. Quamobrem vocat Senatum, refertquè de turbato Reip: statu. Proceres Regni, & Ecclesiæ, laudatâ Regis in suum Ordinem egregiâ Voluntate, ac Curâ utilitatis communis, testantur, sibi nihil antiquius esse, quàm ut ejus Postulatis, Desiderijsq; satisfaciant; penès quem hominum, Numinisq; consensus, Britanniæ Imperium esse voluit. Undè præsente Curâ levant, & publico periculo Consilijs suis prospiciunt.

Inter quæ, Bucingamius, quem Insolentia extulerat, dum Mentis suæ rigorem flectere non vult, Audaciâ fretus, majorem Fortunæ procellam expertus est; Fato spe proprior. Antè duos quàm periret Menses, Militaribus negotijs intentus, Copias lustrat, quas in Galliam ducturus erat: & Classem, quam parabat, instruit: Milites quotidiè exerceri jubet. Interim multa futuræ Cædis Portenta extiterunt. Lambius quidam, Arte Medicus, Magicarum Artium vanitate infamis, Amicitiam ejus secutus est; ob id Vulgo invisus. Hunc Infamem invisumquè, in Campo Mori obversantem, Servitia, & Opifices, subito mentis impulsu concitati, in proximam Popinam fugere coegerunt, irruere conantes. Ille desertâ repentè domo, cum in eâ parùm Præsidij esset, proripuit se, & a Turbâ Agresti, ac furiosâ profugit. Servi tumultuosissimè insecuti, Lateribus & Lapidibus, ultimâ Senectute confectum, obruerunt. Nec quisquam imperitæ Multitudini se opposuit, cum cruentam Cædem cerneret. Nequè defuerunt, qui palàm dictitarent, Idem periculum Patrono quoq; portendi; & perditum Magum eas Impietatis pependisse pœnas, Populi manibus, quas lege meruerat, publico Iuditio Tribunalis Regij damnatus, & Bucingamij gratiâ ereptus. Hoc improbum factum concitatæ Multitudinis, Regem ad Vindictam exigendam impulit, cum rem invisam infamemquè cerneret. Qui Prætorem, Senioresq; Civitatis evocavit; Facinusquè perniciosi Exempli ostendit, Lambij Cædem, propter falsas ac vanas Suspiciones perpetratam, sinè Notitiâ Rei, vel Authoritate Iudicum: increpuitquè Magistratus, quod non publicâ Potestate Servitia coercuissent. Protinùsquè monuit Prætorem, & Præfectos Iuridicos, ut Vltionem exigerent. Illi Culpam à Conscientiâ Civitatis in perditissimam atquè infimam Fecem Populi, ac in summam Dementiam imperitæ Multitudinis transtulêre; cui nullo modo resisti posset. Rex Indignitate, & Deformitate Seditionis factæ commotus, Excusationem non accepit: affirmavitquè, non ferenda adultæ Vulgi Vitia; sed potiùs justo Supplicio vindicanda; Nec Cædem qualiscunq; hominis dissimulandam. Vrbs Regia, quæ Prudentiæ, Probitatis, Moderationis singularem laudem diu meruit, hoc tempore Regem graviter offendit; quia Quæstio de Cæde, ac Seditione, in Civitate factâ, habita non est, pro Atrocitate rei; Nec notati, qui Turbæ ac Tumultus Concitatores erant. Quare Rex non minus Severus quàm Clemens, Magistratus in præsentiâ corripuit, quod cesserint Furori atq; Audaciæ Plebis. Civitatem posteà grandi pecuniâ mulctavit, pro Multitudinis delicto: quam Societates pendere coactæ sunt, tempore Noæ, Procuratoris sui. Hanc Ultionem Consensus paucorum Civium approbavit.

Item

Item *Melvinus* in Scotiâ honestè natus, vie Naturæ vitio ferox, odiosè *Bucingamium* omnibus verborum Contumelijs laceravit: quas ei, qui interfuerant sermoni, eenuntiaverunt. Res *ad Senatum* delata, graviter *querente Bucingamio de Melvino*, *Quod parùm honoratum de se Sermonem habuisset*; *Maledictaq́; petulantius jactasse*. Is citatus accusatusque *in Senatu*, quod ejusmodi Sermooes de *Bucingamio* temere habuerit, cum objectum Crimeo sustineee se nullo modo posse cernerei, Confessionis gloeiam amplexus est. Nequè excusavit. Senatus adhuc *Veniam Contumeliosis dictis obtulit*, *si Pænitentiam ageret inconsideratissimæ, ac dementissimæ Temeritatis*; *& Errorem suppliciter agnosceret*. Ille etsi Remedium unicum in Precibus restaee animadveeteeet, *Scotici Sanguinis* oblivisci non potuit: responditquè, *inconsultas voces non fuisse*: ne à Genitis suæ Moribus degenerarei. Quâ intolerabili Arrogantiâ commotus Senatus, hominis fueiosi Convitia *Carcere coercuit*; qui Impunitate oblatâ, *Temeritatis* maluit, quàm *Noxa* arguere; nisi ferox animus ad Ieritamenta Vesaniæ suæ revolutus, in præcipiti Audaciâ perstitisset. Quâ Pertinaciâ exasperatum *Bucingamij* animum penitùs inflammavit. Quamobrem, Civili Actione omissâ, *rei Capitalis diem Melvino dixit, coràm Tribunali Regio*: *ubi atrocium verborum adversùs Bucingamij Potentiam, ac Seditionis insimulatur*. Reus pro Necessitate temporis locutus, Respondit, *Maledicta nihil habuisse Propositi præter Contumeliam*: *Turba, ac Tumultus Crimen diluit*; *& in eodem Ardore Spiritus sui perstitit*, perseverante Judicum Interrogatione non dejectus. Tandem, cum *Iurati* ad Suffragium vocarentur, *omnium Sententijs absolvitur*; quia Fraus aberat Peobeosis dictis; Sed *Temeritatis Crimine* absoluere non potuerunt. *Bucingamius* absolutum graviter ferens, *in Carcerem retrahi jussit*; *donec Vadibus datis idoneis, caveret à Convitijs abstinere*; *& in omnibus vitæ partibus, moderatè ac temperanter se gerere*. Posteà, datis idooeis Fidejussoribus, dimissus est. hunc *Melvini* Audacia exitum habuit.

Verùm quod sequitur *cujusdem Scoti Factum*, Vulgi Opinione, multum audacius, multumquè animosius extitit. *Vilsonus quidam nomine, humili loco in Scotiâ natus, à Dunkircanis Prædonibus interceptus, cum Mercibus parui pretij*; *dimissusq́; in Britanniam trajecit*: nactusque Regem in *Saltu Divi Iacobi*, *globorum Ludo* iotentum; Nemioe excluso, Bonorum Direptionem conquestus est: eetulitquè, *Mare circà Oram Maritimam, Piraticis Navibus infestum*: *complures Anglos, Scotos, Hibernosq́; Compedibus concatenatos, in Portu Dunkircano hostibus ludibrio esse*: *Alios Egestate, ac Fame perditos, Spectaculum miserum atq́; acerbum præbere*: *ac deploravit Vim, Miseriasquè, quibus oppressi erant*. *Bucingamius* Latus Regis tegens, istius Audaciâ commotus, *Mentiri eum dixit*. Quod postquàm Miser audivit, Metum Pudoremquè animo versans, nec verius Ducis summam Potentiam, summamquè Foetunam, *Galerum Capiti ejus, in conspectu Regis, detraxit*; *Illum sui Officij oblivisci prædicans*; protinùsquè se Fugâ peoripuit, ac Periculum evasit. Quidam tradunt eetentum *à Rege Bucingamium*, *cum conaretur Pede proculcare*. Astantes inopinato Spectaculo attoniti, abeuntem secuti non sunt; Nemine corripi ac custodiri jubente. Dux hanc Contumeliam gravitee ferens, *Formam Notasq́; Pusilli corporis Satellitibus demonstravit*; *ut visum à se Vilsonum comprehenderent*. Qui eum Feusteà insecuti sunt; quoniàm ille, mutatis sæpè Latebris, peopter Metum, se occuluit; Periculumquè Carceris evasit; *Plebe urbanâ multùm suffragante, laudibusquè ac Premijs onerante*. Rumore in Urbe vulgato, *Plebs clàm palàmq́; exultans, bonum Factum pronuntiavit*: *cum eò Arrogantiæ Dux progressus esset, ut tecto Capite, præsente Rege, incederet*. Id utrùm suâ sponte fecerit; An quia ita mandatum fuerit, incerta fama est. Verius erit Posterorum Juditium, sinè Obtrectatione, ac Malevolentiâ. Fateor enim, *huic homini Potenti multos Adversarios, Inimicos, & Invidos fuisse, pro Odio quod habuit adversùs Plebeium Ordinem*. At fortuna, quæ eum plurimis Beneficijs ornavit, Pænitens, aut fatigata, deserere cæpit: quia discriminibus non caruit ab Inferioris Sortis hominibus, è quibus *Duos* modò memoravi; *Tertium* mox referam, qui Ceuentum exitum ei attulit.

Pee hos dies, in Foro, Circulis, & Convivijs, ountiabantue *adversæ fortunæ Præsagia*. Quidam, *ex Numero Literarum Nominis ejus, hunc Annum Fatalem ei futurum prædixerunt*. Evenitque Novo ac insperato modo. Quaeè Nomen Titulumquè subjeei, *Georgius Dux Bucingamiæ*. Hic Nemerus est, *Litera* M. *Mille*: D. *Quingenti*: C. *Centum*: x. *Decem*: v. *ter repetita, Quindecem*: *& Vnitates tres, Ternarium efficiunt*. Subductâ ratione Literarum omnium, mirâ fælicitate, ac eaeâ Inventione, moouerunt fore, *ut hoc Anno ferro periret*. Ille renidenti similis, *Prædictiones Ariolorum, & Vatum rejecit*: Nec majorem Cautionem adhibuit.

Peoximis diebus, *in Aulâ Tragædia Ducis Bucingamiæ, tempore Ricardi Tertij, Securi percussi, exhibita est*; magnâ Frequentiâ Peocerum, ac formosissimæ Juventutis; cui etiam Rex ipse cum Conjuge inteefuerat. Cum aliquamdiu consedissent Spectatores, *Bucingamius*, *Triumphanti similis*, *Spectaculo supervenit*, Tribunis, Præfectisquè, cum Sagulis Militaribus, præcedentibus: spectavitquè avidè Actores, ut Metum talis Casus discuteret; & Vulgi rumorem vitaret, qui percrebuit, *Cadem rursùs insignem imminere, qualis eo die in Scenâ exhibita fuisset*; propter Vitæ, Fortunæquè similitudinem, ac eundem Dignitatis Titulum. Quæ Causa matueaodi fuit destinatam Expeditionem.

Itaquè ipse Rex Poetus Ostium petit, ut Classem inspiceret; ibiquè moratue, dat oegotium idooeis hominibus, ut Naves, Commeatusquè expedirentue, atquè imponerentur; ne quæ res *Præfectum Maris*, cum venisset, moraretur. Interim *Bucingamius*, ducibus, Copijsquè ad Classem præmissis, & translatis simul Regni Opibus, Iter iogressus est, ignarus Sortis futuræ. *Rex* advenientem læto vultu,

1628. honorificentissimisquè verbis excepit: Procurationem etiam rei Bellicæ ei permisit: adhortans, ut frequentes, ac operientes Milites instrueret, & conscendere festinaret. Ille, Rege in digressu honorificè salutato, Classem in Portu studiosissimè lustravit, Suppleto Numero Nautarum, contractoquè Commeatu omnis generis: *restititq; in propinquâ domo Familiaris sui Masoni Centurionis*; ut Legiones quotidiè inspiceret; ac Milites Castrensi disciplinâ imbueret. Copijs cum Insignibus undique excitis; & coacto in unum locum Agmine, Tribunis, Centurionibusque Officia partitus est: exposuitquè, quas res, Jussu Regis, gerere deberent.

Hoc autem tempore, *quidam Ioannes Feltonus, Centuriæ Legatus, vir turbido ferociq; ingenio, tollere Bucingamium statuit*; sivè Impetu Naturæ suæ; sivè occulto Odio, quod in eum conceperat; sivè Contumeliâ adempti Muneris, cum morte Centurionis vacaret. Jam nihil aliud ad peragendum meditatum facinus, quàm tempus & locum quærebat. Diu cunctantem, An magnum facinus quod facere in animum induxerat, omitteret; rumores Familiarium, *hostem publicum in proximis Comitijs appellatum referentium*, ad tàm inhumanum & periculosum facinus incitarunt: quâ de causâ, Scelere innotescere ultrà non dubitavit. *Et à Numine petijt animum Facinori parem*: invocavitquè Deum, *ut Consilium quod agitaret, volueretq; mente, ex animi sententiâ eveniret.* Hæc adeò secreta Machinatio fuit, ut ipse *Londino* discedens, ad perpetrandum scelus, *precibus Ecclesiæ S. Brigidæ se, velut valetudine mentis infirmum, commendaret.* Itaquè solus *Portus Ostium petijt*, certus adoriri, cum Facultas oblata esset. Pridiè quàm periret *Bucingamius*, Seditione ortâ, *parùm absuit, quin rabie tumultuantium Militum interimeretur*; nisi ad eum defendendum concurrissent Comites, cum gladijs, complutesquè Centuriones, ac Præfecti; à quibus turbidi Milites intercluduntur, reprimunturquè. Eoquè ipso die, Primi nefariæ Seditionis Authores requiri cœpti. *Quorum duo comprehensi, Resti suspensi sunt*; torpentibus Conscijs, ne Laqueo scelus luerent, quod admiserunt. *Eâ verò Nocte, quam dies Facinoris secutus est*, (ut ferunt) *ipse sibi visus est à Militibus trucidari*; quibus Odio sciebat præcipuè se esse. Primâ luce Uxor monuit, *Inquietam noctem egisse*: oravitque, *ut caveret evidens periculum concitatæ Multitudinis.* Ille Metu non vacuus, *objurgare eam cœpit, quod tantâ Sollicitudine Mariti carperetur: at Conjugalis Amoris certissimum Indicium boni consuluit.* Interim *Feltonus* à tàm præcipiti Consilio inhiberi nullo modo potuit: Istoquè die cruentam Cædem perpetrare in animum induxit suum. Itaquè *Pervigilio D. Bartolomæi, Manè ad Diversorium Bucingamij rectà contendit, & quasi eum allocuturus, stetit in Atrio domus, inter eos, qui Manè salutatum venerant*; nec ullo timore dejectus est. Mox Famuli Ducis renuntiarunt, *Lindesiæ Comitem, & Subisium Gallum*, maximè Dignitatis ac gratiæ homines, in Aulâ spatiari, & Adventum ejus operiri. *Surgere non cunctatus*, celeriusquè omnium Opinione *Cubiculo egressus, operientes Proceres, Præfectosquè honorificentissimis verbis excepit; maturavitq; ut in Basilicam unà irent.* Interim, quidam *Frerus, Tribunus*, *Cliens ejus*, quas res gerere deberet officiosè percunctatus est. *Feltonus quoq; propiùs accessit, quasi aliquid ab eo peteret: Tribunoq; submissè salutanti, velut proximam vicem operiens, astitit; ac loco celeriter dato, nactus Occasionem, Cultello per Costas graviter adacto, lethaliter vulneravit. Ille Cultello arrepto, consequi conatus est; sed impeditus Vulnere, in Mensam prolapsus, Sanguinem vomuit; calentibus adhuc membris sublevatus, inter Sublevantium manus expiravit. Sicarius* interim, per mediam Turbam, *elapsus in Coquinam primùm, atq; indè in hortum, persequentibus nullis, evasit; dum Certum cognosceret, confectusnè Bucingamius esset.* Clamore sublato, Famuli attoniti, ad Ultionem eductis gladijs, accurrerunt. *Quidam à Gallis fremuerunt interfectum.* Undè parùm absuit, *quin Innoxiorum Gallorum sanguine Mors ejus vindicaretur: nisi Lindesius Impetum eorum moraretur; & Authorem Cædis comprehendi, non interfici juberet; ut Scelus publicum Quæstioni vindicandum relinqueretur.* Itaquè vociferantibus cunctis, *ubi esset Latro?* quiritatio fit. Ille magis suam Conscientiam, quàm Indicium aliorum metuens, *errare ait homines, qui Cædem ad Gallos pertinere crederent; & profitetur facinus.* Quâ re cognitâ, fit à Famulis impetus universis: Ille animo non perturbatus, ubi se animadvertit districtis Ensibus peti, *simili Confidentiâ vitam defendit.* Undè *Thomas Buttonus*, Equestris Ordinis, & quidam Centuriones, Domesticorum impetum inhibuerunt; *vivum invitumq; comprehenderunt*, in Custodiam abripuerunt. *Repertum in galero Percussoris, de Cogitatione Cædis scriptum formatum, quo Facti Crimen confitetur; orans, obtestansquè universos, ne Facto suo caderet in aliquam Vituperationem Temeritatis, aut Culpæ reprehensionem. Corripit graviter Popularium Timiditatem, ac Ignaviam; quod tàm diu istius impunita Scelera tulissent: censetq; Nobilium loco non habendos, qui pro Patriâ mortem oppetere recusarent. Omnes ad Patriæ Præsidium excitavit; Nomenquè subscripsit.*

Uxor ad primum tumultum, Clamore Ancillarum, excita, ubi jacentem Maritum, contractisquè membris palpitantem è Porticu spectavit, *gravi animi mœrore exanimis concidit*; & Conjugalem Affectum Acerbitate luctus abundè testata est. *Carolus* quoquè, ad primum Nuntium patrati flagitij, vehementer indoluit. *Lindesiæ Comitem, Carltonum, & Cokum, ambos ab Epistolis*, inquirere jussit, *qui ejus Crudelissimi & teterrimi facinoris Authores, Socij, Adjutores fuissent: Aut quosnam inexpiabilis Sceleris Conscios Percussor habuisset.* Quibus Mandatis acceptis, accersitur *Feltonus*, & constituitur *Quæstio de Morte Bucingamij*, nefandæ Atrocitatis. Cum *Reus Catenatus* produceretur, interrogareturquè sæpè, *Cur Nobilissimum virum, nihil hostile ab ipso meritum, nefariè trucidarit?* Contumaci ore respondit, *se fraudatum Stipendio, & Centurionis loco, privatam Injuriam ulcisci potuisse: Sed nullas sibi Inimicitias cum Bucingamio, nisi publicas fuisse. Illum hostem publicum in Comitijs denuntiatum: Potentiam suam Saluti*

Patriæ

Patria prætulisse; ac proindè Pœnas, quas meruerat, pependisse: ejusquè Cædem Proceribus, Populoquè Britanniæ gratam esse debere; quod Patriam, in quâ genitus, educatusquè esset, nefariè opprimere statuisset. Ita tàm atrocem Cædem subdolâ Excusatione diluit; *negavitquè ullos Nefarij Conatus Conscios fuisse:* Verè, ut ego existimo. Permansitquè in Sententiâ, *insolenter glorians Iure interfectum.* Quæsitores exprobrarunt impudenter cruentæ Cædis Atrocitatem elevare, Suspicione Criminis adversùs Remp: *Rem etsi maximè nocens, tamen Legibus torqueri non poterat.* Hunc vitæ finem habuit *Bucingamius*, Vir maximæ dignitatis, ac gratiæ; *ipso Pervigilio D. Bartolomæi.* 1628.

Die insequenti, qui fuit *Dominicus*, *Londini vulgata Cædes*, vehementer omnes turbavit. Pleriquè censuerunt, *illum omnium Procerum beatissimum, ipso tantùm vitæ exitu Miserum extitisse: & ex fœlicissimo florentis ætatis, ac fortunæ statu, novo ac inaudito Scelere præcipitem actum*; adductamquè Remp: in summum periculum, & extremum penè discrimen, atroci Cæde. *Imperita Multitudo fremuit, illum omnia Iura pretio exæquasse; Ordinum discrimen pecuniâ sustulisse: gravissima Onera locupletibus imperasse: Pœnasq; Consilij nefandi Resp: luisse.* Fuitquè Suspicio, *Famam Cædis ex Industriâ vulgatam ab ipso Duce*, quo facilius Civium ergà se Voluntates, ac Consilia exquireret. Undè Sermones variè accommodati, *ad Miserationem Necis, vel Interfectoris gloriam*; qui Parricidio notum se Posteris reddidit; efferavitquè Necessarios *Bucingamij* ad execrabile Odium sui. Postquàm Mors palàm facta est, *major fuit Populi lætitia, quàm Luctus.* Nam intrà paucos dies, *ultrà fines Britanniæ non solùm Fama jam de Cæde, sed etiam Lætitia peragravit.* Memorabile profectò Exemplum Fortuna edidit in *Bucingamio*, qui se promiscuæ Famæ Materiam ingenijs præbuit: *& gratiam singularem apud duos Reges promeruit; at Odium ingens apud multos.* Cadaver ejus *Londinum* asportatum; *ubi Vxor in Sacello Henrici Septimi amplissimè funeravit: Monumentumq; Marmoreum pulcherrimum destinavit*; Amoris sui ergà Maritum certissimum Inditium. *Elogium etiam Sepulchro adscribi curavit*, quod hic subjeci.

M. S.

Vanæ Multitudinis Improperium hîc jacet.

Cujus tamen

HISPANIA	*Prudentiam*,
GALLIA	*Fortitudinem*,
BELGIUM	*Industriam*,

tota *Europa* mirata est *Magnanimitatem.*

Quem

DANIÆ & SUECIÆ	Reges, *Integerrimum*;
GERMANIÆ TRANSILVANIÆ NASSOVIÆ	Princip. *Ingenuum*;
VENETA RESP:	ΦΙΛΟΣΑΣΙΑΗΑ.
SABAUDIÆ & LOTHARINGIÆ	Duces, *Politicum*;
PALATINUS Comes	*Fidelem*;
IMPERATOR	*Pacificum*;
TURCA	*Christianum*;
PAPA	*Protestantem.*

Experti sunt.

Quem

ANGLIA	*Archithalassum* habuit.
CANTABRIGIA	*Cancellarium* habuit.
BUCINGAMIA	*Ducem* habuit.

Verùm siste Viator, & quid ipsa Invidia suggillare nequit, audi.

Hic est ille

Calamitosæ virtutis

BUCINGAMIUS

Maritus Redamatus: *Pater* amans: *Filius* obsequens:

Frater amantissimus: *Affinis* benignus: *Amicus* perpetuus:

Dominus benignus:

&

Optimus omnium *Servus.*

Quem

Reges adamarunt, *Optimates* honorarunt,

Ecclesia deflevit,

Vulgus oderunt.

Quem

1628.

Quem
IACOBVS & CAROLVS
Regum perspicacissimi, intimum habuerunt.
à quibus
honoribus Avitis, & Negotijs onustus
Fato succubuit:
antequàm par animo Periculum invenit.
Qui jam peregrinè
Ænigma Mundi moritur;
omniaquè fuit, nec Quicquam habuit.
Patria Parens, & hostis audijt;
Delicia idem, & *Querela* Parlamenti.
Qui dùm *Papistis* Bellum infert, insimulatur *Papista*:
Dùm *Protestantium* partibus consulit, occiditur à *Protestante*.
Tesseram specta rerum Humanarum.
at non est quod seriò triumphet *Malitia*.
interimere potuit, *Ladere* non potuit,
scilicet has preces fundens expiravit.
Tuo ego Sanguine potiar, (Mi Jesu) dum Mali pascuntur meo.
Finis *Feltono* Funis, pro Funere Orcus;
Angustaquè Tartara, pænis.

Trucidato *Bucingamio*, Rex Classem jubet expediri, atquè instrui; præficitquè *Lindesium: & Mortonio*, secundùm eum, maximam Authoritatem attribuit. Proficiscitur in eâ Classe *Subisius Gallus*, magnæ domi Nobilitatis, Scientiæquè rei Navalis; cui *Maritima Pugna adversùs Guisium* parùm fæliciter successerat. *Præfectus Classis*, Nautis omnibus instructis, paratisquè Magistris Navium, imperat, ut Scaphas omnes ad Littus appulsas haberent. Ipse sibi curam sumpsit, ut *Sena Millia Peditum*, sinè tumultu, conscenderent Naves. Postquàm conscenderunt, Gubernatoribus, & Magistris Navium edixit, *ut Rupellam peterent*. Qui Signo dato è Prætoriâ Nave, solverunt Anchoras, & quantâ eximiâ Celeritate poterant, *Rupella stationem tenuerunt*, cum Terrâ Mariquè Operibus obsessa, fame premeretur. *Obsessi*, Navibus Auxiliaribus conspectis, magnam Spem Subsidij habere cæperunt, & ad Finem laborum ac Periculorum esse peruentum crediderunt. Sed fuit profectò istius Urbis Fortuna fatalis, quæ superiorum temporum dissimilis, *Obsessos* ad ultimam Inopiam adductos deseruit. *Lindesius, Britannica Classis Præfectus*, Scaphas circummisit: monuitquè Navarchos, Nautasquè, *Noctu Vigilias agerent*; *Concursum Navium inter se vitarent*; *Ministeria benè ac fideliter præstarent*. Ijs editis Mandatis, contemplatus est Opera Francorum; *Concatenatas Naves, Saburra Onere depressas: oppositum in Portu Aggerem; Circumjectas Munitiones, firmis Præsidijs insessas, & Volonum multitudine, qui defessis, vulneratisq; succederent*, Maritimum Accessum arduum ac difficilem, hoc tempore propiùs adire tardatus est.

Ludovicus Rex prospectans è Munirionibus, *instructam Classem Triginta Tormentorum ictibus salutavit*: quibus nullam hostium Navem perforavit. *Classis Gallica, cui Valencia Dominus praerat*; & complures *Melittenses* Equites, periti rei Navalis, *cum adesse Classem Anglicam cerneret*, nequè resistere auderet; sibi consuluit, & propè littus substitit. Itaquè *Lindesius* hostium Navibus Nocte *insidiatur Ignibus, maximo Artificio fabricatis*. Qui re subitâ perculsi, Nautas ad Officium Ministeriumquè incitarunt. *Hi in Scaphas desilientes, Ignes Artificiosos; adnantes harpagonibus avertunt; circumaguntq; ne Classi, Operibusvè nocerent*. *Galli*, More gentis, hoc Successu elati, Classem hostium celeriter reversuram suspicati sunt, cum nihil se firmiores factos, aut languidiores hostes animadverterent. *Lindesius* irrito Conatu non perturbatus, cohortatus suos, *ne in expugnandis hostium operibus, & sublevandis Socijs, animis deficerent; cum ad Dimicationem Maritimam ventum esset*. Magistris, Gubernatoribusquè imperat, ut Naves præpararentur; Militesquè instruerentur; *Præmia fortissimis Classiarijs, & Militibus pollicetur, ac Interemptorum Conjugibus, Liberisq;*.

Aliquot post diebus, cum totâ Classe, primâ luce evehitur, ut, si quâ Vi posset, *Obsessis* afferret Auxilium; ac Classem hostium opprimeret. Præmissisquè *Minoribus Navigijs* universis, ipse cum *Majoribus*, modico intervallo, subsequitur. Quod ubi *Franco* nuntiatum est, Classem jubet expedire, atquè instruit Milites in proximis mari Munitionibus. *Præfectus*, Signo Pugnæ dato, Tormentorum fulminibus intonat. Idem cæteri Navarchi faciunt: *Aggerem in Mari excitatum dividere, atq; disrumpere parant*. Præsidiarijs pertinaciter propugnantibus. Jam sub Ictu Tormentorum erant; & undique è Munimentis instabant hostes, *non Aditu modò Portus arcentes, sed Naves etiam crebris Ictibus infestantes*. *Lindesius* transversas objicit Munitionibus Naves, fulgurans ac tonans ex suâ Prætoriâ. *Iam instructa utrinq; Classis conflixit*: & suâ Consuetudine, *Gallica Naves littori se applicuerunt, persequentibus expeditis Navigijs Britannicis, & circumvenire cupientibus*. Quædam longius insecutæ, redire jussæ. Natura Freti, Æstusquè, & Caligo Tormentorum, Facultatem diuturnioris pugnæ ademit. Quare *Lindesius, cum Quatuor horas continenter pugnasset*, relabente Æstu, & discussâ Caligine, in electam antè Portum stationem Classem reduxit. Die insequenti, *redintegratum Prælium*. *Angli* majore tumultu quàm vi, *Munitiones*,

Munitiones, Aggeremq́; oppositum subiêre. Sed plenis jàm integris Propugnatoribus Munimentis, *&* *obsepto Portu, penetrare non potuerunt:* celeriterquè, cum Terrâ Mariquè ancipiti pugnâ urgerentur, se in Stationem receperunt: ubi per aliquot dies quievêre, ab armis cessantes; *paciscentesq́; Incolumitatem Obsessis, Deditionem facientibus.* 1628.

Rupellani, Desperatione auxilij, Perseverantiâ, Constantiâq́; oppugnandi, & Saguntinâ Fame ad Inopiam omnium rerum adducti, Apolectos ad Regem miserunt, ac Vrbem, suaq́; omnia ei, Pacto Salutis, permiserunt. Rex, expertus quantum in Oppidanis animi Virtutisquè inesset, libentissimè eos in Deditionem recepit; Alimentis recreavit; gratiâ ac Misericordiâ suâ sublevavit. Præmissis Legionibus, *ipse insigni equo vectus, prosequentibus Proceribus magna Nobilitatis, Oppidum ingressus est;* & quæ fieri vellet, consultis Senatoribus, constituit. Mænia ac Munimenta dirui imperavit; *& Idoneum hominem Lutetiam misit, ut Fidem Parisiensibus faceret, Rupellam in suam redactam Potestatem: Mania diruta: Cives incolumes servatos: Libertatem ademptam: Anglorum Spes in irritum redactas.* Ibi àudiris quæ *Rupella* acta essent, magnus cum Clamore Civium Plausus exortus est. Interim *Rupellani, qui superfuerant, grandi Macie ac Illuvie Spectaculo Militibus fuêre.* Qui gratiâ aut Misericordiâ permoti, propensissimâ Voluntate Miseros sublevarunt. *Angli*, animadvertentes, Deditione factâ, se terere frustrà tempus; Nequè quicquam proficere intercluso aditu, redeundùm esse decreverunt, assentiente *Lindesio Præfecto Classis:* & paucos post dies, *ad Plimi fluminis Ostium redierunt.* Expeditione hâc Maritimâ parùm fæliciter confectâ, *Desidiâ magis Classiariorum, quàm Culpâ Præfecti.*

Dum hæc ad *Rupellam* geruntur, *Felsonm Catenis onustus in Turrem Londinensem conjectus est:* excruciatusquè Carcere ac Vinculis, *nullum nominat Authorem, aut Conscium Cadis. Torqueri autem, Iure Municipali, non poterat, nisi ob Proditionis Crimen.* Tractus indè ad Tribunal Regium, *Atrocitatem Necis confessus,* Pænitentiæ propior, quàm insitæ Naturæ ferociæ, nullam Moram Judicio fecit. *Mox ultimo Supplicio Tiburni affectus, Sepultura honore caruit: Suspensusq́; Catenis, non procul à loco perpetrati facinoris, Spectaculo prætereuntibus fuit; cum sublimè putresceret.*

Rex, Senatus, & Aulæ Proceres, *luctum ad Dolorem interfecti Bucingamij*, maximæ Dignitatis & gratiæ viri, *lugubri Cultu testantur: & intrà decem Dies, ad latum Vestitum redeunt*, abjecto Squalore, ac luctu. In sordibus, Lamentis, Planctuquè jacuit, per integrum Annum, Familia. Interitum acerbum Filij *Mater æquiore animo toleravit, quàm Conjunx;* semper suspicans, ut Vulgò creditum, id futurum, quod acciderat: quæ Invidiâ, & Malevolentiâ compulsa, publico abstinuit.

Nec diu post, egit animam Superbæ atquè ambitiosæ vitæ fæmina, ut testatur exstructa Moles Opere Magnifico; incusæquè Litteræ, ad Memoriam perniciosæ Ambitionis sempiternam, quas subijciendas existimavi.

Maria de bello Monte, Comitissa
Bucingamia, è Quinquè potentissimorum totius *Europæ*
Regnorum Regibus (idquè per
totidem immediatos descensus)
oriunda.
Vix: ann: LXII. XI. M. XI. D.

Cæterùm *Rex* Patronum se domus, *& Familiæ Villerianæ*, semper ostendit; Conjugem Muneribus exornavit: peramplum Patrimonium Liberaliter auxit, deficiente ærario. Et si quid ampliùs Præmij *Agnati* petissent, libenter dedit; ne grata voluntas ergà defunctum cessasse videretur. Etenim fidei, Pietatisquè suæ esse existimavit, declarare Posteris, quàm memoris, gratiquè animi esset; nec unquàm Consilij sui pænituit. Hæc Regia virtus, nec *Oblivione* eorum qui nunc vivunt, nec *Reticentiâ* Posterorum intercidet.

Publicani quoquè, Authoritate Regis, Tonnagium ac Pondagium acrim exigunt; nequè ullum genus Quæstus prætermittunt. *Hujusmodi Vectigalia Mercatores, Comitiali Authoritate nondùm interpositâ, solvere detrectant;* conquerentes jacturas, & Detrimenta rei Familiaris. Quibus de Causis accidit, *ut Publicani Merces Tributum recusantium in Gazophylacium conijcerent;* cogerentquè persoluere, fremente *Mercatorum Societate*, se gravissimis Oneribus premi, per Nova & Speciosa genera Vectigalium. Cum ad hunc modum Injuriam sibi factam fremerent, Præfecti Iuridici, quid faciendum esset in tali tempestate deliberant? & in *Ædem Vectigalem* advolant; se Populo concitato opponunt: *increpantq́; Mercatores, quod de tàm justâ Collatione queri essent ausi:* Monentquè, *puniri dignos, si Contumaciter perseverarent Voluntati Regis adversari.* Cum ad hunc modum increparentur, Bonorum Civium hortatu, Tranquillitas reddita Civitati, donec *Comitiorum* tempus appeteret; *qua XX die Ianuarij rursùs celebrari capta sunt.*

Ibi *Rex* pauca præfatus, *urgente Necessitate, Vicesimam Mercium exigi cœpisse, differebat: petebatq́; Comitiali Authoritate confirmari Donationem, Majoribus indultam.* Hâc Occasione impulsi *Mercatores*, liberius atquè audacius de Injurijs suis queruntur; *& Occasionem arguendi Maleficia Publicanorum captant: Proceres, ac Equestrem Ordinem ad exigendam Vindictam incitant:* Nec minùs *Præfectos Iuridicos* insectantur. Horum Audaciam confirmant Nonnulli *Plebeij Ordinis*, familiares eorum; *& maximos in Comitijs motus excitant:* palàm dictitantes, *extincta Iura Comitiorum, Instituta Majorum labefactata; Ecclesia, ac*

1628. Reip: vulnera savanda: Leges, Libertatemq́, quam à Majoribus atteperant, retinendam. Quoscunquè adeunt ex Inferiore Consessu, in suam Sententiam pertrahunt; hortanturquè, ut Regno consulerent; Communis Salucis Curam gererent: Plebis hirudines Publicanos, & Prafectos Iuridicos, ad Causam dicendam, evocarent; conservarentq́, Mercatores. Quæ res vehementer turbavit Publicanorum Ordinem.

Citati inde insimulantur, quod Privatorum Iura, ac Comitiorum Authoritatem contemnerent, & negligerent: Clementiam, Mansuetudinemq́, Officij, in Severitatem, Inhumanitatemq́, converterent: Societatem Mercatorum opprimerent. Illi responderunt, se hujusce Muneris Advocationem esse assecutos, ne Vectigalia exigerent; ac Sacramento astrictos esse, ut Regis Mandatis audientes essent: Fidemq́, ei praestarent. Quamobrem tantùm increpiti sunt, quod Mercatorum Societatem injuriosè tractassent; non autem Censurâ coerciti. Actonus, Prafectus Iuridicus, in Turrem conditus est, quod non solùm tantâ ac tàm indignâ Acerbitate Exactionum non commoveretur; sed etiam Contumaciter, inurbanèquè vexaret. Hac Evocatio vehementer Regem perturbavit. Qui ut se Acrem, animosumquè Principem ostenderet, increpitâ Plebeij Ordinis Licentiâ, Audaciâquè, Actonum liberavit. Nec multò post, Equestri Dignitate ornavit.

Certè nunquàm majore Contentione Comitia caluerunt; & maximè de Religione queruntur, non minùs Erminianis Erroribus contaminatâ, quàm Ignatianorum Fraudibus labefactatâ: quam Majores & Maximi Reges Eduardus VI, D. Elisabetha, & Iacobus, summâ Observantiâ coluerunt. Orant, obsecrantq́, ut in eam rem singuli diligenter incumberent, ne Romana Superstitio rursùs irreperet.

Ioannes Eliotus, Libertatem vehementis Spiritus dictis testari solitus, liberius atquè audacius orditur; Erminianam Sectam, & Papanam Superstitionem clàm irrepere: Summos Prasules Fautores esse Erminiana Factionis: Vintoniensem palàm, Londinensem occultè. Vestonum Quaestorem, defuncto Bucingamio, omnium Malorum Authorem: Quacunquè perperàm acciderent publicè vel privatim, illius Audaciâ, ac scelere evenire. Pecunias Locupletibus extorquere: nequè ullum genus quaestus magni, & evidentis, pratermittere: eundem jam Quaestorem eadem facere, qua fecerat Proquaestor. Illum Pontificia Dignitatis, & Papana Superstitionis Assertorem unicum; Comites, Servosq́, astipulatores; Iesuitas, & Sacrificulos, ab externis Nationibus accitos: illius multis & varijs Injurijs, gravissimisquè Oneribus, Patriam in ultimum discrimen adductam. Vicesimam Mercium acerbè exactam, adversùs leges, adversùs Remp: cum maximâ Mercatorum Injuriâ. Quare hortatur, ut Subditorum summissè supplicantium Querimonias audirent; ijsq́, Consilio, Ratione, Prudentiâ, prospicerent: Religioni labenti mederentur: Authoritatem suam tuerentur: & conservarent Libertatem, quam à Majoribus acceperant. Hæc Oratio mentes omnium occupavit. Aguntur Injuriæ Subditorum; agitur Jus Civium; Vis Magistratuum; Existimatio Præsulum; Authoritas Judicum.

Quæ Turbæ celeriter in Aulam perferuntur. Quâ re cognitâ, dissensionibus magis commotus Rex, quàm animo perturbatus, in Conventum Ordinum venit, Ibi in Purpurâ sedens, Fidem & Obsequium Procerum laudavit; Plebeiorum Insolentiam, Contumaciam, Licentiamq́, corripuit; ac Comitia dimisit; metuens ne Nimia licentia Plebis evaderet in aliquod magnum Malum: non sine magno dolore Optimatium, & metu imminentium Malorum.

Aliquot post diebus, in Carcerem conditi, qui Turbarum Concitatores erant. Ioannes Eliotus in Turrem conjectus, ob liberam Contumaciam, à Magnitudine animi profectam. Primores Equitum ferociâ exultantes, Hallesius, Hubertus, Hammonius, Corintonus, Valentinius, & Longaus, liberaliore Custodiâ septi tenentur. Ioannes quoquè Seldonus, qui omnem vitam consumpsit in laboribus gloriosis, & Exemplis ex Annalium Monumentis, ac vetere Memoriâ, repetendis, ob Contumacem animum, in Custodiam traditur. Quantoperè horum Animi Magnitudinem quidam mirarentur, alij tantoperè Licentiam & Contumaciam in Comitijs vituperarunt; quod plùs se Scire de Statu Reip: quàm Regem & Proceres existimarent. Ego non minùs in Plebeio Ordine Temperantiam, ac Modestiam, quàm Prudentiam, aut animi Magnitudinem desidero; qua nocet interdùm Reip:, ac Regiam Authoritatem, & Domesticam quietem convellit. Video quàm periculosum iter ingressus sum; quamobrem revoco me, ne aut inferre Injuriam Ordini, Relatione videar; aut dare Assentationis aliquam Suspicionem Bonis viris, Fortibusquè.

Dimissis Comitijs, Rex Vicesimam Mercium, Iure Regio, exigi imperavit. His datis Mandatis, Publicanos à se dimisit, qui in colligendis Vectigalibus summam diligentiam adhibuerunt.

Jam qui Motus hoc Anno fuerint in Aquitaniâ, & Septimaniâ, tempus est commemorare. Robanus, Consilio Protestantium convocato, praestare, disseruit, Armis & Virtute Belli fortunam experiri, quàm excruciatos, & circumventos Fraude Pontificiorum, gravissimas panas pati: à quibus per Contumeliam Proditores appellarentur. Proindè aut vincendum fortiter, aut gloriosè moriendum esse. Hâc Consultatione habitâ, de sollicitandâ urbium fide, multarum Incolas facile incendit licentiâ Turbarum, ac Spe Britannici auxilij. Quâ Alienatione cognitâ, Francus Condaeus, Regij generis Principem, cum Exercitu, ad prosequendos Rebelles, mittit. Qui inter paucos dies, in Septimaniam pervenit, ut Imperia Regis detractantes in ordinem cogeret. Vbi circumire fluctuantes Vrbes, atquè obsecrare capit, ne à Rege desciscerent; Neu Sacramenti memoriam deponerent, quo fidem ac Obsequium, Superiore Anno, obligaverant: quarum pleræquè adhuc, gratiâ & Authoritate Regis, in Officio manserunt. Paucæ ab Obsequio defecerunt; quibus Necessitas Rupellana extrema remedia suggessit.

Rohanus

1618.

Robanus bello ſemel accenſo, tumultuatur, & Copias undiquè contrahit; *coactis Peditum circiter Septem Millibus, & Quadringentis Equitibus, Monpelianam Arcem dolo intercipere ſtatuit*; ſperans Seditionem intùs futuram, inter Oppidanos & Regium Præſidium. *Ducenti armati* foſſam tranſire, ac Munitiones tranſcendere tentant. *Marchio Foſſeus, Præfectus Præſidij*, ſeu ipſe per ſe ſuſpicatus Proditionem, ſeu indicatâ re, *Cohortes intrà Munitiones inſtructas, armataſq; invadere jubet*. Fit Prælium acri Certamine. Poſtquàm uno animo Cives, & Præſidiarij Urbem tuebantur, *Proteſtantes*, multis interfectis vulneratiſquè, ſeſe recipiunt. Ita *Monpelianâ Arce* fruſtrà tentatâ, Multitudo fere omnis in propinquas Urbes dilapſa eſt.

Robanus nihilo minùs clandeſtinis Litteris, Nuntijſquè Civitates ſollicitat; obteſtaturquè, ut Religionis, ac Libertatis rationem habeant; Juventutem ad Bellum cogant. Multæ Urbes, quæ antè fideles Regi, neglecto Sacramento, Milites cogere, atquè Bellum occulto moliri cæperunt. Ex his *Caſtrenſes, Nemonſenſes, Uticenſes, Montalbanenſes*, Numerum Peditum contulerant. Viri quoquè è Primariâ Provinciæ Nobilitate, rogati, Animis, & Armis in id Bellum incubuerunt. Tum *Robanus*, tantâ rerum Commutatione elatus, aliud ſibi capiendum Conſilium exiſtimavit; & cum Peditum Equitumquè Copijs, *Munimentum S: Gelaſij, in ripa Rhodani, occupavit: diripuitq; Monaſteria, atq; habuit loco Prædæ, pollutis Sacris, everſiſq; Altaribus*. Quâ re cognitâ, *Arelatenſes*, ſubiti tumultus terrore perculſi, *crebris ad Rhodanum diſpoſitis Præſidijs, trajicere prohibuerunt*. Indè *Vivarienſem Agrum* ingreſſus, Provinciæ Copias, Auxilij causâ contractas, ſuis conjunxit: cum quibus *Salanam, Chomeram, Ponſinum ritu munitum, & Bajam* in Poteſtatem redegit: *& Munitiones in utrâq; Rhodani ripâ, excitavit*, Præſidijs per eas diſpoſitis, ut Regios Commercio fluminis, ac Commeatu prohiberet: & interim, *Spem Tumultus in Delphinatu, per occaſiones, tentaret*. Hoc functus Officio, Spem *Iuxenſis Comitatus* potiundi habere cæpit; & Exercitum eò duxit. Venienti *Apamææ Primariæ Urbis Deditio, ſinè morâ, facta eſt. Mazeram* indè recæpit; & quæ circà eam Caſtella erant. Multa Oppida etiam diverſis partibus ei tradita. *Ita Fuxenſis Comitatus fermè omnis in Ius, Ditionemq; Robani venit*. Qui non labore, non operâ, non Induſtriâ, *Proteſtantibus* defuit.

Cum in hoc ſtatu res *Proteſtantium* eſſent, *Briſonius* dux acer ac ſtrenuus, Bellum in *Vivarienſi Agro* impigrè adminiſtravit, contractis undiquè *Proteſtantibus*, qui Arma ferre poſſent. Is fortè rogatus, ut celebri Lavacro Filij, Legati ſui, intereſſet, libenter adfuit: qui cum, peracto Baptiſmo, domum reverteretur, crebris Scloppetariorum diſploſionibus, Militari more ſalutatus, *memorabili Caſu occiditur*. *Proteſtantes* qui aderant, re ſubitâ perculſi, vehementer indoluerunt. *Papani* ſuprà modum læti ſunt; prædicantes, *Virum Nefarijs ſceleribus obſtrictum, Pœnas Perfidiæ, quas meruerat, perſolviſſe*. Porrò erant qui crederent, *non Caſu, ſed de Induſtriâ à Proteſtantibus interfectum*, quaſi adverſæ partis fautorem.

Defectione *Robani* cognitâ, *Toloſana Curia* in eum, & tumultuantes Urbes, minacibus Edictis detonuit: at *Proteſtantes* Minacijs ad Obſequium cogi non potuerunt. *Cui Malo*, meâ quidem Sententiâ, *pejus Remedium adhibitum eſt à Condæo, Momorantio, & Eſpernonio, Regijs ducibus*; qui Motus per Urbes ac Oppida excitatos, vagis huc illuc Excurſionibus, aluêre. *Condæus*, cum videret complures Urbes arma parare, quò ſibi reſiſterent; & Agreſtes ex Agris in Oppida demigare, ad præſens periculum evitandum; plures in partes Copias dividere conſtituit. *Vantadurum*, hominem ſummæ potentiæ, cum parte Copiarum, *in Vivarienſem Agrum* mittit; & *Comitem Carmanum*, cum Cohortibus, *in Fuxienſem Comitatum*; ut laborantibus Regijs ſubvenirent: *Eſpernonium, ad Milsaldum in Ruthenis depopulandum. Ipſe Momorantium ſibi conjungit, & per aliquot dies Toloſæ moratur, ad Conventus Narbonenſis Galliæ peragendos*. Cognito ejus Conſilio, *Proteſtantes* ad Arma concurrunt, *in Fuxienſi Comitatu, Vivarienſi Agro, viciniſq; Provincijs*; & tentandam Belli aleam exiſtimant: eos qui hanc tentandam Fortunam non arbitrabantur, *expellunt ex Oppidis*: Atquè in Campeſtribus Vicis, Agriſquè *habent delectus*, quò faciliùs ingruentium hoſtium Copias ſuſtinere poſſint. *Condæus*, cum Ordinibus Provinciæ evocatis, *undè Bellum auſpicaretur, conſultavit*: Quibus optimum viſum eſt, *Fuxienſem Comitatum, à Robano vi oppreſſum, primùm adoriri*.

Itaquè dimiſſo Conſilio, *Fuxienſis Expeditionis* Conſilium cæpit. Ab Urbe profectus eſt; & Itinere per *Septimaniam* facto, in *Fuxienſem Comitatum* pervenit. Quò cum veniſſet, *Apamæam, primarium Comitatus Oppidum*, oppugnare conſtituit. Cujus cognito Concilio, *Banfortius, qui juſſu Robani Urbi præerat*, Oppidum defendere parat; & cuncta diligenter, ac induſtriè adminiſtrat. *Condæus* Præfecti cognitâ Pertinaciâ, Caſtris Urbem circumdedit: admotiſquè Tormentis, ex unâ parte quatere Muros, Turreſquè cæpit; ex alterâ *Momorantius* Metum & periculum oſtentavit. Obſeſſi omnia perpeti parati, in proxima hoſtium Caſtra irruperunt; ſed celeriter pulſi *à Marchione Ragnio*, ſeſe in Urbem receperunt, multis confecti Vulneribus. Tandem cum eſſent infirmi ad reſiſtendum, *miſſis ad Robanum Nuntijs, Auxilium implorarunt*. Abſciſsâ omni Spe Auxilij, Milites ad extremum Conſilium deſcenderunt; *& Se, atq; Urbem Condæo, Pacto Salutis, dediderunt*. Quorum cognitâ Sententiâ, *Oppidani cum Conjugibus, Liberiſq; Urbe exceſſerunt, in Silvas, Monteſq; fugientes*. Horum multi palantes *ab Equitatu cæſi, aut capti*. Cæteri, quos Montes texerant, *ab Agreſtibus, Odio Religionis accenſis, pari Crudelitate trucidati*. Ita ſinè magnâ Contentione, Urbe potitur. Milites Inermes hâc Lege dimiſſi, *ne contrà Regem Arma ferrent*. *Banfortius*, qui Oppido præerat, vicini Nemoris Latebris extrahitur. *Aurafius, Mazeræ Præfectus*, qui maximam, ſecundùm eum, in Provinciâ Authoritatem habebat, fugientibus

1628. fugientibus Oppidanis permistus, capitur. *Seditiosi Cives Octo, in Foro, laqueo necati: 120 in Remum dati: Præfectos captivos Condaus Tolosam ad Magistratm deducendos curavit; & Atrocitate Supplicij deterrendos Rebelles existimavit*: ubi, Causâ cognitâ, *resti suspensi sunt*. Quæ pœna magnam *attulit Protestantibus Salutis desperationem*, si in hostium potestatem venirent. Itaquè *justo timore coacti, pluribus in locis rebellare cæperunt.*

Hàc Obsidione confectâ, *Condaus* Tempestatum difficultatibus conflictatus, *Tolosam* revertitur, ubi Impedimenta reliquerat: exceptusquè est singulari honore, ac Amore Magistratuum, Civiumquè. Eodem frequentes *Septimaniæ Proceres* conveniunt; rationesquè Belli gerendi communicant: & certiorem faciunt, *Robanum* sollicitare Civitates, Conjurare adversùs Regem; ac Infidelitatem ejus Armis coercendam judicant. Tum *Condaus* commemorat, longè aliud sibi esse capiendum Consilium, *Oppida expugnari oportere, ne Rebellibus essent receptacula; Neq; jam dispersos hostes Prælio lacessendos esse.* Itaque *Tolosâ* proficiscitur, & cum omnibus Copijs *Regium Montem petit, quod est Oppidum in Albigensi Præfecturâ.* Quâ re cognitâ, Oppidani suâ sponte, cum Præcursoribus Agminis congressi, modicâ suorum jacturâ, intrà Muros compelluntur. *Condaus*, perspecto Urbis Situ, Machinas, Tormentaquè comportari jubet: admotoquè Exercitu oppugnare est adortus, magnâ cum Industriâ, ac diligentiâ. *Non tulère Obsidionem Oppidani; qui Impunitatem paciscentes, imperata facturos se ostendunt. Æquo animo Mœnia, ac Munimenta diruunt; Fossas complent; ac perpetuum Obsequium Regi Iurejurando profitentur.* Quingenti Præsidiarij Urbe excessère, cum Præfecto: qui à *Condæo* in locum tutum deducti sunt, ne Regij milites, furentes Desperatione ac rabie, Injuriam inferrent. Dimissiquè incolumes, *ad Castrum iter facere cæperunt*; atquè ibi maturare Defectionem Civitatum, *spretâ Iurisjurandi Religione*. Hoc confecto negotio, *Princeps ad captam Urbem revertitur*: Ubi miserè afflictos Cives, *ac omnibus Bonis exutos invenit*. Cujus facti infamia, atquè Indignitate accensus, *aliquot Milites districto gladio vulneravit; Alios Laqueo punivit*: ut Conscientiam suam à Fœditate sceleris exoneraret.

Inter hæc, *Castrum Præsidiarijs Regij Montis receptum præbuit*; Noctes diesquè miserabili voce clamitantibus, *Unam omnium Protestantium Causam esse: Idem Cunctos periculum manere: Captas incendi, deditas diripi Urbes*: & cohortantibus, *ut alieno Exemplo discant, quid sibi ex usu sit: Nec meliorem fore ipsorum Conditionem sibi persuaderent, quàm Vicinorum.* Qui pronis auribus à Plebe sunt auditi. *Undè alia in Septimaniâ Urbes Rebellionem captavère; Seq; adversùs vim, pulsis Magistratibus Regijs, muniêre.* Quibus rebus cognitis, *Condaus* maturandum statuit; *ut à Superiore Septimaniâ Robanum excluderet*; & ad summam Inopiam adductum, Provinciâ expelleret. Itaquè *Vianam urbem, in Castrensibus Montibus, situ & Operibus munitam*, oppugnare simulavit; quam cum intelligeret sinè dimicatione perniciosâ expugnari non posse; *omisso ad Vianam Itinere, ad Cauuam deflexit*, Conatibus opportunam, quam oppugnare est adortus. Oppidani subito ejus adventu perturbati, & Calamitate Sociorum territi, Portas aperuerunt; Principisque fidei suam Salutem permiserunt. Qui *orantibus Veniam*, antè Portam, Magistratibus respondet, *Se Pœnitentiâ contentum, si in fide ac Obsequio Regis manerent.* Et spem frustrà cæpit habere, Cæteras *Septimaniæ Urbes* ad sanitatem, Deditionemque perduci posse.

Hâc quoquè Urbe subactâ, *ad Fanum S: Severi proficiscitur*: quod Castris circumdedit, ac premere cæpit; dum *neq; Spe Veniæ, Neq; denuntiatione periculi*, obstinatos ad Deditionem flectere posset. Postremò, Ruinâ factâ, hortatus est Milites, magno conatu ut impetum facerent. Qui celeriter imperata fecerunt, Murumquè per stragem ruinarum ascenderunt. *Obsessi obstinatè restiterunt.* Tandem multis defessi vulneribus, *vicinas Ruinæ ædes Stramentis, Sebo, Pice, & Stupâ compleverunt, momentoquè temporis incenderunt.* Mox magno Vento, & secundo flante, *Fumo, Flammâ, Ferro, Regijs occurrerunt.* Perculsus ergò Metu Ignis, ac periculo Militum *Condaus, receptui cani jussit*, ne in perniciem suorum pugnaretur. *Regij recipientes se*, ad posterum usquè diem in Fossis consîdunt, Incendium magis quàm Prælium metuentes. Oppidani interim ad extremum Remedium descenderunt. *Quorum pleriq; sub Vesperum Tectis conclusi, cum Conjugibus ac liberis, domos incenderunt. Quidam per ipsam Ruinam se præcipitarunt, qui aut Casu enecti, aut hastarum ictibus crudeliter confossi sunt: Alij suffosso Muro in Montes profugerunt.* Postero die, *Regij Milites*, extincto Incendio, Signoque dato, nudatam Stationibus, Vigilijsquè, Urbem cæperunt. *In Cædibus vix ullum Sexus discrimen Ira fecerat; vix Mulieribus parcitum est; quas aut non Incendium absumpserat, aut Montes texerant.* Hujus Urbis Excidio nuntiato, mæror ingens omnium *Protestantium* animos occupavit, Commiseratioquè Sociorum interemptorum. *Undè Bellum augetur, diversis in locis, plures Rebellare incipiunt.* Nuntij in omnes partes circummittuntur, *ad sollicitandas Civitates, Fluctuantes inter Spem Metumq;*; qui dubitantes Sociorum Supplicio terrent: Monentquè, *nullas esse Salutis, Vitæq; Conditiones, nisi armis Se Suosquè defenderent.*

Condaus, hoc Oppido capto, *Castelnaum, & Brassacum, Oppida in Castrensibus Montibus posita*, oppugnare instituit. *Chavagnatus Avernus, qui Urbibus præerat*, ad defendendum accurrit. Et quia *Castelnaum* tueri ab impetu *Regiorum* diffidebat se posse, relicto ibi Præsidio, *Brassacum* recipit se; ubi Operam Laboremquè in defendendâ Urbe sibi proposuit. *Regij Milites* impigrè prævertêre. Re subitâ perculsi *Protestantes, ad Brassacum fugerunt*: trepidatumquè in Urbe est. *Chavagnacus*, cum se imparem ad vim sustinendam videret, relictâ Urbe, *ad Castrum proximam Urbem* recepit se. *Brassatenses*, cum cernerent quid patiendum ipsis extemplò foret, si obstinate resisterent, *Oppido Nocte, sinè ullo detrimento, profugerunt; propter Castrensis Urbis vicinitatem*: quæ fugientibus Salutem, & palantibus receptum præbuit;

Condaus

Condæus relictum à Præsidio Brassatum, vacuumquè hominibus recepit; ea verò res Regijs auxit animos, 1628.
relictam Urbem cernentibus; *quæ Obsidionem tolerare, & Obsidentes fessos Morbis, ac difficultate Itinerum, ad ultimam Inopiam adducere potuit.*

Condæus Castra deinde ad *Castelnaum* posuit. Qui cum vereretur, ne Asperitate Naturæ peccasse videretur, priusquàm aut Machinis, aut Operibus Muros aggrederetur, *Delegatos ad Castelnai Præsidiarios mittendos censuit.* Qui castigatâ Pertinaciâ eorum, *Salutis ac Vitæ Conditiones offerrent, si absistere furore vellent.* Quas si aspernarentur, Mandata dedit, ut Armis ac Terrore agerent, pericula ostenderent. Oppidani nequè Minis, nequè Terrore periculi perterriti, in Sententiâ perstiterunt. Responderuntquè, *Ipsis certum esse, non solùm non recipere Manibus; sed ne pacisci quidem, nisi Authoritate Robani interpositâ.* Hæc renuntiata *Condæo* cum essent, placuit extemplò vi agere, admoto ad Urbem Exercitu, Aggerem promovere; Machinas collocare; quatere Muros. Post aliquot dies labefactatâ Muri parte, confestim *Regij Milites* se ad impetum parant. *Quâ re perterriti Oppidani, Vitam exposcunt, quam concedere denegavit Condæus, & Exemplo Supplicij deterrendos alios existimavit, qui arma tulerant.* Desperatâ Salute, & frustrà tentatâ fugâ, *acerrimè pugnant: Militesq́ pertinaciter succedentes vulnerant:* Qui vulneribus non defessi *irrumpunt, rapiunt, Spoliant, occidunt.* Postremò *Vrbem diripiunt, incenduntq́: expletâ simul Libidine ac Sævitiâ. Horret animus referre singula fœda, ac indigna, quæ perpessi sunt Protestantes à Condæo, Regijsq́ Militibus.* Hæc Papani Culpa defectionis, & Ultione Justæ Iræ, excusant: *ad Principem renovati Tumultus, & Authorem Belli Robanum referentes.* Adijciuntquè, *Cives ab Imperio, & Obsequio Regio deficientes, Civium Iura non tenere.*

Re benè gestâ, *Condæus ad obsidendum Frequij Fanum, in Ruthenis proficiscitur.* Quod Oppidum & Naturâ loci, & Præsidio Militum munitum erat. Quò cum venisset, Urbem oppugnare celeriter aggressus est; quam bellicosiorem Cæteris sensit. *Præsidiarij* armati Munitiones Murosquè compleverunt; & acriter defenderunt. Quibus rebus perspectis, *cohortatur Condæus Picardiæ & Neustriæ legiones*, ut Propugnaculo ante Urbem celeriter potirentur. Milites usi singulari studio, instructi armatiquè oppugnare cæpêre, haud prospero eventu; *nam occisi ducenti sunt; & in his duo Neustricæ Legionis Centuriones; multiq́ vulnerati.* Eodem tempore *Protestantes Quingenti, duce Præfecto Castrensi*, nondùm obsessis Itineribus, tutò Urbem intraverunt; ad sublevandam suorum Inopiam. *Condæus*, cum complures dies Castra ante Urbem haberet; & magno suorum detrimento oppugnaret, incæptam Oppugnationem relinquit: *& Tolosam rursùs redijt.*

Ubi convocato totius Provinciæ Consilio, cum in Colloquium ventum esset, de ratione universi Belli consultavit. Plerique periti rei Militaris, longè aliâ ratione Bellum esse gerendum censent: *Domos, Vicos, atq́ ædificia hostium Incendi oportere; fruges secari; Vineta, & Oleveta deleri, ut Vrbes Rebellium Commeatu prohibeantur; eorum Opibus Regij Milites subleventur. Protestantes aut non laturos Populationes Agrorum, Prædas pecudum, Cædes hominum, Incendia Villarum; aut magno cum incommodo dimicaturos; aut deniq́ ultimâ Alimentorum egestate coactos, imperata facturos.* Omnium Sententiæ eò decurrerunt, *ut Regem consulerent.* Consilio depopulationis Regis Consensu probato, *Condæus Espernonium, Præsidem Aquitaniæ cum Copijs ad se evocat, & in Cadurcas mittit*; ut Oppidum *Montalbanum* ad sua potissimùm tuenda averteret; & *Momorantium* cum suis Copijs, ad evertendas opes *Nemausensium.* Ipse cum reliquo Exercitu, ad devastandos depopulandosquè *Castrensium fines* proficiscitur: & in omnes partes Equitatum, ac levis Armaturæ milites dimittit. Qui repentino impetu facto, *Frumentum demessum Curribus avexerunt; Crescens igni flammâq́ torruperunt, ne cui usui esset Oppidanis: Vineta, & Oliveta fertilissima Regionis, decursionibus per Equites, conculcarunt; atq́ miseram Septimaniam, hâc æstate, Cædibus, Incendijs, Latrocinijs, Rursus vastarunt.* Agrestes miseri, ærumnosi, Calamitosi, in finitimas Urbes dilapsi sunt; desperatâ Salute, si milites consequerentur. *Castrenses* frumentatione, & reliquo Commeatu prohibiti, *omnia passi sunt, quæ à crudelissimis hostibus pati potuerunt.* Supervacaneum est commemorare, quæ Vastitas in Agris, quæ formido in Urbibus, quàm deserta, inculta, & relicta loca omnia. Oppidani *Religionis, & Communis Libertatis causâ*, rei familiaris Commoda neglexerunt, & tantas Calamitates perferre decreverunt: cum vires tenues, & infirmæ ad resistendum hostibus antè Portas essent. Itaquè *delegatos ad Robanum, oratum Opem miserunt adversùs hostes Libertati, vitæ. Sanguiniq́ imminentes, rapientes, spoliantesq́ omnia.* Qui *Castrenses*, diffidentes rebus suis, *tribus Equitum Turmis, & aliquot Peditum Cohortibus*, confirmavit; afflictos erexit; & Cæteras Urbes pari Populatione vexatas, Auxiliaribus Copijs recreavit. Illi non contenti Auxilio, quod ijs præter Spem acciderat, Eruptione factâ, *impetum in Regios vagantes, prædantesq́ repentè fecerunt, paucosq́ ceciderunt.* Re subitâ perculsus *Condæus*, Equitatum præmittit, qui Populatoribus Præsidio esse consueverat; & *Levis Armaturæ Pedites.* Primo Congressu *Castrenses in fugam conijciuntur*; & aliquot interfectis, intrà fossas compelluntur. Ita fracta *Castrensium* Pertinacia est.

Dùm hæc à *Condæo* geruntur, *Momorantius, & Espernonius* non dant *Nemausensibus & Montalbanis* spatium de alieno potiùs, quàm suo periculo deliberandi: *Vicos incendunt, ædificia diruunt, Pecora abigunt, Agrestes occidunt, Agros Populationibus vexant, magnâq́ prædâ potiuntur.* Et Oppidani Calamitate perturbati, Munitionibus se tenuêre, ne Insidijs circumvenirentur; & pertinacissimè in Defectione permansêre. *Condæus*, peractâ *Castrensi* Populatione, *Vallem Mazametensem*, uberem fertilemquè Vite, Olivâ, & omni genere frugum, fructuumquè, cæpit populari. *Mazametam*, cum pertinaciter

1628. resisteret, vi expugnavit: & aliquot ignobilia Oppida Deditione in potestatem redegit; ne *Castrenses* Commeatu sublevarent.

Eodem tempore, *Momorantius*, cum eo quem habebat Exercitu, in *Vivariensem Agrum*, profectus, *Caumeracum vi expugnavit. Oppidanos, resistere ausos, Ferro, fune, acq; omni Supplicio excruciavit, Urbem diripuit, ac incendit*; ut aliæ Exemplo à simili Pertinaciâ deterrerentur. *In Cebennis, Pusinum, & Mirabellum Deditione recepit.* In eâ rerum perturbatione, *Metu Incolæ diffugiunt, Armenta relinquuntur; Agricultura deseritur, Segetes corrumpuntur, ne cui usui essent.*

His rebus gestis, *Castra ex Cabennis movet, Nemausenses versùs*, ut celeritate Populationem conficeret. *Inter Nemausum, Uticam, & Anduzam, sunt Valles tàm opimæ & fertiles, ut Fœcunditate Agrorum, Varietate fructuum, & Multitudine Villarum, facilè cæteris Galliæ partibus antecellant.* Quas *Momorantius* depopulari instituit. Itaquè *Nemausenses*, cum Populationem in Agris, Incendium in Villis expectarent, delegatos ad *Robanum* mittunt, Auxilium petitum. Qui, etsi cum hoste congredi periculosum putaret, tamen videns quid ijs patiendum foret in præsentiâ, & cæteris Urbibus suæ Partis in posterum, nisi succurreret; impigrè prævertendum sibi existimavit: *ad Nemausum, Armatorum Agmine processit; & omnia Vada Vistri fluminis Custodijs obsepsit; ne Momorantij milites in Valles irrumperent.* Cæterùm, Sociorum magis Clade, quàm suo periculo territus, Montes vicinos arduos, ac propè invios occupavit; & Munimenta Castris circumjecit, ut temerè subeuntes *Regios* premeret, ex loco superiore; Armis locorumquè situ sese tueretur; & hostes Populatione arceret. *Momorantius* ubi cognovit, *Robanum statuisse Nemausensibus, & Campestribus Vicis opem ferre*, nihil animo perturbatus, ad *Nemausum* ducit; & haud procul ab Urbe Castra locat. Postero die, *Valles ingreditur, Tecta diruit, Frumentum in Horrea comportatum concremavit: Villas desertas, Fugâ Incolarum, succendit*: non enim tueri *Valles* à primo impetu Regiorum *Robano* facilè erat.

Posteà *Monpesatum* profectus est. Ibi dimisso in omnes partes Equitatu, *Frequentes Campestres Vicos circà Uticam, & Anduzam devastavit. Incolæ desertis Vicis, Agrisq;, in propinquas Urbes demigrant, præ se agentes Pecora, ferentesquè Supellectilem; quæ domibus pulsis, ac palantibus receptum præbuerunt. Robanus*, ob paucitatem Militum, cominùs congredi non ausus, Tædio, aut Inopiâ, se fatigaturum hostes sperabat, in Radicibus Montium Castra metantes. Sed ne quid Opis in ipso videretur, in tantis Calamitatibus, ac Miserijs Aratorum, *Clarensacum* proficiscitur, Populatione liberâ prohibiturus hostes. In his Angustijs cum veluti à Fortunâ, & Ope humanâ destitueretur; extrema patienda, & facienda sibi proposuit, urgente Sociorum Calamitate; *& Castra haud procul in Monte arduo ponit, ut Armis, Vigilantiâq;, proximos Pagos tueretur.* Prætereuntibus Regijs, instructo Agmine, *Protestantes Quadringenti Pedites in Colle sese ostentarunt*: quos contemplatus *Momorantius*, Prætorianos aggredi hostes jussit. Qui, Signo dato, repentè invecti, per Ardua, ac præmunita loca penetrare non potuerunt. *Cæsi complures temerè subeuntes, vulnerati plures Sclopetorum ictibus.* Cum undiquè premerentur, sese receperunt, memorantes *non potuisse pugnare cum Iniquitate locorum. Momorantius* indignans infectâ re discedere, progressus ad Naturam loci, Situmquè visendum, etsi animadvertit per Ardua ac Iniqua loca subeundum esse; tamen Exercitu instructo ducere ad hostes pergit: quos loco dejectos in Fugam avertit. *Centum & Viginti cecidit; plures Captivos abduxit. Robanus* inanem spem Auxilij, ex proximis Collibus ostentavit, Pugnâ abstinuit; & extrà Munitiones non processit. Ex eo Prælio *Pontificiorum* Opes Animiquè creverunt. *Protestantes* recenti Calamitate summissiores facti, *Spem Pacis tentarunt.* Mentio Pacis hoc Anno injecta, rursùs in sequenti, renovata est: quam ut tutam, tranquillamquè *Protestantes* haberent, *Robanus* suâ Vigilantiâ perfecit.

Dum hæc in *Galliâ* geruntur, *Marchio Spinola, confirmatis in Belgio Philippi partibus, in Hispaniam, uti constituerat, proficiscitur: Belgij Imperium, in re Militari, Carolo Colomna demandatum*, ob singularem Virtutem, ac Scientiam rei Militaris. *Henrico Bergensi Comiti Equestre permissum Imperium. In re Civili, Regimen rerum Cardinali Cueva delatum, sub Muliebri Isabella dominatu*; cui difficile erat, *Septuagesimum* ferè Annum agenti, & Pietati, ac Devotioni animum intendenti, publicam, privatamque rem curare.

Cura *Canalem continuandi*, & Munitiones in Geldriâ reficiendi, *Marchioni S: Angeli* data: qui vigilantiam & diligentiam adhibuit, in Opere perficiendo. Per hos dies, *Bergensis Comes, Præfectus Equitum*, qui quotidianâ Consuetudine ad Opera in *Geldriâ* excubabat, *Lingam*, rei Frumentariæ Inopiâ laborantem, sublevare instituit; Iterquè accelerat. Digresso hostium Equitatu, *Batavi cum XVII Equitum Turmis, & Sex Peditum Cohortibus*, repentè invecti, Stationes *Baticas*, Custodiæ causâ Operi præsidentes, turbarunt; *& Munimentum Regium in Aggere Novi Canalis excitatum*, oppugnare adorti sunt. Sed Munitiones aditum prohibebant, *Pulsi Batavi*, aliquot ex suis interfectis, atquè vulneratis, celeriter sese receperunt.

Aurasionensis quoquè, Novum Munimentum antè Oppidum Santolitanum facere aggressus est; convectis omnibus, quæ ad Opus usui erant, ex proximis Vicis, Agrisquè. Substructionibus ejus Operis perculsi *Hispani*, qui loco præsidio erant, prohibere frustrà conantur. Nam *Batavi*, Venti Occasionem nacti, *omnes Scaphas, & Naves Onerarias, in Portu Adversariorum incenderunt, aut demerserunt.* Repentino Incendio perculsi *Iberi*, trepidabant. Hæc maximè gerendi Belli ratio quotidiana fuit.

Jamquè *Ferdinandi Cæsaris* in Germaniâ res secundæ, Literis Nuntijsquè in *Belgium* perferebantur; *Danum Prælio pulsum; receptas Saxoniæ Provincias; deditam Pomeraniam; Superatos Austriacæ Familiæ hostes;*

exscindendos

exscindendos Batavos. Quâ quidem Fælicitate rerum gestarum permoti *Iberi*, sustulerunt animos. *Ba-* 1628.
tavi non dejecti Clade Sociorum, Urbes atquè Provincias Ditionis suæ tueri perseverarunt.

Per eosdem dies, *Anholtinus Comes, Præfectus Cæsarianorum Equitum, Frisiam Orientalem, cum Exercitu ingressus*; ut Imperium totius Provinciæ *Cæsari* acquireret, *Batavosq;* lacesseret. *Embdena*, Caput Regionis celebre, & frequens Emporium, *implorato à Batavis Auxilio, Cæsarianis restitit.* Missus extemplò *Ernestus Nassovius*, ut Urbis saluti prospiceret; Bellumquè inferret *Cæsarianis.* His rebus constitutis, *Batavi Frisiæ Orientalis periculo territi*, XII *Millia fortissimorum Peditum, & Tria Equitum, adversùs Anholtinum delegerunt*; ad præsens periculum evitandum: susceperuntquè Bellum, ne *Frisij*, Incursione *Cæsarianorum* opprimerentur: quod vario eventu gestum est.

Hoc in statu res in *Belgio* cum essent, *Britannus, Carlilij Comitem, ad Batavos* cum Mandatis misit, *ut Britanniæ, Daniæ, & Sueciæ Reges, Populiq; Batavi, arctiore Fœdere conjungerentur; ac Fretum Danicum Terrâ Mariq; tuerentur; eâquè de re, Acta publicè conficerentur.*

Quibus rebus confectis, Legatus ad *Allobrogum Ducem* proficiscitur; *quem Carolus pro* suis Beneficijs *Reconciliatore Pacis, & Disceptatore de ijs, quæ cum Franco in Controversiâ essent, utendum judicabat*: quia Superiore Anno Reges hortatus est, ab Armis discedere; & infructuosi Belli finem facere. In id quoque *Batavi, & Veneti* sedulò incumbunt. Legatus salutaria Consilia ad Regem retulit.

Durabat interim *Dano, cum Cæsare Bellum. Christianus* igitur, impetrato à Socijs Regibus, Populisq; Auxilio, Copias Terrestres Navalesque contrahit: Arma, Equos, Commeatum parat: nec labori, nec periculo parcit, *donec Iugum Austriacæ Familiæ collo depelleret, ac Holsatiam liberam faceret. Freidlandiæ Dux, & Tilius Bavari Præfectus*, cum *Danum* comperissent parare Copias, quò *Cæsari* resisteret; paratas instructasquè Legiones ex hibernis educunt; & Officia inter se partiuntur. *Tilius Danum omni Orâ Maritimâ excludere conatur. Stadam aggressus*, quæ Præsidio *Anglorum* tenebatur; Urbem magnâ ex parte Munimentis ac Operibus obsepsit, ne Exitus inclusis pateret. *Morganus* interim *Præfectus*, continuis Eruptionibus Custodias operum ac stationes hostium fatigavit; & multum Spei Obsessis singulari virtute adjecit. *Tilius* Operibus præfectis, Mænia Tormentis Machinisquè quatere cæpit; ab Eruptionibus Obsessos deterruit. At ij qui obsidebantur, magnâ cum curâ ac diligentiâ Urbem tuentur. Disponunt per Muros, ac Turres Milites, & Nova Munimenta hostibus objiciunt, alacres ac fiduciæ pleni. Terribilis Sonitus Tormentorum Oppidanis pavorem incussit; & aspectus tantæ Multitudinis milites terruit, cum Foris tantas Copias Peditum, Equitumquè cernerent; & vigilantiam Obsidentium. *Danus*, statu Urbis cognito, sublevandam decrevit, & *Morganum* clandestinis Nuntijs, Mandatisq; certiorem facit; qui nondum obsepto flumine, Nocte in Urbem penetrant; referentes, *Daniæ Regem, cum Copijs omnibus, ad solvendam Obsidionem venire.* Quâ re cognitâ, *Oppidani*, collectis rursùs animis, hosti obstinate restiterunt. *Tilius*, Adventu *Dani* cognito, non se satis tutum fore arbitratur ab Oppidanis, ac externo hoste, Terrâ Marique ingruente; *nisi fluminis Ripas, Castraq; novis operibus munivisset.* Itaquè dies Noctesque in Opere versatur. Die constitutâ, *Danus ad Opem Morgano ferendam proficiscitur; & Castra Tiliana oppugnare instituit*; adoriturque majore Conatu, quàm effectu. Postquàm vi expugnari non poterant, cum Copijs recessit, nullâ Munitione perruptâ. *Tilius* irrito hostium incæpto inflatus, impigrè agebat, ut Obsessos compelleret ad Deditionem. Oppidani, & qui in Præsidio erant *Angli*, destituti, Segniores erant ad discrimina Belli. Quorum aliqui *Deditionem*; Alij memores pristinæ virtutis, *Eruptionem* probabant. *Morganus Præfectus*, postquàm Urbem Operibus obseptam undiquè videt, Perseverantiam hostium, Cladem suorum si Eruptione decertarent; *de Conditionibus tradendæ Vrbis egit*, paciscens, *ut Anglorum Auxiliares Copiæ, sinè fraude, dimitterentur; atq; Oppidum*, desperato Auxilio, *Tilio dedidit; Incolumisq; ab eo, cum Armis, ac Signis Militaribus, ad Batavos redijt.*

Danus in tantâ rerum Perturbatione, cum unâ ex parte *à Tilio, Saxoniam, Holsatiam, ac Ditmarsiam vastari cerneret*: ex alterâ, *Iutiam ac Pomeraniam à Freidlandiæ duce vexari*, Copias cogere, & rursùs Bellũ Terrâ Mariquè moliri cæpit. *Auxilia Britanniæ, ac Sueciæ Regum, & Batavorum accersit*, Bellumq; redintegrat; *ne Austriaci Codano Sinu, seu Freto Danico, poterentur, ac Commercio Maris Baltici, & perpetuæ Servituti Daniam addicerent.* Interim aliquot *Anglicæ cohortes, totidemq; Scoticæ; una Legio Gallica; duæ Germanicæ supervenerunt. Appulit etiam Batavorum Classis. Danus* his Copijs acceptis, lustratoquè Exercitu, ad persequendos hostes proficiscitur; cui Consilium fuerat Opem ferre *Insulis Maris Baltici, superiore Anno à Cæsarianis interceptis.* Igitur Classe paratâ, instructâquè, *Femeram Insulam* oppugnare est adortus, cui *Merodus, Tribunus Fridlandij* præerat: qui Se, atq; Præsidiarios, Spe Salutis, dedidit; incolumesq; *à Rege* dimissi. Posteà *Rusticorum rabie* interfecti, aut submersi interierunt. Indè *Eclefortum* per Deditionem recepit. Oppidum direptum, & *Cæsariani Captivi abducti.* Mox *Chilonem urbem*, grandi Præsidio *Germanorum* insessam, undique Operibus sepsit. Quibus absolutis, Machinas comportari jussit, & sternere Muros cæpit. *Cæsariani* constanter impetum sustinuerunt, & crebis Eruptionibus, per ipsam stragem ruinarum, dimicarunt. Cum complures dies in Oppugnatione consumpsisset, *Eruptionibus ab Oppugnatione deterritus, receptui cani jussit.*

Intereà dum hæc geruntur, *Agrestes Stormariæ, & Ditmarsiæ*, depopulatis Agris, Vicisquè, ut suprà demonstratum est, tumultuari cæperunt: qui, *Dani Regis nomine*, Bellum cum *Cæsarianis* pertinacissimè gesserunt. Itaquè *interfectis multis Germanis, qui in eorum Vicis, Domibusq; consederant*, vindicandæ Libertatis causâ, arma susceperunt; Seque, partim *Silvis* petitis, partim *Paludibus invijs*, adversùs vim muni-

1628. runt. Quâ re cognitâ, *Danus Conjurationem Agrestium aluit*; Militesquè levis armaturæ misit subsidio. *Tilius*, cum comperisset *Rusticos Bellum concitare*, & conjurare adversùs *Cæsarianas*, laborantibus suis Auxilia summisit, ut ferociam eorum comprimerent. Præsidio Cohortium aucti Germani, *Agrestes persequuntur*, compluresquè occidunt, vulnerantvè. Reliqui Metu perculsi, & in fugam versi, *impeditissimis Silvis, aut Paludibus sese tenuerunt*: qui sæpè vexati, ad Deditionem adduci nunquàm potuerunt; *tanta fuit Obsequij reverentia, ac vindicandæ libertatis gloria.*

Per hos dies, *Fridlandia Dux* nulli nec loco, nec tempori defuit; quin ubi hostium tumultua obstreperent, eò occurreret; ne Transitum ad Sociorum Urbes tuendas, *Dano* daret. *Arnhemium, Præfectum Castrorum, in Pameraniam*, cum Copijs præmisit: ut Provinciam, & Maritimas Urbes in potestatem *Cæsaris* redigeret. Cæteræ, hostilia possæ, Imperium ejus non abnuerunt. *Stralsundia, Urbs Maritima, in finibus Pomeraniæ sita*, imperata facere pertinaciter detrectavit: cum ob *Anseaticam Societatem, tum ob Daniæ ac Sueciæ Regum Amicitiam. Arnhemius*, antequàm hostilia cæptavit, *antè Portas ad Colloquium congressus*, magnopere suasit, *ut, cum essent infirmi ad resistendum, Amicitiam potiùs Cæsaris quàm Vires experirentur*. Illi omnia se perpeti paratos responderunt. Quorum cognitâ Pertinaciâ, eam magnâ pænâ castigandam existimavit; *ne Oræ Maritimæ Civitates, Societate freta Daniæ ac Sueciæ Regum, Cæsaris viribus resisterent; ac alios ad Arma sollicitarent Populos*. Itaquè omnem circà Urbem Agrum depopulatus est; Operibusquè cinxit. Venerunt eodem posteà, cum suis Cohortibus, Tribuni, Centurionesquè, ut partem laboris ac periculi, in Obsidione, capesserent. Non deterrentur tamen *Oppidani*, nec quicquàm prætermittunt, quæ aut Munitiones, aut hostes arcere possent; *omnes inermes, & valetudine, aut Senio imbicilles, dimittunt, unàq; Opes, & Supellectilem*. Nova Propugnacula exstruunt; hostea *Nocturnis Eruptionibus* turbant, & fortissimè præliantur. *Derholmam Insulam*, antè Oppidum, Præsidio *Germanorum* infessam, extremâ fame subactam, in potestatem redigunt, *ut liberum ad Mare haberent Exitum*. Deniquè omnia patienda decernunt, priùs, quàm ad Deditionis iniquas Conditiones descendant. Intereà ipso *Freidlandiæ Dux* in Castra venit, Oppidumq; Terrâ Munitionibus cinctum invenit. Cohortatur Militea, ut Opera quæ perficienda erant, sedulo perficerent; & Alij Munitiones promoverent; Alij Eruptionibus resisterent. Oppidani, cum Obsidione premerentur, Viribus suis parum freti, *Danorum ac Suecorum Reges, ac Vandalicas Civitates, ad Opem ferendam Socijs, in communi Religionis, ac Libertatis causâ, implorant*. Missus ilicò *à Dano*, ad Præsidium Urbis, *Hulcus, Tribunus* fortis & strenuus, cum Auxiliaribus Copijs: qui Scientiam rei Militaris, Virtutem, fælicitatemque, in hâc Urbe defendendâ, ostendit. *Suecus* Indulgentiam suam in Obsessoa, *missis Centum Dolijs Tormentarij Pulveris*, in præsentiâ testatus est; pollicitusque, cum tempus ac res fineret, Obsessis ulteriorem Opem ferre. Deindè, collaudatâ Fide, ac Virtute eorum, hortatus est, *ut eadem Magnitudine animi perstarent, ad ultimum vitæ Spiritum*. Nec *Vandalicæ Civitates* Auxilium suum, communis Salutis causâ, frustrà implorari passæ sunt; rem *ad salutem totius Germaniæ* pertinere existimantes. *Legatos ad Cæsarem miserunt*, oratum, ne *Anseaticam Civitatem Obsidione premeret: Nevè materiam periculosi Belli præberet, excitâ Suecorum gente. Cæsar* precibus Oratorum permotus, *& Consensionem Civitatū Oræ Maritimæ veritus, Præfectos suos Obsidione desistere jubet*. Quâ re nuntiatâ, *Freidlandius* ferociter respondit, *ad Salutem totius Germaniæ pertinere, & Dignitatem Cæsaris, Illam Urbem expugnari, quæ tàm pertinaciter resisteret: & præstare omnes Calamitates perferre, quàm re infectâ discedere. Nequicquàm confectum tantum Bellum, nisi materia futuri Belli in Ortu extingueretur.*

Cæterùm, *Hulcus Præpositus Urbi*, ut ad omnes hostium Conatus posset esse paratus, armatos in Munitionibus disponit; *Oppidanos* firmavit, *ut animos colligerent, & armis Muros tutarentur. Ipse jurat, se Custodiam Urbis sibi permissam, non derelicturum. Idem omnes Cives, Centurionesq; jurant: hos Milites sequuntur*. In præsentiâ curat, ut Copia frumenti Oppidanis suppeditetur; quæque ad defensionem usui sint parat. Intereà, *Arnhemius*, cum longius Obsidium ductum iri animadverteret, *Rusticum, largitionibus corruptum, in Urbem misit; ut Tormentarium Pulverem incenderet: Militesq; instruxit, ut si id accidat, Muros conscendant, & ab Incendio restinguendo Oppidanos deterreant*. Rusticus cum in Urbem venisset, facinus perosus, *rem omnem Præfecto Præsidij aperuit*. Qui cognitis hostium Insidijs, *aliquot Dolia Picis incendit; Cohortes in Muro disponit, instruitq; omni genere Missilium*. Quo facto, repentè in Urbe flamma emicuit. Id ubi accidit, *Cæsariani* in Eventum rei intenti, *Clamore sublato, Munitiones Mœniaq; invadunt*, majore Spe, quàm fortunâ. *Oppidani* instructi, paratiquè, *Subeuntes deturbant: compluresq; emininùs occidunt*, sinè periculo. *Freidlandius*, cum suos interfici, vulnerariquè lethaliter cerneret, ab impugnandis Operibus, Mœnibusquè occupandis, *in Castra revocat*. Ita Consilium Calliditatis plenum, sine ullo Obsessorum detrimento, in nihilum cecidit.

Danus, toto indè *Mari Baltico* pulsis hostium Navibus, *Rugam Insulam à Cæsarianis possessam, Sex fermè Millibus Militum Classe cinxit*, ut Commeatu intercluderet, quia nisi fame expugnari non posse videbatur. Mox complurea Insulæ Præsidiarij Egestate & dysenteriâ perierunt: reliqui victu fædo inopem vitam toleraverunt. Hoc successu elatus, *Uffendamiam, seu Usedomam Insulam, in Mari Baltico positam, recepit*. Nec ultrà differre profectionem in *Pomeraniam* constituit; *ut Stralsundiam Metu liberaret*; & Provinciam, depulso Jugo, liberam faceret. Indè *Volgastum* trajecit; *ubi Custodia Ducalis pecunia esse solita erat; & in Portum invectus, Urbe potitus est; ac munitissimâ ejus Arce*; & haud procul Castra posuit, tuta Uligine Paludum; fossâquè ac Vallo munivit: *ubi Quingenti Equites, à Gustava Rege missi, Duce Irvina Camite, ei occurrerunt; & Germanica Cohortes, duce Solmensi Comite*. Regis cognito adventu,

adventu, *Freidlandia Dux* præveniendum hostem ratus, priùs quàm Munitiones perficiantur; Ob- 1628. sidione destitit. Aliquot Cohortibus ad tuenda Munimenta relictis, ipse cum reliquis *Castra Danorum oppugnare* instituit. *Equitatum omnem, & levis armatura Pedites ad Castra hostium præmittit:* ipse cum Sex Peditum legionibus, totidemque Tormentis æneis, subsequitur. *Danus*, ubi de hostium adventu cognovit, *cum Daniæ Principe, & Frederico filio*, ad Munitiones advolat; suosquè cohortatur ad Virtutem; Arma Animosquè expedire jubet. *Equites Regij* qui in statione erant, ne qua subita Irruptio fieret, cum impetu hostili viderent *Cæsarianos* venientes, in loca Munimento tuta, ac difficili aditu, se receperunt. *Freidlandius*, difficilem aditum, *per Angustias Paludum*, contemplatus, Consilium ab Audaciâ mutuatus est: jussitque suos Equites, Multitudine superiores, hostem lacessere; *& Angustum Aditum* occupare: Equestriquè Prælio facto, *Regij Equites constanter initium pugnæ fecerunt*, Signaquè intulerunt, multis interfectis, vulneratisquè. Nec cessêre *Cæsariani*, succedentibus integris in locum defessorum; Sed eò acrius instare cœperunt. *Ipse Freidlandius cum robore Peditum succedit*; dejectoquè hostium Equitatu, *loco potitus est: & Palude trajectâ*, sinè periculo pugnæ, machinisquè in propinquo Colle dispositis, in Munitiones impetum fecit. *Dani*, & Auxiliares, inopinatô re non perculsi, primum impetum fortiter sustinuerunt; & cum jacturâ militum, hostes depulerunt. *Freidlandius adhortatur suos, ne levi jacturâ permoverentur, Neu infectâ re discederent.* Qui ad Munitiones rursùs accedentes, ardentioribus animis institêre. Summâ vi utrinque contenditur, multis vulneratis, interfectisquè. *Non deterrentur Milites Regij:* & eminùs, minore periculo, præliantur. Eodem tempore, *cum Globi ardentes Tormentis jacerentur, magna repentè in ipsis Munitionibus flamma orta est, ex Incendio Pulveris Tormentarij*; quo malo perterriti *Scoti, Francique*, qui eam partem Munitionum acriter tuebantur; ortum Incendium exstinguere conantur, telis hostium, flammæquè pertinaciter resistentes. Tandem *Regij*, spatio pugnæ defatigati, cum undiquè circumfusi premerentur, multis Centurionibus, Militibusquè amissis, Munitionibus dejecti, in fugam effusi sunt; confuso agmine petentes *Volgastum. Cæsariani insecuti sunt, cædentes, vulnerantesq;*. Magna pars Peditum deleri potuit, *nisi Regij Equites acrius Cæsarianos persequantes tardassent, & fugam facilem, ac tutam in Vrbem dedissent.* Ipse Rex in Arcem urbis, Mari imminentem, concessit. *Freidlandiæ Dux*, eâ Nocte in Munitionibus hostium mansit. Postero die, *Vrbem diripuit, incenditq; spectante Rege: qui Scaphâ exceptus, Naves conscendit. Dani cum adventare Cæsarianos animadverterent, Naves Onerarias conscendunt; & ipsi se, in conscensu, Multitudine impediunt. Magna Navis onere ruentium suppressa est, & complures Milites fluctibus obruti.*

Rex, post adversam pugnam, *in Vsedomam Insulam trajecit.* Ibi relictis firmis Præsidijs, *dimisit per omnem Oram Maritimam Naves Onerarias, ut suos vagantes in litore exciperent:* & fluctuatus animo est, *utrùm in Regnum se reciperet? an Mare Classe compleret?* vicit hæc Sententia: protinùsquè *mittit ad Batavos Carpesonum Tribunum, ut Auxilia accerseret.* Clandestinis Nuntijs *Germanos sollicitat*; quos superiore Anno pacaverat Cæsar. *Oram Baltici Maris, Insulasq;*, summâ cum curâ ac diligentiâ tuetur. Literas ad *Socios Reges, Populosq;* mittit, *ut vindicarent Fretum Danicum à superbâ, ac cruentâ Dominatione Austriaca domus.*

Nec *Freidlandius*, post eventum prosperæ pugnæ, quiescit; omnes Copias contrahit, *ad Præsidia Danorum Oppidis expellenda.* Jam tota *Holsatia* in potestate erat, *præter Glucstadium, & Crempam*, quæ Cæsaris Imperium abnuerunt; nec nisi summâ vi expugnari poterant. Proindè *transgressus in Holsatiam, oppugnare utrumquè Oppidum est adortus.* Eruptionibus Oppidanorum *Cæsariani* sæpè repulsi sunt, multis cæsis, aut vulneratis; *captoq; Annibale Shovenbergio, Præsidianorum Præfecto*; compulsiquè intrà Moenia qui eruperant. *Crempa* acrius operibus obsessa, *ad Deditionem Fame inclinavit.* Præfectus tempus petijt, *ut Daniæ Regem, de tradendâ Vrbe, consuleret.* Dato tempore ad eam diem, *Præsidio discessum est.*

Glucstadium, quod à Ranzovio, in Daniâ summo loco nato, tenebatur, Cæsarianis Obsidentibus acerrimè restitit; nequè ullâ vi expugnari poterat. Cum Spes ferè nulla expugnandi esset, *Popenhemius* cum suis Copijs in Castra venit, ut partem periculi ac gloriæ capesseret. Qui Urbem unâ ex parte summâ vi oppugnare adortus, *Metu perpulit ad deditionem. Hæc Deditio Danorum, ingentem formidinem cæteris Saxoniæ Vrbibus intulit:* Nec ullo Imperium abnuit, *præter Magdeburgum, Germaniæ Metropolim*; quod exitum exitialem ei attulit; *Saxoniaquè à tribus simul Exercitibus, Freidlandij, Tilij, Popenhemij vastatur.*

Freidlandius hoc Successu elatus, quod tot opportunas Urbes in potestatem *Cæsaris* redegisset, *Libertatem Vandalicarum Civitatum labefactare tentavit.* Dedidêre se deinceps *Rostochienses*, cum Terrâ Mariquè obsiderentur, *& Præsidium Cæsaris* sponte receperunt. Indè *Vicum Maritimum*, cum inclyto Portu, *à nomine propinqui Maris Vismarum vulgò appellatum*, aggressus, per deditionem recepit. Eodem metu *Neostadium, & Frederico stadium, Portus Maritimos, ad Deditionem compulit.* Quibus confectis, Naves faciendas curavit, ijsque delectos Milites imposuit; magnumque hostibus terrorem injecit, Terrâ Mariquè. *Danus, suâ Classe, Auxilijsq; Sueciæ Regis, Naves Cæsareas afflixit; Portus nuper interceptos, Maritimis Custodijs clausos tenuit*; *Naves Onerarias diripuit; armatas instructasq; abduxit; reliquas turpiter fugere coegit.* Sic Belli ratio divisa est, ut *Cæsariani* in Littore dominarentur; *Dani* Terrâ prohibiti, *fauces Portuum, omnemq; Oram Baltici Maris* longè latèque occuparent.

1628. Jam fama *omnem Oram Maritimam pervasit*, minui Opes, *adimi Libertatem Vandalicarum Civitatum, à tot Cæsaribus indultam*. Id ægrè patientes *cæteræ Liberæ Civitates, Vandalici Concilij Conventum Lubecam indixerunt*; ut quæ ad Pacem pertinere viderentur procurarent. Ubi congregati Apolecti, *Legatos communiter ad Cæsarem miserunt: Qui tàm atroces atq; indignas Injurias quererentur, ad Civitatum perniciem pertinere*. Ille *Querelas ad Friedlandium rejecit*. Oratores, re infectâ, redeunt: renuntiantque, *nullam Spem, aut Conditionem Pacis, nisi in Armis esse*. Tum Naves, Arma, Viros, expediunt: tota Maritimâ Orâ dilectus habent: Classem parant, instruuntquè: *Tutelam Baltici Maris suscipiunt: atq; unà cum Daniæ & Sueciæ Regibus* cuncta diligenter, industriequè administrant. *Freidlandius* vehemens, & ferox Naturâ, quem recens Victoria reddidit ferociorem, impotentioremquè, in omni Orâ Maritimâ, Oppidisquè, quæ in Ditionem *Cæsaris* venerant, *Classem comparavit, ut Danum, Pomeraniâ pulsum, amissâ Holsatiâ, Ditmarsiâ, Terrâ Mariq; subigeret*. Sed cum Fauces Portuum, Omnisquè Ora Maritima Classibus Adversariorum tenerentur, *Cæsareæ Naves* serius à terrâ provectæ, cum Hyems præcipitaret, *nihil memorabile fecerunt*.

Quâ Ignominia commotus *Freidlandius*, ac Possessione pelagi pulsus, *discessit à Mari Baltico:* & cum omnibus Copijs *ad Stralsundiæ Obsidionem revertitur:* in quâ hæsit Spe diutius: Namque diuturnitas Oppugnationis Oppidanos audaciores effecit. Qui in Urbem compulsi, sese ad Eruptiones, atquè omnes Casus Belli præparant; reliquaquè quæ ad tolerandam Obsidionem pertinerent, industriè administrant: Tandem robore Militum acciso, ac exterioribus Munitionibus occupatis, de exitu rerum suarum consultant. Varijs deindè dictis Sententijs, *constituunt, ad Auxilium Gustavi Sueciæ Regis confugere; ac in fidem Tutelamq; ejus Urbem tradere*. Missisquè Apolectis, & Conditionibus scriptis, signatisquè, orant, *ut Communem Germaniæ Casum miseraretur: Seq; in fidem receptos, Armis, Opibusquè tutaretur*. Gustavus ea fuit animi Magnitudine, Bonitate, Comitatequè, ut Sociorum Salutis causâ, suum periculum negligeret. Proindè, cum videret, *Germaniæ* Libertatem prostratam; depopulatam *Pomeraniam*; *Inferiorem Saxoniam* perpetuæ Servituti addictam; *Daniam* Ferro igniquè vastatam; Austriacos Monarchiæ proferre Pomeria; suam Misericordiam, suumquè Auxilium justè implorantibus patere æquum censuit. *Et quamvis Prussiæ Bello implicitus*, ut suprà demonstratum est; *tamen Stralsundiæ Patrocinium suscepit*, adversùs vim & Injuriam; ac à Crudelitate *Freidlandij* vindicavit. *Duodecem Peditum Cohortes, & Quatuor Equitum Turmas ex Prussiâ misit*. Ita Obsessi, Regis Auxilio, defensi, Obsidionem per totam hyemem tolerarunt; convectisquè Commeatibus, qui in usum longi temporis sufficerent, Jura, Urbem, Libertatem retinuêre. *Quo facto accensus Freidlandiæ Dux, hostem Cæsaris Sueciæ Regem denuntiavit*. Quæ res Occasionem funesto Bello dedit.

Gustavus, ne quod Initium Belli cum Cæsare nasceretur; *Neu ea, quæ propinquæ Urbis causâ egerit, Principes Germaniæ in suam Contumeliam verterent*, Edicto exposuit, *Preces Sociorum, Calamitates Obsessorum, suam Lenitatem cognitam omnibus, semper se Sociorum Commoda privatis Utilitatibus habuisse potiora. Ita cum illis Societatem institutam, ne vetustior cum Germanis videtur. Cognitum, compertumq; sibi, alieno esse in se animo Cæsarem. Velle se ei purgatum, Pertinere quoquè ad Dignitatem suam, Obsessos nullam Calamitatem accipere*.

Hâc rerum vicissitudine *Viennam* relatâ, *Cæsar permotus, implacabilius Sueco, quàm Dano irascebatur. Legiones, quantum maturari potuit, in Prussiam misit, adversùs Suecum*; Nec Iracundiam suam publicæ Utilitati remittere quivit; quam per tot Acies fusus Sanguis explere non poterat.

Inter quæ, *Pomeraniæ Dux*, cum jam Provincia effuso Exercitu passim vastaretur, *Oratores Viennam* mittit, qui deplorant Injurias factas à *Freidlandiæ Duce*; orant ac postulant, *ne gravetur Cæsar, Pomeraniam Licentiâ, atq; improbitate militum liberare*. Pauca ejusdem generis addit literis, Nuntijsquè suis, *Saxo Vijoir*; cum Commendatione *Pomeraniæ Ducis, benè de Imperio meriti*, conjunctâ. *Cæsarem quoq; pro suâ Majestate, debere Querelas Supplicantis audire: & perditas res Provinciæ respicere*. Toties missis de Pace Legationibus nihil impetratum.

Eodem tempore, *Saxo, & Brandeburgicus Vijviri*, cum cernerent indies *Populationes Agrorum; Direptiones Urbium; Incendia Villarum; Ruinas ædium; Prædas hominum, atq; Pecudum; Germaniam ferro, flammâq; vastatam; Pomeraniam nefario Latrocinio petitam; singularem, ac nefandam Crudelitatem Freidlandiæ Ducis*; orandum adhuc Cæsarem censuerunt: hortatiquè sunt, *ab Armis discedere; per idoneos homines cum Dano Controversias tollere; atquè totam Germaniam Exitio liberare: ne abscissâ omni Spe Compositionis, Germanici Proceres externum Auxilium accerserent*.

Nec *Catholici Vijviri à Pace, ac Concordia Consilijs abhorrebant*; atquè eisdem de rebus agebant cum Cæsare; *nequicquam contrà Ignatianis tendentibus*. Ille de Eventu Belli sollicitus, cum vereretur, ne quid Asperitate Naturæ fecisse videretur, re deliberatâ, ex Authoritate Senatus respondit, *sibi Germaniæ Salutem vitâ chariorem; Sequè ad Pacis Conditiones descendere paratum, sinè honoris sui jacturâ*. Hæ quo facilius fiant, & Jurejurando sanciantur, *Lubecam, in litore Baltici Maris*, locum constituit.

Indè *spes data Dano tentandæ pacis*. Habitoquè frequenti Concilio, delegit, ad eam rem agendam, idoneos homines. *Delecti à Cæsare, ad Pacem faciendam, Freidlandiæ, ac Holsatiæ Duces, & Tilius Comes*,

Bavari legatus. Qui cum *Dani* Apolectis, *Lubeca*, ad Colloquium congressi sunt. *Summa Postulatorum* 1628.
Dania regis erat, Vt non Holsatiâ modo, atq; Ditmarsiâ Cæsar cederet; sed ex Vrbibus, Arcibus, Insulisq; Baltici Maris Præsidia deduceret. Iutiam hæreditariam, ac justam Danorum Possessionem, restitueret. Omnia moventia, ac Mobilia quæ comparerent, redderet. Belli Clades, arbitrio bonorum virorum, repararet. Discederent in Germaniâ omnes ab Armis; Captivos, ac Transfugas utrinq; dimitterent. Confessio Augustana libera Protestantibus permittatur.

Hæ Conditiones Pacis offenderunt aures *Apolectorum Cæsaris*: Qui responderunt, *Iutiæ Partem Armis possessam, paratum reddere Cæsarem, Pacis & Concordiæ causâ. Sed æquum non esse, Provincijs, Vrbibus, Insulis discedere, quas Iure Belli captas haberet. Non enim à Cæsare, sed à Dania Rege, principium Belli factum. Proindè Cladium Culpam Authori Belli Iure assignari. Sumptum quoquè in Bellum factum, Regem præstare censuerunt: cujus Culpâ Bellum excitatum esset. Omittendamq; Mentionem Pacis, nisi Arbitrium rei Cæsari permitterent. Daniæ regis Apolecti* Conditiones abnuerunt: monueruntquè, *Bellum Terrâ Mariquè gerendum esse, si Daniæ, Holsatiæ, aut Ditmarsiæ aliquam partem abstrahere velint; & acquirere Aliena dominia facilius esse, quàm tenere.* Hæc inter se Apolecti multis verbis, ultrò citroquè Conditionibus habitis, disceptarunt: multosquè dies deliberando, sinè effectu consumpserunt. Vulgò credebatur, de Industriâ *Colloquium à Dano tractum: cum tam gravia & indigna imperarentur: ac Spes Auxilij à Suecia Rege affulgeret*; qui & cæteris Ornamentis, & animi Magnitudine, & rerum gestarum gloriâ maximè floruit. *Dani Apolecti*, postquàm nihil æqui in *Colloquio* impetrare se cernebant, institêre petere, *ne gravarentur Cæsariani Delegati, Sua ad Cæsarem Postulata deferre; ut aliquis Finis rei imponi posset.* In hanc Sententiam concesserunt *Freidlandiæ Dux, Præfectus Cæsaris, & Cæteri Apolecti*; permiseruntquè *Imperatori arbitrium Pacis, ac Belli. Dani* quæ acta essent, ad Regem retulerunt.

Eo ipso tempore quo Pax tractabatur, *Francus Italiæ Bellum inferebat; Cæsare, & Hispano contrà tendentibus, & pertinaciter obsistentibus.* Quæ res Pacis Conditiones acceleravit. Nam advocato frequenti Concilio, *Dani Postulata sunt audita*. Deliberatumquè, *quibus cessurus, vel non cessurus esset Cæsar*. Cum Sententiæ perrogarentur, pleriquè censuerunt, *perdomandum ferocem Regis animum. Iutiam tenendam; ut Hellesponto Danico, cum Imperio Baltici Maris, potiretur. Rugam Insulam, & tot Opportunas Vrbes, Iure Belli captas, non reddendas; Holsatiam, Ditmarsiam, Stormariam, jactatas in Apolectorum Disceptationibus, vindicandas ab Imperio Regio.* Plures Pacem cum *Dano* faciendam pronuntiarunt: adjeceruntquè, *satis esse magna utrinquè Incommoda accepta; nec unquàm Pacem fidam futuram, si aliquam partem Ditionis Regiæ abstrahere velint.* Cæsar in universum Belli eventum intentus, *non Daniæ & Sueciæ modò Reges timens*, qui terrâ Mariquè pollebant; sed *nunc Principum, nunc Popularium animos; qui Externi Regis, quàm Austriacæ domus Imperium esse mallent*; Potestatem *Apolectis suis* dedit, ut Conditiones Fœderis retractarent; *Iutiam, Holsatiam, Ditmarsiam, Stormariam, Vrbesquè captas Daniæ Regi restituerent; ne in perniciem Germaniæ diutius pugnaretur.* Hæc cum Mandata accepissent, aliquot dierum spatio ad deliberandum sumpto, ut *Conditiones Pacis, in Colloquio agitatæ, convenirent, Anno insequenti pepigêre, & Pacta conventa Authoritate Cæsaris rata fuêre. Danus* in omnibus Fidem Fœderis functè servavit: cavitquè, *Nequè Se, Nequè Posteros suos quicquàm acturos, quod Ius Cæsareæ Ditionis læderet.*

Prætereà, quæ hoc Anno fuerunt in *Prussiâ* Certamina, tempus est commemorare. *Gustavus*, ob singularem animi Magnitudinem, cunctis notus, magna jam dederat *in Prussiâ, Livoniâ, & Lituaniâ* egregiæ fortitudinis Experimenta; & Nominis sui fama *Oram Baltici Maris* impleverat. *Cæsar minimè lætus Famâ ac Potentiâ Sueciæ Regis, Sarmatis statuit Auxilium ferre: & Copias suas Sarmaticis in Prussiâ consociare; ne opprimerentur ibi à Suecis.*

Per hos dies, *Gustavus* Bellum magnâ cum curâ in *Prussiâ* administravit: exercuitquè in Armis indies, *& Suecos Subditos, & Scotos, Mercede militantes adversùs Sarmatas, & Auxilia Cæsaris*. Cum quibus variâ fortunâ sæpè dimicavit; & *Gedanensem Civitatem*, direptis antè Portum Navibus, ad Inopiam ferè ultimam adduxit; laboremquè in obsidendâ Urbe, Terrâ Mariquè sibi proposuit; ut Imperium ejus Regionis vindicaret: *magnamq; partem Prussiæ suam faceret.* Trepidatumquè in Urbe, cum periculo est. *Oppidani* Prælio Navali superati, ex Arce Mænibusquè Tormentorum fulminibus in *Suecos* subeuntes detonuerunt. Pauci interfecti, vulnerati plures. *Gustavus* suos laborantes animo atquè Audaciâ sustinuit: coactus demùm periculo Militum, sese in proximas Munitiones recepit; & Tædio fatigandos *Obsessos* existimavit.

Adulto jam Vere, cum maximâ parte Copiarum profectus *Marienburgum, Civitatem amplam, Polonorum Præsidio insessam, ad deditionem compulit*; quam Operibus Turribusquè munivit: instruxitquè Tormentorum apparatu. Eodem impetu *ad Grandentum ducit*: quod in Potestatem redegit. Ibi *Ponte raptim facto*, in ripam, in qua erant Castra hostium, transgressus est, ut Pavorem *Sarmatis*, Suisque ex Audaciâ animos adderet. Quod ubi viderunt *Poloni*, expediunt se ad pugnam: & Prælium commissum est; in quo multi fortiter dimicantes utrinquè cecidêre. Procedente Certamine, *Sarmatæ cessêre*, L x x x *Vehiculis relictis, Copiâ Commeatuum refertis. Sueci* hoc Successu elati, *Neoburgum capiunt, inter Thornum & Dantiscum situm*; ibiquè Copia omnium rerum potiuntur: & *Gedanensem Civitatem* arctioribus indies Commeatibus premunt. Coactus ergò periculo Civium *Sigismundus*,

præcipiti

1628. præcipiti jam Autumno, & animo & opibus in *Prußia* Bellum incubuit. *Qui contractis aliquot Cosaccorum Millibus, & Peditum numero aucto, Mosarcum Tribunum Cosaccis præfecit*; & Summam Belli administrandi *Polsquio* permisit. Monuitquè Præfectos, ut Opem ferre *Prußiæ* properarent. *Sarmatæ* alacres, & fiduciæ pleni, Profectionem festinatis Itineribus maturant: & *Numasam perveniunt*; *quam Gustavus obsidebat*: & haud procul Urbe ac Castris ejus considunt. Ille tantis Equitum, Peditumque Copijs circumfusus, *Obsidione decessit: & in Munitionis se recepit, ubi Impedimenta totius Exercitus relicta erant*, ne ex Oppido Eruptionibus pugnaretur, & à tergo multitudine hostium opprimeretur. *Sarmatæ*, pristinæ Belli laudis recuperandæ Cupidine incensi, Villas, Vicosquè *Neuburgo* vicinos, Ferro & Flammâ depopulantur: nec vagandi prædandiquè finem faciunt; ut *Soli Vastitas*, & Commeatuum egestas Præsidiarios ad Deditionem cogerent. Proindè *Sueci*, qui in Præsidio erant, Eruptione factâ, *Polonorum* Agmen Prædâ impeditum adoriuntur, majore animo, quàm Consilio. Qui *Suecorum* impetum fortiter sustinent; in Urbem recedere cogunt; & impigrè persequuntur: nequè priùs sequendi finem fecerunt, quàm Mænibus Oppidi Portisquè appropinquarent. Ubi eò ventum est, summâ vi Muros aggrediuntur. Civium, Magistratuumquè animos tentantes; qui aut Pollicitationibus, aut denuntiatione periculi territi, *Portas aperuerunt: pacti, ne quid hostile paterentur*. Nacti Occasionem, *Sarmatæ irruperunt, omnesquè Suecos Præsidiarios interfecerunt*. *Polonorum* summa fælicitas in recuperandâ Urbe fuit. Itaque *Sarmatæ* cum *Neuburgum* hosti eripuissent, Equitatum omnibus locis ostentarunt, *ut Suecos rerum Necessariarum Penuriâ premerent*. *Gustavus*, Possesso Mari, Commeatus ex omnibus Portubus Maritimis in Castra subvehi jussit: & *Classe suâ* Cibaria, Auxiliaquè hostium impedivit.

Nec multo post, cum *Suecorum Turma*, rei Frumentariæ causâ, vagarentur, in eos *Polsquinus cum Cosaccis* Impressionem fecit. *Baudißimus Bohemus, Præfectus Gustavi*, cum Cataphractis Impetum fortiter sustinuit. Fit Equestre Prælium, in Planicie, *propè Ostrodum*; in quo multi utrinquè obstinatè pugnantes cecidêre; & in his aliquot *Turmarum ductores*: in eoquè Certamine, ipse *Baudißimus Præfectus sanciatus*, armis & Virtute restitit: tandem *Equo lanceâ suffosso, & suprà incumbente, captus cum Quinquaginta ex suis, Versoviam abductus est; ubi paucos post dies, exanimatus est vulnere*. Cæteri Equites fermè cæsi.

Gustavus, *Alâ Equitum cum Præfecto amissâ*, ad Majores Copias contrahendas, in Regnum rediit. Sed priusquàm discederet, *Occensternium, Prætorem Sueciæ, robore animi ac corporis præstantem, Exercitui præfecit*: ut ejus operâ ac Consilio Bellum, absente se, administraretur. Quâ re cognitâ, *Sarmatæ* maturandum sibi censuerunt, ut priusquàm Rex cum majoribus Copijs reverteretur, hostes dimicare cogerent; aut ad ultimam Inopiam adducerent. *Occensternus* Prælio concertare non statuit; locis munitis se continuit; & Conditiones Pacis, per Occasiones, tentans, tempus extraxit.

Interim multæ *Legationes de Pace & Concordiâ publicè missæ*, hortantes, Ne in Perniciem utriusquè gentis pugnarent: quæ Authoritate non prævaluerunt, ut furore abstiterent; dum utrinquè sibi confiderent. *Sarmatarum, ac Suecorum* tam infesta rabies fuit, ut tot hominum interitus, tot Urbium direptiones, fusus per tot Acies Sanguis, explere non potuerit. *Pax cum confici non posset, de Inducijs in breve tempus agi captum est*.

Brandeburgicus Vijvir, paribus duorum Regum Beneficijs devinctus, Neutrum eorum contrà alterum juvare voluit; & pari gratiâ apud utrumquè floruit. Qui cum videret, *Prußiæ Ducatum*, Ditionis suæ Provinciam, igni, ferroquè vastatam; *vehementer institit de Inducijs*; & paucorum dierum Spatium ad deliberandum impetravit. *Occensternius*, fessus Tædio Belli, ac Alimentorum Inopiâ conflictatus, *Inducias fieri cupiebat. Nec Sarmatæ à Concordiâ abhorrebant*, præcipiti jam hyeme: jam non minùs quàm *Sueci* rerum Necessariarum inopes. *Inducijsq; datis, in Quatuor Menses, additum, ut Armis utrinquè in Prußiâ abstinerent: Populationibus, Incendijs, Ruinis absisterent: liberâ Commercia terrâ Mariq; permitterent. Sueci Gedanensem Portum, Oppidumq; Maritimis Custodijs liberarent*.

Finitis *Inducijs*, satis apparuit *tædere Belli Reges*; *ac Gedanenses diuturnâ Obsidione fessos, finem turbarum cupere*: & interim Spem Pacis, ac Concordiæ, per Occasiones tentare. Ideoque *iterùm Legati, liberâ Potestate instructi, utrinquè convenerunt*. Sueci postularunt, *ut Livoniam, Lituaniam, Prußiæ partem, armis & virtute partam, tenerent: & æquam Portionem Gedanensium vectigalium obtinerent*. adjeceruntquè, *si hæc Postulata Sarmatæ probarent, Regem suum omnes Terrestres Maritimasq; Copias dimissurum: & Gedanum ad ultimam fermè Inopiam adductum, relicturum*. Hæc cum audissent *Sarmatæ*, aliquot dierum Spatio ad deliberandum sumpto, *ad Sigismundum Nuntios, literasq; miserunt*, ut ad studium Pacis inflecterent, *quam Gustavus obstinatè recusaret, nisi Salvis Captis Urbibus, atq; Provincijs, quas in Ditionem suam redegerat*. Coactus ergò *Sigismundus*, tædio belli, *ac periculo Gedanensis Civitatis*, jussit, *ut Legati quod è Rep: videretur, agerent*. Postquàm Nuntij ad Regem missi, Mandata retulerant, duorum Regum Consensu, Anno insequenti, *Millesimo, Sexcentesimo, Vicesimo Nono*, Pax promulgata est, his legibus, *ut Exercitus hinc indè dimitterent. Gustavus Lituaniam, Livoniam, partemquè Prußiæ armis captam, teneret: atq; Medietatem Teloniorum Gedanensium obtineret*.

Gustavus, auctâ Potentiâ, ac finito Bello, ne tùm quidem ad Quietem versus est: sed majora indies moliri cæpit: *Ereptum Frederico Palatinatum, honorem ac Dignitatem restituere: afflictam Germaniam*

à Servitute

à Servitute liberare: Cultum Dei ſyncerum revocare: Principes Saxoniæ, Neceſſitudine, Cognatione ac Affinitate 1628.
conjunctos, tueri: Freidlandij, & Tilij perditos Conatus vindicare.

Bellum quoquè hoc Anno habuit *Italia*, ex hâc Occaſione. *Carolus Gonzaga, Niverniæ Dux, in Galliâ, Mantuanâ Familiâ oriundus, mortuo Vincentio, Mantuæ ac Montis ferrati Duce, nullâ Prole maſculâ ex Illuſtriſſimâ familiâ ſuperſtite, ſucceſſit: & Mantua omnis in Ius Ditionemq; ejus venit; cedente Vincentij Nepte; & Aditum fœminis ad illud Beneficium non eſſe fatente.* Itaquè *Carolus* filium, *Mantuæ* Principem, extemplò ad *Ferdinandũ Cæſarem* miſit, in cujus fide *Mantua* antiquitùs erat. Data Mandata, *ut Mortem Mantuani Ducis, & Ceſſionem factam exponeret*; peteretquè pro Fide, ac Clientelâ *Inveſtituram Feudi*. Qui introductus ad Cæſarem, Mandata ſupplieiter expoſuit; ac preces *Patris, Imperij Beneficiarij*. Hæc leniter agenti ferociter reſponſum eſt, *Feudum illud, Liberis Maſculis Vincentij deficientibus, ad Imperium devolutum. Irritam Ceſſionem Feudi maſculini à fœminâ factam; Nec facturum æquum Niverniæ Ducem, niſi Mantuâ Agroq; Monſerrarienſi abſtineret.* Hâc legatione *Mantuam* relatâ, ac cognitâ *Cæſaris* voluntate, *Carolus Vrbes, Arceſq; valido Præſidio Iuventutis ſuæ firmavit: & Gallos promptos ad ferenda Auxilia, accerſivit*; ſinè quibus tueri receptas Provincias non potuit. *Miſit quoq; in Hiſpaniam Caſalienſem Epiſcopum, ut res Mantuanas in Aulâ Bæticâ procuraret*; & flammam teterrimi Belli in ortu extingueret: qui Moram, ac Dilationes timens, re infectâ domum redijt. Nuntiavitquè, nihil æqui impetraſſe, *Niſi totum negotium Cæſari, in cujus fide Mantua erat, liberum permitteret.* Igitur *Carolus Mantuæ Dux, quia viribus ſuis, Auſtriacis reſiſtere non potuit, ſuperato Dano, & dijndicatâ jam in Germaniâ Belli fortunâ, ad Auxilium Francici Regis confugere coactus eſt; cui Niverniæ Ducis Dignitatem, Opes, & Amplitudinem ſuam ſe debere exiſtimavit*: Memorquè prioris Sacramenti, ejus fidei ſe commiſit. *Francus* in Fidem receptum *adversùs Cæſarem & Iberos enixè defendit, & incolumem conſervavit.*

Hiſpanus gaudens ſibi oblatam Occaſionem cupiditatis explendæ, *Provinciam Mantuam, atq; Montiſferratum occupari jubet: & Conſalvum Cordubenſem, Inſubrum Præfectum, Montiſferrati opportuna loca oppugnare juſſit.* Qui coactis *Helvetiorum & Italorum* Auxilijs, *Caſalium*, Primarium Provinciæ Oppidum, obſidere eſt adortus: ubi Præſidium *Gallorum, & Mantuanorum* fortiter reſtitit. Quâ re cognitâ, *Francus*, compoſitâ cum *Proteſtantibus* Pace, ſtatuit *Mantuæ Regulo*, pro Societate, Amicitiâquè, Auxilium ferre, adversùs *Iberos*, injuſta arma inferentes: poſitiſquè rerum aliarum omnium curis, *Italicum Bellum* molitur, quod Anno inſequenti dicetur.

Hoc Anno, *ſupputatione Anglicâ, Frederici Vijviri filius Primogenitus*, ſplendore Familiæ, Morum probitate, decore Juventæ, ac præclarâ animi Indole inſignis, *miſerabili Caſu extinctus eſt.* Fortè *Claſſis Indiæ Occidentalis*, fractis *Philippi* Opibus, *Amſterdamum* appulit, onuſta Auro, Argento, & Mercibus omnis generis; quæ *in Gazaphylacium Societatis publicum* convectæ ſunt. Cujus reditus *Batavorum* animos ingenti lætitiâ affecerat. Undè Multitudo integra *ad Spectaculum Indicarum Opum* effunditur. Magiſtratus quoquè & Cives, pari ſpectandi ſtudio, concurrunt. Rumore diſſipato, ſatis conſtanti, *Fredericus Vijvir, Hiſpanorum in ſe inexpiabile Odium expertus*, vix Nuntijs credidit, niſi ipſe oculis ſuis Opum Magnitudinem, ac Spoliorum Amplitudinem vidiſſet; adeò incredibilis res viſa eſt. Factâ deindè fide, Nocturnæ Profectionis impetum cæpit; *& cum Frederico filio, ac paucis Comitibus*, ad viſendum Spolia Iberorum, *Naviculam conſcendit: quæ per tenebras, ab obviâ Fortè Navi Piſcatoriâ fracta, ac demerſa eſt. Re ſubitâ perculſus Vijvir rate exiluit, nandoq; periculum effugit, Piſcatorum Auxilio ſervatus incolumis, mærens quidem & gemens miſerandum Caſum. Filius Malo innixus, & ſequentem lucem opperiens, immitis Fato expiravit.* Hunc Exitum vitæ ſuæ miſerum, & acerbum habuit *Fredericus Puer, Rex Bohemiæ inauguratus*; & provectâ ætate, Spe haud dubiâ *Vijviratus*, poſt mortem *Bavari*, Judicio Conventus *Ratisbonenſis*, deſtinatus eſt: in quo multa conceſſa ei, quæ Patri negata fuerant. *Fredericus* rediens ad Conjugem, *Mortem filij diſſimulavit*, maximo cum dolore. Tandem Caſu cognito, Mater, virilis animi fœmina, *Medecinâ non eguit*; ſed ſeipſam conſolata eſt, maximè illo Solatio, *quod Beneficio Numinis plures Liberos haberet, in Paterno Principatu locandos.* Morte in *Britanniam* nunciatâ, ingens luctus in *Regiâ* fuit; & Atratæ veſtes.

Hoc quoquè Anno, *Gulielmus Cavenditius, Devoniæ Comes*, Neophytus, Opibus, Prædijs, alijſquè proventibus clarus, *Cæterorum Procerum ſumptuoſam lautitiam, profuſâ Luxuriâ, ſuperavit*: qui cogitavit *Sibi ſe natum eſſe, & ſuis voluptatibus.* Itaquè ſplendidiſſimo rerum omnium apparatu, lautiores hoſpites excepit. Parùm abfuit, quin ditiſſimæ Familiæ Opes, *Sapientiâ & Moderatione Patris amplificatæ*, conſtitutæquè, *Magnificentiæ ſtudio, diſſiparentur*: niſi diutino Morbo, *ex Crapulâ contracto*, in medio robore ætatis, extinctus fuiſſet. Illo defuncto, Conjunx, gente *Caledoniâ* orta, domus magnum firmumquè Subſidium fuit; & Dignitati Familiæ, maximæquè Liberorum hæreditati, cautiore ac moderatiore Liberalitate conſuluit.

F I N I S.



INDEX

Rerum, ac personarum præcipuarum, de quibus in Historijs Roberti Ionhstonij.

In quo prior Numerus Paginam; secundus, Numerum Paginarum marginalem, accuratè indicant.

B.

ac Indorum

C.

D.

E.

F.

G.

H.

Hamiltonium

I.

Inundatio

K.

L.

M.

Spinei

T.

FINIS.

GOUDÆ,
Typis GUILIELMI VANDER HOEVE. M. DC. LV.



